✠
BIBLIOTECA
DEL REAL MONASTERIO
DE HUERTA.
Núm. 220.

Estante 41
Andª 3ª
Vol. 4

JACOBI PIGNATELLI

E CRYPTALEIS IN SALENTINIS

Sacræ Theologiæ, ac J. U. Doctoris

CONSULTATIONUM CANONICARUM

Tomus Decimus,

IN QUO PRÆCIPUÆ CONTROVERSIÆ DE IIS, Quæ ad Sanctorum Canonizationem, ac Sacros Ritus; ad Sacrum Concilium Tridentinum; ad Episcopos, & Regulares; ad immunitatem, libertatem, jurisdictionem Ecclesiasticam, ac hujusmodi alia potissimùm pertinent; non solùm ex utroque Jure scripto, sed etiam ex Sacrarum Congregationum decretis, rebus judicatis, placitis, atque consultis, ex prudentum responsis, ex moribus receptis, breviter, ac perspicuè dirimuntur.

OPUS OMNIBUS UTRIUSQUE FORI JUDICIBUS, Jurisconsultis, ac politici studii mystis, in primisque Summorum Pontificum, & Rerumpublicarum Consiliariis, & Advocatis utile planè, ac necessarium.

CUM DUPLICI INDICE, ALTERO CONSULTATIONUM Singulis Tomis præfixo, altero RERUM NOTABILIUM ex pluribus in unum Generalem coacto, singularique Volumine comprehenso.

EDITIO QUINTA VENETA SUMMO STUDIO RECOGNITA, Multis in locis aucta, & a mendis expurgata.



BIBLIOTECA PROVINCIAL SORIA

VENETIIS, MDCCXXXVI.
Ex Typographia Balleoniana.
SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIIS.

JACOBI PIGNATELLI

E CRYPTALEIS IN SALENTINIS
Sacræ Theologiæ, ac J. U. Doctoris

CONSULTATIONUM CANONICARUM

Tomus Decimus,

IN QUO PRÆCIPUÆ CONTROVERSIÆ DE IIS,
Quæ ad Sanctorum Canonizationem, ac Sacros Ritus; ad Sacrum Concilium Tridentinum; ad Episcopos, & Regulares; ad immunitatem, libertatem, jurisdictionem Ecclesiasticam, ac hujusmodi alia potissimum pertinent; non solum ex utroque Jure scripto, sed etiam ex Sacrarum Congregationum decretis, rebus judicatis, placitis, atque consultis, ex prudentum responsis, ex moribus receptis, breviter, ac perspicuè dirimuntur.

OPUS OMNIBUS UTRIUSQUE FORI JUDICIBUS,
Jurisconsultis, ac politici studii mystis, in primisque Summorum Pontificum, & Rerumpublicarum Consiliariis, & Advocatis utile planè, ac necessarium.

CUM DUPLICI INDICE, ALTERO CONSULTATIONUM
Singulis Tomis præfixo, altero RERUM NOTABILIUM ex pluribus in unum Generalem coacto, singularique Volumine comprehenso.

EDITIO QUINTA VENETA SUMMO STUDIO RECOGNITA,
Multis in locis aucta, & a mendis expurgata.



VENETIIS, MDCCXXXVI.
Ex Typographia Balleoniana.
SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIIS.

NUMERUS, ORDO, ET ARGUMENTA

Conſultationum, quæ in hoc Decimo Tomo continentur.

CONSULTATIO I.

An, & quatenus Regulares teneantur ſervare interdictum Eccleſiaſticum ab Ordinario appoſitum? Ubi aliqua priùs de interdicto quoad alios, & multa de communicatione privilegiorum inter Regulares.

CONSULTATIO II.

An, & quatenus liceat Regularibus habere feneſtras proſpicientes in viam publicam?

CONSULTATIO III.

An uxor, quæ obtinuit ab ordinario ſuo ſententiam ſeparationis thori, ac reſtitutionis ſuæ dotis ob adulterium ſui viri, qui dictam ſententiam accepit, poſſit ingredi Monaſterium Monialium, & in eo profeſſionem emittere, abſque eo, quod ejus vir aſſumat alium ſtatum?

CONSULTATIO IV.

De variis ſuſpicionibus, ex quibus Epiſcopus cenſeatur inimicus ſuæ Civitatis, quodque ideo recuſari poſſit?

CONSULTATIO V.

An ſit valida conſuetudo, etiam immemorabilis, qua deputati ſæculares Civitatis ingrediuntur Monaſterium Monialium ſine licentia Epiſcopi, prætextu aſſociandi Medicos, Chirurgos, alioſque ingredientes Monaſterium?

CONSULTATIO VI.

Cuinam debeatur præcedentia ratione antianitatis Monialis ne, quæ profeſſionem priùs emiſerat, non completo anno probationis, ex diſpenſatione Summi Pontificis, an Moniali poſteà profeſſæ, ex quo ipſa naturaliter annum probationis anteà compleverit?

CONSULTATIO VII.

Pius Teſtator Antonius ita diſpoſuit: Item volens inſuper Teſtator, & mandans, quod ſi dictum Monaſterium non conſtruatur in dictis domibus Sancti Petri, conſtruatur in domibus ipſius Teſtatoris, & habeat, & habere debeat bona omnia ipſius Teſtatoris, demptis legatis infraſcriptis; poſt mortem tamen Domini Cæſaris hæredis infraſcripti, juſſit, voluit, & mandavit, quod infraſcriptus Cæſar ejus filius, & qui ab eo fuerit conſtitutus, perpetuò, ſemper, & futuris temporibus habeat, & habeant jus eligendi unam Monialem, & conſtituendi in dicto Monaſterio pauperem, & honeſtæ vitæ, quæ admittatur, & de ipſa facta nominatione, & electione, cenſeatur admiſſa in Monaſterium Monialium, & Moniales teneantur recipere ſine aliqua dote; aliàs Monaſterium in caſu non paritionis dictæ ejus voluntati cadat a legatis prædictis.

Idem Cæſar hæres in codicillis factis diſpoſuit, quod electio, & jus poſt ſuam mortem eligendi unam Monialem in Monaſterio ſupradicto juxta tenorem teſtamenti Antonii, quandocumque ſuccederet mors, ſive caſus Monialis, comptat Franciſco, & ejus hæredibus, & ſucceſſoribus, ſuſtitutis ab eo in infinitum.

Dubitatur modo, an ex eo, quod idem Cæſar anno ſubſequenti donaverit præfato Monaſterio omnia, & quæcumque bona ſtabilia (ſunt verba donationis) ipſius Domini Donatoris ubicumque ſita, & exiſtentia, reſervato ſibi uſufructu: Et addito poſt multa, *Etiam uſusfructus, eo mortuo iret ad Monaſterium una cum prædictis bonis ſtabilibus, ut ſupra donatis, ac juribus, & nominibus, ut ſupra donatis, ac juribus nominibus, & actionibus quibuſcumque ipſius Domini Donatoris. Dubitatur inquam*, An ex hac donatione bonorum prio-

priorum Cæſaris ſit revocata nominatio antecedenter facta in Codicillis de perſonis, ac ejus Franciſci deſcendentium.

CONSULTATIO VIII.

An Confraternitatibus ſæcularibus liceat quæſtuare ſine licentia Epiſcopi? An hæc licentia poſſit ad tempus concedi? Alia de hac re. An poſſint Confratres confirmare ſuum Priorem, aliumve officialem, prohibente id decreto ſynodali? An Conſtitutiones ſynodales ſint neceſſariò confirmandæ, ut obligent? De cauſa in Rota cum clauſulis ſolitis. Ubi an Sacra Congregatio ſuper Epiſcopis, & Regularibus habeat juriſdictionem aliquam poſtquam cauſa eſt legitimè introducta coram alio Tribunali?

CONSULTATIO IX.

An, & quatenus cauſæ Regularium, aliorumque ab Eminentiſſimis Cardinalibus judicatæ committi poſſit per appellationem Sacræ Rotæ, aut aliis Tribunalibus, ad eas recognoſcendum?

CONSULTATIO X.

An, & quatenus Regulares, etiam Abbates, poſſint ſuſpendi, excommunicari, privari ſuis officiis, ac dignitatibus a Legatis, ſive Nunciis Apoſtolicis?

Ubi quid ſi ipſi Regulares, & Abbates ſententiam privationis ſua ſubſcriptione admiſerint? Quidve ſi a Sacra Congregatione ſuper Epiſcopis, & Regularibus injunctum fuerit Nunciis, ut capiant diligentem informationem, & decernant quod judicaverint opportunum?

CONSULTATIO XI.

An tempus, quod requiritur in aſsequendis officiis, muneribus, ac dignitatibus Eccleſiaſticis tàm regularibus, quàm ſæcularibus, debeat eſse completum? Ubi ad id exempla. Quid de manutentione in officiis, ac dignitatibus eorum, qui tempus a Conſtitutionibus requiſitum minimè ſervarunt?

CONSULTATIO XII.

Novi Conventus, & Eccleſiæ Regularium, quatenus conſtrui poſſint? De novi operis nunciatione ex quavis cauſa, præſertim luminis, & proſpectus. An id locum habeat etiam inter Eccleſias? De attentatis in hac materia. Quomodo purganda? Quænam cauſæ ab illis excuſent? Alia.

CONSULTATIO XIII.

Fuit ad Seminarium Civitatis Catholicæ admiſsus Olympius ex Patria hæretica, cujus Seminarii alumni ex privilegio Apoſtolico promoveri poſsunt etiam ad Sacros ordines, abſque literis dimiſsoriis proprii Epiſcopi. Ab eo poſt quadriennium finitis ſtudiis dimiſsus, adiit aliam Civitatem Catholicam alterius Diœceſis, a cujus Epiſcopo poſt biennium petiit promoveri ad Sacros Ordines, ac ſimul provideri aliquo beneficio curato, emiſsa priùs declaratione, velle in ea perpetuò permanere, & re ipſa Epiſcopus ad dictos Ordines eum promovit. Quæritur, An hic Epiſcopus incurrerit pœnam aliquam? *Ubi Conſtitutio S. D. N. de Sacris Ordinationibus.*

CONSULTATIO XIV.

Utrum electio Patrum Generalium pertinere poſſit ad aliquot Provincias, ſitque ea confirmanda, & quatenus; an verò ad univerſam Religionem?

CONSULTATIO XV.

An, & quatenus Principibus, Baronibus, aliiſve competat jus prohibendi venationem, & piſcationem?

CONSULTATIO XVI.

An, & quatenus electio ad dignitates Eccleſiaſticas per abuſum ſæcularis poteſtatis irrita, infectaque ſit? Quid de electione ad beneficia, & de ea obtinente, vel conferente, ac de eorum pœnis? Et an electio ſit irrita, ſi fiat hebdomada majori?

CONSULTATIO XVII.

Vacatio per renunciationem Præſulatus, aut officii regularis, aut nova electio ad illum, a quo tempore incipiat? Utrùm a tempore habitæ ſcientiæ renunciationis, an a tempore factæ renunciationis.

CONSULTATIO XVIII.

An, & quatenus ex vitio perſonæ irritanda ſit electio Regularium ad officia, & dignitates ſuæ Religionis, aut ab illis ſuſpendi, pendente accuſatione?

CONSULTATIO XIX.

1 *An Viſitator, ac Præſes Capituli Regularium eligi poſſit in Vicarium Provincialem, & electio inde ſequuta ſit valida?*
2 *An privatio vocis activæ, & paſſivæ fieri poſſit poſt allegationem ſuſpicionis, ſive poſt probatas cauſas, & latam ſententiam per arbitros, & electio inde ſequuta ſit valida?*
3 *An Capitulum intimatum pro certa die differri poſſit?*
4 *An interpoſita inter Regulares appellatione, ſubrogari poſſint aliqui in loco aliorum, & electio item ſic facta ſit valida?*
5 *An viſitator procedere poſſit ad Capitulum Provinciale, contemptis aliquibus, ſuffragio privatis, qui appellaverant & inſtiterant admitti, & electio inde ſequuta ſit valida?*

CONSULTATIO XX.

An, & quatenus electores excuſari poſſint in eligendo excommunicatum, & electio ſit valida? Ubi de exequutione Brevium Apoſtolicorum.

CONSULTATIO XXI.

1 *An, & quatenus, qui tranſit ad ſecundam Religionem, ſi velit adducere cauſam nullitatis ſuæ profeſſionis, audiri amplius poſſit abſque eo, quod redeat ad primam Religionem?*
2 *An ſaltem audiri poſſit extra primam Religionem?*
3 *An tempus Novitiatus, in quo aliquis diſpenſatur ad duos, vel tres menſes, incipiat a die obtentæ diſpenſationis, an a die, quo Novitius admittitur ad Novitiatum in Conventu per dictam diſpenſationem aſſignato? &*
An Sacra Congregatio ſuper Epiſcopis, & Regularibus poſſit concedere licentiam Regularibus tranſeundi ad laxiorem Religionem?

CONSULTATIO XXII.

Ad validitatem electionis Canonicæ Regularium, quot ſuffragia de jure communi requirantur?

CONSULTATIO XXIII.

An, & quatenus major pars Capituli, immò & minor, poſſit devenire ad electionem? An ſuffragia abſentium ſupplenda? De legitimatione ſuffragiorum, abſentibus iis, de quorum ſuffragiis agitur. Et an Eminentiſſimi Cardinales Præſidentes Capitulis ferre poſſint ſuffragia? Et quatenus ſecunda electio ſit nulla, & attentata?

CONSULTATIO XXIV.

Quinam ſit verus apoſtata a Religione? Receſſus a Religione quando dicatur temerarius, & habilis ad contrahendam apoſtaſiam? Quid de dimittente habitum ſuæ Religionis ſine ſui Superioris licentia, & tranſeunte ad aliam diverſi habitus? Translatio de una Religione ad aliam quando dicatur legitima? Quid de translatione Monialium? Quidve in ea ſit attendendum? Quid etiam de Religioſis Societatis Jeſu poſt emiſſa vota ſimplicia? An liceat Religioni ejicere Religioſum profeſſum tanquam incorrigibilem? An ſi ejectus a Religione, habituque privatus ex juſta cauſa, repetatur a Religione, ſi Regularis redire recuſet, ſit apoſtata? Quid de Regulari, qui habitum defert ſub veſte? Quænam cauſa id excuſet? Nulliter profeſſus an poſſit ſine crimine apoſtaſiæ ad ſæculum redire?

CONSULTATIO XXV.

Quibuſnam competat dare ſignum in Choro, & Cœnaculo, aliaque hujuſmodi facere, etiam tempore Capituli generalis, abſente Patre Generali?

CONSULTATIO XXVI.

An Monachi Caſinenſes, aliique juriſdictionem ſpiritualem per ſe ipſos, temporalem verò per Judices deputatos adminiſtrare poſſint?

CONSULTATIO XXVII.

An electio in Abbatem, facta in perſonam exteram contra Breve Apoſtolicum, quo mandatur, ne Abbatia conferatur exteris, ſit valida?
Et quid de electione coarctata ad oriundos, & nationales? Quidve ſi Abbatia eſſet unita alii Monaſterio?

CONSULTATIO XXVIII.

An Regulares, qui obtinuerunt a Papa Breve directum Epiſcopo ad id delegato, ut alienare poſſint bona quædam Eccleſiaſtica, illudque ei præſentarunt, ejuſque firmata juriſdictione, fuit coram eo præviis edictis incœptus proceſſus, & inchoatum judicium pro dicta alienatione cum ſolemnitatibus ad id requiſitis, poſſint, etiam vigore cujuſcumque alterius facultatis, hoc judicium omittere, & aliud inire, an verò teneantur coram ipſo Epiſcopo illud proſequi, & quibus ſub pœnis?

CONSULTATIO XXIX.

An, & quatenus Regulari, de crimine accuſato, vel damnato, debeantur a Monaſterio alimenta, & ſumptus litis?

CONSULTATIO XXX.

Quam juriſdictionem habeant Priores, eorumque Vicarii Sacræ Religionis Jeroſolymitanæ in ſuos ſubditos? Ubi ad rem adducitur decretum Sacri Concilii Tridentini ſeſſ. 23. cap. 15. de reform. ac illius explanatio.

CONSULTATIO XXXI.

De quibuſdam nullitatibus, quæ in Congregationibus, ſive Capitulis Regularium nonnunquam intercedunt.

CONSULTATIO XXXII.

An, & quatenus Regulares, qui novum Conventum in aliquo loco fundare cupiunt, appellare poſſint a decreto admiſſionis novorum articulorum, qui ab aliis Regularibus, impugnantibus hujuſmodi fundationem, fuerunt producti?
Et quid agendum, ſi conſtiterit de irrationabili diſſenſu Regularium ad hanc fundationem? Et quatenus erectio Monaſterii Monialium ſit confirmanda?

CONSULTATIO XXXIII.

Electio Prælatorum Regularium ad quemnam pertineat? An poſſint iterùm, atque iterum immediatè poſt primam, ſecundam, ac plures alias electiones eligi? An reſtringi poſſit a Cardinalibus eorum protectoribus? Quid ſi allegetur Summi Pontificis vivæ vocis oraculum? Ubi de vivæ vocis oraculis aliqua, & quæ fides de hujuſmodi oraculis Cardinalibus adhibenda? Temporarius ne an perpetuus ſupremus Prælatus optabilior ſit? Et facultatum Cardinalium Protectorum Ordinum moderatio.

CONSULTATIO XXXIV.

Cuinam Moniali debeatur cella Monialis defunctæ?

CON-

CONSULTATIO XXXV.

An, & quatenus Regularibus, & Monialibus, præſertim Ordinis Sancti Franciſci, liceat appellare ad Summum Pontificem, ſive ad Sacram Congregationem ſuper Regularibus omiſſis ſuis Superioribus.

CONSULTATIO XXXVI.

Pius teſtator diſpoſuit, quod antiquior ex hæredibus conducat ad nutum actu Sacerdotem cum annuo ſtipendio, præferendo ſemper propinquos, & inter eos proximiores deſcendentes a fratribus, & ſororibus, incipiendo a deſcendentibus a fratribus, & ita ſucceſſivè: quæritur, An dicta Cappellania ab hærede conceſſa Titio, qui provenit ex ſororibus, qui tempore conceſſionis erat proximior teſtatori, debeat modo a Titio auferri in inſtantiam fratris Alberti Regularis, qui nunc eſt proximior, tanquam deſcendens ex fratribus, ſed non habet pro ſe voluntatem hæredis.

CONSULTATIO XXXVII.

An quando dubitatur, utrùm Conventus aliquis Regularium ſit exemptus a Provinciali, an immediatè ſubjectus Patri Generali, cauſa committenda ſit ipſi Patri Generali?

CONSULTATIO XXXVIII.

An exiſtente hac regulari Conſtitutione, *Quod Pater Generalis proponat tres, ſi fieri poterit, ejuſdem Provinciæ, non habita ratione antiquitatis promotionis ad Magiſterium, ſed potiùs probitatis doctrinæ*, poſſit eligi in Provincialem Baccalaureus? Ubi quid præcipuè conſiderandum in electione Provincialis? Quidve ſi acceſſerit mala fama electi. Objectiones in electum quando fieri debeant? Quid ſi aliquot electores careant ſuffragio activo? Et electus ante confirmationem ſe intruſerit muneri? Ubi etiam cur dicatur Baccalaureus, Licentiatus, Magiſter artium?

CONSULTATIO XXXIX.

An Eccleſia conſtructa a Patrono ac donata Regularibus, quæ priùs erat Oratorium, ſive ſacellum rurale ſub juriſdictione Epiſcopi, poſſit modò viſitari ab ipſo Epiſcopo? Ex quibus cognoſcatur, Eccleſiam eſſe regularem? Ubi ad rem explanatur cap. 8. ſeſſ. 7. Sacri Concilii Tridentini.

CONSULTATIO XL.

Electio Capitularis Regularium quatenus ſit confirmanda? Quid de Capitulo celebrato ante completum tempus Capituli præcedentis? Quid de electione accuſati de aliquo crimine? Quidve de electione infirmi, ſive valetudinarii impotentis ſervare vitam communem? Quid de habente jus dubium ferendi ſuffragium? An creari poſſint vocales novi, ac inſoliti? Quid de non vocato ad Capitulum, qui habet jus certum ferendi ſuffragium? Quatenus quis dicatur contemptus? An, & quatenus aliquis excludi poſſit ab electione paſſiva ex eo, quod fuerit privatus voce? Declaratio privationis vocis ex quibus conſtare debeat? Ex quibus probentur attentata in materia electionis? Injuſtitia caſſationis electionis ex quibus comprobetur?

CONSULTATIO XLI.

An, quatenus, & a quibus concedendæ ſint licentiæ ingredi Monaſteria Monialium, Superioribus Regularibus ſubjectarum? Et quomodo ſit occurrendum inhibitionibus Auditoris Cameræ Apoſtolicæ nomine hujuſmodi Monialium expeditis contra Ordinarios?

CONSULTATIO XLII.

An, & quatenus Regulares habentes Monaſterium ſub cœlo inſalubri, ac longè diſtans a Civitate, habere poſſint pro cura infirmorum hoſpitium Religioſorum intra Civitatem, ibique Oratorium privatum erigere? Quid ſi alii Regulares obſtarent, & ad eorum favorem Ordinarius decerneret, Oratorium eſſe demoliendum? Quidve ſi ab hujuſmodi decreto appelletur, & cauſa committatur Judici delegato, qui decretum Ordinarii revocaret? An a decreto Delegati Regulares contradicentes appellare poſſint, & quomodo, cuive incumbat onus traſportandi acta?

CONSULTATIO XLIII.

An interpoſita ab utraque parte appellatione ad Summum Pontificem, etiam ad effectum petendi Generalem, poſſit illa ab altera parte poſthaberi ac procedi ad electionem Regularem?

CONSULTATIO XLIV.

De electione Capitulari Regularium Simoniaca. Ex quibus ſimonia neceſsariò conſtituatur? An, & quatenus probetur ex præſumptionibus, & conjecturis? Quomodo ex teſtibus? An ex electione per acclamationes publicas facta? Quando pro nullitate actus, metus adduci poſſit? Quid de his verbis prolatis a Præſide Capituli? Volo mille aureos ab eo, qui vult eligi in Provincialem? An probetur ex mutuo, quod accepit Provincialis poſt ſuam electionem? An, & quatenus ex confeſſione extrajudiciali? An probetur ex eo, quod alius promiſit ſolvere minorem ſummam pro munere Provincialis aſſequendo? Quando ex teſtibus de auditu ſuper pecunia exiſtente in capſula? An ex eo, quod in Capitulo reſervata fuerint in pectore Patris Generalis aliqua officia? Quatenus probetur ex publica voce, & fama? Quid de pactione: Elige tu illum, & ego eligam quem tu mihi propones? Quidve de electoribus paciſcentibus invicem de commodis electionis? Quid etiam de pactione: Elige me in Generalem, & ego eligam te in Guardianum, aut contra? An liceat offerre pecuniam electori volenti eligere indignum, vel minùs dignum? Quid ſi offeratur pecunia electoribus volentibus eligere indignum, aut minùs dignum, ut eligant dignum determinatè? Quibus in caſibus liceat electoribus pecuniam dare, ne eligant indignos, aut minùs dignos, ſed dignum? Quid ſi electores ſubornentur vi, aut fraude? Quidve ſi ſubornentur pretio, aut precibus, ne quis eligatur? An tibi liceat pecuniam, & munera dare electori, qui accepit a tuò competitore pecuniam, & munera? Quid ſi electione jam facta a majori parte, detur aliquid electori contradicenti, ut ceſſet a contradictione? Electus an poſſit pretio redimere vexationem injuſtam, quam patitur in confirmatione electionis? Quid ſi apud electores juſtè vexetur? Quidve ſi juſtè vexatio fiat ab iis, ad quos non pertinet electio? Quidve ſi fiat juſta vexatio ab iis, ad quos pertinet? Ut vexatio pretio redimi poſſit, quid neceſsarium ſit? An debeat eſſe vexatio actualis, an ſit ſatis, quod probabiliter timeatur? Si aliquis electorum accipiat pecuniam, ut ceſſet a vexatione, an electio ſit ſimoniaca. An qui movetur ad vexandum, ut mediante vexatione obtineat pecuniam, committat ſimoniam? Si electus vexetur in ordine ad poſſeſſionem an poſſit pretio redimere vexationem? Quando jus ad poſſeſſionem eſt dubium, an liceat pretio redimere vexationem contra poſſeſſionem? Quid ſi electus vexetur in poſſeſſione acquiſita vigore electionis, aut deturbetur? Quid ſi vexetur per viam juris circa poſſeſſionem jam adeptam? Quid ſi des pecuniam alicui, ne tibi in electione exceptionem opponat? Quid ſi unus ex concurrentibus dat alteri pecuniam, ut a concurſu deſiſtat ob impedimentum tollendum? Quidve de pacto, quod tu non concurras mecum ad hanc electionem, & ego non concurram tecum ad ſubſequentem? Quid de dante alicui pecuniam, ut metum incutiat competitori, & deſiſtat a concurſu? Quidve de ſubornatione contra ſubornationem? Ad vitandam ſubornationem in electione an poſſit induci conſuetudo, quod nullus adhibeatur tractatus? Alia.

CONSULTATIO XLV.

An Regularis, qui origine eſt filius Provinciæ Italiæ, quique poſtmodum obtenta filiatione Provinciæ Germaniæ, tanquam verus filius hujus ultimæ Provinciæ doctoratum, & magiſterium aſſequutus eſt, non juxta Conſtitutiones Ordinis, ſed juxta privilegium Ultramontanis conceſſum, poſſit modò redire ad antiquam Provinciam Italicam, ibique tractari debeat tanquam doctor, & magiſter?

CONSULTATIO XLVI.

Pius teſtator in hunc modum diſpoſuit : Lego Patribus Religionis A. ex mea hæreditate ſcuta viginti millia, ut Monaſterium in meis ædibus conſtruant, dummodò tamen intra annum legatum acceptent, locumque accipiant ; alioquin eis ſubſtituo Patres Religionis B. Quæritur,

1 An, & quatenus in hoc caſu factus ſit locus ſubſtitutioni ? Ubi plura in hanc rem diſcutiuntur.

2 An dictis Patribus, donec eis non ſolvantur dicta ſcuta viginti millia, debeantur aliqui fructus ſine labe uſurarum ?

CONSULTATIO XLVII.

Quæ quotve requiſita intercedere debeant, ut Regularis dicatur filius nativus alicujus conventus?

CONSULTATIO XLVIII.

De ordine militum Sepulchri Dominici, deque privilegiis, exemptionibus, gratiis conceſſis a Summis Pontificibus? Guardiano, ac fratribus Terræ Sanctæ.

CONSULTATIO XLIX.

An ſit credendum fide Catholica, Sanctis innoteſcere omnes preces noſtras ad eos directas? Sive,

An hoc ipſum ſit abſolutè neceſſarium ad fidem, & praxim invocationis Sanctorum, ut ſit ſalutaris?

CONSULTATIO L.

De cultu, ac veneratione Sanctorum ex auguſtiſſima Divi Auguſtini doctrina, ubi reſolutio practica ejuſdem de miraculis, ac pleriſque controverſiis ex cap. 8. & 9. ac 10. lib. 22. de Civit. Dei lib. 2. retract. cap. 64. ſic ait: Librum de cura pro mortuis gerenda ſcripſi, cùm interrogatus literis fuiſſem, utrùm proſit cuique poſt mortem, quod corpus ejus apud Sancti alicujus memoriam ſepeliatur.

CONSULTATIO LI.

Quod in Canonizatione Sanctorum virtutes potius in gradu heroico examinandæ ſint, quàm miracula: Et cur in Carthuſienſi Ordine nulla, aut rara, ut in reliquis Ordinibus miracula fiant ?

CONSULTATIO LII.

An ſit annuendum petitioni Confraternitatis Ordinis Sanctiſſimæ Trinitatis Redemptionis Captivorum, ut oblationes ipſi oblatas intuitu dicti Ordinis convertat in aliud opus pium?

Et an id ſaltem ex gratia ſit concedendum?

CONSULTATIO LIII.

De electione cum contemptu ſuffragatorum, eorumque non admiſſione ad Capitulum. Quid ſi contempti non proſequantur ſuum contemptum? Pro appellatione a non admiſſione ad Capitulum quid ſatis ſit? Appellatio a contemptu an habeat tempus præſcriptum? Quinam excludendus ab electione? Quando viſitator poſſit allegari ſuſpectus? Quæ pœna in allegantem ſuſpectum Viſitatorem? In Judiciis Regularium neceſſaria citatio? Proceſſus legitimandus etiam inter Regulares. Recurſus Regularium ad Judices Laicos quomodo probetur?

CONSULTATIO LIV.

Exemerat Summus Pontifex a juriſdictione Epiſcopi nonnulla Monialium Monaſteria, illaque ſubjecerat quibuſdam Rectoribus cum poteſtate illas regendi in temporalibus, & ſpiritualibus. At poſtea ex relatione Nuncii Apoſtolici, & poſtulatione ipſarum Monialium, idem Pontifex viſitatores earumdem Monialium ſuo diplomate inſtituit, nulla facta mentione de poteſtate Rectorum eligendi viſitatores.

Quæritur, an hujuſmodi inſtitutio ſit ſubreptitia, & obreptitia? Ubi de viſitatione cumulativa, & privativa quoad alios. An per deputationem ſpecialis viſitationis cenſeatur derogatum facultati viſitationis generalis? De munere viſitatorum. An iidem Rectores poſſint nominare ſeipſos? De oris aperitione quoad Sacras Congregationes, præſertim ſuper Epiſcopis, & Regularibus. An melius ſit, quod Viſitatores ſint perpetui, & quid de aliis Officialibus?

CONSULTATIO LV.

Frater profeſſus in Religione Sancti Spiritus acquiſivit bona, & pecunias ex fructibus Commendarum dictæ Religionis, quas infirmus commendavit viro fideli, ut illas poſt ſuam mortem traderet ſuo fratri. Cùm pecuniis item ſic acquiſitis emit bona ſtabilia nomine dicti ſui fratris, ejuſque hæredum.

Quæritur primò, an dicta diſpoſitio facta a dicto Religioſo tempore ſuæ infirmitatis ſit valida?

Secundò, an ſit valida illa, quam fecit tempore ſuæ ſanitatis?

CONSULTATIO LVI.

An Religioſi Converſi, & oblati ſedere poſſint in Superioribus Chori ſedibus pro Sacerdotibus, & Clericis Choro deſtinatis, quemadmodum ipſi prætendunt?

CONSULTATIO LVII.

In quadam Regularium Provincia extat conventio Brevi Apoſtolico firmata, quod in futuris Capitulis Provincialibus electiones Provincialis, Cuſtodis, ac Definitorum alternatim fierent ex tribus Regionibus ejuſdem Provinciæ. Extat quoque hoc ſtatutum generale Ordinis in hæc verba. Si moriatur aliquis Definitor, intelligatur ipſo facto ſubrogatus ille Pater in Provincia, qui erit dignior in Paternitate. Ex his dubitatur,

An prædicta alternativa in electionibus Capitularibus locum habere debeat in ſubrogationibus?

CONSULTATIO LVIII.

An electio ſit nulla, non intimatis omnibus vocalibus? Quid ſi ex iis aliquis reperiatur abſens? Sique non fuerit expreſſum in intimatione, quod vocentur ad effectum electionis? Nec fuerit aſſignatum tempus certum ad comparendum? Neque expectatum tempus competens a die intimationis? Electio nulla, ad quem devolvatur? De munere, & authoritate Præſidis Capituli.

CONSULTATIO LIX.

An, & quatenus Civitas, Baro, aliive ſæculares manutenendi ſint in uſu, ac retentione duarum ex quatuor clavibus arcæ, in qua ſitum eſt corpus alicujus Sancti?

Quid de manutentione aperiendi, & claudendi eamdem arcam ad libitum, & expoliri faciendi corpus a Capellano Magiſtratus, ſuperpelliceo, ac ſtola induto, eodem Magiſtratu præſente, cum facultate illud liberè oſtendendi populo, ac diſtribuendi flores, reſque alias, quæ ſacras Reliquias tetigerunt?

Quidve de manutentione in quaſi poſſeſſione eligendi Officialem, qui die feſtivitatis ejuſdem Sancti aſſiſtat, eique tradantur claves Eccleſiæ, præſertim Regularium, in qua requieſcit idem corpus?

Quid deinde de manutentione in adminiſtratione oblationum, & eleemoſynarum, quæ fiunt dictæ Eccleſiæ occaſione dicti corporis?

CONSULTATIO LX.

An Eminentiſſimi Cardinales Protectores Regularium poſſint Commiſſarium deputare ad cognoſcendum, an electio Capitularis Regularium ſit valida, anve invalida?

CONSULTATIO LXI.

An, & quatenus dandus ſit novus Commiſſarius ad conſtruendum novum proceſſum ſuper validitate electionis Provincialis, aliorumque officialium?

CONSULTATIO LXII.

In ſtatutis generalibus cujuſdam Ordinis confirmatis in forma ſpeciali a Summo Pontifice hæc extant verba: Qui ſua ſponte, licèt obtenta priùs licentia, ad alienam Provinciam tranſierunt Patres tàm incorporati, quàm incorporandi, in ea locum, ordinem, ac præcedentiam a die tantùm incorporationis ſuæ, non autem a die receptionis habitus, aut emiſſæ profeſſionis teneant, & habeant.

Dubitatur modo, an qui ex Provincia, *exempli gratia Neapolitana*, obtinuit transferri, & incorporari in Provinciam Mediolanenſem, & qui poſt factam, ac diù ſervatam hanc incorporationem, iterùm obtinuit transferri, & incorporari in antiquam Provinciam Neapolitanam, gaudere debeat præcedentiis juxta ordinem primæ receptionis, an potiùs juxta ordinem modernæ incorporationis, ut prædicto ſtatuto cavetur.

CONSULTATIO LXIII.

An, & quatenus Clerici ſæculares, & Regulares examinari poſſint ad favorem rei, immò contra reum, etiam in criminalibus?

CONSULTATIO LXIV.

An, & quatenus Generales Ordinum poſſint eligere Priores locales Conventuum ſibi ſubjectorum?

CONSULTATIO LXV.

Fuit Regularis a Provinciali, ac Definitorio ſuæ Provinciæ electus ad generale Capitulum proximè celebrandum cum mandato proponendi negotia ejuſdem Provinciæ. Capitulum generale non fuit celebratum, quia Summus Pontifex per ſuum Breve confirmavit Generalem ad aliud ſexennium. Interim dictus Regularis, ut ſupra electus, narrata Summo Pontifici dicta ſua electione, & tacito, quòd dictum proximum Capitulum, pro quo fuerat electus, jam ſuum ſortitum fuerat effectum per dictum Breve Apoſtolicum, obtinuit ab eo confirmationem Suæ electionis, a Provinciali, & Definitorio jam factæ pro Capitulo generali tunc proximè celebrando. Quæritur, an huic Regulari, ſic a Pontifice confirmato, liceat intereſſe Capitulo generali proximè celebrando?

CONSULTATIO LXVI.

An Abbas regularis relegatus in exilium, exacto exilii tempore, recuperet ſuam Abbatiam, quam habebat ante exilii ſententiam ab Abbate Generali alii collatam? Et quid de recuperatione penſionis? Quidve quoad penſiones decurſas? Quid ſi reſtitutio fiat a Principe laico, aut a Pontifice? Quomodo cognoſcendum ſit, an Pontifex ad reſtituendum utatur juriſdictione civili, an Eccleſiaſtica?

CONSULTATIO LXVII.

An, & quatenus juriſdictio, & collatio beneficiorum in locis Abbatiæ ſpectet privativè quoad Epiſcopum, an ad illius Abbatem? Et quid quoad cognitionem cauſarum criminalium? Ubi adducuntur decreta aliquot Sacræ Congregationis Concilii Tridentini in cap. 20. ſeſſ. 24. de reform.

CONSULTATIO LXVIII.

In tranſitu Regularium ab una ad aliam Religionem, ſive laxiorem, ſive ſtrictiorem, ut canonicè fiat, quid requiratur? Quænam actio competat Superioribus primæ Religionis ad revocandum ſuum ſubditum, illegitimè translatum? Ubi ad id decretum Sacræ Congregationis ſuper Epiſcopis, & Regularibus, Sacræ Congregationis Concilii, & Conſtitutiones Summorum Pontificum.

CONSULTATIO LXIX.

An, & quatenus domus mulierum oblatarum ſub regula, exempli gratia Sancti Benedicti, quæ tria vota ſimplicia in manibus Superioris Regularis emittunt, ſubque ejus regimine vivunt, ſubjecta ſit Regularibus, an potiùs Epiſcopo? Ubi actus viſitationis quando non ſit habendus in conſideratione? Exemptio quomodo ſit docenda? Ut mulieres ſint Religioſæ Regulares, quid requiratur? Quid ut ſint Tertiariæ? De mulieribus collegialiter viventibus. Ut quis Religioni incorporetur, poſſitque dici Religioſus, ac verè Regularis, quid exigatur? Quid de promiſſione obedientiæ ab ejuſmodi mulieribus facta Abbati generali? Quænam præſtatio obedientiæ faciat regularem, & Monachum? De voto ſimplici obedientiæ, ejuſque effectu. Epiſcopus ſuper juriſdictione quoad omnes Eccleſias, loca pia, & perſonas Eccleſiaſticas ſuæ diœceſis, quam juris aſſiſtentiam habeat? Religio in quo conſiſtat? Quænam verè Moniales? Quænam perſonæ Eccleſiaſticæ? Qui habet juriſdictionem in principali, illam quoque habet in dependentibus, & acceſſoriis. Ex quibus probetur, domum aliquam mulierum viventium in communi eſſe ſubjectam Epiſcopo? Ex actibus particularibus juriſdictionis infertur ad univerſales. Cura ſpiritualis in Monialibus an ſit proprie juriſdictio? Quiſnam teneatur probare privilegium? Ex quibus actibus inferatur juriſdictio? Qui vocentur Superiores? Quæ pertineant ad ſolam poteſtatem, & curam ſpiritualem? In materia exemptionis fieri debet ſtricta interpretatio. Ex diverſitate nominis arguitur diverſitas Ordinis. Tertiariæ, etiam exemptæ, ſubjiciuntur Epiſcopo. Poteſt exemptioni renunciari. Factum aliquorum nequit omnibus præjudicare. Actus, qui dederunt cauſam liti, an ſint attendendi? Stante aſſiſtentia juris, relevatur quis ab onere probandi exercitium ſuæ juriſdictionis. Actus viſitationis continui, etiam facti lite pendente, cujus ſint virtutis? Ex omiſſione actus facultativi non poteſt prætendi quaſi poſſeſſio contra viſitationem Ordinarii. Adverſus viſitationem an detur præſcriptio, aut immemorabilis? Quatenus ſubditus dici poſſit conſtitutus in quaſi poſſeſſione exemptionis?

CONSULTATIO LXX.

An, & quatenus in Eccleſia Parochiali, unita Monaſterio Abbatiæ Regularis, requiratur concurſus? An ſufficiat nominatio Abbatis Commendatarii, examen verò, & approbatio duntaxat Epiſcopi? Ex quibus ſignis, & argumentis probetur, Abbatiam eſſe nullius, atque effectam territorium ſeparatum a Diœceſi Epiſcopi? Gravis ad id, & accurata præ cæteris Sacræ Rotæ Romanæ deciſio, quæ integrè adducitur. Quatuor dubia cum declarationibus Sacræ Congregationis Concilii de locis Abbatiæ poſitis inter limites Diœceſis Epiſcopi.

CONSULTATIO LXXI.

An edictum Epiſcopale ſuper caſibus reſervatis, in quo inter cætera mandat, quod Confeſſarii Regulares confeſſiones audiant in habitu, quo utuntur in Choro, ejuſdemque prohibet pœnitentes auſcultare extra Confeſſionarium, & extra cratem ligneam, idque januis apertis dumtaxat, & in confeſſionariis a ſuis Viſitatoribus intra præfatum terminum approbandis, neve in propriis ædibus accedant ad infirmos pro Sacramento pœnitentiæ miniſtrando, abſque licentia Epiſcopi, vel Curati minuſque certas perſonas utriuſque ſexus ante ortum, & poſt occaſum Solis auſcultent, & ſi feneſtella, vel laſtra fuerit devaſtata, ſive ejus foramina dilatata, Confeſſarii ſuſpenſi remaneant; cum impoſitione pœnæ ſuſpenſionis, & pecuniariæ cuilibet Confeſſario, ſi talia edicta non recipiat, & illa inviolabiliter per ſingula capita non ſervaverit; deroget privilegiis Regularium, ideoque ſit corrigendum, expurgandumque?

CONSULTATIO LXXII.

An exequutor deputatus ad diſtribuendum pauperibus eleemoſynam, dotem puellis, aliave, teneatur exquirere pauperiores? Ubi quòd Collatores poſſunt dividere jus conferendi per turnum, licèt electio eſſet ab omnibus facienda. Diſcrimen inter nominationem, & electionem. Forma capit. Quia propter, de elect. in quibus electionibus procedat? Et an Legatum relictum pro pauperibus poſſit diſtribui nobilibus, qui in ſuo ſtatu pauperes ſunt? Pauperum nomine, qui veniant? Quibus pauperibus diſtribuendum? Quomodo voluntas Teſtatoris accipienda? Nobilis indigens an veniat nomine pauperis? Major paupertas quomodo accipiatur? In quo conſiſtat? Ex quo menſuretur?

CONSULTATIO LXXIII.

Legitur hæc regularis Conſtitutio. Si pater Generalis obierit in ſecundo anno ſui Generalatus, Primus Definitor ſit Vicarius Generalis. Quòd ſi Generalis obierit poſt feſtum Omnium Sanctorum, fiat electio novi Generalis in feſto Pentecoſtes.

Quæritur, an ſi Generalis moriatur ante unum, vel duos dies feſti Pentecoſtes, fieri debeat electio novi Generalis eodem feſto, an verò ipſe Vicarius Generalis continuare debeat ſuum Vicariatum uſque ad Capitulum Generale celebrandum in proxima Pentecoſtes? Et quid ſi ipſe Vicarius in dicto capitulo eligatur in Generalem?

CONSULTATIO LXXIV.

An facultas, quæ competit Monaſterio, ejuſque Superiori, ferendi in Capitulis duo ſuffragia, ſi dictum Monaſterium authoritate Apoſtolica transferatur ad aliud Monaſterium, dicta facultas plenè ceſſet? Ubi quid de his reſcriptis, Lectum, *aut,* Nihil, *quæ in libellis, Sacris Congregationibus porrectis ſæpè apponi ſolent?*

CONSULTATIO LXXV.

An, & quatenus claves Sacræ imaginis miraculoſæ Beatiſſimæ Virginis, aliorumve Sanctorum in Eccleſia, conceſſæ Regularibus a Summo Pontifice, retineri poſſint a Magiſtratu ſæculari? Ordinatio rerum, ad quem pertineat? Imagines Sacræ ſunt de genere ſpiritualium. Earum cura, quibus competat? An Imagines veniant nomine Reliquiarum? Spiritualia non cadunt in laicos. Laici non habent poteſtatem Spiritualem, nec eis res Eccleſiaſticæ committi poſſunt. Laicis obſequendi manet neceſſitas. Reliquiæ non poſſunt eſſe laicorum. In id negligentia Prælatorum. Cura reliquiarum ad quem pertineat de jure? Enunciativæ an, & quod jus tribuant? quando probent veritatem enunciati? De jure precarii. Precarium quando cenſeatur revocatum? Virtus, & gratia miraculorum, quomodo reliquiis, ac imaginibus ſit infuſa? Ex ſola poſſeſſione an rectè inferatur ad titulum proprietatis? Teſtes quomodo probare debeant immemorabilem? Quadragenaria in rebus Spiritualibus pro Laicis an iis ſuffragetur? Teſtibus de communitate an fides adhibenda, ſi cauſa Communitatis agatur? Poſſeſſio jurium Eccleſiæ an probari poſſit a teſtibus ad favorem laicorum? Quomodo tradita alicui clavi videatur etiam tradita poſſeſſio eorum, quæ ſub clavi ſunt? Scientia, & patientia ſufficit ad acquirendum dominium, ac poſſeſſionem. Decreta viſitationis quam probationem inducant? Sola poſſeſſio ſine titulo quando ſufficiat? In annexis Spiritualibus quænam poſſeſſio ſit ſatis? Nomine reliquiarum an comprehendatur Imago Beatæ Virginis? Proprietas verborum retinenda. Regulæ de jure quæſito non tollendo effectus. Quomodo ei derogetur? Quænam adminiſtratio rerum ſpiritualium laicis permiſſa? Ut precarium eſſet, quænam requirantur? Alia.

CONSULTATIO LXXVI.

Quænam potiſſimum requirantur, ut quis verè ſit Religioſus Religionis Jeroſolymitanæ? Virtus profeſſionis. Profeſſio expreſſa quomodo ſaltem conſtare debeat? Profeſſio tacita quomodo inducatur? Annus probationis ubi peragendus? Nullitas profeſſionis manifeſta quomodo ſananda? Qualis actus ſit acceptatio profitentis ad Religionem? Profeſſio nulla requirit novum conſenſum profitentis, & Monaſterii. An Pontifex ſuppleat conſenſum Monaſterii pro ratificanda profeſſione nulla? Quam ratificationem profeſſionis admittant jura?

CONSULTATIO LXXVII.

De electione Regulari per ſubornationem. Ejus pernicies. Quid in Sacerdotiis? Nullitates hujuſmodi electionis. De electione reſtricta ad duos, vel tres. Secreta ſuffragia in electione, quæ, quomodo, quando? Ad id alia.

CONSULTATIO LXXVIII.

An electio, in qua Præſidens Capituli proponit Electoribus, an velint eligere viva voce, ſit valida?

CONSULTATIO LXXIX.

An, & quatenus Regularis habeat factionem Teſtamenti? Voluntatem alterius declarare? Quomodo hæc declaratio facienda?

CONSULTATIO LXXX.

An, & quatenus Monachi, ſive Regulares poſſint aſſumi ad adminiſtrationem piorum Legatorum? Quid de adminiſtratione beneficiorum? Quando cenſeatur legatum pium, & quando beneficium?

CONSULTATIO LXXXI.

Declarata nulla prima electione quibuſnam electoribus competat nova electio? Quænam probationes requirantur ad probandum recurſum Regularis ad Judices Laicos? Ubi effectus hujuſmodi recurſus.

CONSULTATIO LXXXII.

Conſtitutiones generales cujuſdam Religionis diſponunt confeſſionem propriarum culparum, mutuam proclamationem, & correctionem fraternam, per unumquemque fratrum in Capitulo faciendas. Quæritur, an Definitorium generale ejuſdem Religionis conſtituere poſſit, ne converſi, aut oblati, ſive Donati, publicis proclamationibus Sacerdotum, & Profeſſorum Vocalium intereſſe poſſint, nec ulli Converſo, aut Donato licere quenquam Sacerdotum, aut Clericorum Profeſſorum, & Vocalium privatim, vel palam in Capitulo proclamare?

CONSULTATIO LXXXIII.

De recuſatione Judicis regularis, ſive delegati, ſive ordinarii. Suſpicio Judicis delegati quomodo probetur? Quando dari debeat adjunctus? Cauſa recuſationis Judicis ordinarii. Recuſatio Judicis quàm ſit favorabilis. Hac in re praxis Curiarum.

CONSULTATIO LXXXIV.

An Regulares retinere poſſint in Civitatibus, Oppidis, aliiſque locis ſimplex boſpitium?

CONSULTATIO LXXXV.

An, & quatenus de rebus Eccleſiæ etiam Regularis, fieri poſſit compromiſſum, ac eligi in arbitrum Princeps ſæcularis? Et an hujuſmodi compromiſſum, & laudum inde ſequutum ſit approbandum, ac ſuſtineri valeat?

CONSULTATIO LXXXVI.

An, & quatenus Religioſi Clerici, & Converſi poſſint intervenire Capitulis ſuæ Religionis?

CONSULTATIO LXXXVII.

An, & quatenus a Patre Abbate Generali avocari poſſit cauſa ſui ſubditi regularis? Ubi ſtrictim de cauſis avocationis. Quid ea ſit?

CONSULTATIO LXXXVIII.

An, & quatenus facienda ſit a Curia Romana remiſſio cauſarum, etiam Regularium, ad Judices Regni Franciæ, ut ab iis definiatur?

CONSULTATIO LXXXIX.

An, & quatenus in Eccleſiis Parochialibus, quæ membra ſunt Abbatiarum, requiratur concurſus?

CONSULTATIO XC.

Quas Eccleſias Epiſcopus, uti proximior, vigore Sacri Concilii Tridentini viſitare poſſit? Ubi ejus decretum adducitur, expenditurque.

CON-

CONSULTATIO XCI.

An, & quatenus hodie Monaſteria tàm Virorum, quàm mulierum erigi, mutari, vel dimitti poſſint? Quando licentia Epiſcopi neceſſaria? Ad id Sacrorum Canonum varietas. Conciliantur. Adducitur Sacræ Rotæ deciſio. Quomodo intelligenda? Sententiarum conformitas, & juſtitia, ex quibus comprobetur? Ad erectionem hujuſmodi quinam vocandi? Remiſſoria an, & quatenus in hac re ſit concedenda? Ubi alia non importuna.

CONSULTATIO XCII.

An, & quatenus requiratur titulus ad Sacros ordines, non modò in Clericis Sæcularibus, ſed etiam in Regularibus? Ad id Canones antiqui, Quid hac de re diſponat Sacrum Concilium Tridentinum? Quid Beatus Pius Quintus, ac Sixtus Quintus? Et quid de Religioſis Societatis Jeſu?

CONSULTATIO XCIII.

An ùm Epiſcopus eſt in poſſeſſione juriſdictionis in Clerum, & Populum alicujus loci, cujus exemptio controvertitur, poſſit punire, nedum cenſuris Eccleſiaſticis, ſed etiam carceribus, prætenſos exemptos, de facto Epiſcopum in dicta ſua juriſdictione turbantes?
Et an ad Judicem pertineat cognitio hujus cauſæ, aliarumque hujuſmodi, an ad Sacram Congregationem ſuper Epiſcopis, & Regularibus, an ad Sacram Congregationem Concilii, an verò ad Sacram Rotam?

CONSULTATIO XCIV.

An, & quatenus Monachi, & Regulares omnes fuerint olim ſubjecti juriſdictioni Epiſcoporum? Quis eos exemerit, & in quibus hodie ſint iis ſubjectis?

CONSULTATIO XCV.

Dubitatum jamdudum, an, & quatenus Regulares omnes approbari debeant ab Ordinario pro audiendis ſacris confeſſionibus utriuſque ſexus fidelium, & pro concionando in alienis Eccleſiis teneantur petere ab eodem licentiam, in propriis verò benedictionem? Quid ſi adfuerit tolerantia ipſius Ordinarii, qua paſſus fuerit, eos confeſſiones audire ſine approbatione, conciones habere ſine licentia, ſine benedictione? Quid in Regnis Hiſpaniarum, quidve in Indiis occidentalibus? Appellatione Regnorum Hiſpaniarum quæ Regna comprehendantur? Quomodo contra Regulares hac in re Ordinarii ſe gerere debant? Ad id multa ex oraculis Sacrarum Congregationum, & diplomate Summi Pontificis, & aliqua de Regularium Conſervatoribus?

CONSULTATIO XCVI.

An, quatenus, & qui Regulares eligi poſſint in conſervatores Regularium? Quibus in caſibus, intra quod tempus, & intra quos fines eligi debeant? Illuſtratur decretum Sacri Concilii Tridentini ſeſs. 7. cap. 14. *de reform.*

CONSULTATIO XCVII.

De Epiſcopo Regulari, an liceat ad Epiſcopatum aſſumi Regularis? A quo promovendus? Ubi de Romani Pontificis authoritate in promovendis Epiſcopis. An expediat promoveri? Quomodo promovendus? Alia plura, præſertim de palii uſu, ac poteſtate?

CONSULTATIO XCVIII.

An expediat, Regularem ad Epiſcopatum promovere?

CONSULTATIO XCIX.

In qua generatim, ac prolixè diſcutitur, an liceat Eccleſiaſticas appetere dignitates, vel refugere? Patrum Græcorum ac Latinorum ſententia. Quid re vera de hoc ſentiendum?

CONSULTATIO C.

Quàm ſit pervetuſtum, ne in Cœnobia Monachorum mulieres eant, & in id pœnæ. E contra ne ad Monaſteria puellarum viri accedant?

CONSULTATIO CI.

De viſitatione Monaſteriorum, eorum, etiam, quæ in commendam reperiuntur, ac de reſtituendis in dictis Monaſteriis Prioribus. Quibus Monaſteria commendanda?

CONSULTATIO CII.

De Sanctimonialibus. De nominibus Virginum Sacrarum, Sacerdotiſſarum, Nonnarum, Monialium, Monacharum. De Sanctimonialibus Judæorum, de earum exercitiis, ac inſtitutis, tonſura, conſecratione, ſeu velaminis impoſitione, quoto anno impoſitum, progreſſu, Abbatiſſis, Canoniſſis, rebuſque aliis.

CONSULTATIO CIII.

De confraternitatibus laicorum, earum origo, progreſſus. De Canoniſſis. Quas functiones Capellani Confraternitatum in earum Eccleſiis peragere poſſint? Deque juribus Parochialibus.

CONSULTATIO CIV.

An, & quatenus dimiſſio habitus regularis cenſenda ſit temeraria? Quid de dimiſſione habitus ante ſententiam nullitatis profeſſionis? Argumentum a contrario ſenſu quando valeat? Quando Regularis audiri poſſit, non reſumpto habitu? Quidve ſi ſententia nullitatis profeſſionis prætendatur nulla, tanquam lata non a ſuperiore loci emiſſæ profeſſionis? Quando ſententia dicatur nulla? Temeritas dimiſſionis habitus in quo conſiſtat? Teſtium Sacerdotum fides. Fratrum, conjunctorum, amicorum teſtimonium an, quatenus, & quibus in caſibus admittatur? Dimiſſio habitus quibus, quando licita, etiam ante ſententiam nullitatis profeſſionis? Quando permittendum Regulari, ut reſumpto habitu, & extra Monaſterium cauſam nullitatis ſuæ profeſſionis coram ſuis Judicibus deducat? Decretis Sacræ Congregationis Concilii quando fides ſit adhibenda?

CONSULTATIO CV.

Ex quibus præcipuè ſecundum Capitulum Regularium reddatur invalidum, & electio in eo facta ſit irrita?

CONSULTATIO CVI.

An vigore decreti Clementis octavi, in quo mandatur erectio Baldachini, quando Epiſcopi in Eccleſiis Regularium, etiam exemptis, Pontificalia exercent, vel Pontificalibus functionibus aſſiſtunt, in quo etiam eiſdem Epiſcopis conceditur facultas puniendi Regulares inobedientes cenſuris, ac pœnis Eccleſiaſticis, quod decretum integrè adducitur, poſſint Epiſcopi cogere Regulares ad ſedendum in ſeamno parato, & dimittendum ſedes ligneas, & in caſu contraventionis eos punire cenſuris?

CONSULTATIO CVII.

An, & quatenus per Conſtitutiones Pontificias cenſeatur aliquando derogatum exemptioni Regularium, qui immediatè Sedi Apoſtolicæ ſubjecti ſunt?

CONSULTATIO CVIII.

An Epiſcopus eligere poſſit Regularem in ſuum Vicarium generalem ſine licentia ejus ſuperioris?
An Regulares in audiendis ſacris confeſſionibus dependeant omninò a ſuis ſuperioribus?
Anve prædicare poſſint abſque licentia ſuorum ſuperiorum?

CONSULTATIO CIX.

Iterum quomodo probetur, præſertim a regularibus, fuiſſe paritum Brevibus, aut decretis Apoſtolicis?

CONSULTATIO CX.

An, & ex quibus maximè Provincialis, aliuſve ſuperior Regularis ſuſpendi poſſit ab officio, aut eo redintegrari? Quid ſi ei renunciaverit? Quidve de caſſatione ejus electionis, & de celebratione novi Capituli, & nova in eo miniſtrorum electione?

CONSULTATIO CXI.

An Capitulum Regularium cui præeſt notoriè excommunicatus, ſit validum? Quid ſi eſſet abſolutus in forma Cancellariæ Apoſtolicæ? Et quibus officiis ejuſmodi excommunicatus ſit privatus, aut privandus?

CONSULTATIO CXII.

An ſit permiſſum ſuperioribus Regularium, etiam Generalibus, Provincias ſuæ Religionis dividere, & una alteri ſubjicere? Quid ſi adeſſet beneplacitum Apoſtolicum, ejuſque exceſſus? Circumſtantia rei an debeat Pontifici innoteſcere? Quando pro exequutione Brevis Apoſtolici requiratur citatio Partis?

CONSULTATIO CXIII.

Vigore ſequentis Indulti: Sacra Congregatio Cardinalium, negotiis Regularium præpoſita, attentis naratis, benignè indulſit, ut Orator, ubi ſaltem per quadraginta dies in dicta Religione, & præfato Conventu, licèt non deſignato, ſeſe probaverit, ad profeſſionem emitterdam admitti valeat, ſervata in reliquis forma Apoſtolicarum, & Ordinis prædicti Conſtitutionum. Romæ die 10. *Decembris* 1695. *Orator habitum regularem Romæ die* 17. *Novembris ejuſdem anni jam ſumpſerat inde Neapolim petiit, & poſtea ſupplicavit S. Congregationi, & obtinuit, ut ſupra, ac ſubinde gratiam accepit Neapoli die* 22. *Decemb. ibique emiſit profeſſionem a die* 28. *ejuſdem. Quæritur, an hujuſmodi profeſſio ſit valida?*

CONSULTATIO CXIV.

De juſta Provinciarum Regularium diviſione, eorumque confuſione evitanda. Quomodo dividendæ. Juſtitia diviſionis, ex quibus erui poſſit? Diviſio Provinciarum, de quibus Provinciis intelligatur? Ex traditione proprii Sigilli cenſentur diſtinctæ. Portiones quomodo aſſignandæ? Confuſio ratione Conventuum evitanda. De diviſione reali, & intellectuali. De Conventibus in una provincia, vel Civitate pro Patribus ejuſdem Religionis, ſed diverſæ nationis. Abſurda, quæ ex hujuſmodi confuſione ſuboriuntur. Confirmatio in forma communi. Provinciarum diviſio cur inducta? Ut una Provincia faciat unum corpus cum alia, quid requiratur? Quid ſi una Provincia haberet plura loca, quàm alia? Quidve ſi Commiſſarius ad dividendum Provincias deputatus excederet fines ſuæ commiſſionis? Forma commiſſionis quomodo obſervanda? Ubi multa. Quid de concordia ſuper diviſione Provinciarum? Quæ requirantur, ut ſit valida? Ad quam rem etiam multa.

CONSULTATIO CXV.

Clariùs, atque uberiùs de notorio, publico, manifeſto, famoſo, occulto, ubi qualis notorietas requiratur ad obligationem vitandi percuſſores Clericorum juxta ſecundam illam exceptionem Concilii Conſtantienſis?

CONSULTATIO CXVI.

An, & quatenus juriſdictio, ac jura, etiam Epiſcopalia, præſcribi poſſint? Et quid de juriſdictione Epiſcopi viſitandi ſuos ſubditos?

CONSULTATIO CXVII.

An, quatenus, & quam Eminentiſſimi Cardinales in Eccleſiis ſuis Titularibus habeant juriſdictionem Epiſcopalem, vel quaſi Epiſcopalem? Quam in rem animadverſio.

CONSULTATIO CXVIII.

Torquatus, vir nobilis, deſtinaverat Religioni Hieroſolymitanæ duos ſuos filios, quos in libro Baptizatorum, quem vocant Natalium, tanquam plures annos antea natos deſcribi fecit, ut ejus commendam conſequi poſſent. Patre defuncto, Sempronius ejus Primogenitus, paternæ conſcius fraudis, alterum fratrem Coadjutorem Epiſcopalem a Principe nominari obtinuit, & novo confecto natalium libro, ſub prætextu eum redigendi in meliorem formam, novi Coadjutoris ætati aliquot menſes adjunxit, ut eo facilius in Romana Curia Coadjutoriæ obtineret confirmationem, quominus a legitima ætate Coadjutor abeſſet; qui fraudis hujuſmodi nec author, nec approbator, ſuaſus a Doctoribus, quòd nihil ineſſet mali, ex quo nemini fiebat injuria, ad Sacerdotium bona fide promotus, irregularitatem timens, minimè celebravit. Teſtes ſuper Coadjutoris vita, moribus, & ætate examinati, ſive in Primogeniti obſequium, ſive credulí, vitiatis, & corruptis Natalium libris fidem habentes, Coadjutorem ætatis eſſe legitimæ depoſuerunt, licèt revera tertium ſupra vigeſimum annum adhuc non attigerit. Hiſque malis artibus ſub falſi expoſitione nominatus a Principe, & a Sede Apoſtolica confirmatus Coadjutor, inſtante ſuæ conſecrationis die, ſupplicat pro convalidatione ſubreptitiæ confirmationis pro facultate celebrandi, ac conſecrationis, & Coadjutoriæ munus obeundi, prævia diſpenſatione ſuper ætatis defectu, cùm alias immineant toti Regno ſcandala, ſibi infamia, Epiſcopo coadjuto, ſenio confecto, & ad paſtoralia munia inhabili, afflictatio, Diœceſi ingens detrimentum. Ex quibus quæritur, an, & quomodo in his omnibus cum Oratore ſit diſpenſandum?

CONSULTATIO CXIX.

An, & quatenus conſtare poſſit de ſufficienti cauſa renunciandi liberè Epiſcopatum in manibus ſummi Pontificis?

CONSULTATIO CXX.

An Canonicus, aliuſve graviter percutiens Clericum in aula Capitulari, in qua interveniunt decem, vel duodecim perſonæ Capitulares, ita incidat in can. ſi quis ſuadente Diabolo, ut non ſit neceſſaria declaratoria incurſus excommunicationem juxta Conſtitutionem Concilii Conſtantienſis, quæ incipit, Ad evitanda? An ad id poſſint eſſe ſufficientes Canonici, aliive ejuſdem Capituli? Quid de Teſtibus ejuſdem Communitatis, ſocietatis etiam Sæculoris? Quatenus ejuſmodi Teſtes plenè probent? Abſolutio a Sacra Pœnitentiaria obtenta, quatenus ſuffragetur?

CONSULTATIO CXXI.

An Vicarius Capitularis poſſit indicere proceſſiones publicas ſine conſenſu Capituli, & minari cenſuras, & pœnas Canonicis, proceſſionibus non intereſſentibus?

Et quatenus negativè, An ſaltem poſſit eas inducere ſine conſilio Capituli, ac minari cenſuras, & pœnas, ut ſupra?

CONSULTATIO CXXII.

Iterum, *An excommunicatio ſit actus irretractabilis?*

CONSULTATIO CXXIII.

An jus viſitandi Diœceſim competat Capitulo, Sede Epiſcopali vacante?

CONSULTATIO CXXIV.

An, & quatenus exemptio a juriſdictione Ordinarii concedenda ſit etiam toti Capitulo, aliiſve? Quænam ſint lites affectatæ, calumnioſæ, injuſtæ? Quænam ſævitia ad id requiratur? Alia.

CONSULTATIO CXXV.

In Synodo Diœceſana decernitur, quod ille Archipresbyter cum ſuis Capitulo, & Clero, qui eſſet antiquior in poſſeſſione Archipresbyteratus, qualibet contradictione ceſſante, præferatur. Hinc Conſtitutioni tàm Epiſcopus, quàm dicti Archipresbyteri, atque Canonici utriuſque Capituli ſuis propriis, & aliorum Canonicorum abſentium nominibus ſe ſubſcripſerunt, & in acta dictæ Synodi referri voluerunt. Quæro, an hujuſmodi Conſtitutio ſuſtineatur, itaut obliget ſucceſſores, ex eo, quod non ſit confirmata a ſede Apoſtolica?

CONSULTATIO CXXVI.

An, & quatenus congrua Parochialis ſemel aſſignata, ſit augenda?
Et ad quæ onera teneatur Vicarius Parochialis perpetuus?

CONSULTATIO CXXVII.

An, & quatenus Legatum dotis pro Moniali a Teſtatore relictum, debeatur puellæ extraneæ, primum in Teſtamento nominatæ, non autem conſanguineæ Teſtatoris, quæ deinde ab ipſo nominatur?

CONSULTATIO CXXVIII.

An Sacra Religio Hieroſolymitana privilegium habeat, ne cauſæ ab Inſula Melitenſi avocentur? Quid ſi ageretur de regalibus, ac de bonis piratarum captis a Chriſtianis? Quidve ſi Magiſtratus, ut ajunt, dell' Armamento, *nolit cognoſcere cauſas, eaſque remittat ad Judices, ut vocant Caſtellaniæ? Poteſtas Tribunalis Armamenti. A remiſſione cauſæ an detur appellatio? Caſtellaniæ Tribunal quale? Cauſæ fiſcales ubi agitandæ?*

CONSULTATIO CXXIX.

An, & quatenus Vicario Apoſtolico debeatur integrum ſalarium, quamvis inſerviat per ſubſtitutum?

CONSULTATIO CXXX.

Quonam pacto Epiſcopi olim eligebantur?
An ſit juris divini, ut Populus in Epiſcopo eligendo ſuffragium ferat?
Quomodo aliqua civitas cognoſcatur eſſe Germanica, atque adeo quod illius Capitulum Eccleſiaſticum gaudeat privilegio eligendi ſuum Epiſcopum? Electio Epiſcopi ex jure antiquo, ad quos pertinebat, & nunc pertineat? Ubi aliqua de inveſtituris Epiſcopatuum.

CONSULTATIO CXXXI.

An Epiſcopo excommunicato, vel Archipresbytero, qui habet jura Epiſcopalia poſſit eligi Vicarius Capitularis?

CONSULTATIO CXXXII.

An, & quatenus Collegium mulierum emittentium votum caſtitatis, & obedientiæ, cenſeatur licitum? Quid ſi fuerit ab Epiſcopo viſitatum? Quidve ſi ei fuerint conceſſæ indulgentiæ?

CONSULTATIO CXXXIII.

An obliget decretum ſynodale, quo mandatur, ut Sacerdotes, & Clerici certis diebus in Eccleſiam conveniant ad horas canonicas, divinaque officia publicè recitandum, aliaſque Eccleſiaſticas functiones exercendum?

CONSULTATIO CXXXIV.

An, & quatenus Parocho in ſua juriſdictione Parochiali danda ſit manutentio?

CONSULTATIO CXXXV.

An Epiſcopus ingerere ſe poſſit in cognitionem cauſarum, quæ vertuntur inter laicos ſuper contractibus inter ipſos initos, ex eo, quod in illis appoſitum ſit juramentum?

CONSULTATIO CXXXVI.

An Epiſcopus poſſit Epiſcopum excommunicatione percellere pro prætenſa defenſione ſui juris dubii? Ubi de relationibus, & appellationibus ad Romanam Eccleſiam, earumque antiquitate, uſu in Oriente, & Occidente. Quid in caſu certo perturbatæ ſuæ juriſdictionis?

CONSULTATIO CXXXVII.

An rectè in Eccleſia Epiſcopi Titulares inſtituantur? An fuerint ab exordio Eccleſiæ? An habeant propriam Eccleſiam, & quatenus? Ubi multa de Corepiſcopis.

CONSULTATIO CXXXVIII.

An validè induci poſſit conſuetudo, quod Clerici, qui nati ſunt ex utroque Parente extero, nullatenus admittantur ad Capitulum, ad ſervitium Eccleſiæ, illiuſque honores, ad fructuum, ad diſtributionum participationem? Quid de natis ex altero Parente non extero, ſed Cive? Quidve de nato ex Parente, qui Civitate longo incolatu, aut privilegio eſt adeptus?

CONSULTATIO CXXXIX.

1. *An erectio Collegii, ſive Seminarii adoleſcentium a pio Teſtatore dotati, ut ii teneantur magnificè, ac ſplendidè Sanctiſſimum Viaticum comitari, approbanda ſit? An item approbandum,*
2. *Quod electio, ac nominatio hujuſmodi adoleſcentium, ad Collegium admittendorum, ad hæredes dicti Teſtatoris pertineat, habeantque in illo Juſpatronatus honorificum?*
3. *Quod Collegii Rector, & Collegiales ſint exempti ab omni Ordinarii juriſdictione, excepta viſitatione generali, quodque in ſpiritualibus ſubjiciantur Capitulo Eccleſiæ Cathedralis vel Collegiatæ, in temporalibus verò deputatis ab ipſis hæredibus?*

CONSULTATIO CXL.

An, & quatenus Epiſcopus, atque Civitas in cauſa matrimonii ſuſpicionem faciant, & quatenus ſit locus reſtitutioni mulieris ſuo prætenſo marito?

CONSULTATIO CXLI.

An cura animarum, unita Capitulo, poſſit exerceri a Vicario per Canonicos deputato, & ab Epiſcopo approbando, vel ab ipſis Canonicis per turnum?

CONSULTATIO CXLII.

An, & quatenus oblata a fidelibus alicui ſacræ Imagini pertineant tàm quoad uſum, quàm quoad adminiſtrationem ad Epiſcopum, anve ad Parochum?

CONSULTATIO CXLIII.

Habet Sacerdos, Rector, & Viſitator cujuſdam Eccleſiæ, ac Hoſpitalis privilegium Apoſtolicum, quod eſt hujuſmodi: Ut in Hoſpitali, & Monaſterio, ac aliis locis, non ſolùm omnium ad diſciplinam Eccleſiaſticam ſpectantium, nempè ad adminiſtrationem Sacramentorum, profeſſionem Monialium, alloquendi licentiam, miſſarum celebrationem, presbyterorum correctionem, & legata pia Hoſpitali, ac Monaſterio, locique hujuſmodi pro tempore facta concernentium curam gerere; ſed etiam omnia alia, quæ locorum Ordinarii intra ſuarum Diœceſum, & juriſdictionum fines facere, & exercere poſſunt, & ſolent.
Quibus ex verbis quæritur, an hic Rector veniat nomine Ordinarii, de quo in Sacro Conc. Trident. ſeſs. 23. c. 25. de refor.

CONSULTATIO CXLIV.

Quomodo Epiſcopi moribus caſtè informandis invigilare debeant? Ab eorum correctione quatenus appellandum?

CONSULTATIO CXLV.

In Criminalibus appellatio ab Epiſcopo, quando Metropolitano, aut uni ex vicinioribus committenda juxta S. Concilii decretum in c. 2. ſeſs. 13. de reformat. Et quando Judices a Synodo deſignandi, qui delegentur a Sede Apoſtolica, a quibus & ordinariis cauſæ breviter ordinandæ juxta c. 10. ſeſs. 25. de reform.

CONSULTATIO CXLVI.

Quænam locationes bonorum Eccleſiaſticorum prohibeantur? Quænam factæ irritentur? Quid de locatione juriſdictionis Eccleſiaſticæ? Quidve de juriſdictione ſuper damnis bonorum Eccleſiarum illatis? Quid de locatione officii Vicarii? Modus irritandi locationes bonorum Eccleſiaſticorum. Caſus, in quibus locari, & alienari poſſunt bona Eccleſiarum. Quid de renovatione emphyteuſis? Quid ſi nulla adeſſet ſpes celebrandi Concilium provinciale? Quænam ſimpliciter locationes damnentur? Quot ſententiæ requirantur pro declaratione nullitatis locationum? An in his permiſſa appellatio? Quid de locatione locorum juriſdictionalium Eccleſiarum, & piorum locorum? Pœnæ in contravenientes. Nomine Italiæ quid contineatur? De alienatione bonorum Eccleſiæ remiſſivè, omnia ferè decreto Sacri Concilii Tridentini capit. 11. ſeſs. 25. de reformat. cujus hæc ſunt verba.

CONSULTATIO CXLVII.

De indictione Sacrorum Conciliorum, eorum uſus quàm vetuſtus. Eorum neceſſitas. Summi Pontificis abſque Concilio poteſtas. Cur dicantur Oecumenica? De nomine Concilii. Ex quibus Concilium eſſe legitimum dignoſcatur? Ejus cauſa. Verba, in nomine Chriſti, variè expoſita. Cur aſſumptus ad Pontificatum mutet ſuum nomen, dicaturque Maximus? An poſſit errare? Ejus poteſtas, Sede vacante, apud quem reſideat? Ejus poteſtas an etiam ſit temporalis? Quorſum hæc poteſtas? Ea quàm latè pateat? Ratio convocandi Concilium. Cur Papa ſe appellet Epiſcopum? De nomine, officio, ac dignitate Epiſcopi. Cur etiam vocetur Servus Servorum? Cauſa finalis Conciliorum. An exquiri debeant Principum Sententiæ? Loci Concilii electio ad quem pertineat? Cauſa formalis Concilii. Cauſa dilationis. Quare Pontifices ad Concilia non accedant? Diem Concilio indicere, ad quem pertineat? Cur Pontifex poſt invocationem Sanctiſſimæ Trinitatis invocet Sanctos Apoſtolos Petrum, & Paulum? An neceſſarius aſſenſus Cardinalium? Quinam, & quibus ex locis ad Concilium generale teneantur accedere, & quibus pœnis, & an perſonaliter? Quomodo Concilium generale dicatur eſſe majoris authoritatis? Quænam admonitio ſufficiat, & arctet vocatos ad Concilium? Quid ſi dies Concilii non apponatur? Poſt quantum tempus lex non afficiat ignorantes, & præſumatur ſcientia? Obſervationes in indictionem Sacri Concilii Trident. Romani Pontificis dignitas ad gubernandum Eccleſiam, etiam congregatam in Concilium. Quid de ejus poteſtate ſupra laicos? Supra Sacras perſonas? Quid de Epiſcopis collectivè, etiam in Concilium adunatis? Romani Pontificis eſt, aliorumve Antiſtitum, etiam in Concilium œcumenicum congregatorum, judicia firmare, quantumvis legitimè congregata, & adſint Legati ipſius Pontificis. De inſtructionibus datis Legatis a Pontifice. Quomodo obſervandæ? An poſſit Pontifex ſuis Legatis committere privilegium perſonale ſuæ in fide indefectibilitatis? Quæ Concilia confirmationem Pontificiam petierint? Alia plura.

CONSULTATIO CXLVIII.

De Canonicis ſcripturis juxta decreta Sacri Conc. Trident. ſeſs. 4. Nomine Canonicarum ſcripturarum quinam libri veniant? Quinam libri Canonici? Canonici opponuntur apocryphis. Quinam libri apocryphi? Cur dicantur apocryphi. Quando aliquid dicatur apocryphum? Quomodo diſtinguantur Canonicæ ſcripturæ ab apocryphis? Authoritas Sacræ Scripturæ in quo conſiſtat? Sacrarum Scripturarum conſonantia. Quid pro verbo Dei habendum? Verbum Dei non ſolùm in libris ſcriptis continetur. Traditiones, quæ, quotve ſint? Earum authoritas. De authoritate Scripturarum. De verbo Homouſion, & Theotocos. De conſuetudinibus Eccleſiæ univerſalis, & uniuſcujuſque Eccleſiæ. Judex Sacrorum Librorum. Traditiones aliæ ad fidem, aliæ ad mores. Pœnæ in non ſuſcipientes ſacros libros, & traditiones. Evangelicorum Canonicas Scripturas corrumpentium Synopſis hiſtorica, & de illorum in Sacram Scripturam conviciis, blaſphemiis, & phalariſmis.

CONSULTATIO CXLIX.

De inſtituenda lectione Sacræ Scripturæ, & liberalium artium ex variis Conſtitutionibus. Quid illis Concilium Tridentinum adjecerit? Neglectus Sacrarum Scripturarum Chriſtiano homini quàm indignus. Nomine Ordinarii qui veniant. Præbendam, cui onus legendi eſt adjunctum, qua ratione liceat conferre? Idonei qui dicantur, ac ſint? Quando res per ſubſtitutum adimpleri poſſit? Et quando cenſeatur electa induſtria perſonæ? In quibus Eccleſiis Sacræ Scripturæ lectio habenda ſit? Quod ſi omnes Canonicatus redditus in quotidianis diſtributionibus conſiſtant? Quidve ſi ſæcularis Clericus ad præſtandum onera, hujuſmodi præbendæ adjuncta, idoneus non reperiatur? Reſignatio in favorem non inducit vacationem. Quid ſi ad alium quàm ad Epiſcopum ſpectet collatio præbendæ? Quid de præbenda in Eccleſiis, in quibus eſt jus optandi? Quid de Canonicatibus Sedi Apoſtolicæ reſervatis, vel quomodocunque affectis? Quæ magis neceſſaria, cura animarum, an lectio Sacræ Scripturæ? Quid in Eccleſiis Collegiatis, quarum præbendæ ſunt de laicorum Jurepatronatus? Opus incompatibile quale ſit? Clauſula, ipſo facto, quid importet? Quid de collatione præbendæ facta illi, qui Theologiam non profitetur? Quid in Eccleſiis non numeratis, ſive Regularibus, & in his, quibus non poteſt aſſignari præbenda primò vacatura? Quomodo ſatisfaciendum huic Concilii decreto? Non eſt beneficium, quod ſecum non afferat onus aliquod. Quænam beneficia teneantur contribuere pro lectione Sacræ Scripturæ? Epiſcopus an teneatur Capituli conſilium ſequi? Tempus, hora, & materia, quæ ex ſacris literis ſumi debet, Ordinarii arbitrio relinquitur. Quæ materia lectionis magis congrua menti Sacri Concilii? Quid quando redditus Eccleſiæ tenues ſunt, & populus exiguus? Gratis non docentes in quod crimen incurrant? Hoc Concilii decretum ad quas Eccleſias reſtringatur? De obligatione Monachorum circa Magiſtros. Alia de Monachis. Quid negligentibus Abbatibus, vel Prælatis inferioribus? Quatenus a ſententiis Epiſcopi, etiam ut Sedis Apoſtolicæ delegati, appellari poſſit? Differentia inter Monachos, & cæteros Regulares. An pro legendi licentia aliquid exigi poſſit, vel promitti? An, & quibus conditionibus Scolares Eccleſiaſtici poſſint ad gymnaſia ſtudiorum cauſa ſe transferre? Ad hoc, ut poſſint fructuum ſuorum beneficiorum perceptione gaudere, quid requiratur? Et an gaudeant, ut gaudent docentes? In caſu propoſito an lector habendus ſit præſens? Quod aliud beneficium lector obtinere nequeat? Quid ſi mala valetudine laboraret? An poſſit alium ſibi ſubſtituere? Quid ſi eſſet contumax?

CONSULTATIO CL.

De reſidentia Epiſcoporum. An ex decreto Sacri Concilii Trident. cap. 1. ſeſs. 23. colligatur, hanc reſidentiam eſſe de jure divino? Quid ſuo decreto in Epiſcopis pro reſidentia requirat? Summus Pontifex eſt totius orbis Epiſcopus. Quomodo omnibus Eccleſiis præſideat? quam

multi

multi Epiſcopi mercenariorum more reſidentes? Deſerere gregem quid importet? Quid abeſſe? Reſidentia Epiſcoporum ex quo præcepto divino ſit? Ex quo præcepto divino Baptiſmus, & integritas confeſſionis? Feſtorum obſervatio? Cura animarum quomodo commodiùs adminiſtretur? Præceptum reſidentiæ an obliget ſemper, & ad ſemper? Quanti ſceleris ſit Epiſcopum Eccleſiam ſuam deſerere? Quæ requirantur, ut Clericus ab Eccleſia ſua abeſſe poſſit? Sedes Apoſtolica an abſolutè diſpenſare poſſit, ut quis non reſideat? Sanctorum Pontificum ad id exempla. Super præcepto reſidentiæ diſpenſatio propriè, ſeu relaxatio conſiderari non videtur, ſed potius interpretatio. Hæc interpretatio a quibus fieri poſſit? Actiones circumſtantiis reguntur. Decreta Pontificum de reſidentia Epiſcoporum, etiam Cardinalium, & viſitatione Diœceſis. De reſidentia Parochorum. De cura Sacramentali, ejuſque onere. De cura trium, aut quatuor incolarum. De cura duarum Eccleſiarum unitarum. De cura Dignitati unita. Vicarii perpetui quando, ac ubi deputandi? De beneficio curato annexo ſimplici. De unione acceſſoriè facta. Quid de obtinente Eccleſiam Baptiſmalem? Quid de Rectore, qui in Rectoria habet Vicarium perpetuum? Quidve de habentibus in cura Vicarium amovibilem? Quinam habentes curam animarum compelli poſſint ad reſidendum? De Coadjutoribus in cura. Quid de cura animarum duobus, tribuſve, aut pluribus presbyteris incumbente? Quid in Eccleſiis receptitiis? An & quatenus Clerici, quorum beneficia aliàs non requirunt reſidentiam, ad reſidentiam compelli poſſint? Et commendatitiæ literæ ſint eis denegandæ? De Archidiacono, cui incumbit cura animarum. An, & quatenus Curati, & Archipresbyteri Spoliorum Commiſſarii deputari poſſint? Quid cura animarum, una cum Canonicatu? Parochorum abſentiæ cauſa a quo cognoſcenda? Cura animarum ad quem principaliter ſpectet, ad quem inſtrumentaliter? Ut Clericus ab Eccleſia ſua abſit, quæ cauſa, & licentia requiratur? An ſatis ſit, quod petatur? Quid ſi denegetur? Reſidere quàm ſtrictè accipiatur? An Parochus compelli poſſit in domibus parochialibus habitare? Quid ſi domus non eſſent intra Parochiam? Quid in Parocho, cui ratione infirmitatis datus fuit Coadjutor? Quando, & quomodo liceat Parochis abeſſe a ſuis parochiis? Quid ſi adeſſet diſtantia bidui, vel tridui a Sede Epiſcopali? Vel cauſa repentina ſe offerret? Abeſſe ſine hujuſmodi licentia, ne per hebdomadam quidem licet. De abſentia duorum menſium Parochis conceſſa. Quid in Eccleſiis Parochialibus, quarum inſtitutio, & viſitatio ad inferiores ſpectat? Quid de Conſtitutione Epiſcopi, ne Parochi ſine ipſius licentia abſint per duos dies? An in hujuſmodi Conſtitutione imponi poſſit pœna Excommunicationis? In hac re temperamentum. An Epiſcopus, ne Parochus reſideat, poſſit diſpenſare? Aut cauſam legitimam non reſidendi declarare? Et quatenus? Quæ cauſæ excuſare poſſint Parochum a reſidentia. Quid de Parocho criminaliter condemnato a ſuo Epiſcopo, & Romam proficiſcente? Reſidenti in ſua Parochia an liceat per alium curam exercere? Reſidentia Parochorum an eos excuſet, ne accedant in quibuſdam ſolemnitatibus ad Eccleſiam matricem? Tempore peſtis an, & quatenus Parochi reſidere debeant? Quid de Epiſcopis, etiam perſequutionis tempore? Quot caſus perſequutionis? Quot fructus Parochus ob non reſidentiam amittat? Et an congrua portio ei debeatur? Omnia juxta mentem Sacræ Scripturæ, Sacrorum Conciliorum, præcipuè Tridentini, Conſtitutionem Summorum Pontificum, & Sacrorum Canonum, Patrumque doctrinam.

CONSULTATIO CLI.

Cum in cap. Inter cætera de Offic. ordin. *habeatur, ignorantiæ impedimentum non excuſare Epiſcopum a munere prædicationis; quandoquidem* in d. cap. *defectum ſcientiæ reprobandum, nec de cætero tolerandum dicitur; quod Sacri Concilii decreto* in cap. 2. ſeſs. 5. de reformat. *innovatur*, quid dicendum, cùm ferè nullus hoc tempore reperiatur Epiſcopus, qui per ſe ipſum populo ſibi commiſſo prædicet Sanctum Dei Evangelium? Et an requiratur, ut ſit in Sacro Ordine conſtitutus is, cui hoc munus committitur? Ubi de modo prædicandi. Quomodo differant ineptitudo, & ignorantia? Sancti Epiſcopi docti, inepti tamen ad concionandum. Qualis prædicatio Epiſcopis injungatur? De miniſtrorum deputatione ad prædicandum. Munus prædicationis animarum curæ annexum. An committi poſſit ſimplici Clerico, laico, mulieri? Prædicatio quibus competat jure proprio? Peccant mortaliter, qui Concionatores non idoneos eligunt. Quibus ſaltem diebus prædicandum? Concionator quæ docere debeat? De Eccleſiis parochialibus ſubjectis Monaſteriis in nulla diœceſi exiſtentibus. Quid de Concionatoribus regularibus? Conſuetudo deputandi Concionatorem obſervanda. Epiſcopus in Regularibus quid hac in re facere poſſit? De Concionatoribus, errores, aut ſcandala ſeminantibus, hæreſes prædicantibus. Privilegia prædicandi quomodo nulla ſint?

CONSULTATIO CLII.

De facultate conceſſa Epiſcopis, aliiſque majoribus Prælatis viſitandi Eccleſia quaſcumque, quibuſcumque non obſtantibus. Ad id decreta Sacræ Congregationis Concilii. Error Typographi in decreto Sacri Concilii. Quænam Capitula in Concilio comprehenduntur? At tollatur immemorabilis? An etiam Concordiæ? Quænam Concordiæ præſerventur? Quid de juramentis? Quando Epiſcopus per ſeipſum ſolum, quando per aliis viſitare poſſit? Quid de jure communi? An aliud ſit viſitare Epiſcopum cum Capitulo, & aliud cum aliquibus de Capitulo? De viſitatione Eccleſiæ Collegiatæ omnino exemptæ a juriſdictione Abbatis. Quid ſi Abbatia eſſet nullius Diœceſis? Quid ſi Epiſcopus in viſitatione juramentum, ac depoſitiones teſtium in ſcripturam redigere voluerit. Quo in loco Epiſcopus viſitare poſſit Capitulum? Decanus, & Capitulum poteſt cumulativè ipſum Capitulum viſitare. Et quomodo? Quænam decreta in viſitatione Capituli Epiſcopus condere poſſit? An decreto cap. 4. ſeſs. *6. Sacri Concilii obſtent privilegia ex fundatione? Quos adjunctos poterit ſibi Epiſcopus aſſumere in viſitatione perſonarum ſui Capituli? Eccleſias exemptas quomodo Epiſcopus viſitare teneatur? Portionarii, aliique, qui Canonici non ſunt &c. quomodo ſubjaceant Epiſcopo?*

CONSULTATIO CLIII.

Quomodo exceſſus Sæcularium Clericorum, & Regularium, degentium extra Monaſteria, ab Ordinario loci corrigendi ſint? Quæ requirantur in corrigendis exceſſibus? Quomodo Ordinarius agere poſſit contra profeſſores militiarum, etiam Religionis Hieroſolymitanæ? Reformatio, & correctio an idem? Decreta.

CONSULTATIO CLIV.

Quod Epiſcopus in Aliena Diœceſi nec Pontificalia exercere, nec ordines conferre valeat. Alieno Epiſcopo quatenus liceat exercere Pontificalia in aliena Eccleſia, & miniſtrare? An de licentia Capituli, Sede Epiſcopali vacante? Quid de ordinatione familiarium Epiſcoporum; Quidve de Abbatibus benedictis? Ordinati illegitimè ex capit. 5. ſeſs. *6. de reform. quas pœnas incurrant? Et quas ordinantes? Vicarius an poſſit condere licentiam, ut alienus Epiſcopus Pontificalia exerceat in ſua Diœceſi?*

CONSULTATIO CLV.

Quinam ſit Sacramenti Confirmationis ordinarius miniſter? Quatenus Abbas illud conferre poſſit? Quis illius extraordinarius miniſter? Definita a Pontificibus, & Conciliis generalibus, dupliciter differunt. Quæ revocare nequeat Pontifex? In quibus Pontifex infallibilitatem non habeat? Quid poſſit Pontifex contra Concilia? Quomodo & in quibus ſucceſſores Pontificis a Pontifice non ligantur? De iis, quæ ad Eccleſiaſticam diſciplinam concernunt, quæve ad fidem. Decretum irritans appoſitum in Conciliorum decretis quanti roboris? Derogatio ſpecialis Concilii an neceſſaria?

CONSULTATIO CLVI.

1. *De tenentibus plures Cathedrales Eccleſias, Ubi an comprehendantur Cardinales? Quid de retinentibus plures Commendas, Beneficia &c.*
2. *Quibus perſonis beneficia conferenda? Pœna in proviſum, & providentem. Quid ſi non reperiantur viri idonei?*
3. *De retentoribus plurium beneficiorum contra canones. De quibus beneficiis id intelligatur? An de commendis? Caſus in quibus pluralitas beneficiorum toleratur. Præſumpta diſpenſatio an habeat locum contra decreta Concilii? Ubi decreta.*

CONSULTATIO CLVII.

1. *De obtinentibus plura beneficia curata. De beneficiis, quæ nullum ſervitium per ſe ipſos beneficiatos, neque per ſubſtitutos requirunt. Beneficia cur inſtituta? Quatenus oſtendendus ſit titulus beneficii? Et ad quid cogendus beneficiarius.*
2. *Quæ beneficiorum uniones validæ cenſeantur?*
3. *Beneficia Eccleſiaſtica Curata, perpetuò unita, quomodo viſitanda? Quomodo eis providendum? Decreta.*

CONSULTATIO CLVIII.

De authoritate Capituli quoad literas dimiſſorias, Sede vacante. Pœnæ in contravenientes decreto Sacri Conc. Trident. Qua ex cauſa Capitulum, vel ejus Vicarius poſſit intra annum dare dimiſſorias? Et ex qua facultate? Pœna interdicti in decreto Concilii an latæ ſententiæ? Quid de literis commendatitiis? Pœna interdicti perſonalis in decreto appoſita num reſervata? Pœna privationis privilegii Clericalis ibidem lata quomodo afficiat? Ordinati in minoribus in hoc caſu quomodo incurrant ſuſpenſionem? Quid in locis, in quibus Tridentinum non ſit receptum? Quid de hoc & antiquiori jure?

CONSULTATIO CLIX.

An, & quatenus facultates de promovendo ſuffragentur? Et quomodo, & a quo unuſquiſque promoveri debeat? Pœnæ in contrafacientes.

CONSULTATIO CLX.

An, & quatenus a quocumque præſentati ad beneficia Eccleſiaſtica, inſtituendi ſint ab Ordinariis? Ubi decreta.

CONSULTATIO CLXI.

1. *Acta primæ inſtantiæ intra quot dies dari debeant gratis reo appellanti?*
2. *Teſtes deponentes contra Epiſcopum, quales eſſe debeant? Ubi quid de cauſis Epiſcoporum?*

CONSULTATIO CLXII.

De ſalvo conductu hæreticis dando. Quid contineri debeat? Exceptiones hæreticorum contra Concilium Tridentinum. Eæ diluuntur.

CONSULTATIO CLXIII.

De caſuum reſervatione in Sacramento Pœnitentiæ. A quibus fieri poſſit? Quid de Regularibus? Quidve de Sacerdote non approbato in articulo mortis, præſente Parocho, vel alio Sacerdote approbato? Quidve ſi Sacerdos eſſet hæreticus, vel ſchiſmaticus? Sententia Sacræ Congregationis Concilii.

CONSULTATIO CLXIV.

De virtutibus heroicis Chriſtianis, præſertim in Martyribus; ubi quæritur, cui virtuti potior laus in opere Martyrii debeatur?

CONSULTATIO CLXV.

De cauſis canonizandi Sanctos. Et quæ in eo, qui canonizandus eſt, requirantur?

CONSULTATIO CLXVI.

Miracula vera pro canonizatione Sanctorum quomodo a non veris diſcernantur? Miracula vera quomodo a bonis, & malis Chriſtianis, & non vera a magis, ac dæmonibus fiant?

CONSULTATIO CLXVII.

Opera dæmonum ab Authoribus narrata, cur miracula dici nequeant? Quot modis fiant?

CONSULTATIO CLXVIII.

In qua fusè, & articulatim diſceptatur, qua opera admiranda poſſint facere dæmones, vel per ſeipſos, vel per Magos?

CONSULTATIO CLXIX.

Quæ dæmon nec per Magos, neque per ſeipſum poſſit efficere?

CONSULTATIO CLXX.

Quomodo ſenſus hominum a dæmone ludificentur ad ejus illuſiones cavendas in probatione miraculorum pro Canonizatione Sanctorum? Ubi de dæmonis præſtigiis ad ejus illuſiones cognoſcendas?

CONSULTATIO CLXXI.

Vivorum, & Mortuorum apparitiones ad illuſiones dæmonum in Canonizatione alicujus cavendas, explicantur.

CONSULTATIO CLXXII.

De ſuſcitatione Samuelis Prophetæ, incantantionibus Pythoniſſæ tentata, deque aliorum mortuorum ſuſcitationibus, & apparitionibus ad illuſiones dæmonum cavendas in ſuſcitandi mortuos miraculis pro canonizatione alicujus cum fama ſanctitatis defuncti.

CONSULTATIO CLXXIII.

Iterum, atque uberius de miraculorum generibus. Supra naturam. Præter naturam. Contra naturam. Eorum gradus, ac differentiæ. Quomodo majora & minora dicantur?

CONSULTATIO CLXXIV.

De miraculis ſuper ordinem naturæ quoad operandi modum, & quoad id, in quo fiunt ex Teſtamento novo.

CON-

CONSULTATIO CLXXV.

An Eudæmones, ſive Cacodæmones, ſua virtute ægritudines non a nativitate, ſed ex accidenti contractas, temporis momento, ac ſine medicamentis curare poſſint?

CONSULTATIO CLXXVI.

Quomodo miracula Magorum, malorumque hominum, a veris miraculis differant, & cognoſcantur? De ſignis, & virtutibus, deque prodigiis, ac portentis, aut oſtentis.

CONSULTATIO CLXXVII.

Specimina aliquot, præter alia alibi adducta, miraculorum variarum ſanationum, quæ ad ſecundum, ac tertium miraculorum gradum pertinent.

CONSULTATIO CLXXVIII.

An probent miraculum alicujus ſervi Dei unus teſtis de viſu, alter de ſolo auditu a patre, ſive a matre ipſius Servi Dei? vel ſaltem adminiculentur hiſtoria vitæ Servi Dei a tribus viris ſcripta?

CONSULTATIO CLXXIX.

An teſtes domeſtici legitimè probent miraculum ſanationum? Quinam dicantur domeſtici? Quid ſi loquerentur aſſertivè? Si infirmus ſe ſanum ſiſtat coram Judicibus Apoſtolicis?

CONSULTATIO CLXXX.

An primum extremum miraculi, nempè infirmitas, probetur ex aſſertione Sacerdotis infirmi per inſtrumentum publicum rogata cum præſentia teſtium? Unicus teſtis an, & quatenus probet miraculum? Quatenus illud probet notorietas facti?

CONSULTATIO CLXXXI.

An, & quatenus ſanatio ab ariditate crurum, aliorumve membrorum ex appoſitione terræ ſepulchiri alicujus Servi Dei, ſupra, vel ultra naturæ vires cenſenda ſit?

CONSULTATIO CLXXXII.

An teſtes deſumpti ex proceſſu, authoritate Ordinarii confecto, in cauſis canonizationis Sanctorum, attendendi ſint?

CONSULTATIO CLXXXIII.

An liberatio a periculoſo partu, edito fœtu mortuo in utero poſt imploratam opem alicujus Servi Dei, vel applicatam ejus imaginem, adſcribenda ſit miraculo?

CONSULTATIO CLXXXIV.

An liberatio a morbo nephritico cum ſupreſſione urinæ per triduum, emiſſo, poſt invocatum auxilium alicujus Servi Dei, calculo inſtar olivæ, adſcribenda ſit miraculo? Ubi quid ſi teſtis non reddat rationem per ſenſum corporis, & auditum?

CONSULTATIO CLXXXV.

An mundatio a lepra, applicatis ei reliquiis, aliſve rebus, quæ eas tetigerint, ſit miraculo adſcribenda?

CONSULTATIO CLXXXVI.

An pulſationes, ſonitus, crepitus, ſtrepitus, rumores, tinnitus, concuſſiones, & id genus alia, quæ audiuntur intus arcas, ſive ſepulchra, in quibus quieſcunt corpora quorundam Servorum Dei, ſint adſcribenda miraculo?

CONSULTATIO CLXXXVII.

An teſtes deponentes de ſolo auditu alieno, publicaque voce, & fama, admitti poſſint ad probandum miraculum? Quidve ſi adeſſent alii teſtes de viſu, & certa ſcientia? Et an circumſtantiæ miraculi debeant plenè, & concludenter probari? Quot teſtes requirantur ad probationem miraculi? Opinio teſtium an probet factum? Quid de teſte impubere? An & quatenus probet? Quidve de teſtimonio puberis de viſis in pupillari ætate? Quid de infante?

CONSULTATIO CLXXXVIII.

1. *Intra quod tempus proceſſus Canonizationis confici debeat?*
2. *Ad probandum miraculum, quot teſtes ſufficiant?*
3. *An apponendo diadema capiti alicujus Beati, ac exhibendo illi, vel ſubſcribendo illius imagini titulum Sancti, tranſgrediantur limites beatificationis?*

CONSULTATIO CLXXXIX.

An puer ſubmerſus in mari, in puteo aquæ, muſti, ſpatio trientis, vel quadrantis horæ, vel ſemiquadrantis, unco per veſtes extractus, lividus, & lingua exerta, ſi invocato auxilio alicujus Servi Dei non moriatur id miraculo ſit adſcribendum?

CONSULTATIO CXC.

An, & quatenus ſanatio inſtantanea a nervorum convulſione pluribus annis confirmata cum manuum, pedumque attractione, ac lingua ad loquendum impedita, implorato alicujus Servi Dei auxilio, ſit miraculo adſcribenda? An, & quatenus adhibenda ſit fides aſſertioni dicentis, quod aliquis Servus Dei ſibi apparuerit, ac præſervaverit ab infirmitate, a periculo, a morte?

CONSULTATIO CXCI.

An, & quatenus ſanatio a vulnere lethali, emiſſis precibus ad aliquem Dei Servum, ſtatim conſolidato, cicatrice tantum apparente, ſit ſupra vires naturæ?

CONSULTATIO CXCII.

De Canonizatione Sanctorum. Martyres vindicati. Miracula poſt mortem. Proceſſus Canonizationis. Ritus ejuſdem. Canonizatio de cœlo. Canonizatio miraculis confirmata. An miracula ſint neceſſaria in Eccleſia? A Joanne Calvino tentata mortui reſuſcitatio.

CONSULTATIO CXCIII.

1. *An aliquis ob miraculorum evidentiam a Sede Apostolica in Sanctorum numerum referri possit?*
2. *Quid de habente donum scientiæ, ac prophetiæ?*
3. *Quidve de eo, qui pro Sancto a principibus viris, & a populo denunciatur?*

CONSULTATIO CXCIV.

De miraculis diligenter etiam atque etiam examinandis in Canonizatione Sanctorum. De modo illa examinandi. Et quæ necessaria sint pro Sanctis in Ecclesia militante declarandis?

CONSULTATIO CXCV.

Qui Ordo judiciarius in Canonizatione observari consueverit? Actiones in ea requisitæ. Et an Ordo judiciarius tàm in Canonizatione Martyrum, quàm Confessorum observandus?

CONSULTATIO CXCVI.

Quænam actiones in Sanctorum Canonizatione requirantur?

CONSULTATIO CXCVII.

De rebus, quæ pro celebranda Canonizatione fieri solent. De Consistoriis. De suffragiis. De septem honoribus, qui Canonizatis debentur. Et quatenus etiam a Sede Apostolica non Canonizatis debeantur?

CONSULTATIO CXCVIII.

1. *An conductores bonorum Ecclesiæ, vel Clericorum, pro bonis conductis gaudeant immunitate a vectigalibus &c.*
2. *Et quid de Colonis?*

CONSULTATIO CXCIX.

1. *An denunciatio pro accusatione, & denunciator pro accusatore habendus?*
2. *An denuncians cogi possit ad crimen delatum probandum, & in judicio contra delatum procedendum?*
3. *Si denuncians non probet delictum delatum, an, & qua pœna affici debeat?*
4. *Quando Judex arbitrium suum formabit in puniendo falsum accusatorem, falsumque denunciatorem?*

CONSULTATIO CC.

De Imperatoris, Regum, ac Principum officio in protegendo Romanam Ecclesiam, Sedem Apostolicam, ejusque immunitatem, libertatem, ac jurisdictionem. A quo tempore, & qualiter Imperatores Ecclesiam Romanam defenderint? Joannis Papæ, & Justiniani Imperatoris Epistolæ, quæ habentur sub titul. de summ. Trinit. Cod. Justiniani, an sint genuinæ? Quomodo Ecclesiastica protectio a Græcis Imperatoribus ad Gallorum Reges translata fuerit? Ubi vera causa translationis Imperii Græci ad Germanos. Alia præcipuè de Patriciatu.

ALIENA.

An liceat Ministris Consolationis de Urbe.

1. *Benedicere Mulieres post partum, & ova tempore Paschali.*
2. *Retinere in Ecclesia Confessarios ad audiendas Populi confessiones.*
3. *Facere Processionem per Parochiam intra Octavam Sanctissimi Corporis Christi, & præsertim die, quo fit per Ecclesiam Parochialem.*
4. *Associare cadavera alibi tumulanda cum Cruce, & Stola ab Hospitalibus ad locum Catenæ, & impedire Parochum, ne accedat pro illis ad januas Hospitalium.*



D. JACOBI PIGNATELLI

CONSULTATIONUM CANONICARUM.

Tomus Decimus.

CONSULTATIO I.

An, & quatenus Regulares teneantur ſervare interdictum Eccleſiaſticum ab Ordinario appoſitum? Ubi aliqua prius de interdicto quoad alios, & multa de communicatione privilegiorum inter Regulares.

1 CAutum eſt *in cap. Epiſcoporum de privileg. in 6.* ne ſeculares, aut Regulares quantumcumque exempti, vel privilegiati ſcienter celebrent, aut celebrari faciant Divina in locis interdictis ab Ordinariis, vel Delegatis, vel a jure, niſi quatenus a jure conceditur, & ne interdictos ad Divina officia, & Eccleſiaſtica Sacramenta, vel Eccleſiaſticam ſepulturam admittant. Qui verò contra præſumpſerint, præter alias pœnas jure ſtatutas, ingreſſum Eccleſiæ ſibi noverint interdictum, donec de tranſgreſſione hujuſmodi ad arbitrium Ordinarii, cujus ſententiam contempſerunt, ſatisfecerint competenter.

2 Declaratur id primò, quod ſecundùm magis communem ſententiam hic Textus procedit contra Eccleſiaſticos ſeculares, vel Regulares tantùm privilegiatos, ſive exemptos a juriſdictione Ordinarii loci, ut teſtatur Navarr. *c.* 27. *n.* 157. Suarez *de cenſur. diſp.* 37. *ſect.* 4. *num. ult.* & tradunt Jo: Andr. Gemin. Anchar. & Jo: Monach. *in d. c. Epiſcoporum* contra Gloſſam, Barboſam *in d. textum n.* 3. & Sayrum *lib.* 5. *de cenſur. c.* 14. *n.* 11. *ac* 34. qui dicunt, illam particulam *quantumcunque privilegii, vel exemptionis, &c.* eſſe ampliativam, non reſtrictivam ad illos ſolos. Verùm tenenda eſt communior ſententia, ſecundùm quam ratione hujus tranſgreſſionis exempti fiunt de foro Epiſcopi, ut per Joan. Andr. *ibidem nu.* 3. & Jo: Monach. *n. item* 3. Sicque poterit Epiſcopus illos punire pro ſuo arbitrio. Non poterit tamen eos excommunicare, ſi habent privilegium, ne poſſint excommunicari, niſi a Papa, ut per eundem Jo: Monach. *loco citato.*

3 Deindè declaratur, quod ex *cit. cap. Epiſcoporum*, tolluntur privilegia conceſſa admittendi ad divina interdictos, vel celebrandi tempore interdicti, ut tradunt Jo: Andr. & Joan. Monach. *ibid. n.* 2. Præſervantur tamen privilegia clauſa in corpore juris, nempè moderatio, ut in *cap. Alma mater de ſent. excom. in 6.* Neque derogatur aliis privilegiis poſtea conceſſis etiam extra corpus juris.

4 Item declaratur quod in hoc *cap.* non continentur Epiſcopi per text. *in c. quia periculoſum de ſent. excomm. in 6.* & Franc. *in d. cap. Epiſcoporum.*

5 Declaratur poſtremò quod intelligitur de non admittendis interdictis nominatim declaratis, vel in loco interdicto nominatim declarato ab *Extravag. Ad evitanda* de qua fusè alibi, & in hac ſpecie Henriq. *lib.* 13. *c.* 5. *n. ult.* Avila *de cenſ. p.* 5. *diſp.* 5. *dub.* 4. *concl.* 4. Et de omni interdicto locali docent Suarez *eod. tit. diſp.* 37. *ſect.* 2. *n.* 5. Coninch. *diſp.* 17. *dub.* 5. *in fine*, Bonacin. *de interdict. pun.* 7. *num.* 1. Interdictum autem perſonale generale obligat ad vitandum, ſi fuerit denunciata per nomen talis Univerſitas, etiamſi non fuerint ſinguli nominati juxta probabiliorem cum Sayro *de cenſur. lib.* 1. *cap.* 13. *n.* 23. Suar. *loc. cit. n.* 3. Alter. *de interd. diſp.* 10. *c.* 4. Avil. *ibid. n.* 5. Coninch. *diſp.* 17. *n.* 26. contra Navarr. Emanuelem Sà, quos refert Bonacina *ubi ſuprà.*

Clerici autem violantes interdictum perſonale, aut lo- 6
cale incurrunt ſuſpenſionem ab officio, ut de communi ait Sayr. *lib.* 5. *c.* 14. *n.* 12. cun multis, & Avila *p.* 5. *diſp.* 5. *dub.* 4. *§. præterea* ex *c. fin. de exceſſ. Prælat.* ſed alii dicunt, eſſe ſententiam ferendam, non latam, ut Sayr. *ibid.* Bonac. *d. diſp.* 5. *pun.* 7. *n.* 4. Coninc. *diſp.* 17. *n.* 71. Alii dicunt eſſe ſuſpenſionem latæ ſententiæ ab officio, non autem a beneficio, ut Suar. *diſp.* 35. *ſect.* 4. *n.* 6. Alii dicunt, eſſe ſuſpenſionem, etiam a juriſdictione, ut Laym. *lib.* 1. *tr. de interd. c.* 3. *n.* 3.

Celebrans verò in loco interdicto ſit irregularis per 7
textum *in c. iis, qui de ſent. excomm. in 6.* Suar. *de cenſur. diſp.* 34. *ſect.* 4. *n.* 14. ubi multos Doctores adducit, & ampliat procedere tàm de Clerico ſæculari, quàm regulari. Idemque eſt, ſi quis violet interdictum perſonale, quo ligatus exiſtit, etiam occultè, ut per Suar. *ibid. n.* 21. ex *d. c. iis, qui §. is verò.*

Id limitatur ex *cap. pen. de Cler. excommun. vel interd.* 8
miniſtr. ubi excuſat ignorantia probabilis ab irregularitate, craſſa autem, & ſupina facilitat diſpenſationem a Sede Apoſtolica obtinendam; ad quam pertinet hæc diſpenſatio, ut *in cit. §. is verò.*

Celebrans autem contra interdictum fit ineligibilis 9
activè, & paſſivè ſecundùm aliquos. Qua de re vide Suar. *ibid. n.* 1. Celebrare verò perſiſtens in interdicto, ſive contra interdictum, poſtquam fuerit monitus, incurrit eo ipſo pœnam perpetuæ depoſitionis, *c.* 3. *de Cler. excom. & interd. miniſtr.* ubi Barboſ. *n.* 2. cum Alterio. Nam verbum illud, *incurrant*, ibi poſitum juxta magis communem eſt latæ ſententiæ, Tiraquell. *in. l. ſi unquam v. revertatur n.* 147. *C. de rev. don.* Contra cenſent Sayrus *d. lib.* 5. *c.* 14. *n.* 7. & 8. ac Diaz. *in prax. cap.* 18. qui putant eſſe ferendæ ſententiæ in hoc caſu. At etiam ſtante hac ſecunda ſententia, conſequenter ob notorietatem hujus criminis, depoſitione digni, erit infamis infamia juris, ac inde irregularis. Quia omne crimen depoſitione dignum, ſi fuerit notorium, reddit infamem infamia juris, ac proindè irregularem, Sayr. *d. lib.* 7. *c.* 12. *n.* 12. ubi plures allegat, & Majol. *de irregul. lib.* 5. *c.* 52. *n.* 2. & ſi ibi loquatur de celebrante in contemptum clavium.

Epiſcopus verò ſi violet interdictum a Papa latum, 10
exempli gratia, illud non promulgando, vel obſervari non procurando, aut contraveniendo, aut interdictos abſolvendo, ſecundùm aliquos incurrit pœnam privationis Epiſcopatus, ſive depoſitionis a dignitate, & loco Epiſcopali. Ita probare conatur Marta *de juriſdict. p.* 3. *c.* 21. *ex can. Theugualdum* 11. *q.* 3. per illa verba, *Epiſcopatus exutos regimine conſiſtere definientes*. Quæ verba videntur ſignificare declaratoriam pœnæ latæ ſententiæ incurſæ. Item quia Epiſcopi juramento adſtricti ſunt defendere libertatem Eccleſiæ, *c. ego de jurejuran.* Quod ſi ad debiti ſui exequutionem fuerint a Papa requiſiti, id negligant, infidelitatis cauſa, & perjurii videntur incurrere

pœnam privationis Episcopatus. Ad id allegat Raynerium, & Jacobinum.

11 At nullo jure hæc sententia probatur, ideòque non est admittenda. Quia *in d. c. Theugualdum* Doct. communiter docent, Episcopum in tali casu esse deponendum, non ipso facto depositum, & illam sententiam ibi fuisse depositionis promulgatoriam, non declaratoriam tantùm. Ita *ibi* Turrecremata, & Præpositus, ac procedit quando adest grave, & publicum scandalum, ut patet ex eodem textu.

12 Similitèr quod ait de jurejurando, communiter Doctores inquiunt, perjurium non inducere pœnam privationis beneficiorum ipso facto, cùm in jure non sit expressum. Ita Innoc. *in c. Inter dilectos de excess. Prælat. sub initio*. Felin. *in c. 2. n. 3. de rescr.* ac omnes *in c. quærelam de jurejur*. Raynerius autem, & Jacobinus loquuntur in casu privationis feudi, ut videre est apud eos locis ab ipso citatis. Unde non est facienda extensio ad Episcopatum, quia major est connexio Episcopi cum Ecclesia, quàm Vasalli in feudo. Hæc de interdicto in communi.

13 Quod verò ad Regulares ex *c. 3. de privil. §. excommunicatos, & §. fin.* si Religiosi etiam exempti, admiserint ad divina nominatim interdictos ab Episcopo, vel ab eo nominatim denunciatos, eorum Ecclesiæ, in quibus admiserint ex præsumptione subjaceant interdicto. An autem sit interdictum latæ sententiæ contra istos admittentes in tali casu, certant Doctores. Sunt, qui dicunt, esse latæ sententiæ, sed posse ab Episcopo denunciari, sive declarari contra istos Regulares, etiam exemptos. Quia verbum, *subjaceat*, est latæ sententiæ, ut *can. si quis suadente* 17. *q.* 4. Glos. *in c. 1. de injur. in 6.* Ita refert aliquos tenere Ostien. in hoc *c. in fin.* & plures pro hac sententia refert Tiraq. *in d. l. si unquam v. revertatur nu.* 148. ubi *n.* 150. eam per se veriorem ait, nisi ex subjecta materia aliud colligatur. Contrarium inquit commune Abb. *in d. c. 3. n.* 7. Ostien. *ibi*, & Cardin. *in fin.* dicentes verbum, *subjaceat*, intelligi ministerio Episcopi, sententiam laturi, aitque Cardinalis, hanc expositionem, tanquam benignam esse amplectendam, eamque communem in eo casu fatetur ipse Tiraq. *n.* 149. Unde sequitur, quod si tales Religiosi habent privilegium, ne possint excommunicari, nisi a Papa, non poterit Episcopus, talem sententiam contra eos fulminare; at secundùm primam sententiam posset declaratoriam proferre, ut per Henriq. *lib. 7. c. 25. n. 7.*

14 Id autem hodie limitatur per *d. c. Alma de sent. excom. in 6.* ubi certis modis moderatio facta est interdicti localis, generalis, vel personalis generalis. Primò, ut omnes admitti possint ad pœnitentiæ Sacrammentum si non sint excommunicati, vel culpabiles de tali interdicto, vel specialiter interdicti, & officia divina possunt januis clausis celebrari submissa voce, laicis exclusis, ac sine sonitu Campanarum. Sed & quater in anno, immò quinquies, idest Natali Domini, Paschate, Pentecoste, Assumptione B. Mariæ, & Corporis Christi festo januis apertis, exclusis excommunicatis; interdictis verò culpabilibus non admissis ad communionem Eucharisticam, & ad oblationem. Ac idem est de interdictis nominatim, sive specialiter, ut docent Suar. *disp. 34. sect. 1. n. 33.* Laym. *lib. 1. de interd. c. 2. §. 4. exceptio*, Sayr. *lib. 5. c. 13. n. 12.* Jo. Andr. & Henriq. *in d. c. 3.*

15 Regulares etiam exempti interdictum generale locale non observantes, advertentes illud observari ab Ecclesia Cathedrali, sive Matrice, sive Parochiali, incurrunt excommunicationem latam *in Clem. 1. de sent. excomm.* non obstantibus privilegiis, & consuetudinibus. Idque procedit, etiamsi prætenderetur illud interdictum nulliter latum, ut per Sayr. *lib. 5. c. 33. n.* 45. & 48. cum aliis ab eo citatis. Non procedit autem hæc Constitutio contra Clericos, ut ajunt Doctores superiùs allegati, neque in interdicto speciali locali, neque personali, etiam generali, ut per Tolet. *lib. 1. c. 39. §. undecima*, ubi accuratè explicat hanc materiam.

16 In casu item prædicto Religiosi Minores Sancti Francisci si admittunt suos Tertiarios in suis Ecclesiis ad divina officia, excommunicationem incurrunt, Papæ reservatam, ante scilicet satisfactionem, sed satisfactione præstita, tunc sunt absolvendi ad Episcopo authoritate Apostolica a jure delegata *ex Clem. cùm ex eo de sent. excomm.*

17 Et licèt Lapus *in Clem. 1. eod. tit.* cum Paulo existimet in tali casu hos Regulares incurrere etiam excommunicationem alteram, de qua *n. 13.* contra tamen censet Glos. *in d. Clem. 1.* Laudensis, & Cardinalis *n. 6.* Quia pœnæ non sunt multiplicandæ, ejusdem præsertim rationis pro eadem causa, sed illa prior censetur in hanc graviorem commutata. Procedit autem hæc pœna eodem modo, sicut prior, quando est interdictum generale, & servatur ab Ecclesia matrice, ut per Vital. in eadem *Clem. 1. n.* 10. satisfactio verò fiet Ecclesiæ militanti læsæ arbitrio Diœcesani ex Vitalino *ibid. n. 19.*

At verò Regulares non teneri in suis Ecclesiis servare interdictum ab Ordinario positum, dummodò divina peragant clausis januis, voce submissa, non pulsatis Campanis, & exclusis omnibus, qui causam interdicto dederunt, vel nominatim interdictis, asserit Collect. *privil. Mendic. v. Interdictum 3.* ibique Capuc. *adnot. v. tertiò tempore interdicti*, ac Rodriq. *tom. 2. qu. regul. q.* 112. *art. 2.* 18 19

Nec obstat Sacrum Concilium Tridentinum *sess. 25. c. 12. de Regul.* Non enim revocat privilegia omnibus Regularibus concessa, sed ea tantùm, quæ a quibusdam Regularibus vigore quorumdam specialium privilegiorum prætendebantur habere de nullo modo interdictum servando, inter quos Milites Hierosolymitani, & fratres ministri, ut per eumdem Collect. *ibid.* & colligitur ex verbis ejusdem *c.* 12. quod sicut duas continet partes, duas item distinctiones facit. Ubi enim intendit obligare copulativè Regulares omnes, utitur his verbis, *Dies etiam festi, quos in Diœcesi sua servandos idem Episcopus præceperit, ab exemptis omnibus, etiam Regularibus serventur*. Ubi verò eos non comprehendit, sic ait, *Censuræ, & Interdicta &c. etiam ab Ordinario promulgata, mandante Episcopo, a Regularibus in eorum Ecclesiis publicentur, & serventur*. Ex quibus apparet non obligare ad observationem interdicti verè exemptos, & cum moderatione privilegiatos, sed illos tantùm, qui prætendebant omnimodam exemptionem exorbitantem, & contra consuetudinem, ut per Sayrum ex Collect. *privil. Mendic. d. v. Interdictum*, alioquin distinctio inter primam, & secundam partem decreti Concilii supervacanea esset.

Minus etiam obstat Constitutio Gregorii XIII. cujus initium: *In tanta rerum, & negotiorum mole*. Per eam enim non revocantur, nisi illa privilegia, quæ Concilio adversantur, Medin. *lib. 1. instruct. Confes. c. 11. §. 13.* Rodriq. *in expos. Bull. Cruc. §. 5. n. 15. & in addit. n. 13. & 35. ac in quæst. regul. to. 2. q. 112. art. 1.* Sayr. *de censur. lib. 5. c. 13. n. 24. & seqq.* Mirand. *to. 2. manual. q. 37. ar. 12.* ac Delacruz *lib. 2. c. 7. dub. 2. concl. 2.* 20

Quinimmò eodem privilegio gaudent Tertiarii, famuli, familiares, domestici, syndici, Advocati, Procuratores, & Officiales Ordinarii tàm Fratrum, quàm Monialium qui omnes possunt per fratres, quibus inserviunt, admitti ad divina, Rodriq. *to. 2. q. 114. art. 1. & seqq.* ac etiam ad Ecclesiasticam sepulturam, Collect. *ibid. v. Quintò, Tertiarii*. Idem de laboratoribus, & aliis salario, vel gratis, sive obsequio tantùm inservientibus, Suarez *to. 4. de relig. tr. 3. lib. 9. c. 4. num.* 14. Tambur. *de jur. Abb. disp. 6. q. 16. n.* 8. Nam familia gaudet privilegio Domini, Zerol. *in prax. p. 3. v. Episcopi num.* 24. apud Collect. *d. v. Interdictum*. 21

Interdictum verò generale quacunque authoritate positum omninò suspendunt Regulares in festivitatibus Paschatis, Resurrectionis, Nativitatis, Pentecostes, Assumptionis, nonnullisque aliis solemnitatibus, quin etiam in festis Sanctorum eorum Religionum, itaut possint pulsatis Campanis, voce alta, apertisque januis divina facere, ac fidelibus Sacramenta ministrare, non autem interdicto causam præbentibus, ipsisque nominatim interdictis, Henriq. *in Summ. lib. 13. c. 48.* Delacruz *dub. 1. cap. 7. & dub. 2. concl. 2.* Mirand. *in man. tom. 2. quæst. 37. ar. 12.* Villalob. *p. 1. Sum. tr. 20. diff. 6. num. 2.* Castrop. *de cens. disp. 5. pun. 4. §. 2.* Alter. *de interd. disp. 1. cap. 4.* Sanctor. *in comm. Stat. Ordin. Minor. cap. 2. stat. 14.* Suarez *loc. cit.* Quibus adhuc diebus possunt Regulares tradere sepulturæ in suis Ecclesiis cadavera sæcularium, Capuc. *adnot. v. Interdictum 3. vers. & per priuilegia, & vers. seqq.* ubi cum Corduba concludit, licere Regularibus diebus præfatis tradere Ecclesiasticæ sepulturæ, adhibitis consuetis solemnitatibus corpora defunctorum, Tambur. *de jure Abbat. disp. 6. quæst. 7. num. 4.* 22

Quatenus verò locum adhuc habere Sacrum Concilium Tridentinum, & Constitutionem Gregorii XIII. aliquis dixerit, attamen nova Constitutio Clem. VIII. omnem dubietatem e medio tollit. Ita enim ait, *Ut temporibus interdicti quacunque etiam Apostolica authoritate appositi festa Sanctorum Ordinis Sancti Francisci &c. solemni ritu celebrentur perinde, ac si interdictum hujusmodi minimè appositum esset, non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac Universalibus, & Provincialibus, Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus, nec non omnibus illis, quæ in præfatis indultis, & literis Apostolicis concessum est, non obstantibus, Datum Tusculi die 17. Octobris anno 1595. Pontificatus nostri anno quarto.* 23

An

24 An autem hoc privilegium ſuffragetur aliis Regularibus propter communicationem privilegiorum, affirmativè videtur reſpondendum. Nam Suarez *lib. 8. de legib. cap. 17. num. 7.* Rodriq. *quæſt. regul. 55. artic. 20. tom. 1.* Portel. *in reſp. mor. tr. 1. diſp. 4. punct. 2. §. 9. n. 5.* ac Hieronym. Rodriq. *in compend. reſol. 65. nu. 2* aſſerunt in celebratione feſtorum locorum habere communicationem privilegiorum. Quod præcipuè locum habeat quoad eos Regulares, qui habent prægnantiſſimam privilegiorum communicationem, gratiarum, conceſſionum, quæ ab Apoſtolica Sede emanarunt, ac in futurum emanabunt. Idque extenditur ad Moniales, quæ profitentur regulam alicujus Ordinis Religioſorum habentium communicationem privilegiorum. Quamvis etiam ſint ſubjectæ Ordinariis, & non Regularibus. Nam juxta earumdem capacitatem gaudent omnibus privilegiis, & facultatibus conceſſis Regularibus ejuſdem Ordinis per ea, quæ tradunt Suarez. *d. lib. 8. c. 10. n. 7.* Rodriq. *qu. regul. 13. art. 22. to. 2.* Bonac. *de legib. qu. 3. pun. 7. §. 2. numer. 1.* Palaus *p. 1. oper. moral. t. 3. diſp. 4. pun. 12. numer. 1.* Tamb. *de jur. Abbatiſſ. diſp. 17. q. 5. to. 1. & de jur. Abb. diſp. item 17.* Dum enim regulam talis fundatoris profitentur, habent ipſum pro fundatore, quamquam ab aliis ſint inſtitutæ.

25 Et quidem per communicationem privilegia fiunt propria Religionis, cui communicantur, tanquam ſi per ſe primò eſſent ipſi conceſſa. Quia eſt communicatio abſoluta, & perfecta, itaut non redundet ex alio in ipſam, ut redundant privilegia Religionis in familiares, mariti in uxorem, ſed poſſint uti ex propria perſona, tamquam ſi nulli alteri eſſent conceſſa. Nam privilegia tali pacto communicata ſe habent, ut privilegia ad inſtar, itaut concedant omnem favorem, & effectum, quem ſecum habet privilegium alteri conceſſum, ut docent Bald. *in l. omnia, C. de Epiſc. & Cler.* Navarr. *in com. de jubil. notab. 26. nu. 2.* Mandoſ. *de privil. ad inſtar q. 2. n. 9.* Rodriq. *to. 2. q. regul. 58. art. 4.* Cordub. *in adnot. ad privil. Mendicant. & privilegiorum communicatio in fine*, Suarez. *d. lib. 8. de legib. cap. 16. num. 15.* Merol. *tom. 3. theolog. moral. diſp. 6. c. 4. dub. 1. num. 9.*

26 His accedit, quod Leo Decimus voluit omnes quatuor Ordines Mendicantium, nempè Prædicatorum, Minorum, Carmelitarum, & Eremitarum Sancti Auguſtini eſſe equales in privilegiis conceſſis, & concedendis, ac proinde motu proprio, & ex certa ſcientia ſtatuit, quod in poſterum privilegia uni Religioni conceſſa, ſint etiam conceſſa alteri, atque adeò inſtituit communem conceſſionem æqualiter reſpicientem hujuſmodi Ordines, ut habetur in Conſtit. decimaoctava ejuſdem Pontificis apud Confectium. Quæ quidem Conſtitutio cùm reſpiciat bonum commune Religionum Mendicantium, & habeat pro fine eas reducere ad æqualitatem quoad participationem gratiarum Sedis Apoſtolicæ, non continet merum privilegium, ſed habet vim legis ordinatæ ad moderationem communitatis, & ad tollendam illam partialitatem affectus Romanorum Pontificum erga hanc, vel illam Religionem, & ad inducendam debitam æqualitatem, ut ſicut Religiones omnes æqualiter inſudant, quælibet juxta propriam regulam pro ſervitio Eccleſiæ, ita etiam æqualiter compotes ſint, ac participes conceſſionum Apoſtolicarum. Ex quo fit, quod dicta Conſtitutio habeat locum quoad omnes Religiones, in quibus militat ratio legis, juxta communem doctrinam per Textum *in l. Illud, ff. ad leg. Aquil. & l. ſi poſtulaverit, §. 2. ff. ad leg. Jul. de adult. & l. a Titio, ff. de furt. & l. Illud, C. de Sacroſ. Eccl.*

27 Conſtatque etiam ex eo, quod perſæpè habent Religiones talem communicationem privilegiorum, & talibus verbis conceptam, ut non ſit mera communicatio, ſed habeat vim novæ conceſſionis ſingulorum privilegiorum in ſpecie. Adeſt enim clauſula. *Quæ omnia, ac ſi de verbo ad verbum inſererentur pro expreſſis, &c.* quæ habet vim ſpecialis, & individuæ expreſſionis, ut tradunt Felin. *in cap. nonnulli in 6. de reſcript.* Cravett. *conſ. 127. nu. 7.* Butr. *conſ. 2. num. 5.* Gemin. *conſ. 65. num. 22.* Caſſador. *dec. 10. nu. 3. & dec. 38. num. 3. ad regul. Cancell.* Sarnen. *ad eaſdem regul. qu. 6. in proœm.* ac Rot. *dec. 466. num. 5. p. 1. rec.* ac ſæpè alibi. Facitque quod omnia habeantur pro expreſſis, non ſecus, ac ſi fuiſſent expreſſa de verbo ad verbum, ut dixit Rota *dec. 407. n. 7. p. 1. rec.* alias *p. 4. & dec. 607. n. 2. p. 1.* apud Farinac. *in poſthumis.*

28 Adſunt quoque verba, *Extendimus, ampliamus, concedimus*, quæ important conceſſionem privilegiorum factam, etiam ipſis. Siquidem extendere, & ampliare importat talem dilationem, qua res extenſa trahatur ſecundum ſe, ac per ſe primò ad illud, ad quod fit extenſio, & operatur quod diſpoſitum in uno ſit æquè diſpoſitum in alio, ut *in cap. fin. in fine, ne Cler. vel. Monach.* Præcipuè ſi adſit etiam verbum *concedimus*. Ex vi etiam ipſius privilegium ſortitur eumdem prorſus effectum, ac ſi de novo concederetur, nulla alia præexiſtente ipſius conceſſione.

Pariter extenſio eſt facta cum clauſula, *Plenarii effectus*, & ideò debet ſortiri illum eundem effectum, quem ſortita eſt prima conceſſio. Nam plenarium eſt illud, cui nulla additio fieri poteſt, ut notant Bald. *conſ. 379.* ac Tuſch. *litt. D. conſ. 330. num. 1.* Non eſſet autem cum plenario effectu, ſi haberet aliquid minus, quàm habeat in ſua conceſſione. 29

Ac præſertim ſi appoſita ſit etiam clauſula, *Æquè principaliter, ac pariformiter, perinde ac ſi, &c.* Ea enim conſtituuntur Regulares, ut principales, participes privilegiorum. Dictio namque, *Æquè* in totum, ac omninò parificat tàm quoad qualitatem, & ſubſtantiam, quàm quoad effectum, *l. invictus in fin. ff. de fideic. liber. in l. Interdum, ff. de hæred. inſtit. & l. Legata inutiliter in fine, ff. de leg. 1.* & notant Corn. *conſ. 75. num. 24. & conſ. 240. n. 4. vol. 1.* Alexand. *conſ. 170. vol. 5.* Gomez *in §. Æquè in 8. Inſtit. de act.* ac Cened. *ſingul. 77. num. 1.* 30

Idemque operatur dictio *Perindè ac*. Quia ponit identitatem totalem, atque omnimodam, itaut quod ſtatuitur circa unum, ſit etiam ſtatutum eodem modo circa aliud, ut docent Bald. *in l. Sed ſi lege, §. Perinde, ff. de petit. hæred.* Felin. *in rubr. de prob.* Aretin. *in l. rem. ff. de acquir. poſſeſſ.* Ac proindè facit, quod conceſſio ita amplietur, ac ſi eſſet una, & eadem facta pluribus Religionibus in earum primordio. 31

At ego cenſeo, hujuſmodi privilegium non ſuffragari aliis Regularibus virtute communicationis privilegiorum. Nam interdicti appoſitio, ejuſque ſublatio eſt jus Ordinariorum in ſignum ſubjectionis Populorum, & ut ipſi poſſint proprias Oves, etiam per cenſuras ad ſibi obediendum cogere. Unde *in d. c. Epiſcoporum de privileg. in 6.* imponuntur pœnæ contra Regulares, qui interdictum non ſervare præſumpſerint, ut hoc jus Ordinariis præſervetur. Ex quo fit, quod privilegium non obſervandi interdictum ſit ſpeciali nota dignum, tanquam illud, quod tangit ea, quæ ſunt reſervata Epiſcopis, in ſignum ſuperioritatis ipſorum, & quæ ſolent excipi in conceſſione aliorum privilegiorum. Privilegia autem, quæ in ſpeciali nota digna non veniunt ſub generali communicatione privilegiorum, argum. *ex §. ſed & quid Inſtit. de jur. natur. gent. & civil. & l. 1. ff. de Conſtit. Princip.* & obſervant Jaſ. *in l. 1. ff. de legat. 1.* Natt. *conſ. 4. nu. 6.* Butr. *conſ. 19. num. 9.* Riminald. jun. *conſ. 46. num. 100.* Rota *dec. 54. numer. 14. par. 2. diverſ. & dec. 114. num. 5. par. 2. recent. ac dec. 4. numer. 1. par. 4.* & coram Buratt. *dec. 704. numer. 13.* & coram Merlino *dec. 855. numer. 6.* 32

Et ex eo etiam, quod hoc jus ſit reſervatum Epiſcopis, fit, quod privilegium contra tale jus ſit ex illis, quæ difficilè, ac rarò conceduntur. Privilegia autem, quæ rarò, & cum difficultate conceduntur, non veniunt ſub generali communicatione, ut tradunt communiter Doctores, nominatim Soccin. *in l. 1. nu. 3. ff. de legat. 1.* ibique Jaſ. *nu. 22.* Ripa *nu. 9.* Alciat. *nu. 4.* & prolequuntur Navarr. *conſ. 13. n. 4. de privileg.* Rot. *in Caurienſi nullius juriſdictionis 15. Januarii 1577.* coram Cantuccio, *& dec. 214. n. 5. p. 2. rec. & dec. 40. n. 1. p. 4.* & coram Pegna *dec. 190. n. 12.* 33

Quinimmò ex eo, quod hujuſmodi privilegium ſit præjudiciale juriſdictioni Epiſcoporum, dum quod eſt ipſis reſervatum in ſignum propriæ juriſdictionis, facit etiam aliis commune, ideòque hoc privilegium non poteſt aliis particeps fieri, niſi in ſpecie, aut concedatur, aut communicetur juxta communem doctrinam, quam perpetuò ſequitur Rota, præſertim *in Valentino decimarum 28. Decembris 1623.* coram Lancellotto, *& in Toletana decimarum 6. Decembis 1605.* coram Juſto, *& in Mediolanenſi decimarum 10. Aprilis 1606.* coram Coccino, *& in Valliſoletana Quartæ funeralis 19. Aprilis 1606.* coram eodem Juſto, & cor. Cavalerio *dec. 101. numer. 3.* paſſimque alibi. 34

Quod verò ad *dict. cap. 12. ſeſſ. 25. de regular.* cùm Doctor Navarrus, ut alibi dixi, editurus ſuum Manuale Confeſſariorum conſuluiſſet Sacram Congregationem, an privilegia Regularium, quibus conceditur eis facultas celebrandi divina in diebus Sanctorum ſuorum Ordinum, & aliquot aliis tempore interdicti, januis clauſis, &c. ſint ſublata per hoc decretum, & per *cap. 22. de Regular. in fine*, dixit Sacra Congregatio, poſſe reſponderi, privilegia conceſſa Regularibus exercendi tempore interdicti cum moderatione, non cenſeri ſublata a Concilio, ſive illa moderatio ſit ſecundùm terminos *cap. final. de ſentent. excommun. in 6.* ſive amplior, dum non eludant ſubſtantiam interdicti. Quia tamen unus Cardinalis diſſentiit propter Sancti Antonini 35

authoritatem, qui *in 3. part. tit. 26. cap. 5. §. 1.* tradit, ſublata privilegiis, videri etiam ſublata eis, quæ cernunt moderationem, Sacra Congregatio denuò, conſiderato loco Sancti Antonini, & viſa informatione Navarri, cenſuit, privilegia Regularium eatenus eſſe in terminis hujus decreti ſublata a Conc. *d.* 22. quatenus continentur in jure communi, quod Concilium præceſſit, nempè *d. c. fin. de ſentent. excomm. & Clem.* 1. *eodem tit.*

36 Cæterùm indirectum nullo modo ſuſtinetur de defectu cauſæ, ut ſi eſſet appoſitum propter homicidium in perſonas particulares, etiam Clericorum, patratum a paucis perſonis particularibus. Quia cùm interdictum ſit ſaltem extenſivè, gravior pœna excommunicatione, ad illud validè apponendum requiritur cauſa graviſſima, alioquin contemneretur, quod eſſe debet nervum Eccleſiaſticæ diſciplinæ, Sayr. *lib.* 5. *cap.* 11. *num.* 2. *ac ſeqq.* Nec etiam culpa graviſſima quarumdam perſonarum particularium tantùm poteſt eſſe cauſa ſufficiens interdicti, Jo: Monach. *in c.* 1. *de uſur. in* 6. Henriq. *in c. in quibuſdam de pœn.* & alii, quos congerit Sayr. *loc. cit.*

37 Ut enim interdici poſſit Univerſitas, requiritur delictum in Principe, vel in alio habente juriſdictionem temporalem, *c. non eſt vobis de ſponſal. & c. ſanè*, ubi Felin. *de offic. deleg.* Vel in magna parte populi, Sayr. *ibid. num.* 8. & 11. Ut autem delictum perſonæ privatæ poſſit eſſe cauſa ſufficiens interdicti generalis, requiritur quod idem delictum redundet in Principem, vel Officiales locorum, tuncque dicitur redundare in perſonas, quando requiſiti de expulſione delinquentium, illos ejicere è Civitate neglexerint, Sayr. *ibid. num.* 12. Secus autem ſi homicidia, vel alia delicta evenerint occaſione bellicæ commotionis, quam non potuerint ſedare Princeps, neque officiales. Quo in caſu tutius eſt recurrere ad orationem publicam, Sacramentorum frequentiam, ſupplicationes, aliaque hujuſmodi, quæ iram Dei placant, & animos hominum emolliunt, quibus omninò adverſatur interdictum, quod minuit divinum cultum, ac devotionem, eſtque occaſio relaxationis in Clericis, qui idcircò pigriores fiunt in exercitatione divinarum rerum, ut ait Pontifex in *c. Alma mater de ſent. excomm. in* 6.

CONSULTATIO II.

An, & quatenus liceat Regularibus habere feneſtras proſpicientes in viam publicam?

1 NOn licèt, niſi tantùm ad lumen. Ita ſtatuit Clemens Octavus Conſtitutione ſua ſub anno milleſimo ſexcenteſimo primo *tom.* 4. *Bullarii.* per hæc verba, *Conventus feneſtræ omnes, quæ in vias publicas, aut in vicinas laicorum ædes proſpiciunt, muro ita obſtruantur, ut omninò is proſpectus impediatur.* Et in alia ſua Conſtit. ſub anno milleſimo ſexcenteſimo quarto §. 60. hunc in modum, *Decretum Sanctiſſimi Domini Noſtri de feneſtris, quæ in vias publicas, aut in vicinas laicorum ædes proſpiciunt, muro obſtruendis, quamprimum exequutioni mandetur. Et ſi lux aliunde non poſſit, &c. ſaltem ita obſtruantur, ſive fixæ aptentur, ut nulla ratione fratres a vicinis videri queant.* Idem ſtatuit Urbanus VIII. die 30. Junii 1625. apud Lezanam *in Summ. q. regul. tom.* 4. *v. Monaſterium num.* 17. his verbis, *Item nec feneſtras in viam publicam proſpicientes efficere poſſint, niſi ad lumen tantùm nullo autem modo ad proſpectum.*

2 Ad id adduci poſſunt S. Script. ſententiæ, quibus habetur mortem intrare per feneſtras, & per oculos animas deprædari. Quare Job 31. fœdus iniit cum oculis ſuis ne de Virgine cogitaret. S. Ugo Epiſcopus annis quinquaginta mulierem non aſpexit, Guid. *in ejus vita.* Quod David non obſervans, ideò adulterium, ac homicidium Uriæ patravit 2. *Reg. c.* 11.

3 Quare contra Regulares id non obſervantes, poteſt ad inſtantiam Partis res hujuſmodi committi locorum Ordinariis, coram quibus, proceſſu inſtructo, reque comprobata, mandari debet ſub pœna interdicti exequutio dictarum Conſtit. non obſtante quacunque inhibitione Auditoris Cameræ, cùm agatur de morum correctione, ac de ſcandalis vitandis.

CONSULTATIO III.

An uxor, quæ obtinuit ab Ordinario ſuo ſententiam ſeparationis thori, ac reſtitutionis ſuæ dotis ob adulterium ſui viri, qui dictam ſententiam accepit, poſſit ingredi Monaſterium Monialium, & in eo profeſſionem emittere abſque eo, quod ejus vir aſſumat alium ſtatum?

AFfirmo. Nam in hunc caſum concurrere videntur 1
omnia requiſita pro licentia neceſſaria, nempè adulterium notorium ex parte viri, quod probatur ex ejus confeſſione in judicio ſuper ſeparatione thori, quæ probat adulterium ad effectum ſeparationis, ut per Ricc. *in praxi deciſ.* 438. *num.* 2. Probatur item ex confeſſione adulteræ, ex depoſitione Teſtium, qui rectè probant, & coadjuvant probationem factam ſuper adulterio, quia deponunt de certa ſcientia, ac de publica voce, & fama. Immò ſola confeſſio judicialis viri ſufficit ad probandum adulterium, per Text. *in c. unic. de adult.* ibique Gloſs. *verſ. confeſſionem*, aliique adducti a Sanchez *de matrim. lib.* 10. *diſp.* 12. *num.* 49. Farinac. *de delict. carn. qu.* 143. *num.* 13. Gutier. item *de matrim. cap.* 129. *num.* 10. & firmavit Rota *in Romana ſeparationis thori* coram Pegna *dec.* 193. *num.* 1. *ac ſeqq.*

Ex hoc autem adulterio adulter omne jus conjugale 2
remiſit, & libera remanſit uxor innocens ab obſequiis maritalibus, & conſequenter ab obſtaculo ingreſſus in Religionem, etiam invito ejus viro, *cap. veniens de converſ. conjug. & can. Agathoſa* 27. *d.* 2. & tradunt Innoc. *in d. c. Conſtitutus*, ubi ait, licitè potuiſſe Ordines Sacros, ſuſcipere, ac Monaſterium ingredi, cùm uxor commiſerit adulterium, Oſtienſ. *ibidem numer.* 1. *& in d. cap. veniens in* 8. ubi ſequitur Jo: Andr. *num.* 3. qui ait, Maritus adulteræ, ipſa invita, poteſt fieri Monachus. Nam jura, quæ videntur adverſari, ut *c. Cum ſis præditus, de conv. conjug.* aliaque hujuſmodi loquuntur de voluntariè voventibus, & quando in pœnam alter non privatur jure ſuo, ut per Panorm. *in dict. c. Conſtitutus num.* 4. *ac* 5. Sylveſt. *in Summ. v. divortium n.* 76. Navar. *conſ.* 7. *tit. de converſ. conjug.* Guttier. *can. qu. lib.* 1. *c.* 25. *num.* 3. *& ſeqq.* Sanchez *d. lib.* 10. *diſp.* 10. *num.* 15. *ac diſp.* 11. *n.* 2. *ac ſeqq.* ubi aſſerit in id omnes convenire, ac proſequitur Gratian. *diſcept.* 102. *n.* 24. *& ſeqq.* pluresque ex iis loquuntur, ſive adulterium commiſſum fuerit a viro, ſive ab uxore.

Etenim adulterium ſufficit pro ſeparatione thori, *can.* 3
dicit Dominus 32. *quæſt.* 1. Gloſs. *in cap.* 1. *v. violata in fin. de adult.* Rot. *in Biſuntina ſeparationis thori* 11. *Februarii* 1498. coram Juſto, *& in Romana ſeparationis thori* 8. *Martii* 1603. coram Pegna, Sanchez *dict. lib.* 10. *diſp.* 11. *n.* 2. *& ſeqq.* aliique innumeri.

Concurrit ſententia ſuper ſeparatione thori, prævio 4
etiam conſenſu ejuſdem viri promulgata, in qua ingrediendi Monaſterium conceditur licentia, cumque innitantur conſenſu mariti, eſt omninò exequutioni demandanda ex pluribus allegatis a Gratian *diſcept.* 959. *n.* 7.

Facitque ad rem, quod ſententia fuit a viro accepta, & 5
cum authoritate Ordinarii exequutioni demandata quoad reſtitutionem dotis, & quoad alimenta. Unde exequutio incœpta, terminari debet, niſi ſuperveniat cauſa urgentiſſima; quæ in hoc caſu deſideratur.

Neque obſtare videtur, quod hæc licentia non ſit con- 6
cedenda uxori, niſi ejus vir mutet ſtatum ex *c. ſanè, c. Cùm ſit, c. ſignificavit de conv. conjug.* Nam iſta, & ſimilia procedunt, quando res eſt integra, ut ſi matrimonium non fuiſſet ſeparatum ex cauſa legitima. Eo enim caſu non poteſt deveniri ad ſeparationem thori, niſi conjuges mutent ſtatum, ſecus autem, quando alter ex conjugibus patraverit adulterium notorium, & ſcandalum, ac deſuper emanaverit ſententia definitiva ex parte exequutioni demandata. Hoc enim caſu uxor innocens ob adulterium ſui viri remanſit libera, ut dixi, a debito conjugali, poteſtque abſque eo, quod maritus adulter mutet ſtatum, ingredi Religionem, ut cavetur *in d. c. Conſtitutus, & c. veniens, & d. can. Agathoſa*, aliàs eſſet in poteſtate adulteri revocare, ac ſuſpendere effectum ſeparationis, & ex pœna adulterii conſequi favorem in odium innocentis, cumque ipſe præſtiterit conſenſum ſeparationi, & acceptaverit ſententiam, eamque ex parte exequutus fuerit, videtur renunciaſſe ſuo favori, ac reconciliationi ex traditis a Sanch. *d. lib.* 10. *diſp.* 10. *num.* 15.

Quæ omnia faciliùs admittenda ſunt, ſi vir eſſet ſal- 7
tem annorum ſexaginta, itaut ratione ætatis, ac etiam imbecillis conſtitutionis corporis ceſſaret ſuſpicio, ſive periculum incontinentiæ, quo in caſu aſſerunt Doctores ferè omnes *in d. c. Cùm ſis præditus*, quod uxor poſſit

ingre-

ingredi Monasterium, ibique professionem emittere, viro remanente in seculo, & posita separatione thori possit uxor id etiam facere sine ejus consensu, ut tradunt Doctores *in d. c. Cùm sis præditus*, & præ cæteris Ancharanus, & Zabarella.

8 Minus obstat, si dicatur posse dubitari de suspicione incontinentiæ viri, non obstante dicta ætate. At cùm concurrat ætas, imbecillitas corporis, ejusque mala constitutio, poterit super hoc fides adhiberi Ordinario. Nec esse enim est dari casum, in quo locum habeat Textus *in d. c. Cùm sis præditus*, ex ratione in eo expressa, *ubi cessat suspicio incontinentiæ*. Cumque id constitat in facto ex ætate, & qualitate subjecti, poterit profectò super hoc haberi veritas, cùm aliter nunquam haberet locum ejusdem Textus dispositio.

9 Pariter non obstat, quod sententia separationis ferri potuerit, data opera utriusque conjugis. Nam hoc esset in fraudem legis, ideòque non esset præsumendum, sed præsumitur pro justitia sententiæ. An autem sententia sit justa, poterit Ordinarius processum transmittere. Data enim justitia sententiæ, res caret difficultate ex capite separationis.

10 Nec similiter obstat; quod stante separatione, possint conjuges redire in gratiam, & amoris reconciliationem mutuo consensu. Id equidem admitto, sed necesse est etiam admitti, quod non possunt ad id cogi. Necesse est etiam admitti, quod stante dicta separatione, potest uxor ingredi Monasterium, ibique professionem emittere, ut docent iidem Doctores, atque adeò quod possint agere utrumque.

11 Et quamvis citati Doctores loquantur in casu, in quo sit sequuta separatio ex causa adulterii, attamen hæc causa non potest esse, loquendo in genere tantùm ex parte uxoris, sed etiam ex parte viri, qui tribus modis committere potest adulterium. Primò, quando habet rem carnalem cum nupta. Deindè, si vir conjugatus cognoscit mulierem solutam. Postremò, si vir solutus cognoscit mulierem nuptam, ut per Clar. *in §. adulterium n.* 2. Doctores autem superiùs adducti loquuntur de separatione sive causa procedat ex parte uxoris, sive ex parte viri. In hoc autem casu potest esse, quod concurrat ex parte viri aliquod ex prædictis adulteriis, cùm fuerit condemnatus in dicta sententia ad dotis restitutionem quandoquidem sola confessione viri probatur adulterium ad effectum separationis, ut per Glossam magistralem *in v. vel nisi c.* 1. 32. *q.* 1. *c. ex litteris*, ibiq; Glos. *v. quærit de diuort. c. intelleximus*, ibiq; Abbas *n.* 3. & 4. Covar. *p.* 2. *c.* 7. §. 5. *n* 12. Natt. *conf.* 22. *n.* 1. Rota *p.* 4. *divers. dec.* 751. aliique.

12 Probatur item adulterium ex sententia, ut per d. Glos. *in allegato can.* 1. *v. nisi ipsa convicta sit per sententiam*, Glos. *in c. fin. de adul.* Natt. *conf.* 116. *lib.* 1. & Grat. *disc.* 102. *n.* 25.

13 Nec obstaret, quod in sententia non comprobetur adulterium, sed tantùm declaretur esse locum separationi, ac licere uxori seorsum vivere a suo viro. Quia cùm sententia emanaverit in exequutionem probationum, & ideò subsequitur acta, & probationes factas; nam sententia habet relationem ad acta, & ab illis recipit interpretationem, cumq; probationes factæ probent adulterium; utiq; sententia dicitur comprobare adulterium, alioquin sententia nullam subsistentiam haberet, neque justificationem, essetque ab actis, & a probationibus contra omnem regulam. Quod nullatenus videtur dicendum.

14 Idque adverto, quod adulterium est difficilis probationis, ideòque leviores probationes admittuntur, satisque sunt testes singulares, ut per Mascard. *conclus.* 59. & 65. & familiares, Alexand. *conf.* 77. *in fin. lib.* 4. ibique alii, ac socius criminis, Castr. *conf.* 349. *lib.* 1. Quod si agatur de adulterio continuo viri nobili, vel magnatis reputatur publicum, & notorium.

CONSULTATIO IV.

De variis suspicionibus, ex quibus Episcopus censeatur inimicus suæ Civitatis, quodque ideò recusari possit.

1 ET quidem ex eo, quod Episcopus more majorum certiorem non reddiderit Civitatem de sua promotione ad Episcopatum, quinimmò salutatus ab ea per literas congratulationis, noluerit ei salutationem reddere, illamque ingressus non admiserit Syndicum, vel Magistratum ad solita obsequia exhibendum, utique declaravit se Civitatis inimicum ex Grat. *disc.* 284. *n.* 26. Guazzin. *defen.* 1. *c.* 21. *nu.* 37. Farinac. *in fragm. p.* 2. *v. Judex n.* 821. Baron. *de effect. inimic. in prælud. n.* 112. Giurb. *conf.* 38. *n.* 20. ac Rota. *dec.* 643. *p.* 2. *rec. n.* 1. Attenta præcipuè causa inimicitiæ præcedente, Masc. *de probat. lib.* 2. *concl.* 857. Crescent. *dec.* 3. *alias* 271. *n.* 2. & 5. *sub tit. de test.* Farin. *q.* 53. *n.* 1. & 27. ac minis contra eadem Civitatem prolatis de se vindicando in omni occasione, Farin. *in fragm. n.* 870. *p.* 2. & Guazzin. *loc. cit. nu.* 30. Ideòque justè illum poterit Civitas recusare, ac jurare suspectum, proponendo formiter capita suspicionum in petitionem arbitrorum, & appellatione ab ulterioribus, ut aliàs servatum refert Rota coram Merlino *dec.* 562. *n.* 1.

Nam etiam Episcopus, & Archiepiscopus recusari po- 2
test, ut per Farinac. *in fragm. p.* 2. *v. Judex nu.* 750. Garz. *defens.* 1. *c.* 19. *n.* 22. Giurb. *obser.* 68. *nu.* 17. Merlin. *loc. cit. num.* 1. 15. *ac seqq.* Et quia suspicio provenit ex capite inimicitiæ, credi debet, quod minas sit exequuturus. Constat enim ex Tullio *lib.* 4. *Tusc. qu.* Inimicitiam iram esse ulciscendi, tempus observans. Quod prosequuntur Lucas de Penna *in l. unica, C. si propter inimicitiam elect. fact. sit lib.* 10. & alii apud Baron. *loco alleg. nu.* 3.

Ex eo etiam, quod Episcopus præceperit Concionato- 3
ri Cathedralis, ne in concione tribuat Civitati titulum Illustrissimæ ab immemorabili tempore ei tributum, & ab Antecessoribus Episcopis, ipsisq; præsentibus permissum, omnique jure debitum ob Viros Principes, Marchiones, Barones, ex quibus Civitas constat. Quare honorandi sunt hoc titulo, ut per Cas. *in Catal. glor. mund. p.* 8. *consid.* 6. & 15.

Si Episcopus emiserit decretum de dote Monialium in- 4
vestienda periculo dotantium. Id enim non solùm repugnat antiquæ, & immemorabili observationi, sed rationi, & æquitati, adeòut attribui non possit, nisi suspicioni, & inimicitiæ; Siquidem præcipit solvi dotes in pecunia numerata, illamque esse prius investiendam, suspensa interim professione, donec investiatur. Quod si dos assignetur in bonis stabilibus, atque adeò investiatur, rejicit admissionem, & jubet investimentum fieri periculo dotantium. Hoc enim injustum est. Nam dos, aut solvenda est in pecunia numerata, ut declaratum refert a S. Congregatione Aldanus *in compend. Canon. resc. tit.* 10. *num.* 2. & solutione, sive depositione pecuniæ debitæ obligatio debet extingui, nec de faciendo investimentum suo periculo debent obligari dotantes, ex adductis ab Aldano *dict. titul.* 10. *in* 23. ubi quod debet fieri depositum dotis, sive eleemosynæ pro puella Monachanda, solvendum ad omne mandatum Monialium. Facto igitur depositio liberari debent dotantes.

Aut Monasterium pretendit pecuniam investitam, & 5
recusare non debet bona stabilia. Quia tunc dos traditur investita.

Etenim dotes Monialium acceptari debent in pecunia, 6
quemadmodum tradit Tamb. *de jur. Abb. disp.* 5. *q.* 7. *n.* 7. qui *q.* 2. *n.* 4. ait, in constituenda dote attendendam esse locorum consuetudinem, & professionem faciendam tempore statuto a Conc. Trid. *sess.* 25. *de Reg & Monial. c.* 15. absq; eo, quod expectentur investimenta dotium, quæ dantur in pecunia, cùm professio retardari nequeat nisi justa de causa, ut si dos esset incompetens, si Monialis non esset benè instituta, & ex aliis hujusmodi, ut per Lezan. *in Sum qu. regul. c.* 14. *n.* 41.

Ex his, aliisque suspicionum capitibus resultare videtur 7
inimicitia inter Episcopum, & Civitatem. Comperta autem inimicitia inter Pastorem, & Oves, custodia non est secura, ut probat textus *in can. quod suspecti* 3. *q.* 5. Fontanell. *dec.* 1. *n.* 1. & *seqq.* Guazzin. *defens.* 1. *c.* 19. *n.* 1. & *seqq.* & *observ.* 95. *n.* 6. ex Baron. *de effect. inimic. effect.* 38. *n.* 3. ubi quod inimicitia est justa causa extrahendi subditum a jurisdictione inimici, & tradit Capoblan. *de actor. Baron. c.* 13. *num.* 12. ac fusius Giurb. *conf.* 66. *num.* 28.

CONSULTATIO V.

An sit valida consuetudo, etiam immemorabilis, qua deputati seculares Civitatis ingrediuntur Monasterium Monialum sine licentia Episcopi, prætextu associandi Medicos, Chirurgos, aliosve ingredientes Monasterium?

AFfirmandum videtur. Cùm enim Civitas ab imme- 1
morabili, & a fundatione Monasterii consueverit in electione Magistratus deputatos hujusmodi eligere, si modò prohiberentur Monasterium ingredi, scandalum profectò oriretur. Undè cùm id appareat injustum ex eo solùm quòd contra observationem immemorabilem innovetur ex Rota *dec.* 150. *num.* 4. *p.* 5. *rec. tom.* 2. Giurb. *observat.* 71. *numero* 2. ac de Marin. *lib.* 2. *var. cap.* 13. & per omnes Episcopos antecessores hujusmodi

associatio fuerit laudata, manifestè ostenditur, id ex odio procedere, non autem ex zelo clausuræ Monialium.

2 Accedit, quod hæc observatio immutari non potest, etiamsi jus ei resisteret. Nam censetur concessa ex privilegio speciali, ad quod probandum non est aliud necessarium, quàm allegare ipsam immemorabilem, ut docent de Marinis, & alii superiùs adducti. Eòque magis substinenda est, dum salutaris comprobatur, ac principiis juris, & rationis convenit. Etenim Medicus, & Chirurgus, ingredientes Monasterium necessitatis causa debent associari a duobus sociis ex familia Monasterii, qui a Medico, vel Chirurgo non separentur, ut asserunt Campanil *l. in div. jur. canon. rubr.* 15. *c.* 16. *n.* 27. Miranda *de Sacr. Monial. q.* 2. *art.* 7. *concl. unic. v. quintus casus*. Barb. *allegat.* 102. *n.* 52. & *seq.* & in Conc. Trid. *c.* 5. *sess.* 25. *n.* 94. Thomas Delbene *de immun. Eccles. to.* 2. *c.* 9. *dub.* 40. *n.* 9. qui vult in associatione harum personarum observari consuetudinem, & statum Monasterii. Et quod licentia Medicis, & Chirurgis de trimestri in trimestrem renovari debeat ab Episcopo, ut declaravit S. Cong. super Regularibus *in Camertina* 27. *Martii* 1588. & refert Selell. *in select. can. c.* 18. *nu.* 28. ac Delbene *d. c.* 19. *dub.* 4. *nu.* 10. Additque item Delbene, associationem hujusmodi fieri debere non solùm per Religiosos viros, sed etiam per seculares, religiosis moribus, & christiana pietate conspicuos. Idemque habet Tamb. *de jur Abbatiss. disp.* 24. *q.* 10. *nu.* 4.

3 Et quamvis ex recentioribus S. Congregationis decretis associari debeat Medicus, & Chirurgus a duobus Monialibus ad id deputatis, huic tamen immemorabili, & salubri observationi non censetur derogatum, ut per Gabr. *de claus. concl.* 3. *nu.* 42. Rot. *dec.* 614. *n.* 1. *p.* 2. *rec.* & *dec.* 642. *n.* 3. *pa.* 4. *div.* Eòque potissimum, quia S. Congr. super Regularibus tota quidem intenta est ad evitanda scandala, cùmque ex antiquissima ista observatione nullum scandalum intercesserit, approbari debet, quia finis, & intentio legis per eam obtinetur Hinc S. Congr. super Episcopis, & Regularibus scripsit Episcopo Venusino, Regni Neapolitani Visitatori Apostolico, ne super hac re innovaret.

4 At nihilominus negativè respondendum est. Id enim prohibet. Sacr. Conc. Trident. *c.* 5. *sess.* 25. *de regul.* Constitutio Gregori Decimitertii, quæ incipit, *Ubi gratiæ*, edita anno millesimo quingentesimo septuagesimo quinto Idibus Julii, & firmant Rodriquez *to.* 1. *qu. regul.* 47. *art.* 1. Barbos. *in collect. ad d. locum Concilii nu.* 58. & *de potest. Episp. p.* 3. *allegat.* 102. *num.* 52. Navar. *in Summ. Bullar. ad Bullam Pauli Quinti num.* 2. & *seqq.* Diana *in Sum. v. Ingredi Monasteria*, ubi in specie de Medico, qui debet ingredi solus absque practico famulo, vel alia persona, Ventrigl. *in prax. p.* 1. *de clausur. Monial. adnot.* 5. omnesque communiter. Et quod hæc associatio solùm fieri debeat cum tribus, aut quatuor Monialibus antiquioribus, ait Rodriquez *loc. cit. art.* 4. Barbos. *dict. alleg.* 102. *num.* 52. Campanil. *in diuers. jur. canon. rubr.* 11. *cap.* 16. *num.* 17. qui adducunt Constitutionem Sixti Quarti revocatoriam Constitutionis Urbani Quarti, quæ permittebat associationem cum duobus de familia Monasterii.

5 Quod verò ad consuetudinem satis est respondere, illam esse contra dispositionem S. Conc. Trid. adversus quam si non valet privilegium Apostolicum, in quo expressè non derogetur dispositioni Concilii, multò minus valebit consuetudo, quæ non habet consensum Summi Pontificis, ut per Fagnan. *in p.* 1. *Decretal. cap. quando de consuet. num.* 42. & *seqq.* & *in lib.* 2. *c. si quis de foro comp. nu.* 65. *ac seqq.* Sicuti nec quidem adversus Constitutiones Apostolicas, quæ continent decretum irritans, ut est Constitutio Greg. Decimitertii, quod inficit possessionem, ac imponit ipso facto pœnam excommunicationis, Fagnan. *in.* 2. *decretal. c. cùm venissent de judic. n.* 60. Diana *p.* 1. *tr.* 1. *res.* 29. Sperell. *tom.* 2. *dec.* 97. *n.* 34. Quinimmò hæc consuetudo extirpari debet, tanquam illicita, & perniciosa corruptela nutritiva peccati, ut per Doctores *in cap. consuetudo de consuet.* & *in cap. quisquis de elect.* ac utrobique Fagnanus. Quare tenendum est, quod volentes ingredi Monasteria ex aliqua causa, quantumlibet necessaria, debent licentiam ab Episcopo petere, qui illam in casibus necessariis concedere debet.

CONSULTATIO VI.

Cuinam debeatur præcedentia ratione antianitatis, Moniali ne, quæ professionem prius emiserat, non completo anno probationis ex dispensatione Summi Pontificis, an Moniali postea professæ, ex quo ipsa naturaliter annum probationis antea compleverit?

DEberi hujusmodi Moniali prius professæ, censeo 1
respondendum, eique deneganda non est manutentio, si docuerit de sua quasi possessione anteriori in stallo, & capitulo, accedente præcipuè consuetudine, quod prima professa præcedat, quæ in hoc attenditur, etiamsi in contrarium jus assisteret, Rota apud. Post. *de manutent. decis.* 299. *num.* 1. & *seqq. ac dec.* 372. *num.* 3. *in fin. p.* 3. *rec.*

Quoniam antianitas incipit a die solemnis professio- 2
nis tàm inspecta consuetudine Monasterii, quæ sola sufficit, Rota *dec.* 214. *num.* 4. & 24. *to.* 2. *p.* 4. *rec.* quàm dispositione juris communis, Burat. *dec.* 868. *num.* 2. Nam ante emissam professionem Novitia non efficitur filia Monasterii, neque est de corpore Monasterii, *cap. porrectum de regul.* Bart. & alii *in auth. si qua mulier*, ubi Jas. *num.* 19. *C. de Sacrof. Eccl.* Honded. *cons.* 94. *num.* 5. *lib.* 1. Soccin. jun. *cons.* 48. *num.* 21. *lib.* 4. ac proinde cùm hæc Monialis fuerit prius effecta filia, quàm alia, & quidem legitimè, cùm inter habilem ex dispensatione, & habilem naturaliter nulla admittitur differentia, Otthobon. *dec.* 187. *nu.* 12. naturæ, ac rationi consonum non videtur, quod secundogenita præcedat.

Neque ad hunc effectum suffragatur anterior Novi- 3
tiatus. Quia professio non potest retrotrahi ad tempus ingressus, quo talis professio erat prohibita juxta ea, quæ adnotat Gloss. *in l. talis scriptura*, *§. fin. ff. de legat.* 1. & in terminis Paul. de Castr. *cons.* 432. *num.* 4. *lib.* 1. ubi ad rem plura, & legem non fingere, nec retrotrahi ad id, quod esset contra jus de veriori sententia testatur Lamberteng. *de contract. gloss.* 2. *num.* 76. Gregorius Decimusquintus *dec.* 227. *num.* 4. Rota *dec.* 275. *num.* 1. *p.* 2. *rec.*

Hinc non obstat regula de jure quæsito non tollen- 4
do. Quippè cùm novitia nullum habeat jus in re radicatum, minusque ad rem, sed conditionale dumtaxat, & casuale, quia potest ante professionem egredi, è Monasterio, mortem obire, a Monialibus non recipi, nec statim completo novitiatu ad professionem admitti. Jus autem casuale cadere non potest sub regula de jure quæsito, cùm conditio nihil ponat in esse, donec purificata non fuerit, & habenda est interim, ac si non esset juxtà regulam, de qua *in l. cedere diem*, *ff. de verbor. signif.* Quodque hoc sit jus tantùm conditionale, est textus *in c. super eo*, *c. significatum*, *c. statuimus in regular. in* 6. & ita tradunt Dec. *in auth. ingressi num.* 4. *C. de Sacrof. Eccles.* & Sanchez *in decalog. tom.* 1. *lib.* 4. *c.* 39. *nu.* 20. & *tom.* 2. *lib.* 6. *c.* 10. *nu.* 21.

Et in specie quod regula de jure quæsito præservet 5
jus in re, & saltem jus ad rem proximum, licèt in hoc sit controversia, & Rota senserit contrarium apud Caputaq. *dec.* 337. *n.* 4. & 6. *p.* 1. *rec. ac dec.* 174. *n.* 8. *eadem p.* 1. ubi de jure tantùm pleno, & judicato, prout loquitur regula de jure quæsito, sed nunquam conditionale, asserunt Cassador. *super regula dec.* 24. Gomes. *super eadem regula qu.* 1. *post num.* 5. Rot. coram Mantic. *dec.* 30. *n.* 8. Achill. *dec.* 4. *de præbend. n.* 17. *in fine*, & pro regula generali firmavit Rota *dec.* 730. *n.* 4. *p.* 3. *rec.* Sicuti dicimus in fortioribus, quod in materia jurispatronatus præsentatus ante acceptationem nullum habeat jus, neque impetrans beneficium tenetur id exprimere tanquam non considerabile, ut per Mohed. *dec.* 1. & 39. *de præbend.* ac Seraph. *dec.* 1091. *n.* 2.

Minus obstare potest, si dicatur, quod gratia fuerit 6
subreptitia. Nam hæc objectio influerit etiam in nullitatem professionis. Cùm autem professio fuerit legitimè emissa, prævia verificatione Brevis super dispensatione, Ordinario directi cum clausula solita, *si tibi constiterit*, per quam Ordinarius non potuisset procedere, nisi præmissa extrajudiciali informatione veritatis causæ, ideò pro Judice semper præsumitur, Innoc. *in c. quoniam de prob.* Burat. *dec.* 622. *n.* 2. & satis est, si Ordinarius dixisset, quod in reliquis adimpleta sunt alia requisita necessaria. Quæ attestatio indirectè importat causæ cognitionem, ut in specie Rota *dec.* 103. *n.* 6. *p.* 3. *rec.* In his enim rebus non fit processus, sed præcedit extrajudicialis informatio, quæ de jure sufficiens reputatur, etiam ubi requiritur cognitio causæ, Rota *dec.* 345. *n.* 4. *p.* 4. *rec.*

CONSULTATIO VII.

1 Pius Teſtator Antonius ita diſpoſuit. *Item volens ſuprad. D. Teſtator, & mandans quod ſi dictum Monaſterium non conſtruatur in dictis domibus Sancti Petri, conſtruatur in domibus ipſius Teſtatoris, & habeat, & habere debeat bona omnia ipſius Teſtatoris, demptis legatis infraſcriptis, poſt mortem tamen D. Cæſaris hæredis infraſcripti, juſſit, voluit, & mandavit, quod infraſcriptus Cæſar, ejus filius, & qui ab eo fuerit conſtitutus perpetuò, ſemper, & futuris temporibus habeat, & habeant jus eligendi unam monialem, & conſtituendi in dicto Monaſterio pauperem, & honeſtæ vitæ, quæ admittatur, & de ipſa facta nominatione, & electione cenſeatur admiſſa in Monaſterio Monialium, & Moniales teneantur recipere ſine aliqua dote, aliàs Monaſterium in caſu non paritionis dictæ ejus voluntati, cadat a legatis prædictis.*

2 *Idem Cæſar hæres in Codicillis factis diſpoſuit, quod electio, & jus poſt ſuam mortem eligendi unam Monialem in Monaſterio ſupradicto juxtà tenorem Teſtamenti Antonii quandocunque ſuccederet mors, ſive caſus Monialis, competat Franciſco, & ejus hæredibus, & ſucceſſoribus ſubſtitutis ab eo in infinitum.*

3 *Dubitatur modò, an ex eo, quod idem Cæſar anno ſubſequenti donaverit præfato Monaſterio omnia, & quæcunque bona ſtabilia (ſunt verba donationis) ipſius Domini Donatoris ubicunque ſita, & exiſtentia, reſervato ſibi uſufructu, & addicto poſt multa, etiam uſusfructus, eo mortuo iret ad Monaſterium unà cum prædictis bonis ſtabilibus, ut ſupra donatis, ac juribus, & nominibus ut ſupra donatis, ac juribus, nominibis, & actionibus quibuſcunque ipſius Domini Donatoris.*

4 Dubitatur inquam, *an ex hac donatione bonorum propriorum Cæſaris ſit revocata nominatio antecedenter facta in Condicillis de perſonis Franciſci, ac ejus deſcendentium?*

5 AFfirmativè videtur reſpondendum. Nam cùm dictus Cæſar inſtitutus hæres univerſalis habeat ex prælegato jus nominandi, ac eligendi Monialem in Monaſterio, quod ſupradictus Teſtator ex ſuis bonis juſſerat, ſequitur, quod fuerit hujuſmodi jus effectum proprium, ac liberum ejuſdem Cæſaris, tranſmiſibile ad quoſcunque, nec retinuerit amplius qualitatem Teſtatoris juxta receptiſſimam concluſionem, quod ſtatim ac aditur hæreditas, bona omnia, & jura defuncti, efficiuntur propria hæredis, & amittunt penitus priſtinam naturam, conſideranturque quoad tranſmiſibilitatem, uti propria, nullo habito reſpectu ad illorum acquiſitionis originem, ut probant Fab. de Anna *conſ.* 45. *num.* 73. Corn. *conſ.* 97. *num.* 9. *lib.* 1. & *conſil.* 305. *num.* 6. *lib.* 4. Laderch. *conſ.* 37. *num.* 8. Eugen. *conſ.* 83. *n.* 31. *lib.* 1. ac Rota *dec.* 321. *numer.* 17. *part.* 5. *rec.* & *in Leodienſi Juſceſſionis* 14. *Junii* 1952. *ſub. initio* coram Cerro, & 26. *Junii* 1658. *§. Certa eſt enim* coram Bevilaqua.

6 Nec dubitari poteſt, quin hoc jus nominandi eſſet ad quoſcunque tranſmiſibile, poſtquam ab eodem Cæſare fuit expreſsè acceptatum per nominationem factam de Franciſco. Tum quia fuit ita expreſsè relictum, ut ſcilicet tàm Cæſar legatarius, quàm is, qui ab eo fuiſſet inſtitutus, perpetuò illud haberet. Tum quia hæc eſt natura juris nominandi, quando non competit nomine Teſtatoris, ſed proprio, ſuitque acquiſitum titulo legati juxta diſtinctionem Cyni, relatum a Bartolo *in l. Illud num.* 4. *ff. de opt. legat* & quam in hac ſpecie firmavit Rota *in Romana juris nominandi* 10. *Feb.* 1640. *§. nec obſtat* coram Tarraconenſi per hæc verba. Nec obſtat, quod jus, ſeu facultas nominandi cenſeatur perſonalis, ac propterea non tranſeat ad hæredes, prout diximus de facultate conceſſa per Teſtatorem alicui nominandi hæredem, vel legatarium, illam cum perſona expirare, ut firmat text. *in l. unum de familia, §. rogo,* & *l. Si quis Titio, §. fin. ff. de legat.* 2. *l. fin. §. ſed ſi quis, C. commun. de legat.* 9. ex illa ratione, quod qui jus eligendi alicui confidit, non cenſeatur confidiſſe de ejus hærede.

7 Quia reſpondebant Domini, hanc facultatem eſſe tranſitoriam ad hæredes, cùm jus iſtud eligendi, ſive nominandi non competat Marino nomine Catonis Teſtatoris, ſed nomine proprio, cùm acquiſiverit titulo legati, quo caſu tranſit ad hæredes Marini, quæ diſtinctio eſt Cyni relata a Bartolo *in l. Illud n.* 1. *ff. de opt. legat.* Molin. *de primog. lib.* 2. *c.* 4. *n.* 62. Noal. *in tract. de tranſm. caſ.* 37. *n.* 2. & 18.

8 Ad cognoſcendum autem, an jus nominandi competat Marino nomine ſuo, an alieno, recurrendum eſt ad theoricam Bartoli *in l.* 2. *§. Data, ff. de opt. legat.* ubi competere dicitur nomine alieno, ſi ipſe Teſtator elegiſſet, mediante perſona alterius, puta ſi dixiſſet, eligo eum in Capellanum, quem Marinus nominaverit, quo caſu Marinus nominaret nomine alieno, & diceretur nudus miniſter. Si verò ſimpliciter fuerit demandata nominatio prout factum fuit, tunc competit nomine proprio, & tranſmittitur ad hæredes nominantes. Ita Bartolus *conſ.* 23. *n.* 21. *lib.* 2. Crot. *conſ.* 11. *n.* 83. & Surd. *conſ.* 262. *n.* 12. Hæc Rota.

Poſito autem quod Cæſar poſſit ad libitum de hoc 9
jure nominandi Monialem, tanquam de re propria diſponere, videndum ſolùm teſtat ad cujus favorem diſpoſuerit, & quæ diſpoſitio prævalere debeat, an ſcilicet prima, quæ ſpecialiter hoc jus titulo legati tribuit Franciſco, ejuſque ſucceſſoribus, an verò ultima generalis, omnia jura comprehendens, reſervata ſolùm quadam pecuniarum ſumma ad effectum teſtandi; facta titulo donationis irrevocabilis inter vivos ad favorem ejuſdem Monaſterii jam erecti?

Et pro Monaſterio reſolvendum videtur. Siquidem le- 10
gatum, etiam rei particularis, per ſubſequentem donationem generalem omnium bonorum, ademptum, & revocatum intelligitur, Natt. *conſ.* 613. *nu.* 1. *cum ſeqq.* Mantic. *de conject. ult. volunt. lib.* 12. *tit.* 6. *n.* 8.

Non obſtat, quod hæc donatio, veluti reſtricta ad 11
jura propria, non comprehendat iſtud, quod non erat proprium, ſed proveniebat ex Teſtamento Antonii. Quoniam, ut diximus, fuerat hoc jus per acceptationem legatarii effectum proprium, propterea ſine dubio venire debeat ſub quacunque univerſali diſpoſitione, ſtante præſertim libera facultate diſponendi. Nec authoritates, quæ adduci poſſunt in contrarium procedunt, niſi ubi non adſit hæc libera facultas, puta ſi bona relicta fuiſſent cum gravamine reſtituendi. Tunc enim tàm ex poteſtatis, quàm ex voluntatis defectu non veniunt ſub univerſali diſpoſitione quemadmodum ſcitè diſtinguendo, ac declarando rem hanc, fuit dictum *in d.* 219. *numer. ult. p.* 4. *diverſ.* & *in Foroſempronien. emphyteuſis* 28. *Novembris* 1631. *§. Demum*, & *in Cæſenatenſi emphyteuſis* 11. *Decemb.* 1635. *§. Contrariam* coram Merlino inter impreſſas *dec.* 532. *n.* 23. & *dec.* 655. *n.* 44.

Præterea certa eſt diſtinctio inter jus nominandi, & 12
diſponendi Teſtatoris unum de certis, vel unum de incertis. In primo caſu verum eſt, quod ex neceſſitate nominationis nominatus habet jus a primo Teſtatore, & nominans cenſetur nudus miniſter, ac exequutor, ideoque nominatione non facta, omnes ex illo ordine, vel familia petere poſſunt. Et in his terminis loquitur textus *in l. unum. ex familia, ff. de legat*, 2. ubi electio erat facienda de familia Teſtatoris. In ſecundo caſu, quando ſcilicet facultas nominandi data eſt libera, vel indefinita abſque coarctatione ad aliquod genus, ſive ordinem perſonarum, ille in quem fit diſpoſitio, dicitur recognoſcere a facultatario, de cujus bonis, ſive juribus dicuntur ea, de quibus eſt diſpoſitum, ut perſpicuè inter unum, & alium caſum diſtinguendo dixit Rota *in Romana dotis* 15. *Junii* 1643. & 10. *Decembris* 1644. coram Decano, quæ ſunt impreſſæ *part.* 9. *rec. deciſ.* 205. *num.* 5. & *deciſ.* 319. *num.* 6. *ac.* 7. ubi ad id additur Surd. *conſ.* 29. *num.* 18. qui reſpondet *ad conſ.* 11. Crotii. Eademque diſtinctio comprobatur *in Romana Cenſus, ſive Salviani* 27. *Junii* 1633. *§. Cumque* coram Bichio, & *in Romana Emphyteuſis* 29. *Novembris eodem anno* coram Veroſpio.

Nos autem verſamur in hoc ſecundo caſu, dum in 13
Teſtamento Antonii ſolùm dicitur, quod Cæſar, & poſt ejus mortem, qui ab eo fuerit conſtitutus, habeat hoc jus eligendi. Unde abſque dubio eſt in hæreditate ipſius Cæſaris, & ab eo potuit ad favorem cujuſcunque perſonæ, tanquam de re propria diſponi, ut dixit Rota *dec.* 62. *num.* 8. & 9. poſt Merlinum *de legitim.* & ſuſtinetur gravamen, atque onus a diſponente adjectum, ut probat Surd. *d. conſ.* 29. *num.* 18. & *ſeq.*

His minimè attentis, negativè reſpondendum cenſeo. 14
Etenim duo diſtinguendi ſunt caſus in hac re. Alter in quo Teſtator tribuit alicui facultatem nominandi, vel eligendi, nec ad ulteriora procedit. Et hoc caſu locum habet diſtinctio deſumpta ex *d. l. unum ex familia de legat.* 2. an ſcilicet fuerit data facultas nominandi incertum de certo genere, vel potius tradita fuerit facultas nominandi incertam perſonam, ut tribueret debenti eligere, ut primo caſu accipi videtur a Teſtatore ex quo habens eligere, debet neceſſariò unum ex illis eligere. Alter caſus eſt, quando Teſtator non ſolùm alteri tribuit facultatem nominandi, ſed ulterius diſponit, quod ſic nominatus habeat jus, vel emolumentum a Teſtatore relictum, ac diſpoſitum. Et tunc Teſtator videtur jure

fideicommiſſi voluiſſe, ut emolumentum perveniat ad nominatum, ideòque facta electione, electi cenſentur a Teſtatore vocati per fideicommiſſum. Unde Teſtatoris voluntas non poterit per aliam electionem revocari, ut rectè diſtinguit Crot. *d. conſ.* 11. *n.* 34. *lib.* 1.

15 Nam ubi Teſtator non ſolùm tribuit facultatem, ſed etiam diſponit ad favorem ſic nominandi, habens eligere, videtur nudus miniſter, neque ex perſona propria videtur eligere, ſed ex aliena, quæ proinde ſemel electa, revocari non poteſt, ut pulcherrimè expreſſit Bartol. *in l.* 2. *n.* 6. *in addit. de opt. legat.* ut examinans hanc quæſtionem, quando eligens eligat jure proprio, vel alieno, tanquam illius miniſter, ait, ſpectanda eſſe diligenter verba tribuentis facultatem. Si enim jus eligendi concedat alteri, nec ulterius procedat, tunc transfert in eum jus eligendi, quoad proindè jure proprio exercebitur. At ubi tradita facultate eligatur ille, qui fuerit nominatus, non videtur in eum jus nominandi translatum, ſed nudum dumtaxat miniſterium eligendi tanquam illius miniſter. Hanc doctrinam ſequitur Crot. *loc. cit. n.* 32. *& ſeq.* & approbat Rimin. jun. *conſ.* 693. *n.* 22. *& ſeq.*

16 Et hic eſt caſus noſter. Nam Teſtator non tribuit Cæſari ſimplicem dumtaxat facultatem nominandi, ſed ulterius diſpoſuit, quod nominatus a Cæſare habeat jus eligendi, ideòque jure fideicommiſſi Teſtator diſpoſuit ad favorem nominandi, & voluiſſe videtur, quod Cæſar non eligeret jure proprio, ſed alieno tanquam nudus miniſter Teſtatoris, atque adeò diſpoſitionem immutare non potuit, ut comprobant Crotius, & Riminaldus locis adductis.

17 Ex alio etiam fundamento ſtabilitur hæc diſtinctio. Quia cùm Teſtator diſponerit ad favorem eligendi, & voluerit quod eidem emolumentum deferat electio ſtatim ac facta eſt, ideòque trahit ſecum exequutionem; Quia nimirum eo ipſo locum obtinet diſpoſitio Teſtatoris, perinde ac ſic ab initio diſpoſuiſſet ad favorem illius. Ubi autem electio trahit ſecum exequutionem, non poteſt amplius revocari, nec variari, Surd. *conſ.* 65. *n.* 34. *& conſ.* 413. *n.* 17. *ac ſeq.* Rim. Jun. *d. conſ.* 693. *n.* 23. pluriſque alii relati a Giurb. *ad conſuet. Meſſan. c.* 10. *gloſ.* 6. *p.* 1. *ſub n.* 22.

18 Hinc non averſantur in contrarium adducti. Quia non loquuntur in caſu, in quo Teſtator tradita facultate nominandi inſtituit, nec ad ejus favorem diſpoſuit. Minuſve loquuntur ubi facta eſt electio, quę ſtatim trahit ſecum exequutionem.

19 Sublata igitur poteſtate revocandi, fruſtra quæritur, an Cæſar potuerit ſub generali donatione electionem ſemel factam revocare, & Monaſterio tribuere. Immò metiendo voluntatem a poteſtate, non cenſetur hoc voluiſſe, *l. generaliter, §. Cùm autem, Cod. de inſtit. & ſubſtit.* Rota *deciſ.* 262. *n.* 19. *p.* 8. *rec.*

20 Quibus hæc etiam ſubjicimus. Primò, donatio tàm in ea parte, quæ loquitur de bonis ſtabilibus, quàm in ea, quæ facit mentionem de juribus, eſt reſtricta ad bona, & jura ipſius Donatoris. Ergo non comprehendit jus nominandi, quod non erat proprium ipſius, ſed proveniebat ex præcepto, ac diſpoſitione Teſtatoris. Ergo non revocat codicillos. Quia cùm in donatione diſponatur de juribus donatoris, in codicillis diſponitur de juribus Teſtatoris. Concilium eſt celebre Decii 425. *ex n.* 7. ubi ponens caſum de eo, qui mandaverat, quod nihil ultra peteretur in bonis ſuis, firmat, præceptum non impedire petitionem bonorum, quæ ex fideicommiſſo pertinebant ad diſponentem. Conſonat doctrina Bartoli in *l. ut jusjurandi, §. Si liberi ad fin. ff. de oper. liber.* Jaſonis *conſ.* 214. *propè fin. lib.* 2. Guidop. *dec.* 93 Caldas Pereir. *de empt. & vendit. c.* 10. *n.* 1. ubi de eo, qui vendiderat bona ſua.

21 Deinde habens facultatem nominandi, non cenſetur conſumpſiſſe hanc facultatem, & nominaſſe per generalem inſtitutionem hæredis, per ſucceſſionem ab inteſtato, vel per alium ſimilem modum univerſalem, ſed debet in ſpecie hanc facultatem conſummare, ut per Caldas Pereir. *de nom. emphyt. q.* 7. *n.* 18. quem in terminis hæredis ab inteſtato ſequuta eſt Rota *in Romana domus* 14. *Junii* 1641. coram Bichio, *§. Nam quicquid ſit*, ubi dicitur, quod conditio hæc nominandi adimpleri debet in forma ſpecifica per actum voluntatis diſpoſitivæ.

22 Inſuper habens facultatem nominandi, præſertim in vim Teſtamenti, ſive alterius ultimæ voluntatis ſemel tantùm nominare poteſt, & nominatione ſemel facta, non habet facultatem variandi. Ita Doctores communiter, nominatim Bartol. *in l. Si is, cui* 19. *ff. de legat.* 2. Gomeſ. *de contr. c.* 11. *nu.* 44. Cald. Pereir. *de nomin. emphyt. qu.* 10. *n.* 82. ubi ait hoc eſſe introductum in gratiam ultimæ voluntatis, ne ſcilicet diù maneat ſuſpenſa, & incerta. Ergo cùm Cæſar ſemel nominaſſet, credendum non eſt, quod in generali donatione hanc nominationem ſemel factam revocaverit.

Denique diſpoſitio Antonii Teſtatoris, qui poſt mor- 23
tem Cæſaris vocat ad omnia bona Monaſterium, quique nihilominus diſtinctè vult, quod Cæſar, & nominandi ab ipſo, habeant jus de puella paupere, videtur manifeſtè oſtendere, quod jus iſtud tribui non poterat eidem Monaſterio exequutori, nedum, quia actio, & paſſio in hoc caſu concurriſſent in unum, ac idem ſubjectum contra textum *in l. Uranius*. Sed etiam quia hoc modo facilè potuiſſet fraudari mens Teſtatoris. Hinc exequutor deſtinatus ad diſtribuendum, & nominandum, non poteſt diſtribuere in commodum ſuum, ac nominare in propriam utilitatem, ut præ cæteris tradit Rota *in Romana bonorum, ſive fructuum* 4. *Maii* 1646. coram Arguelles.

CONSULTATIO VIII.

An Confraternitatibus ſæcularibus liceat quæſtuare ſine licentia Epiſcopi? An hæc licentia poſſit ad tempus concedi? Alia de hac re. An poſſint Confratres confirmare ſuum Priorem, aliumve officialem prohibente id decreto ſynodali? An Conſtitutiones ſynodales ſint neceſſariò confirmandæ, ut obligent? De cauſa in Rota cum clauſulis ſolutis. Ubi an ſacra Congregatio ſuper Epiſcopis, & Regularibus habeat juriſdictionem aliquam poſtquam cauſa eſt legitimè introducta coram alio Tribunali?

LIcere, videtur reſpondendum, præſertim Confrater- 1
nitati ſuffragii pro animabus Purgatorii. Nam jus divinum, & humanum clamant pro hujuſmodi libertate quærendi eleemoſynas, ut per Navar. *conſ.* 33. *n.* 5. *de pœn. & rem. lib.* 5. Rodriq. *qu. reg.* 58. *art.* 7. Accedit univerſalis totius Orbis conſuetudo ex Navarro, & Rodriquez *loc. cit. & Conſtitutio* 115. *Clementis Octavi to.* 3. *Bullar.* & tradit Novar. *in Lucerna Regul. verſ. Confraternitas n.* 10.

Ideòque dicta quæſtuatio retardari non poteſt ex eo, 2
quod eleemoſynæ quæri non poſſint, niſi priùs a Confraternitate acceptetur licentia quæſtuandi ab Epiſcopo conceſſa. Quia cùm quæſtuandi facultas competat ex jure naturæ, ac divino, atque etiam ex Conſtitutione Apoſtolica, utique ipſius Epiſcopi licentia non eſt neceſſaria juxta textum *in l.* 2. *C. quando dec. opus non eſt*, Ruin. *conſ.* 35. *num.* 22. *& conſ.* 157. *num.* 25. *to.* 1. a Ponte *conſ.* 1. *num.* 119. *lib.* 1. Capyc. *dec.* 16. *num.* 4.

Eòque minus, ſi S. Congregatio non jufſerit, quod E- 3
piſcopus licentiam concedat, ſed ex mera benignitate mandaverit, quod Confraternitas illi preces porrigeret pro remotione præcepti de non quæſtuando. Quo in caſu Epiſcopus mentem S. Congr. tranſgredi non debet, ſed eam reverenter exequutioni demandare, ſicque non egredi terminos remotionis præcepti, Rot. *in Metenſi Abbatiæ* 19. *Junii* 1628. coram Dunozetto. Magna enim eſt differentia inter remotionem præcepti, & conceſſionem licentiæ. Ex illa enim non læditur Confraternitas, quæ tamen plurimum læditur ex licentia, cùm iſta ſupponat jus quærendi eleemoſynas ſibi non competere, ex quo licentia eſt conceſſio libertatis facta perſonæ, quæ ex ſeipſa non habet, ut per Bald. *conſ.* 290. *n.* 6. *vol.* 3.

Minuſque attendenda eſt hæc licentia, ſi per Epiſco- 4
pum fuerit ex gratia conceſſa. Cùm enim quæſtuandi facultas competat, ut diximus, ex jure divino, & humano, & ex univerſali conſuetudine, debetur ex juſtitia, & propterea non eſt acceptanda, cùm non dicatur gratiam facere, qui debitum exhibet, Bald. *conſ.* 501. *n.* 1. *vol.* 5. Rot. coram Gregorio Decimo quinto *dec.* 240. *num.* 11. *in fine, ac nu. ſeq.* & Oldrad. *de lit. & mandat. Princip. Præl.* 7. *num.* 17. longeque differt gratia a Juſtitia, ut præclarè Anſald. *conſ.* 23. *num.* 46. *lib.* 1.

Et hæc licentia eò facilius rejicienda eſt, ſi ſit ab E- 5
piſcopo conceſſa cum clauſula: *Salvis juribus*, quæ reſolutionem Sacræ Congregationis moderatur, ac reſtringit, Rota coram Buratto *dec.* 165. *num.* 1. Sique ſit reſtricta ad aliquot menſes tantùm. Nam hæc limitatio irrogat præjudicium, cùm poſt eos menſes contrariam diſpoſitionem juri communi contineat, Rot. *dec.* 396. *num.* 2. coram Buratto.

Quod vero ad confirmationem Prioris, alteriuſve of- 6
ficialis in eodem officio ultra annum contra ſynodalem Conſtitutionem, dicendum pariter videtur, illam non obligare, ſi non fuerit a Sede Apoſtolica confirmata, neque unquam uſu recepta, ut per Brun. *inter conſ.* Purpur. *conſ.* 422. *n.* 2. Surd. *conſ.* 58. *n.* 9. Menoc. *conſ.* 75. *n.* 91. Soccin. jun *conſ.* 126. *n.* 25. *col.* 3. Decian. *conſ.* 40. *n.* 76. *vol.* 4.

ac

ac Rota *dec.* 714. *n.* 5. *p.* 3. *rec.* Quod si contrarium prætendatur, id debet ostendi ac probari, Menoc. *cons.* 449. *n.* 33. *lib.* 5. Becc. *cons.* 16. *n.* 12. Grat. *cons.* 16. *n.* 21. *lib.* 1. Cyriac. *contr.* 14. *n.* 18. & *controvers.* 205. *n.* 143. Joseph. Ludov. *dec.* 98. *n.* 2. *p.* 2. Roia coram Veral. *dec.* 203. *n.* 4. & 8. *p.* 3. & *dec.* 714. *n.* 5. *p.* 3. *rec.* Præsertim si constet de contraria consuetudine, illamque non fuisse usu receptam, Purpurat. *cons.* 137. *n.* 3. *lib.* 1.

7 Et propterea quatenus versaremur in terminis confirmationis officialium, ea nullatenus afficeret, cùm certum sit quempiam ex consuetudine posse confirmari, non obstante statuto, vel lege, tempus determinante, Greg. Lopez *in l. non, gloss.* 5. *tit.* 18. *p.* 2. Laudens. *de offic. quæst.* 129. Natt. *cons.* 18. *n.* 2. Surd. *d. cons.* 261. *n.* 15. *lib.* 2. & Mastrill. *de Magistrat. lib.* 1. *c.* 23. *n.* 76.

8 Præcipuè verò si hæc Constitutio emanaverit favore Confratrum, ne scilicet inviti plura munera subire cogerentur, neve ultra annum ad illa constringi possint, sicque non applicatur in non recusantibus onus, ut constare poterit ex assidua observatione, quæ tantæ est virtutis, ut non solùm suffragetur veræ interpretationi, sed etiam contra verum dispositionis intellectum, Becc. *cons.* 101. *n.* 49. Hond. *cons.* 92. *n.* 30. *vol.* 1. & *cons.* 35. *n.* 45. *vol.* 2. Larrea *dec.* 45. *n.* 24. Add. ad Gregor. *dec.* 584. *n.* 8. & Rot. *dec.* 608. *n.* 6. *par.* 2. *rec.*

9 At si electio, sive confirmatio Prioris fuerit concorditer facta, cui propterea synodalis Constitutio non obstat. Nam leges, quæ disponunt, quod nemo ultra annum in officio confirmari possit, debet intelligi in casu, in quo aliquis in actu confirmationis contradixisset. Quando autem nemo contradicit, tunc valida est confirmatio, ut est textus perspicuus *in auth. de defensor. Civit. §. fin.* ibi, *sed usque ad hoc solum stat. tempus, nisi cuncta Civitas, nullo reluctante, elegerit*; & eleganter prosequitur Bald. *in cap. quoties in fin. de pact.* Angel. *in l. & solum, §. hodie tamen num.* 3. *ff. de pact.* Roman. *sing.* 96. Surd. *cons.* 261. *n.* 13. *lib.* 2. & Natt. *cons.* 57. *n.* 2. & 10. Præsertim verò si Prior jurisdictionem non habeat, ut pluribus probat Mastrill. *de magistr. lib.* 2. *cap.* 23. *n.* 78. nullumque ex officio consequatur emolumentum; sed onera dumtaxat, *l. honor municipalis, §. Munus in fin. ff. de mun. & honor* Surd. *cons.* 261. *num.* 9. & 16. *lib.* 2. & Mastrill. *loc. cit. n.* 79.

10 Vel si omnes ferè Confratres in actu electionis expressè fuerint protestati nolle se ampliùs, in Confraternitatem convenire nisi Exprior onus Prioratus iterum accipiat, sicque hujusmodi electio non poterit impugnari, cùm favor animarum Purgatorii illam exposcit. Jo. Petr. Ala *de Christ. & polit. decurs. q.* 76.

11 Et licèt synodalis Constitutio decernat quod officialis per annum tantùm inserviat, in illa tamen non statuitur, quod aliter electio non valet, hoc est non continet decretum irritans, atque adeò est valida, Honded. *cons.* 27. *num.* 28. *ac seq. vol.* 1. Bursatt. *cons.* 74. *n.* 52. *lib.* 1. Giurb. *dec.* 66. *nu.* 1. Rota *in ariminensi gabellæ* 19. *Aprilis* 1627. coram virili in fine, & *in Perusina relevationis Testamenti* 7. *Maji* 1632. coram Pirovano, & *dec.* 7. *n.* 5. coram Cavalerio, & *dec.* 34. *n.* 2. *p.* 1. *rec.*

12 At nihilominus tenendum est, non licere Confraternitatibus laicis quæstuare sine licentia Episcopi, qui etiam ad tempus illam concedere potest, & cum onere reddendi rationem, & cum clausula præservativa jurium partium. Et quoad licentiam ad tempus, ita etiam est de jure, cùm concessio hujusmodi licentiam pendeat a libero arbitrio Episcopi, ut in specie tradit Vitalin. *in Clem.* 2. *num.* 15. *de pen. & remis.* Sic quoque ac in fortioribus terminis Episcopus potest Confessariis regularibus dare licentiam ad tempus, si ita ei videbitur, ut per Genuen. *in prax. c.* 59. *n.* 26. juxta novam editionem.

13 Eòque magis si adsint justæ causæ ita coarctandi licentiam, præcipuè ne Confratres illa abuterentur, si esset libera. Sique ita cautum reperiatur in synodo Diœcesana, quam observare promiserunt Confratres, estque valida sine confirmatione; nullus enim extat textus, qui contrarium disponat. Unde potest Episcopus statuere præter jus, etiam sine confirmatione Papæ, Glos. *in cap. fin. vers. statuto de constit. in* 6. Lapus *alleg.* 86. *n.* 2. Alex. *cons.* 106. *n.* 15. & 16. *lib.* 2. ac Rot. *dec.* 15. *n.* 2. *p.* 2. *rec.* & ex causa sibi benevisa potest limitare licentias ad tempus, etiamsi aliàs essent concedendæ perpetuæ, ut tradunt congesti a Fagundez *ad præcept.* 2. *Eccles. lib.* 7. *cap.* 2. *num.* 17. & a Barbos. *ad Concil. sess.* 23. *cap.* 15. *num.* 48.

14 Nec potest Episcopus impediri, ne apponat præservativas jurium partium, si a Confratribus fuerint commissa attentata. Præservans enim nil dat, nihilque tollit. Immò is etiam, cui est mandatum aliquod, potest adjicere protestationes, & præservativas, ex quibus non potest argui, quod non paruerit, ut dixit in specie Rot. *dec.* 319. *n.* 1. *p.* 2. *rec.* & *decis.* 264. *num.* 6. *p.* 3. & *dec.* 649. *n.* 2. & 3. *p.* 4. & *in Vicentina Canonicatus* 10. *Decembris* 1623. coram Merlino.

Quod autem non liceat quæstuare sine licentia Episcopi, sunt textus illustres *in cap. Cùm ex eo de pœnit. & remiss. & in Clem.* 2. *eod. tit.* ibique Anchar. *num.* 4. Zabarell. *n.* 3. & Vitalin. *num.* 11. quorum dispositio innovata fuit a Concilio Tridentino *sess.* 21. *cap.* 9. ubi derogatur omnibus privilegiis, etiam Monasteriis, Ecclesiis, ac piis locis concessis, ut per Ricc. *dec.* 171. *p.* 3. 15

Id ipsum probatur in terminis Confraternitatum ex Constitutione 115. Clementis Octavi §. 8. in qua conceditur potestas aggregandi Confraternitates, & communicandi privilegium quæstuandi juxtà modum, & formam ab Ordinario loci præscribendam. Si igitur Constitutio disponit non posse id fieri sine approbatione Episcopi in casu, in quo Confraternitati communicantur privilegia quæstuandi, multò minus id permittere intelligitur, si sine aliqua communicatione hoc vellet intentare, arguendo a majori ad minus, si id, de quo magis videbatur inesse; & non inest; ergo neque id, de quo minus, *cap. licèt universitas* 33. *de testibus* cùm vulgò aliis. Atque id ex Constitutione Clementis colligi asserunt Franc. Leo *in thes. for. Eccl. lib.* 4. *cap.* 2. *n.* 146. & *seqq.* & Gav. *in man. Episcop. vers. Confraternitates n.* 36. Quodque Confraternitatibus sit prohibitum quæstuare sine licentia Episcopi aliàs in Confraternitatem Rosarii decrevit S. Congregatio apud Riccium *loc. cit.* & de Confraternitatibus expressè loquitur Constitutio 30. B. Pii, ubi revocavit licentias, & privilegia concessa ex quacunque pia causa. 16

Neque idcircò differuntur suffragia pro animabus Purgatorii. Quia non prohibentur missæ, neque eleemosynæ erogandæ pro defunctis, sed quæstuatio. sicuti etiam non impediuntur opera pia a Sacris Conciliis, & tamen quæstuatio prohibetur in dictis *cap. ex eo, & d. Clem.* 2. & a B. Pio Quinto *loco allegato, §* 3. probibetur quæstuatio eleemosynarum quibuscunque personis cujuscumque piæ causæ favore tam in Hospitalibus, Ecclesiis, & Monasteriis, quàm alibi, quibus autem rationibus id vetitum alibi fusè differui. 17

Et ex citata Constitutione B. Pii tollitur distinctio, aliàs absque authoritate, & ratione a nonnullis data, inter quæstuantes extra Ecclesiam, & intra Ecclesiam. Nam verbis expressis prohibet quæstuare etiam intra Ecclesiam, ut tradunt speciatim Genuens. in *d. pr. cap.* 44. *num.* 13. 18

Nec refragatur Navarrus *d. cons.* 33. *de pœn. & remiss.* ubi ait, quæstuare esse omni jure licitum, inferens, licere id fratribus S. Antonii. Nam Sacra Concilia id prohibent. Pauperes verò, quibus passim hoc permittitur, id faciunt per seipsos, subveniendo suis necessitatibus sine quæstuatione ministrorum, quæ a Conciliis severè prohibetur. Nec impediuntur animæ Purgatorii, quin, Deo inspirante, pii fideles eleemosynas pro illis erogent, sed prohibita est quæstuatio. Scripsit autem Concilium suum Navarrus ad impediendam prohibitionem, quam B. Pius Quintus posteà fecit, etiam contra fratres Sancti Antonii Viennenses. Et ideò sicuti non creditur doctori consulenti, cujus consilium fuit judicando reprobatum, multò minus credi debet Navarro, cujus consilium fuit per Constitutionem Pontificiam repudiatum. 19

Quod verò ad confirmationem Prioris, ea prohibetur a statuto synodali, quod Confraternitas juravit observare. Nulla igitur est illius confirmatio, cùm juramentum sit servandum, *cap. Clericus* 35. *de jurejur.* Immò de jure nulla est confirmatio sine licentia Episcopi, ut declaravit Sacra Congregatio, teste Ricciullo *lib.* 4. *elucubrat. Eccles. cap.* 5. *n.* 8. & firmat Mar. Anton. *var. resol. lib.* 1. *cap. ult. cas.* 64. licèt enim electio pertineat ad Confraternitatem, confirmatio tamen pertinet ad Episcopum, ut tradit Ricciull. *ib. n.* 8. dicens ita decretum a S. Congregatione. Neque etiam de jure communi, licet continuare officia, *§. Si verò aut de defens. Civ.* etiam quando non habent jurisdictionem, sed simplicem administrationem, Vicent. de Anna *alleg.* 15. Vivius *decis.* 129. *n.* 2. & in hac specie Mar. Ant. *loc. cit.* 20

Non obstant exempla in contrarium adducta. Quia sunt abusus cum omni adversione repellendi, ut latè ac rectè ad rem hanc Marc. Ant. *d. cas.* 64. Nec datur consuetudo, nisi ita fuerit observatum quadraginta annis, Parte sciente, & contradicente, ac ita fuerit in contradictorio judicio obtentum juxtà receptam opinionem a Rota observatam, ut per Caval. *dec.* 77. *n.* 6. & *decis.* 177. *n.* 54. *p.* 5. *rec.* ac sæpè alibi. Estque præsertim electio nulla, si Prior fuit confirmatus viva voce, cùm suffragia dari debeant a singulis ordinatim, ut audiri 21

pos-

poſſint contradicentes, alioquin electio eſt irrita, per text. *in l. Si conſtet, ff. de appell. & in c. 2. de elect.*

22 Et quoad juriſdictionem Sacræ Congregationis hæc non habet juriſdictionem aliquam, poſtquam cauſa eſt legitimè introducta coram alio Tribunali. Clariſſima enim eſt Conſtitutio Sixti Quinti, qui in erectione hujus Sacræ Congregationis, quæ eſt 12. *Conſtit.* 74. *§.* 1. apposuit has exceptiones, *præter eas, quæ Concilii Tridentini interpretationem exigunt, vel ordinem judiciarium reipſa requirunt*. Et in fine *§.* 4. adeſt decretum irritans, & clauſula ſublata. etiam Cardinalibus aliter judicandi, ac interpretandi facultate, quæ claudit os omnibus, & operatur nullitatem ipſo jure, Rota *in Calaguritana* confidentiæ coram Pegna apud March. *part.* 2. *fol.* 426. *num.* 2. *& ſeqq.*

23 Ac ita, ut non obſtet, quod cauſa ſit commiſſa cum clauſula *ſine præjudicio exequutionis*. Nam hujuſmodi clauſula præſervat exequutionem decretorum jam factorum, ſed non poteſt Judex, a quo, neque alius exequi, niſi decreta, prout jacent, non autem alia facere, ut declarat Rota in *Camerinen. hæreditatis* 17. *Maji* 1621. coram Pirovano.

24 Nihil igitur reſcribendum videtur a S. Congregatione, inſtantibus Confraternitatibus, quando cauſa eſt legitime introducta in Rota cum clauſulis *quam, & quas cum incidentibus, emergentibus, annexis, & connexis, totoque negotio principali*. Hæ namque clauſulæ comprehendunt omnia, quæ poſſunt deduci, quomodocunque tangentia negotium principale, itaut, commiſſio nunquam poſſit dici reſtricta ad expreſſa, Greg. *dec.* 270. *n.* 5. Andr. *dec.* 44. *n.* 10. cum aliis cumulatis in *Romana vineæ* 28. *Januarii* 1643. coram Cerro.

25 Adeòque, ut ſi appellatio ſit ſuper uno capite, poſſit in ſecunda inſtantia proſequi aliud caput, etiam diverſum, Achill. *deciſ.* 7. *de appel.* Andr. *d. deciſ.* 44. *num.* 8. *& ſeqq.* & Rota *in Placentina Aquarum* coram Arigonio per March. *part.* 1. *fol.* 232. *num.* 2. *ac* 3. Et operatur, ut cenſeatur avocata cauſa, & totum negotium, Papaz *ad dec.* 23. *num.* 3. *ac ſeq. de reſcrip. in nov.* Put. *dec.* 343. *ſub n.* 4. *lib.* 3. *& dec.* 187. *n.* 5. *& ſeq. part.* 2. *diverſ. & in Laudenſi juriſpatronatus* 20. *Martii* 1629. coram Virili.

26 Atque hic eſt quod inhibitio Rotalis cauſat attentata, non ſolùm ſuper his, quæ ſunt in lite, ſed etiam ſuper annexis, & connexis aliquo modo negotium illud tangentibus Rota *diverſ. deciſ.* 201. *num.* 5. *p.* 2. *& in Calaguritana* coram Sacrato apud Marcheſan. *p.* 2. *fol.* 478. *n.* 1. *in Volaterana tranſactionis* 22. *Martii* 1634. coram Veroſpio *in Bononienſi Prædii* 5. *Decembris* 1636. coram Ghislerio, *& in Bononienſi pecuniaria* 28. *Aprilis* 1645. coram Bichio.

CONSULTATIO IX.

An, & quatenus cauſæ Regularium, aliorumque ab Eminentiſſimis Cardinalibus judicatæ, committi poſſint per appellationem Sacræ Rotæ, aut aliis Tribunalibus ad eas recognoſcendas?

1 REſpondeo negativè. Obſtat enim pervetuſtus, & receptiſſimus ſtylus Curiæ Romanæ, quod cauſa ſemel commiſſa Cardinalibus, non committatur aliis inferioribus, quemadmodum teſtatur Rota *dec.* 3. *in fine de appell. in nov.* ibi, *Rarò vel nunquam hujuſmodi cauſas appellationum vidi committi in Palatio, ſemper conſueverunt committi aliis Dominis Cardinalibus*, Bellam. *dec.* 37. *in fine*, ubi quod hoc ſit propter honorem tantæ dignitatis, Papaz *in addit. ad dec.* 23. *num.* 7. *de reſcript. in nov.* Mileſ. *verſ. appellatio, quæ ſit a Cardinali*, Sarnen. *in compend. utriuſque ſignat. q.* 16. *n.* 48. Gonzal. *ad regul.* 8. *Cancell. gloſ.* 6. *n.* 198. Lancellot. *de attent. cap.* 20. *in præfat. n.* 61. Macchel. *p.* 2. *tit. de decim. Cardinal. direct. n.* 1. aliique.

2 Quod eò magis procedit, dum non agitur de ſententia lata ab uno Cardinali, ſed a pluribus, doctrina, juſtitia, & integritate præſtantiſſimis. Unde ne dari quidem appellationem, diſtinguendo inter unum, & alterum caſum, inquit Scacc. *de appellat. q.* 15. *limit.* 3. ubi alii benè multi.

3 Dixi autem rarò, vel nunquam. Quoniam ſignanda videtur commiſſio, quando dubitari non poteſt, quin cauſa ſit appellabilis, & quando cauſa eſt ardua, continetque juris articulos diſputabiles, licèt ſit effecta Cardinalitia. Hoc enim caſu ſolet Sac. Rotæ committi juxta tradita per March. *de commiſſ. part.* 2. *tit. de commiſſ. cauſ. quæ Illuſt. Card. num.* 10. *fol.* 451. paſſimque ſignatur commiſſio, quod Cardinales procedant de voto Rotæ, prout Innocentius Decimus pluries reſcripſit, præſertim in cauſa Melevitana nullitatis profeſſionis inter Dominos Corſinos, & in Januenſi fabricæ inter fratres minores de obſervantia, & Patres Jeſuitas; & Alexander Octavus cauſam Bononienſem nullitatis profeſſionis de Foppa commiſit Sacræ Rotæ, poſtquam tertiò fuerat declaratum a S. Congregatione Concilii, profeſſionem fuiſſe validam, ut *in deciſ.* coram Emerix, quam refero *tom.* 9. Idemque apud majores noſtros ab aliis Pontificibus factitatum. Et jure, meritoque, nam quando cauſa requirit ordinem judicialem, ſemper ſolet committi Tribunali contentioſo, ut diſponitur *in Conſtitutione* 74. *§.* 1. *Sixti Quinti*, ubi loquens de cauſis, quarum cognitio ad Cardinales deferri ſolet, ſic ſtatuit: *Dummodo formam judiciariam non requirant*. Unde paſſim ſolet ſupremum Tribunal ſignaturæ Sanctiſſimi in hac re diſpenſare, committendo cauſas Cardinalitias Rotæ, & Rotales Cardinalibus, ut conſtat ex recentioribus exemplis, ac etiam priſcis *in deciſ.* 25. *de dolo, & contumacia n antiquis*.

Quod autem cauſa committenda ſit præſtanti judic o 4
opus eſt, examinando præſertim circumſtantias perſon arum, temporum, locorum, rerumque aliarum, ut ſi diſceptaretur, an donatio facta a Moniali primo Monaſterio, animo ibi moriendi, ſequuto poſtmodum ejus egreſſu ex cauſa neceſſaria, & cum licentia Sacræ Congregationis, reſolvatur? Sive an bona Monachi tr n ſeuntis ad alterum Monaſterium, pertineant ad arimum?

P

Siquidem hic juris articulus videtur nimis dubius ob 5
diſſidentes Doctorum ſententias, & ob deducta hinc inde a Canoniſtis *in cap. quod a te Cleric. conjug.* & ob congeſta a *Jappia in auth. impreſſi, C. de ſacroſ. Eccleſ. verſ. ſuas*, ab Aufter. ad Capell. Toloſ. *deciſ.* 39. a Campanil. *in diverſ. Jur. can. rubr.* 12. *cap.* 9. *num.* 10. & ab Azorio *inſtit. moral. part.* 1. *lib.* 12. *cap.* 15. Undè affirmativè reſpondet Archid. *in can.* 1. 17. *quæſt.* 4. Abbas, & communiter Canoniſtæ *in d. cap. quod a te*, Menoc. *de arbitrar. lib.* 2. *cap.* 436. *a num.* 25. Pellicion. *illuſt. q.* 21. *cap.* 10. aliique relati a Staiban. jun. *lib.* 2. *reſ. for.* 125. *num.* 26. *& reſol.* 126. *num.* 6. Gratian. *cap.* 96. *num.* 22. Quia tunc dicitur deficere cauſa finalis, ob quam facta fuit donatio, præſertim quando translatio facta eſt a Monaſterio ad Monaſterium diverſi Ordinis, traditque Rota apud Seraphin. *dec.* 1361. *n.* 1. Etiamſi donatio ab initio facta fuerit irrevocabilis. Quia non videtur emiſiſſe profeſſionem in primo Monaſterio, qui ab illo ex cauſa egreditur, & ad ſecundum transfertur, ut per Gratian. *loc. cit.*

Adeòque, ut non obſtet, quod licentia egrediendi con- 6
ceſſa fuerit cum clauſula *ſine præjudicio*. Nam intelligitur quoad dotem, quæ ex opinione aliquorum remanet in primo Monaſterio, non autem quoad alia bona donata. Prætereà clauſula hæc non tribuit jus, niſi prout de jure, ut firmat Rota *dec.* 222. *n.* 28. *p.* 7. *rec. & in Romana Salviani* 10. *Februarii* 1651. *§. ultim.* coram Corrado. De jure autem verior videtur opinio, quod bona obventa poſt profeſſionem emiſſam in ſecundo Monaſterio, eidem acquirantur.

At verò contrarium alii aſſerunt. Probant id ex tex- 7
tu *in auth. de Monach. collat.* 1. *§. Si quis autem, & §. Si vero relinquens, & ex auth. de ſanctis Epiſcopis, §. Si Monachus* 1. & in ſpecie de translato ad aliud Monaſterium cum licentia ſuperioris firmat Speculator *de ſtat. Monach. §. qualiter n.* 10. Petrus de Peruſ. *de mutat. ſtat. Eccleſ. cap.* 1. *num.* 3. Covar. *de teſtam. cap.* 1. *num.* 20. *ac* 21. Sylveſt. *in ſumm. verſ. Religio* 4. *num.* 10. Navarr. *conſ.* 55. *num.* 7. *&* 8. *de Regular.* Molin. *de juſt. & jur. diſp.* 140. *verſ. quando religioſus*, Rodriq. *tom.* 3. *quæſt. regul.* 5. *art.* 5. Azor. *cit. cap.* 15. *quæſt.* 3. latè Sanchez *in ſum. lib.* 7. *cap.* 32. *a n.* 3. Gemon. *de ſacror. immun. lib.* 3. *cap.* 4. *num.* 33. 35. *&* 37. Bonac. *tom.* 1. *de clauſur. q.* 2. *puncl.* 9. *n.* 2. *cum ſeqq. ac de Monialibus*, Rodriq. jun. *reſol.* 98. *num.* 10. *& reſ.* 123. *num.* 82. Tambur. *de jur. Abbatiſſ. diſp* 21. *q.* 7. *& de jure Abbat. tom.* 3. *diſp.* 7. *quæſt.* 6. *num.* 7. Barboſ. *de jur. Eccleſ. lib.* 1. *cap.* 42. *num.* 91. egregiè Suarez *de relig. tom.* 4. *lib.* 3. *cap.* 14. *num.* 5. Fontanell. *dec.* 227. Cabed. *dec.* 160. *n.* 2. *part.* 1. Capyc. Latr. *dec.* 193. *n.* 30. *& ſeq. lib.* 2. *ubi n.* 31. refert plures reſolutiones Sacræ Congregationis, ac fuſiùs Bottiglier. *de ſucceſſ. ab inteſt. c.* 2. *reſol.* 78.

Et quamvis aliqui contra ſentiant, eorum tamen opi- 8
nio vel eſt communiter rejecta, vel procedit in translato ad aliud Monaſterium propter pœnitentiam in eo peragendam, cùm non ſit congruum, quod ei debeat eſſe oneroſus. Et in his terminis loquitur textus *in d. cap. ad hæc de Cler. conjug.* ab iis allegari ſolitus. Hæc autem ratio ceſſat in caſu, in quo agitur de translatione voluntaria, & obtenta a S. Congregatione cum expreſſa clauſula præ-

præservativa jurium acquisitorum primo Monasterio per professionem ibi emissam.

9 Ex quibus apparet quàm hic articulus apud Doctores sit dubius, augeturque dubitatio, dum hæc translatio fieri nequit absque licentia Sacr. Congregationis copulativè cum licentia superioris, ex traditis a Capyc. *decis.* 193. *num.* 19. & *seq. lib.* 2. & a Rota *decis.* 119. *num.* 4. *part.* 2. *rec.* & propterea dum hæc licentia est restricta cum dicta clausula præservativa, nequit operari, nisi adimpleta conditione, quod translatio non esset præjudicialis primo Monasterio, ut in specie notat Capyc. *d. decis.* 193. *num.* 20.

10 Vel si disceptaretur de nullitate professionis religiosæ, & peteretur restitutio in integrum adversus lapsum quinquennii. Nam omissa quæstione, an detur, dum Sacrum Concilium Tridentinum *sess.* 25. *de Regular. cap.* 19. expressè decernit, non esse audiendum reclamantem adversus professionem, nisi intra quinquennium, cùm tamen partem negativam teneant Paris. *de resign. lib.* 13. *q.* 5. *num.* 46. Armendar. *ad recompil. leg. Navar. lib.* 2. *tit.* 18. *lib.* 7. *de relig. num.* 19. & Sanch. *de matrim. lib.* 7. *disp.* 37. *num.* 21. Id planè certum est, hujusmodi restitutionem nunquam concedi, quoties non constet saltem summariè de nullitatibus deducendis, ac de justo impedimento ad reclamandum intra dictum tempus, ut ajunt Portel. *in dub. regular. vers. Professio num.* 45. Rodriq. jun. *in compend. qu. regular. resol.* 101. *nu.* 71. Barbos. *ad Concil. d. cap.* 19. *num.* 10. Sanchez *loco cit. num.* 27. Novar. *in Lucer. Regular. vers. Reclamare num.* 6. ubi post alios inquit non sufficere juramentum ad probationem talis impedimenti, & tradit Rota coram Merlin. *decis.* 1. *num.* 9.

11 Eòque minus est concedenda hæc restitutio, quando nedum est lapsum unum quinquennium, sed plura, nec apparet quod intra tantum tempus unquam, saltem coram consanguineis, vel personis domesticis fuerit reclamatum, vel allegata nullitas professionis, sed potius apparet, quod reclamans semper se gesserit pro Moniali, peragendo quoscumque actus demonstrantes validitatem professionis. Ex illis enim, quatenus ab initio professio fuisset nulla, præsumeretur tacitè ratificata, ut per Navar. *cons.* 3. *num.* 10. *de Regular.* Rodriq. *d. resolut.* 101. *num.* 75. Sanch. *d. disp.* 37. *num.* 24. & Rota *d. decis.* 1. *num.* 8. & *in Ulyssiponensi nullitatis professionis* 17. *Maji* 1641. §. *tamen hodie* coram Compostellano.

12 Petita igitur restitutio ad impugnandam professionem factam, concedi nullatenus videtur, cùm S. Concilium *loco cit.* deneget audientiam post quinquennium, & Gregorius Decimus tertius dixit, hoc servandum, etiamsi allegarent vim, ac metum duravisse, adhuc non esse audiendos post quinquennium, ut testatur Paris. *de resignat. lib.* 13. *quæst.* 5. *num.* 6. & *seq.* Quia non debet audiri, nisi docto de justo impedimento non reclamandi.

13 Quinimmò Urbanus Octavus statuit, ut post decennium nequidem in signatura audiretur ad tollendas lites, & subterfugia quorumdam Regularium. Et ideò sine clausula, dummodò intra decennium reclamaverit, non concedebat restitutionem, nec audiebat petentes restitui, ut etiam testatur Pyrrus Corradus *de dispens. lib.* 5. *cap.* 14. *num.* 53. & Bordon. *de profess. regular. cap.* 2. *num.* 20.

14 Et petitio restitutionis appareret quidem calumniosa, si non peteretur simpliciter, sed tantùm ad effectum annullandi donationem factam primo Monasterio, vel aliis. Ex hoc enim colligere licet non ex bono spiritu duci ad id petendum, sed ad effectum semel donata auferendi, obstantque duæ regulæ. Altera quod qui verè profitetur, renunciat mundo, parumque curat de bonis mundanis, juxta Bald. *cons.* 407. *num.* 13. *lib.* 1. Altera, quod cum professio sit contractus cum Religione, non potest quis contractum partim approbare, partimque reprobare, Anchar. *consil.* 1. *q.* 208. *num.* 11. Bald. *cons.* 34. *num.* 1. *lib.* 2. Mohedan. *dec.* 10. *de sent. & re jud.* Mantic. *decis.* 13. *n.* 8. Greg. *dec.* 467. *n.* 5. & in terminis, quod non possint Moniales obtinere, quod prima professio declaretur nulla, & revocetur explicitè renunciatio, si vult remanere, vel statim redire ad Religionem, tradit Bordon. *var. resol. cap.* 60. *n.* 13. & *quæst.* 9. *num.* 14.

15 Quod si petitio admittatur, causa committi poterit cum clausula, appellatione remota. Ita enim supremus Princeps, a cujus potestate hoc pendet; perspè concedere solet, ubi concurrit aliqua causa, quæ celeritatem desiderat, ut notat Bald. *in c. ut debitus n.* 8. *de appellat.* ubi inter alios recenset causam pietatis, quæ semper versatur in personis religiosis, quibus admodum expedit, lites citius terminari, ne distrahantur vita contemplativa. Eamdem causam approbant Sot. *de just. & jur. q.* 6. *art.* 3. Covarr. *pract. q. lib.* 1. *cap.* 23. *n.* 6. & Marchesan. *de commiss. tom.* 1. *de commiss. cum clausula, appellatione remota cap.* 8. *num.* 6. & Ruginel. *de appellat.* §. 12. *cap.* 2. *num.* 5.

Idque facilius concedi solet, si commissio sit dirigenda 16
pluribus Cardinalibus, quorum dignitas non patitur, ut a sententiis cum maxima maturitate a se prolatis, detur appellatio, ut per Scacc. *de appell. q.* 16. *limit.* 3. Unde facilè id eis conceditur, Gomes. *in compend. signat. num.* 48. *in* 9. *privil. & n.* 49. & Marches. *part.* 2. *num.* 27. *fol.* 252. Facitque ad id conclusio, quod ubi causa committitur Judici peritissimo, ac integerrimo, facilius Princeps movetur ad concedendum hanc clausulam, ut præ aliis tradunt Cov. *loco alleg.* Sanch. *cons. mor. lib.* 3. *cap. un. dub.* 10. *n.* 2. & Marches. *ubi supra num.* 5.

Atque hæc exempli causa sint satis. De validitate au- 17
tem, ac nullitate professionis, & de donatione facta a Moniali primo Monasterio, ejusque dote fusè, nec obiter tantùm differui *tom.* 1. *ac* 9. & *alibi.*

CONSULTATIO X.

An, & quatenus Regulares, etiam Abbates, possint suspendi, excommunicari, privari suis officiis, ac dignitatibus a Legatis, sive Nunciis Apostolicis?

Ubi quid si ipsi Regulares, & Abbates sententiam privationis sua subscriptione admiserint?

Quidve si a S. Congregatione super Episcopis, & Regularibus injunctum fuerit Nunciis, ut capiant diligentem informationem, & decernant, quod judicaverint opportunum?

VIdetur, non posse, nisi prius constiterit de delictis, 1
quæ privationem, sive depositionem inducunt, & nisi a decretis Nuncii non fuerit appellatum, aliàs enim debet in suis officiis manuteneri, & conservari, donec de meritis causæ cognoscatur, ut de Abbate claustrali ait Post. *de manut. observ.* 45. *num.* 34. & Cavaler. *dec.* 525. Præsertim si non habuerint se prospoliatis, sed ab hujusmodi decretis appellaverint, & recursum petierint ad Sanctam Sedem, hoc est S. Congregationem. Et ideò, pendente recursu, debent interim manuteri in quasi possessione regiminis, & administratione, officiorumque Monasterii, & Monachorum per text. *in c. cùm teneamur* 17. *de appell.* Gratian. *discept.* 769. *num.* 41. Posth. *loco cit. observ.* 11. *num.* 53. 84. *ac seqq.* & apud ipsum Rota *decis.* 336. *n.* 9. *ac* 10. & coram Coccino *decis* 125. *n.* 1. & 4. & coram Cavaler. *decis.* 228. *num.* 4. & coram Gregorio XV. *decis.* 313. *num.* 4. & *dec.* 365. *num.* 3. ac sæpè in aliis.

Et quidem de nullitate constare poterit; Si Nuncius 2
absque legitima facultate processerit ad suspensionem, vel privationem Abbatis. Si namque literis Sac. Congregationis fuerit ei tantummodò injuncta visitatio Monasterii, & Monachorum, sicque poterat ipse visitare, & condere processum de prætensis erroribus, eumque transmittere & posteà expectare ejusdem S. Congregationis decreta, non autem ad suspensionem, vel privationem procedere, inconsulto Romano Pontifice per text. in *can. accusatus, canon. quamvis, can. multum* 3. *quæst.* 6. traditque Abb. *in cap. non potest num.* 5. *de sentent. & re judic.*

Vel si Nuncius processerit absque trina Canonica mo- 3
nitione, & absque sententia in scriptis, servatis aliis requisitis in Constitutione 7. Leonis X. §. 7. quæ ex decreto irritante, adjecto *in* §. 39. in fine sunt necessaria pro validitate, prout etiam de jure advertunt in Abbate Novarr. *in Summ. Bullar. vers. Abbas num.* 12. & Barbos. *Apostol. dec. collect.* 1. *num.* 3. Ideòque nullo modo poterit de jure sustineri hujusmodi suspensio, sive privatio, Tambur. *de jur. Abbat. tom.* 2. *disp.* 5. *qu.* 1. *num.* 4. ubi, quod de jure etiam requiritur in suspensione sententia in scriptis, prævia trina canonica monitione.

De injustitia verò constabit, si nulla comprobaretur le- 4
gitima causa ad suspensionem, vel depositionem necessaria. Ea enim, tanquam pœna gravissima, non est ferenda, nisi pro gravi, & enormi crimine, sive gravissima culpa, Tambur. *loco cit. disp.* 14. *quæst.* 1. *num.* 3. & *disp.* 15. *quæst.* 5. *num.* 6. ubi quod etiam in suspensione requiruntur peccata gravia, & *num.* 7. *in fin.* quod ignorantia juris, vel facti, sicuti excusat a peccato, ita etiam a suspensione.

Nec deveniri poterit ad deputationem œconomi; id 5
enim non licet, nisi quando Abbas nequit amplius administrare, vel quia inhabilis, ut per Cost. *de remed. subsid. remed.* 115. *num.* 22. Vel quia dissipat bona Monasterii, absque legitima causa. Tunc enim poterit etiam suspendi ab administratione, & jurisdictione, Rebuff. *in compend. alienat. rer. Eccl. num.* 110.

Non

6 Non obſtat decretum renunciationis officii a Nuncio emanatum, & ab Abbate ſubſcriptum, ac receptum. Quia in illo agitur de renunciatione in præjudicium ſui ipſius, ac dignitatis Abbatialis in iis, quæ requirunt ordinem, & juriſdictionem Monaſterii, & ſic cum præjudicio publico, & privato, ut per Abb. *in cap. ſi diligenti* 12. *num.* 7. *de for. comp.* Dec. *in cap. ſi de terra n.* 14. *& ſeqq. de privil.* & ſubſcriptio præſumitur facta per metum cadentem in conſtantem virum. Unde deficit liber conſenſus omninò neceſſarius in quolibet actu, & idcircò non valet quoad ipſum factum, nec quoad juris effectum *c. ex eo de regul. jur. in* 6. Alexan. VIII. *deciſ.* 109. *a num.* 13.

7 Metus autem deduci poterit, ſi ſubſcriptio facta fuerit coram ipſo Nuncio, qui renunciationem ſummo cum ſtudio exoptabat. Actus enim geſtus ab officiali, cenſetur factus per metum, *l.* 1. *C. de contr. Judic. l. penult. C. quæ met. cauſ.* Rot. *dec.* 274. *num.* 1. *p.* 8. *rec.* Præſertim ſi acceſſerit comminatio depoſitionis Abbatis facta a Nuncio cum jactura ejus honoris, niſi ipſe ſubſcriberet. Quod pro juſto metu conſiderat Rota, *d. dec.* 274. *n.* 5. *&* 7. Timor enim jacturæ ſuorum jurium, ac privilegiorum cum diſcrimine præſertim honoris ſine dubio actum meticuloſum reddit, Adden. *ad dec.* 217. *n.* 42. *& ſeq.* cum aliis ibi adductis *par.* 9. *rec.*

8 Si concurrerint plures conjecturæ, ac præſumptiones, quæ in hac re admitti ſolent ad probandum metum, Bald. *conſ.* 26. *n.* 2. *lib.* 3. Rota *dec.* 17. *n.* 9. *& dec.* 107. *par.* 10. *& d. dec.* 274. *n.* 2. Ut ſi aderit maxima inveriſimilitudo, quod Abbas voluerit per ſubſcriptionem, & approbationem decreti ſe privare poteſtate, ac juriſdictione in Monachos, ideòque approbatio hujuſmodi nonniſi ex metu proceſſiſſe præſumitur, cùm aliter Abbas juri ſuo ſine cauſa renunciaſſe cenſeatur, Rota *dec.* 17. *n.* 12. *& d. dec.* 274. *n.* 7. *p.* 8. *rec.* Nulla quidem verior poteſt afferri præſumptio in hoc caſu, quàm illa, quod omninò inveriſimile eſt, quod Abbas voluerit ſe privare juriſdictione, & adminiſtratione, ac omnibus juribus, & privilegiis ſuæ dignitatis ſine ulla cauſa, ut in hac ſpecie raciocinantur Maichard. *concl.* 1051. *n.* 41. *& ſeq.* Farinac. *in fragm. crim. verſ. metus n.* 178. Menoch. *lib.* 3. *præſumpt.* 126. *n.* 9. & firmat Rota *dec.* 643. *n.* 19. *par.* 1. *& d. dec.* 17. *n.* 12. *par.* 8. *recent.* ubi quod metu renunciatum præſumitur illud, quod non ita facilè renunciari ſolet, niſi accedat metus, & timor amittendi majora, *& d. dec.* 274. *n.* 6. *&* 7. *par.* 8.

9 Si interceſſerint proteſtationes, & querelæ Abbatis de violentia. Iſtæ enim metum apertè oſtendunt, Rot. *d. dec.* 374. *n.* 3. *ac ſeq.* & coram Ubaldo *dec.* 234. *num.* 7. etiamſi ſint extrajudiciales, Ruin. *conſ.* 131. *n.* 24. *& ſeq. lib.* 4. Dec. *conſ.* 129. *n.* 2. Surd. *dec.* 194. *n.* 26. Rot. *dec.* 274. *num.* 3. *par.* 8. ubi etiam ſi factæ ſint, dato aliquo temporis intervallo, juſta concurrente cauſa, ut *deciſ.* 341. *n.* 1. *& n.* 2. *par.* 10. *rec.*

10 Si nulla cauſa ſubſiſtente Nuncius profeſſionem contra Abbatem abſque canonica monitione, ac de facto potiùs, quàm de jure, quòd ſanè metum concludit, ut advertit Rota coram Gregorio *dec.* 526. *n.* 26.

11 Si Abbas non ſubſcripſiſſet, ſeditio facta eſſet, tumultus autem popularis, ſive militaris cauſat metum cadentem in virum conſtantem, habilem ad irritandum actum, ut conſuluit Bald. in cauſa electionis Urbani VI. *in qu. poſt ejus lectur. ad. l. fin. C. de edict. Div. Adr. tollen. n.* 27. 33. *ac* 37.

12 Non obſtat, quod Abbas poteſt remittere ea, quibus renunciavit. Nam quilibet favori ſuo renunciare poteſt. Diſtinguendum etenim eſt. Aut agitur de jure merè perſonali, & concernente dumtaxat favorem renuntiantis, & vera eſt objectio. Aut agitur de jure, quod licèt competat perſonæ particulari, eſt tamen implicatum publico favori, vel ſaltem tangit aliorum utilitatem, & hoc caſu renunciatio non ſuſtinetur, ne reſpectu quidem renunciantis, quando jus privati renunciantis ſeparari non poteſt a jure publico, vel a jure ad aliorum beneficium introducto. Ita diſtinguit Abb. *in d. cap. ſi diligenti num.* 7. *de for. comp.* Felin. *ibid. n.* 16. Dec. *in cap. ſi de terra num.* 14. *de privil.* Covar. *in cap. Quamvis pactum par.* 2. *ſub initio num.* 9. *de pact in* 6. Sicque renunciatio facta per Abbatem non ſuſtinetur. Quia verſatur vel circa juriſdictionem Abbatialem, vel circa regimen Monachorum, vel circa œconomiam, & gubernium Monaſterii. Quæ omnia diſjungi nequeunt, quia continent vel jus publicum Abbatis, vel utilitatem Monachorum, & totius Monaſterii, & quia jura renunciata vel ſunt de jure communi Canonico, vel ex Conſtitutionibus Apoſtolicis annexa dignitati Abbatiali; unde eo minus eſt licita renunciatio per textum *in l. jus publicum cum aliis, ff. de pact.*

Et quoniam renunciatio hujuſmodi adverſatur regimini Monaſterii tàm in ſpiritualibus quàm in temporalibus ſubintrat concluſio, quod non licet Abbati, qui eſt caput Monaſterii, & Collegii id, quod non liceret membris particularibus, nimirum Monachis, nempè quod poſſit renunciare iis, quæ vertuntur in detrimentum totius Collegii, ac Monaſterii, ut eſſet profectò, ſi verus Abbas non præſideret, Canonicus gubernator non regeret, verus Oeconomus non adminiſtraret, ceu notant Canoniſtæ *in d. cap. ſi diligenti*; & proſequuntur Alexander de Nævo *conſ.* 56. *n.* 1. cum aliis cumulatis a Graff. *de effect. Cleric. cap.* 1. *n.* 43 Bellet. *par.* 4. *diſquiſ. Cler. tit. de favor. Cleric. perſon. §.* 2. *n.* 28. 13

His tamen minimè obſtantibus, Abbas non eſt reſtituendus ſuis juribus Abbatialibus, ſed ſervanda ſunt decreta a Nuncio Apoſtolico emanata pro regimine Monaſterii tàm in ſpiritualibus, quàm in temporalibus, donec deponatur, ut aliàs depoſuit S. Congregatio Abbatem Olivetanum 3. Decembris 1649. 14

Nuncius enim Apoſtolicus, tanquam gerens vices Summi Pontificis, habet poteſtatem ordinariam in omnes ſubditos ſuæ Provinciæ, etiam exemptos, *cap. Cùm venerabilis de conſuet. cap.* 1. *de offic. leg.* & docet Specul. *in tit. de legat. §. nunc oſtendendum*; atque adeò poteſt eos judicare, corrigere, punire, excommunicare, carceribus mancipare, deponere, degradare, ſuſpendere, ac interdicere, ut fusè Gambar. *de author. legat. cap.* 21. Eſtque miſſus, ut evellat, diſſipet, ædificet, plantet, ut per Villadieg. *de legat. part.* 1. *quæſt.* 16. *num.* 12. Guttier. *q. canon. lib.* 1. *cap.* 11. *n.* 4. *& ſeqq.* Seraph. *dec.* 845. *n.* 7. & procedere poteſt, etiam juris ordine non ſervato, Adden. ad Specul. *cod. tit. §.* 4. *n.* 6. 15

Maximè autem poterit Nuncius ſuſpendere Abbatem ab adminiſtratione temporalium, & ſpiritualium, ſi procedat ex authoritate S. Congregationis hiſce verbis expreſſa: *Capiat diligentem informationem, & decernat, quod judicaverit opportunum*: Hæc autem verba non important, quod Nuncius debeat referre S. Congregationi, ſed quod jura de novo induceret, ac formaret juxta eorumdem verborum ſignificationem, ut per Barboſ. *dict.* 79. *n.* 1. *&* 2. 16

Quare non ſolùm poteſt Abbatem deponere, ſed multò magis juriſdictionem ei coarctare, quod ſanè poteſt a ſuperioribus ad ſuum arbitrium fieri, ac præcipere Abbatibus, aliiſque Prælatis, ne in hoc, vel illud ſe ingerant, ut docet Suarez *de relig. lib.* 2. *c.* 3. *n.* 22. *& ſeqq.* Idque etiamſi fieret injuſtè, ac inordinatè, ut per eundem Suar. *ibid. n.* 25 *ac ſeq.* 17

Quod ſi Regulares recurrant ad Summum Pontificem, donec non revocetur præceptum, debet illud ſervari, Suar. *loc cit. lib.* 3. *cap.* 11. *n.* 9. & donec non conſtiterit de notoria injuſtitia, non debet aliquid innovari, Cov. *pract. qu. c.* 33. *n.* 6. *&* 8. Suar. *loc. cit.* Conſtitutio Clementis VIII. quam refert Tambur. *de jur. Abb. tom.* 1. *q.* 13. *n.* 13. in qua enumerantur cauſæ, propter quas poſſit Abbas ſuſpendi ab officio, ac deponi, & decernitur his verbis: *Si verò circa hujuſmodi depoſitionis ſententiam in modum tantùm, vel ordine ſit erratum, cauſa verò legitima ſit, depoſitus non eſt reſtituendus.* 18

Inter autem juſtas cauſas ſuſpendendi Abbatem ab officio de quibus Tambur. *loc. alleg.* præcipua eſt ſcandalum, ut ſi Monachi vellent obſiſtere Abbati, ii enim Abbati malè adminiſtrandi obſiſtere poſſunt, ut per Abb. *in cap. per inquiſitionem de elect.* Tamburin. *ibid. tom.* 3. *quæſt.* 8. *num.* 2. Ad evitandum autem ſcandalum tenetur Religioſus obedire ſuperiori, etiam cum ſuo damno, ac juri ſuo cedere Peyrin. *de ſubdit. quæſt. prima cap.* 7. 19

Ideòque poteſt Abbas, confirmando decretum Nuncii juri ſuo cedere. Quiſque enim juri ſuo cedere poteſt, *l. ſi quis in conſcribendo, C. de Epiſc. & Cleric.* Nec diſtinctio Panormitani ſuperiùs adducta, quod non poſſit renunciari juri mixto, locum habet in hoc caſu. Exemplum enim exhibet illius diſtinctionis Rota in Clerico, qui non poteſt ſe ſubjicere Judicibus laicis, renunciando juri Clericali, quod competit Ordini, *ut in Ulyſipponenſi Monaſterii* 1625. coram Remboldo apud Tamburin. *de jur. Abb. diſp.* 81. *n.* 8. Abbas verò renunciat juri ſuo perſonali, & poteſt etiam renunciare Abbatiam, Pariſ. *de reſignat. lib.* 3. *quæſt.* 1. *nu.* 68. Quinimmò Nuncius in actu viſitationis poteſt ſine forma judicii deponere Abbatem ab adminiſtratione, & officio, ut in Bullario Caſinenſi *Conſtitut.* 49. *num.* 2. *& Conſtitut.* 53. *num.* 6. *&* 15. 20

Neque Abbati ad effectum manutentionis juvat allegare metum, quia debet prius a renunciante concludentiſſimè probari, Pariſ. *loc. cit. lib.* 13. *quæſt.* 4. *num.* 3. *& ſeq.* ubi alii plures, debetque probari per actus proximos, 21

ximos, aliàs non eſt attendendus, Pariſ. *ibid. q.* 1. *num.* 107. *& ſeq.* Et quando quis metum patitur propria culpa, non dicitur metus injuſtus, *l.* 3. *§. Sed vim, ff. quod met. cauſ.* Alex. *conſ.* 99. *ſub init. lib.* 3. Maſcard. *de prob. concl.* 1051. *num.* 31. & Pariſ. *d. q.* 1. *n.* 125.

22 Religio verò Monahorum S. Benedicti eſt exempta expreſsè a juriſdictione Nunciorum, ut in ſpecie firmavit Rot. coram Coccino *dec.* 83. *num.* 1. & conſtat ex Conſtitutione Eugenii IV. confirmata a Julio II. ac regeſta per Tamburin. *de jur. Abb. tom.* 1. *fol.* 450. ac per Rodriq. *in collect. privil. Regul. Conſtit.* 7. *Eugenii IV.*

23 Unde non obſtaret, ſi Nuncius aſſereret ſe habere facultatem ſpecialem viſitandi, vel corrigendi Monaſterium expreſsè exemptum a ſua juriſdictione. In hoc enim caſu non tenetur Abbas ei credere, niſi prius Nuncius tranſmittat exemplar hujus ſpecialis facultatis. Nam nec Legato quidem a latere creditur, niſi in iis ſolùm, quæ ei competunt de jure communi ex generali officio legationis, non autem in iis, quæ ſpecialiter conceſſa prætendit, ut dixit Rota coram Seraph. *dec.* 142. *num.* 1. & in terminis quod citatio ſit nulla, ſi Cardinalis Legatus non mandaverit inſeri Breve facultatum ſpeciatim ſibi conceſſarum, ſtatuit Rota in Conimbrien. Decanatus 19. Novembris 1593. coram Millino apud Farin. *poſt primum vol. conſ. dec.* 95. *num.* 2.

CONSULTATIO XI.

An tempus, quod requiritur in aſſequendis officiis, muneribus, ac dignitatibus Eccleſiaſticis, tàm regularibus, quàm ſæcularibus debeat eſſe completum? Ubi ad id exempla. Quid de manutentione in officiis, ac dignitatibus eorum, qui tempus a Conſtitutionibus requiſitum minimè ſervarunt?

1 SUnt qui affirment. Nam ubi tempus ab aliqua Conſtitutione in menſura certa reperitur determinatum, jam ſequitur, ut ſi minima queque pars temporis defecerit, unaque dumtaxat dies, nihil actum eſſe dicatur. Textus ad rem hanc *in l. fin. §. Quoties ff. de public. & veſtig.* ubi privilegia mancipii veterani conſequi quis non poteſt, niſi in urbe per annum continuum ſerviat, ibique Bart. *num.* 3. exemplificat de Fratribus minoribus, firmans tempus debere eſſe integrum, & undequaque perfectum. Egregiè Suarez *de relig. tom.* 3. *lib.* 5. *cap.* 15. *num.* 1. dicens, quod ubi lex, vel Conſtitutio taxat tempus, tunc præcisè, & quaſi in indiviſibili conſtituit talem menſuram. Ex qua ratione concludit annum novitiatus debere eſſe integrum, ac perfectum, ut computetur de momento ad momentum, itaut unius diei detractio profeſſionem irritet, traditque Sanch. *lib.* 2. *de matr. diſp.* 24. *num.* 22. ex adem ratione, quia tempus ordinatum a lege, vel ſtatuto debet eſſe completum ad ultimum uſque momentum, *& in decal. tom.* 2. *lib.* 5. *cap.* 4. *num.* 32. ait, quod tempus petitum ad aliquem actum cenſetur peti tanquam forma, itaut nec minimum quid integritati temporis detrahi poſſit citra nullitatem actus. Adſtipulantur Diana *par.* 5. *tr.* 5. *de parvit. mater. regul.* 19. ubi quod hic eſt caſus, in quo parvitas materiæ, ſcilicèt temporis a lege præfixi irritat actum, Leſſius *lib.* 2. *de juſt. & jur. cap.* 41. *dub.* 7. *num.* 59. Caſtropal. *tom.* 3. *tr.* 6. *diſp.* 1. *pun.* 12. *numer.* 8. *cum ſeqq.* Tambur. *de jur. Abb. diſp.* 6. *q.* 11. *a num.* 15. Et ex hac eadem ratione pleniſſimè firmavit Rot. in Burgenſi nullitatis profeſſionis coram Arguelles 16. Aprilis 1649. *§. Enim verò, & §. Qui omnes rationem reddunt*, quod ubi fit mentio de tempore a lege, vel Statuto, cum *§. ſeq.*

2 Ubi igitur ex. gr. taxatur tempus *ſaltem* biennii iis Regularibus, qui paternitatem Provincialem deſiderant, ut nimirum in illis permanere debeant *ſaltem* per biennium conſtare debet de hac permanentia. Et ponderanda eſt ultra præciſam determinationem dictio *ſaltem*, per quam majus quidem tempus biennii Conſtitutio, ſive lex laudat, ſed minori tempore nullatenus contentatur, ut per Cæſar. de Graſs. *dec.* 6. *in fin. de præb.* Gregor. *dec.* 434. *num.* 7. ut ex hoc non taxationem tantùm temporis, ſed irritationem actus Conſtitutio præferat, ſi ad ultimum uſque momentum tempus non fuerit integrum propter vehementem applicationem, quam circa temporis determinationem adhibuit ut poſt alios latè comprobant Vela *diſſert. jur.* 21. *num.* 35. & Eſcobar. *in tr. de utroq. for. art.* 2. *num.* 8.

3 Prout etiam non ſine magna animi applicatione Conſtitutio appoſuerit verbum *Permaneat*, ut ſcilicet tempus acceſſus & receſſus non ſit in id tempus computandum, ſed illud integrè in ipſamet actuali permanentia intra limites deſtinatæ, Provinciæ requirat. Non enim in loco manere dicitur, qui ad locum accedit, ſed qui in eo conſiſtit, ut ex Nonio Marcellino. Hinc mora, quam in alio loco traheret, non eſt computanda in adimplementum permanentiæ biennalis, jam ſemel ab ipſo voluntariè interruptæ per egreſſum a Provincia. Data enim diſſolutione voluntatis cum migratione a Provincia, tempora amplius non conjunguntur, ut in ſpecie tradit Bartol. *in d. l. fin. §. Quoties n.* 2. *& 3. de public. & veſt.* ubi ponit exemplum de fratribus Minoribus, & ait quod dicitur veteranus ille, qui ante annum voluntariè exivit è Monaſterio, quamvis poſtea iterum ingrediatur, & quod pariter veteranus non dicitur, qui detulit habitum per annum, ſed eum non detulit, ut profiteretur. Peropportunè ad hanc rem Suar. *de relig. diſt. tom.* 3. *lib.* 5. *cap.* 15. *n.* 1. Sanchez *in decal. loc. cit. n.* 32. Lapus *alleg.* 46. *n.* 3. *& ſeq.* ac fusè Rot. *in d. Burgen. nullitatis profeſſionis a §. Cùm ergo*, ubi firmat tempus ſemel moraliter interruptum ex voluntate illius, cui tempus præfixum eſt pro forma, non renovari, nec conjungi cum tempore ſubſequenti, ac pluribus, & fortioribus modis id ampliat.

Quinimmò ne Pater quidem Generalis poterit indulge- 4
re, ut Regularis moretur extra Provinciam, ſimulque conſequatur paternitatem, quæ habet pro conditione formalem permanentiam biennalem in Provincia. Quia forma eſt a Summo Pontifice præſcripta, & idcircò nequit illam Pater Generalis Pontifice inferior, immutare; alioquin eſſet in ſua poteſtate, aut ingreſſum ipſum in Provinciam impedire, aut ſtatim poſt ingreſſum ingredientem è Provincia evocare. Quod abſonum, & abſurdum eſt, cùm ne Generalis quidem poſſit Conſtitutiones formales ſuæ Religionis commutare, ut per Suar. *de Relig. tom.* 4. *lib.* 2. *cap.* 45. *n.* 8. ubi copiosè more ſuo Sanch. *in decalog. lib.* 9. *cap.* 4. *n.* 71. multoque minus Conſtitutiones Pontificias, habentes clauſulam *ſublata*, & decretum irritans quemadmodum tradit Rota *dec.* 231. *n.* 3. *ac* 12. *par.* 5. *dec.* 599. *n.* 3. *& dec.* 574. *n.* 27. *ac* 28. *par.* 8. *rec.*

Ac itaut, ne impotentia quidem excuſet ab exequutio- 5
ne formæ ſubſtantialis, quia deficit tunc voluntas concedentis, qui præcogitavit formam actus, non impotentiam agentis, *§. Impoſſibile Inſtit. de inutil. ſtipul. l. non ſolùm, ff. de act. & oblig.* Sarmient. *l.* 1. *Select. interpret. c.* 4. & poſt alios abunde Duran. *de cond. & mod. impoſſib. par.* 2. *cap.* 2. *n.* 26. cum ſequentibus, deque impedimento tenetur expreſsè proteſtari, aliàs ſine proteſtatione impedimentum, etiam juſtum, non ſuffragatur, ut ex actu ob illud omiſſo, impeditus privilegia conſequatur, Alex. *in l. qui in aliena, §. Cenſus n.* 6. *ff. de acqu. hær.* excuſatio enim ex impedimento, ſi non præceſſerit proteſtatio, non juvat, Jaſ. *in l. de pupillis, §. ſi quis ipſi Prætori n.* 2. *ff. de nov. oper. nunc.* Cravet. *conſ.* 151. *n.* 23.

Et ſanè, quidquid ſit, an abſentia excuſet a pœna 6
inflicta abſenti, certum quidem eſt, quod non afficit, ut abſens conſequatur emolumenta, & dignitates, quæ præſentibus impertiuntur, licèt abſentia eſſet neceſſaria, & ob cauſam Reipublicæ per text. *in lib.* 1. ibi, *Stipendia, & donativa temporis, quo apud hoſtes fuiſſe te dicis, reſtitui tibi poſt liminio regreſſo, non jure deſideras, Cod. de re milit. lib.* 12. Et quod abſentia, ſive aliud impedimentum neceſſarium non ſuffragetur ad conſequendum præmium, quod datur præſentibus, docet Bald. *in l. Si uno, §. Item cùm quidam* propè finem, Abbas, ac cæteri Canoniſtæ *in cap.* 1. *de Cler. ægrot.* lateque confirmat Covar. *lib.* 3. *var. cap.* 13. *n.* 8. Quia forma Conſtitutionis eſt omninò ſervanda, illiuſque conditiones adimplendæ, Rota *in rec. dec.* 673. *n.* 5. *par.* 3. *& dec.* 73. *n.* 16. *par.* 7. concurrente præcipuè decreto irritante, & clauſula ſublata, ut per Rotam *dec.* 16. *n.* 13. *par.* 6. *rec.* cumque permanentia per biennium ſit quid facti, ipſe Regularis debet plenè, & concludenter probare, Maſchard. *de prob. concl.* 1248. *n.* 9. Rot. *dict. dec.* 673. *n.* 2. *p.* 3. *rec.* Idque adeò clarum, ac certum eſt, ut nulla egeat probatione, Burat. *dec.* 120. *n.* 8. itaut non ſufficiant urgentiſſimæ præſumptiones, Burat. *dec.* 773. *n.* 7. Sique probatio non fuerit perneceſſe concludens, non eſt attendenda, Pegna *dec.* 29. *n.* 12. *& dec.* 234. *n.* 13. *& ſeq.* etiamſi teſtes deponant de publica voce, & fama; nam vel talis fama non remanet probata ex eidem teſtibus, ſi nullum habeant conteſtem de viſu, & non deponant ſe audiviſſe a majori parte populi, neque reddant rationem ſui dicti per ſenſum corporis, ex cumulatis a Maſchardo *concl.* 749. *n.* 2. & 11. Vel non ſufficit probatio per famam in hujuſmodi rebus, quæ requirunt probationem concludentem, Pegna *deciſ.* 522. *n.* 8. *& deciſ.* 634. *num.* 4.

At nihilominus hìc Provincialis, qui hactenus potitus 7
eſt præcedentia, definitorio, aliiſque honoribus, ac privilegiis, quibus cæteri Provinciales, durante Provincialatu, eoque etiam exacto, potiri ſolent, ac debent, manuten-

nutenendus videtur in ſua poſſeſſione, ſi conſtiterit de poſſeſſione, ſive quaſi, quæ quidem ſola ſatis eſt ad manutentionem obtinendam, Cancer. *var. reſol. cap.* 14. *num.* 3. *par.* 3. Seraphin. *dec.* 342. *num.* 1. Rota *dec.* 155. *num.* 1. *par.* 4. cum ſummariiſſimo attendatur ſolummodò nudum factum ipſius poſſeſſionis, ſive detentionis, Rota *dec.* 573. *num.* 5. *part.* 2. *recent.* Quod generaliter procedit ad effectum, ut manutentio detur in quaſi poſſeſſione jurium, ac rerum incorporalium Aret. *in §. retinenda num.* 2. *Inſtit. de interd.* Tiber. *in prax.* 4. *C. lib.* 2. *cap.* 7. *num.* 2. *ac* 3. Seraph. *dec.* 277. *num.* 1. & 2. & *dec.* 239. *num.* 9. Cenc. *de cenſ. dec.* 232. *num.* 1. & ſpeciatim in quaſi poſſeſſione præeminentiæ, ac præcedentiæ, Menoch. *conſ.* 52. *num.* 49. Rota *dec.* 595. *part.* 4. *diverſ.* Coccin. *dec.* 46. *ac dec.* 452. *num.* 1. & in quaſi poſſeſſione aſſiſtendi, ac intereſſendi Capitulo, Rot. *dec.* 397. *p.* 2. *rec.* Coccin. *dec.* 490. *num.* 1. necnon, & in quaſi poſſeſſione ferendi ſuffragium, Rota *dec.* 465. *num.* 1. & 2. *part.* 1. *rec.* & *d. dec.* 397.

8 Quaſi autem poſſeſſio concludenter ex eo comprobari poterit, ſi ipſe palam, vidente ac patiente Capitulo generali, interfuerit Definitorio generali, ibique ſuffragia tulerit, præcedendo etiam aliis Prnvincialibus recentioribus, quod liquere debet ex depoſitione duorum Teſtium, ſive ex actis Definitorii, & Capituli generalis, quæ faciunt notorium, *l. Divus, ff. de offic. Præſid. l. Qui ſententiam, C. de pœn. cap. cum olim*, ibique Abb. *n.* 3. *de verb. ſignificat.* & Gramm. *dec.* 36. *num.* 38.

9 Unde fit, quod ſicuti admiſſus fuit ad hujuſmodi actus, qui citra nomen, jus, ac privilegium juſti, ac legitimi Provincialatus ab eo exerceri non potuiſſent, ita denegari illi nequeat manutentio in quaſi poſſeſſione aliorum actuum ex eodem privilegio, ac jure competentium. Quandoquidem quaſi poſſeſſio univerſalis acquiritur per unicum actum, etiam particularem, quando, ut in hoc caſu, cauſa utentis eſt univerſalis, Giovagnon. *conſ.* 9. *num.* 44. *lib.* 1. Rot. *dec.* 139. *num.* 12. *part.* 2. *diverſ.* Rot. poſt Vivian. *de jurepatr. dec.* 88. *num.* 8. cùm in hujuſmodi poſſeſſoriis magis attendatur cauſa actus, quàm ipſe actus, & ipſius actus exercitium, Gratian. *diſcept.* 425. *num.* 43. Lotter. *de re benefic. tom.* 1. *lib.* 1. *q.* 38. *n.* 127. ac Rota *dec.* 583. *n.* 1. *par.* 1. *rec.*

10 Ideòque privilegium continens plura capita, conſervatur in omnibus, ſi fuerit ad exercitium deductum quoad quædam, Add. ad Ludoviſ. *dec.* 557. *n.* 9. Poſt. *de manuten. obſerv.* 73. *n.* 150. & actus præcedentiæ, ac præeminentiæ unius ſpeciei ſuffragantur manutentioni, etiam in aliis, dum omnes habent cauſam univerſalem uniformem, Burat. *dec.* 903. *n.* 1. Quæ congruentius procedunt in caſu, in quo probatur exercitium actuum magis principalium, ac univerſalium Provincialatus cohærentium, cujuſmodi ſunt aſſiſtentia, viſitatio, & præcedentia in Capitulo generali. Actus enim univerſales magis influunt ad acquiſitionem quaſi poſſeſſionis univerſalis quoad alios actus particulares ſub univerſalitate ejuſdem cauſæ comprehenſos, Tuſch. *verſic. Poſſeſſio concluſ.* 422. *n.* 3. Poſth. *loc. cit. n.* 130. & *ſeqq.*

11 Præcipuè verò ſi Pater Generalis per expreſſas literas eidem Patri Provinciali conſcriptas non ſolùm fateatur eum eſſe in quaſi poſſeſſione paternitatis Provinciæ, ſed etiam aliàs manutentionem eidem conceſſit. Concludenter enim poſſeſſio ad effectum manutentionis dicitur probata ex mandato de manutenendo, aliàs eidem poſſeſſori conceſſo, quod non datur, niſi poſſeſſionem habenti, Mantic. *deciſ.* 252. *num.* 2. Cavaler. *deciſ.* 217. *num.* 2. & *dec.* 242. *num.* 1. & *dec.* 501. *num. item* 1. *ac dec.* 505. *n. pariter* 1. Præſertim ſi ſequuta fuerit illius exequutio, ut per Poſt. *obſerv.* 29. *num.* 11. & *ſeqq.* prout probata quoque dicitur ex confeſſione emanata in literis miſſivis, Cavaler. *dec.* 432. *num.* 1. Quæ pluris eſt facienda, cùm ea ſit ipſius Patris Generalis, qui non modò præſumitur apprimè informatus de meritis, ac juribus ſubditorum, ſed ſic etiam confitendo, ac declarando adverſariis præjudicium intulit, perinde ac ſi hoc ipſimet confeſſi fuiſſent, cum factum Judicis reputetur factum partis, Cavaler. *dec.* 219. *n.* 2. & *ſeq.*

12 Neque petitæ manutentioni refragari poteſt, quod Pater Provincialis non reſederit in ſua Provincia per biennium, ut frui poſſit honoribus, ac prærogativis, ab ipſo Provincialatu fluentibus. Ideòque, ſtante Apoſtolica Conſtitutionum confirmatione, quæ id ſtatuunt cum clauſula *ſublata*, & decreto *irritante*, agi non poſſit de manutentione, quaſi decretum irritans irritet, inficiat, & vitiet poſſeſſionem, dominium, ac titulum habentis illud contra ſe, itaut nec manutentio detur, Poſt. *obſerv.* 46. *num.* 5. neque locus ſit alicui remedio poſſeſſorio, *ibid. num.* 7. Cùm ſit penetrabilius omni gladio ancipiti, *n.* 8. & junctum cum clauſula *ſublata* claudat os Parti, tollatque facultatem aliter judicandi, & poſſeſſionem ſic ex eo infectam manutenendi, Rota *dec.* 17. *n.* 57. poſt ejuſdem *tr. de manutent.*

Nam reſpondetur, prædicta, & hujuſmodi alia pro- 13
cedere, quando certum eſt, quod ſubintret diſpoſitio, ſive privilegium, in quo dictæ clauſulæ ſunt appoſitæ; aliàs dum de eo dubitatur, & donec dictæ clauſulæ comprobentur, poſſeſſorem in ſua poſſeſſione eſſe manutenendum, aſſerunt omnes apud eundem Poſt. *obſerv.* 46. *n.* 15. & *dec.* 139. *n.* 12. & *dec.* 182. *n.* 5. & *dec.* 194. *n.* 8. & *deciſ.* 215. *n.* 19. *ac* 25. & *deciſ.* 286. *n.* 4.

Quare conſtare debet, quod ſubintret diſpoſitio ejuſ- 14
modi Conſtitutionis, & proindè a Parte adverſatrice probari debet negativa aſſertæ reſidentiæ in Provincia, prout opus omninò eſt fundanti ſe in illa, ſive agendo, ſive excipiendo, Brun. a Sole *in loc. commun. v. negativa*, Adden. ad Burat. *deciſ.* 10. *num.* 30. Ideòque, ea non probata, interim Pater Provincialis præſumitur reſediſſe, ac omnia cætera adimpleviſſe, quæ neceſſariò præcedere debuerant ad acquirendam iſtam poſſeſſiònem, quia pro poſſeſſore magna viget præſumptio, Menoch. *conſ.* 1171. *num.* 20. Poſt. *obſerv.* 1. *n.* 21. habetque fundatam intentionem in ſola poſſeſſione, Angel. *de acquir. poſſeſſ. quæſt.* 8. *art.* 34. *num.* 833. & dicitur conſtare de bono illius jure ſtatim ac conſtat de poſſeſſione, vel quaſi Rota *poſt tract. de manuten. dec.* 200. *n.* 1. *ac* 6. & *dec.* 281. *n.* 1. adeòut transferatur onus probandi in actorem, quo non probante, reus, ac poſſeſſor regulariter eſt manutenendus, ut latè per Poſt. *d. obſerv.* 1. *n.* 12. & *ſeq.*

Et quatenus probaretur non reſidentia per biennium, 15
non inde tamen probata remaneret inobſervatio Conſtitutionum; nam iſtæ, prout cætera omnia ſtatuta, paſſivam recipiunt interpretationem a jure communi, Pariſ. *conſ.* 167. *in fin. lib.* 4. Bartol. *in l. omnes Populi num.* 53. *ac* 60. *de juſt.* & *jur.* Altograd. *conſ.* 31. *num.* 42. & *conſ.* 58. *num.* 36. Ideòque pati etiam debent omnes interpretationes, limitationes, & conditiones a jure communi datas in materia, de qua diſponunt, Butr. *conſ.* 9. *n.* 4. & Caſtr. *conſ.* 466. *n.* 2.

Atqui de jure communi Prælatus impunè abeſſe po- 16
teſt a reſidentia per tres menſes ſingulis annis ex æqua cauſa, ſoli conſcientiæ non reſidentium relicta, ut expreſsè diſponit Sac. Concilium Tridentinum *cap.* 1. *ſeſſ.* 23. *de reform.* Ergo non ſufficit, quod probaretur non reſidentia per biennium integrum, quia reſidendo per duodeviginti menſes ex dictis, Conſtitutioni fit ſatis.

De jure item communi reſidentia ex cauſa rationabi- 17
li eſt diſpenſabilis, licèt enim eam eſſe de jure divino magis communiter traditum ſit, ut per Cajetanum 2. 2. *quæſt.* 81. *art.* 5. Sot. *de juſt.* & *jur. lib.* 9. *quæſt.* 2. *art.* 1. & 2. & Covar. *var. reſolut. capit.* 3. *num.* 9. hoc tamen accipiendum eſt de jure divino latè ſumpto, & per hominem, ut diximus, diſpenſabili ex juſta cauſa, ut doctè probat Corduba *lib.* 1. *quæſt. theologic. quæſt.* 19.

Non igitur probata non reſidentia, ſtatim certum eſ- 18
ſet, habere locum decretum irritans. Nam, & ſi aliàs clara, & notoria exceptio non juris poſſeſſoris manutentionem impediat, Giovagn. *conſ.* 7. *num.* 114. *lib.* 2. Seraphin. *dec.* 810. *num.* 14. Ludoviſ. *dec.* 425. *num.* 3. & 4. talis tamen non eſt exceptio non reſidentiæ ob impoſſibilem contrariam probationem diſpenſationis, cùm dici non poſſit conſtare de non jure poſſeſſoris, quandiù doceri poteſt de jure Seraph. *dec.* 555. *n.* 8. Rota poſt *tract. de manut. deciſ.* 74. *num.* 17. & *dec.* 99. *num.* 10. *part.* 1. *diverſ.* adeòut non ſufficiat, quod conſtet de non jure ex aliquo capite tantùm per confeſſionem ipſius poſſeſſoris, aut rem judicatam quia non idcircò redditur notorium illius non jus, donec de aliqoo alio titulo docere poſſit, Rota *dec.* 516. *num.* 5. *part.* 1. *rec.*

Si ergo probaretur quod Pater Provincialis a Provin- 19
cia ſua evocatus fuerit a Patre Generali, eique obtemperaverit, nihil ſanè illi imputari poſſe ob diſpenſationem ei conceſſam, & quam concedere cenſetur Prælatus eo ipſo, quod præcipit contra regulam ex juſta cauſa, quo in caſu obedientes ſubditi ſe in omnibus præbere debent, ut in ſpecie tradit Miranda *in man. Prælat. reg.* 31. *art.* 8. *concl.* 2. *tom.* 2.

Diſpenſationis autem, ac præcepti juſta cauſa eſt. ſi 20
concurrat aliqua cauſa non reſidendi, quam Sacrum Concilium Tridentinum *d. ſeſſ.* 23. approbationi Metropolitani remittit, nempè Chriſtiana charitas, urgens neceſſitas, debita obedientia, & evidens Eccleſiæ, vel Reipublicæ utilitas. Authoritas autem, & poteſtas Patris Generalis in ſuos ſubditos æqualis eſt poteſtati, qua pollent Primates, Patriarchæ, Archiepiſcopi, & Epiſcopi in ſuis Diœceſibus, cùm de jure communi ſit verus, legitimus, ac ſupremus Prælatus ſuæ Religionis, itaut poſſit cum ſubditis diſpenſare in omnibus illis caſibus,

in

in quibus expreſsè non eſt prohibitus, ut per Mirand. *loco citat. reg.* 7. *art.* 1. ubi etiam adſtruit, quod, exceptis caſibus, Summo Pontifici reſervatis, poteſt Generalis in ſuos ſubditos ea omnia, quæ poteſt Summus Pontifex in Eccleſia univerſali, allegatque Navarr. *in cap. nullum d. q.* 2. *numer.* 4. & generatim quod Prælati regulares diſpenſare poſſint ex cauſis, a Tridentino Concilio adductis, firmat *quæſt.* 30. *art.* 5.

21 Quinimmò, ceſſantibus juſtæ abſentiæ cauſis, ſufficit licentia Generalis, ut Provinciales pro ſuis privatis negotiis, veluti ſuos domeſticos inviſendi cauſa, impunè abeſſe poſſint a ſuis Provinciis ultra tres menſes, ut per Mirand. *q.* 9. *art.* 5. ubi æqualem faciunt licentiam Papa, & Generalis.

22 Quod ſi etiam probetur, Patrem Provincialem ob bellum, aut aliam temporum calamitatem ingredi non potuiſſe ſuam Provinciam, hæc ſola impoſſibilitas reſidendi excuſat non reſidentem. Nam abſentia ex cauſa belli juſtum præbet impedimentum non accedendi ad locum, in quo quis adeſſe tenetur, Menoch. *conſ.* 53. *num.* 4. & 5. Fariñac. *quæſt.* 11. *num.* 52. & protrita eſt regula, quod neceſſitas legem non habet *cap.* 1. *de exceſs. Prælat. in* 6. ac Cæphal. *conſ.* 451. *num.* 300. Bellum autem inducit neceſſitatem cauſantem, ut illicita licita fiant, Tuſch. 1. *Bellum concluſ.* 38. *num.* 3. & eſt caſus non reſidentiæ expreſſus a Sacro Concilio Tridentino *capit.* 1. *ſeſs.* 23. *de reform.* nempè urgens neceſſitas.

23 Omniſque ceſſaret difficultas, ſi obſervatio Conſtitutionum Ordinis committatur arbitrio Patris Generalis, ut ſi Conſtitutiones ab omnibus fratribus, ac perſonis, quantum fieri poſſit, & expedire Pater Generalis judicaverit obſervari authoritate Apoſtolica curet, &c. Verbum enim *judicaverit* importat arbitrium boni viri, Menoch. *de arbitr. quæſt.* 8. *num.* 58. moderatum a jure, Signorol. *conſ.* 210. *num.* 9. Pariſ. *conſ.* 95. *num.* 22. *lib.* 1. & illa clauſula, authoritate Apoſtolica curet, alterat juriſdictionem ordinariam, eamque facit delegatam, Bartol. & Alex. *in l. merè major, ff. de juriſdictione omn. Judic.* Mart. *de clauſ. part.* 1. *clauſ.* 186. *n.* 8. Immò importat liberam poteſtatem, Bart. *in l. Creditor, §. Lucius, ff. de mand.* Abb. *in cap. intelleximus de judic. & in cap. expoſuit. de dilat.* Marta *ibidem num.* 7. Ac proinde Patrem Generalem authoritate Apoſtolica, quoties ita judicaverit expedire, diſpenſare poteſt cum ſubditis in obſervatione Conſtitutionum.

24 Eoque præſertim, ſi decretum, quo excluſus fuit Pater Provincialis, fuerit latum præcipitanter eadem die factæ ex adverſo petitionis; hoc enim caſu eſſet nullum, Rota apud Poſt. *deciſ.* 119. *num.* 9. Præſumitur enim emanaſſe abſque cauſæ cognitione, Mantic. *deciſ.* 165. *num.* 2. Regularium enim ſuperiores in judicandis ſubditorum cauſis non eximuntur a jure communi, neque ab iis, quæ ſunt de ſubſtantia, & eſſentia juris, ex quo legitimas audire debent defenſiones, cùm ſine ipſis judicium eſſet iniquum, ubi audiretur impugnatio, & non defenſio, ut poſt alios benè multos advertit. Ghisl. *de Judic. regul. cap.* 13. *num.* 13. Ut idcircò adverſus decretum, & factum Judicis nulliter, ac injuſtè procedentis, manutentionem Rota paſſim impartiatur, Cavaler. *deciſ.* 48. *num.* 3. & *deciſ.* 171. *num.* 8. & *deciſ.* 432. *num.* 2. Quia ſententia nulla, vel injuſta non privat poſſeſſorem anteriori ſua poſſeſſione, Poſt. *de manuten. deciſ.* 13. *num.* 7. & *deciſ.* 45. *num.* 1. & *deciſ.* 192. *num.* 2. & *deciſ.* 233. *nu.* 3. neque impedit manutentionem poſſidenti, idem *deciſ.* 208. *num.* 2.

25 Ut proindè controverſiæ hujuſmodi ſæpè reſolvantur in injuſtas turbationes. Nam turbari dicitur poſſeſſor ex injuſtitia, & mandato nullo, Rocat. *de interd. uti poſſid. cap.* 11. *num.* 5. Vel quoquomodo controverſia ei fiat, ne jure ſuo liberè uti queat, Poſt. *de manuten. obſer.* 41. *num.* 9. Ideòque concedi debet poſſeſſori mandatum de manutenendo, quod fuit adinventum, ne moleſtiæ inferantur, & illatæ removeantur, Monach. *deciſ. Bonot.* 36. *num.* 9. Valaſc. *deciſ.* 70. *lib.* 1. Unde ab illis, utpotè factum, & invidiam redolentibus ultrò abſtinere debent, ii qui memores ſunt ejus, quod ſcribit D. Hieronymus *in epiſtol. ad Ruſticum*, nempè quod *vilis tunica contemptum ſæculi probat, ita duntaxat ſi animus non tumeat, nec habitus, ſermoque diſſentiant*. Boni enim Religioſi verus honor eſt humilitas, & licèt *omnes delectet celſitudo gradus, tamen eſt humilitas*, Et ut inquit diſertiſſimus Auguſtinus *de verb. Dom. Agradu incipe, & aſcendiſti.*

26 Alii verò aſſerunt, ſufficere, quod annus ſit incœptus ex communi regula Gloſſæ *in c. Cùm in cunctis, verſ. Exegerit de elect.* & in hac ſpecie Hieron. Roderic. *tit. de Abbatiis reſol.* 2. *num.* 5. & author compendii ad Miniſtrum generalem Reformatorum Sancti Franciſci *tit. de miniſtris provincialibus num.* 8. ubi atteſtatur, hanc regulam eſſe communem in toto Ordine Seraphico, eſtque conforme juri communi, ut in *Clem. Generalem in fin. de ætat. & qualit.* cui adhæret Sacrum Concilium Tridentinum *ſeſs.* 23. *cap.* 12. *de reformat.* ut notat Vivian. *in pr. Juriſpatr. lib.* 1. *c.* 1. *n.* 183. Grat. *diſcept.* 397. *n.* 17.

Nec obſtat textus *in l. ad Rempublicam, ff. de honor.* 27
& oner. qui in fine videtur velle, tempus appoſitum debere eſſe completum. Nam primò reſpondeo, Textum illum in principio diſponere, quod annus ſit incœptus, etiam quoad honores Reipublicæ; in fine poſtea requirit illum completum, ſi ſit commiſſa adminiſtratio. Ubi igitur defertur honor, non autem juriſdictio, ſive adminiſtratio, quæ nulla eſt apud Cuſtodes, ſive Definitores apud dictos Reformatos, ut firmat Portel. *verſ. Prælatus*, inquirens quod in Ordine Minorum nomine Prælatorum intelligitur primò, Generalis, poſtea Commiſſarius generalis, deinde Provincialis, demum Cuſtodes, & Guardiani, & advertit nomine Cuſtodis ibi intelligi, qui ſub ſe habet Conventus, & Guardianos ſubditos, non autem de Cuſtode vocali, & notat Roderic. *tom.* 1. *quæſt. regul.* 70. *n.* 2. & Urbanus Octavus in Bulla, quæ incipit, *Alias per Congregationem*, tribuit præcedentiam Cuſtodi regiminis, quam non habet Cuſtos vocalis.

Deinde reſpondeo, textum *in d. l. ad Rempublicam* ha- 28
bere locum in dignitatibus ſæcularibus, non autem Eccleſiaſticis. Videatur Gloſs. *in d. cap. Cùm in cunctis cit. verſ. Exegerit de elect.* ubi reſpondet ad *d. text. in l. ad Rempublicam*, diſtinguens inter dignitates Eccleſiaſticas, & ſæculares, & reſtringitur reſpectu Eccleſiaſticarum, ut dumtaxat annorum completio requiratur in Epiſcopatibus, in quibus id habetur ſpeciale, ſecus verò procedat in aliis quibuſcumque dignitatibus Eccleſiaſticis ſine aliqua diſtinctione, utrùm habeant, an ne adminiſtrationem.

Minus obſtaret Conſtitutio, ſi in illa exprimatur, quod 29
debeant habere quadraginta, vel quinquaginta annos, Abbas enim *in d. cap. cùm in cunctis n.* 6. interpretatur hoc verbum *habeat* pro eo, quod requirat ætatem completam, & allegat Gloſſam *in cit. Clem. generalem*, & Bartol. *in l. ſi cui legatur, ff. de legat.* 1. videtur verbum *habeat* interpretari pro anno completo.

Nam quoad Abbatem reſpondeo primò, illum niti au- 30
thoritate Gloſſæ *in d. Clem. generalem*, in qua, ne verbum quidem, quod conſonet verbo haberi, legitur, ſed generaliter dicitur, quod annus incœptus habetur pro completo, cui cùm ſe ſubſcribat Abbas, non diſſentit ab hac concluſione. Quod verò ad Bartolum, ipſe loquitur in diſpoſitione hominis, & in legato, in quo fit ſtricta interpretatio. Quia Teſtator minus præſumitur voluiſſe gravare hæredem in dando legato, & minus gravat, ſi tardius ſolvit, non autem in diſpoſitione juris, de quo, ut vidimus, ſufficit attigiſſe tempus, vel annum præſcriptum.

Reſpondeo ſecundò, concluſionem poſſe procedere, ubi 31
ex alio non educeretur voluntas Conſtituentis, ut ſi dixerit in aliis capitibus Conſtitutionum, quod novitii Clerici non recipiantur, niſi tranſegerint decimum quintum annum; quod novitii laici non admittantur niſi compleverint vigeſimum annum, quod ordinandi non ſuſcipiant ſacros Ordines, niſi exegerint ſex annos in Religione; quod non detur titulus Concionatoris, niſi operam dederit Theologiæ completo triennio; Quod non eligatur in Guardianum, in Priorem, niſi qui ſpatium triginta annorum exceſſerit; Quod non eligatur in Confeſſarium qui trigeſimum annum non exegerit. Unde ſtatuentes, quando voluerunt ætatem perfectam, ſe explicarunt, quod ſufficit pro interpretatione Conſtitutionis juxta Rotam *deciſ.* 428. *n.* 23. & *deciſ.* 484. *n.* 17. *par.* 5. *recent.*

Præſertim ſi ultima ſtatuta correxerint prima. Quando 32
enim conſtat de mente ſtatuentis, quod per novam legem voluerit corrigere primam, ſtandum eſt in ſecunda. Imol. *in l. verò, §. de viro, ff. ſolut. matrim.* Alex. *conſ.* 107. *num.* 6. *vol.* 1. Jaſon. poſt Gloſſam communiter approbatam, & alios Doctores *in l. ſciendum ff. qui ſatiſd. cog.*

Hinc ſunt, qui aſſerant, quod valeat matrimonium, 33
ut matrimonium, ſi ad complendam ætatem deſint duo, tres, aut quatuor dies, ut Oſtienſ. *in c. puberes n.* 5. *de deſponſat. impub.* Veracrux *in ſp. conjug. p.* 1. *art.* 16. Ledeſm. *p.* 2. *q.* 60. *art.* 1. quos ſequitur Guttier. *de matr. cap.* 2. 20. & Ledeſma vult, habere id locum, etiamſi deſint decem dies, fundaturque in eo, quod hæc ætas moraliter computari debeat, & quia quod parum diſtat, nihil diſtare videtur.

Et qui Veſpere ingreditur annum aſſignatum pro ali- 34
quo ſacro Ordine ſuſcipiendo, poteſt manè præcedenti illum ſuſcipere, Ledeſm. *in ſumm. par.* 1. *tr. de Sacram. Ordin.*

Ordin. cap. 7. quam opinionem non minus probabilem, quàm oppositam existimat Diana *part.* 2. *tr.* 16. *resol.* 27. quia cùm parum distet, non censetur distare, cùm modica non veniant in consideratione *l. quamvis de condit. & demonstr. & cap. coram dilecto de offic. deleg.*

35 Et quod sufficiat annus quadragesimus inchoatus pro ætate Monialis eligendæ in Abbatissam, tenent Novar. *in singul. jur. Canon. concl.* 13. *n.* 8. Narbona *in annal. jur. an.* 40. *q.* 2. *n.* 5. Portel. *in respons. mor. cas.* 13. *n.* 1. ubi pluribus id confirmat. Quæ opinio desumitur ex iis, qui docent, quod ut quis non dicatur minor tali anno, sufficit, si attigerit illum annum, ut Zerol. *verb. beneficia*, §. 1. Henriq. *lib.* 14. *sum. cap.* 8. §. 10. *in fin.* Sà *v. beneficium n.* 31. & Azor. *p.* 4. *lib.* 6. *cap.* 5. *q.* 3.

36 Ego tamen ita statuo. Tempus assignatum a Constitutione, a jure, computari debet de momento ad momentum, nisi aliud sit determinatum, textus est *in l.* 3. §. *minor*, *ff. de major.* & tradunt Gloss. & Doctores *ibid.* Jo: And. *in cap. super eo de appell.* ibique alii Jas. *in l.* 1. §. *minor*, *ff. de major.* Afflict. *dec.* 73. *n.* 7. Bald. *cons.* 347. *n.* 1. Angel. *cons.* 404. *in fin.* Corneus alios referens *cons.* 27. *num.* 4. *lib.* 5. Mysing. *obser.* 15. *cent.* 5. Gomez *ad leg.* 79. *Tauri n.* 25. Lamberteng. *de jur. patr. lib.* 2. *part.* 2. *q.* 1. *art.* 14. ac Rota *dec.* 333. *num.* 4. *p.* 4. *divers.* quæ est Romana societatis 27. Junii 1597. coram Lancellotto, ac proinde anni debent esse completi.

37 Pro contrahendo autem matrimonio requiri ætatem habilem ad copulam, certum omninò est, ut constat ex *d. cap. puberes de desponsat. impub.* ubi Gloss. *fin.* Quia debet adesse ætas, quæ sit apta, ut matrimonium initum sortiri possit suum effectum. Hæc autem ætas importat pubertatem, & quoad mares importat annum quartum decimum, quoad fœminas annum duodecimum, ut statuitur *in cap. Continebatur*, *& in cap. attestationes*, *& in cap. ex literis eod. tit.* & tàm in mare, quàm in fœmina debet esse completa, ut desumitur *ex d. cap. ex literis*, ibi, *Donec compleat puer annum decimum quartum*, *& cap. fin. eodem*, ibi, *Quidam filiam suam circiter duodecim annos habentem*, de quo tamen matrimonio statuitur, quod si non erat ætatis nubilis, aut malitia non supplebat ætatem, non fuisse matrimonium, sed tantùm sponsalia, & tamen dum ærat ætatis annorum circiter duodecim, oportebat, quod duodecimus annus esset incœptus.

38 Ideòque non valet matrimonium, si aliquis dies desit ad complendam ætatem præfinitam. Sic. Abb. *in d. cap. fin.* ibique Cardin. *num.* 2. Henric. Boich. *in d. cap. puberes num.* 5. Alex. de Nevo *in d. cap. attestationes n.* 8. *art.* 5. Brunell. *de sponsal. cons.* 4. *n.* 6. Sanch. *lib.* 7. *de matrim. disp.* 104. *n.* 3. Pont. *eodem tit. lib.* 7. *cap.* 65. *n.* 1. Unde S. Congregatio in Reatina 14. Junii 1621. declaravit nullum matrimonium cum puella, cui sex dies deerant pro complemento anni duodecim. Quod intelligitur, nisi malitia suppleat ætatem juxta *d. cap. fin. de desponsat. impub.* ubi dum dicitur annorum duodecim circiter, aut solùm parum quid deficiebat complemento duodecim anni, aut parum quid excedebat. Dictio enim *Circiter* ad modicam quantitatem refertur, ut ponderat Gloss. *ibid.*, Unde si non obstaret defectus duorum, aut trium dierum, constasset de ætate nubili, nec onus fuisse declarare matrimonium nullum sub conditione, si puella non erat ætatis nubilis, aut malitia non suppleviset ætatem. Ex quo conficitur argumentum, quod non admittitur a jure matrimonium ejus, qui circiter habet annos præfixos a jure. Quando autem deest, etiam unicus dies, adsunt tantùm circiter anni præfixi. Atque adeò tunc matrimonium initum non admitttitur.

39 Adduci etiam potest textus in *d. cap. ex litteris*, ubi Pontifex Urbanus III. decernit, quod ad contrahendum matrimonium expectandum sit, donec puer compleat annum quartumdecimum. Quando autem deest aliquod tempus, non solùm annus non est completus, sed neque habetur pro completo. Tum quia qui non complevit annum, dicitur minor illo anno, *l. Denique*, §. *Minorem*, *ff. de minor.* Tum quia annus non completus non potest numerari pro anno *l. anniculus*, *ff. de verb. signif.*

40 Ex quibus deducitur quod licèt ii, qui loquuntur de sponsalibus, ut Covar. *in* 4. *decretal. part.* 1. *cap.* 2. *num.* 2. Mandos. *de ætat. minor. cap.* 14. *num.* 11. Lopez *part.* 2. *instruct. cap.* 37. *de matrim.* Henriq. *lib.* 11. *cap.* 13. *n.* 2. ac ii, qui loquuntur de matrimonio, ut Villalob. *to.* 1. *summ. tract.* 14. *diffic.* 22. *num.* 1. Barbos. *in collect. lib.* 4. *tit.* 3. *cap.* 14. *num.* 2. *tom.* 2. dicant, sufficere, quod ultima dies anni designati sit incœpta, tenendum tamen est, quod debeat esse completa, ut præ cæteris docet Pontius *d. cap.* 65. *num.* 1. Nam cùm tempus computari debeat de momento ad momentum, nulla pars temporis debet deesse; alioquin annus non esset completus. Neque enim completum est, cui aliquid deest. Quia non est integrum, cui, quid minimum desit, *l. nomen filiorum*, §. *fin. ff. de legat.* 3. *& l. decem*, *ff. de fideic. liberi.* & notant Paris. *cons.* 116. *num.* 14. *vol.* 1. Alex. *cons.* 201. *num.* 7. *vol.* 6. Natt. *cons.* 164. *num.* 9. Menoch. *cons.* 918. *num.* 3. ac Rota *dec.* 300. *num.* 10. *part.* 1. *rec.*

Quod verò ad Ordines, sufficere annum inchoatum, 41
qui juxta dispositionem Sacri Concilii Tridentini requiritur pro illis suscipiendis, docent communiter Doctores, nominatim Navar. *in Man. cap.* 25. *num.* 116. Guttier. *lib.* 1. *quæst. Canon. cap.* 26. *num.* 8. Henriq. *lib.* 10. *sum. cap.* 19. §. 2. Garz. *de benef. part.* 7. *cap.* 4. *num.* 21. Rodriq. *tom.* 3. *quæst. regul.* 23. *ar.* 6. Majol. *de irregul. lib.* 1. *cap.* 3. *num.* 8. Coninch. *de Sacram. disp.* 20. *num.* 102. Miranda *tom.* 1. *manual. quæst.* 39. *art.* 2. Sayr. *lib.* 4. *clav. reg. cap.* 14. *nu.* 4. Ledesma *part.* 1. *sum. tract. de Sacram. Ordin. cap.* 7. Avila *de censur. part.* 3. *disp.* 5. *dub.* 7. §. *notandum undecimò*, Leon. *part.* 1. *Thesaur. for. Eccl. cap.* 4. *num.* 31. Campanil. *in diverf. jur. rubr.* 7. *cap.* 3. Bonac. *disp.* 8. *de Sacram. quæst. unic. punct.* 5. *num.* 14. Acugna *in can. nemo num.* 1. *d.* 78. Barbos. *de potest. Episc. part.* 2. *alleg.* 16. *num.* 1. *& lib.* 1. *de jur. Eccles.* 33. *num.* 88. *& cap.* 37. *num.* 3. Spin. *in spec. testam. glos.* 3. *tit. de Capel. num.* 37. Lopez *part.* 2. *instruct. cap.* 33. Salzed. ad Diaz. *cap.* 26. §. *ante legitimam ætatem*, Dian. *part.* 2. *tract.* 16. *resol.* 27. Vulpel. *in pr. for. Eccles. cap.* 7. *num.* 3. *& cap.* 8. *num.* 4. Sanchez *lib.* 7. *cons. moral. cap.* 1. *dub.* 33. *num.* 4. Gaspar. Hurtad. *de Sacram. Ord. diffic.* 21. Marchin. *eodem tit. tr.* 1. *part.* 5. *cap.* 2. Villalob. *part.* 1. *summ. tract.* 11. *diffic.* 11. *num.* 2. Reginald. *in pr. for. pœnit. lib.* 30. *tr.* 3. *n.* 166. Hieron. Rodriq. *in cap. quæst. regul. resol.* 106. *n.* 9. Et ita declarasse S. Congregationem, refert Gallemart. *ad Concil. Trid. sess.* 23. *cap.* 12. *de reform.*

Constatque ex communi observatione, quæ optimè 42
interpretatur legem *l. si de interpretatione*, *ff. de legib. & cap. cum dilectus de consuet.* Hæc autem observatio subsequuta fundatur primò, in jure antiquo. Nam ex illo sufficiebat, quod annus assignatus pro aliquo Ordine esset incœptus ex *Clem. generalem de ætat. & qualit. ordin.* Unde cùm sit vitanda correctio juris, quoad fieri potest, dicendum est, quod Concilium Tridentinum accipi debeat de anno incœpto, assignato pro quolibet ordine. Deinde in dispositione Concilii; nam *sess.* 24. *cap.* 12. *de reform.* decernit, eum posse esse Curatum, qui attingit annum vigesimumquintum. Ergo etiam potest fieri Sacerdos. Quia Curatus debet esse Sacerdos.

Fundatur quoque in jure communi. Nam qui est in- 43
gressus aliquem determinatum annum, dicitur pervenisse ad illum, *l. qui filium*, §. *Fabius*, *ff. ad Senat. Consul.* & observat Corn. *cons.* 213. *n.* 7. *vol.* 1. Guttier. *l.* 1. *qu. Canonic. cap.* 26. *num.* 10. Sanch. *loc. cit.* Qui autem pervenit ad aliquem annum, non est ante illum annum, & sic comprobatur dispositio Tridentini, quod ingressus annum vigesimum secundum non suscipiat subdiaconatum ante annum vigesimum secundum.

Opinio verò Ledesmæ, ac Dianæ caret omni proba- 44
bilitate, ideòque oppositum tradunt Villalob. *part.* 1. *sum. tr.* 2. *dub. item* 2. Pont. *d. lib.* 7. *de matr. cap.* 65. *num.* 1. Sanch. *d. lib.* 7. *cons. cap.* 1. *dub.* 23. *n.* 6. Narbon. *in annal. jur anno* 22. *q.* 1. *num.* 10. Quæ sententia certa omninò videtur. Nam annus, exempli gratia, vigesimus secundus debet dividi ab anno vigesimo primo, cùm sint anni distincti, & facientes numerum, ac proinde debet assignari aliquis terminus, in quo dividantur, itaut totum tempus, quod est ante hunc terminum, sit de anno vigesimo primo, & quod subsequitur sit de anno vigesimo secundo. Ex hoc autem fit, quod qui est in tempore antecedente dictum terminum, sit ante annum vigesimum secundum. Quia nondum pervenit ad terminum anni vigesimi primi, neque ingressus est annum vigesimum secundum. Atque adeò qui solùm Vespere pervenit ad terminum anni vigesimi primi, & ingreditur annum vigesimum secundum, & mane antecedente ordinatur, suscipit Ordinem contra dispositionem S. Concilii Tridentini. Quia suscipit ante annum præscriptum pro illo Ordine, itaut nullo pacto comprobari possit, quod non susceperit ante annum, quem Vespere ingreditur, cùm adhuc ducat annum antecedentem, nec possit comprobari, quod annus præcedens non sit secundùm omnes suas partes ante annum subsequentem. Quando enim sumus in successivis, & attenditur ipsa successio, assignato subsequenti, non potest pro ipso substitui antecedens, sed debet excludi secundùm se totum, cùm secundùm se totum segregetur a subsequenti.

Atque hinc statuitur in jure, quod quotiescunque a 45
lege definitur certum, ac determinatum tempus, debeat computari de momento ad momentum, ut expressè habetur in *d. l. Denique Divus cum aliis superius adductis.*

Pro

Pro ætate autem Monialis eligendæ in Abbatiſſam de jure novo ſtatuitur in Sacro Concilio Tridentino *ſeſſ. 25. cap. 7. de regular. ut eligatur non minor annis quadraginta, & quæ octo annis poſt profeſſionem laudabiliter vixerit. Quod ſi his qualitatibus non reperiatur in eodem Monaſterio, ex alio ejuſdem Ordinis eligi poſſit. Si hoc etiam incommodum ſaperiori, qui electioni præeſt, videatur ex eis, quæ in eodem Monaſterio annum trigeſimum exceſſerint, & quinque ſaltem annis poſt profeſſionem recte vixerint, Epiſcopo, vel alio ſuperiore conſentiente, eligantur.*

47 Annus autem hic quadrageſimus debet eſſe completus, nec ſufficit inchoatus. Ita docent Garz. *de benef. part. 7. c. 4. num. 71.* Barboſ. *de poteſt. Epiſc. par. 3. alleg. 100. num. 12.* Tambur. *de jur. Abbatiſ. diſp. 18. qu. 3. num. 11.* ubi videtur hoc ſupponere. Deſumitur ex iis, qui docent, quod per formulam, quod quis non ſit minor tali anno, ſignificatur debere annum eſſe completum; Ita gloſ. *in d. Clem. generalem, & in decimo octavo*, Abb. *in d. cap. cùm in cunctis num. 6. de elect.* Felin. *in cap. cùm vigeſimum num. 1. de offic. deleg.* Corn. *conſ. 213. num. 7. vol. 1.* Aldobrandin. *in §. Pupilli numer. 14. Inſtit. quib. mod. tut. fin.* Guttier. *lib. 1. Can. quæſt. c. 26. num. 10.* Bellam. *deciſ. 726.* Tabiena *ver. ætas num. 2.* Armilla. *n. 3.* Vega *p. 1. ſum. cap. 96. caſ. unic.* Molin. *de juſt. & jur. tom. 2. diſp. 573. ſubinit.* Leſſius *eod. tit. lib. 2. c. 34. n. 108.* ac Rota *deciſ. 26. de reſcript. in nov.* quos adducit Garz. *loc. cit. n. 68.* quorum tamen aliqui vix aliquid dicunt, unde hoc deduci poſſit.

48 Hæc autem ſententia fundatur in Sacro Concilio Trid. *ſeſſ. 24. cap. 12. §. ad cæteras de reformation.* ubi decernitur, quod minores viginti duobus annis non promoveantur ad cæteras dignitates, nempè non habentes curam animarum, ac perſonatus, & Sacra Congregatio ſemel ac iterùm declaravit, annos viginti duo debere eſſe completos, ita reſcribente Antonio Cardinali Carapha. Et anno 1594. die 24. Septembris Hieronymus Cardinalis Matthæjus idem reſcripſit Epiſcopo Abulenſi apud Garziam. Unde ſi Tridentinum juxta Sacram Congregationem per minorem viginti duobus annis intelligit, quod annus vigeſimus ſecundus non ſit expletus, per minorem etiam quadraginta annis intelliget eam Monialem, quæ nondum annum quadrageſimum explevit.

49 Et ſanè qui non attigit quadrageſimi anni diem ultimum, eſt minor quadraginta annis, per textum expreſſum in *l. 1. ff. de manumiſſ.* ubi cùm dubitaretur, an qui diem ultimum anni vigeſimi attigit, poſſit manumittere, reſpondit Ulpianus, poſſe manumittere, quaſi annum vigeſimum compleverit, quia ſolùm minor viginti annis prohibetur manumittere, ſubditque rationem: *Jam autem minor non eſt, qui diem ſupremum agit anni vigeſimi.* Ex hoc enim luculenter habetur, quod, ut aliquis non ſit minor aliquo determinato anno, debet agere ſaltem diem ultimum illius anni. Quod etiam habetur ex *l. Denique, §. minorem, ff. de muner. & honor.* ubi idem Ulpian. quærit, an dicendus ſit minor viginti quinque annis in ordine ad beneficium reſtitutionis, qui nondum complevit annum vigeſimum quintum, & dicendum eſſe, concludit, ibi: *Et cùm nondum compleverit ita erit dicendum.*

50 Idque confirmatur. Nam is eſt major quadraginta annis, qui complevit annum quadrageſimum. Siquidem eſſe majorem dicit, eſſe ſupra talem annum, ipſumque excedere. Qui enim non excedit, major non eſt. Cùm ergo major opponatur minori, ille minor erit, qui non complevit annum quadrageſimum. Quia qui non adæquat majorem, major eſt ipſo. Unde qui non eſt major annis quadraginta, eſt minor.

51 Et adnotandum eſt, Concilium non dicere, quod non eligatur minor anno quadrageſimo, quia tunc ſufficeret annus inceptus, ſiquidem tunc minoritas excluderet annum totum quadrageſimum, ſed inquit, quod non eligatur *minor quadraginta annis*. Quo loquendi modo requiruntur anni; tanquam numerabiles. Annus autem incœptus, & non completus, non poteſt numerari pro uno anno; atque adeò non facit numerum cum aliis completis *d. l. anniculus ff. de verb. ſignif.* Ac proindè non habens annum quadrageſimum completum eſt minor quadraginta annis. Quia annus quadrageſimus non facit numerum cum cæteris.

52 Ex quibus evertitur ſententia Portelli *d. p. 2. reſp. moral. caſ. 13.* & aliorum, qui volunt, quod, quando lex ponit numerum annorum *in ablativo*, ſufficiat annus inchoatus. Nam id ſolùm verum eſt, quando annus non requiritur, ut faciens numerum cum cæteris annis, ſed tantùm ſecundùm ſuum tractum ſucceſſivum. Quando autem facit numerum, accipitur ſecundùm ſe totum indiviſibiliter. Quia numerus conſtat ex unitatibus indiviſibilibus, & tunc annus facit numerum, quando appellatur in plurali ſimul cum aliis *l. ſi in anno, ff. de condit. & demonſtr.*

Non obſtat, quod Sacrum Concilium Tridentinum 53
dict. c. 7. ſeſſ. 25. de regular. quando vult annum trigeſimum completum, utitur verbis id ſignificantibus. Ait enim, *quæ annum trigeſimum exceſſerit*; hæc autem verba non appoſuit, quando requirit annos quadraginta.

Nam verba poſteriora accipienda ſunt, ut declarati- 54
va ſuperiorum. Unde ſicut vult, quod in illo caſu exceſſerit annum trigeſimum, ita in alio caſu, quando requirit, quod Monialis non ſit minor quadraginta annis, debet eodem modo intelligi de quadraginta completis, itaut exceſſerit quadrageſimum, cùm præſumendum ſit, eumdem tenorem ſequi in eodem decreto ſanciendo.

Minus ſubſiſtit, quod idem Portellus ait *loc. cit.* quod 55
cùm una lex debeat explicari per aliam, eodem modo dicendum eſt de Abbatiſſa apud Moniales quoad inchoationem aſſignati anni, ac de Prælato Regularium. Ut autem quis poſſit eligi in Prælatum Regularium, ſufficit annus vigeſimus quintus inceptus *ex Clem. 1. de ſtat. Monachorum.*

Quoniam id locum haberet, quando ex jure lex iſta 56
non explicaretur. In jure autem explicatur, quod, ut quis non ſit minor quadraginta annis requiritur annus quadrageſimus completus, ut conſtat ex jam dictis.

Denique non obſtat, quod in favorabilibus, præſer- 57
tim in ordine ad dignitates, annus inceptus habetur pro completo, *d. l. ad Rempublicam ff. de muner. & honor.* Ac proindè non erit minor annis quadraginta, qui quadrageſimum attigit.

Nam reſpondeo id eſſe verum, quando favor eſt me- 58
rus favor, & reſpicit ſolùm commodum perſonæ; ſecus autem quando habet annexam adminiſtrationem rerum publicarum, ut ipſe Ulpianus in citata lege limitat. Cùm enim dixiſſet, quod pro adminiſtratione Reipublicæ æquum eſt, ut non admittatur ad honores, & munera minores viginti quinque annis, & quod annus inceptus habeatur pro completo, ſubdit limitationem: *Sed in his honoribus, in quibus Reipublicæ quid eis non committitur. Cæterum cum damno publico honorem ei committi non eſt dicendum.* In hac autem cauſa agitur de adminiſtratione totius Monaſterii, ex qua dependet bonum commune ipſius, & ideò lex prædicta non habet locum, ſed debet expectari annus completus.

CONSULTATIO XII.

Novi Conventus, & Eccleſiæ Regularium quatenus conſtrui poſſint? De novi operis nunciatione ex quavis cauſa, præſertim luminis, & proſpectus. An id locum habeant etiam inter Eccleſias? De attentatis in hac materia. Quomodo purganda? Quænam cauſæ ab illis excuſent? Alia.

DE hac re lege, quæ diximus in primo tomo. 1
Nunc aliqua iis addimus, & hanc regulam conſtituimus. Quandocumque non obſtet diſpoſitio Sacrorum Canonum, expreſsè prohibentium novas Eccleſias, & Monaſteria in quibuſvis Civitatibus, vel locis ædificari, erigi, ac introduci cum præjudicio jurium aliorum ibidem exiſtentium, ut habetur *in Can. Quicumque Concilii Vermacienſis, in can. Eccleſiæ Concilii Cabilonenſis 16. quæſt. 1. in can. ſicut antiquitus Concilii Triburienſis 17. quæſt. 4. in cap. 2. de Eccleſ. ædific.* & alibi apud Seraph. *dec. 847.* cum aliis latè deductis a Rota in Januenſi privilegiorum 28. Junii 1649. coram Cardinali Corrado, in qua confirmantur aliæ duæ deciſiones Rotæ coram Rojas; neque obſtant privilegia diſtantiæ centum quadraginta cannarum in eiſdem Rotæ deciſionibus relata, ut in *conſt. 7.* Clementis Quarti, confirmata a Sixto Quarto, Clementis Octavi, Gregorii Decimi Quinti, Urbani Octavi, quas refert, & approbat Rota in d. Januen. poſſunt quidem conſtrui novi Conventus, novæque Eccleſiæ Regularium.

Præjudicium autem perſpicuum eſſet, ſi Regulares 2
ſint mendicantes. Quamobrem diminuto fidelium concurſu, neceſſariò reſultat elemoſynarum diminutio, atque adeò præjudicium. Ex hujuſmodi quoque Conventuum vicinitate inſurgere poſſunt æmulationes, jurgia, diſſentiones, & ſcandala, pro quorum evitatione conſtituta eſt hæc diſtantia. Præſertim autem ſi ageretur de Conventu erigendo. In hoc enim caſu Sac. Congregatio ſuper Epiſcopis, & Regularibus, a loco in quo Regulares ſuum Conventum ædificare cœperant, omninò

recedere jubet, & in alio loco ædificare, ut in decreto typis edito apud Peyrinum in fine formularii *fol.* 540.

2 Ac itaut, non obſtaret, ſi novi Regulares haberent dotem congruam pro ſuo vitu, & quod propterea ceſſet cauſa requirendi conſenſum aliorum Regularium expreſſa in decretis Clementis Octavi, & Gregorii Decimi quinti, nempè cognoſcendi, an Regulares noviter introducendi poſſint commodè ſuſtentari abſque aliorum detrimento.

3 Nam demus iis hanc dotem congruam, adhuc tamen certum eſt, quod ſi erigerent novum Conventum, adminiſtrabunt Sacramenta, percipient eleemoſynas pro Miſſis celebrandis, defunctos ſepulturæ tradent, concionabuntur, aliaque peragent, ex quibus diminuetur concurſus, ex qua diminutione indirectè perveniet diminutio eleemoſynarum Regularium antiquorum pro eorum commoda ſuſtentantione, quam ipſi ante novi Conventus conſtructionem habebant, ut inter Theatinos, & Patres Oratorii Sancti Philippi, qui habebant dotem ſuperabundantem, firmavit Rota in d. Januenſi privilegiorum coram Rojas ſub die 24. Januarii 1648. *§. Etenim.*

4 Nec obſtant, immò favent decreta Clementis VIII. & Gregorii XV. Nam volunt quod Regulares introducendi tunc demum poſſint introduci, quando conſtat ſuſtentari poſſe ſine aliorum detrimento, quod non contingit, quando diminuerent concurſum aliarum Eccleſiarum, & alia emolumenta, quamvis non mendicaverint juxta ea, quæ ponderat Rota ibidem *numero præcedenti.*

5 Minus obſtat deciſio Rotæ 475. *part.* 2. *recent.* Nam ibi agebatur de erigendo Collegio, in quo tantùm celebrarentur Miſſæ, & Euchariſtiæ Sacramentum conſervaretur, ut conſtat ex eadem deciſione.

6 Denique non obſtat, quod electio ſepulturæ, eleemoſynæ pro celebrandis Miſſis, & anniverſariis ſunt actus facultativi, cùm poſſit quilibet, ſi vult, pia opera facere, & ubi vult ſibi eligere ſepulturam, qui proinde ſi alicui ſubtrahantur, nullum ipſi infertur præjudicium, ut ponderavit Rot. *d. deciſ.* 475. Quia Gregorius XV. conſideravit præjudicium etiam ex actibus facultativis, qualis eſt largitio eleemoſynarum, ibi: *Quo fit, ut non habita debita eleemoſynarum, ſeu redditauum cujuſcumque Monaſterii, Conventus, ſeu Domus ratione, &c.* ſicut etiam conſideravit Rota in dicta Januenſi. Quia præjudicium non ſumitur ſtrictè, prout dicit læſionem juſtitiæ, ſed pro quocumque damno, ſive quacumque diminutione alimentorum, ſive eleemoſynarum.

7 Quoniam verò hanc materiam Sacra Rota Romana præclarè expreſſit, ideò operæ pretium me facturum cenſeo, ſi ejus deciſiones in dicta Januenſi privilegiorum huc adducam. Eæ ſunt hujuſmodi.

R. P. D. ROJAS

Januen. Privilegiorum.

Veneris 24. *Junii* 1647.

8 PAtribus Oratorii S. Philippi Nerii Civitatis Januen· non licere reſidere in Eccleſia Sancti Pancratii poſt quintam cauſæ propoſitionem, fuit hodie reſolutum ex quo d. Eccleſia S. Pancratii non diſtat ab Eccleſia Parrochiali S. Siri in qua reſident Patres Theatini per Cannas 40. Unde obſtant privilegia Apoſtolica emanata ad favorem plurium Religionum ne alii Religioſi, vel perſonæ Eccleſiaſticæ, vel pia loca valeant acquirere intra ſpatium 140. Cannarum, potiſſimum eſt illud ad favorem Patrum Carmelitarum Clemen. IV. ſive potius Clementis V. relatum per Roderic. *q. reg. tom.* 2. *quæſt.* 49. *art.* 5. Confirmatum per Sixtum Quartum ut refert, Sorb. *in compend. privil. regul. verb. ædificare numer.* 19. in quo expreſſis verbis prohibetur, ne intra ſpatium 140. Cannarum proximum Eccleſiis Carmelitarum poſſint per quaſcumque perſonas Eccleſiaſticas novæ Eccleſiæ ædificari ſive de novo recipi; unde quamvis prima pars prohibitionis locum fortaſſe ſibi non vindicaret in præſenti, ex quo Patres Oratorii non intendunt novam conſtruere Eccleſiam; ſed conſtructam ampliare juxta *deciſ.* Mantic. 163. certè locum ſibi vindicat ſecunda pars privilegii prohibens, ne de novo Eccleſiæ recipiantur, in quibus terminis nos verſari non eſt dubium.

Præfatum verò privilegium conceſſum per ſummos Pontifices Patribus Carmelitanis ſuffragari in præſenti Patribus Theatinis dicebant Domini, ex quo Clemens Septimus communicavit eiſdem generaliter omnia privilegia Mendicantium, ut habetur in Conſtitutione ejuſdem Clementis VII. *la.* 38. *n.* 12. *Bullar. tom.* 1. *fol.* 505. ibi, *Exemptionibus, immunitatibus, & infrà, exemptiones, gratias, &c. plenarium effectum ſortiri debere decernimus,* quæ privilegia venire ſub communicatione cenſuit Rot. *deciſ.* 87. *n.* 5. *part.* 4. *recent.* cujus privilegii tenor eſt ſervandus *c. porrò de priv.* Rot. *dec.* 791. *n.* 1. *per part.* 3. *recent.* Mantic. *d. deciſ.* 163. *num.* 2. & communicatio privilegiorum operatur idem ac ſi eadem privilegia ſpecificè conceſſa fuiſſent Oldrad. *conſ.* 300. *in princ. num.* 6. Pariſ. *conſ.* 22. *num.* 5. *lib.* 4. Rot. *deciſ.* 40. *in princ. par.* 4. *rec.* & tradit Roderic. *qu. reg. tom.* 1. *quæſt.* 9. *art.* 9.

Nec obſtat, quod dicta Communicatio privilegiorum 10
non intelligatur de privilegiis tendentibus in præjudicium tertii, ut fuit deciſum in *Valentina decimarum* 28. *Jun.* 1603. cor. Lancellotto penes Marcheſ. *de Commiſs. tom.* 1. *fol.* 639. *n.* 2. *in Valliſoletana quartæ funeralis* 19. *Aprilis* 1606. coram Juſto, apud Tambur. de jur. Abb. *tom.* 3. *deciſ.* 83. *num.* 6. Caval. *dec.* 101. *num.* 3. quia hæc reſponſio non viſa fuit tuta, ex quo in puncto, quod d. privilegio Clementis V. gaudeant alii habentes communicationem cum privilegiis mendicantium tradit Barboſ. *de Jur. Eccleſ. univerſ. lib.* 2. *c.* 12. *num.* 72. *in fin.* Campanil. *diverſorum Juris Canonici rubr.* 12. *c.* 13. *ſub n.* 81. *verſ. Et quia præſertim*, cùm d. communicatio privilegiorum ad favorem Patrum Thatinorum ſit ampliſſimis verbis concepta, & loquatur etiam de privilegiis præjudicialibus Ordinario, ſeu tertio.

Minus obſtat alia reſponſio adducta per informantes 11
pro Patribus Oratorii Sancti Philippi, quod d. privilegium non ſit in uſu in Civitatibus magnis, qualis eſt Civitas Januenſis, dum in illis valent plura Monaſteria mendicantium vivere ob magnam affluentiam eleemoſynarum, quibus illa Civitas abundat, ut notat Sorb. *in compend. privil. regul. verb. ædificare num.* 20. *in adnot. verſ. quoad diſpoſitionem* Tambur. de Jur. Abb. *tom.* 3. *diſp.* 5. *quæſt.* 3. *ſub num.* 2.

Attamen contrarium viſum fuit manifeſtè apparere 12
ita, & taliter, ut tale privilegium extet in uſu, etiam in Civitatibus magnis, prout expreſsè voluit Confect. *in lib. de privil. mendic. tit.* 3. *c.* 3. Campanil. *div. Jur. canon. d. rubr.* 12. *c.* 13. *n.* 18. *verſ. Sorbus autem, & verſ. Attamen ubi reprobat Sorbum* ſupra adductum, & reddit rationem, quia, cùm privilegium ſit conceſſum ordini regularium, non abrogatur per ejus non uſum, aut contrarium uſum aliquorum Monaſteriorum, *c. ſi dilecti de for. compet.* Miran. *manual. Prælat. quæſt.* 33. *art.* 3. ubi quod non amittitur hoc privilegium per non uſum per decennium, neque per ullum tempus, Barboſ. *de poteſt. Epiſc. alleg.* 26. *num.* 10. Rot. *dec.* 240. *num.* 5. & *ſeq. par.* 4. *diverſ.* Burat. *deciſ.* 704. *n.* 9. & 10. & *part.* 1. *recent. deciſ.* 72. *num.* 9. & *part.* 5. *deciſ.* 63. *num.* 10. ultra quod ad probandum non uſum non ſufficit atteſtatio aliquorum Doctorum; cùm illis circa hoc non credatur, præſertim quia non ſunt verſati in Civitate Januæ, Surd. *conſ.* 74. *n.* 14. Mohed. *dec.* 2. *num.* 3. *de conſuet. probat. concluſ.* 528. *n.* 1. & *ſeq. ubi num.* 3. ampliat, etiamſi plures Doctores teſtentur de contrario.

Nec fuerunt habita in conſideratione exempla adduc- 13
ta per Patres Oratorii, quia eſſet probandum, quod in illis caſibus regulares vicini, ut in præſenti ſe oppoſuerint, dum fundans ſe in obſervantia, tenetur eam probare in terminis individuis caſus controverſi, Mantic. *dec.* 56. *num.* 7. Seraph. *dec.* 326. *num.* 2. Burat. *dec.* 229. *num.* 6. quandoquidem caſus, qui pro non uſu adducuntur, non concludunt, quia valuit in illis intervenire regularium vicinorum conſenſus, quocirca non eſt inferendum ad caſum, quo ipſi contradicunt, ut in præſenti, prout in terminis privilegii ſuper quarta funerali extat deciſio *in Ravennaten. quartæ funeralis* 20. *Junii* 1622. *cor. bon. mem. Coccino* ea ratione, quia non fuit in poteſtate Regularium conſentire, ut Monaſteria nova erigerentur, talis obſervantia affirmativa in actibus facultativis non convincit, quod idem ſit ſervatum, ipſis Religioſis invitis, Rmin. *conſ.* 28. *num.* 10. & *ſeq. lib.* 1. Menoch. *conſ.* 205. *num.* 63. Surd. *conſ.* 460. *n.* 80. Seraph. *dec.* 817. *num.* 5. Verall. *dec.* 204. *n.* 2. *p.* 3. Caval. *deciſ.* 85. *num.* 1.

Sed ceſſat difficultas quia obſervantia, & uſus dicti 14
privilegii potius probatur in præſenti ex Brevi ſan. mem. Pauli V. ad favorem eorumdem Patrum Theatinorum contra RR. PP. Societatis Jeſu *Summario Theatinorum num.* 6. prout rurſus idem fuit ſervatum contra Presbyteros ſæculares S. Caroli in Civitate Neapolitana *d. Summ. num.* 6. de quo meminit *P. de Lezana in ſumm. quæſt. reg. verb. Monaſteria regular. num.* 2. *fol.* 402. *verſ. Unde cum qui Præsbyteri S. Caroli certè nec erant mendicantes*. Quod Breve valdè urgere dictum fuit, ſive interpretetur, emanatum fuiſſe in exequutionem

anti-

antiquorum privilegiorum, sive in vim novi privilegii, utroque casu idem militat, dum privilegium concessum Monasterio unius loci, prodest omnibus, & singulis Monasteriis aliorum locorum ejusdem Religionis ex Constitutione Pii IV. quæ licèt non procedat in privilegiis concessis, seu concedendis particularibus personis Religiosorum, locum tamen habet in omnibus privilegiis concessis ipsi Monasterio, ut perbellè explicat Roderic. *q. regul. tom.* 1. *q.* 55. *art.* 9. *& art.* 18. *vers. advertendum*, & id totum etiam in vim alterius Constitutionis Leonis X. relatæ a Confecto *in collect. privil. regul. inter const. Leonis X. Const.* 18. *fol.* 188. ibi, aut in posterum concedentur, etiam privilegia postea concessa, & in futurum concedenda suffragantur, cùm lex semper loquatur *l. Ariani*, *C. de hæret.* Castr. *cons.* 235. *num.* 1. *vers. restat respondere lib.* 1. Rota *in Cracovien. Juris legendi* 19. *Junii* 1626. *cor. bon. mem. Coccino*.

15 Nec est dicendum præfatum privilegium fuisse revocatum per Constitutiones novissimas Clementis Octavi *la* 99. *Bullar. nov. tom.* 3. *fol.* 146. *Gregor. XV. constit.* 31. *tom.* 4. *fol.* 138. *& Urbani VIII. Constit.* 25. *eod. tom.* 4. *fol.* 265. nam in dd. Constitutionibus ne verbum quidem de 140. Cannis, de quibus specificè legitur facta mentio in antiquis Constit. & Rot. in hac materia servat antiquas Constitutiones, *ut in Januen. Domorum coram Manzanedo quæ est la* 87. *n.* 5. *part.* 4. *rec.* & cùm præfatæ Constitutiones non disponant, nisi inter regulares, non derogant Juri prohibendi, quod ex dicto privilegio regulares habent adversus cunctas personas Ecclesiasticas, ne Ecclesias de novo recipiant, de quo dd. Constitutiones non loquuntur juxta theoricam Bald. *in l.* 1. *§. final. C. de latin. libert. tollen.* Ramon. *cons.* 17. *num.* 1. *&* 2. Mantic. *dec.* 104. *num.* 5. Rota *dec.* 103. *num.* 5. *part.* 2. *recent. & decis.* 289. *num.* 7. *part.* 3.

16 Satis autem præfatas antiquas Constitutiones seu privilegia urgere ponderatum fuit contra Patres Oratorii S. Philippi propter præjudicium, quod eorum nimia vicinitas infra spatium cannarum 40. afferret Patribus Theatinis in Ecclesia Sancti Siri residentibus ratione eleemosynarum, quas dubitari non potest, quin erga eosdem Theatinos tenuiores redderentur propter nimiam vicinitatem, dum Ecclesia Sancti Siri Sacramenta percipere per assuetos diverteretur ad novam Ecclesiam Oratorii Sancti Philippi, quod præjudicium quamvis non esset considerabile, si ageretur de nova introductione in Civitate idonea ad subministranda alimenta omnibus mendicantibus juxta terminos dictæ Constitutionis 99. Clementis Octavi, de qua loquitur Rota *dec.* 745. *par. secunda recent.* summoperè tamen extat considerabile, quod nova Ecclesia construeretur intra d. breve spatium præfatarum cannarum 40. propter æmulationem, & rixas quæ inter Ecclesias tam vicinas possent exoriri, ad quas evitandas emanavit privilegium Clemen. V. ut habetur in verbis relatis a Roderico *in collect. privileg. tom.* 1. *fol.* 209. *col.* 1. *n.* 79. ibi, *& ut quieti eorum fratrum &c.* Rota *d. decis.* 87. *num.* 5. *p.* 4. *recent.* Nec lat est, quod intrare volentes non mendicent, quia oportet ut nec aliud faciant, ex quo aliquod detrimentum cæteris regularibus obvenire possit, ut tradit Pater de Lezan. Modern. Carmel. Matriten. *in d. summ. q. reg. verb. Monasterio fol.* 400. *num.* 6. Rota *dec.* 87. *num.* 5. *par.* 4. *recent.* Quo circa nil urget, immò retorquetur *d. decis.* 676. *n.* 10. *par.* 1. *rec.* in qua dictum fuit non præjudicari Theatinis per vicinitatem Collegii Societatis JESU, dum in hujusmodi Collegiis nullus non Religiosus ex eisdem sepelitur, nec ibi eleemosynæ pro Missis, & aliis officiis admittuntur, & non attendi, an hi, qui de novo volunt Ecclesias acquirere, sint mendicantes, vel non mendicantes, habetur ex d. privil. Sixt. IV. ubi extendit privilegium Clemen. V. loquentis de mendicantibus ad omnes alios Religiosos aliorum ordinum, etiam non mendicantium, & ad quascumque alias Ecclesiasticas personas, refert Sorb. *in compend. Privil. Regul. verbo ædificare n.* 19. & eadem Bull. *est impressa a Lezana tom.* 5. *summ. p.* 2. *§.* 79. *fol.* 519. *& in comment. n.* 431. *fol.* 807.

17 Quam sententiam eo libentius Domini amplexi fuere dum Patribus Oratorii S. Philippi nil nocet residere in loco remotiori, & Patribus Theatinis hoc multum prodest, præsertim cùm ipsi sine redditibus ex puris eleemosynis sponte a fidelibus oblatis, & non emendicatis vivant, suntque certè omnia facienda, quæ cæteris non nocent, & illis prosunt juxta text. *in l.* 2. ibi, *nisi ei nihil noceat*, & ibi Bart. *vers. ad hujus autem*, *ff. fol. matr.* Imol. *cons.* 17. *num.* 18.

Et ita resolutum, utraque parte informante, &c.

Pergit S. Rota.

R. P. D. ROJAS

Januen. Privilegiorum.

Veneris 24. *Januarii* 1648.

FIrmatum fuit coram me sub die 24. Junii 1647. quod 18
privilegium Clementis V. ad favorem Carmelitarum concessum, relatum a Roderic. *quæst. regul. tom.* 2. *q.* 50. *ar.* 5. confirmatum per Sixtum IV. ut refert Sorb. *in compend. privileg. regul. verb. ædificare num.* 16. prohibens, ne alii Religiosi, vel personæ Ecclesiasticæ, aut pia loca possint intra spatium 140. Cannarum proximum Ecclesiis Carmelitarum novas Ecclesias ædificare, aut de novo recipi, suffragari debeat PP. Theatinis, quibus idem privilegium communicatum fuit per Clementem VII. ut habetur in 38. Constitutione inter ejus impressas in Bullar. *tom.* 2. *num.* 12. *fol.* 505. ubi generaliter omnia privilegia mendicantium prædictis PP. Theatinis communicavit. Quapropter dictum fuit, ut Presbyteri Oratorii S. Philippi Nerii Civitatis Januæ nequeant residere in Ecclesia S. Pancratii, quæ non distat ab Ecclesia Parochiali S. Siri, ubi residunt PP. Theatini per Cannas 40. ex rationibus, & fundamentis adductis in decisione per me extensa, super quibus hodie, reproposita causa, DD. steterunt in decisis.

Admittunt enim PP. Oratorii existentiam prædicti pri- 19
vilegii, ac illius communicationem ad favorem Theatinorum, sed solùm dicunt, illud nullo modo esse attendendum, tum quia in dissuetudinem abiit; Tum etiam quia fuit de medio sublatum, & revocatum per Constitutiones Clemen. VIII. la 99. Gregorii XV. la 31. Urbani VIII. la 25. in ordine inter Constitutiones eorumdem Pontificum, in quibus nova forma præscribitur circa erectionem conventuum, non obstantibus Constitutionibus Apostolicis, cæterisque in contrarium facientibus.

Non usus autem dicti privilegii deducere denuò co- 20
nantur ex literis Sacræ Congregationis Episcoporum, & regularium; ubi attestatur, privilegium concessum super distantia 300. Cannarum non esse in observantia, cui attestationi integræ Congregationis, ac emanatæ de ordine Papæ plurima fides adhibenda est, & Rota semper multum detulit Buratt. *decis.* 497. *n.* 3. ubi Add. *n.* 20. *& fuit dictum in Majoricen. Parochialis* 13. *Junii* 1646. *coram Rev. P. D. meo Celso*.

Sed huic objecto responsum fuit, quod ex dd. literis 21
non inducitur probatio non usus prædicti privilegii Clementis V. cùm loquantur de privilegio prohibente, ne infra spatium 300. Cannarum ædificari possit, illudque dicitur non esse in usu; Unde ex hoc desumi non potest probatio non usus quoad istud privilegium valdè diversum ab illo. Et quatenus verò probaretur dictus non usus, tamen non sufficeret, ad hoc ut privilegium Clementis V. non sit attendendum. Quia nos versamur in casu privilegii facultativi respectivè quod non amittitur simpliciter ex non usu; sed ad hunc effectum requiritur lapsus temporis cum contrario usu, *cap. si de terra*, *& cap. accedentibus de privileg. glos. in l.* 1. *ff. de nundin.* Abbas *cons.* 18. *n.* 4. *&* 7. *vers. non obstat circa medium*, *& cons.* 61. *num.* 7. *p.* 2. latè Suarez *de legib. lib.* 8. *c.* 34. *num.* 15. *&* 16. & resolvit Rota *in Messan Decanatus* 23. *Maii* 1644. *coram R. P. D. meo Ghislerio*; Itaut ad probandum dictum contrarium usum requisitum pro amissione privilegii opus sit specificè doceri, quod alii Religiosi, seu personæ Ecclesiasticæ intra spatium 140. Cannarum propè Ecclesias Theatinorum ædificarunt ipsis Theatinis contradicentibus, quod esset actus eidem privilegio contrarius ex relatis per Reverendiss. Dom. meum Decanum *in d. Messanen. Decanatus* 27. *Januarii* 1642. cui actui positivo, si Theatini acquievissent, tunc revera prætendi posset, dictum privilegium facultativum fuisse amissum, ut tradunt DD. *in l.* 1. *C. de servit. & acq.* Surd. *cons.* 127. *num.* 2. & dixit Rota coram bon. mem. Merlino *in Dertunen. Vicariæ* 22. *April.* 1624. *quæ est decis.* 186. *post Post. de manuten. & in dec.* 288. *num.* 14. *p.* 6. *rec.*

Nec subsistit, quod dictum privilegium Clementis V. 22
fuerit abrogatum, seu revocatum ex novis Constitutionibus Clementis VIII. Gregorii XV. & Urbani VIII. supra relatis. Quia in dd. Constitutionibus nulla fit mentio de hoc privilegio; sed tamen prohibent, ne nova Monasteria erigi possint, nisi vocatis Procuratoribus aliorum Conventuum sine quorum detrimento Conventus erigendus substentari valet: Quod nihil commune habet cum d. privilegio. Unde, cùm istud non repugnet expressis, & dispositis in eisdem Constitutionibus,

non debet per illas cenſeri privilegium derogatum, Bald. *in l. unica, §. fin. C. de latin. libert. tollen.* Mantic. *deciſ.* 104. *num.* 5. & 289. *num.* 6. *part.* 3. *recent.* Cùm itaque diſpoſitum in Conſtitutionibus non ſit contrarium diſpoſitis in privilegio, ſed ad invicem ſe compatiuntur, nullo modo, data d. Compatibilitate, novæ Conſtitutiones tollunt primum privilegium, ut in ſimili dixit Rota coram Verall. *deciſ.* 377. *part.* 2. Put. *deciſ.* 83. *lib.* 3. *in correct.* & *deciſ.* 29. *num.* 33. *part.* 7. *recent.* Et tantum abeſt, quod dd. Conſtitutiones ſint illi derogatoriæ, quinimmò dici poſſint ampliativæ; nam non ſolùm reſpiciunt d. diſtantiam 120. Cannarum, ſed prohibent etiam, ne erigantur de novo Monaſteria, ſeu Conventus, niſi citatis, & auditis Prioribus, ſeu Procuratoribus aliorum Conventuum exiſtentium in aliis locis per quatuor millia paſſuum circumvicinis, quorum conſenſus ad hunc effectum requiritur, vel conſtare debet Ordinariis locorum, quod ſine illorum detrimento d. Monaſteria erigi poſſint, prout diſponitur in Conſtitutione Gregorii XV. in §. 3. quam fel. record. Urbanus VIII. in ſua ſervari mandat.

23 Quamobrem dixerunt DD. (admiſſo etiam, quod d. privilegium fuerit per hujuſmodi Conſtitutiones de medio ſublatum) illas favere PP. Theatinis, dum reſpiciunt detrimentum aliorum Conventuum anteà erectorum, præſervando diſpoſitionem Sacrorum Canonum, ut in Conſtitutione Urbani quibus prohibetur novæ Eccleſiæ conſtructio in loco, ubi præjudicet aliis jam conſtructis juxta diſpoſitum *in can. Eccleſiæ*, & *can. Quicumque* 16. *quæſt.* 1. *cap.* 2. ibi ad aliorum injuriam nolumus redundare *de Eccleſ. ædifican.* & dixit Rota coram Seraph. *deciſ.* 847. *num.* 1.

24 Etenim conſideratum fuit, maximum detrimentum fore allaturum PP. Theatinis, ſi Presbyterii Oratorii reſiderent in Eccleſia S. Pancratii, quæ non diſtat ab Eccleſia S. Siri, ut ſupra dictum eſt, ſpatio 40. Cannarum. Quo ſtante diminueretur concurſus Populi in prædicta Eccleſia S. Siri, & conſequenter eleemoſynæ, quæ ex Chriſti fidelium concurſu uberiores fiunt erga PP. Theatinos ex illis viventes; itaut ex diminutione d. concurſus, & eleemoſynarum, diminuerentur etiam alimenta Theatinis ex eiſdem provenientia, quod lex abhorret, ad text. *in l. ſolent, ff. de aliment.* & *cibar. legat.* Bart. *in l. cùm hi, §. vult igitur, ff. de tranſact.* Jaſon. *ibid. num.* 12. Quin. *conſ.* 81. *ſub num.* 4. *v. Quia ubi a pluribus lib.* 2. & *conſil.* 144. *ſub num.* 6. *v. ſi non poteſt lib.* 5. Anchar. *conſil.* 254. *circa fin. v. niſi ad ipſorum*, Rota *in Romana alimentorum* 20. *Julii* 1642. *coram R. P. D. meo Bichio.*

25 Non obſtat, quod PP. Oratorii habeant proprios reditus a fundatore aſſignatos. Quia non ab eorum ſed a Theatinorum egeſtate præjudicium deſumitur, & ſufficit omne præjudicium aliunde etiam, quàm ex mendicitate, ſeu quæſtuatione Eccleſiæ vicinæ reſultans, ut tradit Modern. Carmel. Matriten. *in Summ. quæſt. regular. tom.* 3. *verb. Monaſteria regularium ſub num.* 6. *verſ. adde etiam fol.* 400.

26 Ex quibus, ac aliis in præterita deciſione deductis, eam confirmandam eſſe, utraque parte informante, reſolutum fuit, &c.

Et luculenter proſequitur.

DECISIO ROTÆ ROMANÆ.

Coram R. P. D.

CORRADO

In cauſa Januen. Privilegiorum.

Lunæ 28. *Junii* 1649.

27 COmmiſſa mihi cauſa appellationis interpoſitæ ad Sanctiſs. D. N. pro parte RR. PP. Congregationis S. Philippi Nerri Civitatis Januen. a ſententia Rotali, qua fuit declaratum illis non licuiſſe, neque licere Eccleſiam, Domum, ſeu Conventum ædificare, vel recipere, neque habitare, aut reſidere in Eccleſia Sancti Pancratii, vel alio loco infrà ſpatium centum quadraginta cannarum ab Eccleſia Sancti Siri, ſeu Conventu RR. PP. Theatinorum diſtanti juxta Summorum Pontificum Conſtitutiones. Hodie dubitavi, An illa ſit confirmanda? Et Domini, re denuò exactè diſcuſſa, reſponderunt affirmativè.

28 Quia nititur expreſſis verbis Bullæ ſanct. mem. Sixti IV. Privilegium hoc concedentis RR. PP. Carmelitis ſub Dat. 4. Kal. Decembris 1476. ut in ea legitur penes Roderic. *in Collect. Privil. Regular. fol. mihi* 209. *ſub numer.* 79. & P. Lezan. *in ſumma qq. Regul. tom.* 5. *part.* 2. *fol. mihi* 519. *ſub eodem num.* 79. ibi, *Et, ut quieti eorumdem Fratrum dicti Ordinis ulterius conſulatur, Conſtitutionem fel. record. Clem. Papæ V. etiam prædeceſſoris noſtri ſuper Domibus profeſſorum Mendicantium prope Domos aliorum Ordinum Mendicantium profeſſorum infra ſpatium centum quadraginta cannarum de novo non recipiendis ad omnes alios Religioſos aliorum ordinum tàm Mendicantium, quàm non Mendicantium utriuſque ſexus, & quaſcunque alias Eccleſiaſticas perſonas propè Domos Fratrum dicti Ordinis de Monte Carmelo novas Eccleſias, & Loca conſtruere, vel alias de novo recipere, & habere volentes extendimus. Itaut nulli eorum infra prædictum ſpatium centum quadraginta cannarum etiam per aërem menſurandarum, ubi alias commodè por terram menſurari non poſſent, ædificare de novo, ſeu conſtruere, aut inhabitare juxta Loca prædictorum Fratrum de Monte Carmeli præſumant. Si quis verò cujuſvis conditionis, ſtatus, aut dignitatis fuerit, qui contra prædicti Clementis prædeceſſoris Conſtitutionem, & noſtram ampliationem venire, aut agere præſumpſerit, tàm ipſi, quàm auxilium, vel favorem præſtantes ipſo facto ſententiam excommunicationis incurrant, quam ferimus in his ſcriptis, & nihilominus cuncta, & ſingula ab eis facta pro infectis habeantur, &c.* Additis in fine clauſula ſublata, &c. & Decreto irritanti, &c. & amplis derogationibus.

Idemque referunt Hieronym. Sorb. *in compend. Privileg. Regular. in verb. ædificare ſub numer.* 19. *verſ. idem Sixtus fol. mihi* 314. ac ipſe iterùm Roderic. *qq. Regular. tom.* 2. *quæſt.* 50. *art.* 5. *verſ. quo privilegio*, Ludov. Mirand. *in manual. Prælat. tom.* 1. *quæſt.* 33. *art.* 4. *in* 3. *in tertia concluſione*, Barboſ. *de univerſ. jur. Eccleſ. lib. ſecundò, cap.* 12. *ſub num.* 76. *verſ. pro Fratribus*, &c. & alii. 29

Quod quidem fuit deindè communicatum, ac principaliter conceſſum eiſdem PP. Theatinis per Clem. VII. in Conſtitutione incip. *Dudum pro parte veſtra*, Dat. 3. Martii 1533. in ordine 38. §. 12. *Ac inſuper vobis*, Bullar. part. 1. ac Pium V. in ejus Conſtitutione incip. *Ad immarceſcibilem*: Dat. ſeptimo Idus Februarii 1567. in ord. 31. in §. 14. *Ipſiſque*, & §. 15. Bullar. part. 2. & ſanct. mem. Gregor. XIV. in ejus Brevi, Dat. 5. Aprilis 1591. ibi, *Et inſuper volentes prædictam Congregationem pro ſingulari, quo eam ob eminentia merita, charitatis affectu complectimur, amplioribus favoribus, & gratiis, ut par eſt, cumulare, & exornare, eiſdem Congregationi, & Clericis, ut ultra privilegia, & alia ſibi conceſſa prædicta, omnibus, & ſingulis aliis Privilegiis, exemptionibus, facultatibus, Indultis, indulgentiis, & peccatorum remiſſionibus, & relaxationibus, cæteriſque gratiis tàm ſpiritualibus, quàm temporalibus quibuſvis Religionibus, Congregationibus, & ordinibus, quocumque nomine nuncupentur, etiam Mendicantium, ac tàm virorum, quàm mulierum, eorumque Monaſteriis, Domibus, & aliis Piis locis per quoſcunque Romanos Pontifices prædeceſſores noſtros, ac nos, dictamque Sedem hactenus quomolibet conceſſis, & impoſterum concedendis, ac quibus illorum utriuſque ſexus perſonæ de jure, vel conſuetudine, aut ex privilegio, vel alias quomodolibet utuntur, potiuntur, & gaudent, ac uti, potiri, & gaudere poſſunt, & poterunt quomodolibet in futurum in his, quæ eorum Regularibus Inſtitutis non adverſentur duntaxat, non ſolùm ad eorum inſtar, ſed æquè principaliter, ac pariformiter in omnibus, & per omnia, perinde ac ſi eiſdem Congregationi, & Clericis ſpecialiter, & expreſsè conceſſa forent, uti, potiri, & gaudere liberè, & licitè, valeant perpetuò concedimus, & indulgemus, illaque eis communicamus, & concedimus, & ad eos extendimus. Decernentes, præſentes literas, & in eis contenta quæcumque, etiam, ex eo, quod intereſſe habentes ad hoc vocati non fuerint, nec eiſdem præmiſſis conſenſerit, nec ex quibuſcumque aliis cauſis quantumvis legitimis, & juridicis, de ſubreptionis, ac nullitatis vitio, ſeu intentionis noſtræ, vel quopiam alio defectu notari, impugnari, retractari, &c. non poſſe, &c. ſublata, &c. ac irritum, &c.* & prout latiùs conſtat ex eodem Brevi, cujus vigore quæcunque Privilegia cæteris Religionibus conceſſa, & concedenda effecta ſunt propria PP. perinde, ac ſi fuiſſent ipſis nominatim conceſſa, independenter ab aliis *l. omnia*, & *ibi not. C. de Epiſcop.* & *Cler.* Oldrad. *conſil.* 300. *ſub num.* 8. *verſ.* & *præſertim*, cum aliis relatis per Horat. Mandoſ. *in ejus tract. de privileg. ad inſtar quæſt.* 4. *per tot.* Rot. penes Creſcent. *dec.* 9. *ſub n.* 5. *verſ.* 2. *quia*, & *in fin. de privileg.* & latiùs *deciſ.* 30. *num.* 2. *verſ. quæ communicatio*, *part.* 4. *tom.* 2. *recent.* & pro eiſdem PP. fuit aliàs dictum *in Licien. quartæ funeral.* 15. *Januarii* 1618. *coram bon. mem. Coccin. in princ. verſ. in caſu autem de quo agitur*, & in Ravennaten. *jur. ſepult.* 19. *Februarii* 1618. *coram eodem in princip. verſ. privilegia ſuffragantur etiam prædictis Clericis Regularibus*, 30

bus. Quare omninò ſunt obſervanda, nec ab eorum tenore recedi poteſt, *cap. porrò, ubi gloſſ. fin. & cap. ſequentibus, de privileg.* Rot. penes Cardin. Mantic. *dec.* 320. *num.* 1. *verſ. nam tenor privilegii, ac in recent. deciſ.* 226. *num.* 24. *v. quod cùm fuerit par.* 7. cum aliis relatis per Modern. Roman. *diſcept.* 947. *num.* 28. *v. cujus tenor.*

31 Nec adverſantur Deciſiones *in Tolletan. Reædificat. Capellæ* 24. *Februarii* 1592. coram bon. mem. Card. Mantic. *dec.* 163. & *In Januen. domorum.* 15. *Maji* 1615. coram bon. memor. Manzaned. *in recentioribus, deciſ.* 676. *par.* 1.

32 Quia in illa Toletan. fuerat probatum Eccleſiam Sancti Joſeph, cujus Patroni, & Capellani in ea exiſtentes novam incœperant ædificare Capellam, fuiſſe conſtructam ante Monaſterium PP. Diſcalceatorum, ut in ea legitur *ſub num. 3. verſ. immò probatur*, &c. In caſu autem propoſito conſtat Eccleſiam Sancti Siri ab antiquiſſimo tempore ædificatam, de qua mentionem facit Sanctus Gregor. *Dialogor. lib.* 4. *cap.* 53. Eandem apud MM. Caſſinenſes priùs exiſtentem fuiſſe deindè conceſſam PP. Theatini anno 1575. ex publicis Inſtrumentis in proceſſu productis. Et ab eis reſtauratam, ut atteſtatur Card. Baron. *in notat. ad Martyrolog. in Lect. diei* 29. *Junii SS. Apoſtolis Petro, & Paulo ſacri in verb. S. Siri Epiſcopi fol. mihi* 363. At in ea recentiori S. Pancratii PP. Congregationis longè poſteà receptos, & introductos anno ſcilicet 1624. proindèque illis inevitabiliter obſtat diſpoſitio relatæ Conſtitutionis Apoſtolicæ, prohibentis non ſolùm Eccleſias, Domos, ac Monaſteria de novo ædificari, ſed jam ædificata, etiam de novo recipi, ac habitari infrà ſpatium dd. centum quadraginta cannarum, ut apparet ex ejus lectura, & tradunt DD. ſupracitati. In illa verò Januen. diſcuſſus tantummodò, atque deciſus fuit articulus. An RR. PP. Societatis JESU tenerentur vendere nonnullas Domos, & ſitus pro ampliatione dicti Manaſterii S. Siri ex Privilegio jure communi inducto Eccleſiæ, ac Religionis favore per *l. ſi quis ſepulchrum, ff. de Religioſ. & ſumpt. funer.* ut patet *ex d. dec.* 676. *par.* 1. *recent.* ubi quod hæc ipſa particularia privilegia, de quibus modò agitur eiſdem PP. Theatinis competentia expreſsè fuit reſervata cognitio *num.* 11. *v. quia tamen*, &c.

33 Minùs relevat, quod ſub ejuſmodi generalibus Privilegiorum communicationibus illa comprehendi non ſoleant, quæ ſunt aliis præjudicialia.

34 Quia non procedit objectio, quando conſtat de voluntate Summi Pontificis intendentis omnia indiſtinctè complecti, vel ex amplitudine verborum, vel ex aliquorum præjudicialium expreſſione, vel ex clauſulis adjectis. Quæ omnia concurrunt in propoſito caſu, in quo prædictum Indultum non ſolùm per viam communicationis, ſed principalis conceſſionis in omnibus, & per omnia pariformis cæteris præcedentibus aliarum Religionum ampliſſimis verbis conceptum fuit, expreſſis etiam ſpecialiter immunitatibus, & exemptionibus, quæ ſui natura ſolent eſſe aliis præjudiciales, necnon additis clauſulis abrogantibus defectum citationis, atque conſenſus omnium intereſſe habentium, ac etiam ſubreptionis, obreptionis, & intentionis ipſius concedentis oppoſitionem. Ex quorum ſanè amplitudine ſatis probatur deliberata, & enixa Pontificis voluntas impartiendi huic Religioni quæcunque, & qualiacunque privilegia, etiamſi tertiis præjudicialia, cæteris Religionibus antea conceſſa, & impoſterum concedenda, licèt aliàs ſub generalibus ſimplicibus verbis non fuiſſent comprehenſa, ut benè comprobat Horat. Mandoſ. *in dict. tract. de privil. ad inſtar dict. quæſt.* 4. *ſub num.* 7. *verſ. quæ omnia cum ſeqq. & fuit reſolutum in Bononien. exempt.* 25. *Maji* 1618. coram bon. mem. Cardin. Veroſpio *in recent. deciſ.* 30. *per tot. part.* 4. *tom.* 2. & *in Meliten. collectar.* 7. *Maji* 1627. coram bon. mem. Cardin. Ubald. *deciſ.* 63. *num.* 4. *verſ. & quidem*, &c. *ac ſeqq. par.* 5. *earund.* Et in his terminis, quod ſub ejuſmodi generali communicatione comprehendatur dict. Privilegium, de quo nunc agitur, tradunt Jo: Baptiſt. Confect. *in ſumma privileg. Ordin. Mendicant. titul.* 51. *cap.* 1. *fol. mihi* 363. Roderic. *qq. Regular. tom.* 2. *dict. quæſt.* 50. *art.* 5. *verſ. quo privilegio*, &c. Mirand. *quæſt.* 33. *art.* 4. *in concluſione ſecunda, in fin. verſ. quo privilegio*, Lauret. de Portell. *in dub. Regular. par.* 1. *in verb. communicatio privilegiorum ſub num.* 9. *verſ. ſi una Religio*, & alii paſſim.

35 Præterea non conſiſtit, quod dd. Privilegia fuerint moderata, ac reformata per Conſtitutionem ſanct. mem. Clem. VIII. incip. *Quoniam ad inſtitutam*, Dat. 23. Julii 1603. inter impreſſas ejuſdem Pontificis in ord. 99. Bullar. part. 3. confirmata per ſanct. mem. Gregor. XV. in Conſtitutione 31. incip. *Cùm aliàs* 17. Aprilis 1622. & per ſanct. mem. Urb. VIII. Conſtit. 25. *Romanus Pontifex* 28. Auguſti 1624. Bullar. par. 4.

Quoniam eſt advertendum, duplicem in hac materia 36
vigere prohibitionem. Alteram ſcilicet generalem Sacrorum Canonum, & Conciliorum, qua vetitum eſt novas Eccleſias, ſeu Monaſteria in quibuſvis Civitatibus, vel locis ædificari, erigi, ac introduci cum præjudicio jurium aliorum ibidem jam exiſtentium, ut habetur *in cap. quicunque* 16. *qu.* 1. *cap.* 2. *ubi gloſſ. in verb. veteribus, de Eccleſ. ædificand. cap.* 1. *de exceſſ. Prælat. in* 6. S. Conc. Trident. *ſeſſ.* 25. *de Regular. cap.* 3. *in fin. v. nec de cætero*, Guidopap. *dec.* 360. Rot. penes Cardin. Seraphin. *deciſ.* 847. *ſub num.* 2. *verſ. nam tàm ex forma reſcripti, quàm ex diſpoſitione juris communis*. Et de hac diſponunt præfatæ ſanct. mem. Clem. Gregor. & Urban. Conſtitutiones, quibus præſcribitur forma in præmiſſis ſervanda, ac numerus quidam Religioſorum in ſingulis Monaſteriis erigendis alendorum definitur, ut patet ex earum lectura, & in eiſdem terminis loquitur Rot. *dec.* 745. *par.* 2. *recent.* quæ emanavit in cauſa vertente non inter duas Religiones; ſed inter PP. S. Auguſtini Diſcalceatos, & Capitulum Eccleſiæ B. Mariæ de Pilari Cæſarauguſtanæ Civitatis, ut patet expoſitione.

Alteram verò ſpecialem ex peculiaribus ſingulorum 37
Ordinum, & Religionum Indultis, & Privilegiis, quibus per Summos Pontifices prohibitum fuit perſonis Eccleſiaſticis, ac Religioſis in Civitates, ac loca quæcunque denuò introductis, atque receptis Eccleſias, Conventus, Monaſteria ædificare, ſive jam ædificata recipere, habere, & habitare infrà certa præſcripta ſpatia ab aliis ibidem jam erectis, ac inſtitutis diſtantia, quæ ſicut non ex ea ratione (ut quidam aſſeverant) ſed ex alia diverſa, & particulari proceſſit, nempè ad evitandas æmulationes, jurgia, diſſenſiones, & ſcandala, quæ oriri poſſunt ex eorum vicinitate, ut apparet ex relatis verbis Bullæ ſanct. Mem. Sixti Quinti, & aliorum Summorum Pontificum, & explicat S. Bonavent. *in Libello Apologetico quæſt.* 7. *verſ. Cùm potiùs deberetis diligere tom.* 2. *Opuſculor. fol. mihi* 430. ac pro ipſis PP. Theatinis reſpondit Rot. *in Januen. domorum* 20. *Decembris* 1610. coram bon. mem. Manzaned. *in recentior. dict. deciſ.* 87. *ſub num.* 5. *verſ. quæ autem deducebantur par.* 4. Ita ſub generalibus illis Conſtitutionibus ſanct. mem. Clem. Gregor. & Urban. favore earumdem Religionum ob alia cauſam emanatis non comprehenduntur, nec ab eis revocantur, ſed in eorum robore permanent, quippè diverſam continet, non autem contrariam, nec repugnantem diſpoſitionem, cùm invicem non adverſentur, ſed benè conveniant, quod Religiones, & perſonæ Eccleſiaſticæ, ſervata forma dd. Conſtitutionum admittantur, & recipiantur in Civitatibus. Attamen non ædificent, neque conſtituant Eccleſias, Conventus, neque habitationes eorum in locis alteri Religioni vicinis infrà dictum ſpatium, *cap. venies ibique gloſſ. in verb. nullam, de præſcript. cap. ſi propter, de reſcript. lib.* 6. *leg. hac ſaluberrima. verſ. ita tamen, ibique gloſſ. in verb. convertere, Cod. de præpoſit. agent. in rebus lib.* 12. Horat. Mandoſ. *de privileg. ad inſtar gloſs.* 8. *a num.* 6. *verſ. ſecundò, quia, & ſeqq.* Rot. penes Put. *dec.* 83. *num.* 1. *v. & fuit deciſum, ac ſeqq. lib.* 3. Verall. *dec.* 380. *num.* 1. *par.* 2. & *in recent. dec.* 29. *nu.* 33. *verſ. & cum ſecundùm privilegium par.* 7. & in hac ſpecie ſenſit Rot. *d. dec.* 67. *ſub num.* 5. *par.* 4. *recent.* & P. Lezan. *in ejus ſumma par.* 4. *in verb. Monaſteria Regularium ſub num.* 20. *verſ. notandum ſecundò*, & *par.* 5. *tom.* 2. *circa §.* 25. *fol.* 699. *ſub num.* 227. *v. ſecundum verò*, &c. dicens ſe in hac Urbe experientia didiciſſe, quod, quando Religioſi reclamant, hujuſmodi privilegiorum obſervantiam petentes, a Sede Apoſtolica audiuntur.

Poſtremò, non obſtat, quod dd. privilegia non ſint uſu 38
recepta.

Primò, quia contraria urget juris præſumptio, præſertim favore illorum, quibus conceſſa fuerunt, ideòque neganti incumbit onus probandi legitimè, & concludenter, *cap. accedentib. de privileg.* & reſpondit Rot. penes Creſcent. *dec.* 4. *num.* 2. *verſ. unde Domini voluerunt, de privileg.* & *dec.* 67. *num.* 3. *v. neque obſtat*, & *ſeqq. par.* 2. *diverſ.* Cardin. Cavaler. *dec.* 423. *num.* 1. *verſ. neque videbatur.* & *in recent. dec.* 197. *ſub. num.* 5. *v. & cum uſus*, & *dec.* 213. *ſub n.* 1. *v. quæ Conſtitutiones p.* 1. & *dec.* 572. *n.* 16. *v. obſervantia allegata*, &c. & *ſeqq. p.* 4. *tom.* 3. Id enim non ſatis probatur ex literis, atque Decretis exhibitis pro PP. d. Congregationis. Nam quædam loquuntur de cannis tercentis, quæ ab eodem ſan. mem. Clem. IV. in alia ejus Conſtitutione relata per Jo: Bapt. Confect. *in Collect. literar. Apoſtolic. Mendicant. fol.* 12. *Conſtit.* 3. & ab aliis deindè Summis Pontificibus fuerunt reductæ ad cannas centum quadraginta. Aliæ de ſola

mutatione ſitus Monaſterii antiquitus eodem in ſolo conſtructi ab ipſiſmet Religioſis jamdudum in eo degentibus ob neceſſariam cauſam fienda, quæ ſub ejuſmodi prohibitione non comprehenditur, ut probat Mirand. *in manual. Prælat. tom. 1. d. quæſt. 33. art. 5. concluſ. 2.* Suar. & alii relati per Barboſ. *d. cap. 12. ſub num. 78. verſ. ſicut etiam*. Aliæ verò in particularibus caſibus, in quibus peculiares vigebant rationes, nec conſtat de hac diſtantia actum fuiſſe. Et propterea ex illis ad caſum propoſitum congrua fieri non poteſt illatio, juxta reg. *l. Papinianus 21. ff. de minor. l. ſi maritus, la prima in fin. ubi gloſſ. in verb. ſeparata ſit, C. de donat. inter vir. & uxor.* Caſtr. *in conſil. 97. ne impropriis utamur vocabulis ſub num. 3. verſ. nec obſtat, &c. par. 2.* Rot. penes Card. Seraph. *dec. 892. num. 4. v. & ideo eſt dec. 349. ſub num. 1. verſ. quia termini iſtarum deciſionum par. 4. diverſ.* & penes ſan. memor. Greg. *conſil. 470. ſub num. 9. verſ. ex quo dicebant Domini*.

39 Secundò, quia ob ſolam patientiam, & tollerantiam Regularium, vel aliquorum ex eis non fuerunt amiſſa hujuſmodi privilegia validiſſimis clauſulis, ac decretis irritantibus roborata, quæ ex Principis intentione omnia contra eorum tenorem per inferiores acta ita inficiunt, & quovis juris effectu prorſus deſtituunt, ac ſi geſta non fuiſſent. Ideòque non uſus, vel contrarius uſus ſuffragari non poteſt, Archid. *in cap. cum de beneficio ſub nu. 2. verſ. ſed pone, de præbend. in 6.* Felin. *in cap. cùm acceſſiſſent ſub num. 30. v. quartò limita, &c. de conſtit.* Rot. *dec. 3. de privileg. in antiq.* & penes Creſcent. *d. dec. 4. num. 4. verſ. & in hoc, & ſeqq. uſque ad fin. eod. tit. & dec. 240. num. 5. verſ. & cum illud privilegium, ac ſeqq. p. 4. div.* Cardin. Cavaler. *dec. 423. num. 2. verſ. reſpondebatur inſuper, & ſeqq.* Buratt. *dec. 704. num. 10. v. 3. quia &c.* Horat. Mandoſ. *de privil. ad inſtar gloſſ. 15. ſub n. 32. v. nono fallit, &c.* Jo: Baptiſt. Confect. *in ſumma privil. Mendicant. tit. 3. cap. 3. fol. mihi 292.* idemque in ſpecie comprobat rejectis contrariis, Campanil. *in diverſor. jur. Canon. rub. 12. cap. 13. ſub num. 81. verſ. Sorbus autem, &c.* & P. Lezan. *in loco ſupracit.* Eòque magis hoc procedit ſtante mutua generali communicatione privilegiorum inter ipſos Regulares per Summos Pontifices facta, ob quam gaudent conceſſis a Nicolao IV. ſanct. mem. PP. Carthuſienſibus, & ab Eugen. IV. ſanct. mem. PP. Caſſinenſibus, qui ab ejuſmodi præjudiciis præſervantur, ut apparet ex Bullis relatis per Roderic. *in d. Collect. Bullar. ſub eodem Eugen. Bulla 9. num. 19. v. Adjicientes fol. 86. & Bulla 11. num. 10. verſ. Adjicientes, fol. 90.* & P. Lezan. *in ejus ſumma par. 4. in verb. privilegia Regularium ſub num. 17. verſ. notanda etiam, fol. mihi 488.*

40 Tertiò, quia, quicquid ſit de aliis Religionibus; certum eſt, quod objectio ex facto tollitur quoad PP. Theatinos, nam hi quoties caſus evenit hujuſmodi privilegio tàm in judicio, quàm extra uſi fuerunt, & ſpecialiter in ipſa Civitate Januæ cum RR. PP. Jeſuitis, ut apparet *ex dec. 676. num. 11. verſ. quia tamen par. 1. & a dec. 87. par. 4. recent.* ac iterùm cum eiſdem in Civitate Meſſanæ anno 1542. ut patet ex literis S. Congregationis Epiſcoporum, & Regularium, & cum RR. PP. Præmonſtratenſibus hìc in Urbe. Ac demum cum Preſbyteris ſecularibus S. Caroli Boromæi in Civitate Neapolis, ut apparet ex Decreto ejuſdem S. Congregationis ſub die 16. Februarii 1643. relato etiam a P. Lezan. *in loc. cit. ſub dicto num. 20. verſ. unde cùm Neapoli*. Ita quod licèt quoad alios non eſſent in uſu, tamen quoad ipſos ſervari debent, quibus propria diligentia prodeſſe, aliorum autem in curia nocere non debet, Abb. *in cap. cùm acceſſiſſent ſub num. 8. ad fin. verſ. dic ubi privilegium, de conſtit.* Rot. penes Cardin. Seraphin. *dec. 951. n. 1. verſ. privilegium, ac ſeqq. & d. dec. 240. num. 6. verſ. hoc autem par. 4. diverſ.* Buratt. *dec. 704. num. 9. verſ. ſecundo quia*, Joan. Baptiſt. Confect. *d. cap. 3. ſub princ.* Anton. Cordub. *in Addit. ad Sorb. in compend. privileg. Regular. in verb. communicatio privilegiorum in verb. tandem, fol. mihi 198.* Roderic. *qq. Regular. tom. 1. quæſt. 8. art. 5. & qu. 55. art. 19.* Mirand. *in manual. Prælat. tom. 2. qu. 47. art. 8.* Portel. *in dub. Regular. d. verb. communicatio privilegiorum ſub num. 11. v. quamvis una Religio, & in verb. privilegii communicatio ſub num. 22. verſ. quando una Religio*. Quod fortius etiam procedit attenta confirmatione, & nova conceſſione eorumdem omnium privilegiorum ad ipſorum favorem emanata a ſanct. mem. Gregor. XV. Motu proprio, ex certa ſcientia, & de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine per aliud Breve, Dat. 16. Octobris 1621. cujus vigore præcedentia reviviſcunt, & in priſtinum ſtatum reducuntur a quibuſvis anteactis præjudiciis vindicata, Joan. Baptiſt. Confect. *d. cap. 3. in fin. v. quæ quidem innovationes, fol. 293.* Roderic. *qq. Regular. tom. 1. qu. 8. art. 4. col. 2. v. immò talis confirmatio*, Suar. *de legib. lib. 8. cap. 19. ſub num. 1. v. quia confirmatio ex certa ſcientia, &c. & cap. 20. ſub num. 8. v. 2. dicendum eſt, &c. ac ſeqq.*

Poſtremò hujuſmodi non uſus eo minus allegari debet 41
pro parte PP. d. Congregationis, qui ſive ejuſdem Inſtituti Confratres in dicta Civitate Neapolis Superioribus annis a ſan. mem. Urbano VIII. ſimilem prohibitionem obtinuerunt, ut apparet ex Breve, Dat. die 17. Maji 1631. producto in Regiſtro Rotali fol. 297. & ſeqq. Itaque juſtitiæ, & æquitati conſonum eſt, ut eodem ipſimet jure æquo animo utantur erga ſeipſos, quod in alios exercuerunt, juxta illud *Thob. cap. 4.* ibi, *quod ab alio oderis fieri tibi, vide ne tu aliquando alteri facias, ac in Evang. S. Matthæi cap. 7. in princip. & S. Lucæ cap. 6. poſt med. & in cap. dilecti, ubi gloſſ. in verb. nolles, de major. & obed. ac in l. 1. ff. quod quiſque jur. cum concord.* relatis per Tiraquell. *de retract. lignag. §. 1. gloſſ. 13. ſub. num. 6. v. præterea cùm ſeqq.*

Cùm igitur ex prædictis, & aliis doctè, ac plenè ad- 42
ductis in duabus præcedentibus Deciſionibus coram R. P. D. meo Royas ſub diebus 24. Junii 1647. & 24. Jan. 1648. appareat juſtitia ſententiæ Rotalis, cujus validitas ex ipſo proceſſu juſtificatur, in quo fuerunt ſervata ſervanda juxta *dec. Verall. 262. par. 2.* Jure meritò fuit per Dominos concluſum illam eſſe confirmandam, ad text. *in cap. ea quæ*, ubi Gloſs. & DD. *de ſent. & re judic.*

Et ita deciſum informantibus tantùm RR. PP. Theatinis. Alia verò parte ſæpiùs citata, &c.

Hactenus graviter, juxtè ac doctè Sancta Rota Romana.

Quod ſi Regulares inciperent novam Eccleſiam con- 43
tiguam, & præjudicialem Conventui, aut Eccleſiæ aliorum Regularium, debet ab iſtis nunciari novum opus, vel coram Ordinario, vel in Sacra Congregatione ſuper Epiſcopis, & Regularibus. Sique, hoc minimè obſtante, non ceſſarent in ædificio incœpto, inſtari debet pro revocatione attentatorum, & pro demolitione totius fabricæ.

Pro comprobatione attentatorum debet adduci nun- 44
ciatio judicialis novi operis, ratione cujus demoliri debet ædificium, quantumvis pii, & Eccleſiaſtici, per Text. *in l. 1. ff. de nov. oper. nunc.* Imol. *in l. de pupillo, §. ſi plurium num. 19. & §. ſi quis forte num. 7. verſ. forus eodem tit.* Gratian. *diſceptat. 85. num. 5.* Lancellott. *de attent. par. 2. quæſt. 3. num. 27.* Rotam *in Sabinen. attentatorum* apud Maſcard. *par. 2. fol. 37. num. 2.* & in terminis de Eccleſia eſt Textus *in cap. fin. de nov. oper. nunc.* ibique Gloſſa, & DD. communiter, præſertim Abbas *numer. 1.* Surd. *conſ. 233. num. 13.* Nam etiam Eccleſia ædificata poſt novi operis nunciationem, demolienda eſt, cùm Eccleſia non ſit conſtruenda in præjudicium alterius per *d. cap. fin.*

Maximè autem, ſi inhibitio fuerit adverſariis præſen- 45
tata, & contempta, atque abjecta, quo in caſu præbent certam cauſam demolitionis ædificii, ut per Lancellott. Gallia *conſil. 52. num.... cum binis ſeqq.*

Aut ſi novum ædificium eſſet tàm propinquum Con- 46
ventui aliorum Regularium, ut ejus lumini, & aeris ſalubritati non modicè officeret, ideòque licitè poterit illud impediri, ut limitando Textum *in l. altius, C. de ſervit.* tradit Alexand. *in l. ſi prius n. 24. ff. de nov. oper. nunc.* ac Surd. *d. conſ. 233. n. 14. in fine*.

Vel ſi novus Conventus, ſive nova Eccleſia conſtru- 47
cta ſit intra ſpatium centum quadraginta cannarum proximum Eccleſiis dictum eſt.

Ex quibus pronunciandum eſt pro attentatis, quæ an- 48
te omnia ſunt revocanda, ſi conſtiterit, fabricam controverſam fuiſſe cœptam, ſive continuatam poſt nunciationem novi operis, quæ cùm habeat vim inhibitionis, operatur, ut omnia ſubſequuta revocentur privilegio attentatorum, per Textum, & Doctores modò allegatos.

Ac, itaut non relevaret, ſi nunciatio non eſſet facta 49
in faciem loci, ut pro forma cavetur *in dict. leg. de pupillo, §. nunciationem, ff. de nov. oper. nunc.* Nam ibi traditur forma nunciationis extrajudicialis, quæ aliter facta non tenet, at non excluditur nunciatio judicialis, nec quod innovatum poſt judicialem inhibitionem ſit demoliendum. Immò cùm novi operis nunciatio impediat novum ædificium propter implicitam inhibitionem, multò magis, atque impenſius impleri debet per inhibitionem judicialem, poſtquam omnia geſta revocantur per viam attentatorum, & reponantur in priſtinum abſque aliquo privilegio nunciationis, ut per Caputaquen. *dec. 93. par. 2.* Achil. de Graſſ. *dec. 29. de appellat.* & Rota *in dict. Sabinen. attentatorum*, paſſimque alibi.

Nec

50 Nec dicatur, nunciationem posse contemni, tanquam injustam, sed semper timenda est sive justa, sive injusta fuerit, adeòut quicquid post illam fuerit innovatum, revocari debeat, etiamsi jure factum fuerit, ut notant Bart. & Jas. *in dict. leg.* 1. *ff. de nov. oper. nunc.* Lancellot. *loc. cit. dict. part.* 2. *cap.* 28. *num.* 63. Gaill. *lib.* 1. *observ.* 16. *num.* 1. Bertrand. *cons.* 290. *num.* 1. *vol.* 4. Gallia *consil.* 52. *num.* 1. & *seq.* Immò audiri non potest nunciatus super justitia ædificii, nisi prius opere demolito, ut advertit Abb. *in cap.* 2. *num.* 2. *de nov. oper. nunc.* & Gallia *ibid. num.* 3.

51 Quinimmò etiamsi fundus, sive murus esset Regularium, non licet illum adeò in altum extollere, ut precludatur aliis Regularibus sol, atque aer, qui aliundè haberi non possunt, ut limitando Textum *in dict. leg. latius, Cod. de servit.* tradunt Alexand. *in dict. leg. si prius*, Petrus de Ubald. *tract. de duob. fratrib. part.* 6. *quæst.* 4. *in* 2. *fallent.* Surd. *dict. cons.* 233. *num.* 14. *in fin.* Cæpol. *de servit. urban. præd. cap.* 27. *num.* 4. aliique relati a Gallia *dict. cons.* 52. *num.* 31. Et multò minùs, non dimisso legitimo spatio decem pedum, juxta Textum *in leg. Imperatores, ff. de servit. urban. præd.* vel saltem duorum juxta dispositionem, *leg. fin. ff. finium regundor.*

52 Nec suffragatur excusatio aliqua. Nam qualiscunque illa sit, suffragari poterit ad evitandam pœnam, non autem ut evitetur purgatio attentatorum, juxta distinctionem Rotæ in Gerunden. beneficii 10. Februarii 1620. coram Coccino, in Valentina præceptoriæ 10. Maji 1627. coram Virile, & in Leodiensi matrimoni 4. Maji 1647. coram Cardinali Verospio.

53 Quatenus verò allegaretur aliquod privilegium construendi hujusmodi Conventus, sive Ecclesias, debet illud exhiberi, interim servandæ sunt Constitutiones Clementis VIII. Gregorii XV. & Urbani VIII. superiùs adductæ, quæ ad hunc præcisum effectum revocationis licentiarum, & privilegiorum emanarunt, innovando prohibitiones antiquas cum clausulis amplissimis derogatoriis omnium Constitutionum Pontificiarum, & Consistorialium, & cum clausula *sublata*, & decreto *irritante*.

54 Denique non obstaret prætensus consensus aliorum Regularium, elicitus ex eorum taciturnitate in principio constructionis. Nam cùm privilegium sit concessum Ordini Regulari, & Mendicantibus, non amittitur per non usum unius Monasterii, in cujus potestate non est consentire erectioni novi Conventus, aut novæ Ecclesiæ; præsertim quia versamur in privilegio facultativo, quod non amittitur per non usum, nisi fuerit oppositum, contraque illud judicatum, & non reclamatum, ut tradit Rota *in Burtusin. Vicariæ* coram Merlino apud Post. *de manutent. decis.* 186. *numer.* 8. & *in Hispalen. Quartæ funeralis* coram Cardinali Pamphilio 4. Julii 1590. & *in Licien. quartæ item funeralis* 27. Julii 1642. coram Royas.

55 Cæterùm vulgaris conclusio est, quod in proprio solo cuilibet competat jus liberè ædificandi, ac ædificium tollendi usque ad Cœlum *dict. leg. altius, Cod. de servit. & aqua leg. fin. ff. eodem leg. cum eo*, & *dict. leg. Imperatores, ff. de servit. urban. præd. leg. Proculus, ff. de damn. infect.* Honded. *consil.* 80. *num.* 18. *vol.* 1. Soccin. *cons.* 14. *num.* 1. *lib.* 1. Surd. *cons.* 127. *num.* 18. Bero. *consil.* 134. *n.* 1. *lib.* 3. Gail. *pract. observ. lib.* 2. *cap.* 6. *num.* 1. Gomes. *ad leg.* 46. *Tauri num.* 6. Menoch. *de arbitr. cas.* 156. *n.* 3. Vin. *decis.* 306. *num.* 1. Magon. *decis. Lucen.* 29. *num.* 7. & Rota *in Maceraten. fabricæ* coram Durano *decis.* 450. *num.* 1. & *in Tiburtina Calcariarum* coram Buratto *dec.* 38. *eodem numero*, & *in Romana Tramontanæ* coram Pirovano apud Rubeum *in singul. Rotæ tom.* 1. *pag.* 514. ac in Gerunden. juris fabricandi per tres decisiones, quæ leguntur *in addit. ad* 5. *part. recent.* nempe *dec.* 577. 596. & 599. *ac decis.* 611.

56 Quæ facultas est adeò libera, & naturalis, ut procedat, etiamsi officeretur lumini vicini, illudque omninò obscuraretur, dummodò id principaliter fiat, ut prosit ædificanti, non autem ad æmulationem, & quatenus non adsit servitus, per Text. *in dict. leg. cum eo, ff. de servit. urban. prædior.* & tradunt Padil. *in dict. leg. altius num.* 21. *Cod. de servit. & aqua*, Cæpol. *de servit. urban. prædior. cap.* 39. *num.* 1. Mandel. *cons.* 21. *num.* 19. *in fin.* Jason. *consil.* 98. *num.* 4. & 8. *lib.* 1. Rimin. jun. *cons.* 367. *n.* 15. *lib.* 4. Honded. *d. cons.* 80. *num.* 16. Bero. *cit. cons.* 134. *n.* 26. & *cons.* 135. *num.* 1. & 4. *lib.* 3. ac Rota coram Durano *dict. dec.* 450. *n.* 1. & in d. Gerunden. juris fabricandi.

57 Præcipuè si interceserit consuetudo loci, in quo propter angustiam situs ædificia extolluntur præter assuetum modum, estque protritum axioma Glossæ *in leg.* 1. *verf. probibetur, Cod. de servit. & aqua* relatum a Gail. *lib.* 2. *observ.* 92. *numer.* 1. *quod qui habet solum, habet cœlum.*

Consuetudinem autem regionis in hac re plurimum esse attendendam, significat Text. *in leg.* 1. & *leg. Præses, Cod. de serv. & aqua*, & *in leg.* 1. *Cod. de ædif. priv.* Padil. *in dict. leg. altius num.* 8. *Cod. de serv. & aqua*, dicens hujusmodi consuetudinem, tanquam universalem ligare, etiam Clericos, Cæpol. *loc. cit. cap.* 39. *num.* 2. Gail. *observ.* 69. *num.* 16. *lib.* 2. Franc. Marc. *decis.* 460. *num.* 3. Surd. *decis.* 168. *num.* 7. Gratian. *cap.* 957. *nu.* 45. & *seqq.* ac Rota coram Durano *citata decis.* 450. *num.* 2.

Probato igitur concludenter dominio soli, in quo ædificatur nova Ecclesia, non poterit impediri illius fabricæ prosequutio, nisi probetur, & quidem plenè, casus exceptionis, scilicet jus servitutis, vel quod ædificium fiat ad æmulationem, ut in specie firmatur in citatis decisionibus 587. *num.* 2. & 611. *part.* 5. *recent. num.* 3. *tomo* 2. 58

Eòque maximè, quia utraque exceptio habet præsumptionem contra se, ideòque illam allegans gravatur onere plenioris probationis, ut de servitute, & aqua *leg. cum eo, ff. de servitut. urban. prædior.* plenè Gail. *dict. observ.* 69. *num.* 3. Bero *consil.* 134. *num.* 6. *lib.* 3. Joan. de Amic. *consil.* 50. *num.* 10. Hond. *dict. consil.* 80. *num.* 16. *ac seq. lib.* 1. Cæphal. *cons.* 53. *num.* 16. Menoch. *lib.* 1. *præsumpt.* 39. *num.* 1. *cum seqq.* Rota *in addu&a decis.* 587. *num.* 7. & 8. & *decis.* 596. *num.* 1. & *decis.* 599. *num.* 5. *part.* 5. *recent. tom.* 2. 59

Et de æmulatione, quod pariter nunquam præsumatur sed potius quod quis principaliter ædificet ad suam utilitatem, non autem per invidiam, & æmulationem, est Glos. *in leg. fluminum §. ult. verf. non teneri, ff. de damn. infect.* & tradunt Imol. *in leg. si in meo fundo, ff. de aqua pluv. arc.* Jas. *in leg. quominus num.* 23. *ff. de flum.* & *in leg. ex hoc jure nu.* 11. *ff. de just.* & *jur.* Surd. *consil.* 154. *num.* 14. Cravett. *consil.* 49. *num.* 2. Hond. *dict. consil.* 80. *n.* 34. *lib.* 1. Menoch. *de arbitr. cas.* 156. *num.* 8. & *præsumpt.* 29. *num.* 3. *lib.* 6. Gail. *dict. observ.* 29. *num.* 30. ibique Greven. *n.* 6. ac Rota *dict. dec.* 587. *n.* 3. & *decis.* 599. *num.* 15. & *decis.* 611. *num.* 16. *ac* 23. *part.* 5. *recent. tom.* 2. 60

Tunc autem solùm quisque suspicari potest de æmulatione, quando ædificium est damnosum vicino, & nullam ædificanti affert utilitatem, ut per Surd. *consil.* 32. *num.* 8. Hond. *consil.* 80. *num.* 35. *lib.* 1. Gratian. *cap.* 745. *num.* 37. Secus autem si sit ædificanti quoquomodo utile. Nam licèt inde oriatur damnum vicino, præsumitur tamen, quod ob propriam utilitatem, non autem in alterius odium sit constructum, Alciat. *de præsumpt. reg.* 3. *præsumpt.* 23. Honded. *dict. consil.* 8. *num.* 35. *lib.* 1. ac Rota *in allegat. decis.* 599. *num.* 28. *part.* 5. *recent. tom.* 2. cum aliis per Adden. ad Buratt. *decis.* 631. *numer.* 27. *in fine*. 61

Attentis præsertim in qualitate ædificii, quod construitur in honorem Dei, & qualitate Religiosorum, ex quibus removeri quamcunque suspicionem æmulationis, ait Rota *decis.* 587. *num.* 14. & *dict. decis.* 599. *num.* 35. *part.* 5. *recent.* 62

Ex quibus non obstat, quod ubi ex ædificio provenit maximum, & intolerabile præjudicium, possit vicinus impedire illius elevationem. Et quod vicino non licet altiùs extollere, quando officit lumini, aeri, & prospectui alterius. Neque applicantur Textus, ac Doctores, qui contra citari possunt. Nam *leg. si quis sepulchrum, ff. de relig.* & *sumpt. fun.* solùm ait, quod vicinus tenetur vendere fundum vicino ad usum sepulchri, dummodò tamen inde non patiatur magnum detrimentum, quod summa ratione conceditur ei, qui cogitur vendere rem suam, ne scilicet exindè magnum detrimentum patiatur. Textus verò *in leg. binas ædes §. Marcellus, ff. de serv. urbanor. prædior.* potius retorquetur, dum ibi clarè statuitur, quod ædes altiùs possint extolli, etiam obscurando lumen vicini, Barbosa verò *lib.* 2. *cap.* 2. *num.* 12. *de jur. Eccles.* loquitur de Ecclesia Parochiali, quæ construitur sine causa, & absque authoritate Pontificis in præjudicium alterius Parochialis, qui non est casus noster. Denique Grat. *cap.* 896. *num.* 6. & 7. loquitur in terminis *dict. leg. Si quis sepulchrum.* 63

Præterea quando non impeditur aeris benignitas, nec ingressus salubrium ventorum, ut si Auster, & Aquilo liberè perflarent, neque etiam impediretur Favonius, quemadmodum ex hisce circumstantiis cessare præjudicia, resolvit Rota coram Buratto *decis.* 631. *numer.* 6. An autem ædificium officiat lumini standum est peritorum relationi, probatque Alex. *consil.* 171. *in fin. lib.* 2. & Mandell. *consil.* 20. *numer.* 19. *in apostil.* præsertim si fuerint judicialiter electi a Partibus, quo fit, ut eorum relationi magis standum sit, Rota *decis.* 526. *num.* 1. *part.* 4. *rec.* & in Anconitana computorum coram Innoc. X. 64

Nec ideò ex lapsu temporis, etiam longissimi, quo in 65

ſitu, ubi conſtruitur nova Eccleſia, non fuerit ædificatum, prætendi poteſt acquiſitam fuiſſe ſervitutem non tollendi. Quia dum verſamur in actu merè facultativo ædificandi, non amittitur libera facultas, etiamſi per mille annos non fuerit ad actum reducta, niſi probetur, quod Dominus ſundi volens ædificare, fuerit prohibitus, & prohibitioni acquieverit, *l. Qui luminibus*, ibique Gloſſa, & DD. *C. de ſervit. ruſtic. prædior. & in l. 1. C. de ſervit. & aqua*, Jaſ. *conſil. 98. num. 5. vol. 1.* & generaliter quod in hujuſmodi ſervitutibus, negativis non currat præſcriptio, niſi a die prohibitionis, & acquieſcentiæ, tradit Anchar. *in cap. Cùm dilectus num. 21. de Capell. Monach.* Covarr. *var. lib. 1. cap. 9. n. 2.* Garz. *de nobilit. gloſs. 33. num. 65.* Gonzal. *ad reg. 8. gloſs. 5. §. 6. num. 37.* Capy. *dec. 209. num. 25.* Giovagn. *conſil. 9. n. 64. lib. 1.* Guttier. *canon. qu. lib. 2. quæſt. 21. num. 68. & ſeq.* Gratian. *diſcept. 561. num. 24.* Rota *dec. 536. num. 3. par. 2. recent. & dec. 321. num. 22. & ſeq.* apud poſt *de manut.*

66 Ceſſaretque facilè attentatorum prætenſio, ſi ædificium in partibus, in quibus fuit fabricatum poſt inhibitionem jam a pluribus menſibus inchoatum fuerat, videntibus Patribus adverſariis, necnon etiam approbantibus per plures actus poſitivos. Unde id, quod fuit factum, non poteſt ullo modo comprehendi ſub interdicto nihil innovandi, quod proſpicit tantummodò innovationem in parte controverſa, ſed cenſeri debet continuatio, quæ non eſt prohibita, etiam poſt inhibitionem, nec cauſare poteſt attentata, ex traditis a Lancellot. *de attent. poſt inhib. lim. 9.* & a Rota *dec. 87. num. 3. part. 4. recent.* ubi pro excluſione attentatorum conſideratur ſimilis continuatio operis in ea parte, in qua prius fuerat fabricatum ſcientibus, & patientibus iis, qui attentata prætendebant. Et quod attentata poſt inhibitionem conſiderentur ſolùm, quando fuit contraventum in ea parte, quæ erat in lite, nec ad alia extendi poſſit inhibitio, probat Seraph. *dec. 1003. num. 4. in fine*, & Lancell. *de attent. poſt inhib. lim. 17.*

67 Et eo magis ſi Regulares ædificantes potuerint ita credere, cùm pro excluſione attentorum, quæ ſunt odioſiſſima, & important delictum, ſit ſumenda omnis poſſibilis interpretatio, ut in ſpecie de attentatis prætenſis per geſta poſt præceptum de non ædificando, tradit Bar. *in l. non ſolùm, §. ſed ut probari num. 3. & 4. ff. de nov. oper. nunc.* cum aliis a Lancellott. *de attent. par. 1. num. 121. & par. ſecunda, de attent. poſt inhib. declarat. 1. numer. 33.*

68 Maximè autem dum attentata prætenduntur ad effectum devolutionis, quæ cùm ſit pœna, ſupponit dolum, qui non inducitur abſque ſcientia indubitata, & præciſa prohibitionis, per Text. *in l. jubemus, §. quæ in poſterum, Cod. de teſtam.* Et pro excluſione doli, ac pœnæ admittitur quæcunque excuſatio, & cauſa etiam injuſta, *l. Igitur, §. Poteſt, ff. de liber. cauſ.* Honded. *conſil. 42. n. 45. lib. 2.* Lancell. *de attent. poſt. inhib. limit. 24. num. 25.* & dixit Rota *in Marſicen. juriſdictionis 25. Juanuarii 1645. §. Trout* coram Bichio. Et ſufficere quod attentata ſint turbida, ut illorum cognitio rejiciatur, tradit Rota *dec. 651. num. 4. par. 4. & dec. 411. num. 4. par. 4. rec. tom. 3. & dec. 426. num. 15. par. 5. tom. 2.*

69 Quin etiamſi attentata eſſent clariſſima, non eſſent in hoc caſu attendenda, ſi conſtiterit de bono jure Regularium ædificantium, & de non jure adverſariorum, juxta theoricam Bartoli *in l. 1. n. 6. ff. de nov. oper nunc.* Papien. *in forma libelli actionis novi operis num. 2. cum ſeqq.* Bald. *conſ. 45. num. 2. & 3. lib. 3.* Carpan. *ad Stat. Mediolan. cap. 340. num. 4. & ſeqq. & num. 55.* Gail. *lib. 1. obſerv. 16. num. 4.* latè Surd. *conſ. 54. aum. 20. 23. & 25.* ubi reſpondet ad objectionem, quod non attendatur, utrum jure, an injuria quis fabricaverit, dicens id non procedere quando agitur ad effectum demolitionis, & notoriè conſtat de non jure illam petentis. Quod ſequitur Greven. ad Gail. *loc. citat. numer. 12.* cum aliis per Grat. *cap. 84. num. 36. & 37.*

70 Cæterum quoad diſtantiam 300. cannarum pro Regularibus S. Franciſci, de qua *in compend. privil. Minor. v. ædificare*, ut advertit Sorb. ibid. id non poteſt obſervari in magnis Civitatibus, minuſque in parvis, ut proindè non ſit in uſu. Unde in Urbe, aliiſque magnis Civitatibus omnes Conventus Regularium ſunt vicini intra dictas cannas Romanas, neque aliæ Religiones habent idem privilegium redactum ad cannas 140. a Clem. IV. Urb. IV. & Sixto IV. ut in citato compendio, & nihilominus videtur nullibi hoc ſervari. Servabatur autem quando tàm Fratres Minores, quàm alii Regulares ædificabant Conventus in Eremitoriis, in Montibus, in locis extra Civitates. At ubi receptum eſt eos habitare in Civitatibus, hujuſmodi privilegium videtur abiiſſe in deſuetudinem. Quod ſi ſervaretur, multæ eſſent Civitates, & loca, in quibus non poſſet degere, niſi unica Religio.

CONSULTATIO XIII.

Fuit ad Seminarium Civitatis Catholicæ admiſſus Olympius ex patria hæretica, cujus Seminarii alumni ex privilegio Apoſtolico promoveri poſſunt, etiam ad Sacros Ordines abſque literis dimiſſoriis proprii Epiſcopi, Ab eo, poſt quadriennium finitis ſtudiis dimiſſus, adiit, aliam Civitatem Catholicam alterius Diœceſis, a cujus Epiſcopo poſt biennium petiit promoveri ad Sacros Ordines, ac ſimul provideri aliquo beneficio curato; emiſſa prius declaratione; velle in ea perpetuò permanere, & re ipſa Epiſcopus ad dictos Ordines eum promovit. Quæritur, an hic Epiſcopus incurrerit pœnam aliquam?

ET quidem non incurriſſe pœnas aliquas in S. Concilio Tridentino *ſeſſ. 23. cap. 8. de reform. & in cap. 2. de temp. ordin. in 6.* contentas, exiſtimo. Licèt enim ex diſpoſitione dictorum jurium non poſſit Epiſcopus Ordines conferre Clericis exteris ſub pœnis ibidem inflictis abſque literis dimiſſoriis proprii Ordinarii, id tamen non procedit in hoc caſu. Quia dum propria Diœceſis fuit ab hæreticis occupata, potuit proinde hic Olympius promoveri ad Sacros Ordines ab alio Epiſcopo, in cujus Diœceſi permanet, ut in ſpecie eſt Text. *in can. Clericos 4. dict. 71.* ibi, *Exceptis illis, qui proprias Crvitates perdiderunt, & ex neceſſitate ad alias Eccleſias migrarunt*, ubi Gloſſ. *v. ex neceſſitate propè fin.* Arch. *poſt init.* Turrecr. *ante num. 1.* Gemin. *in princ.* ac cæteri communiter. 1

Nullaque ſubeſt difficultas, cùm dictus Olympius in Civitate Epiſcopi ordinantis per biennium habitaverit, & illius domicilium elegerit, prævia expreſſa declaratione ibidem perpetuò habitandi, ac morandi; quo caſu indiſtinctè aliquis ordinari poteſt ab Epiſcopo domicilii tic electi, & declarati, ut latè firmat Ugolin. *de Epiſc. c. 26. §. 2.* Barb. *eod. tract. par. 2. alleg. 4. num. 26. & 40. in fine*, & in addit. ad Conc. Trid. *ſeſſ. 23. de reform. d. cap. 8. num. 29.* Pax Jord. *elucubr. tom. 1. lib. 3. tit. 6. n. 53.* Squillant. *de privil. Cler. cap. 4. num. 253.* Sanch. *de matrim. lib. 3. diſput. 23. ſub num. 2.* & habetur *in cap. fin. de Parochis* eſtque *conſil. 2.* aliàs 10. Navar. *de temp. ordin.* 2

Nec obſtat, quod non interceſſerit habitatio decennalis, & translatio mojoris partis bonorum. Nam hæc ſunt neceſſaria, quando non adeſt declaratio expreſſa contrahendi domicilium, illudque eſt dubium. Tunc enim animus elicitur ex conjecturis, & in primis ex habitatione decennali, & translatione bonorum. Secus autem quando quis verbis explicitis declarat animum ſuum perpetuò habitandi, & domicilium expreſsè eligit, ut in hoc caſu. Tunc enim ſtatim acquiritur domicilium, nec requiritur alius temporis curſus, neque translatio bonorum; maximè quando ſumus in Clerico paupere, de quo non conſtat, quod in loco originis, aut alibi poſſideat bona, quæ transferre poteſt, ut declarat Roderic. a Cugna *in ſuo comm. ad init. dict. diſt. 71. num. 12.* Squillant. Jord. *locis allegatis*, & Barb. *d. alleg. 4. num. 24. in fin. & ad d. cap. 8. Concilii ſub eod. num. 29.* Quia omnes loquuntur in his terminis ad effectum collationis Ordinum. Et generatim quod ex ſola animi declaratione ſtatim acquiratur domicilium abſque lapſu alicujus temporis, ſtandumque ſit dicto ſic declarantis in iis, quæ pendent ab ejus animo, probat Gail. *lib. 2. obſer. 35. num. 2.* Menoch. *de arbitr. caſ. 86. n. 2.* ac Rot. *dec. 150. n. 7. div. p. 2. & in rec. dec. 188. num. 3. p. 3. & dec. 52. n. 5. p. 5.* 3

Eòque magis cùm dictus Olympius, qui talem declarationem fecit habuerit, animum aſſequendi beneficium curatum in dict. Diœceſi, requirens, reſidentiam perpetuam. Ex quo tanta magis elicitur conjectura ejus voluntatis perpetuò in ea commorandi, quæ ubi concurrunt cum expreſſa declaratione verborum, poteſt Epiſcopus domicilii abſque ulla difficultate conferre Ordines Clerico ſic declaranti, ut firmant Doctores modò allegati. 4

Quæ ſine dubio procedunt quoad Epiſcopum, qui tanquam exiſtens in bona fide, habuit juſtam cauſam ordinandi dictum Olympium, qui domicilium in ejus Diœceſi elegerat, & ſtante hujuſmodi bona fide nulla ſuſpenſione nec cenſura ligatus remanſit, ut per Navarr. *conſil. 40. in nov. de temp. ord.* Sayr. *dec. 62. eod. titul.* Ugol. *de offic. Epiſc. cap. 26. §. 22. num. 2.* & Barb. *ad d. cap. 8. num. 31.* 5

Verum tamen, ut radicitus evellantur omnes abuſus, omneſque fraudes, quæ in animis tàm conferentium, quàm ſuſcipientium Sacros Ordines ſidenter infixerant, 6

San-

Sanctiſſimus Dominus Noſter hanc edidit Conſtitutionem, ac legenda noſtra Conſultatio de hac re in tom. 2. ubi prolixè, & ad mentem ejuſdem Conſtitutionis.

Sanctiſſimi Domini Noſtri Domini

INNOCENTII

Divina Providentia Papæ XII.

CONSTITUTIO,

Qua plura declarantur, ac præſcribuntur pro tollendis abuſibus, & fraudibus circa Ordinationes alienorum Subditorum.

INNOCENTIUS

Epiſcopus Servus Servorum Dei.

Ad perpetuam rei memoriam.

7 SPeculatores Domus Iſrael, quæ eſt Sancta Dei Eccleſia, per ineffabilem Divinæ bonitatis abundantiam conſtituti, eo potiſſimum ab ipſis Pontificatus Noſtri primordiis Paſtoralis vigilantiæ noſtræ ſtudia convertenda eſſe duximus, ut qui in ſortem Domini vocantur, ſacriſque addicuntur miniſteriis, quippè quos irreprenſibiles eſſe convenit, ut præeſſe valeant corrigendis, ac in quos tanquam in ſpeculum reliqui oculos conjiciunt, iiſque ſumunt quod imitentur, tales ſint, qui indignè poſſint Dominica Sacramenta tractare, ac ædificent cunctos tàm fidei ſcientia, quàm operum diſciplina.

8 Sanè hoc inito conſilio, non alios quantum fieri poteſt, quàm qui in ſanctitate, & juſtitia per ordinatiſſimos Eccleſiaſticæ Militiæ gradus ſtatis intervallis ambulaverint, ac piè, & fideliter in miniſteriis anteactis ſe geſſerint, ad Sacerdotium aſſumi, ſacraſque ordinationes; juxta priſcum Eccleſiæ morem, præſcriptis a jure temporibus orationi, & jejunio conſecratis haberi cupientes, ſeveriorem quamdam in concedendis Indultis ſuſcipiendi ſacros Ordines extra tempora hujuſmodi, & interſtitiis ad id deſignatis minimè ſervatis, ultrò nobis propoſuimus adhibendam rationem, qua videlicet ſervata, ante meritum laboris, ante tempus examinis, ante experientiam diſciplinæ, Sacerdotalis honor non probatis minimè tribuatur, nec unquam heri ſacrilegi, hodie Sacerdotes, heri profani, hodie ſacrorum Antiſtites, veteres vitio, virtute rudes, & recentes diſcipuli ſimul, ac Magiſtri pietatis creentur, ſed ii tantùm, juxta conſtitutas a Majoribus Leges, ab humili gradu fidelis populi ad ſacrarum adminiſtrationum ſublimitatem promoveantur, qui poſt mutatum habitum ſæcularem diuturna converſatione inter Clericos fuerint comprobati, ac multo tempore didicerint, quæ poſtmodum alios docere tenentur. Cæterum per ea ipſa indulta, quæ ſuper præmiſſis parciùs quidem, ac ex certis tantùm, & magis rationabilibus cauſis concedere decrevimus, contraria quavis illorum interpretatione penitùs improbata, ſalutarem illam, quam Sacr. Generalis Trid. Concilii Decreta de non ordinandis ad patrimonii titulum, niſi illis, quos Epiſcopi pro neceſſitate, vel commoditate ſuarum Eccleſiarum aſſumendos judicaverint, præſcribunt diſciplinam, nequaquam relaxatam intelligi; quinimmò nec unquam ad Indulta hujuſmodi exequenda Epiſcopos ipſos arctare, ſed illorum exequutionem arbitrio ſemper eorumdem Epiſcoporum quorum conſcientias hac in re ſtrictiſſimè oneratas voluimus, prorſus relinquere declaravimus; ſperantes in Domino eos, qui juxta Apoſtoli monitum, nemini citò manus imponendas eſſe probè norunt, ſibi & univerſo gregi attendentes, in quo eos poſuit Spiritus Sanctus regere Eccleſiam Dei, reverenda ipſis ſpiritibus Angelicis miniſteria ab hominibus ſine conſideratione apprehendi nunquam permiſſuros, nec temerè præripi paſſuros, quæ vita probata duntaxat accipere promeretur. Omnes inſuper, & ſingulos cujuſcunque tandem gradus, ordinis, & dignitatis fuerint, quibus ex hujus Sanctæ Sedis gratia ſacros ordines præfatos extra eadem tempora conferendi, vel aliis, ut illos ſic conferre valeant, indulgendi poteſtas fieri conſuevit, cum divinos Ordines largiri diſtricti ſemper eſſe judicii oporteat, ſeriò monitos voluimus, ut præſcriptos ſibi deſuper in ſuis quique facultatibus terminos religioſè cuſtodiant, nec eos cujuſvis conſuetudinis, aut exempli prætextu ullatenus tranſgrediantur.

9 Verùm quo impenſius Apoſtolicæ gubernationis curam, & cogitationes in hæc intendimus, eo majori cum animi noſtri dolore ex quamplurium Venerabilium Fratrum noſtrorum Archiepiſcoporum, & Epiſcoporum in diverſis Regionibus exiſtentium delatis ad Nos querelis accepimus, graviora quotidiè malignari inimicum in Sancto, ſacrilega ſcilicet illorum imprudentia in dies creſcente, qui propriè ſalutis immemores, Clericales Ordines ſibi forſitan a propriis Præſulibus denegatos, ſeu quos, aliquibus canonicis ſibi obſtantibus impedimentis, denegari meritò verentur, ab alienis Epiſcopis, non quæ Jeſu Chriſti, ſed eas, quæ ad ipſos non pertinent, Oves in animarum ſuarum perniciem quærentibus, nec tot canonicas damnationes contra uſurpantes alienæ plebis hominem latas perhorreſcentibus, abſque ſuorum Prælatorum commeatu, hoc eſt dimiſſoriis, commendatitiiſve eorum literis deſtituti, quinimmò eis inſciis, & ſæpè etiam invitis, ſub minus legitimis Beneficii Eccleſiaſtici, Originis, Domicilii, ſeu etiam familiaritatis, ac continuæ Ordinantium Epiſcoporum commenſalitatis quæſitis titulis, in ſacrarum legum fraudem, & contemptum, illegitimè ſuſcipiunt, atque ita non intrantes per oſtium, & nihilominus Tabernaculum Domini cum macula inhabitare non dubitantes, ſacrificium in ſacrilegium convertunt, judicium abſque miſericordia ſibi conſciſcunt; Deoque minimè placentes, & tamen placare velle præſumentes, non modò eum non placant, ſed magis irritant, dum videntur in cordibus ſuis dicere, non requiret.

10 Hinc eſt quod Nos ex commiſſæ Nobis divinitus Apoſtolicæ ſervitutis munere, abuſus, fraudes, ac ſcandala hujuſmodi penitùs, & omninò e medio tollere, ac irreligioſam contrafacientium audaciam, quantum Nobis ex alto conceditur, compeſcere, & reprimere volentes necnon ſel. rec. Urbani VIII. contra malè ordinantes, & malè ordinatos, quæ incipit, *Secretis*, aliorumque Romanorum Pontificum, Prædeceſſorum noſtrorum, ac etiam Conciliaribus hac in re editis Conſtitutionibus, & Ordinationibus inhærentes, illaſque quoad ea, quæ præſentibus non adverſantur, quatenus opus ſit innovantes de Venerabilium Frat. noſtrorum S. R. E. Card. ejuſd. Conc. Trid. Interpretum, qui quæcunque ante hac ſuper præmiſſis ab ipſorum Cardin. Congreg. in particularibus caſibus edita decreta, declarationes, ſeu reſponſa ad earumdem præſentium limites reducenda eſſe cenſuerunt, conſilio, ac etiam motu proprio, & ex certa ſcientia, & matura deliberatione noſtris, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, ad Omnipotentis Dei Gloriam, Eccleſiæ utilitatem, veteris diſciplinæ inſtaurationem totiuſque Chriſtiani Populi ædificationem. Hac generali noſtra, & perpetuò valitura Conſtitutione decernimus, & declaramus, nulli Epiſcopo, ſeu cujuſvis loci Ordinario, tametſi Cardinalatus honore fulgeat, licere exterum quempiam, ac ſibi ratione Originis, ſeu Domicilii, juxta modum inferiùs declarandum, legitimè contracti non ſubditum ad Clericalem tonſuram promovere, cujuſvis Beneficii Eccleſiaſtici ei ſtatim ac tonſura hujuſmodi inſignitus fuerit conferendi, ſeu ad quod is a Patronis jam præſentatus, ſeu nominatus fuerit, prætextu, etiamſi Beneficium prædictum de novo ea expreſsè adjecta lege fundatum fuiſſe conſtiterit, ut quis immediatè poſt Clericalem characterem ſuſceptum ad illud inſtituatur. Præterea Clericum, qui legitimè jam a proprio Epiſcopo ad eandem Clericalem tonſuram, ſeu etiam ad minores Ordines promotus fuerit, non poſſe ab alio Epiſcopo ratione, ac titulo cujuſcunque Beneficii in illius Diœceſi obtenti ad ulteriores Ordines promoveri, niſi ante eorumdem ſuſceptionem teſtimoniales literas proprii Epiſcopi tàm Originis, quàm Domicilii ſuper ſuis Natalibus, ætate, moribus, & vita ſibi concedi obtinuerit, eaſque Epiſcopo Ordinanti in actis illius Curiæ conſervandas exhibuerit.

12 Licèt verò Clericus ratione cujuſvis beneficii in aliena Diœceſi obtenti ſubjici dicatur juriſdictioni illius Epiſcopi, in cujus Diœceſi Beneficium hujuſmodi ſitum eſt, eam tamen de cætero hac in re inconcuſsè ſervari volumus Regulam, ut nemo ejuſmodi ſubjectionem ad effectum ſuſcipiendi Ordines acquirere cenſeatur, niſi Beneficium prædictum ejus ſit redditus, ut ad congruam vitæ ſuſtentationem ſive juxta taxam Synodalem, ſive ea deficiente, juxta morem Regionis pro promovendis ad Sacros Ordines, detractis oneribus, per ſe ſufficiat, illudque ab ordinando pacificè poſſideatur, ſublata quacunque facultate ſupplendi quod deficeret fructibus ejuſdem Beneficii cum adjectione Patrimonii etiam pinguis, quod ipſe Ordinandus in eadem, ſeu alia quavis Diœceſi obtineret, ac Epiſcopus ſic Ordinans tàm de prædictis Teſtimonialibus Literis, quàm de redditu Beneficii hujuſ-

hujuſmodi expreſſam in conſueta collatorum Ordinum atteſtatione mentionem facere debebit.

12 Cæterùm ſubditus ratione originis is tantùm ſit, ac eſſe intelligatur, qui naturaliter ortus eſt in ea Diœceſi, in qua ad Ordines promoveri deſiderat, dummodò tamen ibi natus non fuerit ex accidenti, occaſione nimirùm itineris, Officii, Legationis, Mercaturæ, vel cujuſvis alterius temporalis moræ, ſeu permanentiæ ejus Patris in illo loco, quo caſu nullatenus ejuſmodi fortuita nativitas, ſed vera tantùm, & naturalis Patris origo erit attendenda. Quod ſi quis tanto temporis ſpatio in eo loco, in quo ex accidenti, ſicut præmittitur, natus eſt, moram traxerit, ut potuerit ibidem canonico aliquo impedimento irretiri, tunc etiam ab Ordinario ejus loci literas Teſtimoniales, ut ſuprà, obtinere, illaſque Epiſcopo Ordinanti per eum in collatorum Ordinum Teſtimonio ſimiliter recenſendas præſentare teneatur.

13 At ſi Pater in alieno loco, ubi ejus filius natus eſt, tamdiù, ac eo animo permanſerit, ut inibi verè Domicilium de Jure contraxerit, tunc non origo Patris, ſed Domicilium per Patrem legitimè, ut præfertur, contractum pro Ordinatione ejuſdem filii attendi debeat.

14 Subditus autem ratione Domicilii ad effectum ſuſcipiendi Ordines is duntaxat cenſeatur, qui licèt alibi natus fuerit illud tamen adeò ſtabiliter conſtituerit in aliquo loco, ut vel per decennium ſaltem in eo habitando, vel majorem rerum, ac bonorum ſuorum partem cum inſtructis Ædibus in locum hujuſmodi transferendo ibique inſuper per aliquod conſiderabile tempus commorando, ſatis ſuperque ſuum perpetuò ibidem permanendi animum demonſtraverit, & nihilominus ulterius utroque caſu ſe verè, & realiter animum hujuſmodi habere jurejurando affirmet. Si quis tamen a propriæ originis loco in ea ætate diſceſſerit, quia potuerit alicui canonico impedimento obnoxius effici, etiam Ordinarii ſuæ originis teſtimoniales literas, ut ſuprà, afferre debebit, ac de illis expreſſa ſimiliter mentio in ſuſceptorum Ordinum Literis facienda erit.

15 Ad hæc nullus Epiſcopus alienæ Diœceſis ſubditum familiarem ſuum ad aliquos Sacros, ſeu Minores Ordines, vel etiam primam tonſuram promovere, ſeu ordinare præſumat abſque ejus proprii, originis ſcilicet, ſeu Domicilii Prælati teſtimonialibus literis, ut ſuprà, & niſi ad præſcriptum Concilii Tridentini præfati *ſeſſ. 23. c. 9. de ref.* Familiarem prædictum per integrum, & completum triennium in ſuo actuali ſervitio ſecum retinuerit, ac ſuis ſumptibus aluerit: Beneficium inſuper, quod ei ad vitam ſuſtentandam juxta modum ſuperiùs præfinitum, ſufficiat, quacunque fraude ceſſante, ſtatim hoc eſt ſaltem intra terminum unius menſis a die factæ ordinationis, re ipſa illi conferat, ac in Ordinationis hujuſmodi Teſtimonio expreſſam itidem familiaritatis, ac literarum prædictarum mentionem facere teneatur.

16 Porrò, ut quicunque fraudibus aditus omninò præcludatur, volumus, & Apoſtolica authoritate ſtatuimus atque decernimus, ut Epiſcopus quilibet ſuos ratione originis, ſive Domicilii ſubditos Clericos quoſcunque ab alienis Epiſcopis quavis authoritate, etiam cum ſuis commendatitiis literis promotos, nedum ad formam Concilii Tridentini ſupradicti *ſeſſ. 14. c. 3. de ref.* quoad ſcientiam examinare valeat, verùm etiam Ordinum eis collatorum teſtimoniales literas, gratis tamen, recognoſcere, ac diligenter perquirere, an quoad illos præſentis Conſtitutionis forma, & diſpoſitio adimpleta fuerit, aſſignato ſic promotis termino competenti ei magis beneviſo ad docendum de ejuſmodi adimplemento, itaut quos eo termino elapſo id minimè præſtitiſſe competerit, a ſuſceptorum Ordinum exercitio, ſi ita, & quamdiù ei expedire videtur, ſuſpendere, illiſque, ne in Altari, aut in aliquo Ordine miniſtrent, interdicere poſſit.

17 Ita verò præmiſſa omnia, & ſingula perpetuò ac inviolabiliter obſervari, atque adimpleri volumus, ut ſi quid in iiſdem præmiſſis, ſeu eorum aliquo ſecus fiat, Ordinans quidem a Collatione Ordinum per annum, Ordinarius verò a ſuſceptorum Ordinum exequutione, quamdiù proprio Ordinario videbitur expedire, eo ipſo ſuſpenſus ſit, aliiſque inſuper gravioribus pœnis pro modo culpæ noſtro, & pro tempore exiſtentis Romani Pontificis arbitrio infligendis uterque ſubjaceat.

18 Decernentes pariter eaſdem præſentes literas ſemper firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac ab illis, ad quos ſpectat, & pro tempore quandocunque ſpectabit in omnibus, & per omnia pleniſſimè, & inviolabiliter obſervari. Sicque, & non aliter per quoſcumque Judices Ordinarios, & Delegatos etiam Cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ac ejuſdem S. R. E. Cardinales etiam de latere Legatos, ac Sedis præfatæ Nuncios, alioſve quoslibet quacunque præeminentia, & poteſtate fungentes, & functuros ſublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & authoritate, ubique judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam quavis authoritate ſcienter, vel ignoranter contigeri attentari.

Non obſtantibus præmiſſis, ac Conſtitutionibus, & 19
Ordinationibus Apoſtolicis, necnon quibuſvis etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, aut quavis firmitate alia roboratis Statutis, & Conſuetudinibus; Privilegiis quoque, Indultis, & literis Apoſtolicis ſub quibuſcunque verborum tenoribus & formis, ac cum quibuſvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, & inſolitis clauſulis, irritantibuſque & aliis decretis, etiam motu, ſcientia, & poteſtatis plenitudine paribus, in genere, vel in ſpecie, ſeu aliàs, quomodolibet in contrarium præmiſſorum conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis, etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes, mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſervanda foret, illorum omnium, & ſingulorum tenores, ac ſi de verbo ad verbum exprimerentur, & inſererentur, nihil penitus omiſſo, & forma in illis tradita obſervata, eiſdem præſentibus pro expreſſis, & inſertis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, ad præmiſſorum effectum hac vice duntaxat ſpecialiter, & expreſsè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcunque.

Volumus autem, ut præſentes literæ in Valvis Ec- 20
cleſiæ Lateranenſis, & Baſilicæ Principis Apoſtolorum, necnon Cancellariæ Apoſtolicæ, ac in Acie Campi Floræ de Urbe, ut moris eſt, publicentur, & affigantur, ſicque publicatæ, & affixæ, omnes, & ſingulos, quos illæ concernunt, perindè arctent, & afficiant, ac ſi unicuique eorum nominatim, & perſonaliter intimatæ fuiſſent; Quodque earundem præſentium tranſumptis, ſeu exemplis etiam impreſſis manu alicujus Notarii publici ſubſcripti; & ſigillo alicujus perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis eadem prorſus fides tàm in judicio quàm extra illud, ubique adhibeatur, quæ ipſis præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam 21
noſtrorum Decretorum, Declarationis, Voluntatis, Statuti, & Derogationis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicæ milleſimo ſexcenteſimo nonnageſimo quarto. Pridiè nonas Novembris, Pontificatus Noſtri Anno quarto.

B. Card. Prodatarius. I. F. Card. Albanus.

Viſa de Curia I. Sacripantes.

D. Ciampinus.

Loco ✠ Plumbi.

Regiſtrata in Secretaria Brevium.

Anno a Nativitate D. N. J. C. 1694. Indictione ſecunda, die ſexta menſis Novembris, Pontificatus autem Sanctiſs. in Chriſto Patris, & D. N. D. Innocentii Divina Providentia Papę XII. Anno 4. Supradictæ Literæ Apoſtolicæ affixæ, & publicatæ fuerunt ad valvas Eccleſiæ S. Jo: Lateranenſis, Baſilicæ Principis Apoſtolorum, & Cancellariæ Apoſtolicæ, in Acie Campi Floræ, ac in aliis locis ſolitis, & conſuetis Urbis per me Thomam Orlandum ejuſdem Sanctiſſimi D. N. Papæ Curſorem.

Franciſcus Antonius Simoncellus Mag. Curſ.

CON-

CONSULTATIO XIV.

Utrum electio Patrum Generalium pertinere poſſit ad aliquot Provincias, ſtque ea confirmanda, & quatenus, an verò ad univerſam Religionem?

1 AFfirmativè reſpondendum videtur, nempè quod hujuſmodi electio facta ab aliquot Provinciis ſit juſta, non obſtante exceptione, quod pertineat ad univerſam Religionem. Quæ exceptio, ne in petitorio quidem poteſt obſtare; multòque minus in poſſeſſorio, cùm ad effectum confirmationis non ſit diſcutienda pertinentia, & proprietas, ſed ſimplex ſolummodò quaſi poſſeſſio eligendi, itaut ſolus ultimus ſtatus ſufficiat, *capit. querelam de elect.* ibique Abb. *num.* 12. *in fine*, & *in c. Conſultationibus numer.* 2. *de jurepatr.* Guttierez *conſil.* 3. *numer.* 1. Lapus *allegat.* 78. *num.* 9. Poſt. *de manuten. obſerv.* 10. *num.* 40. & *ſeqq.* ac Rota *deciſ.* 1432. *num.* 20. coram Seraphino, & *deciſ.* 752. *num.* 2. *part.* 2. *recent.* & *deciſ.* 219. *numer.* 1. & 3. coram Durano. Nam electio eſt fructus poſſeſſionis, non autem proprietatis. Dec. *conſil.* 144. *numer.* 1. *tom.* 1. Ricc. *reſolut.* 523. *num.* 2. & *ſeqq.* Ac propterèa electus ab ab exiſtente in quaſi poſſeſſione eligendi præfertur electo a proprietario, Garz. *de benefic. part.* 5. *capit.* 5. *numer.* 4. Roland. *conſil.* 47. *numer.* 28. & *ſeqq. volum.* 1. Dec. *loc. cit.*

2 Quod eo faciliùs procedit, ſi ejuſmodi electio ſic pluries facta fuerit, & plenarium effectum fuerit ſortita, ut per Rotam *dict. deciſ.* 752. & *dict. deciſ.* 219. *num.* 1. coram Durano, & in Legionen. confirmationis electionis 1. Junii 1609. coram Lancellotto, ſique Patres aliarum Provinciarum Generalem ab aliquot Provinciis electum ſciverint, & abſque ulla contradictione, tanquam Generalem canonicè electum recognoverint, eique in actibus tum privatis, tum capitularibus obedientiam ritè detulerint, Rota *dict. deciſ.* 752. *num.* 2. & apud Marchef. *de commiſſ. deciſ.* 42. *num.* 1. & *in Regien. Prioratus* 24. *Maji* 1585. coram Cardinali Pamphilio.

3 Quare hujuſmodi electio, tanquam canonicè facta, eſt confirmanda, & Provinciæ privari non poſſunt dicta quaſi poſſeſſione eligendi, in qua reperiuntur, Rota *deciſ.* 264. *num.* 6. *part.* 8. *recent.* & *in Raguſina juriſdictionis* 11. *Decembris* 1620. coram Remboldo apud Poſt. *de manuten. deciſ.* 285. *num.* 6.

4 Quod eo liquidius apparet, cùm etiam in petitorio conſtet hoc jus eligendi Patrem Generalem ad ipſas tantùm Provincias pertinere, Dec. *conſil.* 84. *num.* 2. Pariſ. *conſil.* 107. *num.* 3. *part.* 1. Gratian. *diſcept.* 402. *num.* 2. *tom.* 3. ac Rota *deciſ.* 412. *num.* 3. coram Ludoviſio, ibique Add. *lit. B.*

5 Conſuetudo enim debet attendi in cognoſcendo ad quem pertineat jus eligendi *ex d. cap. querelam*, ibi, *per electionem Populi, ad quem de antiqua conſuetudine pertinet electio*, traditque Dec. *dict. conſil.* 134. *num.* 1. Caſtellin. *de elect. can. cap.* 4. *num.* 36. Barboſa *in capit. Cumana num.* 3. *de elect.* ac Rota *dec.* 264. *num.* 7. *p.* 8. *recent.* & *deciſ.* 285. *num.* 6. apud Poſt. *de manut. Et in Faventina juris conferendi* 4. *Julii* 1584. coram Vicecomite. Hæc enim juriſdictionem tribuit, Samuel. *de can. elect. tract.* 3. *contr.* 12. *concl.* 3. *num.* 8. Sigiſmund. *eodem tit. part.* 1. *cap.* 6. *dub.* 44. *num.* 5. Surd. *conſil.* 465. *num.* 4. & *ſeqq. lib.* 4. ac Rota *deciſ.* 577. *num.* 9. *p.* 5. *tom.* 2. *recent.* Conceditque jus illis, qui aliàs non haberent, ut in ſpecie electionis firmat Caſtropal. *de benefic. Eccleſ. tr.* 13. *punct.* 11. §. 1. *num.* 2.

6 Si igitur non ſolùm in poſſeſſorio, ſed etiam in petitorio dictis Provinciis ſatis eſſent electiones, & conſuetudo, annis quadraginta continuata, ut jus eligendi privativè quoad omnes alias Provincias præſcribent, Rota *deciſ.* 71. *num.* 15. *part.* 7. *rec.* Quanto magis id affirmandum in caſu, in quo inveterata conſuetudo centum annis præſcripta concurrerit, Rota *in Gerunden. juris conferendi* 24. *Novembris* 1631. coram Queippo, & a tota Religione, atque ab ipſis etiam Summis Pontificibus ſpatio tanti temporis approbata? Valenſ. *conſil.* 98. *num.* 31. *lib.* 1. Bolognet. *conſil.* 1. *num.* 174. *libr.* 1. Aym. *conſil.* 933. *num.* 10. & *ſeqq.* Joſ. Roman. *conſil.* 24. *num.* 88. *lib.* 1. Avendagn. *in cap.* 1. §. *Prætor part.* 1. *num.* 29. *ac* 30.

7 Ac ita quidem, ut non obſtaret, etiamſi ex Conſtitutionibus Religionis jus eligendi ſpectet ad univerſam Religionem. Nam conſuetudo, ſive potius præſcriptio vim habet abrogandi legem, & Conſtitutionem, & concedendi jus aliàs non habenti, ut in terminis electionis idem Caſtropal. *loc. cit.* Azor. *inſtit. moral. lib.* 3. *capit.* 28. *qu.* 3. & Barboſ. *de poteſt. Epiſc. tit.* 1. *cap.* 3. *num.* 27. *p.* 1. Adeòut ſola conſuetudo annorum quadraginta ſatis eſſet, Cardin. *in cap. fin. num.* 27. ibique Butr. *numer.* 39. Anan. *num.* 11. Abb. *eodem num.* Imol. *numer.* 15. Anchar. *num.* 7. *de conſuetud.* Ciarlin. *controverſ.* 192. *num.* 40. *lib.* 4. Gratian. *diſceptat.* 395. *numer.* 6. *tom.* 2. Rota *deciſ.* 19. *num.* 7. & *deciſ.* 800. *num.* 9. coram Buratto, & *deciſ.* 497. *num.* 4. *part.* 1. & *in Pampilonen. pœnitentiarum* 1. Junii 1606. coram Pamphilio.

8 Cùm itaque conſtiterit de quaſi poſſeſſione dictarum Provinciarum eligendi Patrem Generalem abſque interventu aliarum Provinciarum Religionis ex pluribus electionibus continuatis, licèt unica tantùm ſufficeret per Textum *in cap. Conſultationibus*, ibique Abb. *num.* 2. *de jurepatr.* Rota *dec.* 17. *num.* 1. *part.* 2. *diverſ.* & *in Meſſanen. electionis* coram Durano *dec.* 219. *num.* 1. apud Poſt. *de manut. dec.* 200. *num.* 2. illa eſt confirmanda ex regula, quod electio trahit ad ſe confirmationem, Dec. *in c. poſtquam n.* 38. *in fin. de elect.* Rot. *dec.* 444. *n.* 16. *p.* 5. *rec.* cùm in hac materia electionis conſuetudo, ac ultimus ſtatus attendatur, ut præter ſuperiùs adductos, tradidit Caſſad. *dec.* 22. *num.* 3. ubi quod in hoc caſu debet ſervari conſuetudo, etiamſi declinaret a jure.

9 Neque obſtaret, quod tàm ex Conſtitutionibus Religionis, quàm ex jure communi electio Patris Generalis pertinet ad totam Religionem. Quoniam hæc exceptio eſt rejicienda ad petitorium, atque adeò non debet impedire confirmationem electionis jam factæ ex ſupra deductis. Nec obſtat, quod non probetur negativa convocationis aliarum Provinciarum ex regula, quod poſſeſſio qualificata non ſit manutenibilis, niſi probata dicta qualitate ex Gregorio, & aliis. Quia dum ex tenore electionum conſtat, quod ſolùm aliquot Provinciæ devenerint ad electionem Patris Generalis ſpatio centum annorum, & amplius, ſcientibus, & patientibus aliis Provinciis; hoc ſufficit, ut electio ab eis facta debeat confirmari, nulla habita ratione defectus vocationis aliarum Provinciarum, quæ nunquam probant electioni adfuiſſe, neque ad illas vocatas fuiſſe, ut in terminis præſentationis, & inſtitutionis præſentati, quæ pari paſſu ambulant cum electione, & confirmatione, fuit reſolutum *in Veſulana Parrochialis* 20. *Junii* 1633. coram Mormanno, cujus deciſionem dabo in fine hujus Conſultationis.

10 Hinc tollitur virtus decreti irritantis in Conſtitutionibus Religionis appoſiti. Quia ubi intervenit centenaria poſſeſſio, non attenditur decretum irritans in priori privilegio contentum. Nam ex centenaria reſultat titulus contrarius dicto privilegio, & fortioribus clauſulis munitus, ut benè Rota *deciſ.* 204. *numer.* 3. & 4. *part.* 4. *recent.*

11 His tamen minimè obſtantibus, tenendum eſt, electionem Patris Generalis de jure communi ad univerſas Religionis Provincias pertinere per text. *in canon. fin.* 16. *qu.* 7. *canon. Abbatem* 1. & 2. 18. *qu.* 2. *cap. cùm dilectus de conſuet.* & *in* §. *Jubemus, Auth. de Sacroſ Epiſc.* & tradunt Navarr. *conſil.* 3. *num.* 4. *de elect. lib.* 1. Quos textus adducit Rota *in Valliſoletana præeminentiarum* 24. *Novembris* 1603. coram Cardinali Pamphilio, quæ eſt *dec.* 65. *num.* 4. *part.* 1. *rec.* ad probandum, quod electio Abbatis Generalis Congregationis Ordinis Sancti Benedicti Hiſpaniarum pertinebat ad totam Congregationem. Et hanc deciſionem in his terminis ſequuntur poſt alios Tamb. *de jur. Abb. tom.* 3. *diſp.* 1. *qu.* 4. *num.* 1. Samuel. *de elect. can. tr.* 3. *diſp.* 1. *controv.* 1. *concl.* 1. *num.* 1. & 2. Barboſ. *in d. can. Abbatem* 8. *qu.* 2. Sigiſmund. *de elect. Prælat. dub.* 101. *nu.* 1. Lavor. *var. elucubr. tit.* 4. *de elect. cap.* 23. *num.* 1. Lezana *tom.* 1. *qu. regul. cap.* 15. *num.* 4. & *tom.* 5. *in comm. in mare magnum Eremitarum Sancti Augiſtini* §. 26. *nu.* 79. & *in mare magnum Servitarum* §. 4. *num.* 11. Et quamvis hæc jura potius loqui videantur de Abbate particulari alicujus Conventus, ob rationis tamen identitatem idipſum in Generali totius Religionis declarant Rot. *d. dec.* 65. *num.* 5. Tambur. *d. qu.* 4. *num.* 1. Samuel. *loc. cit. concluſ.* 2. *num.* 3. & 4.

12 Eòque præcipuè ſi hoc idem præcipiatur in Conſtitutionibus Religionis, confirmatis a Summo Pontifice cum decreto irritante, de cujus efficacitate Doctores ac nos pluribus in locis paſſim.

13 Ex quibus evertitur prætenſa conſuetudo eligendi Patrem Generalem cum ſola convocatione aliquot Provinciarum. Quia cùm ipſæ ſciverint non ſolùm de jure communi, ſed etiam ex Conſtitutionibus ad omnes Provincias Religionis pertinere Patris Generalis electionem, deficiebat principale requiſitum, hoc eſt bona fides, ſine qua præſcriptio, & conſuetudo locum habere

bere non poteſt, *cap. mala fides*, & *cap. poſſeſſor de reg. jur. in 6. cap. ult. de præſcript.* & tradunt Seraphin. *deciſ.* 740. Gratian. *diſcept.* 918. *num.* 41. Navarr. *in manual. cap.* 17. *num.* 85. ac Rota *part.* 2. *rec. deciſ.* 164. *n.* 3. & *part.* 1. *deciſ.* 221. *num.* 7. Azor. *inſtit. moral. part.* 3. *lib.* 1. *cap.* 18. & Bonac. *de contract.* & *reſtit. diſput.* 1. *quæſt. ult. §.* 2. *num.* 14.

14 Augeturque mala fides, ac impoſſibilitas introducendi ejuſmodi abuſum, quia cùm etiam Conſtitutiones authoritate Apoſtolica confirmatas Religio ipſa ſine Sedis Apoſtolicæ authoritate non poſſit abrogare, ſive illis derogare juxta ea, quæ notant Doctores, quos refert, & ſequitur Rota *in Peruſina redintegrationis* 13. *Junii* 1644. coram Royas in hæc verba: *Nec pariter apparet de confirmatione Summi Pontificis, prout indubitanter requirebatur, maximè cùm ageretur de abrogandis antecedentibus ſtatutis Summorum Pontificum authoritate munitis*, Dec. *in cap. Cùm acceſſiſſet num.* 3. *de Conſtitut.* Ludovic. Bell. *conſil.* 68. *numer.* 3. *cum ſeqq.* Bald. *conſ.* 407. *num.* 2. *lib.* 2. Corn. *conſ.* 111. *numer.* 4. *lib.* 4. Surd. *conſ.* 58. *numer.* 21. & *ſeqq.* Rota *deciſ.* 536. *numer.* 1. & 780. *numer.* 2. *part.* 1. *diverſ.* & *deciſ.* 104. *numer.* 2. *part.* 3. *recent.* & *in Peruſina nullitatis ceſſionis* 28. *Januarii* 1619. coram Remboldo *deciſ.* 30. *numer.* 14. *poſt Gilian. ad compend. Statut. Peruſin.* ſic Rota. Et in his terminis optimè Navarr. *dict. conſil.* 3. *numer.* 1. Atque adeò, nec conſuetudinem quidem inducere potuerat, Aymon. *conſ.* 134. *numer.* 25. Grat. *diſceptat.* 973. *numer.* 38. Staiban. *jun. reſolut.* 98. *numer.* 87. ac Rota *part.* 5. *recent. deciſ.* 577. *numer.* 55. *cum ſeqq.* & *in Corduben. dimidiæ portionis* 20. *Junii* 1653. coram Meltio *§. nec aliqua.*

15 Nec ſufficit allegare conſuetudinem, ſed ab allegante probanda eſt, Gloſs. *in l.* 1. *verſ. probatis*, *Cod. quæ ſit longa conſuetudo*, Ludoviſ. *deciſ.* 162. *numer.* 1. Rota *part.* 3. *recent. deciſ.* 679. *numer.* 6. & *in Carpentoraten. decimarum* 1. *Julii* 1647. coram Bichio, & *in Beneventana decimarum* 8. *Martii* 1649. *§. Quia* coram Royas.

16 Et ſanè probanda eſt legitimè præſcripta, quia eſt contra jus, Rota *deciſ.* 456. *numer.* 15. *part.* 1. *recent.* & *part.* 4. *tom.* 2. *deciſ.* 1. *numer.* 8. Cavaler. *deciſ.* 649. *numer.* 4. & 419. *numer.* 5. Et obtenta cum contradictione, Oldrad. *conſ.* 237. *numer.* 1. Aymon. *conſil.* 96. *num.* 4. & 7. Dec. *conſil.* 16. *numer.* 166. Grat. *diſceptat.* 740. *numer.* 22. & *ſeqq.* Staiban. *dict. reſol.* 98. *num.* 122. Rota coram Coccino *deciſ.* 182. *numer.* 4. & *part.* 7. *recent. deciſ.* 82. *num.* 12.

17 Ac omninò in hoc caſu contradictio oſtendenda eſt, quia cùm contemptus aliorum non inficiat electionem, niſi contemptis reclamantibus, ut per Butr. *in cap. Sicut de elect. numer.* 25. Tambur. *de jur. Abbat. tom.* 1. *diſput.* 5. *quæſt.* 3. *numer.* 1. ac 6. & *ſeqq.* Rota coram Buratto *deciſ.* 259. *numer.* 6. & 251. *numer. item* 6. Samuel *loc. cit. tract.* 1. *diſp.* 2. *contr.* 7. *numer.* 1. Portel. *in dub. regular. verſ. electio ſub numer.* 13. ſequitur in hac re, tanquam facultativa, partem adverſam eo minus conſuetudinem, aut præſcriptionem allegare poſſe, niſi doceatur prohibitio, & acquieſcentia *l.* 2. *ff. de vi publ.* Cancer. *var. part.* 2. *capit.* 2. *num.* 109. Buratt. *deciſ.* 43. *num.* 7. ac Rota *deciſ.* 393. *numer.* 1. *part.* 5. *recent.* Quinimmò ex ejuſmodi actibus, ne quidem poſſeſſio inducitur, Rota *part.* 3. *rec. deciſ.* 473. *num.* 1. & 4. Merlin. *deciſ.* 706. *num.* 9. & *deciſ.* 825. *num.* 24. & *deciſ.* 838. *num.* 8. ac Poſt. *de manut. obſerv.* 53. *num.* 1. & *ſeqq.*

18 Et propterea improbabilis videtur hæc conſuetudo. Nam ita conſtans, & inconcuſſa eſſe debet, ut unicus actus contrarius illam penitus excludat, quamvis milleni pro conſuetudine darentur, Cancer. *var. controv.* 460. *num.* 31. & *ſeqq.* Grat. *diſcept.* 36. *num.* 18. Staiban. *loc. alleg. num.* 138. Rot. coram Ludoviſ. *deciſ.* 162. *numer.* 9. ibique Additionator *num.* 15. & *part.* 6. *deciſ.* 141. *num.* 13. Merlin. *deciſ.* 554. *numer.* 31. & firmavit in *Toletana decimarum de Solana* 22. *Aprilis* 164. coram Bichio & *in Interamen. mercedis* 15. *Maji* 1645. coram Peutingerio, & *in Beneventana juriſdictionis* 27. *Januarii* 1653. coram Zarate *§. Immemorabilis*, & *in d. Corduben. dimidiæ portionis d. §. ne aliqua* coram Meltio.

19 Cumque actus contrarii ex permiſſione aliarum Provinciarum, vel ex confirmatione Apoſtolica, ſupplente omnes defectus ob non reclamationem illarum obtenta, effectum habuerint, utique ex illis nulla conſuetudo induci poteſt, cùm actus turbidi, difformes, & æquivoci attendi non poſſint, Gonzal. *ad regul.* 8. *gloſs.* 4. *§.* 2. *n.* 41. Sed oſtendi debent actus geſti animo inducendi conſuetudinem, & in vim conſuetudinis cum effectu, *can. conſuetudo d.* 1. Abb. *in cap. final. col. penult. de conſuet.* Surd. poſt alios *conſ.* 154. *num.* 30. & *conſ.* 293. *num.* 28. Aymon. *conſ.* 171. *num.* 14. & *conſ.* 197. *num.* 12. Staiban. *ibidem num.* 121. ac Rot. *deciſ.* 441. *num.* 2. *part.* 2. *recent.* & *in Treveren. Abbatiæ Sancti Maximini* 24. *Januarii* 1625. coram Coccino apud Lavor. *variar. elucubr. tit.* 4. *cap.* 21. *num.* 156.

Simileſque conſuetudines coercentes facultatem eligendi, nempè ut tantùm prudentiores ſenes, ac ætate provectiores ſuffragium habeant in Capitulo, & admittantur in electionibus Superiorum, reprobant Navarr. *lib.* 1. *conſ.* 2. *de conſuet.* Mirand. *in man. Prælat. quæſt.* 23. *art.* 23. *tom.* 2. & Lavor. *d. tit.* 4. *cap.* 15. *num.* 83. 20

Atque ex his deneganda eſt ejuſmodi electionis confirmatio, quia eſt invalida *cap. nihil §. Cæterùm de elect.* Rota *in d. Treveren. Abbatiæ*, cujus deciſio confirmata fuit 24. Januarii 1625. Cùm enim ab univerſa Religione Generalis electio fieri debeat, & præter aliquot Provincias, omnes aliæ fuerint contemptæ, hinc certo ſequitur, non quod electio ſit nulla ipſo jure, quia contemptis non contradicentibus, ſuſtinetur, ſed quod contemptis reclamantibus, non eſt confirmanda, ſed irritanda electio, *cap. quod ſicut de elect. in fin.* ibi, *Quod ſi eos non vocatos fuiſſe conſliterit, ſed contemptos, infirmanda erit penitus electio taliter celebrata, niſi poſteà propter bonum pacis curaverint conſentire.* Idipſum habetur *in cap. Venerabilem ſub init.* & *in cap. Quia propter*, ibi, *præſentibus omnibus, qui debent*, & *volunt*, & *poſſunt commodè intereſſe*, & *in cap. Eccleſia veſtra de elect.* Semperque diſtinguitur, an adſit bona fides, nec ne, Gratian. *diſceptat.* 577. *numer.* 8. & optimè dixit Innocent. *in cap. in literis numer.* 4. *poſt med.* ibi, *etſi talis poſſeſſor eligat, contra electum petentem confirmationem excipietur, quod non debet ejus electio confirmari, cùm ſit facta a malæ fidei poſſeſſoribus*, & inferiùs: *Replicabitur quod ab eo fieri non debuit, cùm eſſet malæ fidei*, &c. Neque attenditur poſſeſſio, quando ſaltem per Inſtrumenta, ſive Scripturas conſtat de proprietate, ſicuti conſtat in hoc caſu non modò ex diſpoſitione juris communis, ſed etiam ex Conſtitutionibus Religionis. Tunc enim proprietas abſorbet poſſeſſionem, Merlin. *dec.* 450. *num.* 4. 21

Hinc fruſtra petitur manutentio. Quia nec poſſeſſio oſtenditur, nec oſtenſa eſſet manutenibilis. Nam eſto, quod aliquot Provinciæ Patrem Generalem elegerint, ſpretis aliarum Provinciarum Patribus, & hujus rei poſſeſſionem habeant manutenibilem, non autem oſtendunt electionem, ita factam, contradicentibus contemptis, fuiſſe cum effectu, inter quos caſus maxima eſt differentia, cùm prima electio confirmanda ſit, ſecunda verò infirmanda, & tamen manutentio, nonniſi ad limites poſſeſſionis concedi ſolet, Covarruv. *pract. cap.* 17. *num.* 1. Poſt. *de manutent. obſervat.* 73. *num.* 48. & *ſeqq.* Et ideò ſi ad plures facultas aliqua pertineat, qua unus utatur, non autem alius, datur quidem manutentio utendi, non tamen privativè quoad alium, qui uſus non eſt, niſi præceſſerit prohibitio, & acquieſcentia, Poſt. *loc. cit. numer.* 29. *ac plurib. ſeqq.* Quare cum dictæ Provinciæ adhuc non oſtendant, quod ipſæ ſolæ elegerint, etiamſi aliæ contemptæ reclamaverint, & quod tandem eædem contemptæ acquieverint, non poſſunt, contemptis reclamantibus, manutentionem petere, eſtque generale quod in juribus negativis, niſi præcedat prohibitio, & acquieſcentia, nulla poſſeſſio eſt conſiderabilis, ut egregiè Ripa *in cap. Cùm Eccleſia Sutrina num.* 50. *de cauſ. poſſeſſ.* & *propriet.* ac Rota *deciſ.* 265. *num.* 36. *part.* 1. *recent.* 22

Maximè quia in primo caſu electio eſt valida, in ſecundo eſt revocanda, & ideò in hoc ſecundo caſu poſſeſſio eo minus manutenibilis eſt, quo illi jus commune, & conſtitutiones Religionis reſiſtunt, Seraph. *deciſ.* 1463. *num.* 2. & Rota apud Poſt. *de manutent. deciſ.* 321. *num.* 34. 23

Multòque magis dum Conſtitutiones habent decretum irritans, quod proculdubio inficit poſſeſſionem, ſaltem quando non dubitatur, Conſtitutiones hunc caſum comprehendere. Quia licèt decretum irritans non tollat detentionem, ac inſiſtentiam facti, hoc tamen procedit quando dubium eſt, an diſpoſitio, decreto irritante munita, comprehendat caſum, ſecus autem ſi comprehenſio eſt indubitata, in quo caſu, quamvis decretum tollat inſiſtentiam facti, illam tamen privat omni juris effectu, itaut poſſeſſio habeatur pro vacua ad effectum manutentionis, ut ſcitè declaravit Rota in Bononien. manutentionis 26. Junii 1648. *§. hinc non obſtat* coram Bichio. Ubi igitur evidenter apparet de injuſtitia poſſeſſionis, ſive jus commune, ſive Conſtitutiones, ſive prætenſam conſuetudinem ſpectemus, non requiritur alia diſputatio, nec agi poteſt de manutentione, alioquin aperiretur via calumniis, & temerarii foverentur litigatores, & injuſtitia notoria fieret, Scacc. *de ſentent.* & *re ju-* 24

re judic. gloſſa 14. *qu.* 19. *num.* 98. ac fusè Poſt. *obſerv.* 42. *a num.* 137. *ac pluribus ſeqq.* Contra enim decretum irritans quaſi poſſeſſionem eligendi, vel conferendi non ſuffragari, ait Rota *in Dertuſen. Vicariæ* apud Merlin. *dec.* 106. *num.* 2. & 5.

25 Nec dictis Provinciis ſuffragatur, *cap. querelam de elect. & c. Conſultationibus de jurepatr.* Nam in primis bona fides neceſſaria eſt, quæ in hoc caſu deſideratur, juxta Gloſſam *in d. cap. conſultationibus verſ. poſſidebat*, eſtque unum ex requiſitis, ut per Calder. *conſil.* 12. *de jurepatron.* quod pluribus comprobat Barboſ. *in collect. ad d. cap. num.* 5. ubi etiam plures deciſiones adducit, ac Poſt. *obſerv.* 32. *num.* 27. Cùmque contra concluſionem deſumptam ex *d. cap. Conſultationib.* excitaret idem Barboſa objectionem ex *cap. cùm olim de cauſ. poſſeſſ.* reſpondit pluribus modis, quarum reſponſionum ſumma eſt, quod *in d. cap. cùm olim*, jus commune contrarium diſponebat, indeque mala fides præſumebatur. Quod cùm præſenti caſui applicetur, ſequitur eò minus applicari Textum *in d. cap. Conſultationibus.*

26 Accedit etiam, quod cùm liquidò conſtet jus eligendi ad omnes pertinere ex jure communi, & Conſtitutionibus, non applicantur objecti Textus ſecundùm doctrinam Abbatis, ubique receptam *in d. cap. Conſultationibus num.* 9. Rota *dec.* 374. *num.* 4. *p.* 1. *rec. & p.* 5. *deciſ.* 277. *num.* 1. Barb. *loc. cit. num.* 3. ac Poſt. *d. obſerv.* 32. *num.* 2. cum deciſione Merlini 354. *num.* 2. & 3. Præſertim quia poſſeſſio, vel non concurrit, vel ſaltem eſt valdè turbida, cùm tamen ad contrarium effectum eſſe debeat clara, & indubitata, ut per Gonzal. *ad regul. Cancellar. gloſ.* 35. §. 2. *num.* 38.

27 Hinc etiam eliditur objectio ab obſervatione deducta, quod ſcilicet Patres aliarum Provinciarum non reclamaverint. Nam ut diximus, electio, contemptis aliis ſuffragatoribus, non eſt ipſo jure nulla, ſed valida, ſi comtempti non contradicant, aliàs ſecus. Ideòque mirum non eſt, ſi aliquando confirmata fuerit hujuſmodi electio, quæ nunc quoque confirmanda eſſet, ſi contempti non contradicerent. Unde excluditur contraria conſequentia, olim confirmata fuit hæc electio; ergo etiam hodie confirmari debet. Quia olim contempti non contradixerant, hodie contradicunt. Immò ſicuti ipſis non contradicentibus, electio tanquam valida, fuit a tota Religione approbata, & a Summo Pontifice confirmata, ita hodie contemptis contradicentibus, electio confirmari non debet, nec a Religione approbari, ne quidem cum clauſula, *ſupplentes*, qua utitur Pontifex, quando contempti non contradicunt, ſecus quando contradicunt, cùm Pontifex non ſoleat tollere jus tertii, ut in ſpecie clauſulæ, *ſupplentes*, notant Ruin. *conſil.* 35. *num.* 35. *volum.* 1. Ferret. *conſil.* 31. *num.* 33. & *conſil.* 32. *num.* 46. *lib.* 1. Mart. *de clauſul. part.* 1. *clauſ.* 181. *num.* 9. Rub. *in ſuis ſingular.* ex Rota Romana *tom.* 2. *p.* 4. *clauſ.* 807. *num.* 8. & *ſeqq.* Barboſ. *de clauſ. clauſ.* 177. *num.* 15. & 16.

28 Præterquamquod in hujuſmodi reſcriptis ex gratia, & liberalitate alicui conceſſis, etiam per plures annos, non impeditur aliquis ea denegare, ut latè Ripa *in d. cap. cum Eccleſia Sutrina de cauſ. poſſeſſ. num.* 43. *ac ſeqq.* Gomeſ. loquens de longiſſimo tempore mille annorum *dec.* 20. *num.* 2. quos ſequitur Poſt. *de manutent. obſerv.* 53. *num.* 11.

29 Ceſſat igitur poſſeſſio, & multò magis conſuetudo ex eo, quod decretum irritans tollit conſuetudines non ſolùm præteritas, ſed etiam futuras, Gabr. *de clauſul. concl.* 3. *num.* 40. cum aliis apud Barboſ. *clauſul.* 41. *num.* 35. & in materia electionis Rot. *in d. Treveren.* apud Lavor. confirmata a Rota apud eundem, in qua uberrimè reſpondetur, hujuſmodi conſuetudinem neceſſariò requirere ſcientiam, & conſenſum Pontificis, ſine quibus illius leges abrogari nequeunt, ut ibidem reſpondetur quoque confirmationibus Apoſtolicis, & quod ex illis ſcientiam non induci, licèt ſemper vigeat illa inconcuſſa reſponſio, quod Pontifex confirmavit electionem validam, quia contempti non contradixerunt, & quia ipſi fuerat ſuppoſitum, electionem fuiſſe ritè, ac rectè factam juxta Sacros Canones, & ſtatuta Religionis, adeòut applicentur reſponſiones in his terminis datæ in d. Treveren. Abbatiæ S. Maximini. Ut in ſpecie conſuetudinis negativæ, quod ad eam concludenter probandam neceſſe ſit, ut Teſtes exprimant, actus fuiſſe factos ad contradictionem alterius Partis impugnantis, ut tradit Franch. *in cap. fin. col.* 2. *poſt med. de conſuet. in* 6. Abb. *in c. Abbate num.* 10. & *ſeqq. de verb. ſignif.* Mareſcott. *var. lib.* 2. *c.* 100. *num.* 6. ac Rota *in Leodien. decimarum* 28. *Aprilis* 1652. coram Meltio. Et ſic a me ſatis dictum ſit. Peccat enim qui non videt, quod eſt ſatis. Deciſio verò *in Feſulana Parochialis* eſt hujuſmodi.

Poſtquam Franciſcus a Dominis de Dinis pro duabus 30
ex tribus partibus præſentatus per tres ſententias Rotales, eaſque conformes contra Petrum pro una tantùm vice a Morellis ſimiliter præſentatum, obtinuiſſet inſtitutionem, iiſdem de Morellis proſequentes judicium ſuper proprietate juriſpatronatus obtinuerunt per tres ſententias conformes declarari ſe cum Dominis Dinis æquale jus, æqualemque portionem habere in hujuſmodi patronatu, & occurrente Parochialis, de qua agitur, vacatione, cum illis fore admittendos.

Et deinde ad inſtantiam D. Petri proſequentis judi- 31
cium adverſus Franciſcum ſuper retractione inſtitutionis, fuit mihi præſentata commiſſio reſtitutionis in integrum. Verùm propoſito dubio, an conſtaret de cauſis, Domini negativè reſponderunt.

Nullibi enim apparebat, quod poſt deficientiam fa- 32
miliæ de Cavalcantibus dicti Morelli pro æquali portione aliquo unquam tempore præſentaſſent; aut quod aliquo modo fuiſſent in poſſeſſione ita præſentandi, & ideò potius erat præſumendum, quod Dini eſſent in quaſi poſſeſſione præſentandi pro duabus portionibus, quos conſtabat aliàs ita præſentaſſe, quàm dicti Morelli, quos in quaſi poſſeſſione pro æquali non conſtaret extitiſſe, ut in ſimili reſpondit Feder. de Sen. *conſil.* 234. *n.* 4. In eo autem dubio, ut præſentatio, & inſtitutio ſuſtineatur, attendendus erat ultimus ſtatus, qui operatur, ut retractari non debeat actus inſtitutionis factæ, cùm nulla contra dictum ultimum ſtatum adeſſet confeſſio Partis, aut res judicata, ſine quibus de proprietate, abſorbente poſſeſſorium, non poterat dici conſtare, Rot. *dec.* 269. *num.* 4. & 5. *p.* 2. *div.* & *dec.* 435. *num.* 4. *p.* 2. *rec.* Adden. ad Greg. XV. *dec.* 77. *num.* 12.

Et de ultimo ſtatu attendendo in terminis conditio- 33
nis aliter obſervatæ, quàm in limine fundationis reperiretur ordinatum ad effectum valididitatis præſentationis, fuit dictum in *Giennen. Capellæ* 15. *Junii* 1628. coram R. P. D. meo Veroſpio.

Neque obſtat, quod quemadmodum fructus percepti 34
poſt litem conteſtatam, eo quod ſententia, quæ inducit malam fidem ad diem ipſius litis conteſtationis retrotrahitur, *l. Certum*, *l. Si fundum*, *C. de rei vindic.* ita in jurepatronatus, cujus fructus eſt præſentatio, fieri debet reſtitutio per remotionem inſtituti, Abb. *in c. Conſultationibus ante n.* 4. *de jurepatr.* Quia ejuſmodi fructus non conſiſtunt in commodo pecuniario, itaut in eo militet ratio locupletationis, propter quam fieri debet fructuum reſtitutio, ſed potius propter favorem Eccleſiarum, ne in eventum longiſſimæ litis differatur inſtitutio, ſpectandum eſt initium bonæ fidei, ut notabiliter tradunt Innoc. *in d. cap. Conſultationibus num.* 1. Bald. *in l.* 2. *num.* 87. *C. de ſervit. & aqua*, *&c.*

Hæc Rota.

CONSULTATIO XV.

An, & quatenus Principibus, Baronibus, aliiſve competat jus prohibendi venationem, & piſcationem?

1 REſpondeo, nulla ratione id iis competere. Iſta enim de jure gentium omnibus hominibus libera eſſe debent, *l.* 1. 2. 3. *ff. de acquir. rer. dom.* §. *fere*, *inſtit. de rer. diviſ.* & ideò ſi neque a ſupremo Principe regulariter tolli, ac prohiberi poſſunt ſine rationabili cauſa, ut per Dec. *conſil.* 7. *num.* 1. & *ſeqq.* Jaſ. *conſil.* 119. *num.* 3. *lib.* 4. ubi de communi Afflict. *in conſtit. Regni, Scire volumus in fine*, Roland. *conſil.* 9. *num.* 10. *lib.* 2. Covarr. *in reg. peccatum in* 2. *part. relect.* §. 8. *num.* 1. & Natta *conſil.* 522. *num.* 27.

2 Sine ulla prorſus difficultate non poſſunt prohiberi a vaſallis, & feudatariis inferioribus. Hujuſmodi enim Oppidorum, & Caſtrorum Domini, quantumvis cum juriſdictione, ac mero, & mixto imperio inveſtiti, non poſſunt venationem, & piſcationem prohibere, ut extra omnem controverſiam ſcribunt Canoniſtæ *in cap. non eſt de decim.* & tradunt Jaſ. *d. conſil.* 119. ſignanter *num.* 10. Roland. *loc. cit. num.* 1. & *ſeqq.* Sebaſt. Medic. *tract. de venat. qu.* 5. *num.* 5. aliique apud Covarr. *d.* §. 8. *num.* 1. ac Roſental. *de fund. cap.* 5. *concl.* 24. *num.* 1. ac præter allegatos ab eis, Boſſius *tit. de regul. num.* 22. & *tit. de aqua*, & *flum. num.* 19. Guidopap. *deciſ.* 514. Natt. *conſil.* 375. *num.* 1. Menoch. *conſ.* 943. *num.* 44. ac Honded. *conſil.* 100. *num.* 13. dicens propterea hujuſmodi vaſallos valdè delinquere, exercendo majorem juriſdictionem, & ſuperioritatem, quam exercere non poſſunt.

3 Et ſanè quoad piſcationem, aut illa fit in flumine publico, & ideò jus piſcandi in eo tanquam de regalibus, eſt ſupremo Principi reſervatum, *c.* 1. ubi Afflict. *v. piſcationem*

rationem, quæ ſint regalia, Dec. *d. conſ.* 197. *num.* 1. Menoch. *conſ.* 694. *num.* 30. Decian. *reſp.* 22. *num.* 22. *lib.* 4. nec poteſt iis competere ſine ſpeciali illius conceſſione, Dec. *d. num.* 1. cum aliis, quos ſequitur Peregr. *de jur. fiſci lib.* 1. *tit.* 1. *num.* 9.

4 Aut ſit in foveis fluminis, quæ ſunt aliis communes ideòque, ne quidem poteſt in eis prohiberi piſcatio, quia non poteſt unus ſocius alium prohibere, ne re communi utatur ad uſum deſtinatum, *leg. Cum duobus*, §. *Item alia*, ff. *pro Soc. leg. ſi æde*, ff. *commun. divid. ac* docent Felin. *in cap. Cùm omnes num.* 17. *fall.* 1. ibique Dec. *num.* 12. *de conſtit.* Surd. *conſ.* 429. *num.* 34.

5 Maximè verò ſi extaret particulare diploma ſupremi Principis, illudque eſſet in viridi obſervatione, prout in dubio præſumitur juxta *deciſ.* 717. *num.* 5. *part.* 4. *diverſ.* venationes, & piſcationes permittens, inhibenſque quibuſcumque perſonis cujuſcumque ſint ſtatus, & conditionis, ne poſſint illas prohibere cum decreto, etiam irritante. Ex hoc enim tolleretur omnis difficultas, cùm certum ſit, inferiorem non poſſe tollere factum Principis ſuperioris, *cap. Cùm inferior de major.* & *obed. Clem. ne Romani de elect.* & in ſpecie, quod Magnates, qui ſuperiorem recognoſcunt, licèt de facultate Principis in ſuis locis poſſint habere jus hoc prohibendi, quod tamen eo uti non poſſint, ubi Principis ſupremi lege contrarium ſit conſtitutum, aſſerit Molina *de juſt.* & *jur. tom.* 1. *diſput.* 46. ſub initio, præcipuè, propter decretum irritans, quod reddit quidquid in contrarium ſit ipſo jure nullum, *cap. ſi eo tempore de elect. in* 6. Caſſad. *deciſ.* 1. *num.* 7. *de reſtit. ſpoliat.* Rota *deciſ.* 24. *num.* 5. & *deciſ.* 149. *num.* 2. *part.* 2. *diverſ. cum aliis* apud Gabr. *de clauſ. concluſ.* 3. *num.* 57. *eff.* 11. & Gonzalez *in reg.* 8. *gloſſ. ult. num.* 12. afficitque non ſolùm ſcientes, ſed etiam ignorantes, etiam non adjectis illis verbis ſcienter, vel ignoranter, ut probant Gabr. *d. concl.* 3. & Gonzal. *ibid. num.* 18.

6 Nec obſtant proclamata, quibus locorum Domini venationem, & piſcationem prohibent. Nam ex decreto irritante nullum habere poſſunt juris fomentum, cùm ex eo titulus inficiatur, & poſſeſſio, Caſſador. *deciſ.* 7. *num.* 3. *ſuper reg.* Simon *de reſer. q.* 40. *num.* 1. Gabr. *d. concluſ.* 3. *num.* 5. *eff.* 7. Garz. *de benef. p.* 5. *cap.* 1. *n.* 427. ac Rota *deciſ.* 189. *num.* 4. *part.* 2. & *deciſ.* 613. *num.* 7. *part.* 1. *recent.* omniſque tollatur contraria conſuetudo, ac præſcriptio, ut per Gabr. *loco cit. num.* 39. & 44. *in* 3. & 4. *eff.* & Gonzal. *d. gloſſ. ult. num.* 50.

7 Præterquamquod nec de jure, etiam communi, per inferiores vaſallos fieri poſſunt hujuſmodi proclamata ſine conſenſu Populorum, aliorumve, quorum intereſt, ut per Roland. *d. conſ.* 9. *num.* 12. Maximè vero ubi generaliter, ac indiſtinctè fit prohibitio, non autem ad certum tempus, & ex legitima cauſa, Rebuff. *in l.* 1. *C. de venat. ferar. lib.* 11. Covarr. *d.* §. 8. *num.* 2. Natt. *d. conſ.* 375. *num.* 8. cùm vaſalli, ſicuti non poſſunt contra jus commune ſtatuere per legem generalem, ita nec per particularem prohibitionem, & proclamata, ut præclarè Surd. *conſil.* 161. *num.* 6. Contra quæ non poſſunt hi vaſalli acquirere aliquam prohibentem facultatem, niſi doceant de titulo cum poſſeſſione quadraginta, vel deficiente titulo, de immemorabili, ut per Covar. *eo* §. 8. *num.* 1. *propè fin.* & *num.* 10. *poſt initium.*

CONSULTATIO XVI.

An, & quatenus electio ad dignitates Eccleſiaſticas per abuſum ſæcularis poteſtatis irrita, infectaque ſit? Quid de electione ad beneficia, & de ea obtinente, vel conferente; ac de eorum pœnis? & an electio ſit irrita, ſi fiat hebdomada majori?

1 ABuſus ſæcularis poteſtatis, propter quem electio irritetur, dicitur ſolùm, primò, quando Eccleſiaſtici requirunt laicos, ut electioni interſint. Secundò, quando Principis ſæcularis aſſenſum de certa perſona eligenda requirunt. Tertiò, quando eligunt minis alicujus ſæcularis poteſtatis. Ita Tamburin. *de jur. Abbat. tom.* 1. *diſputat.* 5. *quæſt.* 22. *num.* 11. Barboſ. *de jur. Eccleſ. lib.* 1. *cap.* 19. *nnm.* 80. & *num.* 234. Suar. *de cenſur. diſput.* 31. *ſect.* 3. *num.* 13. Samuel *de election. tract.* 2. *contr.* 10. *in princip.* Addo autem ego; quod electio facta per abuſum laicæ poteſtatis ab Eccleſiaſticis, dicitur quando laicus admiſſus eſt ultrò ad actum electionis, & interfuit authoritativè, ut per Gloſſ. *in cap. Quiſquis de elect. verſ. abuſum*, ibique Abbas *num.* 4. Azor. *lib.* 6. *cap.* 14. *quæſt.* 9.

Secus autem ſi laica poteſtas interſit electioni pro li- 2
bertate electorum. De jure namque ſimplex interventus laici, tanquam conſulentis, vel protegentis, aut pro bono pacis, vel libertate electionis intereſſentis non eſt prohibitus, Bald. *in cap. Meſſana num.* 1. ibique Abb. *num.* 3. Bellarm. *num.* 5. Imol. *num.* 5. *de elect.* Archidiacon. *in canon. Abbatem ſub initio* 18. *quæſt.* 2. Præpoſ. *in canon. Epiſcopus num.* 47. *quæſt.* 1. vel, ut electione ſequuta tradatur electo inveſtitura bonorum temporalium. Quòd fieri poſſe, probat Cucch. *inſtitut. moral. lib.* 4. *tit.* 1. *de elect. num.* 108. & *ſeqq.* Sigiſmund. de Bonon. *de elect. cap.* 5. *dub.* 90. *num.* 5. Vel ad tuendas appellationes ad Summum Pontificem, & Sedem Apoſtolicam interpoſitas. Quod non prohibetur in Bulla Cœnæ, §. 14. ut obſervat Lezana *in ſumm. verſicul. Bulla Cœnæ num.* 38. & firmavit Rota *deciſ.* 36. *de appell.* apud Achillem cum aliis adductis *in deciſ.* 377. *num.* 16. & *ſeqq. ac deciſ.* 378. *num.* 6. & 7. & *deciſ.* 1093. *num.* 13. coram Pegna. Præſertim ſi ad id nullus appareat electorum recurſus, aut mandatum, nullaque ratificatio probetur, ut tradit Rota *in Cæſarauguſtana beneficii de Livares* coram Bichio, cum aliis *in Hiſpalen. decimarum*, §. *Præterea non obſtat* coram Cerro.

Quare nihil intervenit illicitum, quando electores 3
implorant brachium ſæculare, ut ad electionem deveniat. Nam electores, quando timent compulſiones, poſſunt recurrere ad Principes laicos, ut aſſiſtant, etiam armata manu. Neque ex hoc igitur electio facta per abuſum laicæ poteſtatis, cùm id non ſit ſe ingerere in electionem, ſed tantùm aſſiſtere pro libertate, ac ſecuritate electionis, & electorum, ut egregiè Bald. *in d. cap. Meſſana in princip. de elect.* ibique Joan. Andr. *num.* 4. Imol. *num.* 3. Bellam. *num.* 5. Cucch. *d. tit.* 1. *num.* 110. & Sigiſmund. *d. dub.* 9. *eod. num.* 5.

Idque, etiamſi laica poteſtas mandaſſet deveniri ad 4
electionem; dummodò non procedat per viam juriſdictionis, cùm non ſit Judex, neque citatio Partis interveniat, ſed requiſita, vi aſſiſtat, & ſuum brachium impartiatur pro libertate electionis etiamſi mandaret ad electionem deveniri, offerens ſuam aſſiſtentiam, quibuſcumque non obſtantibus. Horum enim verborum verus ſenſus eſt, quod electores ſuam electionem facerent, nec aliquid timerent. Verbum enim, *mando*, ubi non jungitur cùm verbo, præcipio, non importat præceptum, ſed intelligitur juxta ſubjectam materiam; præcipuè autem quando dirigitur illi, cui jubere non poſſumus, importat petitionem, & rogationem, nec ullam neceſſitatem imponit, Felin. poſt Archidiac. *in cap. nam concupiſcentiam de conſtit. num.* 7. & latè Suarez *de legib. lib.* 3. *cap.* 15. *num.* 9. aliique apud Barboſ. *dict.* 196. *n.* 1. Pro validitate autem electionis ſufficit, quod ipſius electionis actus ſit liber, nec vitiatur ex iis, quæ electionem præcedunt, cùm potius reſpiciant tractatum, qui eſt diverſus ab ipſa electione, ut benè Archidiacon. *in canon. laici num.* 2. *d.* 63. Barboſ. *de jur. Eccleſ. lib.* 1. *d. cap.* 19. *num.* 234. & in terminis fortioribus reſpondit Bald. *in tract. de ſchiſm.* qui habetur impreſſus poſt ejus lecturam *ad l. fin. C. de edict. Div. Adr. tollen.* ubi conſultus de validitate electionis Nicolai Quinti, ad quam Cardinales devenerant per vim ipſis illatam a Populo Romano, qui ipſos in Conclavi reſtrinxit, & ad eligendum contulit, reſpondit electionem valere, quia actus electionis fuit liber, & Populus non coegit ipſos ad certam perſonam eligendam, firmatque Samuel *de elect. tract.* 2. *controv.* 9. *concluſ.* 2. ubi quod metus antecedens electionem non obſtat, quando electio ipſa fit libera; Idemque aſſerit Suarez *de cenſur. diſp.* 31. *ſect.* 3. *num.* 14.

Quod verò ad beneficia obtinentes, vel conferentes 5
per abuſum laicæ poteſtatis *in can. ſi quis deinceps* 16. *quæſt.* 7. Gregorius VII. ita decrevit: *Si quis Epiſcopatum, vel Abbatiam, vel aliam Eccleſiaſticam dignitatem de manu laicæ perſonæ ſuſceperit, nullatenus inter Epiſcopos, vel Abbates habeatur, & introitum ei Eccleſiæ interdicimus, quouſque locum talem per ambitionem obtentum deſerat* & laici id præſumentes eandem ſententiam interdicti incurrant, ex eodem textu. Unde proviſio eſt nulla, & incurrunt interdictum ab ingreſſu Eccleſiæ ad tempus, Comitol. *lib.* 1. *quæſt.* 78. *num.* 5. & 6. & Turrecrem. *in can. quoniam* 16. *quæſt.* 7.

Tales etiam ſunt excommunicandi tàm ſcilicet con- 6
ferens, quàm proviſus de beneficio aliquo per abuſum laicæ perſonæ *d. canon. quoniam*, *canon. ſi quis Clericus*, *canon. ſi quis Epiſcopus* 16. *quæſt.* 7. & *cap. præterea de jurepatronat.* Immò ſunt ipſi proviſi ipſo jure excommunicati, excommunicatione non reſervata ex *dd. can. quoniam* & *can. ſi quis Clericus* 16. *quæſt.* 7. Comitol. *loco cit. num.* 5. Ipſi autem laici conferentes bene-

ficia

ficia incurrunt excommunicationes, & pœnas latas contra uſurpantes jura beneficiorum, ſeu Eccleſiarum, quæ ſunt Papæ reſervata.

7 Ex Concilio autem Lateranenſi ſub Leone Decimo recipiens beneficium a laico Domino non habente Apoſtolicæ Sedis privilegium, ſive titulum, ſaltem coloratam, redditur inhabilis ad beneficia quælibet obtinenda, donec a Papa fuerit diſpenſatus, ut per Diaz. *in pr. cap.* 53. *& cap. quiſquis de elect.* Qui recipit beneficium via electionis factæ per abuſum laicæ poteſtatis, eſt eo ipſo ineligibilis ad dignitates Eccleſiaſticas, Barboſ. *ibi numer.* 5. niſi cum eo diſpenſetur, ut notat *Gloſſ. ibid. verb. fiat*, & Barboſ. *num.* 3. & poteſt Epiſcopus diſpenſare, Barboſ. *ibid. num.* 4.

8 In ſpecie autem omnis recipiens beneficium per abuſum, ſive collationem uſurpatam a laico, incurrit vitium, & pœnas intruſionis. Unde eſt inhabilis ad illud, etiam per novam proviſionem, *capit. relatum de jurepatronat.* Salzed. ad Diaz. *cap.* 51. *&* 53.

9 Electionem verò celebrantes per abuſum laicæ poteſtatis ſunt privati ea vice poteſtate eligendi. Nam electio illa fuit nulla, nec ipſi poſſunt tunc alium eligere, ſuntque ſuſpendendi ad triennium ab officiis, & beneficiis ex *d. cap. Quiſquis de elect.*

10 Dimittere autem tenentur proviſi per abuſum laicæ poteſtatis beneficia ſic recepta, quia proviſio, ſive collatio eſt nulla per text. *in d. canon. ſi quis deinceps, can. quiſquis, & cap. præterea de præben. in* 6. tradunt-que Canoniſtæ *in d. can. quiſquis*, Comitol. *loc. cit.* ſuntque compellendi ad ea dimittenda per excommunicationem, & alias cenſuras, & ſi fuerint contumaces, ſunt deponendi ab ordine, & officio, *d. cap. præterea de jurepatronat.*

11 Animadvertendum autem eſt, atque notandum, quod iſtæ pœnæ ceſſant, quando laicus habet privilegium a Summo Pontifice conferendi beneficia, ut per Garz. *de benef. part.* 1. *cap.* 2. *num.* 33. cum ibi allegatis. Non tamen poteſt laicus acquirere jus conferendi ex ſola conſuetudine, ſed requiritur ſaltem immemorabilis conſuetudo cum fama conſtanti privilegii, Garzias *ibid. num.* 38.

12 Quod verò ad electionem in hebdomada majori, illam in ea fieri non poſſe dicendum videtur ex *c. conqueſtus de fer.* ubi habetur, quod in ejuſmodi feriis negotia quieſcere debent. At eſſe validam hanc electionem cenſeo. Quia hic textus loquitur de actibus judicialibus, qui prohibentur fieri diebus feriatis, quales ſunt dies hebdomadis majoris, non autem extrajudicialibus, qualis eſt actus electionis, qui nullum ordinem judicii requirit. Quod ſine dubio procedit, quando neceſſitas, vel pietas id ſuadet, quo in caſu etiam actus judicialis fieri conceditur his diebus ex diſpoſitione dicti *cap. conqueſtus*, ibi: *niſi neceſſitas urgeat, vel pietas ſuadeat.*

CONSULTATIO XVII.

Vacatio per renunciationem Præſulatus, aut officii regularis, aut nova electio ad illum, a quo tempore incipiat? Utrum a tempore habitæ ſcientiæ renunciationis, an a tempore factæ renunciationis?

1 CEnſeo, tempus præfixum ad eligendum incipere a die renunciationis, dummodo ſcientia vacationis aliquo modo habeatur. Quamvis enim veriſſima ſit concluſio, quod dictum tempus currat a die ſcientiæ vacationis, non autem ab ipſa vacatione, ad hunc tamen effectum non eſt præſcripta aliqua forma renunciandi, ſed ſatis eſt, quod habent jus eligendi habeant de vacatione ſcientiam, quomodocunque illam ſciant, ut egregiè firmat Paſſerinus, vir pius, & doctus *de elect. cap.* 13. *num.* 17.

2 Et licèt Donatus *tom.* 2. *reg. regular. part.* 3. *tract.* 3. *quæſt.* 1. *numer.* 4. dicat, vacationem eſſe electoribus intimandam, citetque Tambur. *de jur. Abbat. tom.* 1. *diſput.* 9. *quæſt.* 7. *num.* 4. ipſe tamen convincitur ex falſa allegatione. Quia Tamburinus nihil ait de intimatione. Cæteri autem Doctores loquuntur de ſcientia, quæ intelligitur quomodocunque habeatur, conſtatque ex rebus beneficialibus, & ex ejuſmodi aliis, in quibus non eſt neceſſaria ſcientia per intimationem judicialem, ſed ſufficit, quod illa quomodocunque habeatur, itaut Rota Romana talem ſcientiam admiſerit aliquando per famam, ut habetur apud Garz. *de benefic. part.* 10. *cap.* 2. *num.* 31. & 33. Pax Jordan. *tom.* 2. *elucubr. lib.* 10. *tit.* 12. *num.* 21. & 24. qui firmant, hoc pendere ab arbitrio Judicis, qui debet examinare, an verè conſtet de vacatione.

Et quamvis etiam Doctores aſſerant, requirit ſcien- 3
tiam certam, non tamen excluditur præſumpta, quando arbitrio Judicis præſumptiones judicantur efficaces, ut docent Garz. & Pax Jordanus locis allegatis, qui licèt non explicaverint hanc concluſionem, ejus tamen ratio eſt, quoniam aliud eſt ſcientiam eſſe præſumptam, aliud eſſe probatum ex juſtis, ac legitimis conjecturis, ex quibus etiam vera ſcientia probatur ad quemcunque effectum, ut per Rotam coram Seraphin. *dec.* 1459. *numer.* 4. & 5. & poſt Zacch. *de oblig. Camer. deciſ.* 189. *num.* 21.

Ut ſi Prior aliquis regularis coram omnibus ferè 4
Conventus fratribus ſui Prioratus renunciationem publicaverit, illamque dixerit acceptaſſe ſuum ſuperiorem. Hoc enim caſu ceſſarent omnes juris diſputationes, dum intimatio facta fuerit ore proprio fratribus præſentibus, & audientibus, & ille, qui allegat aliam cauſam, & aliud tempus ſcientiæ, tenetur illud probare juxta ea, quæ tradunt Surd. *conſil.* 473. *num.* 44. Cravett. *conſ.* 937. *num.* 14. & *ſeqq.* Rota coram Durano *deciſ.* 74. *num.* 56. & *deciſ.* 285. *num.* 42. & poſt Zacch. *loc. cit. dec.* 9. *num.* 5.

Maximè ſi allegantes ignorantiam acceptationis ſint 5
actores, ſeque in illa fundent, quod ſcilicet vacatio antea non fuerit eis nota. Actor enim debet probare id, quod eſt fundamentum ſuæ intentionis, etiam quando ſe fundat in negativa, ut per Giurb. *deciſ.* 37. *num.* 5. Rota coram Buratto *deciſ.* 10. *num.* 5. *ac* 30. & *deciſ.* 264. *num.* 8. & *deciſ.* 286. *num.* 3. & *deciſ.* 448. *num.* 1. & *in recent. deciſ.* 179. *part.* 2. *num.* 7. *ac deciſ.* 351. *num.* 4. *part.* 10. Et ſaltem ex illa notificatione tenerentur inquirere, an id verum ſit, cùm dubitans teneatur inveſtigare, & facere diligentiam, præcipuè ſi renunciatio fiat ab eo, cui credere debet, ut per Calcan. *conſ.* 75. *num.* 54. Seraph. *de privil. juram. privil.* 4. *num.* 176. Paſſerin. *d. cap.* 13. *num.* 18. Alioquin eſt ignorantia craſſa, & ſupina, quæ non ſuffragatur, ut per Calcan. *loc. cit.* & in his terminis Garz. *d. c.* 2. *num.* 20. Pax Jordan. *d. tit.* 12. *num.* 23.

CONSULTATIO XVIII.

An, & quatenus ex vitio perſonæ irritanda ſit electio Regularium ad officia, & dignitates ſuæ Religionis, aut ab illis ſuſpendendi, pendente accuſatione?

IN hac re illud certum eſt, quod ad favorem electo- 1
rum militat protrita juris regula, nimirum electo ſufficit docere de ſua electione, quia præſumitur canonica, & contrarium aſſerenti incumbit onus probandi, juris ordine ſervato, ut tradunt Lapus, Geminianus, Joannes Andreas, & alii, quos refert, ac ſequitur Rot. *dec.* 279. *num.* 25 & *ſeq. part.* 6. & *dec.* 244. *num.* 34. *p.* 8. *rec.* Hinc ad irritandum electionem ex vitio perſonæ deveniri non poteſt, niſi citato, & audito electo, juxta *cap.* 1. *de cauſ. poſſeſſ. & propriet.* ibi: *neque nos contra inauditam partem aliquid poſſumus definire*, & confirmant Rodriq. *quæſt. regul. tom.* 2. *quæſt.* 52. *art.* 12. *ad* 1. Portell. *part.* 2. *caſ.* 4. *num.* 3. & 4. Peyrin. *in formular. lit. C. cap.* 18. *num.* 7. Mirand. *tom.* 2. *quæſt.* 23. *art.* 22. aliique cumulati a Paſſerino *de elect. cap.* 33. *quæſt.* 11. *num.* 152. & 161. ubi reprobando modum caſſandi electiones ex defectu electi, eo non citato, aut non audito, etiamſi aliàs illius famæ conſulatur, ſic concludit: *Ideo bonum eſt via regia incedere, & non auditum non damnare, & eo magis quod experientia demonſtrat ſæpiſſimè oppoſitiones ad vocem ejus, contra quem diriguntur, veritatis luce ſplendente, evaneſcere, & multoties expertus ſum eas, quò graviores erant, eò falſiores inventas fuiſſe.* Quæ ex dicta prudentia dicta ſunt.

Quod eò libentius admittendum eſt, ſi electiones fue- 2
rint confirmatæ a Superiore. Quo in caſu ad eas irritandas requiruntur exactæ, & concludentes probationes, ut notat Lavor. *de elect. cap.* 19. *num.* 12. Rodriq. *tom.* 1. *quæſt.* 14. *art.* 3. cum aliis apud Lezanam *conſult.* 13. *num.* 90. Eoque præſertim, ſi contra electos nullus exhibetur proceſſus legitimè factus, ſed duntaxat quædam extrajudiciales, & ſecretæ denunciationes, quæ ſi emanaverint, parte non citata, & abſque interrogatoriis, nullum gradum probationis conſtituunt, Gl. *in c. per tuas de teſtib.* Mantic. *deciſ.* 9. *num.* 6. Ludoviſ. *dec.* 351. *num.* 37. Burat. *deciſ.* 100. *num.* 27. ibique Additionator, ac cæteri, quos ſequitur Rot. *dec.* 214. *num.* 5. *poſt* 2. *vol. conſil.* Farin. Aut ſi Teſtes ad id inducti complures patiantur defectus tàm circa dicta, quàm circa perſonas. In quo caſu, etiamſi eſſent formiter examinati, nihil probarent, non obſtante numero, ex traditis a Ciarlino *contr.* 10. *num.* 125. Cravet. *conſ.* 99. *num.* 11. Farin.

conſ.

ſenſ. 60 num. 16. lib. 1. cum aliis per Rot. *dec.* 277. *num.* 11. *& dec.* 279. *num.* 12. coram Merlino.

3 Atque ex his nullatenus eſt locus ſuſpenſioni, aut remotioni electorum. Licèt enim quando agitur contra Regulares ad effectum remotionis ab adminiſtratione non requirantur probationes ita exactæ, ſicuti contra ſæculares, attamen ſemper ſunt ſervanda ſubſtantialia judicii, nempe, ut reus vocetur, poſſitque ſe defendere, quemadmodum probat textus *in cap. ad petitionem, §. Cum igitur de accuſat.* cum aliis conſtipatis a Fagnano *in cap. qualiter, & quando* 2. *num.* 49. *& ſeq. eodem tit.*

4 Quinimmò regulariter officiales, pendente inquiſitione, non ſuſpenditur ab officio, neque ei adminiſtratio interdicitur, etiam poſt litem conteſtatam, latamque ſententiam, ſi ab ea appellet, ut in validioribus terminis decidit Gloſ. *in cap. ſæpè, verſ. ſententia de appell.* Felin. *in cap. Omnipotens in princip. de accuſ.* Jaſon. *in l.* 1. *num.* 10. *ff. de re judic.* Bertrand. *conſ.* 83. *num.* 1. *& ſeq. lib.* 1. Scacc. *de appell. quæſt.* 3. *num.* 72. & judicavit Senatus Dolanus, teſte Joanne Grivel. *dec.* 60. *num.* 14. Opinio verò contraria procedit duntaxat, vel quando agitur de delictis commiſſis in officio juxta diſtinctionem Bartoli *in l. libertus, §. In quæſtionibus, ff. de municip.* Pariſ. *de ſindic. verſ. accuſatus col.* 1. cum aliis per Vincent. de Franch. *dec.* 8. *num.* 1. *&* 4. Vel quando receptis Teſtibus offenſivis, concludenter appareret, cauſa cognita, ac decretis prius inquiſito defenſionibus, concludenter probata eſſe crimina, & delicta, propter quæ officio ſit privandus, cùm nemo debeat ab officio ſuſpendi, niſi urgentiſſima, & comprobata cauſa. Maximum enim eſt dedecus ab officio removeri, ut animadvertit Franch. *d. deciſ.* 8. *num.* 4. & tradit Fagnan. *in cap. licèt Heli num.* 10. *de Simon. & in d. cap. qualiter, & quando num.* 29. *&* 50. *de accuſ.* Maſtrill. *de magiſtrat. lib.* 5. *cap.* 5. *num.* 46. *&* 49. Bertrand. *loc. cit. num.* 7. *& ſeqq. vol.* 1. *part.* 1. Caſtill. *deciſ. Sicul.* 166. *num.* 16. *& ſeq.* Gabr. Berat. *in ſpecul. viſit. cap.* 7. *n.* 2. *&* 7. ubi quod ſi caſus ſuſpenſionis faciendæ ſibi occurreret, nunquam aliquem ſuſpenderet ab officio, pendente inquiſitione, niſi plenè per teſtes integræ famæ, & opinionis probatum eſſet, officialem plura, & graviora delicta in officio commiſiſſe, itaut vix ab eis ſe defendere poſſet. Quod etiam approbatum eſt a ſapientiſſimo Conſilio Neapolitano, ut teſtatur Joannes Franciſcus a Ponte *dec.* 7. *num.* 16. *& dec.* 27. *num.* 7. cum aliis cumulatis a Vermigliol. *conſ.* 241. *num.* 14.

5 Prætereà Prælatus manutenetur in adminiſtratione officii, etiam conſtructo proceſſu ſummariiſſimo ſuper prætenſis delictis, quotieſcunque non conſtat ſibi adſtrinxiſſe qui veritatem ſciunt, vel alio modo corrupiſſe, vel eis minatum fuiſſe, *canon. vobis* 12. *quæſtion.* 2. Gabr. *in cap. venerabilem num.* 1. *&* 3. ibique Abb. *num.* 8. *de offic. deleg.* multique alii apud Vermigliol. *conſil.* 378. *num.* 8.

6 Quod facilè admittendum, ſi proceſſus nullum gradum probationis conſtituant, & teſtes examinati patiantur exceptiones, tàm circa dicta, quàm circa perſonas. Si reſultet vehemens ſuſpicio falſitatis, & calumniæ tum propter inveriſimilitudinem prætenſorum criminum, tum etiam propter bonam famam Prælati, ſive officialis, ut per Bart. in *l.* 1. *§. penult. ff. de re milit.* Caſtr. *conſil.* 283. *num. fin. lib.* 2. Corn. *conſil.* 133. *col. fin. lib.* 4. cum aliis allegatis a Cravett. *conſ.* 99. *num.* 11. Idque maximè attentis atteſtationibus juratis quamplurium ſuper bona fama, vitæque probitate Officialis, quæ longè prævalere debet prætenſis denunciationibus ſecretis. Tum quia iſtæ emanare ſolent a perſonis ſuſpectis, & criminoſis, tum etiam quia magis creditur teſtibus deponentibus de bona fama, licèt paucioribus, quàm aliis de mala, licèt numero plures, ad tradita per Abbat. *in cap. cum in tua num.* 3. *de ſponſal.* Felin. *in cap. cùm contingat num.* 2. *de reſcript.* & alios a Rota deductos *dec.* 368. *num.* 9. coram Merlino.

7 Quare hujuſmodi Officialium electio confirmanda videtur, ſi conſtiterit de illius validitate quoad ſubſtantiam propter concurſum majoris, & ſanioris partis Capituli, prout ex illius inſtrumento, quod in hac materia facit probationem probatam, Innoc. *in cap. innotuit. numer.* 7. *de elect.* ubi Joannes Andr. *num.* 2. Cardin. *numer.* 7. Bellam. *num.* 20. aliique plures apud Rotam *deciſ.* 574. *num.* 64. *part.* 4. *tom.* 3. *recent.* Quoad formam quidem, ſi ſervata in electione fuerint omnia requiſita in Conſtitutionibus Ordinis, & juris communis *in c. qua propter de elect.* Sicque electi manutenendi ſunt ex juris regula, quod poſſeſſor, lite pendente, non eſt privandus ſua poſſeſſione, traditque Abb. *in cap.* 1. *ut in lite pendente, num.* 4. ac ſequitur Dec. *conſ.* 97. *num.* 1. Gabr. *comm. opin. lib.* 5. *titul. de acquir. poſſeſſ. concluſ.* 6. *num.* 2. *& ſeq.* Certi namque juris eſt, quod pendente judicio nullitatis electionis, electus habet plenariam adminiſtrationem, tàm in ſpiritualibus, quàm in temporalibus, ut perſpicuè decernit textus *in cap. cum nobis de elect. cap. indemnitatibus, §. ſanè*, ubi Doctores *eod. tit. in* 6. & in hac ſpecie firmavit Rota *dec.* 139. *num.* 2. *part.* 7. *recent.*

Hiſque accedit, quod ſola accuſatio, ſive denunciatio 8
non excludit quempiam ab electione. Aliàs enim eſſet in facultate calumniatoris viros probos ab electione excludere. Quod planè abſurdum eſt, ut animadvertit Innocent. *in cap. accuſatum num.* 2. *de ſimon.* quem ſequitur Fagnan. *in d. cap. Omnipotens num.* 33. *&* 34. *de accuſ.* Ideòque ad hunc effectum non ſufficit ſola accuſatio, ſive inquiſitio, ſed requiritur etiam litis conteſtatio per rei citationem, ut probat Navar. *conſ.* 71. *n.* 5. *lib.* 5. *tit. de accuſ.* & quod perſona ſit infamata apud graves, & probos viros, ut docent Oſtienſis Joannes Andreas, & alii, quos refert, & ſequitur Barboſ. *de offic. & poteſt. Epiſc. part.* 2. *allegat.* 43. *num.* 14. Sigiſmund. a Bonon. *de elect. dub.* 86. *num.* 6.

Ac, itaut ne Præſes quidem Capituli poſſit aliquem 9
excludere ab electione, niſi præcedente ſententia, & juris ordine ſervato, ſcilicet citato reo, & in ſuis exceptionibus audito, ut per Rodriq. *qu. regul.* 52. *art.* 12. *p.* 2. Mirand. *in manual. Prælat. tom.* 1. *qu.* 23. *art.* 22. *concluſ.* 3. Caſtellin. *de elect. cap.* 13. *tit. de direct. pacif. elect.* Lezan. *to.* 1. *qu. regul. cap.* 15. *num.* 34. cum aliis adductis a Paſſerin. *de electione cap.* 2. *qu.* 4. *num.* 71. traditque Sanctor. *ad ſtat. & conſtit. ſui Ordin. cap.* 18. *ſtat.* 67. ibi: *Verum tamen eſt, quod non ſufficit ſola atteſtatio viſitatoris ad excludendum ab officiis, ſed neceſſaria eſt cauſæ cognitio, quia ſtatutum ait: Quos indignos legitimè judicaverint.*

Extatque hac de re decretum Apoſtolicum pro re- 10
formatione Regularium ſub die 14. Octobris 1681. approbatum a Clemente VIII. quod eſt hujuſmodi: *Privationis vocis activæ, & paſſivæ, ac inhabilitatis decreta, ſententiæve ab eiſdem Superioribus Ordinis latæ, ne deinceps in ipſo electionis actu pronuncientur, promulgenturvè, atque eæ promulgatæ vocales minimè afficiant, niſi per menſem a te fuerint intimatæ Parti, ſanctitas ſua omninò vetuit.* Quod nominatim obſervari præcepit juſſu Pauli V. Cardinalis Verallus Ordinis Minorum Protector 27. Maji 1616. ut teſtatur Lantuſca *in theatr. regular. verſ. caſus, ſeu lis num.* 2. Hoc autem decretum fundatur in jure communi, juxta quod omnes mutationes, & ſententiæ prolatæ in limine Capituli præſumuntur factæ ad fraudandam futuram electionem, ut advertunt Caſtellin. *de elect. canon. cap.* 13. *num.* 14. & Pelliz. *in man. Regul. tr.* 9. *cap.* 2. *ſect.* 2. *num.* 8.

Secus autem dicendum eſt in caſu dilapidationis re- 11
rum, & in aliis delictis commiſſis in officio. In his enim caſibus, pendente inquiſitione, procedi poteſt ad removendum Officialem ab adminiſtratione juxta prædictam diſtinctionem Bartoli *in cit. l. libertus, §. Libertus*, quam ſequitur Conſilium Neapolitanum apud Vincent. de Franch. *d. deciſ.* 8. *num.* 1. *&* 4. Quod etiam comprobat *d. cap. qualiter, & quando num.* 74. ibi: *probata tamen ſuſpicionem dilapidationis, in aliis verò judiciis, ſecus de accuſat.*

Antequam igitur procedatur ad remotionem ab ad- 12
miniſtratione vocandi ſunt electi, ut ſe defendere poſſint ad formam *d. c. qualiter, & quando* per hæc verba: *Et exponenda ſunt ei illa capitula, de quibus fuerat inquirendus, ut facultatem habeat defendendi ſeipſum.* Ad quem textum DD. omnes, præcipuè Fagn. *num.* 50. ibi: *aut fit inquiſitio, ut ab adminiſtratione removeantur*, & latè comprobat Vermigliol. *conſ.* 368. *num.* 1. Quia cùm agatur contra Prælatos, qui ſunt poſiti tanquam ſigna ad ſagittas, & propter juſtitiam, & morum correctionem ſoleant frequenter incurrere odium multorum, contra eoſdem requiruntur probationes majores, quàm contra alios, ut animadvertit Bald. *in l. obſervare ff. de offic. Proconſ.* Pariſ. *de ſindic. verſ. Probat. §. contra Officiales num.* 6. Maſc. *de probat. tom.* 2. *concl.* 957. *num.* 28. *& tom.* 3. *concl.* 1254. *num.* 18. Rodriq. *tom.* 3. *q. reg.* 77. *art.* 4. Fagn. *loc. cit. n.* 22. *&* 48. & aliique communiter.

Idque etiamſi verſaremur in quocunque notorio, ſi 13
reus eſt abſens. In hoc etiam caſu requiri citationem, teſtatur Clar. *in prax. §. fin. qu.* 9. ubi prudenter admonet Judices, ut in hujuſmodi notoriis cautè procedant, ne ſeipſos involvant, nimis properando, aitque Eccleſiaſt. *c.* 11. *v.* 7. *Antequam interroges, ne vituperes quemquam, & cùm interrogaveris, corripe juſtè.* Ideòque ſemper reus citandus eſt, audiendusque, an aliquam excuſationem pro ſe adducere poſſit, velitve, *Clement. Paſtoralis*, §. *Cete-*

§. *Cæterum de re judic.* cum aliis per Farinac. *quæſt.* 39. *num.* 32. qua de re nos alibi fuſius.

CONSULTATIO XXIV.

1 *An viſitator, ac Præſes Capituli Regularium eligi poſſit in Vicarium Provincialem, & electio inde ſequuta ſit valida?*

2 *An privatio vocis activæ, & paſſivæ fieri poſſit poſt allegationem ſuſpicionis, ſive poſt probatas cauſas, & latam ſententiam per Arbitros, & electio inde ſequuta ſit valida?*

3 *An Capitulum intimatum pro certa die differri poſſit?*

4 *An interpoſita inter Regulares appellatione, ſubrogari poſſint aliqui in loco aliorum, & electio item ſic facta ſit valida?*

5 *An viſitator procedere poſſit ad Capitulum Provinciale, contemptis aliquibus, ſuffragio privatis, qui appellaverant, & inſiſterant admitti, & electio inde ſequuta ſit valida?*

1 AD 1. Negativè. De jure enim communi prohibetur eligere in Vicarios Provinciales hujuſmodi Præſides, & viſitatores, ut per Mirand. *in man. Præl. tom.* 2. *qu.* 22. *art.* 7. Caſtell. *de elect. cap.* 13. *diff.* 3. *a num.* 18. Donat. *in pr. rer. regul. tom.* 2. *tr.* 2. *qu.* 27. Nam propter authoritatem Præſidis, electio non poſſet eſſe libera. Aut enim donis, aut minis, aut pretio, aut precibus, aut fraude, aut dolo ſuffragia ſubditorum facilè corrumpere poſſet. Ideòque hujuſmodi electiones prætumendæ ſunt in foro exteriori violentæ, maliſque artibus extortæ. Ut proindè Sacra Congregatio ſuper Epiſcopis, & Regularibus has electiones irritas declaret.

2 Ad 2. Pariter negativè, idque ſubjacet vitio nullitatis, Rota in *Anglon. territorii* 13. Junii 1650. coram Meltio. Præſertim in Judice delegato, contra quem ſatis eſt ſola allegatio ſuſpicionis, Gloſ. *in l. apertiſſimi, ff. ad Trebell.* Scacc. *de judic. lib.* 1. *cap.* 66. *num.* 13. & in terminis Regularium, Ghisler. *de judic. regular. cap.* 14. *n.* 41.

3 Neque obſtat, quod ſuſpiciones poſſunt contemni. Quia viſitator regularis non poteſt allegari ſuſpectus. Nam id locum non habet, quando viſitator aſſumit partes Judicis, ut in ſpecie diſtinguunt Ghisler. *loc. cit. n.* 44. Barboſ. *de poteſt. Epiſcop. alleg.* 73. *num.* 38. Lezana *in ſumm. tom.* 4. *verſ. recuſatio Judicis num.* 7. & *verſ. viſitator regularis num.* 13. Porrò cauſæ de novo emergentes, ut negatio defenſionum, non admiſſio exceptionum, & ejuſmodi alia præbent locum ſuſpicioni, ut præ cæteris tradit Ghisler. *d. cap.* 14. *num.* 24.

4 Ad 3. Etiam negativè, hoc eſt non poſſe differri, niſi de conſenſu Capitularium, alioquin devolvitur ad ſuperiorem proximum Capituli, ut probat Sylveſt. *in ſum. v. electio* 1. *qu.* 7. *num.* 8. & *ſeqq.* Mirand. *tom.* 2. *man. qu.* 13. *art.* 4. *concluſ.* 4. Donat. *loc. cit. tr.* 3. *qu.* 6.

5 Ad 4. Item negativè. Nam inter Regulares appellatio admitti debet ad utrumque effectum, quando ſententia eſt ſuper privatione, vel alia materia gravi, quemadmodum ex Sanchez, Peyrino, & aliis advertit Lezana *in ſumm. tom.* 1. *cap.* 9. *num.* 7. & *tom.* 3. *verſ. appellatio num.* 4. Ghisler. *ibid. cap.* 15. *num.* 44. Ideòque electio inde ſequuta irrita eſt, cùm ſint appellatione pendente ſubrogati alii loco Patrum privatorum, contempta recuſatione. Contemptus enim Concilii Diſcretorum inducit nullitatem actus per text. *in cap. Cùm in veteri de elect.* ac probat Oſtien. *in ſumm. cit. de his, quæ fiunt a Præl. ſine conſ. Capit. num.* 2. ac Felin. *in cap. ex parte num.* 1. *de conſtit.* Et quod proceſſus ad ulteriora poſt recuſationem cauſæ non ſolùm indicat nullitates, ſed etiam reddat attentata omnia inde ſequuta, inquit Gloſſ. Margin. *in cap. quoniam, verſ. recuſationem de probat.* Lancellot. *de attent. part.* 2. *cap.* 6. *num.* 8. Rota apud Verall. *deciſ.* 68. *num.* 1. & coram Buratt. *deciſ.* 368. *num.* 2. Præſertim quando recuſatio non eſt frivola, ſed facta juſtis de cauſis ab Arbitris approbatis, quæ ſolemnitas non eſt neceſſaria in Judice delegato, ut ex Ghisler. *d. cap.* 14. *num.* 41.

6 Quare cùm hujuſmodi privationes non ſint validæ, non poſſunt loco Patrum privatorum ſubrogari alii. Ob reverentiam enim Sedis Apoſtolicæ nihil eſt, appellatione pendente, innovandum, ut in ſpecie de electione alterius, quod pendente lite, vel appellatione, ſit attentata, decernit textus in *c.* 1. *ut lit. pendent. in* 6. ibique tradunt Doctores communiter. Et quod etiam in dubio, an ſententia privationis, aut inhabilitatis ſuſpendat, ſit ob reverentiam abſtinendum a quacunque innovatione, inquit Gloſſ. *in cap. Quamvis, verſ. ſed quod in dubio de elect. in* 6. & probant Navar. *conſ.* 8. *eod. tit.* Samuel. *de elect. tract.* 2. *contr.* 6. *num.* 8. & 9.

Eoque præſertim, ſi appellatione pendente, admiſſi fuerint ad ferendum ſuffragium alii Patres nulliter electi a Diffinitorio. Quod ſanè inducit nullitatem electionis, cùm non ſit in poteſtate Præſidis admittere illos, qui non ſunt de corpore ipſius Capituli, *per textum in cap. quia propter*, ibique Barboſ. *num.* 28. *de elect.* ſolumque Doctores dubitant, an ad congreſſum Capitularem admitti poſſint aliqui de jure non vocandi, quando accederet omnium Capitularium conſenſus; ſecus autem ſi aliquis diſcrepet: Et hanc circumſtantiam interventus unanimis conſenſus omnium de neceſſitate requiri, poſt Navarrum, Paſſarellum, ac Peyrinum, tradit Pelliz. *in man. tom.* 2. *tr.* 9. *cap.* 8. *ſect.* 1. *num.* 27. & *ſeqq.* 7

Non obſtat id, quod aliqui ajunt, appellationem inter Regulares non ſuſpendere. Nam contrarium aſſerunt Doctores citati. Quinimmò hæc objectio magis comprobat nullitatem electionis. Si enim appellatio operatur devolutionem, utique non poteſt Præſes novos miniſtros in locum privatorum eligere, antequam in devolutivo cauſa pendens terminetur. Maximè quia damnum privatorum ſuffragiis eſt irreparabile, cùm in proximo futuro Capitulo eorum officium ceſſet, ut ad effectum appellationis, etiam in materia inappellabili, & contra rem judicatam ponderant Lancellott. *de attent. part.* 2. *cap.* 18. *num.* 40. Odd. *de reſtitut. in integr. quæſt.* 43. *nu.* 17. & Scacc. *de appellat. quæſt.* 19. *remed.* 2. *num.* 73. & 75. 8

Ad 5. Similiter negativè, & hujuſmodi Capitulum eſſet irritum ex certo juris principio, quod ſcilicèt vocalis privatus, ſi appellaverit, non poteſt contemni, ſed eſt admittendus, ut in hac ſpecie Navar. *d. conſ.* 8. *lib.* 1. *de elect.* Samuel. *eod. tit. tract.* 2. *contr.* 6. *num.* 8. & 9. ubi alii. Contemptus enim inducit inſanabilem nullitatem per textum *in cap. bonæ memoriæ* 2. *in cap. Venerabilem, §. Objectioni de elect.* & *in cap. Quod ſicut*, & *in cap. coram eod. tit.* traduntque Lavor. *var. lucubr. tit.* 4. *cap.* 17. *num.* 13. ac Pelliz. *loc. cit. d. cap.* 8. *ſect.* 1. *num.* 24. 9

Ac itaut non excludat contemptum, ſententia privationis, cùm fuerit nulliter lata, pendente recuſatione, & ſic tanquam attentata, nullius eſt momenti. Præcipuè ſi ab eadem ſententia fuerit appellatum, quæ appellatio, quamvis aliàs ſecum traxiſſet exequutionem, debet tamen effectum ſententiæ omninò ſuſpendere, ac interim vocalis contemptus admittendus eſt, ut per textum *in cap. venientes de jurejur.* probant Sigiſmund. de Bonon. *de elect. dub.* 94. *num.* 5. & Lavor. *d. tit.* 4. *cap.* 21. *num.* 78. Firmantque Doctores ſuperiùs adducti, etiam in dubio poſt appellationem non eſſe innovandum. Quibus addo in his terminis Peyrinum relatum a Pelliz. *eo capit.* 8. *ſect.* 1. *numero* 29. dicente, quod ſi inhabilitas ſit aliquo modo dubia, non poteſt aliquis contemni. Unde non poteſt procedi ad aliam electionem, donec terminetur ſecunda inſtantia, ut cavetur *in cap. Conſideravimus, de electis*, & dicitur de facto attentatum præſumptum, quicquid ſit poſt appellationem a ſententia ſuper electione, *cap. ſi poſtquam de elect. in* 6. Seraph. *dec.* 598. *num.* 2. & *ſeqq.* maximè ſi in contemptu appellationis poſt factam ſecundam electionem, *cap. concertationi de appellat. in* 6. Itemque nulla eſt etiam electionis confirmatio, Rota *deciſ.* 119. *num.* 1. & *ſeqq. par.* 3. *rec.* Ac præcipuè quia Judex delegatus, etiam poſt rem judicatam, poteſt quidem exequi ſententiam in quantum loquitur. At ſi factum aliquot de novo fieri debet, nulliter procedit, ſi ab eo fuerit appellatum, Achill. *dec.* 4. *num.* 7. & *ſeqq. tit. de ſent. excomm.* Put. *dec.* 270. *lib.* 3. 10

Ac ita etiam, ut non ſuffragetur, quod in favorem illorum, qui fuerunt electi, ſuffragia ſupereſſent. Nullitas enim non fundatur in defectu unius, vel alterius ſuffragii, ſed in contemptu ejus, qui de jure vocandus eſt. Si namque ipſe opponat, de contemptu, & cauſam proſequatur, electio, quamvis non ſit ipſo jure nulla, eſt tamen annullanda, licèt unus tantùm contemptus fuerit, cùm plus obſit contemptus unius, quàm contradictio multorum, ut inquit textus *in cit. cap. bonæ memoriæ*, ibi: *Tum quia inventus eſt fuiſſe contemptus, licèt unus ſolus extiterit, cùm plus in talibus conſueverit contemptus unius obeſſe, quàm contradictio multorum.* Quod fuit innovatum *in d. cap. Venerabilem d. §. objectioni eod. tit.* cujus hæc ſunt verba: *Pateat eos perperam proceſſiſſe, cùm electioni plus contemptus unius, quàm contradictio multorum obſtiſtat, cap. quod ſicut, §.* 2. & *cap. venerabilem eod. tit.* ac docent Caſtell. *eodem argum. cap.* 8. *num.* 1. Lavor. *var. elucubr. tit.* 4. *cap.* 17. *num.* 13. Tambur. *de jur. Abb. diſp.* 15. *quæſt.* 3. *num.* 2. & 3. ac Rota *dec.* 36. *num.* 1. *part.* 6. *recent. ac l. ſi tres, ff. de arb.* & *l. ſi duo, ff. de re judic.* 11

CONSULTATIO XX.

An, & quatenus Electores excusari possint in eligendo excommunicatum, & electio sit valida? Ubi de exequutione Brevium Apostolicorum.

1 IN hac re certum omninò est, quod declarati excommunicati tempore electionis, nequeunt ferre suffragia in Capitulo per *text. in cap. fin. de Cleric. excommun. ministr. & in cap. constitutus de appell.* ubi Glos. *vers. excommunicationis*, ubi Canonistæ communiter, ac Rota *dec. 5. post med. de concess. præb. in nov.* Dec. *cons.* 522. *num.* 1. Atque adeò electio est irrita.

2 Neque excusantur eligentes, si allegarent ignorantiam a pœna nullitatis electionis. Nam hæc eis non præjudicat, sed electio, ut explicat Glos. *in dict. cap. fin. vers. scienter*, Ostien. *numer. 5. ad med.* Butr. *num.* 16. aliique Bias. *de elect. part. 2. cap. 1. numer. 1.* Covarruv. *in cap. Alma mater part. 1. §. 7. num. 3.* Suarez *de censur. disp. 13. num. 3.* Avil. *par. 2. cap. 6. disp. 5. dub. 1. conclus. 1. in 1. notab.* Alter. *de cens. disp. 6. lib. 2. cap. 2.* Sayr. *eod. tr. l. 2. cap. 16. n. 8.* Garz. *de benef. p. 7. c. 13. n. 28. & seqq.*

3 Idque procedit non solùm in beneficiis, sed etiam in officiis, vel Dignitatibus Ecclesiasticis temporalibus, quæ habent exercitium jurisdictionis, ut post alios tradit Garz. *d. cap. 13. num. 22. & 23.* & de electione Regularis in superiorem loquitur Dec. *d. cons. 523. num. 1.*

4 Probatur autem aliquis excommunicatus per declaratoriam, & absolutio ab excommunicatione probanda est concludenter, sufficitque danti de nullitate electionis probare, quod aliàs electus fuit excommunicatus, ut in terminis firmavit Rota *decis. 11. de probat. in antiquis.* Ac ita quidem, ut non suffragetur absolutio superveniens, sed requiritur specifica tempore electionis, vel antea, nec superveniens potest electionem irritam convalidare, ut in his terminis tradunt Navar. *in manual. cap. 27. n. 11.* Avil. *d. dub. 1. concl. 1.* Covar. *d. §. 7. num. 2.* Rota coram Chassad. *dec. 1. num. 8. de præb. & in Calagurritana beneficii* coram Sacrato apud Marchesan. *de commiss. part. 3. fol. 111. num. 5.*

5 Nam pro habilitate eligendi attenditur tempus electionis, non tempus confirmationis, *cap. dudum de elect.* ibique Abb. *num. 8.* ac cæteri, & Calder. *cons. 1. num. 3. de elect.* nec satis esset absolutio a Patre Generale obtenta, si censura lata esset ab Auditore Cameræ Apostolicæ, fortassis ob non paritionem literis Apostolicis, ut sæpius contingit, quem adire oportet pro illius absolutione. Vulgaris enim est distinctio, quod a censura generali, lata a jure, quisque potest absolvere, si non sit reservata; a sententia verò, sive a censura particulari, lata a Judice, non potest absolvere, nisi ipse Judex, vel ejus superior. Est communis assertio Theologorum cum S. Thoma *in supplem. quæst. 24. art. 1. in cap. & Canonistarum* nominatim Federic. de Sen. *cons. 16. num. 12.* Covarruv. *in d. cap. Alma mater part. 2. §. 12. numer. 2. & seqq.* & omnium apud Sayr. *de censur. lib. 1. cap. 7. num. 14. & 15.* Quod sanè si toleraretur, actum jam esset de jurisdictione Ecclesiastica, ut per *can. relegantes* 44. 23. *qu. 5.* & Rota *dec. 404. n. 8. & 9. part. 5. rec.*

6 Porrò, ut dicatur paritum Brevibus Apostolicis, nil aliud comprobare opus est, nisi quod fuerint exequutioni demandata absque eo quod altera pars liti cedere teneatur, vel promittere discessum a molestiis, ut doctè fuit a Rota decisum apud Mohedan. *decis. 9. in fin. de sentent. & re judic.* & consultum quod ita in posterum in ejusmodi dubiis decidi deberet, eamque decisionem sequuta est Rota in Tullen. Monasterii 5. Julii 1608. coram Sacrato, quæ est *dec. 194. num. 1. part. 3. recent.* ubi quod dum Provisus Apostolicus vigore Brevis possessionem adeptus fuerat, hoc sufficere dixit pro paritione. Idemque sentiunt Veltr. *in prax. lib. 8. c. 3. num. 10.* & Rub. *in singul. part. 4. claus. 522. num. 24.* Quia clausula, *parito*, supponit contradictionem, & appellationem a Brevi, quæ propterea per eam non impeditur, solumque suspenditur audientia, donec constiterit de exequutione, ut inquit Gonzalez *ad regul. Cancell. in adnot. contra nullit. num. 247. cum seq.* ac Rota coram Cavaler. *decis. 483. num. 9. & 10.* Immò permissam esse protestationem, quæ præservet jura protestantis post exequutionem Brevis, dixit Rota *in Oscen. Parochialis 17. Novembris 1620.* coram Pamphilio.

7 Quod eo magis procedit, dum agitur de materia, in qua non est locus restitutioni fructuum, vel expensarum, quæ regulariter præcedere debet adhoc, ut censeatur huic clausulæ satisfactum, sufficitque, quod Breve ad id non obliget, ut firmat Rota coram Buratto *dec. 646. num. 4. & in d. Oscen. §. minus obstant, & in Tolivien. beneficii 10. Martii 1623.* coram Ubaldo, *& in Leodien. hæreditatis 9. Junii 1656.* coram Dunozetto.

De exequutione autem constare poterit in hoc casu 8
ex attestationibus juratis plurium virorum gravium, qui de visu asserant fuisse celebratum Capitulum, & Prælatum in Brevi nominatum, possessionem iniisse, & hanc rationem potissimum in testibus attendi deducitur ex text. *in cap. cum causam* ibi: *visu, auditu, de testibus*, & tradunt Doctores, quos sequitur Farinac. *quæst. 70. num. 127. & 129.* ubi quod ratio per sensum visus est concludentior quocumque alio. Ita quidem, ut non officiat quod fides sit extrajudicialis. Quia dum est verisimilis, & adminiculata, jure meritoque attendenda est, ut per Rotam coram Buratto *decis. 306. num. 6. & decis. 260. num. 4. part. 5. rec. & dec. 592. numer. 18.* in Addit. ad eandem *part. 5. & dec. 24. num. 18. part. 6.*

Eòque facilius admittendæ sunt attestationes extraju- 9
diciales, si nulla fuerit adhuc lis introducta, ut dixit Rota coram Buratto *dec. 827. num. 4.* Ejusque pendentiam præcipuè derogare earum fidei, dixit etiam *in Bononien. Fideicommissi* 18. Maji 1648. coram Meltio. Si causa vertatur inter Regulares, in quibus non attenditur juris rigor, & cognoscitur in Sac. Congregatione, in qua non proceditur servata forma juris, ut habetur in Constitutione Sixti V. super ejus erectione, & observata a Lezana *in sum. vers. Congregatio num. 15.* Vel si denique ex facto Judicis nimis parti adversæ suspecti, non possint haberi acta Capitularia. Unde illi hoc imputandum est, ad cujus instantiam tanquam interesse habentis præsumendum est, hujusmodi impedimentum provenire ex adductis in Rota in Gandaven. exemptionis 22. Junii 1648. coram Celso, & in Pampilonen. decimarum 12. Junii 1649. coram Arguelles.

CONSULTATIO XXI.

1 *An, & quatenus qui transit ad secundam Religionem, si velit adducere causam nullitatis suæ professionis, audiri amplius possit absque eo quod redeat ad primam Religionem?*

2 *An saltem audiri possit extra primam Religionem?* &

3 *An tempus Novitiatus, in quo aliquis dispensatur ad duos, vel tres menses incipiat a die obtentæ dispensationis, an a die, quo Novitius admittitur ad Novitiatum in Conventu per dictam dispensationem assignato?* &

4 *An Sacra Congregatio super Episcopis, & Regularibus possit concedere licentiam Regularibus transeundi ad laxiorem Religionem?*

AD 1. Negativè. Quia Concil. Trid. *sess. 25. de Regul.* 1
cap. 19. apertè disponit, quod Regularis sponte discedens prætextu nullitatis suæ professionis, habitu dimisso, sive retento, nullatenus admittatur ad audientiam, sed ad Monasterium redire cogatur. Et ideò Regularis, qui sæpius requisitus recusavit redire ad suam primam Religionem, non est amplius audiendus super opposita nullitate professionis. Quia verba illa, *nullatenus ad audientiam admittatur*; quæ respectu sponte revertentis intelliguntur, donec redierit, sunt respectu non regredientis de bono, & æquo intelligenda, ut sonant, quod scilicet in pœnam perpetuò remanere debeat exclusus ab audientia, prout ita distinguit post Suarez, Castropal. *de suscept. relig. stat. disp. 2. punct. 7. num. 7. tom. 3.* Nam quod hæc conciliaris dispositio locum habeat, etiam contra transeuntem ad aliam Religionem, sive revertentem ad primam, a qua fuit legitimè translatus, non videtur hæsitandum. Quia, licèt transiens ad aliam Religionem, non dicatur deserere Religionem in genere, seu institutum, vis tamen, ac ratio Concilii non consistit in recessu a Religione in genere, sed in recessu a Religione in specie. Quia mens Concilii fuit specialiter providere Religioni, ne privetur jure suo prætextu nullitatis professionis. Porrò longè differt simplex recessus a Religione a pertinaci recusatione redeundi post monitionem. In primo enim casu, si habitu resumpto, redeat, potest audiri super nullitate, professionis. In secundo autem casu ratione majoris contumaciæ nullatenus audiri debet, ut probat Suarez *tom. 3. de Relig. lib. 7. cap. 3. num. 14.* & Castropal. *loc. cit.*

Ad 2. Esto, quod sit audiendus, audiri tamen non po- 2
test extra suam primam Religionem, non solùm quia resistit Concilium, sed etiam jus commune. Nam professus propria authoritate ingrediens aliam Religionem, aut est Apostata, ut post novissimas Summorum Pontificum Constitutiones fusè tuetur Castropal. *de vot. Relig. obed. disp. 4. punct. 16. numer. 7. lib. 3.* Aut saltem est fugitivus, & competunt contra eum remedia juris, ut omnes admit-

admittunt, præcipuè Sanchez *in summ. lib. 6. cap. 8. num. 9.* Ricciul. *de jur. person. lib. 8. cap. 3. num. 3.* post Gloss. *in cap. ex parte 10. de temp. ordin.* Layman. *lib. 2. theol. moral. tract. 1. cap. 16. num. 1.* & est etiam excommunicatus, ut de magis communi docet Sylvest. *verf. excommunicatio 9. num. 54. & verf. Religio 4. quæst. 4.* Navar. *in manual. cap. 27. num. 131.* Azor. *instit. moral. lib. 12. cap. 13. quæst. 3. & cap. 14. quæst. 10. & cap. 17. quæst. 11. tom. 1.* Suarez *de censur. disp. 23. sect. 24. num. 32.* Castropal. *loc. cit. num. 9.* Atqui certum est neque Apostatam, seu fugitivum audiri posse, nisi revertatur, Gl. *in cap. intelleximus, verf. curam de ætat. & qualit.* Laym. *d. num. 1.* Neque excommunicatum, nisi respiscat, *cap. pia de except. in 6.* Avil. *de censur. disp. 7. cap. 6. part. 2.* & Layman. *lib. 1. tract. 5. part. 2. cap. 2. num. 14.*

3 Præterea si non esset Apostata, neque fugitivus, neque excommunicatus, & locum haberet Concilium, immò etiam licitè transiisset ad secundam Religionem, teneretur nihilominus redire ad primam ad effectum reddendi rationem suæ administrationis, si rerum sui Monasterii administrator fuerit, per textum *in leg. Interdum 16. ff. de publ. & vectigal.* quem notans adducit Mugnoz *de ratioc. cap. 3. num. 5.* cujus dispositio procedens in servo, rectè applicatur Religioso, qui servo æquiparatur, Dec. *in cap. decernimus num. 79. de judic.* cum aliis hujusmodi.

4 Lite igitur pendente super nullitate suæ professionis, debet Regularis restitui Monasterio, quod fuit illicitè spoliatum sua professione ante legitimam declarationem justitiæ transitus, Sanchez *in decalog. lib. 6. cap. 7. num. 100. & seqq.* Ratio quippè, ob quam Concilium præcipit, ne professus audiatur super nullitate professionis, nisi habitu resumpto, hæc potissimum est, ne scilicet, lite pendente, Religio privetur jure suo.

5 Ad 3. Respondeo, tempus hoc incipere a die admissionis ad Novitiatum. Quia cùm dispensatio removeat obicem Apostolicarum Constitutionum quoad tempus, & locum, de cætero est intelligenda, prout de jure, ut per Bartolum, & Doctores *in l. 1. sub init. ff. de leg. falc.* traditque idem Bartol. *in l. omnes Populi, quæst. 6. ff. de just. & jur.* De jure autem tempus probationis incipit ab eo momento, quo Novitius admittitur ad probandas difficultates Religionis, ut disertè Suarez *tom. 3. de Relig. lib. 5. cap. 13. num. 6.* Castropal. *de essent. Relig. stat. disp. 1. punct. 12. §. 3. num. 1. tom. 3.* Et non est necessarium quod Novitiatus peragatur in aliquo certo Monasterio, immò etiam extra Monasterium peragi valet juxta receptiorem sententiam, quam ex mente Sacræ Congregationis probat Navarrus *lib. 3. consil. titul. de Regular. cons. 41. & 42. aliàs 31.* Azor. *loc. citat. lib. 12. capit. 2. quæst. 8. par. 1.* Leff. *de just. & jur. lib. 2. cap. 41. dub. 7. num. 59.* Suarez *l. 5. cap. 14. num. 13.* Sanchez *lib. 5. summ. cap. 4. numer. 27. & 28.* Castropal. *loc. citat. §. 4. num. 2. ac 3.* Et satis est, quod contrarium non sit expressè cautum dispensatione, & quod aliquo modo hanc possit recipere interpretationem ad hoc, ut professio sustineatur, ut in terminis similis dispensationis est decisio prima de rescriptis apud Achillem, ubi dicitur, quod quamvis dubitari posset, an forma rescripti in emissione professionis esset præcisè servata; quia tamen modus servatus poterat saltem comprehendi secundùm latam significationem, fuit responsum pro validitate, consultis Dominis de Pœnitentiaria, a quibus rescriptum emanaverat, subdens satis esse declarationem eorumdem concedentium, quod ita etiam fuissent concessuri. Hanc declarationem posset S. Congregatio facere in casibus, quatenus opus esset ad tollendum lites inter Religiones, favendo professioni, pro qua in dubio est judicandum, Navarr. *cons. 13. num. 10. de Regul.* Sanchez *de matrim. lib. 7. disp. 37. num. 12.* ac Seraph. *dec. 1361. in fine.*

6 Cessaretque omnis dubitatio in casu, quo licèt professio expressa esset nulla, esset tamen tacitè convalidata per delationem habitus professorum per plures annos, cùm ad hunc effectum delatio annalis sufficiat, Honded. *cons. 78. num. 18. lib. 1.* Gratian. *cap. 640. num. 20.* Menoch. *præsumpt. 83. num. 25. lib. 6.* Rota *dec. 529. num. 2. par. 1. rec.* Et validiùs per exercitium activum, ac præcipuè per administrationem officii, quod per solos professos potest administrari, ut per Cyriac. *controv. 311. num. 13.* Achill. *decis. 11. de probat.* Bellam. *dec. 76. num. 2.* Rota *dec. 216. num. 19. part. 2. divers.* quæ loquitur in specie revalidationis.

7 Nec dicatur, quod ad validandam professionem requiratur quinquennium ob præsumptam ignorantiam nullitatis, quæ excludit intentionem ratificandi, ad tradita per Sanchez *de matrimon. d. lib. 7. disp. 37. num. 10.* & per Rotam coram Emerix a me relatum *tom. 9.* Nam id ad summum posset procedere, si regularis non impetrasset dispensationem, & ignorasset factum, cujus ignorantia præsumitur, vel esset minor, in quo cadit probabilis ignorantia juris. Secus autem si qui dispensationem impetraverat, non sit minor, sed professus quamplurium annorum Sacerdos, Confessarius probè versatus in hujusmodi rebus; tunc enim ignorantia nullitatis, si quæ sit, excluditur ex qualitate personæ, Menoch. *præsumpt. 23. num. 15. lib. 6.* Bellam. *decis. 693. num. 2.* & tollitur etiam ex verbis suæ professionis, ibi: *Ex certa scientia, & spontanea voluntate.* Et sic locum non habet limitatio superiùs adducta, quæ sanè hodie non est tuta, eamque non amplectitur Sacra Congregatio Concilii, sed contrarium censuit, ut in declarationibus relatis in *Meten. professionis 7.* Junii *1636.* coram Carillo, quæ est tertia apud Tambur. *de jur. Abbatiss.* ubi quod Urbanus VIII. hujusmodi declarationes observari mandavit 1. Februarii *1637. in Romana nullitatis professionis*, & fuit etiam firmatum in Ulyssiponensi professionis 17. Maji *1641.* coram eodem Carillo, ubi etiam latè ostenditur ad hujusmodi revalidationem non requiri novam acceptationem Religionis. Quia Pontifex, tanquam supremus Religionis Prælatus, censetur id supplere ex doctrina Sanchez *d. disput. 37. num. 64.* Qua de re nos alibi sæpè.

Ad 4. Negativè respondendum videtur ex Sixto V. in Congregat. 11. pro Consultationibus Regularium, ibi: *Concedimus etiam, ut dictis Regularibus non ad laxiorem, neque ad parem, sed ad arctiorem Religionem transeundi dari possint licentiam.* Unde Bonac. *tom. 1. de claus. prop. 2. num. 12. part. 3.* inquit: *Multi Doctores existimant neque Summum Pontificem licitè posse absque justa causa facultatem Religioso concedere transeundi ad Religionem æquè arctam. Quia non potest in foro conscientiæ derogare juri acquisito Religioni, nisi id faciat ex causa.* Causas adducit *num. 13.* additque *num. 14.* neque Summum Pontificem posse in foro conscientiæ licentiam transeundi ad laxiorem Religionem concedere sine justa causa. 8

At verò affirmativè respondendum censeo. Quo autem ad Constitutionem Sixti, illa intelligitur, quod Sacra Congregatio non possit hujusmodi licentiam concedere sine causa. Tunc enim solus Pontifex illam concedere potest. Si enim cum causa possunt Prælati inferiores Papa illam concedere; ergo multò magis Sac. Congregatio, ut per Sanchez *in decalog. d. cap. 7. conclus. 7.* ubi Navarrus, Azorius, & alii. 9

CONSULTATIO XXII.

Ad validitatem electionis Canonicæ Regularium quot suffragia de jure communi requirantur?

CErta omninò regula est, quod ad validitatem electionis Canonicæ non sufficit habere majorem partem suffragiorum respectu minoris, sed necessariò requiritur major pars respectu Capituli juxta doctrinam Abb. *in cap. Ecclesia vestra de elect.* Tambur. *de jur. Abbat. tom. 1. disp. 5. quæst. 6. num. 24. & 27.* Add. ad Buratt. *decis. 809. num. 10.* ac plenè Barbos. *de Canon. & dignit. cap. 30. num. 10.* ut proindè electio, quæ est quidem major respectu minoris, dum alter, exempli causa, quindecim obtinuerit suffragia, alter quatuordecim, sed minor respectu totius Capituli, si omnes vocales fuerint triginta, nullatenus valida sit. 1

Nec obstat, si dicatur, non esse audiendos illos, qui in actu electionis non contradixerint. Nam si electio est nulla ex Capituli consensu, quod importat substantiam, & operatur nullitatem ipso jure, ut inquit Rota post Tambur. *loc. cit. tom. 3. decis. 22. num. 4.* ratificatio deducta ex non contradictione post publicatam electionem non habet locum. Quia electio a principio nulla, nequit per supervenientem consensum ratificari, ut tradit Lavor. *var. elucubr. tit. 4. cap. 19. num. 113.* 2

Præterea non data scientia nullitatis, impossibile est dari consensum, qui suffragetur. Hinc, etiam electione sequuta cum consensu omnium, licitum est reclamare ex defectu, & causa noviter emergente, ac priùs electoribus ignota, ut expressè statuitur *in cap. nulli licere de elect. in 6.* & firmat idem Lavor. *dict. capit. 19. numero 115. & 118.* Si igitur Electores ignoraverint quot suffragia alter habuerat, & statim ac veritatem facti resciverit, reclamarunt, appellaruntque, non potest prætendi tacita ratificatio, sive approbatio ex non reclamatione. 3

Minus obstat, quod id probari non possit, quia scrutatores ob juramentum præstitum de fideliter suum munus exercendo, nequeunt deponere adversus id, quod publicarunt. Nam id probari poterit ex Præside Capituli, De jure enim officium Præsidis consistit in discernendis, 4

ac judicandis acti, Capitularibus, præcipuè quoad ſuffragia, ut probat Lezana *in ſumm. quæſt. regul. tom. 4. verſ. Præſes Capitulorum.* Probari etiam id poterit ex ipſis ſcrutatoribus, ſi revera non juraverint. Quod patebit ex actis Capituli, qui eſt modus probandi negativam, Barat. *deciſ. 633. numer. 3.* Addens ad eundem *deciſ. 620. num. 3. lit. B.* Denique ſcrutatores admitti ad teſtificandum, quando aliqui ex electoribus reclamant, & dicunt de non veritate electionis, probat text. *in cap. Cùm dilecti 32. de elect.* his verbis: *Prædicti tres electores juramenti vinculo adſtringantur dicere veritatem, quot ex Canonicis examinationis tempore in præfatum Archidiaconum convenerunt*, ubi Gloſſ. *verſ. ciſi tres*, ait, quod licèt iſti ſuſpecti eſſent, & de facto ſuo quodammodò dicant, admittitur tamen eorum teſtimonium in defectum probationis, firmatque Lavor. *loc. citat. eoque cap. 19. numero 110.*

5 Non obſtat Innoc. *in dict. cap. Cùm dilecti num. 8.* inquit enim, *quod ſi dicerent iſti electores: nos amore, vel pretio decepti, vel ignorantia juris eum contra formam elegimus, non valeret teſtimonium eorum ad probationem infra de teſtib. cap. ſicut, & 14. quæſt. 2. can. fin. ſed hoc intelligitur, quando hoc non dicebant, immò ſe ignorantia, vel alio modo excuſabant.* Quando igitur dixerint ſcrutatores, ac Teſtes conſideraſſe majorem numerum ſuffragiorum reſpectu minoris, non reſpectu totius Capituli, & declaraſſe electionem, ſic ſuadente, ac dicente qui intervenit, valeret eorum teſtimonium.

6 Eademque patet reſponſio ad doctrinam Bellameræ *in citat. cap. Cùm dilecti* in hæc verba; *Solvit Innoc. dict. qu. prædicta non inferunt, quod peccarent, quia potuit eſſe, quod formam ignorabant. Et in fine, bii verò non ſic dicebant, ſed ignorantia, vel alio modo ſe excuſabant.*

7 Hujuſmodi ergo electio eſt irrita, cùm ejus nullitas reſpiciat formam ſubſtantialem electionis, nempè conſenſum eligentium.

CONSULTATIO XXIII.

An, & quatenus major pars Capituli, immò & minor poſſit devenire ad electionem? An ſuffragia abſentium ſupplenda? De legitimatione ſuffragiorum, abſentibus iis, de quorum ſuffragiis agitur. Et an Eminentiſſimi Cardinales Præſidentes Capitulis ferre poſſint ſuffragia? Et quatenus ſecunda electio ſit nulla, & attentata?

1 IN hac re ita cenſeo. Sufficit, quod major pars velit devenire ad electionem, adeòut prætextus abſentium ſit omninò irrelevans, nec tempus prorogari poſſit, Oldrad. *conſil. 122. num. 1. & ſeqq.* Joan. Andr. *de ſpecul. tit. de elect. §. 1. in 2. addit.* Mandag. *eodem tit. cap. 16.* ubi alii, ac Bertachin. *de Epiſcop. lib. 1. part. 3. num. 36. tom. 13. tract. part. 2. fol. 306.*

2 Immò etiam minor pars, ſtante lapſu temporis aſſignati ad comparendum pro facienda electione poteſt devenire ad electionem, non expectatis abſentibus, qui non debent cum ſua negligentia præjudicium inferre præſentibus, qui diligentes fuerunt, Innocent. *in c. Cùm nobis num. 6. de elect.* Caſtren. *in l. ſicut municipii, §. In decurionibus num. 2. ff. quod cujuſcumque univerſitatis nomine*, Angel. *in ſumm. v. electio num. 13.* Armill. *eodem v. num. 6.* Tabien. *v. Item eodem numer. 3.* Navar. *conſil. 6. num. 2. tit. de elect.* Mirand. *in manual. tom. 2. quæſt. 23. art. 5.* Roman. *conſ. 352. num. 15.* & Franc. Marc. *deciſ. 784. num. 1. & dec. 785. num. 5. part. 1.*

3 Nec ſuffragia ſupplenda ſunt, ut docent Doctores allegati, ſed procedendum eſt ad electionem per præſentes, nihilque aliud expectandum, ſuſtulitque hunc prætextum Sacrum Concilium Tridentinum *ſeſſ. 25. cap. 6. de Regular.* prohibendo, ſuppleri ſuffragia. Certum enim eſt, quod non comparentes in tempore, faciunt ſe alienos a Capitulo, *cap. Cùm nobis 15. de elect.* ibique Abb. *num. 3.* ait quoad actum explicandum haberi, ac ſi non eſſent de Capitulo, nec computandi ſunt in numero Capitularium, & ideò nec ſuppleri poſſunt abſentium ſuffragia, etiamſi eſſent impediti, quia ex impedimento aliquorum non debet retardari electio, ſed ſolùm abſentes habentes tunc facultatem conſtituendi procuratorem ad eligendum, *cap. Si quis juſto 56. §. Si autem de elect. in 6.* ibique Gloſſa *v. admitti*, & Franch. *num. 2.* Et in terminis illum Textum Concilii exemplificat in voto abſentis impediti accedere ad Capitulum, Portel. *in dub. regul. part. 2. caſ. 1.*

4 Quod verò ad legitimationem ſuffragiorum faciendam abſentibus iis, de quorum ſuffragiis agitur, id fieri poſſe exiſtimo, quando oritur aliquod dubium ſuper illorum legitimatione, ſecùs quando dubium non excitatur. Præſertim ſi omnes approbarunt, & ſubſcripſerunt admiſſionem vocalium, quo in caſu eam impugnare ampliùs non poſſunt, ut diſponitur *in cap. nulli 8. de elect. in 6.*

Et quod ſuffragium Eminentiſſimorum Cardinalium in Capitulis, illud ferre poſſunt ſi iis præſideant. Habent enim Præſidentes ſuffragium, ut ait Lezan. *part. 2. ſum. cap. 12. quæſt. 12. num. 55.* Maximè ſi pluries ita ſervatum fuerit, adſitque in brevi clauſula *cum facultatibus, & juribus ſolitis concedi Præſidentibus.* Et ſolitum dicitur etiam quod una vice aliàs fuit ſervatum, *l. Mela 14. §. 1. ff. de alim. & cibar. leg.* Caſtr. *conſil. 30. num. 3. lib. 2.* Alex. *conſil. 5. num. 13. lib. 5.* Creſcent. *dec. 1. num. 1. de conſuet.* 5

Quod autem ad ſecundam electionem, regula eſt, quod electio præcedens ubi eſt valida, vel ſaltem non evidenter nulla, ſemper præbet impedimentum ſecundæ, niſi prima fuerit judicialiter declarata irrita, ut decernitur *in c. conſideravimus*, ibique Bellam. *num. 8. de elect.* Lotter. *de re benef. lib. 3. quæſt. 17. num. 110.* cum aliis per Rotam *dec. 210. num. 35. part. 9. rec. tom. 1.* 6

Eſſet etiam ſecunda electio nulla, & attentata propter appellationes antea interpoſitas a majore parte Deffinitorii conſtituentibus, qua pendente, ad novam electionem procedi, abſque vitio attentatorum non poterit ad tradita per Innocent. *in cap. auditis num. 2. de elect.* Rota *d. deciſ. 210. num. 29. & 33. & deciſ. 279. num. 2. part. 9. tom. 1. rec.* cum aliis adductis *in dec. 29. num. 49. & ſeqq. & deciſ. 37. num. 31. ac 32.* coram æternæ memoriæ Alexandro VIII. 7

CONSULTATIO XXIV.

Quinam ſit verus Apoſtata a Religione? Receſſus a Religione quando dicatur temerarius, & habilis ad contrahendam apoſtaſiam? Quid de dimittente habitum ſuæ Religionis ſine ſui ſuperioris licentia, & tranſeunte ad aliam diverſi habitus. Translatio de una Religione ad aliam quando dicatur legitima? Quid de translatione Monialium? Quidve in ea ſit attendendum? Quid etiam de Religioſis Societatis Jeſu poſt emiſſa vota ſimplicia? An liceat Religioni ejicere Religioſum profeſſum tanquam incorrigibilem? An ſi ejectus a Religione, habituque privatus ex juſta cauſa, repetatur a Religione, ſi regularis redire recuſet, ſit apoſtata? Quid de regulari, qui habitum defert ſub veſte? Quænam cauſa id excuſet? Nulliter profeſſus an poſſit ſine crimine apoſtaſiæ ad ſæculum redire?

AD conſtituendum receſſum a ſtatu Religionis duplicem conditionem requirit Calderinus *conſ. 1. de Apoſtat.* Primò, quod Regularis vagus exiſtat, dimittatque habitum. Deinde quod ſi habitum retineat, quantumcunque vagetur, apoſtaſiæ nota maculari non poterit, quaſi quod Apoſtata propriè dici non poſſit, niſi qui ad ſæculum omninò redierit, quod dici non poteſt de eo, qui defert habitum Monaſticum, qui eſt peculiare ſignum Religionis, *cap. Clerici officia de vit. & honeſt. Cleric.* Oldrad. *conſil. 186. num. 12. & ſeq.* Hanc ſententiam ſequuntur Clar. *in pr. crimin. §. fin. quæſt. 78.* Navar. *conſ. 10. num. 6. de Apoſtat.* Bannes 2. 2. *qu. 12. art. 1.* ibique Peſant. *diſp. 2.* 1

Contrariam ſententiam, quod nempè ſufficiat ſolus receſſus a Religione, etiamſi Regularis habitum deferat, probant Soccin. *in cap. 1. num. 2. de Apoſtat.* ibique Abb. *num. item 2.* Anan. *num. 3.* Decian. *in tract. crimin. lib. 5. cap. 73. num. 21. & 25.* Maſchard. *de prob. lib. 1. concluſ. 12. num. 1.* Menoch. *de arbitr. caſ. 546. num. 36. cent. 6.* Jacob. Anton. de Maur. *alleg. 13. num. 1.* & ex Theologis Cajetanus ad dictum D. Thomæ *art. 1.* ibique Valentia, Angel. *in ſumm. v. Apoſtaſia num. 4.* Armilla *eod. v. num. 11.* & Azor. *part. 1. cap. 17. quæſt. 6.* & hæc ſententia magis communis, magiſque recepta videtur. 2

Probatur, quia ſicuti habitus Monachum non facit, ſed profeſſio regularis, *cap. porrectum, & cap. ex parte*, ubi Doctores *de regular. cap. conſuluit*, ibique Ancharan. *num. 1. Qui Cler. & vov.* Bald. *in l. Interdum, §. Divus quoque, ff. de publ.* adeòut valeat profeſſio facta ſine habitus ſuſceptione, *dict. cap. porrectum*, ubi Doctores paſſim, præſertim Abb. *in ſumm. & num. 7.* Ita retentio habitus tantùm non debet facere, aliquem eſſe in Religione, tùm ut æqualiter fiat diſſolutio, & colligatio vinculi, *l. nihil eſt de regul. jur. l. ab emptione, Cod. quando licèt ab empt. diſced. §. Item per acceptilationem, Inſtit. quib. mod. oblig. tollat.* Tùm etiam quia habitus non eſt de ſubſtantialibus, ſed de accidentalibus Monachatus, Abb. *in d. cap. porrectum num. 5. de Regul.* & ante ipſum Butrius *ibid. num. 5.* 3

Quin

4 Quin etiam cùm cætera opera, & præcipuè converſatio ſæcularis, Religioni non congruant, utique habitus delatio videtur magis in Religionis contemptum redundare, ut colligitur ex *cap. Deus, cap. ad decorem*, & *dict. cap. Clerici, officia de vit.* & *honeſtat. Clericor.* & *ex Clem. 2. eod. tit.*

5 In hac re ita diſtinguendum eſt. Propoſita enim hac controverſia in Sacra Rota ſub die 11. Februarii 1555. coram Oradino, poſt maturam diſcuſſionem, tandem conſultis Præſidentibus Sacræ Pœnitentiariæ fuit concluſum, quod ad effectum, ut dicatur contracta apoſtaſia vera, & propria, quæ inferat inhabilitatem ad obtinendum beneficia, requiratur receſſus ſine licentia, & dimiſſio habitus, animo illum amplius non reſumendi, adeòut ſi appareret, habitum eſſe dimiſſum cum voluntate illum reſumendi, non cenſeretur contracta apoſtaſia, quæ infert inhabilitatem, ſed tantùm illa, quæ infert excommunicationem, ut teſtatur Achill. *dec. 1. tit. de apoſtat.* Ex quibus conciliantur adductæ ſententiæ, ut nimirum prima ſententia vindicet ſibi locum in apoſtaſia vera, & propria. Secunda verò procedat in apoſtaſia minus propria, & per quam ſola excommunicatio contrahitur.

6 Diſceſſus autem a Religione ita demum temerarius dicetur, ſi ſit a Sacris Canonibus, vel particularibus Religionis Conſtitutionibus improbatus. Ita colligi poteſt ex *can. nihil 7. quæſt. 1.* & *can. hanc conſuetudinem in fin. 10. quæſt. 1.* Aliàs enim in caſibus a lege permiſſis diſceſſus temerarius dici non poterit, cùm temerè facta dici nequeant, quæ lege permittente fiunt, *l. fin. ff. qui ſatisdar. cog. l. Gracchus*, cùm ibi notat *ad l. Jul. de adult. l. ſancimus ff. de adm. tut.* cum aliis hujuſmodi.

7 Ex hoc infertur primò, quod is, qui intra annum probationis habitum reliquit, & a Religione diſceſſit, nullo pacto Apoſtata reputari poteſt, *cap. conſuluit*, & *cap. penult. de regul.* Lap. *alleg. 46.* & Menoch. *de arbitr. caſ. 546. n. 45.* Quinimmò licitè poteſt ad ordines promoveri, *cap. poſtulaſti eod. tit.* Nec tenetur ſolvere expenſas Monaſterio, Jaſ. *in leg. 1. num. 4. Cod. de ſacroſ. Eccleſ.* Idque non ſolùm ex generali ratione, quod talis diſceſſus non improbetur a Sacris Canonibus, ſed etiam quia Regularis ante emiſſam profeſſionem non dicitur propriè Religionem ingreſſus, niſi quoad beneficium Canonis, *cap. Religioſi, §. Quamvis*, ibique Gemin. & Franch. *de ſentent. excommun. in 6.* Bartol. *in l. 3. num. 4. Cod. ne ſanct. baptiſm.* & *in auth. Ingreſſi num. 56. Cod. de ſacroſ. Eccleſ.* ibique Jaſ. *num. 56.* Bald. *in l. ſi quando, Cod. de bon. vac.* Caſtrenſ. *conſ. 211. num. 2. part. 2.* ac Rimin. jun. *conſ. 477. num. 9. lib. 4.*

8 Ideòque conditio, ſi ingrediatur Monaſterium, non comprobatur ante profeſſionem, Imol. *in leg. In ſubſtitutione*, ubi Jaſ. *num. 12. de vulg.* & *pupillar.* Bero. *conſ. 28. num. 11. ac 12. vol. 1.* & Clar. *in §. Teſtamentum qu. 28. num. 6.* Quod tamen intelligendum eſt, niſi mors ſupervenerit intra annum profeſſionis. Tunc enim profeſſio, veluti dependens a conditione ſucceſſiva, habetur pro completa, ut in caſu, de quo per Surd. *deciſ. 303.* & per Gratian. *deciſ. 25.* Nec hodie facienda eſt diſtinctio, an fuerit ingreſſus animo relinquendi ſæculum, necne, cùm profeſſio facta intra annum probationis, ſit ipſo jure nulla, nullumque penitus pariat effectum, non ſolùm in mendicantibus, quod erat antea ſtatutum in *cap. 1. de Regular. in 6.* Sed generatim in omni, & quocumque Monaſterio tùm virorum, tùm mulierum, adeòut neque obliget ad Religionem in genere, ita diſponente Sacro Concilio Tridentino *ſeſſ. 25. cap. 16. de Regular.* & animadvertunt Navar. *in can. nullam num. 45. 18. quæſt. 2.* & Menoch. *loc. cit. num. 6.*

9 Monendus tamen hic eſt, ut poſtquam ad ſæculum redierit, honeſtam vitam ducat, & in relictæ Religionis memoriam honeſtiores veſtes aſſumat, ut poſt Innoc. & Joan. Andr. illum monet Anania *in d. cap. conſult. num. 4. de Regular.* Decentia ſiquidem habitus extrinſeca, morum intrinſecam bonitatem oſtendit, *Clem. 2. de vit.* & *honeſt. Clericor.*

10 Id tamen non procedit in Monaſteriis Mulierum, quæ Convertitæ vulgò nuncupantur. In his enim ex laudabili conſuetudine, & ex Conſtitutionibus jam olim in earum Monaſteriis præſcriptis, profeſſio fieri ſolet per ingreſſum. Et ideò ſi poſt ingreſſum è Monaſterio recedant, poſſunt veluti profeſſæ revocari, quas Conſtitutiones Sacrum Concilium Tridentinum authoritate ſua firmavit *in cap. 18. in fin. ſeſſ. 25. de Regular.*

11 Deinde infertur, quòd cùm oblatæ Turris Speculorum Urbis non ſint verè Moniales, neque Religioſæ regulares, adeòut ad clauſuram minimè obligentur, ſed ſolùm ſint oblatæ Religioni Sancti Benedicti, oblatione, quæ non facit eas Moniales, ſed quæ reddit eas tantùm obligatas ad obſervandam obedientiam, & ad ſuum peculiarem modum vivendi, approbatum a Sede Apoſtolica, non in vim Religionis, ſed tanquam bonum, ut ex pluribus docet Navar. *conſ. 82. de Regular.* juxta primam impreſſionem, ſi quæ illarum ab obedientia, ſive a Domo quandocumque receſſerit, non poteſt dedecore apoſtaſiæ notari, cùm non ſit receſſus a Religione, ſed ab approbato vivendi modo, qui ſicuti non facit eas regulares, ſic receſſus ab eo non poteſt parere crimen apoſtaſiæ, *arg. l. manumiſſionis, ff. de juſt.* & *jur. l. Deum, ff. de verb. oblig.*

Hinc hujuſmodi oblatæ non includuntur in diſpoſitione, *cap. periculoſo de ſtat. regular. in 6.* neque in diſpoſitione Sacri Concilii Tridentini *ſeſſ. 25. cap. 14. de Regul.* neque in diſpoſitione Conſtitutionum Pii V. & Gregorii XIII. Decernentium, ut Moniales cujuſcumque Ordinis & Religionis exiſtant, perpetuam ſervent clauſuram. De hiſce autem oblatis nos alibi fusè. Idemque dicendum eſt de inſtituto Patrum Congregationis Oratorii, & aliorum ejuſmodi. 12

Tum infertur, quod qui habitum Religionis extra Monaſterium aſſumpſit, quamvis longo tempore illum geſtaverit, poteſt nihilominus mutata voluntate illum dimittere ſine apoſtaſia, ut deſumitur *ex cap. Ut Clerici de Regular.* quatenus præcipit eum, qui extra Monaſterium habitum geſtat, urgendum eſſe, vel habitum dimittere, vel Religionem ingredi, notantque ibidem Oſt. *num. 1.* Abb. *col. 2. ſub initio*, & ante eos Gloſſ. *in Clem. eos, v. aliqua eodem tit.* Calder. *conſil. 5. de Regular.* Felin. *conſil. 29.* Siquidem ex delatione habitus extra Religionem ceſſat tacitæ profeſſionis præſumptio, *cap. unic. de vot. in 6.* Abb. *in cap. 3. de apoſtat.* poſt Innoc. *in cap. porrectum de Regular.* Quinimmò ex hac delatione habitus neque probari profeſſionem, ſcribit Jo: Faber *in dict. auth. Ingreſſi n. 13.* Menoch. *præſumpt. 83. n. 15.* ac Rota *dec. 50. n. 2. p. 1. diverſ.* Quod quidem procedit, etiamſi deferens habitum, fateatur, ſe eſſe ejuſdem Religionis, & gerat ſe tanquam talem, ut per Rotam apud Puteum *dec. 136. lib. 1.* & apud Mohedan. *dec. 1. de præſumpt.* Et ex hac ratione Plumbator in Curia Romana, quamvis deferat habitum, ſive ſcapulare certi coloris, & in collatione officii, quod accipit a Papa, nuncupetur Converſus Ordinis Ciſtercienſis; attamen non dicitur dicti Ordinis Religioſus. Quæ omnia ſine dubio procedunt poſt Concilium Tridentinum, quo cavetur, ut nemo poſſit eſſe verus Religioſus, niſi poſt annum probationis completum, ut *in cap. 15. ſeſſ. 25. de Regul.* 13

Mox infertur, Regularem, qui evitandi periculi gratia dimiſit habitum, dum per loca periculoſa iter agebat, non poſſe Apoſtatam dici, ut probat text. *in d. c. Clerici officia*, ibi niſi juſta cauſa timoris, ibique notant Gloſſ. *v. cauſa in fin. de vit.* & *honeſt. Cleric.* & *in cap. 2. eodem tit. in 6.* ubi etiam Gloſſ. *v. rationabilis*, & eadem Gloſſ. *in cap. 2. v. Clerici*, & *in cap. 4. v. relaxaverit eod. tit.* traduntque Butr. *in d. cap. 3. num. 6. de apoſt.* D. Anton. *in 3. par. tit. 24. cap. 33.* Sylveſt. *in ſumm. v. habitus num. 3.* Soccin. *in cap. 1. num. 5. de Apoſtat.* Afflict. *in Conſtit. Apoſtatantes num. 9.* Decian. *tract. crimin. cap. 75. num. 3.* & Menoch. *de arbitr. caſ. 546. num. 40.* Hinc evitandi periculi cauſa licèt Clerico barbam, & comam deferre, Gloſſ. *in cap. Clericus de vit.* & *honeſt. Cleric.* armaque deferre ad terrorem improborum hominum Gloſs. *in cap. 2.* ibique Anchar. *num. 3. eodem tit.* necnon, & veſtes virgatas, *Clem. 2. eodem tit.* 14

Ad hæc infertur, neque Apoſtatam eſſe dicendum Regularem, qui intra ſepta Monaſterii, non exhibens ſe hominum conſpectui, ſed ut vel commodius ſomnum capiat, vel propter animi levitatem, ut expeditus currat, ludat, vel ſe in balneo, aut flumine lavet, habitum dimittat, aliaque hujuſmodi faciat. In his enim caſibus non ſolùm Apoſtata dici nequit, ſed neque incurrit excommunicationem inflictam *in d. cap. periculoſo*, ut ibi adnotat Jo: Andr. *num. 5.* Franch. *num. 4.* & regulariter quantumcunque habitus, etiam ex laſcivia, relinquatur, ſi non relinquitur animo deliberato illum non reſumendi, non contrahitur apoſtaſia, ut reſpondit Oldrad. *conſil. 202.* in hanc rem edito, ac Rodriquez *tom. 1. quæſt. regular. 30. art. 1.* 15

Infertur item, quod ſi quis ab obedientia, ſive a Religione receſſerit, ſi tamen ſtatim redierit, non poteſt inter Apoſtatas recenſeri ex D. Thoma *2. 2. quæſt. 39. art. 4.* Bald. *in l. 1. num. 19. C. de ædil. edit.* Imol. *conſil. 84. num. 18.* Navar. *in manual. cap. 21. num. 4.* Rodriq. *eod. art. 1.* Facitque quod ait Abb. *in c. ſuper ſpecula n. 9. de Cler. vel Monach.* ubi quod licèt Monachus è claſtro exiens audiendi gratia leges civiles, incidat in excommunicationem, & alias pœnas, ſi tamen poſtquam exivit, mutato conſilio, ſe contulerit ad ſtudium permiſſum, 16

pœnas non incurrit. Quia cùm ad apoſtaſiam conſtituendam requiratur receſſus, utique ille intelligitur de receſſu cum effectu, *cap. relatum de Cleric. non reſid. l. 1. §. hæc verba, ff. quod quiſque jur. l. qui alium, §. docere, ff. ne quis eum, qui in jus cum vulgo aliis.* Quòd dici de eo nequit, qui receſſit, & illicò rediit. Nam hic receſſiſſe minimè videtur *can. divortium*, ubi Gloſs. *de pœnit. d. 1. l. 1. §. Qui præſens, ff. de verb. oblig.* ubi Alex. *in princip.* Bald. *in auth. habita num. 40. Cod. ne fil. pro patr. & in d. l. 1. num. 9.*

17 Hinc ſtatutum puniens fugientes a carceribus, non includit eos, qui fugiunt, & illicò revertuntur, Bald. *in l. 1. Cod. de ſerv. fugit. numer. 27.* ac Plot. *in l. ſi quando num. 883. Cod. unde vi*, & qui conſtituit, fraudare vectigal, & cœpit, ſi deindè ſponte pœniteat, & revertatur, non incidit in pœnam, pro vectigali fraudato conſtitutam, ut tradunt Jo: Andr. *in addit. ad ſpecul. tit. de conſtit. §. 2. poſt num. 8. lit. G.* quem laudat Bertacch. *de gabell. part. 8. num. 1.* Maſchard. *de probat. part. 2. concluſ. 834. num. 26.* Secus verò dicendum eſt, ſi fuga caſu aliquo effectum non habuerit, quia fortè in via caperetur a Superioribus. Tali enim caſu habetur perindè, ac ſi fuga ſuum fuiſſet ſortita effectum, ut notant Angel. *in l. Quid ſit fugitivus §. Idem Cœlius numer. 2. ff. de ædil. edit. & in l. 3. §. & is, qui volens transfugere*, & in aliquem actum proceſſit, capite punitur, perindè ac ſi cum effectu aufugiſſet.

18 Præterea infertur, quod quamvis Regularis vagetur, ſi tamen redeundi animum habuerit, non erit Apoſtata, ut docet D. Anton. *in ſum. part. 2. tit. 12. cap. 6.* Sylveſt. *v. apoſtaſia, verſ. quartò quæro*, Tabien. & Piſanell. *eod. v.* Quia dum habet animum revertendi, ſemper intelligitur eſſe ſub Superioris poteſtate, *l. Pompon. §. Idem Pompon. ff. famil. erciſcund. §. Apium, verſ. in iis autem, Inſtit. de rer. diviſ.* Cùmque receſſus non a fuga, ſed ab animi affectu intelligatur, reguleturque *d. l. Quid ſit fugitivus, §. Item apud Vivianum*, Bald. *in c. ad noſtram num. 4. de appell.* ſequitur, ut apoſtaſia, tanquam animi vitium, non contrahatur, niſi Regularis ex animo, & propoſito progrediatur ad aliquem actum extrinſecum, ut egregiè more ſuo notat Bald. *in d. l. Quid ſit fugitivus §. Idem* in antiqua lectione. Curet tamen Regularis, ne hac ſecuritate ductus, diu vagetur. Nam etſi hoc verum ſit, ubi tamen diuturnus ejus receſſus fuerit, tunc præſumitur animum redeundi amiſiſſe *§. Pavonum Inſtit. de re diviſ.* ubi Doctores communiter, & habetur ac ſi nunquam talem animum habuiſſet *l. 3. §. Emanſor, & l. 4. §. Edicta*, ibique Gloſſ. *v. Emanſores, ff. de re milit. can. aut facta de pœnit. d. 1.* & Bald. *in cit. l. 1. num. 27. C. de ſerv. fugitiv.*

19 Pari ratione Apoſtata dici non poterit Regularis, qui cùm a ſuo Superiore carceribus mancipatus detineatur, timens, ne eo immoderatè abutatur, aufugit ad Superiorem, ut per Bald. *in d. cap. ad noſtram num. 4. de appellat.* Rodriq. *d. qu. 30. art. 3. tom. 1. quæſt. regul.* Idemque dicendum eſt de eo, qui aufugit ad alium; veluti ad amicum, quem deprecatorem apud Superiorem habet, *d. l. Quid ſit fugitivus §. ſin autem, l. Bovem, §. 1. ff. eodem*, Boſs. *tit. de carcer. fidejuſſ. commit. num. 46.* Sanchez *lib. 6. in decal. cap. 8. num. 17.* Tambur. *de jur. Abb. tom. 3. diſp. 8.* Baſſæus *v. Religioſus.* Quod licèt verum ſit, inſpecta diſpoſitione juris communis, attamen hodie difficultatem patitur ob diſpoſitionem Sacri Concilii Tridentini, *ſeſſ. 25. cap. 4. de Regul.* qua expreſsè cavetur, ne liceat Regularibus ſuis Conventibus recedere, etiam prætextu ad Superiores ſuos accedendi, niſi ab iiſdem miſſi, aut vocati fuerint, aliàs ab Ordinariis locorum, tanquam deſertos ſui inſtituti, puniantur. Cujus quidem decreti vigore, Bannes 2. 2. *qu. 12. art. 1.* cenſet, Regularem in tali caſu apoſtaſiæ reatum incurrere.

20 At enim verò verius videtur Sacrum Concilium non intellexiſſe imponere pœnam in caſu, in quo Regularis per fugam, ſeu receſſum a ſuo Conventu nihil aliud expoſcit, quàm Superioris auxilium contra ſævitiam, aut immoderatam tractationem ſui Prælati, ut viſum eſt Rodriq. *d. quæſt. 30. art. 3.*

21 Et quidem credendum eſt, quod Sacrum Concilium voluerit per ſuam Conſtitutionem coercere actus illicitos, non autem punire actus licitos, & auferre remedium Regulari juſtè competens, *c. audita, §. quia tamen*, ibique Abb. *num. 5. de reſtitut. ſpol. c. factum legitimè de regul. jur. in 6. l. 1. ad fin. ff. de legib. l. leges Sacratiſſimæ C. eodem*, & Card. *conſ. 146. num. 1.* Quandoquidem licitum eſt, etiam ſervis, per fugam, & receſſum quærere auxilium a ſuperiore contra ſævitiam, & aſperitatem ſui Domini *l. 2. ff. de his, qui ſunt ſui, vel alien. jur. §. ſed major. Inſtit. eod. tit.* Ergo licet etiam Regulari. Nam quæ de ſervis dicuntur, poſſunt aptiſſimè ad Regulares transferri, Bald. *in cit. l. Quid ſit fugitivus, ff. de ædil. edit.* Præterea Prælatus, cæterique Superiores digni animadverſione, ac pœna judicantur, ſi nimis acriter in ſubditos ſe gerant, *d. l. 2. ff. de his, qui ſunt ſui, vel alien. jur.* cujus authoritate fretus Baldus *ibi n. 2. & 4.* ait, poſſe Rectorem, ſive Officialem propter hoc ab officio removeri. Non eſt igitur dicendum, quod S. Concilium voluerit immoderatos Superiores in eorum ſævitia fovere.

His etiam accedit, quod Sacri Canones maximè ab- 22
horrent ſubtrahi, & impediri recurſum ad ſuperiores *c. dilecti 52.* cum ibi traditis per Abb. *in princip. & num. 6. de appellat. cap. unic. de Cler. peregr.* Et propterea non ita facilè exiſtimandum eſt, mentem Sacri Concilii fuiſſe, tollere remedium recurrendi in caſibus, in quibus de jure aliàs liceret.

Licèt igitur Conſtitutiones regulares, ac decreta generalia Sacræ Congregationis ſuper Epiſcopis, & Regularibus præſcribant modum appellandi, nempè a ſuperiore locali ad Provincialem, a Provinciali ad Generalem, a Generali ad Eminentiſſimum Protectorem, a Protectore ad Summum Pontificem, ex hoc tamen non eſt prohibitum appellare, etiam omiſſo medio, ad Summum Pontificem, *cap. ad Romanam 1. & 7. & can. quoties 15. 2. qu. 6. d. cap. dilecti 3.* ibique Gloſſ. *v. illud generale de appel.* cum aliis congeſtis a Scacc. *de appellat. qu. 7. num. 46.* Quia ſuprema authoritas Papæ cenſetur ſemper in quacunque diſpoſitione excepta, ac præſervata, *cap. Dudum de præb. in 6.* cum aliis.

Ideòque hujuſmodi Conſtitutiones, ac decreta non 23
comprehendere appellationes, quæ interponuntur ad Sedem Apoſtolicam, fuit pluries deciſum a Sacra Rota, præſertim *deciſ. 96. num. 5. & 6. part. 2. diverſ. & deciſ. 615. num. 6. & 7.* coram Cardinali Seraphino, *& deciſ. 191. numer. 4.* coram Urgellenſi cum aliis cumulatis in Melevitana Mareſchallatus 10. Januarii, *§. nec viſa fuit, & 26. Maji 1642. §. neque obſtat* coram Dunozetto. Hinc regularem vexatum a ſuo ſuperiore, poſſe a Conventu recedere ex juſta cauſa, dummodò id faciat alium ſuperiorem adeundi gratia, & apoſtaſiæ pœnas non incurrere, tradunt etiam Navar. *conſ. 2. num. 61. de Regular.* Azor. *inſtit. mor. par. 1. lib. 2. cap. 11. qu. 7. & 8.* Bonac. *de clauſur. & pœn. eam viol. qu. 2. punct. 11. §. 1. num. 9.* Tambur. *de jur. Abb. tom. 3. diſp. 5. qu. 11. n. 79.* Peyr. *de ſubd. relig. tom. 1. qu. 1. de obed. cap. 2. in princip.* Portell. *in dub. regular. v. Epiſcopus n. 10.* & alii apud Barboſ. *ad d. cap. 4. num. 9. Concilii.*

Quinimmò ſunt graviſſimi Doctores, qui aſſerant in 24
caſu certæ violentiæ, urgentis neceſſitatis, & malæ voluntatis ſuperioris, ad quem deberet fieri recurſus, liceat oppreſſo vim ſibi illatam repellere, utendo ſæcularis poteſtatis auxilio, ut Suar. *de cenſur. diſp. 11. ſect. 1. & tom. 13. & in Reg. Angl. lib. 4. cap. 34. & 35. num. 6. ac 9.* Souſa *in Bulla Cœn. diſp. 5. concluſ. 2.* Fuſch. *de viſit. lib. 2. cap. 23. n. 5.* Velaſch. *conſ. 100. num. 2.* Azor. *tom. 1. cap. 13. qu. 2.* Layman. *lib. 4. tr. 9. cap. 4.* Portell. *loc. cit. v. appellatio in addit. n. 3.* Diana *par. 3. tr. 1. reſol. 53. & par. 5. reſol. 16. tract. 1.* Valer. *de differ. utriuſque for. v. peccatum diff. 30.* quem citat, & ſequitur Belaſ. *in promptuar. Regular. v. Religioſus.*

Quodque inſuper poſſit Regularis in tali caſu licitè 25
abſque licentia ſui ſuperioris adire Principem ſæcularem per modum adjutorii ab eo petendi, tradunt Portel. *loc. cit. & in addit. num. 4.* ubi ait, extare Bullam, cujus meminit Bannes *de juſtit. & jur. quæſt. 67. concluſ. 6.* ſervarique in Hiſpania Joan. Cochier. *in theſ. polit. lib. 2. cap. 4.* Fuſch. *ibidem cap. 18. numer. 104.* Navar. *in cap. cùm contingat remed. 4. num. 3.* Seſſ. *de inhibit. injuſt. cap. 8. n. 71.* Suarez *de cenſur. d. excom. 13.* Et dicunt aliqui, vigere hanc praxim in aliis Regnis.

Probatque id Bannes, primò, quia jus Pontificium non 26
derogat juri naturali. Deinde quia conſentaneum eſt, ut Rex Eccleſiaſticum corrigat, qui per Eccleſiaſticum Judicem corrigi non poteſt *can. petimus 11. cap. 1.* Ad hæc quia, quando eſt periculum in mora, a regulis juris eſt recedendum, *l. de pupill. §. ſi quis ff. de nov. oper. nunc. arc. can. baptizari d. 5.* Etenim mora fugienda, ubi timetur periculum, *can. ne quod abſit de conſecr. d. 4.* Poſtremò, quia Judex ſæcularis eſt primus defenſor Reipublicæ, Ariſtot. *polit. lib. 5. c. 10.* Facitque *lex ſi quis in hoc, C. de Epiſc. & Cleric.* ubi Juſtinianus ait: *Sitque cunctis laudabile factas Sacerdotibus injurias, velut crimen publicum proſequi.* Ergo tantò magis ad Sacram Congregationem recurrere poterit, quæ inter Religionis Tribunalia numeratur. Alioquin decreta, & cenſuræ Eccleſiaſticæ, ut eſt illa contra Religioſos ad Tribunalia ſæcularia recurrentes, contra ſuos Prælatos, & illa Bullæ Cœnæ contra impedientes recurſum ad Sedem Apoſtolicam, retorquerentur contra ipſam Apoſtolicam Sedem.

Unde

27 Unde Regularis fugiens ad ſuperiorem ſuum, dicendo ſe eſſe gravatum, vexatumque injuſtè ab inferiori, non peccat, neque recedit ab obedientia, ſed dicitur appellare de facto, quamvis antea verbo non appellaverit, ut per Suarez *de relig. tom.* 4. *tract.* 5. *lib.* 3. *cap.* 1. *num.* 6. Lezana *tom.* 1. *quæſt. regul. cap.* 9. *num.* 12. Azor. *lib.* 12. *cap.* 11. *qu.* 7. & 8. Sayr. *in clav. reg. lib.* 12. *cap.* 17. *num.* 4. Sà *v. Religioſus num.* 71. Diana *de dub. regul. dub.* 61. & 115. *p.* 3. Baſſeum *v. Religio*, Portell. *par.* 1. *cap.* 18. *ad* 3. & *in addit. v. appellare n.* 3. Navarr. *lib.* 2. *conſil. tit. de ſent. & re judic.* præcipuè Rodriquez *tom.* 1. *qu. regul.* 30. *art.* 3. ubi refert Baldum *in d. c. ad noſtram argum. l. contra pupillum, l. qui ad majus, ff. de re judicat.* & argum. *cap. dilecti* 2. *de appell.*

28 Quare non obſtat Sacrum Concilium Tridentinum *d. cap.* 4. *ſeſſ.* 25. *de Regular.* Quia, ut inquit Rodriq. non eſt credendum, Concilium voluiſſe derogare hujuſmodi juri. Præſertim quod non eſt petenda licentia ab illo, ad cujus gravamen tollendum, & delictum caſtigandum agitur. Quod affirmat etiam Navarr. *comm.* 2. *de regul. num.* 67. juxta Gloſſ. *in canon. cum paſtoris* 2. *quæſt.* 7. & *arg. cap. ex parte de accuſ.* Suarez *de relig. d. tom.* 4. *lib.* 2. *cap.* 102. *num.* 4. Idemque Rodriquez teſtatur, ita fuiſſe declaratum a Sacra Congregatione ſuper Regularibus, quæ ſanè pro legitimo Superiore habenda eſt, quia fuit a Sixto V. inſtituta ſpeciatim pro regimine Regularium, ut ait Thomas a Jeſu *tract.* 3. *de viſit. regul. cap.* 17. *num.* 8. licentia enim tacita Superioris, ad quem, in hoc caſu præſumitur, Suarez *d. tom.* 4. *tr.* 5. *lib.* 3. *cap.* 1. *num.* 6. Lezana *d. tom.* 1. *cap.* 16. *numer.* 9. ubi ex Navarro, & Sayro ait Concilium Tridentinum de iniquè gravatis intelligi non debere. Non enim prohibet Concilium juſtam appellationem, ſed quod regulares non verè gravati abſque Superiorum licentia illos adeant. Mens igitur Concilii fuit ſubtrahere Regularibus inanes, affectatoſque prætextus, quibus ſubnixi ſæpiſſimè nonnulli ex leviſſimis cauſis è Conventu recedebant. Quibus in caſibus intellexit, Regulares eſſe puniendos, tanquam ſui Ordinis deſertores, etiamſi recedant prætextu accedendi ad ſuos Superiores, ut, quoad fieri poſſit, in proprio officio, & obedientia contineantur, & vagandi occaſio ipſis auferatur.

29 Pariter non obſtat decretum S. Congregationis, quod incipit: *Quoniam nonnulli*, quo prohibetur, Regulares recurrere ad Romanam Curiam abſque ſuorum Superiorum licentia. Nam in illo prohibentur tantùm recurſus temerarius, & ex levi cauſa, & inordinatus, hoc eſt per ſaltum, non autem rationabilis ex gravi cauſa, debitoque ordine factus. Alioquin hoc decretum eſſet contrarium decreto allegato a Rodriquez, ac cenſuris Bullæ Cœnæ contra impedientes recurſum ad Sedem Apoſtolicam, ſicque decreta decretis contraria facere diceretur, vel ſaltem propria decreta, & cenſuras abrogare, Peyrin. *tom.* 1. *de Prælat. regul. qu.* 1. *cap.* 8.

30 Hinc deducitur, quod, ſi Regularis latuiſſet, donec Superioris iracundia deferveſceret, non eſſet Apoſtata *d. l. quod ſit fugitivus, §. Item ut interrogatus, ff. de ædil. edict.* quem ad hoc expendit Azor. *lib.* 12. *cap.* 16. & Rodriq. *tom.* 1. *quæſt. regul.* 30. *art.* 3.

31 Idipſum etiam dicendum eſt de eo, qui iracundiæ calore a Monaſterio recedit, animo amplius non redeundi. Non enim prius poterit Apoſtata reputari, quàm appareat deliberata perſeverantia, quæ indicet, quodnam indicium animi fuerit, quæque perpetuam diſceſſionem confirmet, ac proinde, ſi poſtquam deferbuerit ira, ad Monaſterium redierit, Apoſtata dici non poteſt *text. in cap. divortium de pœnit. d.* 1. cui concinit *can. conſtat* 1. *quæſt.* 1. facitque maximè quod tradit Abbas *cap. ſuper ſpecula num.* 9. *ne Cleric. vel Monach.* ubi quod licèt Regularis diſcedat a Clauſtro audiendi gratia phyſicam, vel leges civiles, ſi tamen, mutato propoſito, contulerit ſe ad ſtudium Theologiæ, non incidit in excommunicationem, & in alias pœnas impoſitas *in d. cap. ſuper ſpecula*. Quia non dicitur factum, quod poſtquam factum fuit, non duravit, *cap. nam & ego de verb. ſignific. c. ad noſtram*, ubi Gloſſ. & Doctores *de regul. & l. ſi filius, ff. quod cum eo*. Et quia ſicuti Deus mutat ſententiam, peccatore mutante vitam, *can. Incommutabilis* 22. *quæſt.* 4. ita Conſtitutio Eccleſiæ mutat diſpoſitionem, peccatore mutante conſilium, *c. ut noſtrum procedat in princip. ut Eccleſiaſtica beneficia*. Tempus autem ad redeundum videtur trium dierum, ut deſumitur ex *cap. ad noſtram*, ubi Gloſſ. *v. triduum de regul. & in l.* 3. *C. de error. advoc. ex l. fin. Cod. de Judic.* Quibus ſuffragantur quæ ſcribit Anan. *in cap. conſuluit in fin. eod. titul.*

32 Egrediens autem a Religione in caſibus ſibi permiſſis, ad ſuorum ſubventionem cum licentia Superioris, durante cauſa ſubventionis, nunquam incurrit apoſtaſiam, Navar. *conſil.* 1. *num.* 8. *tit. de Paroch.* Talis enim receſſus non eſt temerarius, nec improbus, ſed rationi, & charitati conſentaneus, S. Thom. 2. 2. *quæſt.* 121. *art.* 4. Navarr. *in can.* 18. *quæſt.* 7. & 8. & *in man. cap.* 4. *num.* 11. Menoch. *de arbitr. caſ.* 546. *numer.* 41. etiamſi oporteret manere in habitu Clericali, ut ait idem Navar. *conſ.* 54. & 55. *alias* 61. & 72. *de Regular.*

Hæc autem licentia concedi conſuevit per Sacram 33
Pœnitentiariam, ſi, & quatenus, re diligenter diſcuſſa, conſtiterit, parentes, aut liberos in ſtatu neceſſitatis reperiri, eiſque aliter, quàm opera, & auxilio Regularis honeſtè ſubveniri non poſſe, ac conſideratis quæ circa ejuſdem Regularis ſtatum, & continentiam conſideranda videntur, ac diligenter proviſo, ne ſub neceſſitatis alienæ prætextu, in periculo propriæ ſalutis maneat, ac durante tantùm neceſſitate, & interim aliqua opera a Religionis a Confeſſario injungenda, quotidie faciat, ut ea adimplens meminiſſe ſemper poſſit obligationis, qua adſtringitur.

Dimittens verò habitum ſuæ Religionis abſque ſupe- 34
rioris licentia, & tranſiens ad aliam diverſi habitus, non eſt Apoſtata per textum *in cap. ult. de apoſt.* ibique Innoc. & Joan. Andr. *cap. intelleximus de ætat.* & *qual.* Gloſs. *in c. ex parte de temp. ordin.* & *extravagant. Ambitioſæ de regular. ad fin.* Lap. *alleg.* 33. & 130. *n.* 4. Bald. *in auth. Jubemus num.* 4. *§. ſervos ſanè, C. de Epiſcop.* & *Cler.* Roman. *conſ.* 341. *num.* 1. Gemin. *in cap. ut periculoſa in fin. ne Cler. vel Monachi num.* 6. Franch. *ibidem*, §. *penult. ad fin.* Calcan. *conſ.* 123. *num.* 2. & *ſeq.* Rebuff. *in pr. tit. de translat. Monach. num.* 11. Boer. *deciſ.* 260. *num.* 29. Decian. *conſ.* 20. *num.* 25. *lib.* 1. & Rodriquez *tom.* 1. *quæſt. regul.* 30. *art.* 1.

Quia per hujuſmodi tranſitum non deſerit ſubſtantia- 35
lia Religionis, & propterea non poteſt dici ab ea receſſiſſe. Porrò una eſt Religio in genere, Lap. *d. alleg.* 130. *num.* 4. Gemin. *in d. cap. periculoſa in fine*, & ideò profeſſus unam Religionem, omnes profeſſus videtur, ut præter citatos ſcribit Oſtienſ. *in c. ad Apoſtolicam de Regul.* Feder. de Sen. *conſ.* 5. & *conſ.* 19. *col.* 2. omnes autem Religiones tria profitentur, nimirum paupertatem, caſtitatem, & Religionem, *cap. cum Monaſterium in fin. de ſtat. Monach.* & notatur *in cap.* 2. *de Eccl. ædif.* Lap. *d. alleg.* 130. *col. ult.* poſt S. Thom. 1. 2. *qu.* 108. *ar.* 4. & 2. 2. *qu.* 186. *art.* 7. & *ſeq.* & *qu.* 188. *art.* 1.

Hinc, quamvis ab una Religione fiat tranſitus ad 36
aliam, etiam laxiorem, non tamen regularis deſinit eſſe regularis, prout dicitur de milite ex uno numero ad alium translato *in l. unic. in fin. ff. de bon. poſſeſſ. ex teſtam. milit.* Nec per tranſitum ab una Religione ad aliam mutatur Religionis ſubſtantia, patetque ex eo, quod Religioſus in novo Monaſterio non cogitur emittere novam profeſſionem, ut dicatur profeſſus, Federic. *dict. conſ.* 5. Rebuff. *loco citato ſub initio*, Boer. *dict. num.* 29. Decian. *ibidem num.* 24. Ut autem cenſeatur Monachus ſecundi Monaſterii requiritur nova profeſſio, ut obligetur peculiaribus Religionis ſtatutis, ſicque intelligendus Abb. *in cap. Abbate Sancti Sylvani num.* 5. *de verb. ſignificat.* & Rebuff. *conſ.* 105. *num.* 5. quos ita declarat Decian. *in cap. præter. numer.* 6. *de præb.* Neque hic Regularis incurrit excommunicationem ſtatutam *in dict. cap. periculoſo*. Quia in quacunque Religione exiſtat, ſemper erit in Religione, ac tribus votis ſubſtantialibus adſtrictus.

Non obſtat omiſſio habitus propriæ Religionis. Quia 37
non dimiſit illum animo vagandi, ſine quo apoſtaſia locum habere non poteſt, ut tradit Roman. *conſil.* 341. *num.* 1. quem ſequitur Staphil. *de reſcript. apoſt. in form. Brev. ſub num.* 23. Id autem verum eſt, quod hic regularis, licèt apoſtaſiam non incurrat ſi tamen abſque ſuperioris licentia ſe transfert in laxiorem, parata ſunt adverſus eum alia juris remedia, nempè remedium *cap. eum, qui de præbend. in* 6. ut ait Gemin. *in cap. Cùm ſingula in* 3. *not. eodem tit.* Rebuff. *in pr. de transl. Monach. num.* 12. Nec poteſt recuperare, bona quæ tranſtulit ad primum Monaſterium, Soccin. *d. conſ.* 22. *n.* 3. & *conſ.* 270. ſed poteſt ad propriam Religionem revocari a ſuperiore, in cujus contemptum ſe tranſtulit, ut decernitur *in cap. fin. & cap. Joannes, & cap. non eſt nobis de regular.* & docet Roman. *d. conſ.* 341. addens ex ſententia Innocentii *in dict. cap. fin.* eſſe in hac re triplici remedio ſuperiori conſultum ad revocandum, nempe rei vindicatione, & aliis, ut ibi per eum, & per Abb. *in dict. cap. fin. num.* 15. Unde ſi in translato ad laxiorem admittatur non intercedere apoſtaſiam, æquius admittitur in translato ad parem, & ad arctiorem, pro quo tamen vindicando eadem ſuperiori competunt remedia, quæ pro translato ad laxiorem, Roman. *dict. conſ.* 341. *num.* 3.

38 D: religiosis autem|Societatis Jesu hæc trado. Cùm hæc salutaris societas sit vera, & propria Religio mendicans, gaudeatque omnibus privilegiis mendicantium, & ex peculiaribus Constitutionibus Pauli III. Gregorii XIII. & aliorum Pontificum ejus Religiosi post emissa vota simplicia sive sint Sacerdotes, sive scholares, sive Coadjutores, quoad ipsos pertinet, obligentur perpetuò, Religioni, non verò Societas, sed tamdiu, quamdiu Præpositus Generalis eos retinendos esse censuerit, rectè sequitur, quod si post emissa vota simplicia eorum aliquis ad sæculum redierit, etiam prætextu cujusvis indulti concessi, aut concedendi, absque expressa Generalis licentia, incurrit apostasiam cum excommunicatione, a qua non potest absolvi, nisi a Summo Pontifice, vel superiore Societatis, ut cavetur ex peculiari Constitutione Beati Pii V. sub Datum Sexto Kalendas Februarii 1565. Additque simili Constitutione Gregorius XIII. Octavo Kalendas Junii 1584. ut deficientes ab hac ipsa Societate post vota emissa, elapso biennio, possint, tanquam veri Apostatæ puniri, ac subjaceant excommunicationi latæ sententiæ, aliisque Apostatarum pœnis Sedi Apostolicæ, ac Generali Præposito reservatis.

39 Quin etiam rescripto Pauli III. nemo, post emissa secundùm Constitutiones Societatis vota, potest ad alium transferri, præterquam ad Carthusianorum Ordinem, nisi de expressa ejusdem Societatis Præpositi, aut Sedis Apostolicæ licentia, quod pariter a Pio IV. & Beato Pio V. est confirmatum, adjecta etiam pœna excommunicationis ipso facto incurrenda tàm contra Religiosos recedentes, quàm contra ipsos recipientes, etiam prætextu cujusvis indulti concessi, aut concedendi, aut alterius cujusvis quæsiti coloris ob melioris vitæ frugem, ac strictioris observantiæ regularis. Additurque ex eisdem indultis, ut transire volentibus ad Carthusianos spatium sex mensium, ad alium verò Ordinem terminus Superioris arbitrio præscribatur, intra quem debeant reipsa ingredi. Et quatenus in illis permanere nolint, aut non possint, absque ulla mora ad Societatem reverti sub præfata excommunicationis pœna teneantur. Quod tamen a Beato Pio V. vivæ vocis oraculo, ac deindè a Gregorio XIII. speciali rescripto fuit aliqua ex parte innovatum, atque statutum, ut transire volens ad Carthusianos, tres menses habeat ad transeundum, quibus elapsis, non ei amplius liceret, respectu Carthusiæ, sine Præpositi licentia, confirmavitque Beati Pii V. concessionem, perinde ac si literæ super concessione illa confectæ fuissent, excommunicationis, & apostasiæ pœna irrogata, ut hæc omnia liquent ex ipsius Societatis compendio privilegiorum, *v. Apostata*.

40 Non autem esset Apostata, si superioris authoritate fuerit dimissus. Quia cum hujus Societatis Constitutionibus caveatur, ut liceat ejus Præposito Generali ex causa sibi benevisa, dimissionem indicere, non potest dici recessus temerarius ille, qui fuit, ut superioris obsequatur imperio, *canon. quid ergo* 11. *quæst.* 3. Lap. *alleg.* 130. *num.* 4. Navar. *comm.* 2. *de regular. num.* 36. Azor. *instit. moral. lib.* 12. *cap.* 16. *quæst.* 12. & 14. Quin, etiamsi causa, qua superior fuit motus ad dimissionem præcipiendam, non undequaque probaretur, tunc Religiosus dimissus, aut expulsus, nedum immunis erit a metu apostasiæ, sed etiamsi talem in sæculo se præferat, qualem decet hominem, qui semel tàm piæ, ac decet Societati fuerit adscriptus summoperè erit obedientiæ nominæ laudandus. Nam, etsi per obedientiæ præceptum non liceat facere malum, *leg.* 1. *Cod. de mulier. quæ se propr. serv. jun.* potest tamen, ac debet bonum, quod agitur, intermitti, ut superiori obsequium exhibeatur *d. can. quid ergo*, ubi Glos. *v. intermitti*, ait bonum esse pro obedientia pati.

41 Id autem intelligendum est, dummodò dimissio, aut expulsio ex mera superioris procedat voluntate, quæ nullo sit Religiosi facto procurata. Nam si fortè quispiam sit, qui Societatis callens instituta, ex industria in facinora, aut fœdas negligentias labatur, ut superior graves ejus mores pertæsus, illi dimissionem indicat, hic quidem dubio procul est in statu perditionis, non secus, ac si sua sponte, nullo superioris facto egrederetur, ac proinde, saltem in foro conscientiæ, teneri facere, quod in se est, ut in eandem Societatem recipiatur, quicquid sit in foro exteriori, in quo sola superioris licentia spectatur, & de illis, quæ in secretò sunt, judicari non solet, *cap. ut nostrum*, §. *Porrò, ut Eccles. benefic. sine dimin. confer. cap.* 1. *de cland. dispens.* In foro tamen interiori, quo etiam occulta inquiruntur, Roman. *cons.* 506. *num.* 11. licentia, sive dimissio malis artibus affectata, Religiosum tutum non reddit.

42 Porrò, quod non liceat Religioni ejicere Religiosum professum, tanquam incorrigibilem, probatur primò, quod per ejectionem daretur ejectis occasio vagandi, ac magis licentiosè vivendi. Quod sanè in Religiosis est maximè cavendum, *d. cap. periculosa, ne Cler. vel Monach. in* 6. *can. juxta cum seqq.* 16. *quæst.* 1.

Secundò, quia per emissionem professionis censetur quodammodo celebratus contractus inter Religionem, & professum, *cap. ad Apostolicam de Regul.* Et propterea non videtur, quod sola Religio, invito professo, possit illum rescindere. Quia quod ab initio fuit voluntatis, ex post facto est necessitatis, *l. sicut C. de act. & obligat.* Surd. *consil.* 38. *num.* 2. 43

Tertiò, quia perspicuum est, Monacho per Monasterium deberi alimenta, Jo: Andr. Franch. ac cæteri *in d. c. periculosa*, Innoc. *in c. quanto n.* 2. *de offic. ordin.* Abb. *in c. ex parte num.* 8. *de accusat.* Castr. *consil.* 76. *num.* 1. *lib.* 1. Surd. *de alimen. tit.* 1. *quæst.* 57. *num.* 1. adeòut si quis Monacho infirmo extra Monasterium alimenta præstaverit, poterit ea repetere a Monasterio, Franch. *loc. cit.* Non videtur ergo, quod possit illum ejicere, ne contingat ei alimenta denegare, quod idem est, ac necare, *l. vel negare ff. quemadmodum testam. aper. l. necare, ff. de liber. agnosc. & can. pasce d.* 86. 44

Quartò, quia hoc videtur expressum *in c. ult. de Regular.* ubi generaliter præcipitur omnibus Præpositis Religionum ut fugitivos, & ejectos perquirant, eosque corrigant, multò ergo minus possunt ejici. 45

Quintò, quia sequeretur, quod esset in potestate Religionis dissolvere vota religiosa, quod falsum est, Calcan. *consil.* 123. *num.* 30. cùm hoc tantùm Papæ concedatur, & ex causa urgentissima secundùm opinionem, de qua per Abb. *in cap. Cùm ad Monasterium num.* 71. *de Regular.* & per Felin. *in cap. si quando numer.* 5. *de rescript.* 46

Sextò, tandem hoc idem in specie videtur sensisse Cardinal. *in Clem. ne in agro*, §. *Quia verò numer.* 5. *de stat. Monach.* 47

His tamen minimè obstantibus, contraria sententia, communi usu omnium Religionum recepta est, eamque probat S. Bonavent. *in opusc. de determ. quæst. circa regulam S. Francisci cap.* 14. Humbert. *in expos. regul. S. Augustini cap.* 99. Turrecrem. *in expos. regul. S. Benedicti tr.* 99. ac de jure ea tenent Angel. *in sum. verb. Abbas qu.* 18. Sylvest. *verb. Religio quæst.* 17. Tabiena *eod. vers. qu.* 15. Armilla *eodem etiam vers. qu.* 28. asserentes, id esse de mente S. Thomæ *quodlib.* 12. *qu. ult.* quibus adstipulatur Navar. *in can. non dicatis* 12. *qu.* 1. *num.* 36. & 65. & *cons.* 50. *de regul. & cons.* 65. *n.* 2. & *in can. nullam n.* 52. 18. *qu.* 2. & Rodriq. *d. qu.* 30. *art.* 14. & *seqq.* 48

Huic sententiæ primò suffragari videtur illud S. Matt. *cap.* 18. dum præcipit fratrem, quarta vice peccantem, esse habendum uti ethnicum, & publicanum, quæ verba interpretatur Augustinus, & S. Thomas inobedientem, & contumacem a communione fratrum esse separandum, ne tota domus, massa, corpus, & pecora, ardeat, corrumpatur, intereat, ut ait S. Hieronymus ad Galat. *cap.* 5. relatus *in can. resecanda* 24. *qu.* 3. 49

Deindè probatur *ex can. illud sanè* 24. *qu.* 3. ibi, *quibus non potuit prodesse correctio, non parcat abscissio*. 50

Tum quia Clerici incorrigibiles deponuntur, ac traduntur Curiæ sæculari, *cap. Cùm non ab homine de jud.* Ergo tantò magis potest Religiosus habitu, & consortio Religionis privari. 51

Ad hæc quia necessarium reputatur abscindi membra, quæ fomentum non recipiunt medicinæ, *can. quia in fin.* 81. *dist.* Atqui melius est Religioni his carere membris, quàm cum ipsis æterna pati supplicia, *d. can. illud sanè* 24. *quæst.* 3. 52

Item quia id suadetur exemplis. Ex hac enim ratione Senator a Senatu ejicitur, *l.* 1. *ff. de Senat.* Miles habitu, & insigniis privatur, & a militia dimittitur *l.* 3. §. *si intra, ff. de re milit.* Quæ quidem jura extendi possunt etiam ad ejectionem Religiosorum, ut per Bart. *in l.* 2. §. *ignominiæ in fin. ff. de infam.* & per Felin. *in cap. ex literis num.* 5. *de Constit.* 53

Tum quoniam ejectio videtur remedium magis salutare. Quia expulsus potest a consanguineis, & amicis libenter objurgari, & pudefactus citiùs resipiscere. Et quia pravis moribus, & malo exemplo minus potest nocere, dum incorrigibilis ab omnibus reputatur, quàm in Religione existens, ubi plus exemplo nocere potest, *can. nec licuit d.* 17. *can. nemo d.* 83. & *can.* 1. *d.* 96. Adde quod hæc mutatio quandoque valet ad mutandum mentis affectus *can. valet dist.* 81. 54

Postremò quia suadet æquitas concedi superiori, ut familiam suam possit improbis hominibus expurgare *l.* 3. & *l. congruit*, ubi Doctores *ff. de offic. Præsid. ac l.* 3. *in princ. ff. de offic. Præf. vigil.* Neque huic modo potest occurri, si detineatur in ergastulis, ut *in can. impudicus* 27. *quæst.* 55

27. *quæſt.* 1. Quoniam cùm loquamur de incorrigibili, præterquamquod Religio gravaretur expenſis, plurimum poſſent obeſſe aliis conſilio, & ſuaſionibus, ut *in leg. omne delictum, §. qui in acie ff. de re milit. §. ſed etſi credat, Inſtit. de oblig. quæ ex delict. naſc.*

56 Non obſtat prima ratio in contrarium adducta. Nam finis primarius, propter quem Regularis ejicitur, non eſt, ut citiùs pudefactus revertatur, quod etiam videtur ſentire S. Thom. *in Matth. cap.* 18.

57 Neque ſecunda. Quia cùm in profeſſione promiſerit obedientiam præſtare, vitamque religioſam ducere, utique cùm non ſervet promiſſa, contractus reſolvitur, & Religio ampliùs non tenetur, *cap. 3. de jurejurand. can. ſi infidelis* 28. *quæſt.* 2. *leg.* 1. *in fin. ff. de loc. publ. leg. ſi diverſa, Cod. de tranſact.*

58 Neque tertia. Primò, quia non eſt inſolens, ut alimenta denegentur contumacibus, refractariis, & inobedientibus. Hac etenim ratione denegantur etiam liberis, *§. aliud quoque capitulum auth. ut cùm de appellat. cognoſc.* Et nihilominus conſtat, liberis alimenta dari jure naturæ, *leg.* 1. *§. hujus ſtadii ff. de juſt. & jur. & ſub init. titul. Inſtitut. de jur. natur.* & utrobique Doctores. Deindè quia ejectus poterit ſibi victum, vel proprio labore, vel mendicitate parare, Navarr. *in dict. canon. non dicatis comm.* 2. *numer.* 56. *cum ſeqq.* 12. *quæſt.* 1.

59 Nec quarta. Quia textus ille intelligi debet de ejectis, ordine judiciali non ſervato, vel propter crimen, non autem de ejecto, ut incorrigibilis; quemadmodum ex multis declarat Navarr. modò citatus *numer. 36. & conſil.* 51. *de regular.* ac Rodriquez *dict. quæſtion.* 30. *art.* 22.

60 Nec quinta. Nam ejectus, & habitu Religionis privatus non liberatur a votis Religionis ſolemnibus, ut pluribus probat Azor. *lib.* 12. *cap.* 16. *quæſt.* 4. Sed tantùm deſinit eſſe clauſtralis, eoque tantùm reſpectu non habet ampliùs communionem cum Religione, Abb. Anania, & Soccinus *in cap. fin. de infant. & languid. expoſ.*

61 Neque ſexta. Quia Cardinalis ibi loquitur de criminoſo ſimpliciter, non autem de incorrigibili, quo caſu non procederet ad tradita per Gloſſ. *in d. cap. nec licuit v. per ſæculares*, *d.* 17. Quis autem in hac re judicandus ſit incorrigibilis, tradit Rodriq. *dict. quæſt.* 30. *art.* 14. *tom.* 1. de quibus Ricciul. *lib.* 8. *de jur. perſon.* ex cujus fonte hauſi plura, quæ ſuperius ſcripſi, quæ ante me etiam hauſerat Theophilus Raynaudus *in lucubr. de Apoſtatis a religioſis ordinibus cap.* 1. & 2. ubi commoda a quorumdam Religioſorum defectione, inde purgatio bonorum, auctior eorumdem nitor, atque venuſtas, firmitas denique, ac tutela major, & gratulandum Ordini obſceſſu apoſtatæ, qui non erat ex ordine. Lege in hanc rem tractatum Patris Nigronii Societatis Jeſu de Religione per dimiſſionem expurganda. De iis uberius dicerem, ſed video te fatigatum, lector, ideòque taceam.

CONSULTATIO XXV.

Quibuſnam competat dare ſignum in Choro, & Cœnaculo, aliaque hujuſmodi facere etiam tempore Capituli Generalis, abſente Patre Generali?

1 PUto, hæc competere Provinciali, Guardiano ſive Priori, & Vicario Conventus, non autem Definitoribus generalibus, cùm iſti non ſint Prælati, eorumque dignitas ſit merè perſonatus, nullamque habeant authoritatem, nec juriſdictionem, niſi expreſſam in Conſtitutionibus Religionis, Provincialis verò dicitur habere juriſdictionem quaſi Epiſcopalem in ſuos ſubditos, ut firmat Rodriq. *tom.* 2. *quæſt. regular.* 43. *art.* 2. *ac tom.* 3. *quæſt.* 65. *art.* 3. ac ſimiliter Guardiani, ſive Priores reputantur verè Prælati in ſuis Conventibus, & dicuntur habere dignitatem Eccleſiaſticam, ut tradit idem Rodriq. *tom.* 1. *quæſt.* 12. *art.* 4. ideòque de jure præponendi ſunt *cap. ſtatuimus de major. & obed. cap. ex ore de privileg.* Seraph. *deciſ.* 1223. *num.* 2. Rota *deciſ.* 326. *num.* 4. *part.* 4. *div.* eòque magis in proprio Conventu, Corneus *conſil.* 193. *num.* 15. *lib.* 2. Capyc. *deciſion.* 27. *num.* 24. & *ſeqq.* ac Rota *in recent. deciſion.* 616. *num.* 3. *part.* 1.

2 Accedente præſertim conſuetudine antiquiſſima, quæ in materia præcedentiæ ſemper attenditur, ac prævalet, etiam diſpoſitioni juris, etiamſi ſit quadraginta annorum, Purpurat. *in leg.* 1. *num.* 206. *ff. de offic. ejus*, Gratian. *diſceptat.* 288. *num.* 8. ac Rota in Tiraſonen. præeminentiarum 6. Aprilis 1590. coram Comitolo, quinimmò decem annorum, Rota in Siguntina præcedentiæ 23. Junii 1609. coram Pamphilio, Beltram. *ad dec.* 124. *num.* 4. Gregorii XV.

Ac præſertim in ea Religione, in cujus regula, & 3
antiquis Conſtitutionibus non legitur fuiſſe factam inſtitutionem, niſi Provincialium, & Guardianorum, ſive Priorum, ac Cuſtodum, non autem officii Definitorum Generalium. Unde redditur dicta conſuetudo, etiam conformis regulæ, & Conſtitutionibus, & ex tali antiquitate magis comprobatur, hujuſmodi præeminentias eſſe debitas Provinciali, & Guardiano, habentibus antiquiorem dignitatem ſecundùm Gloſſam communiter approbatam, *verſ. Predicatorum*, ibique Franch. *num.* 4. *de elect. lib.* 6. Cavaler. *deciſ.* 588. *n.* 4. ac Rota *in S. Agatha Gothorum præcedentiæ* 24. *Januarii* 1629. coram Mormano.

Non obſtat, quod Definitores generales habeant pri- 4
mum locum apud Patrem Generalem tempore Capituli tàm in Choro, quàm in Cœnaculo, & alibi. Quia non idcircò id extendi debet ad functiones cultus Divini, neque ad actus pertinentes ad Chorum, & Menſam, cùm materia præcedentiæ, uti odioſa, non admittat extenſionem, ut per Rotam in Aſten. Sedis 27. Februarii 1589. coram Gypſio, quam refert, ac ſequitur Gratianus *d. diſcept.* 298. *num.* 13.

Quin etiam inferiores in aliquo loco, vel negotio ra- 5
tione officii, quod ibi exercent, præcedere debent iis, qui aliàs ſunt majores, ut ſi ageretur de præcedendo in propria Eccleſia, Collegio, vel Conventu per textus *in leg.* 1. *Cod. de offic. Vicar. & in cap.* 1. *& cap. officium de offic. Archid. & offic. Archipr.* Abb. *in cap. poſtulaſti num.* 8. *de conceſſ. præb.* & Purpur. *in dict. leg. num.* 195. Menoch. *conſil.* 51. *num.* 56. latè Gratian. *diſcept.* 106. *num.* 1. & *ſeqq. & dict. diſcept.* 298. *num.* 1. ubi copiosè Rub. *in ſuo reſponſo a num.* 27. traditque Rota *deciſ.* 104. *num.* 4. & *ſeqq. lib.* 3. *in correctis*, Rota *deciſion.* 91. *num.* 4. *part.* 6. *recent. in Cæſarauguſtana præeminentiarum* 28. *Aprilis* 1634. coram Ghislerio, & *in Mutinenſi præcedentiæ* 25. *Junii* 1638. coram Merlino.

CONSULTATIO XXVI.

An Monachi Caſinenſes, aliique juriſdictionem ſpiritualem per ſeipſos, temporalem verò per Judices deputatos adminiſtrare poſſint?

REſpondeo affirmativè, ac ita, ut textus *in cap. re-* 1
colentes de ſtat. Monach. non videatur obſtare, quominus id poſſit. Primò, quia decretalis illa eſt directa Monachis Ciſtercienſibus, quibus ex diſpoſitione eorum regulæ erat prohibitum habere tales juriſdictiones, ibi, *Contra ordinis veſtri regulam, Villas, Eccleſias, & Altaria poſſident*, & infrà: *ſic etiam in paupertate ſæcularium rerum ſe lætentur, veſtris inſtitutionibus conformatas.* Monachi autem Caſinenſes tempore Alexandri III. author dictæ decretalis, ſcriptæ Abbatibus, & Conventibus Ciſtercienſis Ordinis, jam poſſidebant Villas, & Oppida, ut habetur in ejus literis Abbati Caſinenſi, ejuſque ſucceſſoribus in perpetuum ſub datum Idus Novembris 1159. ibi, *In Oppidis veſtris, ſeu villis agetis*, & aſſerit etiam Gloſſ. *in d. cap. recolentes verſ. Eccleſia*, ibi; *quas poſſunt habere nigri Monachi.*

Deindè quia hæc differentia in præciſis terminis *d. c.* 2
recolentes inter Ciſtercienſes, & Monachos Sancti Benedicti optimè deducitur, ac probatur a Rodriq. *tom.* 3. *qu. regul.* 75. *art.* 1. ubi ait, quod curſu temporis fuit etiam Ciſtercienſibus conceſſum ex privilegiis Apoſtolicis, ut poſſint retinere Vaſallos, Caſtra, & juriſdictiones. Immò idem Rodriq. *loco cit. art.* 2. refert, quod Alexander VI. anno 1046. ſuo peculiari privilegio conceſſit Monachis Benedictinis, quod de cauſis, quas inter Vaſallos Monaſteriorum reſpectivè pro tempore moveri contingeret, ſuperiores ipſorum Monaſteriorum cognoſcere debeant.

Tum quia de Abbate Montis Caſini, & Sanctiſſimæ 3
Trinitatis Cavenſis, ac Sancti Pauli de Urbe, quoad juriſdictionem, extant innumera ferè privilegia Sedis Apoſtolicæ, ut per Rotam *in Sorana Beneficii* 8. *Martii* 1627. coram Merlino, & apud Tambur. *de jur. Abbat. tom.* 1. *diſp.* 3. *qu.* 4. *num.* 19. Quibus privilegiis conceſſis uni Monaſterio Congregationis Sancti Benedicti. Eugenius IV. ſub anno 1434. voluit, quod omnia alia Monaſteria ejuſdem Ordinis gaudere valeant, ac ſi nominatim ſingulis conceſſa forent, ut refert idem Rodriquez *ibid. art.* 2. idque confirmavit Alexander VI. 1. Kalendas Aprilis 1501. apud Bullarium Caſinenſe *Conſtit.* 110.

Item quia concurrit obſervatio tot ſæculorum, Summis 4
Pontificibus ſatis, ſuperque nota, quæ ſola ſufficit ad allegandum meliorem titulum, ut ait Rota *deciſ.* 27. *n.* 8.

tom. 2. part. 4. recent. atque adeò quodcumque privilegium Apoſtolicum.

5 Ad hæc quia ſicuti ſimplex Monachus poteſt delegari, ut notat Gloſſa *in cap. cùm olim 14. verſ. Monacho de privil.* traduntque Specul. *tit. de offic. deleg. §. Excipitur, verſ. nunquid Monacho*, Gambar. *de offic. & poteſtat. legat. lib. 8. numer. 32.* ita poterit etiam juriſdictionem exercere.

6 Prætereà quia Monachus, ex facultate a ſuo Superiore ſibi data, poteſt munus Vicarii, Officialis, & Locumtenentis exercere per ea, quæ ſusè tradit Pariſ. *conſil. 40. num. 19. vol. 4.* Rota *deciſ. 3. num. 1. de offic. Vicar. in antiq. & deciſ. 4. in antiquior.* Guidop. *dec. 563. num. 2. in fin.* qui teſtatur de Monacho Priore, qui fuit Vicarius, & Officialis Viennenſis, & poſteà Lugdunenſis. At hodie Sacra Congregatio non probat, quod Regulares ſint Vicarii Epiſcopi. Tum quia non decet eos extra clauſtra degere, nec poſſunt, ex Clemente VIII. *Conſtit. 60. §. 19.* Tum quia juſtitiam a Juriſconſultis potiùs, quàm Theologis adminiſtrari convenit, niſi tamen cum aliis requiſitis habeant licentiam Apoſtolicam degendi extra clauſtra, ut eadem Sacra Congregatio *in Caputaquen. 17. Novembris 1593.* Vel niſi ſit Abbas, qui habeat juriſdictionem quaſi Epiſcopalem in perſonas ſæculares. Nam hic poteſt deputare Vicarium Monachum juriſperitum. Quod ſi talem non habeat, debet tenere Vicarium Clericum ſæcularem doctorem. Et ſi id minus fieri poteſt, poterit deputare Vicarium Monachum non doctorem, aſſignando ei Doctorem pro Aſſeſſore, ſine cujus conſilio nihil agere poſſit, quod requirat altiorem indaginem. Eadem Sacra Congregatio *ſub die 23. Decembris 1603. & 21. Novembris 1605.* conceſſit aliquando licentiam aſſumendi Regulares in Vicarios Epiſcopales etiam Cœleſtinos, ac Dominicanos, ut ſuo loco dicemus.

7 Poſtremò id ſuadetur ea ratione, quia ſicuti in Abbate, habente juriſdictionem ordinariam talis adminiſtratio eſt neceſſaria, & per conſequens converſatio cum hominibus laicis, etiam in cauſis ſæcularibus, multò magis poterit judicare in cauſis ſpiritualibus, & officialibus laicis ab eo deputatis in temporalibus præſidere. Nam cùm dictis Monachis ſit permiſſum id, quod magis, multò validiùs id, quod minus, ut in his terminis firmat Guidopap. *d. deciſ. 563. num. 2.*

8 Denique ſicut Epiſcopi, & Barones proximi ſtudent fines ſuæ juriſdictionis extendere, ita non videtur committenda cura juriſdictionis Monachalis exteris, ſed tantùm propriis Monachis, qui illam diligenter cuſtodiant, & conſervent, ſuoſque ſubditos cum æquitate, & charitate gubernent. Quod alii Officiales plerumque negligunt, ideòque cenſeo, non eſſe recedendum ab obſervatione immemorabili, quod ſcilicet Monachi juriſdictionem ſpiritualem exerceant, temporali præſideant.

CONSULTATIO XXVII.

An electio in Abbatem, facta in perſonam exteram contra Breve Apoſtolicum, quo mandatur, ne Abbatia conferatur exteris, ſit valida?

Et quid de electione coarctata ad oriundos, & nationales? Quidve ſi Abbatia eſſet unita alii Monaſterio?

1 REſpondeo, eſſe irritam, cùm ſit facta contra formam Brevis Apoſtolici, diſponentis, quod exiſtentibus oriundis, & nationalibus, Abbatia Religioſis exteris conferri non poſſit, ſed ipſi oriundi, & nationales de illa provideantur cum clauſulis annullativis, & irritantibus, quæ operantur nullitatem electionis ipſo jure, ac ſufficeret eſſe factam contra legem Pontificis, ut ſit irrita juxta ea, quæ tradit Fagnan. *in cap. Cùm dilectus n. 56. cum ſeqq. de conjult.* & Paſſerin. *de elect. cap. 2. quæſt. 3. num. 53.*

2 Quod autem valeat coarctatio electionis ad oriundos tantùm, & nationales, certum eſt, cùm Doctores omnes indiſtinctè teneant, illam fieri poſſe ex conſuetudine a Capitulo generali cum conſenſu eligentium, aliiſve modis, ut tradit Paſſerin. *d. cap. 2. quæſt. 3. num. 45.* & Sigiſmundus a Bononia *de election. dub. 52. & numer. 3. & 5.*

3 At quando coarctatio facta eſt a Papa, nefas eſt de illius poteſtate dubitare, cùm jus eligendi in electionibus canonicis nonniſi a Sede Apoſtolica proveniat, ideòque Papa, non ſolùm poteſt decernere, ut fiat electio ex certo genere perſonarum, ſed etiam poteſt illam coarctare ad unum, vel duos, ut per Caſtellin. *de elect. cap. 3. num. 7.* ubi excipit Papam, & latè Paſſerin. *loc. cit. quæſt. 1. num. 34. & ſeqq.* Et omiſſis aliis, quod valeat hujuſmodi privilegium eligendi oriundos, & nationales tantùm, firmat cum multis Gonzal. *ad regul. 8. Cancell. 4. num. 163.* ac ſæpiùs reſpondit Rota, præſertim coram Creſcentio *deciſ. 4. de privileg. & in Majoricenſi Indultorum* coram Merlino inter ejus impreſſas, *deciſ. 814.* & in alia, quæ non habetur inter impreſſas, ſed eſt apud Dianam poſt ſextam partem, edita ſub die 16. Aprilis 1639. & in alia edita 16. Novembris 1640. coram Peutingerio. Et hujuſmodi coarctationem eſſe honeſtam, & cultui divino proficuam, fusè oſtendit Gonzal. *dict. num. 163. & gloſſ. 9. §. 1. num. 37. & ſeqq. §. 2. num. 45.*

Nec obſtaret unio. Primò, quia hæc unio probari de- 4
bet, ad quem effectum requiruntur probationes plenæ, certæ, & concludentes. Deindè quia, ſi conſtiterit, Abbatiam ſemper fuiſſe collatam in titulum, non poteſt dici, quod unio facta ſit acceſſoriè, per quam extinguitur titulus, & Eccleſia unita fit prædium alterius, ſed dici debet, quod facta ſit æquè principaliter, per quam conſervatur titulus collativus, neque alteratur modus conferendi, ut latiſſimè probat Cavaler. *deciſ. 330. & 595. num. 3.*

Neque obſtaret obſervatio contraria, & ultimus ſta- 5
tus. Quia cùm conſtet certò de Conſtitutione Summi Pontificis, quod Abbatia conferatur oriundis, obſervatio contraria dicitur potius violatio Conſtitutionis, quæ non attenditur, ut per Rotam coram Coccino *deciſion. 203. num. 15. & in rec. deciſ. 319. num. 4. & 5. ac 14. part. 6. & deciſ. 66. num. 22. part. 7.* Stante præſertim clauſula ſublata, & decreto irritante, ex quibus tollitur omnis obſervatio contraria, Rota *d. deciſ. 319. num. 6. & deciſ. 31. num. 2. & deciſ. 66. num. 8.* & in hac ſpecie firmat Rota coram Creſcentio *d. deciſ. 4. de privil. & in d. Majoricen. Indultorum* coram Merlino, & Peutingerio.

Ex quibus diluuntur etiam, quæ dici ſolent de ulti- 6
mo ſtatu. Nam ultimus ſtatus invalidus, & infectus non attenditur, maximè quando conſtat de invaliditate dicti ultimi ſtatus, Rota *deciſ. 374. num. 6. part. 1. & 435. num. 4. part. 2. & deciſ. 568. num. 7. par. 4. recent. & in Volaterrana Capellaniæ 27. Junii 1630.* coram Dunozetto, & in Lucana Capellaniæ 1. Julii 1650. coram Bichio, neque attenditur ultimus ſtatus, quando conſtat de initio contrario per Conſtitutiones Summi Pontificis, vel per fundationes beneficiorum, ut alibi diximus.

CONSULTATIO XXVIII.

An Regulares, qui obtinuerunt a Papa Breve directum Epiſcopo ad id delegato, ut alienare poſſint bona quædam Eccleſiaſtica, illudque ei præſentarunt, ejuſque firmata juriſdictione, fuit coram eo præviis editis incœptus proceſſus, & inchoatum judicium pro dicta alienatione cum ſolemnitatibus ad id requiſitis, poſſint, etiam vigore cujuſcumque alterius facultatis, hoc judicium omittere, & aliud inire, an verò teneantur coram ipſo Epiſcopo illud proſequi, & quibus ſub pœnis?

REſpondendum videtur, non poſſe hunc Epiſcopum 1
hos Regulares carcere, interdicto, excommunicatione, aliave pœna Eccleſiaſtica punire. Quia propter exemptionem, qua ipſi, ipſorumque Eccleſiæ gaudent, nullo pacto poſſunt puniri ab Ordinariis. Immò Ordinarii præcipientes capi Regulares exemptos, ſunt excommunicati, per Textum *in Clem. 1.* ibique Gloſſ. *v. capiunt*, Abb. *num. 4.* Card. *n. 1.* Imol. *num. item 4.* Anch. *num. 2.* Vitalin. *num. 6. de exceſſib. Prælat.* Et in ſpecie quod Ordinarius non poſſit devenire ad comprehenſionem regularis exempti, tradit Rodriq. *tom. 2. q. regul. 63. art. 7.* ubi id ampliat ad Ordinarios, manus injicientes in Regulares, aitque eos incidere in excommunicationem ex Navarr. *conſil. 25. num. 83.*

Eademque ratione non poſſunt excommunicari, neque 2
interdici, ut per Gloſſ. *in d. Clem. 1. v. Interdicuntur*, ubi etiam Imola *num. 10.* Abb. *num. 10.* Vitalin. *num. 37. ac ſeqq.* S. Antonin. *in ſumm. part. 3. tit. 26. & part. 5. tit. 1.* ac Ricc. *in prax. var. reſol. 250. num. 1.*

Quod eo faciliùs procedit, quia ſimplices Clerici, quan- 3
tumvis ſubjecti ſuis Ordinariis, non debent carceribus mancipari, niſi prius conſtiterit delictum, ut per Joannem Andr. *in cap. ſi Clericos de ſentent. excomm. in 6.* Farinac. *in prax. de inquiſit. qu. 2. num. 2. & de carcer. q. 27. num. 79.* ac Rota *in Tarraconenſi electionis Abbatiæ 4. Maji 1611.* coram Attrebatenſi.

Sic etiam, ceſſante legitima cauſa probata, non poſ- 4
ſunt Eccleſia, & Clerici interdici, *can. nemo Epiſcopus 2. q. 1. cap. Sacro*, ibique Gloſſa, & DD. communiter *de ſentent. excomm.* ac Vitalin. *loco cit.*

Præ-

5 Præſertim verò hæc locum habent in iis Regularibus, qui non poſſunt obtinere bona ſtabilia, ut ſunt obſervantes Sancti Franciſci, ac Patres Theatini, ſed illa debent alienare juxta eorum Inſtitutum. Ideòque illis non refragantur Canones diſponentes, quod non poſſint bona Eccleſiaſtica alienari, prout in ſpecie declaravit Sacra Congregatio Concilii pro iiſdem Theatinis, ut alibi diximus. Sique in brevi dictum fuerit, quod hujuſmodi facultas non fuit conceſſa, quod illa Regulares indigerent, ſed ad majorem cautelam emptorum, cui abſque dubio potuerit renunciari, *cap. ad Apoſtolicam de re judic. cap.* 5. *de terra in fin. de privil.* Gloſſ. *in leg.* 1. *& in leg. ſi quis in conſcribendo C. de pact.*

6 Nec dicatur, quod in hoc caſu Ordinarius poteſt procedere, tanquam delegatus, ſaltem ratione ſuæ læſæ majeſtatis. Quia non adeſt aliquod delictum, nec poteſt dici læſa majeſtas, cùm partes, etiam ubi proceditur judicialiter, poſſunt concordare, ac deſiſtere a lite ſine aliqua injuria Judicis. Et pro excludendo delicto, etiam in dubio, facienda eſt interpretatio, *leg. meritò, ff. pro ſocio*, Becc. *conſil.* 77. *num.* 17. Surd. *conſil.* 321. *num.* 29. Ponderando etiam, quod ipſe procederet, non ſolùm, ut Ordinarius, ſed etiam ut delegatus, de cujus jure non eſt facienda ſtrictiſſima interpretatio, Natt. *conſil.* 39. *ſub initio*. Roland. *conſil.* 28. *num.* 37. *vol.* 4. ac Becc. *conſil.* 21. *num.* 14. Et in duodecim modis, in quibus exempti ſubjiciuntur Ordinariis, quos enumerat Rodriq. *d. tom.* 2. *q.* 63. *art.* 11. talis facultas non reperitur. Quinimmò articulo præcedenti firmatur, ob jus reverentiale Ordinarios non poſſe in exemptos juriſdictionem exercere.

7 At nihilominus dicendum eſt, non poſſe hujuſmodi Regulares, etiam vigore cujuſcumque alterius facultatis, hoc judicium omittere; & aliud inire, ſed tenentur coram Epiſcopo delegato omnia peragere, ut per Bald. *in leg.* 2. *num.* 29. *Cod. de ſervit. & aqua, & in leg. ædem num.* 13. *Cod. locati, & in leg.* 1. *num.* 1. *in fin. Cod. de re judic.* clariùs Neguſan. *de pignor. part.* 4. *num.* 25. Ruin. *conſil.* 57. *num.* 30. *& conſil.* 127. *num.* 12. *lib.* 4. & firmavit Rota *in Tampilonenſi Parochiali* 14. *Junii* 1613. coram Ubaldo, cujus deciſionem damus in fine, & in Ariminenſi bonorum 27. Junii 1618. coram Sacrato. Nam eo ipſo, quod quis prætendit omittere primum Judicem, hoc ſemper redundat in maximum ludibrium, & contemptum ipſius, ut ajunt Baldus, aliique ſupracitati, & totum id, quod ſequitur vigore illius novi Judicis, omiſſo primo, eſt ipſo jure nullum, ut præter Doctores allegatos tradit Rota *in dicta Papilonenſi*.

8 Recteque applicatur Textus *in cap. ut qui duas de elect. in* 6. Quia etiam admiſſo, quod Regulares habeant duplex Breve, ſive plures facultates pro facienda alienatione, producto tamen uno coram Judice delegato, & coram ipſo incœpto judicio, non poſſunt uti alia facultate, niſi ſequuta remiſſione cauſæ a primo Judice, ut per Gemin. *in dict. cap. ut qui duas num.* 3. Franch. *num.* 2. Pariſ. *conſil.* 77. *num.* 6. *lib.* 4. ac Surd. *deciſ.* 92. *num.* 13.

9 Et ideò cùm iſti Regulares faciant, quod ſibi de jure non licet, apertèque contemnant majeſtatem Judicis delegati a Summo Pontifice, non eſt dubitandum, quin ipſe Delegatus vigore ſuæ commiſſionis, ac juriſdictionis poſſit eos in pœnam hujus contumaciæ, & contemptus punire, *cap. de cauſis*, ibique Abb. *num.* 12. Cardin. *num.* 2. Butr. *num.* 13. *de offic. deleg.* Capell. Tholoſ. *quæſt.* 275. *num.* 2. Ricc. *in collect. deciſ.* 415. Quia hujuſmodi Regulares, non obſtante quacumque exemptione, in omnibus his, quæ concernunt merita, & incidentia ejuſmodi cauſæ ſunt ſubjecti juriſdictioni delegati per Butrium, Abbatem allegatos, & Decium *in d. cap. de cauſis num.* 13.

10 Pro infligenda autem pœna eſt advertendum, quod quando non repetitur pœna a jure ſtatuta, tunc ſive pars contemnat proſequi judicium, ſive non pareat, pœna delicti eſt arbitraria, ut per Butrium *in d. cap. de cauſis num.* 8. *& ſeqq.* Præſertim quando eſt delegatus Pontificis ad unam tantùm cauſam, ut per eundem Butr. *num.* 13. Quia tunc non ſolùm eſt ei permiſſum ſuſpendere, ac interdicere, ſed etiam acrius delictum contumaciæ, ac inobedientiæ punire, *cap. præterea*, ibique Butr. *n.* 1. *&* 5. Dec. *n.* 1. *cum binis ſeqq.* & Abb. *n.* 1. *de offic. deleg.*

11 Nec ſolùm hi Regulares irritè agerent, ſed etiam incurrerent pœnam a Sacris Canonibus inflictas contra alienantes bona Eccleſiaſtica, *in Extravagant. Ambitioſæ de reb. Eccleſ. non alienan.* & alias, quas congerit Quarant. *in Summ. Bullar. v. alienatio num.* 49. ac Rebuff. *in tract. de reb. Eccleſ. non alienan. a num.* 105. Æque ſunt ſacrilegium, depoſitio, ſuſpenſio, indignatio Papæ, perjurium, ſimonia, & homicidium, & quoad has pœnas puniri poſſunt.

Item attentatè procederent, contemnendo majeſtatem Judicis exequentis, coram quo lis pendet, etiamſi extrajudicialiter hìc procederet, Bellam. *deciſ.* 7. §. 8. Felin. *in cap. ſuper literis num.* 13. *de reſcript.* ſicut dicimus quoad committentem, etiam ante partis citationem, quod verè lis pendeat, Rot. *deciſ.* 6. *ut lit. pend. in nov. deciſ.* 17. *de dol. & contumac.* Caſſador. *deciſ.* 6. *ſuper reg.* Creſcent. *deciſ.* 12. *de cauſ. poſſeſſ. & propriet.* Put. *deciſ.* 239. *lib.* 2. Verall. *deciſ.* 169. *p.* 2. Lancellott. *de attentat. lit. pend. part.* 2. *cap.* 4. *num.* 35. & per attentata offenditur majeſtas Judicis, qui punire poteſt, Lancellott. *ibidem part.* 3. *cap.* 27. *num.* 10. 39. *& ſeqq.* 12

Quinimmò manifeſtam injuriam inferrent Delegato, impediendo juriſdictionem exequutoris delegati, quo in caſu poteſt Delegatus Regulares ita contemnentes, & inferentes injuriam, punire, per Textum *in cap.* 1. *de pœn. in* 6. Doctores *in cap.* 1. *de offic. delegat.* Et quod quando impenditur proceſſus Delegati, dicatur ei fieri injuria, tradunt Doctores *in d. cap.* 1. nominatim Innoc. *num.* 5. *de offic. deleg. & in d. c.* 1. *de pœn. in* 6. Quæ injuria eſſet manifeſta per acta publica, ſpernendo, attentando in fraudem juriſdictionis Apoſtolicæ delegatæ; immò illam uſurpando, & authoritate propria faciendo id, quod authoritate Apoſtolica, ſpecialiter delegata, faciendum, & exequutioni demandandum eſt, necnon impediendo. Immò ad contemptum ſufficit ſola contumacia, Lancellot. *ad attent. lit. pend. limit.* 18. Et licèt requiratur dolus, ut dicatur turbata juriſdictio; in hoc tamen caſu eſſet patens, ex quo fieret venditio contra præceptum Papæ, Lancellot. *ibid. d. limit.* 18. *& in præfat. num.* 127. 13

Idque etiam, non obſtante Regularium exemptione. Nam etiam Epiſcopi poſſunt punire exemptos turbantes ſuam juriſdictionem *per d. cap.* 1. *de pœn.* ut declaravit Sac. Congregatio Concilii in Panormitana contra Religioſos Melitenſes exemptos. Cùm enim eidem Sacr. Congregationi expoſitum eſſet, quod quidam miles Religionis Hieroſolymitanæ offendit miniſtrum Archiepiſcopi Panormitani in actu exercendi ſuum officium, & cùm Archiepiſcopus vellet contra eum procedere, oppoſuit ſe eſſe exemptum, & propterea non poſſe ab Archiepiſcopo puniri. Unde, ne hujuſmodi delictum remaneret impunitum, & Archiepiſcopus in futurum ſciat quomodo poſſit contra ejuſmodi delinquentes procedere, emanavit dubium, *An milites Hieroſolymitani offendentes perſonam Officialium Curiæ Archiepiſcopalis Panormitanæ in actu exercendi ſuum officium, aut aliàs Archiepiſcopi juriſdictionem impedientes, ab eodem coerceri, & puniri poſſint.* 14

Sacra Congregatio Cardinalium, Concilii Tridentini Interpretum, partibus auditis dubioque accurate diſcuſſo, cenſuit, poſſe; R. Cardinalis Ubaldinus, 15

Quæ ſanè moltò magis procedunt, ſi in exemptione Regularium non derogetur Concilio Lugdunenſi, de quo *in cap.* 1. *de privil. in* 6. ubi clarè habetur, quod exemptio non ſuffragatur ratione delicti. Diſpoſitio namque Conciliaris, niſi in ſpecie derogetur, habet clauſulam derogatoriam ad futuras diſpoſitiones, *cap. ex parte de Capell. Monach.* ac fusè Moneta *de commut. ult. vol. cap.* 1. *num.* 165. *& c.* 7. *num.* 177. 16

Sed demus tandem, quod Regulares ſint exempti, quæ tamen dicuntur de Epiſcopo, & Archiepiſcopo *in dict. cap. de pœn.* & in dicta declaratione Panormitana, multò magis procedunt in ordinario delegato, cui ſubjiciuntur in hoc omnes ſubjecti juriſdictioni Papæ delegantis, ut per Doctores *in d. cap.* 1. *de offic. deleg.* ubi Innoc. *num.* 2. aliiſque, quos ibi refert Barboſ. *num.* 2. *&* 4. Præſertim in hoc caſu, in quo Papa ſciens, ac prudens commiſit cauſam ad inſtantiam Regularium, ipſique præſentarunt literas Apoſtolicas Ordinario, ſicque ſubintrat regula, quod delinquens coram Judice ſit de illius foro, & juriſdictione, Gail. *obſerv.* 39. *lib.* 1. *&* Peguera *deciſ.* 79. 17

Nec obſtat, quod Regulares nonnulli habeant facultatem alienandi per ſeipſos. Nam cùm elegerint hanc viam, illaque obtinuerint a Pontifice, ac ejus literas Apoſtolicas præſentaverint, judiciumque incœperint, non poſſunt modò ab illa recedere, ut in ſpecie de illo, qui propria authoritate poterat facere, ſi Judicem adiverit, firmavit Rota in dicta *Pampilonenſi Parochialis* coram Ubaldo, cujus particula eſt hujuſmodi. 18

Secundò, movebantur Domini, quia malè videbatur capta poſſeſſio, & ideò non manutenibilis, quamvis aliàs qui cœpit, eſſet bono jure munitus, Rota *deciſ.* 21. *num.* 3. *&* 6. *part.* 2. *div.* Quod autem malè eſſet capta, 19

dedu-

deducebatur, quia fuit capta propria authoritate, licèt enim hæc facultas illi competeret ex natura ſubrogationis gratioſæ, Put. *deciſ.* 214. *lib.* 1. cum aliis allegatis, tamen cùm ante captam poſſeſſionem adiverit Rotam pro juſtificatione ſuæ gratiæ, & ſuper hoc fuerit cœpta diſputatio, videtur ſibi præjudicaſſe, ut non poterit, relicta via Judicis, quam ſemel elegerat, redire ad viam facti, & ad propriam authoritatem, qua anteà uti poterat Bald. *in leg.* 2. *quæſt.* 10. *num.* 34. *Cod. de ſervit. & aqu. & in leg.* 3. *num.* 21. *Cod. locat. & in leg.* 1. *num.* 1. *Cod. de exec. rei judic.* Alex. *conſ.* 105. *nu.* 32. *lib.* 3. *& conſil.* 130. *num.* 12. *leg.* 4. Jaſ. *in leg.* 2. *n.* 114. *Cod. de jur. emphyt.* Dec. *conſil.* 146. *num.* 5. *& 6.* Ruin. *conſil.* 57. *num.* 3. *lib.* 4. *& conſil.* 127. *num.* 11. *ac ſeqq. lib.* 5. Soccin. *conſil.* 195. *num.* 6. *lib.* 2. Decian. *conſil.* 42. *lib.* 3. cum aliis cumulatis per Corbul. *de cauſ. privileg. ob non ſolut. Canon. quæſt.* 13. *num.* 2. & fuit dictum in cauſa Romana domus 5. Novembris 1599. coram Lancellotto, & in cauſa Mediolanen. bonorum, ſeu emphyteuſis 18. Aprilis 1603. coram Reverendiſſimo Bononienſi, & in Romana domorum 24. Februarii præteriti coram me, & plura ſimilia ad hoc congerit Lancell. *de attent. lit. pend. p.* 2. *cap.* 4.

CONSULTATIO XXIX.

An, & quatenus Regulari, de crimine accuſato, vel damnato debeantur a Monaſterio alimenta, & ſumptus litis?

1 IN hac re decantatiſſimum eſt, quod, lite pendente, non ſunt collitiganti ſubminiſtranda alimenta, & ſumptus litis, per Textum *in leg. Imperatores, ff. de tutel. & ration. diſtrahen.* Add. *ad deciſ.* 617. *num.* 1. *ac ſeqq. part.* 4. *tom.* 3. *rec.* ubi plures Rotæ deciſiones adducuntur, & firmatur in Reatina Caſtrorum 19. Junii 1656. coram Albergato.

2 Receditur tamen ab hac Regula ubi concurrunt copulativè paupertas, & præſumptio boni juris, ut communiter tradunt Doctores, & ſervat praxis. Ubi verò deficit alterum requiſitum, ut ſi fuerit per ſententiam condemnatus de crimine, ceſſat præſumptio boni juris, ſicut enim ſententia favorabilis probat præſumptionem boni juris ad effectum obtinendi alimenta, quamvis ab ea fuerit provocatum, & per appellationem remanſerit ſuſpenſa per *leg. ſi inſtituta §. de inofficioſo, ff. de inoffic. teſtam.* Dec. *in cap. quoniam num.* 134. *de probat.* & paſſim firmavit Rota, ita ſententia contraria, donec non fuerit revocata, præbet præſumptionem mali juris, ut arguit Gloſſ. *in cit. §. de inofficioſo v. decerni*, ibi, *& cum obtinuit in præſenti, alias fortè ſecus*. Quod ſequitur frequenter Rota præſertim *deciſ.* 748. *num.* 2. *part.* 2. *recent.* ubi quod ideò ſententia contraria non nocet, quia fuit per aliam revocata.

2 Hæc quidem faciliùs procedere debent in Regulari, qui debet humiliter parere ſententiæ contra ſe latæ, non autem ad confovendum ſe diutiùs in contumacia, reſcriptum appellationis impetrare, ut providè fuit ſancitum in Concilio Lateranenſi, relato *in cap. reprehenſibilis de appell.* his verbis: *Nec ſubjectis contra diſciplinam Eccleſiaſticam in vocem appellationis erumpant*. Docteque Abbas Canoniſtarum phœnix, *in cap. Cùm contingat num.* 17. *de for. compet.* ad hanc rem opportunè, quod ubi per Superiorem fuit contra ſubditum actum ſecundùm regularia inſtituta, ſi velit ſubditus reclamare, minimè ſunt ei ſumptus litis, & alimenta ſubminiſtranda. Cùm enim ſuperior de ſalute ſui Monachi quærit, ille debet humiliter obedire. Nam ſive plectendo, ſive corrigendo, hoc ſolùm benè agitur, ut vita hominum corrigatur. Hæc Abbas.

4 Quibus ſuffragantur tradita per Ricc. *deciſ.* 191. *nu.* 3. *part.* 1. ubi rectè ait, quod ſi Monachus Abbatem accuſet, mereri poteſt litis expenſas, quia Monaſterii cauſam agit, ſecus ſi ipſe contra Abbatem reſcriptum impetraſſet. Quia tunc agit cauſam propriam, nec ulla Monaſterii utilitas concurrit. *Et utilius*, inquit Auguſtinus, adductus *in can. non omnis* 5. *q.* 5. *eſurienti panis tollitur, ſi de cibo ſecurus, juſtitiam negligebat, quàm eſurienti panis frangitur, ut injuſtitiæ ſeductus*, aliàs *ſecurius acquieſcat*. Contingit enim plerumque, ut ſpes habendi alimenta, & ſumptus litis inducat multos ad temerè litigandum, ut proindè Menoch. *præſumpt.* 35. *numer.* 21. *lib.* 1. aſſerat, in Monachum debere potiſſimum concurrere hoc requiſitum præſumptionis boni juris, ut poſſit obtinere alimenta, & ſumptus litis.

5 Atque hæc eſt diſtinctio, quam in hac materia regularis litigantis contra ſuperiorem, non tamen accuſando Abbatem pro utilitate Monaſterii Canoniſſæ communiter ſequuntur, inhærendo Speculatori *de inquiſit. §. ult. num.* 5. Quod ſcilicet, ſi fuerit proceſſum contra Monachum ad inquirendum de ejus criminibus ſecundùm regularia inſtituta, nullæ debent expenſæ litis ſubminiſtrari, ſi verò proceſſum fuerit ſecundùm formam juris, cùm debeat ſibi ſuperior imputare, quod hanc viam elegerit, ad quam non tenebatur, debet pariter pati, quod Monacho accuſato, & in judicium tracto ſubminiſtrentur ſumptus litis neceſſarii, ut præ aliis tradunt Anan. *in cap. ex parte num.* 5. *de accuſat.* ubi etiam Butr. *num.* 7. Anchar. *eodem num.* Felin. *num.* 4. Soccin. *num.* 6. & Abb. *in cit. cap. Cùm contingat n.* 37. *de for. compet.* Eamdemque diſtinctionem approbant Boer. *deciſ.* 325. *num.* 1. aliique multi.

Porrò ſi non debentur alimenta, & ſumptus litis in futurum, multò minus prætendi poſſunt pro tempore præterito, cùm hæc ſit differentia inter alimenta, quæ prætenduntur jure actionis, & ea, quæ in ſubſidium, uti hæc ſunt, quemadmodum differit Bart. *in leg. liberis, §. manumiſſos num.* 3. *ff. de alim. & cib. leg.* rationem reddens, quod ubi ſunt debita in ſubſidium, & officio Judicis, ceſſat ratio, quod peti valeant, ubi quis jam ſe alimentavit. Idipſum poſt Baldum, & alios probat Felin. *in d. cap. ex parte num. fin.* ac Surd. *de aliment. tit.* 5. *quæſt.* 32. *num.* 40. 6

Et quidem de præteritis nulla prorſus habenda eſt ratio, ſi non adſit ſpecialis petitio, nec Regularis doceat, ſe aliquod debitum contraxiſſe, ut per Bart. *in d. leg. libertis d. num.* 3. ubi quod ſi filius ſe ſuis laboribus alimentaverit, vel fuerit ei donatum aliquid, non agit contra partem pro alimentis præteritis, Surd. *loco cit. num.* 43. Gratian. *diſcept.* 60. *num.* 20. & Afflict. *deciſ.* 10. *num.* 4. 7

Prætereà certum eſt, quod Regularis habetur loco filii, & tanquam filius Monaſterio obligatur. Unde ſi Regularis graviter ſuum Superiorem offenderit, ut ſi deveniret ad actum proximum propinationis veneni, quemadmodum ſi id patraret in patrem naturalem, poterit juſtè exhæredari, *auth. ut cùm de appell. cognoſc. §. cauſas autem, verſic. vitæ parentum ſuorum per venenum, aut alio modo inſidiari tentaverit*, ita & a Monaſterio licitè ipſi denegantur alimenta, Gloſſ. *in leg. ſi quis a liberis §. idem Judex v. detulerat ff. de liber. agnoſc.* Surd. *ibid. tit.* 7. *q.* 1. *num.* 5. ac Rota *in Bononien. alimentorum* 4. Martii 1654. coram Albergato. 8

Itaque, vel alimenta petuntur ex beneficio, quod habet collitigans pauper, vel ex neceſſitate, qua tenetur Monaſterium erga Monachos. Si primo modo, deficit principale requiſitum, nempè bonum jus, ſi Regularis habet contra ſe ſententiam, ut per Rotam coram Creſcentio *deciſ.* 8. *de re judic.* coram Seraph. *deciſ.* 426. *n.* 1. Add. ad Burrat. *deciſ.* 15. idemque Buratt. *deciſ.* 26. *num.* 1. *& deciſ.* 708. *num.* 6. 9

Si ſecundo modo, ſuffragatur alimentorum petitio, ſi quæſtio eſt ſuper delicto commiſſo in perſonam, præcipuè proprii ſuperioris; juſtè namque denegantur alimenta illi, qui enormiter delinquit in obligatum alere. Sic de filio delinquente in patrem, probat Surd. *d. tit.* 7. *quæſt.* 1. *num.* 1. *& ſeqq.* Sic rurſus de filio naturali calumniosè impugnante teſtamentum patris, Grat. *diſceptat.* 567. *num.* 14. ſic de filia, quæ peccavit in corpus ſuum, idem Surd. *loco cit.* quem ſequitur Rota in d. Bononienſi coram Albergato. Et in terminis Monachi impugnantis ſententiam electionis, quod etiam durante lite ei non debeantur alimenta, firmat Rota coram Puteo *deciſ.* 202. *lib.* 1. Eſtque regula, quod ubi Monachus proſequitur cauſam propriam, nec agit de utilitate Monaſterii, Monaſterium non teneatur ad alimenta ei præſtandum, neque ſumptus litis. Ita reſumpta doctrina dicti *cap. ex parte de accuſ.* diſertè confirmat Put. *deciſ.* 264. *num.* 1. *lib.* 1. 10

Ad id autem, quod Monachus delinquens fame periret, ſi ei alimenta non ſubminiſtrarentur, optimè reſpondet Paulus de Caſtro *conſil.* 76. *lib.* 1. in quo firmat in terminis Monachi ob delictum expulſi, quod ſublata per delictum cauſa accidentali, quam dicit habere Monaſterium reſpectu Monachi, ſubintrat cauſa naturalis parentum, & conſanguineorum ejuſdem in ſæculo degentium, & quod proindè ab iis petenda ſunt alimenta. 11

In omnem tamen caſum alimenta ſunt præſtanda domi apud Monachos, in quibus nulla ſuſpicio cadere poteſt ob qualitatem vitæ Religioſæ, attento præſertim, quod Sac. Congregatio ſuper Epiſcopis, & Regularibus non conſuevit talem ſuſpicionem admittere, ſed ſolet mandare, ut è carceribus tranſferantur ad ſua Monaſteria, nulla habita conſideratione vehementiſſimæ ſuſpicionis, quam plerumque allegant. Huic noſtræ Conſultationi ſubnectere operæ pretium putavi cauſam Panormi- 12

normitanam Congruæ, utrinque peroratam, ac dignam, quæ referatur multis, ac magnis authoritatibus nixam, ac documentis authenticis inſtructam, omnibuſque juris præſidiis cumulatam, ſemel, iterum, ac pluries judicatam. Status enim Reipublicæ rebus judicatis continetur, ejuſque intereſt res judicatas non reſcindi. Verùm illam differre judicavi ſuo loco referendam.

CONSULTATIO XXX.

Quam juriſdictionem habeant Priores, eorumque Vicarii Sacræ Religionis Hieroſolymitanæ in ſuos ſubditos? Ubi ad rem adducitur decretum S. Concilii Tridentini ſeſſ. 23. cap. 15. de reformat. ac illius explanatio.

1 REſpondeo. Habent privilegium exercendi juriſdictionem temporalem, & juriſdictionem quaſi Epicopalem in ſubditos ſuorum Prioratuum *ex Conſtitutione* 9. Pii IV. §. 20. & 21. ideòque juſtè poſſint approbare confeſſarios ad confeſſionem audiendam, quod eſt præcipuus effectus dictæ juriſdictionis. Idemque Pius IV. *ibid.* §. 29. tribuit facultatem audiendi confeſſiones omnibus Capellanis Hoſpitalis. Quod eſt de jure, ut habentes quaſi Epiſcopalem juriſdictionem poſſint approbare confeſſarios, ut tradunt Zabarel. *in Clem. Dudum §. ſtatuimus num.* 7. *de ſepult.* ibique Anchar. *num.* 12. Imol. *num.* 27. & Vitalin. *num.* 10. ac profequuntur Silveſt. *in ſum. v. Confeſſarius* 2. *quæſt.* 7. Moneta *de commutat. ultim. volunt. cap.* 5. *num.* 455. Bordon. *reſol. regular. tom.* 1. *reſol.* 36. *num.* 56. Boſ. *ſeſſ.* 3. *caſ.* 2. *num.* 6. Campanil. *in diverſ. jur. Canon. rubr.* 12. *cap.* 13. *num.* 76. Barboſa *de offic. & poteſt. Epiſcop. part.* 2. *allegat.* 25. *num.* 9. ubi in ſpecie de Prioribus Hieroſolymitanis, & latè firmavit Rota *deciſ.* 798. *part.* 4. *diverſ. & deciſ.* 203. *nu.* 12. *part.* 7. *recent.*

2 Nec refragatur diſpoſitio S. Concilii Tridentini *ſeſſ.* 23. *cap.* 15. *de reformat.* nam, licèt loquatur de Epiſcopis, non tamen excludit alios Ordinarios, habentes quaſi Epiſcopalem juriſdictionem in Clerum, & populum ſibi ſubjectum, ut reſpondit Rota *d. deciſ.* 798. *num.* 2. & *ſeqq.* fallitque in iis locis, ubi hæc Religio, ejuſque Priores utramque exercent juriſdictionem in populum, ſibi ſubjectum, & omninò exemptum a juriſdictione Ordinarii.

3 Cùm enim ex hoc habeant juriſdictionem quaſi Epiſcopalem, dicuntur venire nomine Epiſcopi, de quo loquitur Concilium. Ita Silveſt. *loco cit.* Sanchez *de matrim. lib.* 3. *diſp.* 29. *num.* 5. & *lib.* 8. *diſp.* 2. *num.* 12. & *lib.* 2. *moral. cap.* 11. *num.* 5. Gratian. *diſcept.* 212. *num.* 3. Barboſ. *in Collect. ad d. cap.* 15. *num.* 29. ac fusè Ciarlin. *controv. tom.* 2. *cap.* 208. *poſt num.* 44. & 53. *ac ſeqq.* & *cap.* 22. *ſub num.* 67. *ac ſeqq.* ubi alios cumulat Barboſ. *d. reſol.* 36. *num.* 63.

4 Ideòque S. Concilium hujuſmodi Prælatis, ſeu Vicariis, quaſi Epiſcopalem juriſdictionem habentibus, non dicitur reſiſtere, ſed aſſiſtere, ut plenè per eumdem Ciarlinum, *d. cap.* 208. *num.* 45. & *ſeqq.* & conſequenter in his locis approbatio Confeſſariorum, ac reſervatio caſuum pertinet ad Vicarium generalem Prioratus privativè quoad Ordinarium ut in terminis Henriq. *in ſumm. lib.* 6. *cap.* 6. §. 1. aliique citati a Sanch. *d. diſp.* 26. *num.* 14. Squillant. *de privil. Cler. cap.* 1. *num.* 58. & Novar. *in concluſ. nov. jur. Pontif. concl.* 68. *num.* 3. Ciarlin. *loco cit. num.* 45. Rota *in Montis Caſinenſis juriſdictionis* 27. Martii 1651. coram Bichio.

5 Quapropter facultas, quam habent Epiſcopi ex decreto S. Concilii Tridentini *ſeſſ.* 24. *cap.* 6. *de reform.* competit etiam omnibus Prælatis inferioribus, habentibus quaſi Epiſcopalem juriſdictionem in populum exemptum ab Ordinario. Dicuntur enim veri Ordinarii in locis ſuæ juriſdictionis, ut latè Sanch. *de matrim. d. lib.* 8. *diſp.* 2. *n.* 12. & *lib.* 2. *moral. d. cap.* 11. *n.* 5. Mantica *de commut. ult. volunt. cap.* 5. *num.* 455. Tambur. *de jur. Abbat. tom.* 2. *diſp.* 17. *quæſt.* 8. *num.* 4. & 5. ubi rem examinat, aliique apud Ciarlin. *d. cap.* 208. *num.* 47.

6 Ratio autem eſt, quia habentes ex privilegio Apoſtolico juriſdictionem quaſi Epiſcopalem cum plena exemptione in locis præcipuè ſub ſuo dominio exiſtentibus, faciunt territorium ſeparatum ab Epiſcopo, ac propriam Diœceſim, Rota coram Mart. Andr. *deciſ.* 54. *num.* 2. & 5. ac per totam, & *deciſ.* 117. *num.* 3. & 4. apud Tambur. *de jur. Abbat. tom.* 3. quo caſu dicitur verus Ordinarius, ac Diœceſanus, taliſque etiam declaratur a Papa in dicta Conſtitutione Pii IV. §. 65. & in Conſtitutione 60. Gregorii XIII. §. 3. ac propterea venit ſub nomine Epiſcopi, de quo loquitur textus S. Concilii Tridentini *in d. cap.* 15. *ſeſſ.* 23.

7 Nulloque pacto ad hanc rem pertinet Conſtitutio 115. Clementis VIII. Nam loquitur de Confraternitatibus aggregatis, non de Equitibus Hieroſolymitanis. Ideò marginator in hoc voluit abundare in docendo, non autem declarare Conſtitutionem Pii, ut patet ex verbis, quibus utitur. Simpliciter enim ſe remittit, non ſtatuit. Nec Conſtitutio Clementis moderatur privilegium Religionis Hieroſolymitanæ, nec procedit in locis plenè exemptis, in quibus Priores Religionis ſunt veri Ordinarii.

Idemque dicendum eſt de reſervatione caſuum. Pendet enim ab eadem juriſdictione, ut in ſpecie tradunt Gypſius *de caſib. reſerv. cap.* 1. *in præf. num.* 6. Valquez *in* 3. *part. D. Thom. quæſt.* 91. *art.* 3. *dub.* 1. *num.* 9. Suarez *in eadem* 3. *part. diſp.* 29. *num.* 7. Juniper. *de caſib. reſerv. part.* 1. *diſp.* 1. *q.* 2. *num.* 1. Miranda *in manual. tom.* 2. *quæſt.* 34. *art.* 1. Rodriq. *tom.* 1. *quæſt. regul.* 21. *art.* 2. qui ultimi dicunt eſſe quaſi aſſertionem hæreticalem aſſerere contrarium. 8

Neque obſtat Conſtitutio 77. §. 7. B. Pii V. quæ reducit privilegio Religionis Hieroſolymitanæ ad terminos Concilii in iis, quæ concernunt curam animarum, nam id procedit tantùm in viſitatione, non autem extra eam, quandò ſcilicet Religio habet territorium ſeparatum cum juriſdictione, ut ex declaratione dictæ Sacræ Congregationis Concilii tempore Cardinalis Vicecomitis, quæ eſt impreſſa apud Novarium, *in ſumm. Bullarii tom.* 2. *fol.* 607. *in* 4. & 5. *dubio propoſito.* 9

Immò in locis, in quibus habet Religio Hieroſolymitana utramque juriſdictionem, nullatenus poſſunt Ordinarii viſitare, ut declaraſſe Sacram Congregationem pro hac Religione referunt Lezana *in ſumm. part.* 2. *cap.* 5. *num.* 52. & Barboſ. *in apoſtil. deciſ. collect.* 214. *num.* 18. 10

Et generaliter in aliis exemptis, quando ii habent utramque juriſdictionem, non competere Epiſcopis ullum jus viſitandi, decernitur in Sacro Concilio Tridentino *ſeſſ.* 25. *cap.* 11. *in fin. de regul.* ubi Barboſ. *num.* 15. & tradit Rota apud Mantic. *deciſ.* 362. *ante finem*, & apud Seraphin. *deciſ.* 1067. *num.* 2. & *part.* 2. *recent. deciſion.* 493. *numer.* 5. & *in Abellinenſi Juriſdictionis* 4. Julii 1646. coram memoriæ nunquam perituræ Alexandro VIII. 11

Attendique debet obſervantia, quæ militat pro Religione, nec aliqui forſan actus facti ab Epiſcopis attendi debent, ſi non conſtiterit de ſcientia, & patientia ſuperiorum Religionis. Eoque præſertim, quia Conſtitutio Pii IV. continet decretum irritans, & clauſulam *ſublata*, quæ impediunt contrariam obſervantiam, Cavaler. *deciſ.* 595. *num.* 5. Merlin. *deciſ.* 187. *num.* 3. & *deciſ.* 846. *num.* 18. & *deciſ.* 288. *num.* 15. & *deciſ.* 319. *num.* 6. & 7. *part.* 6. *recent.* 12

In qua quidem poſſeſſione S. Religio, ejuſque Priores, & Vicarii ſunt manutenendi, Poſt. *de manut. obſerv.* 45. *num.* 34. & in ſpecie poſt alios Ciarlin. *d. cap.* 220. *num.* 74. & *ſeqq.* & *num.* 123. 13

Conſtito igitur, quod hæc S. Religio, ejuſque Vicarii habeant in ſuis locis, non ſolùm juriſdictionem temporalem, ſed etiam ſpiritualem ex privilegiis Apoſtolicis, quæ tribuunt ei poteſtatem Epiſcopalem cum omnimoda exemptione ab Ordinariis, utique habere dicuntur ſeparatum territorium, ſeparatamque juriſdictionem privativè ad Epiſcopos, etiamſi agatur de exiſtentibus intra limites eorum Diœceſum, ut latè per Cardinal. Mantic. *deciſ.* 361. & 362. ac per Ciarlin. *d. cap.* 220. *a num.* 84. ubi ait, nihil repugnare, quod aliquis exemptus, etiam nullius, ſit extra fines alicujus Diœceſis ex Rota apud Tambur. *de jur. Abbat. par.* 3. *deciſ.* 48. *num.* 7. ac plenè *in dicta Montis Caſinenſis, §. ex quibus*, ubi quod hæc Conſtitutio territorii ſeparati intelligitur non impropriè, ac per modum æquiparationis, prout eſſet caſus in ſimpliciter exempto, ſed verè, ac propriè, ut contingit in exemptione plena, qualis hæc eſt. 14

Siquidem ex privilegio Clementis VII. relato in dicta Conſtitutione a Pii IV. §. 20. *tom.* 2. *Bullar.* & §. 29. & 65. conceſſa legitur magno Magiſtro, & Conventui omnimoda juriſdictio in perſonas, & bona, necnon plena exemptio ab Ordinariis, adeòut Præceptores Commendarum intra limites ſuarum juriſdictionum veri Ordinarii exiſtant. Quod etiam legitur confirmatum, ac diſpoſitum a Gregorio XIII. Conſtitutione 60. §. 3. ejuſdem *tom.* 2. *Bullar.* & §. 36. ejuſdem Conſtitutionis Pii IV. hoſpitale, & loca quæcumque, ac perſonæ etiam Eccleſiaſticæ, & curam animarum exercentes, plenè eximuntur, & ſub protectione S. Petri, ac Sedis Apoſtolicæ ſuſcipiuntur. Quæ quidem exemptio ſub protectione S. Petri tollit penitus omnem difficultatem, ut expreſsè decernitur *in cap. ſi Papa*, §. *ſi autem de privil. in* 6. & *in cap. ex parte* 1. ibique Gloſſ. *v. ſpecialiter eod. tit.* 15

ac ſu-

ac fusè Rota *in Rossanensi exemptionis* 20. Aprilis 1640. confirmata 22. Junii ejusdem anni coram Carillo.

16 Præsertim verò, si ex testibus probetur, hanc jurisdictionem quasi Episcopalem semper Vicarium generalem S. Religionis exercuisse, ac exercere. Quæ probatio suffragatur ad effectum, de quo agitur ex traditis a Gratiano *discept.* 871. *num.* 1. & *seqq.* Barbosa *ad Concil. Trident. sess.* 24. *de reform. cap.* 18. *num.* 15. & *seqq.* & a Ciarlino *dict. cap.* 220. *num.* 66. & 75. *cum tribus seqq. ac num.* 123.

17 Omnia verò, quæ in contrarium adduci possunt, procedunt, vel in illis Prælatis inferioribus, qui sunt in Diœcesi Episcopi, licèt sint exempti, quia licèt non sint de Diœcesi propter exemptionem, sunt tamen in Diœcesi, secus autem si sunt nullius. Ita Abbas, Felinus, & alii, quos refert, ac sequitur Ciarlin. *dict. cap.* 208. *num.* 9. vel extra casum plenæ, ac omnimodæ jurisdictionis, quando autem agitur de exemptione plena, fundata est intentio in Constitutione territorii separati per modum non improprium, sed verum, quamvis locus, de quo agitur, sit intra limites Diœcesis Episcopi juxta doctrinam Geminiani *in cap. Cùm Episcopus num.* 4. *de offic. Ordin. in* 6. & *in cap.* 2. *num.* 19. *de constit. eod.* Gratian. *d. discept.* 212. *num.* 8. cum aliis congestis in d. Montis Casinensis, quibus adde Monetam *loco cit. num.* 443. 454. & *seqq.*

18 Quod eo facilius affirmandum est, quia hujusmodi licentiarum concessio est actus jurisdictionis, Bordon. *dict. resol.* 36. *num.* 65. Bonac. *de pœn. part.* 4. §. 1. *num.* 16. adeòut ex hoc jurisdictionem Episcopi in locis, qui prætendebantur exempti, argui dixerit Rota *decis.* 22. *n.* 2. & *decis.* 203. *num.* 14. *part.* 7. *recent.* & *in Benceventana Jurisdictionis* 13. Maji 1652. §. *cessantibus* coram Zarate, & propterea iste actus ab eo solùm exerceri potest, qui habet propriam, ac veram jurisdictionem in eos, quibus illam conferre intendit.

19 Quæ sanè procedunt non modò quoad approbationem Sacerdotum sæcularium, sed etiam Regularium degentium in territorio, ut per Bordonum, qui pluribus rationibus id probat *dict. resolut.* 36. *num.* 64. & *seqq.*

20 Unde dubitari non potest, quin dicti Vicarii possint aliquos casus sibi reservare, cùm is, qui confessarios approbandi potestatem habet, casus etiam reservandi habeat facultatem, Bonac. *loco cit. quæst.* 7. *punct.* 5. *propos.* 1. Mirand. *tom.* 2. *quæst.* 34. *art.* 1. & alii, quos sequitur Bordon. *d. resol.* 36. *num.* 28. & *seqq.*

21 Eòque magis, quia is, qui habet jurisdictionem Episcopalem, potest dispensare, & absolvere suos subditos a casibus in Concilio Tridentino *sess.* 24. *cap.* 6. Episcopo in sua Diœcesi concessis, ut per Sanchez *de matrimon. dict. lib.* 8. *disp.* 2. *num.* 12. ac dispensare a voto Sanch. *lib.* 4. *in decalog. cap.* 38. *num.* 19. & Moneta *d. cap.* 5. *num.* 455.

22 Ideòque, cùm ex dictis pateat hujusmodi Priores, eorumque Vicarios posse a reservatis absolvere, possunt etiam reservare. Qui enim potest solvere, potest etiam ligare *can. verbum Dei de pœnit. dist.* 1. & Bordon. *dict. resol.* 36. *num.* 30.

23 His autem positis, nihil relevat, si dicatur, præfatos actus approbationis Confessariorum, ac reservationis casuum posse expediri per ipsammet S. Religionem, apud quam residet jurisdictio, non autem per ejus Vicarium, qui solùm habet talis jurisdictionis exercitium.

24 Nam quæ conveniunt Episcopo ex officio, competunt etiam ejus Vicario, nisi contrarium in Concilio Tridentino sit cautum, Sanchez *d. disp.* 29. *num.* 16. & propterea, cùm habens jurisdictionem quasi Episcopalem veniat nomine Ordinarii, & prædicta facere possit, poterit etiam ea facere ipsius Vicarius, ut probat Sanchez *de matrim. d. disp.* 29. *num.* 4. & in terminis Ordinum militarium, idem Sanch. *ibid. num.* 19.

25 Unde, cùm Vicarius sit constitutus in quasi possessione administrandi jurisdictionem quasi Episcopalem in sua Diœcesi privativè quoad Episcopum, ex hoc resultat, quod ipse omnia possit explere, quæ de jure sunt Episcopo concessa contemplatione Diœcesis, ut per Gloss. *in Clement. unic.* §. *volumus, v. Diœcesanis de for. comp.* Monetam *loco cit. dict. cap.* 5. *num.* 457. & Sanch. *dict. disp.* 29. *num.* 16.

26 Nec obstat, si Episcopus pluries concesserit ejusmodi licentias confessariis locorum S. Religionis cum reservatione casuum. Nam oportet probare, quod eas concesserit cum dicti Vicarii scientia, & patientia, prout, stantibus dictis privilegiis Apostolicis, & illius quasi possessione id agendi, est necessarium, ut aliquod hinc jus Episcopo potuisset acquiri, Rot. *decis.* 41. *num.* 11. *part.* 5. & *decis.* 185. *num.* 1. *part.* 3. *recent.* & *dec.* 181. *num.* 20. apud Posth. *de manut.*

Maximè autem, si contrarium doceatur, quod scilicet Vicarius nunquam permiserit aliquem Confessarium ab Episcopo approbatum, confessiones audire, notamque reservationis casuum ab eo indictam a confessariis deleri, & casus a se reservatos affigi curaverit. Ex quibus omnis Vicarii acquiescentia prorsus excluditur. Quo stante, approbationes Episcopi non sunt attendendæ, Rota *in Placentina beneficiorum* 11. Maji 1646. §. *Illa verò*, & §. *seqq.* coram Ghislerio. 27

Quia in locis immediatè subjectis Religioni, eorumque Prioribus, id pertinet ad eorum Vicarios, non ad Episcopum. Quia dicti Priores sunt veri Ordinarii in proprio territorio ex privilegio Apostolico, in quo habent jurisdictionem quasi Episcopalem, quam exercent per Vicarium, ut latè Flor. de Mena *var. lib.* 3. *qu.* 24. *num.* 18. 28

Præterea non obstat Constitutio B. Pii V. nec Constitutio Gregorii XIII. & Sixti V. quæ reducunt privilegia Religionis ad terminos S. Concilii Tridentini in iis, quæ pertinent ad curam animarum, & administrationem Sacramentorum, in quibus locorum Ordinarii, tanquam Sedis Apostolicæ delegati procedere possunt, non obstante exemptione. 29

Nam procedunt, prout loquuntur, in locis subjectis Ordinario, quibus simplex exemplum non suffragatur quoad visitationem, & curam animarum, secus autem in locis pleno jure subjectis Religioni, ejusque Prioribus, qui in illis ex privilegio habent proprium territorium, & omnimodam jurisdictionem, suntque veri Ordinarii ita, quod, ne possint quidem visitari ab Episcopis, nisi authoritate delegata, Barbos. *in collect. Bullar. v. Eques Hierosolymitanus*, referens ex Armendario, ita declaratum fuisse a S. Congregatione super Episcopis, & Regularibus, & *in tract. Apostolic. decis.* 314. *nu.* 18. Immò etiam dicta Constitutio Gregorii XIII. *in Bull.* 67. §. 2. excipit personas, quæ Ecclesiis actu inserviunt, & intra tecta dictorum Equitum residunt, ac sub eorum obedientia vivunt. Unde a fortiori non videtur comprehendere voluisse loca, & populum Religioni subjectum, cùm ad ipsam, ejusque Priores, & capita Ordinum pertineat omnis jurisdictio, atque etiam visitatio, Barbosa *de potestat. Episcop. part.* 4. *alleg.* 74. *num.* 27. 30

Minùs obstat, quod Oppida existant intra limites Diœcesis Episcopalis. Quia cùm hæc S. Religio in illis habeat jurisdictionem quasi Episcopalem, territorium proindè habetur, ac si in omnibus, & per omnia extra Episcopi Diœcesim adesset, Gloss. *in d. Clem.* 1. §. *volumus, v. Diœcesanis*, ibique Abb. *num.* 15. *de for. compet.* Gratian. *d. discept.* 812. *num.* 8. & 9. Rota *decision.* 619. *part.* 4. *divers.* & coram Mart. Andr. *decis.* 54. *numer.* 5. & coram Seraph. *decis.* 1278. *n.* 4. & *in recent. decis.* 324. *num.* 1. *part.* 1. & *decis.* 334. *num.* 2. *part.* 4. & *in d. Montis Casinensis* coram Bichio. 31

Denique non obstat, quod Episcopus Ecclesias dictorum locorum pluries visitaverit. Nam ex dispositione S. Concilii possunt Episcopi, tanquam Sedis Apostolicæ delegati omnes Ecclesias viciniores, etiam nullius Diœcesis, visitare *ex cap.* 9. *sess.* 24. *de reform.* ac proindè assertæ visitationes, potius in vim delegatæ, quàm ordinariæ jurisdictionis, factæ præsumuntur, Rot. *decision.* 184. *num.* 17. apud Post. *de manut. in Aquilana jurisdictionis* coram Innocentio X. impressa apud Marches. *de commiss. part.* 1. *fol.* 981. Neque ex illis dici potest fuisse interruptam quasi possessionem S. Religionis exercendi spiritualem jurisdictionem, aut in aliquo ejus jure, ac privilegiis fuisse derogatum, Rota in allegata *Aquilana jurisdictionis num.* 4. *in fine*. Quinimmò sicut Episcopus probaret collationem sacrorum Ordinum, & Chrismatis a se factam, hi tamen actus ex dicta Constitutione Pii IV. §. 27. & 62. in locis subjectis, possunt haberi a quocumque Catholico Antistite, ideòque hi actus, tanquam facultativi non inducunt subjectionem. 32

Decretum autem S. Concilii Tridentini *d. cap.* 15. *sess.* 23. *de reformat.* est hujusmodi. *Quamvis Presbyteri in sua ordinatione a peccatis absolvendi potestatem accipiant, decernit tamen Sancta Synodus, nullum, etiam regularem, posse confessiones sæcularium, etiam Sacerdotum, audire, nec ad id idoneum reputari, nisi aut Parochiale beneficium, aut ab Episcopis per examen, si illis videbitur esse necessarium, aut alias idoneus judicetur, & approbationem, quæ gratis detur, obtineat, privilegiis, & consuetudine quacumque, etiam immemorabili, non obstantibus.* 33

In hoc decreto ponitur regula de iis, qui audire Confessiones Regularium, etiam Sacerdotum, possint, & restringitur, quod statuitur *in Clem. Dudum de sepult.* §. *statuimus*, quod scilicet Regulares approbati ad audiendas confessiones a suis superioribus possint audire confes- 34

siones

ſiones ſæcularium, etiam ſine licentia Ordinariorum, ſi tamen illam petierint, & ſine juſta cauſa ab ipſis non obtinuerint.

35 *Nullum etiam Regularem*, non tamen reſpectu ſuorum ſubditorum regularium. De his enim hoc decretum non loquitur cùm, excepto tempore Jubilæi, quo ex ſententia Sacr. Congregationis dixit Gregorius XIII. poſſe illos confiteri quibuslibet ex Sacerdotibus ab Ordinario ad audiendas Confeſſiones approbatis, confiteri debeant ſuis Regularibus. Immò dicti Regulares, nec ratione illorum ſæcularium, qui ſunt ex familia, & continui commenſales hoc decreto comprehenduntur, cùm horum omnium poſſint confeſſiones audire, non tamen illorum, qui deſerviunt in illorum Monaſteriis, & illorum, qui vocantur ex tertio ordine, cùm privilegia revocata cenſeantur. Ex quibus patet nullum in Confeſſarios Monialium ipſis Regularibus ſubjectarum Epiſcopum juriſdictionem poſſe ſibi vindicare, ad hoc ut audiant illarum confeſſiones deputatos. Nec cùm *ex cap.* 10. *ſeſſ.* 24. Monialibus, præter ordinarium confeſſarium, alius extraordinarius ab Epiſcopo debeat offerri, Moniales poterunt vigore Bullæ Cruciatæ, aut aliquo alio prætextu eligere ſibi alios Confeſſarios, quos voluerint, etiam ſi ſint ex illis, qui ad aliorum confeſſiones audiendas ab ipſomet Ordinario fuerint approbati, ut cenſuit S. Congregatio.

36 *Niſi aut parochiale beneficium*. Qui tamen non ob id cenſendus eſt ubique idoneus, ut abſque alia Epiſcoporum approbatione audire poſſit confeſſiones tum eorum, qui habent ſibi eligendi idoneum confeſſarium, tum etiam eorum, qui de proprii Parochi licentia, & conſenſu hujuſmodi habent facultatem. Immò nec ſi hujuſmodi beneficium per concurſum obtinuerit in alio loco, quàm in Civitate, & Oppido, ubi ſitum eſt beneficium, non autem in tota Diœceſi, idoneus miniſter ad audiendas confeſſiones eſt reputandus.

37 *Aut ab Epiſcopis*. Ergo nec Archidiaconus in diſtricta ſuæ juriſdictionis, nec Prælati inferiores exempti ratione ſuorum ſubditorum, ſi intra fines alicujus Diœceſis exiſtant, poterunt ſuos ſubditos ad audiendas confeſſiones approbare, non obſtantibus exemptionibus, cùm hoc Epiſcopis a Concilio committatur, benè tamen poterunt Epiſcopo, intra cujus fines ſunt, ſuos ſubditos, ut ad audiendas confeſſiones approbentur, offerre, non item inferiores nullius Diœceſis, & habentes propriam, & quaſi Epiſcopalem juriſdictionem in ſuos ſubditos, cùm ipſi ſuos ſubditos poſſint ad audiendas Confeſſiones approbare.

38 *Per examen*. Hinc dixit Sacr. Congregatio, Epiſcopum indiſtinctè licentias confeſſiones audiendi ab anteceſſore tàm ſæcularibus, quàm Regularibus Presbyteri conceſſas, ſuſpendere, ac revocare poſſe, donec pro majori conſcientiæ ſuæ quiete, ab ipſo denuò, prævio examine approbentur, & tales interim non eſſe eligibiles, etiam ex Bulla Cruciatæ.

39 Regulares verò ab Epiſcopo ſemel ad audiendas ſæcularium Confeſſiones approbati juxta Conſtitutionem B. Pii V. a ſucceſſore quidem, ut dictum eſt, potuerunt examinari, non autem ab illo, a quo aliàs fuerunt approbati, cùm quoad hoc non judicaverit Sac. Congregatio revocatam per reductionem privilegiorum Regularium ad terminos Concilii factam a Gregorio XIII. & advertendum in eorum licentiis de audiendis ſcilicet Confeſſionibus, non debere apponi, quod durant ad beneplacitum Epiſcopi. Poterunt benè licentiæ tàm Regularibus, quàm ſæcularibus conceſſæ ab eodem Epiſcopo, a quo conceduntur, ex rationabili cauſa ſupervemente, etiam extrajudicialiter, revocari. Et cùm dubitaretur, an poſſit Epiſcopus mandare, ut nonniſi de licentia proprii Parochi juxta Conſtitutionem, *cap. Omnis utriuſque ſexus de pœnit. & remiſſ.* quis tempore Paſchatis fratribus Mendicantibus confiteatur, ſtante Conſtitutione Sixti IV. quæ incipit, *Vices illius de treg. & pac. in extravag. commun.* viſis eorum privilegiis *pag.* 22. *verſ. Joannes XXII.* non poſſe Epiſcopum facere hujuſmodi mandatum, judicatum fuit, cùm ibi citetur *cap. omnis utriuſque ſexus*, quod loquitur tantùm tempore Paſchatis. Vide Quarantam *in ſumm. Bullar. verſ. Confeſſor.* ubi ad rem plura.

40 *Aut aliàs idoneus judicetur*. Abſolutio ergo data a Sacerdote vigore facultatis generaliter a Summo Pontifice, vel ſpecialiter a Parocho conceſſæ, ſi ab Epiſcopo is Sacerdos approbatus, & examinatus non fuerit, etiam quoad eos, qui tali Sacerdoti bona fide confeſſi ſunt, rati eſſe approbatum, vel ignorantes approbationem requiri, nulla cenſetur, licèt hi quoad Deum tuti haberi poſſint, nihilominùs, cùm primùm ſciverint, oportet illas Confeſſiones iterare.

Obtineat. Ergo eo dimiſſo, ampliùs idoneus non habebitur, non placuit S. Congregationi tempus hoc præſens extendi ad præteritum. 41

Non obſtantibus. Unde contra hoc decretum Concilium Provinciale, aut Metropolitanum non poterit aliquid ſtatuere, veluti quod aliquis Baro prætextu inimicitiarum cum Epiſcopo, aut ejus Clero valeat confiteri peccata ſua extero Sacerdoti, etiam approbato ab ipſius Sacerdotis Ordinario, ſed ſi hunc voluerit accerſire, qui ejus, & ſuæ familiæ confeſſiones audiat, poterit ei permitti ex dicto Concilio Provinciali, vel Metropolitano, dummodò ab Epiſcopo Baronis pœnitentis pro idoneo ſit approbatus, nec ipſi Epiſcopi vigore privilegii, de quo *in cap. fin. de pœnit. & remiſſ.* poſſunt ſibi eligere Sacerdotem, ſibi non ſubditum, qui a proprio Ordinario non fuerit adhuc ad formam hujus decreti admiſſus, ſeu approbatus ad Confeſſiones audiendas. 42

Advertendum hìc in privatis etiam domibus dictum fuiſſe ex urgenti cauſa audiri poſſe Confeſſiones ſæcularium, etiam Sacerdotum, veluti infirmorum, & ſenum qui ob ingraveſcentem ætatem commodè Eccleſiam adire non poſſunt. Et in hujuſmodi caſibus Conſtitutiones Synodales, & alias prohibitiones obligare non poſſe. 43

Non etiam abs re erit hoc in loco adnotare illos, qui intra Dominicam Palmarum, & Dominicam in Albis Euchariſtiam acceperunt a Fratribus Minoribus, a quibus ex ipſorum privilegiis omni tempore, præterquam in die Dominicæ Reſurrectionis poteſt Euchariſtia ſumi, præcepto, de quo *in dict. cap. Omnis utriuſque*, non ſatisfeciſſe. Nec licere illis, qui intra dictum tempus de manu Parochi Euchariſtiam acceperunt, & ſic præcepto Eccleſiæ ſatisfecerunt, vel habent intentionem, antequam labatur octava Paſchatis de manu Parochi Euchariſtiam in ipſo die Dominicæ Reſurrectionis de manu dictorum Religioſorum communicare. 44

CONSULTATIO XXXI.

De quibuſdam nullitatibus, quæ in Congregationibus, ſive Capitulis Regularium, nonnunquam intercedunt.

QUotieſcumque Congregatio facta eſt contra formam Sacrorum Canonum, ſtatutorum, & conſuetudinum Religionis, ac S. Concilii Trid. *ſeſſ.* 25. *de regul. & monial. cap.* 6. ipſo jure eſt nulla, ut per Fagnan. *in cap. quiſquis de elect. num.* 3. & Samuel *de elect. canon. tract.* 1. *controv.* 7. *concluſ.* 1. *num.* 3. *& concluſ.* 3. *num.* 7. habeturque expreſsè *in d. cap.* 6. Sac. Concilii per hæc verba: *Si verò contra hujus decreti Conſtitutionem aliquis electus fuerit, electio irrita ſit. Et in cap. quia propter de elect.* his verbis: *Aliter electio facta non valeat*, & firmat Rota *deciſ.* 574. *num.* 4. *part.* 4. *tom.* 3. *recent.* 1

Ut ſi fuerit doloſa, eſt invalida Pariſ. *conſil.* 27. *numer.* 41. *lib.* 1. Marc. Anton. *variar. reſolut. lib.* 1. *reſol.* 70. *num.* 24. Paſſerin. *de elect. tit. de coarct. elect. ex parte eligent. cap.* 3. *num.* 51. *& ſeqq. & tit. de temp. elect. cap.* 12. *quæſt.* 8. *num.* 50. *&* 52. ac meliùs *in titul. de loc. elect. cap.* 12. *quæſt.* 5. & Fagnan. *in d. cap. Quia propter num.* 65. 2

Præcipuè ex omiſſione alicujus ſuffragatoris, qui neceſſariò vocandus erat, ut diſponitur *in dict. cap. quia propter*, ibi, *præſentibus omnibus, qui debent*, ubi Gloſſ. *lit. B.* ait, *quia omnes, qui habent jus in electione, ſunt vocandi*, atque adeò etiam qui habet ſuffragium perpetuum. 3

Item ſi fuerit Congregatio facta, non tranſmiſſis priùs literis citatoriis, non præcedente viſitatione Conventuum, non celebrata Miſſa Spiritus Sancti, non diſcuſſis meritis & qualitatibus Patrum eligendorum, ſine quibus neceſſariis requiſitis actus redditur nullus, prout de Miſſa Spiritus Sancti, de literis citatoriis decernit S. Concil. Trident. *ſeſſ.* 24. *de reform.* & habetur *in cap. Cùm terra* 13. *de elect. &c. Cùm inter* 18. *eod. tit.* traditque Paſſer. *tit. de quibuſd. præmit. ad elect. cap.* 15. *num.* 1. *& ſeqq.* Quæ literæ ſunt neceſſariò tranſmittendæ, nedum in Capitulis Provincialibus, ſed etiam in Congregatione capitulari juxta diſpoſitionem ſtatutorum quarundam Religionum. 4

De Viſitatione autem Conventuum pro eorum neceſſitatibus, ac de diſcuſſione qualitatum eligendorum, quod hæc omittens peccet contra fidelitatem, firmat Azor. *part.* 2. *lib.* 6. *cap.* 15. *quæſt.* 1. Panorm. *in cap. bonæ de poſtul. Prælat. & in cap. ſcriptum de election.* Sigiſmund. de Bonon. *de election. dub.* 35. *num.* 1. *part.* 1. Ragg. *de regimin. Regular. part.* 1. *dub.* 16. *num.* 1. 5

Pro nullitate quoque Congregationis habenda eſt ratio temporis, quo celebratur, ſi nempè quadrageſimæ, 6

quo

quo tempore Regulares Concionibus, audiendis confessionibus, aliisque rebus spiritualibus incumbere debent, maximè nulla compellente necessitate; quandoquidem pro Capitulis, & Congregationibus faciendis tempus opportunum est inter Pascha Resurrectionis, & Pascha Pentecostes juxta plurium Religionum statuta, quæ non urgente necessitate, sunt omninò servanda, ut in his terminis plenè firmat Passerin, *loco cit. tit. de tempor. elect. cap.* 13. *quæst.* 4.

7 Si in Congregatione eligantur in Superiores Regulares inquisiti, crimine accusati, damnati, qui tanquam incapaces dignitatum, non possunt ad illas eligi per text. *in leg. reus, ff. de muner. & cap. Omnipotens de accus.* ubi plenè Barbos. & tradunt Lavor. *var. lucubrat. tom.* 1. *tit.* 4. *cap.* 16. *num.* 103. Covar. *lib.* 1. *var. cap.* 16. *num.* 11. & Ragg. *loco cit. part.* 3. *dub.* 60. *cap.* 1. *num.* 2. Samuel. *de elect. tract.* 1. *dub.* 6. *tit. de merit. ac idoneit. eligendor. num.* 4. & 8. ubi plures alii recensentur, adeòque id cordi esse debet electoribus, ut si eligatur indignus ex peccato noto alia scientia, quam quæ habetur per Sacramentalem Confessionem, nedum eligens mortaliter peccat saltem contra justitiam distributivam, ex latè congestis a Samuel. *de Canon. elect. tract.* 2. *contr.* 7. *concl.* 1. *num.* 2. & *seqq.* sed etiam incurrit in censuram suspensionis, ut clarè disponitur *in c. cùm in cunctis de elect. & elect. potest. §. fin. cap. per inquisitionem* 26. *eod. tit.* ubi Gloss. *v. se indignum*, Lezanam *part.* 1. *summ. cap.* 15. *num.* 15. Bonac. *de censur. disp.* 3. *quæst.* 4. *part.* 1. & cum pluribus docet Passerin. *tit. de elect. indigni cap.* 29. *quæst.* 10. *num.* 84.

8 Ac præcipuè si eligantur fratres laici de variis criminibus inquisiti in Priores, in Guardianos. Quod sanè absurdum censetur in omnibus Religionibus. Quod si aliquando ad hujusmodi dignitates admittatur aliquis frater laicus, is est moribus probatus exemplo S. Didaci. Nam Superiores Regulares debent esse professi, & quidem expressè, *cap. cùm causam* 27. *cap. cùm ad nostram* 37. & *cap. cùm in magistratum* 94. *de elect.* fusè Passerin. *tit de qualitat. eligend. cap.* 25. *quæst.* 30. *num.* 345. ubi ait, electionem non professi esse ipso jure nullam, & refert S. Congregationis declarationem, in qua dicitur esse reservatam Summo Pontifici tantùm facultatem laicos promovendi, & comprobat Rota coram Seraphino *decis.* 647. Maximè si hujusmodi laici adeò sint ignari, ut nesciant literas. Quod multis relatis detestatur Passerinus *eod. tit. de qualit. cap.* 25. *concl.* 2. Sufficitque pro invaliditate electionis fuisse electos illos, qui causam scandali in Populo, ac Religione sunt præbituri, etiamsi nullum alium paterentur defectum, Seraphin. *decis.* 516. *num.* 4. Rota coram Alexandro VIII. *dec.* 202. *num.* 16. coram Comitolo *decis.* 119. *in fin.* & omissis aliis coram Bevilaqua *in Calaguritana beneficii* de Bilbao 14. Junii 1657. §. *Nec Antonio*, & tradit Samuel. *de elect. tract.* 1. *controv.* 1. *concluf.* 5. *n.* 8. *ac* 9.

9 Ad hæc si electio non fuerit secreta, quemadmodum exertè percipitur in Sacro Concilio Tridentino *d. cap.* 6. *sess.* 25. *de regular. & in d. cap. quia propter de elect.* Ideòque non solùm oritur nullitas electionis ad formam Sacri Concilii *d. cap.* 6. & *d. cap. quia propter*, sed etiam privantur suffragio eligentes, audientes, & tacentes publicationem, ut per Samuel *loco cit.* ac Peyrin. *tom.* 3. *cap.* 9. *num.* 34.

10 Ac denique si Pater Provincialis ante Congregationem non curaverit, ut necessariò requiritur legi solitas Constitutiones, speciatim illam Urbani VIII. quæ incipit, *Sanctissimus Dominus noster*. Ex quo sequitur nullitas actus, & imponitur ipso jure Superiori privatio officii, ac vocis activæ, & passivæ, & firmant Bordon. *part.* 1. *resol.* 26. *num.* 30. & *part.* 2. *resol.* 18. *quæst.* 25. *num.* 62. aliique communiter.

CONSULTATIO XXXII.

An, & quatenus Regulares, qui novum Conventum in aliquo loco fundare cupiunt, appellare possint a decreto admissionis novorum articulorum, qui ab aliis Regularibus impugnantibus hujusmodi fundationem fuerunt producti? Et quid agendum, si constiterit de irrationabili dissensu Regularium ad hanc fundationem? Et quatenus erectio Monasterii Monialium sit confirmanda?

1 JUstè quidem possunt appellare, si articuli contineant easdem prorsus materias in Interrogatoriis a testibus Regularium, volentium fundare Conventum, evacuatis expressas, & sunt directè contrarii articulis, super quibus pro hac parte fuerunt examinati plures testes, & didicita testificata. Obstat enim dictæ admissioni certissima, & in praxi quotidiana observata conclusio, quod post didicita testificata, non est danda facultas probandi, ne quidem super iisdem articulis, nec super aliis directè contrariis, auth. *ut qui semel.* ibi Gloss. *v. didicerit, C. de probat. cap. Fraternitatis, cap. intimavit, cap. cùm venisset de testib. & in Clem. fin. eod. tit.* ac prolixè Surd. *cons.* 176. *num.* 3. Gregor. *decis.* 48. *n.* 2. & *decis.* 266. *num.* 1. *part.* 6. *rec. & decis.* 41. *eod. num. part.* 7. & latè in Romana dotis 28. Junii 1651. coram Corrado, & in Tullensi matrimonii 12. Januarii 1654. §. *Urget enim* coram Albergato, in qua firmatur, quoad effectum, ut dicantur didicita testificata, non est necessaria solemnis publicatio, sed sufficit, quod pars habuerit facultatem perscrutandi depositiones Testium, & in his præcisis terminis remissoriam petitam pro impedienda fundatione Collegii Societatis Jesu, ex quo in partibus fuerant super eisdem materiis examinati plures Testes, Sacra Rota denegavit in Pacensi Collegii 1. Julii 1639. coram Tarraconensi.

Quod maximè procedit, ubi agitur inter Regulares, 2
quorum causæ tractari debent simpliciter, ac de plano solaque veritate inspecta, ut monet Lezana *in summ. q. regular. v. Judicium num.* 19. In causis enim summariis eo minus admitti novam receptionem Testium post didicita priora testificata, probant congesti a Farinacio *de testib. quæst.* 75. *num.* 83.

Si igitur ex depositione Testium probetur, Civitatem, 3
Oppidum, locum, in quo novus Conventus construi desideratur, esse opulentum, & Cives admodum propensos operibus misericordiæ & quampluribus Monasteriis Mendicantium, qui actu quæstuabant, fuisse uberrimè provisum, nec reclamare, nisi unum, vel alterum Religiosorum Conventuum, quibus abundè subministrantur omnia necessaria, itaut præter eorum substentationem, ipsi eleemosynam aliis erogant, ac erogatur tempore caritatis annonæ, etiam pauperibus Conventibus, & proindè quod novi Regulares possint commodè ali, & manuteneri in numero duodeno absque ullo aliorum Regularium præjudicio, rectè sequitur irrationabilem esse unius, vel alterius Conventus Regularium contradictionem, & non immunem a suspicione æmulationis, sicque cessare rationem Constitutionum Clementis VIII. Gregorii XV. & Urbani VIII.

Ideò namque hi Summi Pontifices exposcunt in fun- 4
datione novi Conventus, quod audiantur alii Regulares, ut causa cognita, possit Episcopus certior reddi, quod novi Religiosi absque aliorum detrimento valeant commodè substentari, ut habetur in Constitutione Clementis, quam cæteræ confirmant, §. 1. his verbis: *Nisi vocatis, & auditis aliorum in ejusdem Civitatibus, ac locis existentium Conventuum Prioribus, seu Procuratoribus, & aliis interesse habentibus, & causa, servatis servandis, cognita, constiterit in eisdem Civitatibus, & locis novos hujusmodi erigendos Conventus sine aliorum detrimento commodè substentari posse.* Et in specie quod si Episcopus cognoscat Regulares absque justa causa contradicere, valeat nihilominus concedere licentiam pro nova fundatione, advertit Lezana, *vers. Monasteria Regularium num.* 7.

Quinimmò non esse absolutè necessarium alios Regu- 5
lares vocari, & audiri, sed posse aliundè Ordinarios certiores reddi de commoda substentatione Religiosorum, qui fundare volunt nova Monasteria, declaravit Sac. Congregatio Concilii sub Gregorio Decimoquinto, & habetur in ejus Constitutione 31. dum *in §. 3.* post relatam dispositionem Clementis, quod vocari, & audiri debeant alii Regulares, leguntur hæc verba: *Vel aliàs Ordinariis locorum constiterit, Religiosos Monasterii, Conventus, seu Domus Regularis sic erigendæ absque detrimento aliorum in numero duodecimo congrue, & commodè manuteneri, & ali posse.* Dictio enim, *vel*, tanquam alternativa, cadit inter diversa, caluisque disjungit, ex traditis a Gonzal. *ad reg.* 8. *gloss.* 48. *num.* 17. & *gloss.* 52. *num.* 3. Idemque importat dictio, *Aliàs*, ut per Put. *decis.* 170. *in fin. lib.* 3. *in correct.* & Barbos. *dict.* 9. *numer.* 3. & in hac specie, quod per dicta verba tribuatur arbitrium Ordinariis vocandi, vel non vocandi Regulares, quando aliundè possunt esse certi de commoda substentatione Regularium novi Conventus, probat Cespedes *de exempt. Regular. quoad Monasterior. ædific. cap.* 1. *dub.* 4. ubi respondet Peyrino *in addit. ad Constit.* 3. *aliàs* 13. *Urbani notab.* 2. contrarium asserenti ea ratione, quod dum Constitutio Urbani confirmat omninò Constitutionem Clementis, tollit arbitrium, quod Gregorius Episcopis tribuerat. Quæ responsio planè proba non est. Urbanus siquidem non solùm confirmavit Constitutionem Clementis, sed etiam declarationem, sive decretum Congregationis jussu Gregorii editum, ex quo conceditur dictum arbitrium. Unde ratio Peyrini nullum

fun-

fundamentum habet, falsoque credit Constitutionem Urbani solùm confirmasse Constitutionem Clementis, non autem decretum Gregorii, ac ita respondendo Peyrino antea observaverat Lezan. *d. v. Monasteria n.7.*

6 Quod certum existimo, si posita commoda sustentatione Regularium urgeant etiam causæ, ob quas concedenda est licentia fundationis novi Conventus, nimirum penuria Sacerdotum, qui juvent animas in loco, & magnum augmentum divini cultus. Quod testari debet Ordinarius, ac deponere testes, quemadmodum has circumstantias pro concedenda licentia novæ fundationis post Vener. *lib. 6. exam. cap. 10. n. 6.* maximè advertit Cespedes *loco cit. cap. 1. dub. 1. n. 2.*

7 Erectio verò Monasterii Monialium ab Episcopo facta, videtur confirmanda, si concurrant omnia requisita, nempè constructio ad formam Monasterii cum Ecclesia exteriori, ac omnibus officinis necessariis, dos sufficiens, introductio Monialium, & authoritas Ordinarii, *can. quidam, & can. qui Religiosis fœminis*, loquens de Monialibus *cum dub. seqq.* 18. *q.* 2. & Concil. Trid. *sess. 25. cap. 3. in fine de regul. & monial.* traduntque Remig. Gonn. *de immun. Ecclesiast. ampliat. 3. primæ regul. num. 7. tom. 13. tract. fol. 89.* aliique.

8 Præcipuè si Monasterium undique muris sit præcinctum, ex quo dici possit, jam adesse clausuram, dum est adeò clausum, ut ad illud pateat aditus tantùm per unum ostium; Bart. *in l. si quis fugitivus, §. apud Celsum, ff. de ædit. edit.* Sitque tandem ab Episcopo benedictum, vel consecratum ad textum *in anth. de Monach. §. 1. collat. 1.*

9 Quæ sanè videtur sufficere, ut ejusmodi erectio confirmetur, licèt tutius sit, quod fundationes hujusmodi a Sede Apostolica confirmentur, ut tradit Rebuff. *in pr. tit. de erect. in colleg. 1. n. 1.* Fusch. *de visit. lib. 2. c. 1. num. 6.* Gambar. *de offic. & potest. legat. a later. lib. 5. cap. 3. num. 30.* Garz. *de benef. part. 12. cap. 5. num. 4.* ac ita, ut si Episcopus recusaret Monasterium confirmare, poterit ad id compelli *cap. 1. de jurepatron.* Abb. *cons. 59. num. 2.* Lambert. *de jurepatr. p. 1. lib. 1. q. 2. art. 16.* Azor. *instit. moral. tom. 2. lib. 9. cap. 3. quæst. 10.* præclarè Ludovis. *dec. 240. num. 12.* Quia id magis est actus justitiæ, quàm gratiæ, Ludovis. *loco cit.* & in fundatione Monasterii possunt Fundatores apponere conditiones sibi benevisas, etiamsi essent contra jus, dummodò non sint impossibiles, vel turpes, Lambert. *loco cit. q. 9. art. 1.* Milis *in repert. v. patronus*, ac Rota *decis. 443. num. 3. p. 3. divers.* & in Romana jurispatronatus 31. Maji 1613. coram Sacrato, & in Giennensi Capellaniæ 15. Maji 1628. coram Verospio, sæpeque alibi.

CONSULTATIO XXXIII.

Electio Prælatorum Regularium ad quemnam pertineat? An possint iterùm, atque iterùm immediatè post primam, secundam, ac plures alias electiones eligi? An restringi possit a Cardinalibus eorum Protectoribus? Quid si allegetur Summi Pontificis vivæ vocis oraculum? Ubi de vivæ vocis oraculis aliqua, & quæ fides de hujusmodi oraculis Cardinalibus adhibenda? Temporarius ne, an perpetuus supremus Prælatus optabilior sit? Facultatum Cardinalium Protectorum Ordinum moderatio.

1 ELectio hujusmodi pertinet liberè ad Religionem tàm ex privilegiis Religionum, quàm ex dispositione juris communis, ut in *can. Abbatem 1. 18. quæst. 2. & can. fin. 16. qu. 7.* cùm aliis in hac specie per Rotam adductis *decis. 65. num. 4. part. 1. recent.* Atque ita debet esse libera electio, ut si una tantùm persona excludatur, non esset libera facultas eligendi, ut abundè firmat Rota *loco citat. num. 6. ac 7.* ubi etiam *num. 8.* ponderat, quod de jure est eligendus ille, qui est magis idoneus.

2 Ac proindè non videtur attendenda restrictio liberæ electionis approbata a Cardinali Protectore. Quia positis privilegiis cum derogatoriarum derogatoriis, aliisque clausulis amplissimis, ne Papa quidem censetur voluisse illis derogare, si de illis nulla penitus facta fuerit mentio, Paris. *cons. 1. num. 85. lib. 1.* Rota *dec. 128. num. 4. part. 2. recent. & dec. 464. num. 4. part. 1. divers.* ac Seraph. *dec. 1293. num. 3.*

3 Eòque magis in Summo Pontifice esset necessaria specialis derogatio, quia privilegium liberæ electionis est clausum in corpore juris *dict. can. Abbatem, & cap. fin. de consuet.* Hoc enim in casu Pontifex non præsumitur voluisse illud tollere sine speciali derogatione, ut latè Gonzal. *de alternat. gloss. 36. num. 34. cum seqq.* ac Rot. *dec. 767. num. 5. part. 1. recent.*

Et quia dispositio *d. can. Abbatem, & d. can. final* 4
trahit originem a Concilio Toletano, atque adeò dicitur Conciliaris, Rota *decis. 123. num. 3. part. 1. divers.* Ex quo fit, quod illi non censeatur derogatum sine expressa mentione, *cap. ex parte de appell.* ac Rota *dec. 122. num. 1. & seqq. part. 1. divers.*

Præterea in hujusmodi novis Constitutionibus est ne- 5
cessaria derogatio regulæ de jure quæsito non tollendo, quia per eas infertur præjudicium toti Religioni, restringendo antiquam formam liberæ electionis, ut in his terminis tradit Rota *d. decis. 65. part. 1. recent.* Qua derogatione deficiente, ne Papa quidem censetur voluisse dictum jus auferre, ac Religioni præjudicare, ex juribus vulgò notis.

Ac propterea nullum potest fieri fundamentum in as- 6
serto vivæ vocis oraculo, dato Cardinali Protectori. Tum quia illud non obstat, si non legatur in eo subscriptio ipsius Cardinalis ad formam Constitutionis Gregorii Decimi Quinti emanatæ sub die 11. Junii 1622. Et tum quia superius allegata loquuntur in dispositione Summi Pontificis, quæ habetur pro subreptitia, & prorsus invalida defectu intentionis ob non factam mentionem privilegiorum, quæ clauduntur in corpore juris, & quæ proveniunt a Concilio. Quod si hæc procedunt in ipso Pontifice, multò magis procedere debent in Cardinali, quamvis testaretur de vivæ vocis oraculo.

Accedit, quod admisso hujusmodi oraculo, illud non 7
possit esse perpetuum, si solùm indefinitè dicatur, quod Prælati Regulares per triennium debeant vacare a quolibet officio, itaut non possint confirmari, & ideò prima vice fuit consumptum juxta textum *in leg. Boves, §. hoc sermone, ff. de verbor. oblig.* Jo: Monach. *in cap. Cùm expediat num. 6. de elect. in 6.* Alexand. *cons. 16. num. 4. vol. 4.*

Quod eò magis procedit, quia hujusmodi oraculum, 8
ita intellectum, tollit absurda, quæ possunt contingere. Nam hoc pacto tollitur potentia quorumdam Regularium, qui nimis prævalent in Religione, & constituuntur alii in dignitate, & officio & ita status Regularis reducitur ad æqualitatem, neque est necesse, quod perpetuò mutetur a tot sæculis fœliciter asservatus. Unde facienda est interpretatio, perquam privilegia antiqua ad concordiam cum hujusmodi oraculo reducantur, itaut utraque dispositio salva maneat, Cravet. *cons. 144. num. 14.* Gabriel. *consil. 7. num. 4. lib. 1.* Quod est generale in quacumque materia, & speciatim leges, & statuta antiqua, quoad fieri potest, cum recentioribus sunt concordanda, ut evitetur correctio, *leg. final. §. in computatione, Cod. de jur. delib.* Roman. *consil. 102. numer. 2. & consil. 197. num. 2.* Ac etiam in dubio facienda est interpretatio, ut privilegium non censeatur revocatum, Anchar. *cons. 162. num. 3.* Castr. *cons. 258. lib. 1.* Roman. *cons. 237. num. 1.* ac Dec. *cons. 371. num. 12. ac 18.*

Quæ quidem eò facilius procedunt, quod aliàs asser- 9
tum oraculum esse invalidum, quia non fuit in eo facta mentio privilegiorum, nec præsumitur, quod Papa habuerit illorum notitiam, neque observantiæ diuturnæ, ad text. *in cap. 1.* ubi Jo: Andr. Gemin. Franch. & alii *de constit. in 6.*

Immò in hoc casu non essent sublata privilegia an- 10
tiqua, nisi illorum facta esset mentio, & adesset derogatio saltem generalis cum clausula, *non obstantibus*, ut per Archidiac. *in can. renovantes num. 6. dist. 22.* Geminian. *cons. 30. num. 3.* & ad reddendum subreptitium oraculum, sufficit sola possessio colorata. Quia Papa illam tollere non præsumitur, Abb. *in cap. Cùm nostris n. 19. de conces. præbend.* Soccin. Jun. *cons. 120. n. 6. lib. 3.* Sarnen. *in reg. de annal. q. 10. num. 2.* ac Felin. *in cap. in nostra num. 35. de rescript.*

Si igitur nonnulli constiterit Summum Pontificem sci- 11
visse, quod Religioni tàm ex Apostolicis, quàm propriis Constitutionibus, ac perpetua observantia competebat libera facultas reeligendi Prælatos, & Officiales ad eam officia toties quoties illi videbatur expedire, inverisimile est, quod voluerit eis derogare, Archidiacon. *in cap. 1. numer. 3. ac seqq. de constitut. in 6.* Ubi ex eo, quod Summus Pontifex verisimiliter ignorat statuta, & consuetudines Ecclesiæ, vel loci particularis, infert inverisimile esse, quod voluerit aliquid contra illas statuere, vel indulgere, vel ea revocare, ac tollere, stante ignorantia facti, quod approbat Alexand. *consil. 122. num. 10. vol. 4.* Curt. Sen. *cons. 35. num. 32.* itaut ne quidem sufficiant clausulæ motu proprio, ac de plenitudine potestatis. Quia non operantur in iis, de quibus præsumitur habere ignorantiam, Aym. *de antiq. tempor. par. 1. §. Non omitto num. 42. & consil. 126. n. 3.*

ad rem inquit, non posse dici, quod Princeps tacitè voluerit uti plenitudine potestatis ad derogandum privilegio, quod est facti, de quo verisimiliter notitiam non habebat, cùm etiamsi expressè fuisset usus ea plenitudine, non etiam aliud quidquam operata fuisset in iis, quæ sunt facti, & in quibus cadit probabilis ignorantia, & *consil.* 241. *num.* 20. cum aliis per Menoch. *consil.* 1. *num.* 426. *vol.* 1.

12 Et multò magis hoc est dicendum, si possessio sit adeò antiqua, & assidua, ut habeat fomentum a tot titulis Apostolicis. Nam sola possessio alicujus temporis considerabilis relevat, & suffragatur non solùm si sit conformis dispositioni juris, ut in hoc casu, sed etiamsi sit contra jus, Franch. *in cap. ad decimas not.* 8. *de restit. spol. in* 5. ac Rota *dec.* 53. *num.* 7. *part.* 1. *divers.*

13 Neque officeret, si aliquando fuerit servatum contrarium. Quia ultimi actus, tanquam turbativi, & dantes causam liti, non sunt attendendi, Rot. *d. dec.* 61. *n.* 13. Et quia uti facti contra privilegia Pontificia, non probata scientia Papæ, non debent esse in aliqua consideratione, nec privilegia possunt tolli per contrarium usum, Cavaler. *decis.* 77. *num.* 3. & *decis.* 111. *num.* 1. & *decis.* 423. *num.* 4. ne aliàs sit in potestate subditorum eludere Pontificias Constitutiones.

14 Præsertim verò si Religio sit in quasi possessione, quæ in incorporabilibus unico actu acquiritur, Dec. *cons.* 125. *n.* 3. Verall. *p.* 2. *dec.* 337. *num.* 6. & *in rec. decis.* 633. *n.* 1. *p.* 2. eligendi, elapso triennio pro alio triennio subsequenti eamdem personam in Prælatum, nedum semel, sed pluries tàm ante, quàm post assertum oraculum.

15 Effectus autem hujus quasi possessionis est, ut sic electus a Religione, existente in dicta quasi possessione eligendi, ritè, rectèque electus dicatur, ac verum, justumque titulum assequatur, etiamsi posteà appareat defectus tituli, sive juris eligendi in petitorio contra Religionem, *cap. cùm Consultationibus de jurepatron.* Zabarell. *cons.* 69. *num.* 3. Dec. *cons.* 129. *num.* 4. Ripa *in cap. Cùm Ecclesia Sutrina num.* 30. *de cauf. possess. & proprie.* Rota *decis.* 167. *num.* 7. & *seqq. part.* 2. *recent.* ac Seraph. *decis.* 875. *num.* 5.

16 Hinc non obstaret dictum assertum oraculum quo præcipitur, ut Prælati vacare debeant ab omni officio per triennium. Quoniam ob non factam mentionem quasi possessionis, & antiquæ consuetudinis, ac libertatis, etiam a pluribus Pontificibus confirmatæ, iterùm eligendi Prælatos pro pluribus triennis continuis, non sunt sublata jura Religionis, & assertum oraculum, tanquam subreptitium corruit, *cap. veniens*, ibique Gloss. *v. nullam de præscript.* Seraph. *decis.* 1293. *n.* 3. & *seqq.*

17 Ita quidem, ut non obstaret, si aliquæ Constitutiones Religionis non loquantur in specie de aliquo Prælato. Quia non solùm constituitur fundamentum in Constitutionibus, sed in quasi possessione, usu, ac libertate eligendi. Licèt enim in Constitutionibus non fiat mentio specialis de aliquo Prælato, cujus officium forsitan posteà fuit institutum, nihilominus privilegia Apostolica intelliguntur de omnibus officiis, tunc existentibus, & futuris, ut copiosè firmat Rota post plurimos, quos allegat *decis.* 17. *num.* 8. *part.* 2. *divers.*

18 Juncta præsertim observantia antiquissima privilegiorum in specie respectu illius Prælati, cujus nulla fit mentio in Constitutionibus, quæ deservit pro interpretatione, quatenus res esset dubia, Rota *decis.* 256. *n.* 5. & 6. *part.* 2. *divers.*

19 Idque præcipuè, quia ex d. Constitutione Gregorii XV. oracula sublata sunt, nisi sint subscripta. Quod est intelligendum de subscriptione speciali, cùm ubi lex requirit subscriptionem, ut actus subsistat, intelligatur de particulari, nec sufficiat generalis, *l.* 1. *§. Testamenta*, & Clarius *leg. Divus §. Plane*, ubi Bartol. *in §. Item Senatus num.* 3. & *seqq. ff. ad leg. Cornel. de fals.* Alexand. *cons.* 149. *num.* 6. *lib.* 2. Clar. *in §. Testium q.* 14. *num.* 4. cum aliis adductis a Gabr. *de præsumpt. concl.* 3. *num.* 5. Maximè quando subscriptio deservire debet pro authoritate, sive pro authorizanda scriptura, & non tendit ad præjudicium subscribentis, sed tertii, ut tradunt Castr. *consil.* 209. *p.* 2. Gabr. *loco cit. num.* 4.

20 Minus obstaret, quod revocatio miraculorum Gregorii excipit ea, in quibus oracula jam suum sortita sunt effectum. Quia non impugnantur electiones factæ ante dictam revocationem, quæ effectum sortitæ sunt, sed posteà factæ, non obstante asserto oraculo, quod sublatum censetur per posteriores Constitutiones Religionis a Summo Pontifice in manibus Protectoris benedictas, cùm benedictio supponat examen, & confirmationem re benedictæ, & adimat oppositiones, & benedictionem impedientes, *cap. meminimus*, ubi Joan. Andr. *num.* 4. Anchar. *num. item* 4. Abb. *num.* 2. Felin. *num. etiam* 2. *de accusat.* & *c. Indemnitatibus §. Sanè de p. elect.* & *elect. potest. in* 6.

Potissimum verò si in facultatibus, ac privilegiis Religionis contineatur facultas faciendi Constitutiones, & quod postquam factæ sunt authoritate Apostolica valeant. Quæ in hoc casu eo magis, quoad electionem Prælatorum validæ esse habent, quo per illas Religio ponitur in libera facultate eligendi, & ab ea tollitur præjudicium restrictionis electionis, quæ restrictio efficere quandoque poterit, ut magis idoneus, magisque expertus in officiis non possit eligi, ut in similibus terminis electionis Regularium latissimè fuit deductum, ac resolutum in Vallisoletana præeminentiarum *decis.* 65. *part.* 1. *recent.* 21

Possessio verò Religionis controverti non poterit, si præter possessionem continuam a vetustissimis temporibus observatam, adsit possessio specialis post assertum oraculum, ipso Cardinali Protectore adhuc superstite. Ex hoc enim præsumitur legislatorem noluisse Religionem illo obligare, nisi ab illa acceptaretur, ut pulchrè animadvertit Salas *de legib. disp.* 16. *sect.* 1. *num.* 6. Quæ quidem sola possessio sufficeret. Quia possessio eligendi acquiritur unico actu, Ripa *in dict. cap. Cùm Ecclesia Sutrina num.* 9. & 55. Ferret. *consil.* 132. *num.* 11. Rota *divers. decis.* 17. *num.* 1. & 20. & *decis.* 435. *num.* 1. *part.* 2. *recent.* 22

Unde locus est conclusioni relatæ a Felino *in cap.* 1. *num.* 6. *de treg.* & *pace*, quod scilicet lex nova non acquirit vires, quando sciente, & non contradicente conditore, fiunt actus contra illius dispositionem, quia non dicitur moribus utentium recepta, & Superior videtur acquiescere inobservantiæ. Indeque infert cum Baldo *in auth. omnes Peregrini num.* 7. *Cod. de commun.* quod si fuerit facta quædam reformatio contraria statuta, quod tamen ante, & post fuit observatum, statutum prævalet. Quia reformatio fuit more utentium approbata, nec dicitur interruptum, quod semper viguit. Pari ergo ratione in hoc casu debent prævalere Constitutiones antiquæ, permittentes reelectionem, non obstante dicta declaratione, quæ non fuit usu recepta, maximè propter ejus duritiem, & repugnantiam cum primævis institutis, & consuetudine. 23

Cumque non agatur principaliter de validitate privilegiorum, & an sint revocata per assertum oraculum, sed agatur incidenter ad effectum validitatis electionis, hæc sola quasi possessio absque alia discussione suffragatur, non solùm ad effectum, possessorii, sed etiam petitorii, juxta textum *in d. cap. Consultationibus*, ibique Panorm. aliique communiter *de jurepatron.* & *in cap. querelam de elect.* traduntque Carder. *cons.* 25. *de præb.* ac Rota *decis.* 134. *num.* 18. *part.* 2. *divers.* 24

Reelectioni igitur Prælatorum, in primæva origine Religioni permissæ in ejus Constitutionibus a Summis Pontificibus, ac pluries reipsa observatæ, non videtur obstare assertum oraculum, novis Constitutionibus insertum, confirmatis a Cardinale Protectore, quæ ex ordinaria illius facultate non possunt subtineri, cùm lex Superioris per inferiorem tolli nequeat, *Clement. ne Romani in princip. de elect.* ubi Gloss. *v. inferiorem*, notat hoc maximè procedere, quando inferior ab illo Superiore accepit potestatem, sicque Protector, qui omnem potestatem acceperat a Papa, non poterat per se tollere legem, a Sede Apostolica prius conditam super facultate reeligendi in literis Apostolicis contenta. Qua ratione Navar. *cons.* 3. *num.* 5. *de elect.* ait, ne P. Generalem quidem cum majori parte sui Ordinis posse tollere modum eligendi, quem habet conformem juri communi absque facultate expressa in id a Summo Pontifice facta. Quia nulli inferiori licet edere legem contrariam juri communi, *cap. quod super his de majorit.* & *obed.* cum similibus. Quod repetit Salas *de legib. disp.* 8. *section.* 12. *numer.* 56. ubi etiam *numer. sequentib.* ex Gerson, & aliis firmat, Prælatos Religionis non posse legem ferre, nec aliquid præcipere, præter regulam, sive Institutum, primamve Constitutionem. 25

Nec quidem subsistineri potest ex eo, quod asseratur, id emanasse jussu Pontificis eidem Protectori dato ejus vivæ vocis oraculo. Nam præter dicta, respondetur primò, illud non constare secundùm formam præscriptam a Gregorio Decimoquinto, nec propterea quoad illius fidem, standum esse simplici assertioni, non docto de ipso oraculo subscripto, & confirmato manu propria ejusdem Cardinalis Protectoris, ut pro forma cavetur a Gregorio in sua Constitutione. Quicquid enim ibi exprimitur aliter, quàm priùs esset a jure communi dispositum, dicitur de forma, Felinus *in capit. Cùm dilecta numer.* 34. *de rescript.* Ancharanus *consil.* 245. 26

num.

num. 11. Dec. *consil.* 262. *num.* 4. & *consil.* 234. *num.* 1. & *consil.* 451. *num.* 7. & *consil.* 531. *num.* 1. & *consil.* 532. *num.* 3. Bec. *consil.* 62. *n.* 43. *lib.* 1. Lotter. *de re benefit. lib.* 1. *quæst.* 38. *num.* 45. Quæ forma est præcisè, & ad unguem servanda, Bald. *in leg.* 2. *num.* 11. *Cod. quomodo, & quando Judex*, Angel. *in leg.* 1. *num.* 1. *ff. de liber. & post.* Alexand. *consil.* 42. *num.* 16. *vol.* 3. Jason *cons.* 97. *num.* 14. *lib.* 4. adeòut cessante forma permissiva, immediatè succedat destructiva, & consequenter actus ipso jure efficitur nullus, ut post Bald. notat Jas. per Textum *in leg. Prætor ait, §. sive autem num.* 2. & 3. *ff. de oper. nov. nunc.* Mantic. *decis.* 286. *num.* 3. & 4.

27 Nec forma prædicta videtur impleta ex subscriptione Cardinalis Protectoris in fine Constitutionum. Quia Constitutio Gregorii dum loquitur de oraculis firmatis manu Cardinalium, intelligit de subscriptione ejusdem oraculi, itaut præcedat tenor illius, & immediatè sequatur subscriptio Cardinalis, asserentis illud sibi datum fuisse, & ex illa firmetur, nec reddatur dubia fides ipsius oraculi. Unde hæc forma non videtur impleta ex sola enunciativa compilatoris Constitutionum, & generali subscriptione Cardinalis, qui præcedentes Constitutiones solùm confirmavit, & approbavit in genere, nulla prorsus facta mentione asserti oraculi, ad tradita per Angel. *cons.* 400. *num.* 2. & 5. ubi ex eo, quod subscriptio potest fieri ad multos effectus, & realiter in signum confirmationis, per Textum *in leg. Si quis per calumniam, ff. de Episc. & Cler.* infert *num.* 5. non sufficere generalem, sed requiri specificam, ut nulli ambiguitati sit suppositа, maximè quando lex, ut in hoc casu, requirit pro validitate scripturæ, quod constet de consensu subscribentis, tunc enim exigitur subscriptio specialis, nec sufficit generalis, ut declarando jura adducta per Bartol. *in dict. leg. Divus §. Item Senatus, ff. ad leg. Cornel. de falsi.* inquit Alexand. *cons.* 147. *num.* 6. *vol.* 2.

28 Cessatque omnis difficultas, quia dum pro forma validitatis oraculi statuitur in dicta Constitutione Gregorii, ut illud firmetur manu Cardinalis, asserentis, illud sibi datum fuisse, utique nil actum censetur per generalem subscriptionem statutorum, in quibus simpliciter enunciatur. Quoniam ubi forma est inducta, nihil dicitur actum, si aliquid vel minimum deficiat, *c.* 1. *de baptism.* & tradit Bald. *in leg.* 2. *num.* 64. *C. ne servit. & aqua.*

29 Deindè quia, ne Cardinali quidem creditur, asserenti vivæ vocis oraculum sibi datum in requirentibus specialem facultatem, qualis protectò est prohibitio reelectionis perpetuò observatæ, & concessæ tàm ex regula, quàm ex Constitutionibus Apostolicis, quod ut dixi, a Prælatis Religionis fieri nequit sine expressa facultate Summi Pontificis, ut communiter tradunt Doctores relati a Felino *in cap. quod super num.* 9. *de fid. instrum.* Gabr. *tit. de probat. conclus.* 3. *num.* 10. Sanchez *de matrim. lib.* 8. *disp.* 17. *num.* 18. Ideòque Rota *decis.* 33. *numer.* 1. *de probat. in antiq.* ait, non credi Cardinali, nisi circa suam jurisdictionem, non autem circa alia: & Seraph. *dec.* 143. *n.* 1. declaravit, non credi Cardinali asserenti de facultatibus suis in iis, quæ neque de jure communi, neque ex generali officio sibi competunt.

30 Prout neque illi creditur in iis, quæ directè concernunt præjudicium Tertii. Angel. *cons* 132. *num.* 1. Felin. *in cap. Cùm in jure num.* 6. *de offic. delegat.* Gozzadin. *cons.* 41. *num.* 15. Gabr. *dict. concl.* 3. *num.* 9. & 16. Cæsar de Graff. *decis.* 2. *num.* 14. *de præbend.* Non enim potest inficiari, quin asserta declaratio sit præjudicialis tàm iis, qui primùm triennium in officio exegerunt, quàm ipsi Religioni, nedum quia privatur facultate reeligendi eos, qui triennio præcedenti in suis officiis non propriæ, sed communi totius Religionis utilitati, ac commodo vacarunt, verum etiam quia frequens mutatio Prælatorum illi perniciosa est ex multis, quæ ponderant Navarr. *in cap. multam num.* 318. *quæst.* 2. & *in tom.* 3. *de regular. num.* 3. *ac per tot.* Cordub. *in expos. regul. fratr. minor. quæst.* 3. *introduct. §. Sicut*, ac Suarez *tom.* 4. *de religion. lib.* 2. *cap.* 7. Castellin. *de elect. canon. cap.* 20. *propos.* 5. *num.* 8. & *seqq.*

31 Porrò temporarium aliqui mallent supremum Religionis Præsidem, quippe modestius imperaturum. Quod si inferiores Prælati intolerabiles essent, nisi mutabiles, quomodò supremus, idemque immutabilis toleretur?

32 Alii verò, quibus adstipulor, ajunt, regeneratim inspectata, & secreta a peculiaribus circumstantiis, quæ moralibus axiomatis multam semper exceptionem aspergunt è Republica esse, ut Supremi Præsides perpetui sint.

33 Multa sunt, quæ id persuadent. Primum quia ejusmodi jurisdictio eo bono instituta est, ut gubernator, dum subditis consulit, negotium suum agat, eaque charitate illos complectatur, qua cuncti nostra diligimus. Atque in hoc versatur discrimen illud celebre observatum a Christo Pastorem inter ac mercenarium, quod ad hunc, cujus non sunt oves propriæ, non pertinet de ovibus. Ex quo nascitur præceptum divinum Episcopis injunctum manendi in sua Diœcesi, nec eam credendi Vicariis, quippè mercenariis non pastoribus, atque adeò incuriosiùs curaturis. At nemo, ut suum agnoscit, ac diligit, quod citò deponere cogitur. Commodatum hoc est, non dominium, conductoris, non heri.

34 Alterum est, quia ubi Rector se in ordinem redigendum prænoscit, privatum, ac publicum bonum internoscit, illud perpetuò retinendum, hoc brevi relinquendum. Non ergo semper eadem sibi, ac Reipublicæ utilia judicabit, quo discrimine nihil subditorum incolumitati nocentius, perindè ac humano commercio nil deterius eveniisse Tullius queritur, quàm quod homines honestatem ab utilitate distinxerint. Et verò tanti hoc fuit plerisque Populis, ut hac præcipuè de causa successionem, quàm electionem in suis Principibus malint; præoptantes Regem qualem fors obtulerit, adeòque non rarò, vel ingenio tardum, vel moribus pravum, dummodò eodem loco habeat rem suam, & publicam, quàm optimum, qualem electio tribueret, sed privata in suis posteris a publico Regni bono discernentem.

35 Hæc eadem causa impulit nationes illas, quæ Principem non a progenie accipiunt, sed a suffragiis, ut consueverint nihilominus duo servare. Alterum, ut is legatur, qui multò plus ab ea electione accipiat, quàm aliundè possideat. Alterùm, ut hic ex frequentissimis præteritarum electionum exemplis spe principatum posteris augeretur, si eum cum laude administraverit. Hæc enim duo efficiunt, ut principatum ipsum consideret, ceu privatum bonum, & id præcipuum, quod in posteros transcribere sibi liceat, si non hæreditate, ac jure certè meritò, ac re.

36 In sacris verò dominationibus, ubi hæc consuetudo sufficiendi consanguineos non decet, curam illam posterorum plurimum cœlibatus remittit. Quis enim neget segnius irritari mortales fraternæ, quàm propriæ sobolis charitate?

37 At in religiosis familiis satis cavetur distinctio privati, ac publici boni, si Præses ad vitam creetur. Nec enim ille consanguineos habere solet hujusmodi, qui sint ejus Reipublicæ membra, & quorum bono in totam progeniem duraturo consulere possit per publica detrimenta.

38 Accedit tertia ratio. Præses enim dominaturus ad vitam, hoc est quàm diutissimè per humanam curam obtineri potest, absolvit Religionem a frequenti sollicitudine, ac dissentione, hoc est a non separabilibus Comitiorum malis, quorum vitatio altera fuit causa, cur tot nationes rem maximam, hoc est imperium, potius fortunæ in progenie, quàm consilio in electione commiserint. Nullum enim monstrum, plurium periculorum ferax, quàm tot simul capita, præsertim sine capite. Nimis timendum, ne frequenter coacti, qui in legem dominantur, aliquando legem evertant, seu ad ostendendam potentiam, quæ privatis, quo rarior, ea jucundior, seu ex domesticis simultatibus, seu veterum fastidio, & novitatis illecebra, quæ sæpè facit, ut mortales pro iisdem sumant alia, & meliora. His de causis Concilia generalia, quæ tamen nunquam sine capite, nonnisi tanquam potentiora pharmaca sunt adhibenda, hoc est, tanquam gravium morborum remedia. Neque illorum frequentiam amant, nisi qui Catholicæ Ecclesiæ bonum, vel non dignoscunt, vel non amant. Ideò etiam prudenter cautum est, ne Summi Pontificis Electores possint quidquam de Pontificiis legibus inducere, vel immutare, sed unam habeant substituendi Principem, atque interim curandi Populos potestatem.

39 Adjungitur quarta ratio pro ejusmodi Rectorum stabilitate, quia ingeniorum varietas, & aliena reprehendendi libido solet efficere, ut quæ dubio exitu decessor inchoavit, præcidantur a successore. Et tamen multa sunt opera, ac præsertim difficilia, qualia semper magna, quæ longam curam efflagitant, quando per ipsam diuturnæ elaborationis necessitatem Aristoteles difficile definivit. Si ergo Summi Præsides temporarii fuerint, pauci magna aggredientur, pauciores conficient.

40 Nec Superioribus rationibus levior quinta est. Scilicet imperium, si breve, nec reverentiam, nec metum habet, quando subditi Rectorem aspiciunt, non tàm ut in præsentia majorem, quàm ut mox æqualem, & eorum aliquis, ut fortasse subjectum. Ideò Deus summè verendus, *quia Regni ejus non erit finis.*

41 At inquies ab amore melius, quàm a timore Religioso Antistiti reverentia paratur. Fateor, amorem quæren-

dum Principi, ut magnum, quamvis incruentum, regnandi telum. Fateor, ſubditos honeſtius amore, quàm timore commoveri, quo magis aſſimilent cœleſtem Rempublicam, ex qua regnatrix charitas timorem, quaſi mancipium, exturbat. Qui tamen timorem ab humana dominatione ſejunctum vellent, ſi propriè, ac preſsè loquantur, vim juriſdictionis ignorant. Amor enim & amico, & minori communi eſt, jus timorem inferendi, id unum eſt, quo Præſes privatos excellit. Præmia ipſa, ut Divus Thomas admonuit, a privato rependi poſſunt, pœna, hoc eſt juſtum malum, juſtique timoris irritamentum, Præſidiis ærarium, & legiones ſunt. Si punitionis timorem tollis, Principatum tollis, ni anteà peccandi poteſtatem abſtuleris. Illud in Terris evenit, hoc in Cœlo.

42 Non igitur quæſtio eſſe poteſt, utrum ſolo amore conſtante, ac timore prorſus amoto, Regnum conſtet, ſed an Principi, ut tutò regnet, ſolus timor quærendus ſit, amore neglecto, quod aliqui non inhumanius, quàm falſius aſſeruere, an potius amor timori nectendus, quo fœdere nil validius ad munimentum Principatus. Cæterum conferre juriſdictionem nil aliud eſt, quàm conferre potentiam juſtè cogendi, ac plectendi, ac proindè quàm intentare mortalibus aculeum timoris.

43 His rationibus demonſtraſſe ii arbitrantur, Rectoribus, qui ſubditos verè ſuos regunt, utilius perpetuam, quàm temporariam juriſdictionem impertiri.

44 Inquiunt è diverſo in Præſides, qui ſubditos non ſuos, ſed ſibi creditos moderantur, ejuſmodi rationes non convenire, immò adverſas, adeòque illos expedire temporarios.

45 Non quidem in eos convenit prima ratio, hoc eſt, ut aſpiciant imperium, & ſubditos, tanquam ſua, non tanquam commodata; item neque altera, hoc eſt, ut publicum bonum a privato nihil diſtinguant. Neutram enim his Rectoribus quadrare poteſt, ut patet ex ipſa eorum definitione, qua dicuntur alienos gubernare, non ſuos. Non tertia de vitandis diſcordiis, ac periculis imminentibus ex acephalo multorum conventu. Quandoquidem Rectores hi ſine turbis creari poſſunt ab ipſo ſuperiore Præſide, vel ſi a ſubditis eliguntur, non eliguntur a cœtu præpotenti, & ampliſſimæ juriſdictionis, ſicut ſupremi.

46 Non quarta, quæ ſpectat ad proficienda incœpta grandis, & diuturni operis indiga. Quoniam principis cauſæ eſt tanquam architecti præſtituere finem, atque in eum inferiores cauſas, quaſi fabros dirigere. Quamvis ergo alii aliis temporibus ſubeant adminiſtri ejuſdem dominatoris, idem tamen eſt omnium ſcopus, quem dominator præſignavit, quemadmodum alia, & alia jacula eodem tendunt, ſi ab eodem jaculatore in idem ſignum evibrentur.

47 Denique non quinta de motu, ac reverentia languescente propè occaſum Magiſtratus. Nam in Rectoribus abſentem dominum repræſentantibus, hunc veremur, hunc timemus, quem Rectoris honor colit, vel deſpectus contemnit. Quo circa ſi quis Vicarium Præſidem violet, læiæ Majeſtatis in Principem reus eſt, non ita qui Dynaſtam Principis beneficiarium violat. Licèt enim uterque poteſtatem habeat a Principe, non tamen hic, ſicut ille perſonam Principis gerit. Donec ergo illam gerit, verendus manet, quamvis eam brevi poſiturus; ſicut nemo auderet veſtem Regis contaminare, licèt eam in horas a Rege exeundam prænoſſet. Quod ſi tamen aliquid reverentiæ decedit Præſidi deceſſuro, ſatis eſt, hæc ſi maneat illibata in Principem, cui arbitrarium eſt eam opportunè cæteris Magiſtratibus diſtribuere. Nec enim animal periclitatur frigeſcentibus manibus, pedibuſve, ſi vitalis calor incolumis perſeveret in corde.

48 Addunt; multas eſſe cauſas, quæ nominatim ſuadeant regiminis brevitatem præſcribendam Rectori, aliena moderanti.

49 Prima eſt, quod cùm is nequeat ſubditos intueri, tanquam aliquid proprium, expedit, ut omnes contueatur, tanquam alienos, & omnibus æquus amoris, atque odii cauſas procul habeat. Id verò fieri nequit, ſi longior mora, & conſuetudo familiaritatis conglutinet, offenſio ne excitet. Expedit ergo, ejuſmodi Magiſtratuum tempus, nec adeò correptum, ut ante deſinant regere, quàm dignoſcere incipiant, nec adeò productum, ut ſeorſim Rectoris animus, vel re, vel quod in civilibus perindè eſt, ſuſpicione peculiares proclivitates contraxerit, idque ſubditis grave ſit, tanquam diutius duraturum.

50 Adſtipulatur ratio altera. Nam qui alienos curat, alteri ſervit, ac proindè, ut ritè ſerviat, calcar, ac frænum ſentiat, oportet, ſpem, & metum. Nec tantùm metuere debet pro gravioribus noxis gravia ſupplicia, Lævia ſunt, quorum vitatione præſtantia regiminis continetur. Timeat ergo Rector neceſſe eſt, etiam pro negligentiis, ac prætermiſſionibus leviunculam pœnam, hoc eſt vel indecoram vacationem, vel ad inferiora munera depreſſionem. Contra verò meliora ſperet, ſi laudabiliter creditam provinciam obierit. Hæc porrò incommodè fient, ſi magiſtratus illi ſuaptè natura perpetui ſint, non commutabiles. Moderatio autem facultatum Eminentiſſimorum Cardinalium Protectorum Ordinum Regularium hæc eſt.

Sanctiſſimi Domini Noſtri Domini.

INNOCENTII PAPÆ XII.

Conſtitutio Moderatoria facultatum Protectorum Ordinum Regularium.

INNOCENTIUS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei.

Ad perpetuam rei memoriam.

CHriſtifidelium, qui ſpretis ſæculi hujus illecebris ſub ſuavi Religionis jugo Divini Numinis ſeſe manciparunt obſequiis, ſalubriori regimini, & fœlicioribus in Domino progreſſibus, quantum Nobis ab Alto conceditur, proſpicere ſatagentes, inter multiplices curas, quibus occurrentium rerum, negotiorumque varietatibus obſidemur, ad illam quoque noſtræ conſiderationis aciem dirigimus, per quam hujuſmodi Religioſorum Ordinum S. R. E. Cardinalium protectioni commiſſi, ita ejuſdem protectionis perfruantur ſubſidio, ut clauſtralis diſciplinæ vigor illibatus permaneat. Inſtitutique obſervantia ſartatecta ſervetur, ac propterea, quæ curæ hujuſmodi Protectorum, & quæ cenſuræ Superiorum regularium reſpectivè, & magis aptè conveniunt, congrua diſtrictione ordinentur, ſeu potiùs, quæ reſpectu alicujus Ordinis, per Romanos Pontifices Prædeceſſores noſtros providè deſuper ordinata noſcuntur, quoad illum confirmationis noſtræ munimine conſtabiliantur, & quoad eumdem, & alios Ordines præfatis Protectoribus ſive ſimiliter, ſive diſſimiliter commendatos pro una, eademque regula, ad limites tamen præſentium, pariformiter conſtituantur.

Sanè licèt Sanctus Franciſcus de Aſſiſio in ejus Regula, per Sedem Apoſtolicam confirmata, hiſce verbis præceperit; Per obedientiam ad hoc injungo Miniſtris, ut petant a Domino Papa unum de Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus, qui ſit gubernator, protector, & corrector iſtius Fraternitatis, ut ſemper ſubditi, & ſubjecti pedibus ejuſdem S. R. E. ſtabiles in Fide Catholica paupertatem, & humilitatem, & ſanctum Evangelium Domini Noſtri Jeſu Chriſti, quod firmiter promiſimus, obſervemus; Nihilominus nonnulli Romani Potifices Prædeceſſores noſtri Protectoris hujuſmodi facultates declarandas, fineſque, quibus illæ concludi deberent, præſcribendos eſſe, in Domino exiſtimarunt, ſuiſque deſuper editis literis decreverunt.

Cùm enim aliqui eorumdem Protectorum ſuam poteſtatem nimium extendiſſe dicerentur in pluribus, ex quibus in Ordine Minorum graves perturbationes, & ſcandala fuiſſent exorta, ſelic. record. Gregorius Papa XI. Prædeceſſor Noſter ſuis ſexto Kalend. Junii Pontificatus ſui anno tertio expeditis literis, ut idem Ordo in ſua primæva quiete permaneret, de virtute in virtutem iret aſſiduè, & quibuslibet amotis præpedimentis, eradicatiſque ſpinis, & tribulis, fructum non ſolùm conſuetum, ſed etiam uberiorem afferret, ad radicalem ſubmotionem turbationum, & ſcandalorum ejuſmodi jam exortorum, & ne orientur in poſterum, providere, ac ejuſdem Ordinis pro tempore exiſtentibus Protectoribus tranſgreſſionis ſuæ poteſtatis occaſionem tollere efficaci remedio cupiens: Authoritate Apoſtolica eiſdem Protectoribus diſtrictiùs inhibui, ne præſumerent quæcumque ordinata, ſtatuta, ſive diſpoſita, aut ordinanda, ſtatuenda, ſeu diſponenda per generalia, vel provincialia, aut cuſtodialia Capitula infringere, reprobare, corrigere, ſuſpendere, aut diſpenſare ipſis, ſeu contra ea, vel eorum aliquid quomodolibet immutare, niſi contra præmiſſos articulos in præfata regula, ut præfertur poſitos, vel aliquem ipſorum exiſteret manifeſtè.

Aut quemcumque Prælatum, ſeu officialem dicti Ordinis, ſeu alicujus loci ejuſdem quocumque nomine nuncuparetur, ponere, ſeu inſtituere; aut deponere, deſtituere,

ſeu

ſeu privare, aut a ſuo officio ſuſpendere, ſeu impedire ſuper ejus libero exercitio quovis modo.

Aut aliquem Fratrem Ordinis antedicti ad lectoratum, aut quamcumque lecturam, ſeu ſtudium, vel gradum promovere, aut promotos ab eis removere, ſeu etiam revocare.

Aut de loco ad locum mittere, aut mutare, ſive alicui Fratrum eorumdem eundi ad quodcumque Monaſterium, vel locum alium, vel domum, vel aliquam perſonam, licentiam impartiri.

Et ne inſuper quemvis ſingularem Fratrem memorati Ordinis de quocumque crimine, vel delicto punire, vel a pœna, ſeu pœnitentia liberare, aut eam minuere, augere, vel immutare.

At etiam alicui Fratri locum, cameram, cellam, libros, vel alias res dicti Ordinis concedere, vel ejus uſui deputare.

Aut quemcumque per Prælatos ejuſdem Ordinis, aut alios deputatum quomodolibet amovere.

Nec etiam de rebus, aut correctione Fratrum dicti Ordinis, niſi in caſibus præmiſſis contentis in præfata regula, ſeu eorum aliquo ſe aliquatenus intromittere quovis modo, itaut dictus Ordo, ſeu Fratres ejuſdem Ordinis in nullo ſubeſſent futuris Protectoribus, niſi in caſu, in quo ipſorum Fratrum Communitas, vel generale Capitulum (quod abeſſet) prædictis articulis, vel eorum aliquo deviaſſent, alioquin ſi ſecus feciſſent, id decrevit irritum, & inane.

Et nihilominus Fratres, qui contra ejuſmodi inhibitionem quidquam impetraſſent, ſeu poſt inhibitionem ejuſmodi uſi fuiſſent etiam per alios impetratis, punirentur illis pœnis, quibus fuiſſent pro gravibus culpis ſecundùm ſtatuta dicti Ordinis puniendi, & nihilominus eſſent actibus privati legitimis, & a ſuis, ſi quæ habuiſſent, ſuſpenſi officiis ipſo facto.

Cæterùm memoratus Gregorius Prædeceſſor eoſdem futuros Protectores hortatus fuit attentiùs, quod per facti efficaciam ſic nominis ſui officii procurarent effectum, ut Ordo ipſe per eos non læderetur in aliquo, ſed potiùs ab adverſis, pro tempore forſan imminentibus, ſuo opportuno defenſionis clypeo protegeretur, & a noxiis præſervaretur, ſic acturi providè, & æquitatis, ac modeſtiæ limites ſervaturi, ut non traheretur ad noxam, quod proviſum fuerat ad ſalutem, ſed ex charitatis geſtis eorum Ordo præfatus quietem, & conſolationem perciperet, & ipſi Protectores magnum apud Deum præmium ſortirentur, & ſuper contrario non oporteret dictæ Sedis providentiam aliud remedium adhibere.

Succeſſivè rec. mem. Sixtus Papa IV. etiam Prædeceſſor noſter, qui cùm ſibi in minoribus conſtituto memorati Ordinis generalis cura, & adminiſtratio incubuiſſet, ſaluberrimum, opportunum, & neceſſarium dicto Ordini fuiſſe conſpexerat, ut Protectores ultra præfixam, ab ejuſdem Ordinis regula, authoritatem non extenderent, nam expertus fuerat, & viderat, quanta pax, quies, utilitas, quantaque commoda præfato Ordini, & Fratribus ejuſdem ex firma, & inconcuſſa præfatarum literarum dicti Gregorii pariter Prædeceſſoris obſervantia provenerant, quæ, & quantæ perturbationes, jacturæ, incommoda, damna, & gravia ſcandala in dicto Ordine ſuſcitata fuerant, quoties illius Protectores ſuæ authoritatis limites excedere attentantes, in particularibus dicti Ordinis, & Fratrum ejuſdem cauſis, & negotiis ſe intromittere, & uſurpata ſibi authoritate ea videre, cognoſcere, judicare, & decernere voluerant: Cupiens ut Religio, & Ordo præfatus, quem affectuoſiſſima charitate complectebatur, utpotè quia in eo a teneris annis enutritus, & doctrina, ac regularibus diſciplinis, & moribus inſtitutus fuerat, quieto conſiſtens ſtatu, virtutibus, & meritis augeretur, & multiplicaretur, ut Fidei Catholicæ, & Chriſtianæ Reipublicæ augmentum, & multiplex, ac ſolidum fundamentum ex ejuſdem Ordinis Fratrum operibus, & exemplis ſapientia, & ſplendore, ac fructuoſis ſtudiis, & prædicationibus provenirent, promptiſſimo, & liberali animo dignum cenſuit, & debitum, ut ea, quæ pro ipſis Ordinis quiete, pace, tranquillitate, & proſperitate a Romanis Pontificibus Prædeceſſoribus providè ſtatuta, & ordinata fuerant, illibata perdurarent, ſeu approbationis munimine ſolidavit, interpretatus fuit, & declaravit, prout ipſius Ordinis tranquillitati conſpexit ſalubriter expedire.

Præmiſſa igitur dictarum memorati Gregorii prædeceſſoris literarum inſertione, ac prævia hujuſmodi narrativa, idem Sixtus Prædeceſſor, ut de cætero ipſius Ordinis profeſſoribus omnis evagandi extra Religionem occaſio tolleretur, & vera ſuis Prælatis obedientia, in qua Religionis verum, & ſolidum firmamentum, & robur conſiſtit, exhiberetur, præfatique Ordinis, & Fratrum ejuſdem negotia, & cauſæ non alibi, neque per alios, quàm in ipſo Ordine, & per ipſius Prælatos tractarentur, agitarentur, judicarentur, & determinarentur, tunc exiſtentis Generalis dicti Ordinis Miniſtri, & totius generalis Capituli in hac parte ſupplicationibus inclinatus, inhibitionem, & literas præfatas memorati Gregorii prædeceſſoris authoritate Apoſtolica ſuarum tenore literarum approbavit, & robur perpetuæ firmitatis obtinere debere decrevit.

Et per eas Protectori præfato pro tempore exiſtenti, niſi in illis caſibus, & articulis in regula dictorum Fratrum expreſſis, & præfati Gregorii Prædeceſſoris literis declaratis, neque in illis, dum non univerſi, ſed aliqui ipſius Ordinis profeſſores in quovis numero a Fidei unitate, ſacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ obedientia deviarent, vel regulam præfatam non ſervarent, ſed de eorumdem deviantium, & non obſervantium regulam correctione, aut reductione, ac aliis quibuslibet cauſis, & negotiis dicti Ordinis ſe intromitteret, inhibitum fuiſſe, dicta authoritate decrevit, & declaravit.

Hortatuſque fuit illum, qui ad officium Protectionis hujuſmodi, quod tunc per obitum bon. mem. Beſſarionis Epiſcopi Sabinenſis dicti Ordinis, dum viveret, Protectoris, vacabat, aſſumi, & deputari contigiſſet, & ipſius ſucceſſores dicti Ordinis Protectores, ac eis in virtute ſanctæ obedientiæ diſtrictè præcipiendo inhibuit, ne extra prædictos articulos, & caſus in regula præfata contentos, & expreſſos nec etiam in illis, cùm non univerſus Ordo, ſed aliqua ipſius pars vel ſpeciales perſonæ errarent, ipſorum Fratrum querelas audire, ſeu de ipſorum cauſis, & negotiis contra literas, & declarationes hujuſmodi intromittere ſe quoquo modo præſumerent, ſed curarent, vigilarent, & intenderent, uti erat eorum officium, & prædicti Sancti Franciſci, & præfatæ Sedis intentio fuerat, ipſum Ordinem in quieto, tranquillo, & pacifico ſtatu conſervare, & augere, & ab impugnantibus, moleſtantibus, & perturbantibus protegere, defendere, & tueri, ne ſecus agendo Ordinem præfatum non ſolùm non protegerent, conſervarent, & exaltarent, ut tenebantur, ſed in animarum ſuarum perniciem, & dicti Ordinis detrimentum, & ſcandalum perturbarent, deſtruerent, & confunderent, ut in ejuſdem Sixti prædeceſſoris Anno Incarnationis Dominicæ milleſimo quadringenteſimo ſeptuageſimo ſecundo, quinto Kal. Februarii, Pontificatus ſui anno ſecundo expeditis literis continetur.

Quas, ac alias præfatas memorati Gregorii Prædeceſſoris literas piæ mem. Julius Papa II. etiam Prædeceſſor noſter; qui in minoribus conſtitutus, Cardinalatus honore fulgens, dicti Ordinis Protector viginti ſex annis, & ultra fuerat, dictoſque Fratres tanquam peculiares filios in viſceribus charitatis gerens, eadem commoda, & tranquillitatem ſinceris affectibus exoptabat, prævia ambarum præfatarum inſertione, aliis ſuis literis ſub Dat. Anno Incarnationis prefatę milleſimo quingenteſimo octavo, Idibus Octobris, Pontificatus ſui anno quarto, approbavit, ac earumdem ſuarum literarum patrocinio communivit.

Cupientes itaque, ut pluries animo attentè revolvimus, etiam in hac parte Apoſtolicę ſollicitudinis ſtudium apponere, ac nolentes ſalutaris proviſionis remedium jamdiu a Nobis pręmeditatum, ac etiam a quampluribus diverſorum Ordinum Regularibus ſuppliciter petitum, diutius differre, dictorumque Romanorum Pontificum Prędeceſſorum veſtigiis inherentes, motu proprio, ex certa ſcientia, & matura deliberatione noſtris, deque Apoſtolicę poteſtatis plenitudine, necnon de nonnullorum Venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium, & delictorum filiorum Romanę Curię Prędatorum pietate, doctrina, prudentia, & rerum uſu prędantium ad hunc effectum de mandato noſtro congregatorum conſilio, prefatas memoratorum Gregorii, Sixti, & Julii Prędeceſſorum literas tenore prędentium approbamus, confirmamus, innovamus, & ad primęvum ſtatum, priſtinumque uſum reducimus, & redintegramus, illiſque in omnibus, & per omnia perpetuum, & inviolabilis firmitatis robur adjicimus.

Inſuper, ut in omnibus, & ſingulis quorumcumque Regularium Ordinibus memoratorum Protectorum curę commiſſis, ſeu committi conſuetis, una, eademque & pariformis, hujuſmodi Protectionum ſit, & perpetuò eſſe debeat regula, & diſciplina, omnia, & quęcumque tàm in prędatorum Prędeceſſorum, ut prędertur, confirmatis, quàm in prędentibus noſtris literis contenta, in omnibus, & ſingulis, ſive Sancti Franciſci, ſive cujuſcumque alterius Regulę, vel inſtituti, ac quomodocumque erectis, reformatis, ſeu exiſtentibus, ac erigendis, reformandis, ſeu futuris, & quomodolibet nun-

nuncupatis, seu nuncupandis Ordinibus, Religionibus, Congregationibus, vel Reformationibus tàm virorum, quàm mulierum, curæ Protectorum Ordinis, cujus illi, seu illæ existunt, generaliter commissorum, seu commissarum, observanda, attendenda, ac omnimodæ exequutioni demandanda esse, & fore, motu, scientia, & potestatis plenitudine paribus, hac in perpetuum valitura Constitutione sancimus, & mandamus. Et nihilominus ne hujusmodi Protectores in aliquibus negotiis, causis, seu rebus, quæ universum Ordinem, seu totum corpus Religionis non concernunt, ex quacumque causa, occasione, titulo, seu prætextu sese quoquo modo intromittant, seu ingerant, etiam tenore præsentium penitus prohibemus, statuimus, atque decernimus.

Hinc cùm retento præfatarum a Nobis confirmatarum, & ad omnes Ordines Regulares extensarum, ac præsentium nostrarum literarum themate, congruere, & in consequentiam venire videatur, ut memorati Protectores etiam a cognitione, & definitione causarum, seu litium, vel negotiorum dictos Regulares, vel eorum bona, jura, domos, aliaque, ut præfertur, particulariter concernentium pariter, seu magis abstinerent: Vice autem versa causæ, lites, instantiæ, petitiones, vel negotia hujusmodi, sive ex indultis, privilegiis, aut Constitutionibus Apostolicis, sive ex Regulis, vel Statutis, seu Ordinationibus aliquorum Ordinum, sive ex declarationibus, vel decretis dictæ S. R. E. Cardinalium aliquibus Congregationibus præpositorum, sive ex usu, vel quacumque consuetudine, in aliqua instantia, seu gradu cujuscumque appellationis, vel recursus a memoratis Protectoribus, seu eorum aliquibus hactenus cognita, examinata, seu judicata fuerint, vel cognosci, examinari, seu judicari potuisse, vel debuisse dignoscerentur, seu prætenderentur: Propterea ut modus, forma, & ordo in præfatis confirmatis, & extensis, ac præsentibus nostris literis constituti, suum plenarium, & consimilem etiam in hac parte sortiantur effectum, omnibus, & singulis præfatis Indultis, Privilegiis, Constitutionibus, Regulis, Statutis, Ordinationibus, Declarationibus, Decretis, usibus, & consuetudinibus, quorum omnium, & singulorum tenores, ac si de verbo ad verbum inserti essent, pro plenè, & sufficienter expressis habemus, plenissimè, & ampliissimè motu, scientia, & potestatis plenitudine similibus, derogamus, & derogatum esse volumus, & mandamus, illis aliàs in suo robore permansuris, ac quamcumque instantiam, sive gradum cujuscumque appellationis, vel recursus coram Protectoribus, seu ad Protectores hujusmodi, removentes, tollentes, seu resecantes, quamcumque instantiam, prout de jure, & juxta ordinis instituta relinquimus, & cujuscumque appellationis, seu recursus gradum, quem singulis Cardinalibus Protectoribus tenore præsentium omninò, & absolutè adimimus, ipsis Cardinalibus, insimul tamen in Congregatione negotiis, & Consultationibus Episcoporum, & Regularium Præposita convenientibus, earumdem tenore præsentium restituimus, concedimus, tribuimus, & impartimur, seu verius utrumque, seu duplicem appellationis gradum, qui super præmissis prius ad Cardinales Protectores præfatos, & successivè, vel respectivè, omisso medio, ad memoratam Congregationem devolvebantur, in eadem Congregatione consolidamus, annectimus, & unimus, & ad unum cognitionis, seu appellationis gradum reducimus.

Ad hæc cùm pariter ex Indultis, Privilegiis, seu Constitutionibus Apostolicis, vel ex Regulis, Statutis, seu Ordinationibus, sive ex usibus, & consuetudinibus, vel aliàs quoquo modo, aliqua nonnullos Prælatos, Superiores, seu alios in aliquibus Ordinibus eligendi, seu deputandi, vel alia quæque facultas, seu authoritas nonnulla quæcumque gerendi, committendi, mandandi, demandandi, seu ordinandi præfatis Protectoribus, seu aliquibus eorum quomodolibet attributa, commissa, commendata, seu demandata specialiter, vel generaliter contra formam præfatarum Gregorii, & Sixti Prædecessorum literarum existat; Hinc Nos hujusmodi electiones, seu deputationes ad limites Sacrorum Canonum, seu Regularum, & Instituti, vel ad modum, & formam in Comitiis generalibus, seu per Nos authoritate Apostolica statuendum, & statuendam reducimus, & reductas esse volumus, & mandamus: Quo verò ad cætera, facultatem, seu authoritatem, quàm iisdem singulis Cardinalibus Protectoribus in præmissis, & circa ea penitus adimimus, eorumdem Cardinalium Congregationibus, juxta cujuslibet Congregationis facultates, congrua congruis referendo, similiter restituimus, concedimus, tribuimus, & impartimur, sub ea tamen moderatione, seu declaratione, ut præfatæ Congregationis in illis dumtaxat, quæ ad Protectores hujusmodi ex Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, seu ex Statutis, Regulis, vel Constitutionibus cujuslibet respectivè Ordinis, non autem ex usu, consuetudine, vel aliàs spectarunt, loco eorumdem Protectorum subrogentur, & subrogatæ sint, & intelligantur.

Quia verò sæpè sæpiùs contingit, ut in Causis, seu negotiis, quæ in memoratis dictorum Cardinalium Congregationibus proponuntur, exquiratur super expositis informatio; quandoque etiam votum, seu delegetur resolutorum exequutio, eamdem proportionem, seu distinctionem, quam præmissimus etiam in hac parte servari mandamus, ut nimirùm in respicientibus totum Ordinem Protectorum Curæ, ut præfertur, commissis, seu relictis, iisdem Protectoribus. In cæteris verò Causis, & Negotiis, Superiori generali, sive Procuratori generali, & in utroque, seu alterutro casu, etiam Congregationi sive Assistentium, sive Definitorum, sive Consultorum, sive aliter quomodocunque nuncupatæ hic in Urbe, vel in alio Italiæ loco existenti, in qua Ordinis negotia tractantur, seu tractari solent, vel debent, & quoad illos Ordines, in quibus hujusmodi insimul, & continuè conveniens Congregatio non existit, seu existit, sed extra Italiam, eidem Procuratori Generali vel soli, vel insimul etiam nonnullis aliis ejusmodi Ordinis Superioribus seu Prælatis, tametsi in diversis locis in Italia, seu extra eam respectivè, ut præfertur, commorantibus, arbitrio semper cujuslibet ex præfatis Cardinalium Congregationibus, juxta rerum, locorum, & personarum qualitates, & circumstantias respectivè, informatio, & Votum ut præfertur, necnon exequutio hujusmodi, congrua congruis referendo, & servata cæteroquin quoad singulos Ordines forma propriæ Regulæ, statutorum, seu Instituti, remittatur, delegetur, seu committatur.

Perpendentes etiam Christianæ Reipublicæ præ cæteris expedire, ut Ordinibus Regularibus Prælati inculpatæ vitæ, morumque integritate, virtutibus, meritis rerumque experientia præstantiores, & aptiores præficiantur, & ad hunc effectum omnimodam, & ab humanis respectibus undequaque immunem, & sacrosanctam libertatem in illorum electionibus, nedum mirabiliter conferre, sed requiri, memoratos Protectores in Domino hortamur, & enixè obsecramus, ac Electoribus pariter in Domino & in virtute Sanctæ Obedientiæ districtè præcipimus, seu hortationes, obsecrationes, & præcepta hujusmodi renovamus, ut in comitiis præsertim generalibus, quibus eosdem pro tempore præsidere, & respectivè interesse contigerit, nedum inter se, & aliis intra claustra degentibus, sed exteris ipsis quibuscumque etiam Laicis, quacumque majestate, præeminentia, gradu, & dignitate fulgentibus, propriæ indifferentiæ, ac unici in Dei gloriam, & Religionis bonorum respectus, ita se præbeant singulare specimen, & exemplar, talemque hujus rectæ intentionis, & melioris operationis odorem diffundant, ut illi propterea vexationes, & importunas commendationes, ubi Spiritus Paraclitus spirat, & præsidet, inutiles, & incongruas esse, seu fore, certiùs agnoscentes, ab iisdem prorsùs abstineant, seu desistant, indèque tàm intrinsecùs, quàm extrinsecùs, omnibus vexationibus, commendationibus, machinationibus, humanisque finibus eliminatis, & explosis, intra, illibata, & intacta Vocalibus remaneat eligendi facultas, & tàm Superioris Generalis, quàm aliorum respectivè Prælatorum, undequaque libera, & optima, & canonica sequatur electio, ad quam cum Voto, si quod, & eo modo, quod Protectori juxta cujusque Ordinis Regulas, Statuta, vel aliàs competit, Deum, ejusque honorem, & gloriam dumtaxat præ oculis habens, concurrat. Nolumus tamen absentium vota, nec Protectoris, nec cujuscumque alterius, nec etiam ipsarum Cardinalium Congregationum authoritate suppleri, seu alios Vocales eorumdem absentium loco, seu vice subrogari, deputari seu eligi, sed jus eligendi in solis, juxta juris, & Instituti regulas ad hunc effectum assumptis, & in destinatis loco & tempore convenientibus consolidari, seu aliàs, prout de jure, permanere omninò volumus, & mandamus.

Ut autem præmissa omnia, & singula eo magis debitum consequantur effectum, & exequutioni demandentur, ac ad majorem cautelam, seu declarationem, omnia, quæcumque, & singula, quæ in præmissis confirmatis, ac extensis, & præsentibus nostris literis sunt quoquo modo explicitè, vel implicitè memoratis Protectoribus interdicta, in posterum annullamus, cassamus, & irritamus, seu potiùs nulla, cassa, inania, irrita, nul-

nulliuſque roboris, & momenti ipſo jure, & ipſo facto omni meliori modo declaramus, atque decernimus. Mandantes iiſdem nunc, & pro tempore in futurum exiſtentibus Protectoribus, nec cuncta, vel ſingula præmiſſa quomodo modo injungant, faciant, mandent, committant, permittant, ſive tolerent; necnon quibuſcumque Regularibus utriuſque ſexus, tùm Superioribus etiam Generalibus, tùm Subditis, ne iiſdem omnibus, & ſingulis, ut præfertur, præmiſſis pareant, obediant, morem gerant, adhæreant, ſeu illa tolerent, vel permittant, ſive omnia, vel ſingula præmiſſa quæcumque fiant, ſeu attententur per ſententias, vel decreta, ſive in forma judiciali, ſive extrajudiciali, tàm per parentes, quàm per privatas literas, ſeu epiſtolas, ſive per ſeipſos, ſive per quoſdumque alios, nedum per viam præcepti, juſſionis, mandati, vel commiſſionis, ſed etiam commendationis, & ſive palam, ſive ſecretò, tùm in quibuſcumque ſcriptis, tum oretenùs, & tàm directè, quàm indirectè, mediatè, vel immediatè, ac aliis quibuſcumque formis, & modis, nihil penitùs omiſſo, præfatorum omnium conſcientias deſuper onerantes.

Propterea omnes, quaſcumque, & ſingulas facultates, authoritates, & juriſdictiones quomodocumque, qualitercumque, & quandocumque, tàm in genere, quàm in ſpecie omnibus, & ſingulis antehac, ſive nunc exiſtentibus Protectoribus hujuſmodi, & tàm eorum perſonis, quàm gradui, muneri, vel officio conceſſas, & attributas, vel communicatas, ſeu ab illis quoque modo exerceri conſuetas, etiam ſpeciali, & individua mentione, moderatione, ſeu revocatione dignas, earumdem omnium, & ſingularum tenores, ac ſi de verbo ad verbum inſerti eſſent, pro plenè, & ſufficienter expreſſis habentes, in omnibus, & ſingulis, quæ præmiſſis adverſantur, moderamur, reformamus, & ad limites, modum, formam, & tenorem præſentium reducimus, & pro ſic moderatis, reformatis, & reductis haberi, cenſeri, & intelligi volumus, & decernimus; Sicque pariter, & non aliàs quàm ſervata forma præſentium, & omnium, ac ſingulorum in illis contentorum facultates, juriſdictiones, & authoritates hujuſmodi, necnon deputationes eorumdem Protectorum in poſterum quomodocumque concedendas, attribuendas, ſeu communicandas, & reſpectivè faciendas, obſervari, attendi, intelligi, & exequi omninò volumus, & mandamus.

Quo circa præfatæ Congregationi memoratorum negotiis, & conſultationibus Epiſcoporum, & Regularium Præpoſitorum, Cardinalium, & dilecto filio Curiæ Cauſarum Cameræ Apoſtolicæ Generali Auditori per Apoſtolica ſcripta motu ſimili mandamus, quatenus omnibus, & ſingulis præmiſſis ſemper ſalvis, & in ſuo robore permanentibus, Congregatio, vel Auditor præfati præſentes literas in ea parte, quæ prædictam moderationem, ſeu limitationem facultatum Protectorum hujuſmodi, ac in contrarium deſuper ab iiſdem Protectoribus gerendorum, nullitatem, ſeu irritationem dumtaxat concernunt, ubi, & quando opus fuerit, quoties pro parte quorumcumque deſuper intereſſe habentium Congregatio, vel Auditor præfati fuerint requiſiti, ſolemniter publicantes, eſtque deſuper efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes, faciant authoritate noſtra eaſdem præſentes in dicta parte duntaxat fimiter obſervari, & ſingulos, quos eædem literæ in dicta parte concernunt, illis pacificè gaudere, non permittentes eos quomodolibet indebitè moleſtari, contradictores authoritate noſtra appellatione poſtpoſita compeſcendo.

Decernentes, eaſdem præſentes literas, & in eis contenta quæcumque, etiam ex eo qnod omnes, & ſinguli ſupradicti, ac alii quicumque cujuſvis ſtatus, gradus, ordinis, conditionis, præeminentiæ, vel dignitatis, ſeu aliàs ſpecifica, & individua mentione, & expreſſione digni, in præmiſſis quomodolibet jus, vel intereſſe habentes, ſeu habere prætendentes, iiſdem præmiſſis non conſenſerint, nec ad ea vocati, ſeu auditi fuerint, tametſi ſuorum indultorum, vel privilegiorum vigore conſentire, ſeu vocari, & audiri ſemel, vel pluris quoquo modo debuiſſent, aut ex alia quacumque juridica, privilegiata, & rationabili, ac etiam tali, quæ ad effectum validitatis præmiſſorum neceſſariò exprimenda foret, cauſa, & occaſione, colore, prætextu, titulo etiam oneroſo, & capite etiam in corpore juris clauſo, ullo unquam tempore de ſubreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, ſeu intentionis noſtræ, vel intereſſe habentium conſenſu, aliove quolibet etiam maximo, ſubſtantiali, eſſentiali, & formali, aut incogitato defectu notari, impugnari, infringi, invalidari, retractari, reſcindi in controverſiam revocari, ad terminos Juris reduci, ſeu adverſus illas aperitionis oris, reſtitutionis in integrum, aliudve quodcumque juris, facti, vel gratiæ remedium intentari, vel impetrari, ſeu etiam motu, ſcientia, & poteſtatis plenitudine paribus conceſſo, quempiam in Judicio, vel extra illud uti, ſeu ſe juvare nullatenus poſſe, ſed eaſdem præſentes literas, & in eis contenta quæcumque ſemper, & perpetuò firma, valida, & efficacia exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere debere, & ab omnibus ad quos ſpectat, & pro tempore quandocumque, & quomodocumque ſpectabit, inviolabiliter, & inconcuſsè obſervari. Sicque, & non aliter per quoſcumque Judices Ordinarios, & Delegatos etiam Cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, & quoſcumque Nuncios, & Cardinales etiam de latere Legatos, necnon quaſcumque eorumdem Cardinalium Congregationes, & quotvis alios qualibet authoritate præeminentia, & poteſtate fungentes, & quandocumque functuros; ſublata eis, & eorum cuilibet quamvis aliter judicandi, & interpretandi facultate, judicari, & definiri debere; Irritum quoque & inane, quid ſecùs ſuper his a quoquam quavis authoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Non obſtantibus omnibus, & ſingulis præmiſſis, & quatenus opus ſit, noſtris, & Cancellariæ Apoſtolicæ regulis, & ſignanter illa de jure quæſito non tollendo, & alia, quod Cardinales in Conſtitutionibus, & regulis per Nos edendis non comprehendantur, niſi illæ eorumdem Cardinalium favorem concernant, vel ipſæ edendæ Conſtitutiones de illorum, ſeu majoris partis eorum conſilio editæ fuerint, aliiſque quibuſcumque, etiam in Generalibus, Provincialibus, & Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel ſpecialibus Conſtitutionibus, & ordinationibus, etiam Apoſtolicis, necnon quorumcumque, & ſingulorum Ordinum Regularium, Religionum, Congregationum, ſeu Reformationum Inſtitutis, Regulis, Statutis, Decretis, & Ordinationibus quibuſcumque, etiam in limine erectionis, fundationis, ſeu reformationis, etiam in Comitiis Generalibus quoquo modo factis, ac uſibus ſtylis, & conſuetudinibus quibuſcumque, etiam centenariis, & immemorabilibus, Privilegiis quoque & Indultis, ac literis Apoſtolicis quibuſcumque ſub quibuſvis tenoribus, & formis, & cum quibuſcumque, etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, efficaciſſimis, & inſolitis clauſulis, ac irritantibus, & aliis decretis in genere, vel in ſpecie, etiam motu, ſcientia, & poteſtatis plenitudine ſimilibus, etiam conſiſtorialiter, ac aliàs quomodolibet, in contrarium præmiſſorum conceſſis, editis, confirmatis, & approbatis, ac pluries, & quantiſcumque vicibus innovatis; Quibus omnibus, & ſingulis, & etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſervanda foret, illorum omnium, & ſingulorum tenores, formas, cauſas, & occaſiones, ac ſi de verbo ad verbum, nihil penitus omiſſo, & forma in illis tradita obſervata exprimerentur, & inſererentur, iiſdem præſentibus pro plenè, & ſufficienter expreſſis, inſertis, ſervatis, & ſpecificatis reſpectivè habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, ad præmiſſorum effectum harum ſerie ſpecialiter, & expreſsè, ac pleniſſimè, & ampliſſimè derogamus, & derogatum eſſe, volumus, & mandamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Volumus autem, ut earumdem præſentium literarum tranſumptis, ſeu exemplis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem prorsùs fides in judicio, & extra illud habeatur, quæ haberetur præſentibus, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

Nulli ergo omninò hominum liceat paginam hanc noſtrarum approbationis, confirmationis, innovationis, reductionum, redintegrationis, ſanctionis, mandatorum, prohibitionis, ſtatuti, decretorum, derogationum, voluntatum, ademptionum, reſtitutionum, conceſſionum, conſolidationis, annexionis, unionis, hortationis, obſecrationis, præcepti, renovationis, annullationis, caſſationis, irritationis, declarationis, onerationis, moderationis, & reformationis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem Anno Incarnationis

Dominicæ milleſimo ſexcenteſimo nonageſimo tertiò, Quartodecimo Kalendis Martii Pontificatus Noſtri Anno Tertio.

B. Card. Prodatarius.

I. F. Card. Albanus.

Viſa de Curia I. Sacripantes.

D. Ciampinus.

Loco ✠ plumbi.

Regiſtrata in Secretaria Brevium.

Anno a Nativitate Domini noſtri JESU Chriſti milleſimo ſexcenteſimo nonageſimo quarto, Indictione ſecunda, die verò decimaſeptima Februarii, Pontificatus autem Sanctiſſimi in Chriſto Patris, & Domini Noſtri Domini INNOCENTII, Divina Providentia Papæ XII. Anno Tertio, ſupradicta Conſtitutio affixa, & publicata fuit ad Valvas Eccleſiæ Sancti Joannis Lateranenſis, Baſilicæ Principis Apoſtolorum, & Cancellariæ Apoſtolicæ, in Acie Campi Floræ, ac in aliis Locis ſolitis, & conſuetis Urbis per me Jo: Baptiſtam de Comitibus ejuſdem Sanctiſſimi Domini Noſtri Papæ Curſorem.

Petrus Cannamellinus Curſ. Magiſter.

CONSULTATIO XXXIV.

Cuinam Moniali debeatur cella Monialis defunctæ?

1 ASſignari debet Moniali antiquiori arbitrio Abbatiſſæ, ut pluries decrevit Sac. Congregatio ſuper Epiſcopis, & Regularibus apud Barboſ. *de jur. Eccleſ. lib.* 1. *cap.* 44. *num.* 59. *ac in adnot. ad Conc. Trid. ſeſſ.* 25. *de regul. & monial. cap.* 2. *num.* 12. Pelliz. *de monial. cap.* 4. *num.* 23. Idque præſertim ſi accedat conſuetudo antiqua diſtribuendi has Cellas monialibus ſenioribus, quæ probari poterit ex atteſtatione Abbatiſſæ, & ipſarum monialium, quæ hanc diſtributionem vocant optionem, propter ſimilitudinem, quibus atteſtationibus, quamvis extrajudicialibus, ſtandum eſt, tum attenta qualitate perſonarum atteſtantium ex traditis a Dec. *conſ.* 51. *numer.* 101. *lib.* 2. Merlin. *deciſ.* 714. *num.* 16. & poſt Zacch. *de oblig. Camer. deciſ.* 181. *num.* 14. Tum etiam, quia in hujuſmodi cauſis procedendum eſt, ſola facti veritate inſpecta. Nam apud viros graves procedentes ſola facti veritate inſpecta, teſtes probant, quamvis formiter examinati non fuerint, ut ait Dec. *conſ.* 54. *num.* 2. *ad med.* Cravett. *conſil.* 198. *num.* 11. & Burſatt. *conſ.* 345. *num.* 29.

2 Ac ita, ut non obſtaret, ſi monialis defuncta ſuam cellam permutaverit cum cella alterius monialis. Nam quidquid ſit pro tempore, quo ipſa vixerit, certum eſt, quod non potuerit de dicta cella diſpoſitionem facere, quæ duraret poſt ſuam mortem, & illius diſtributionem impediret, quemadmodum in ſpecie quod non concedatur monialibus facultas diſponendi de Cellis ſuis poſt mortem in præjudicium dictæ diſtributionis, ſenioribus faciendæ, habetur in eiſdem decretis Sacræ Congregationis, relati ab adductis authoribus *loco cit.* Nam moniales nullum jus habent in cellis, ſed ſolum uſum ſua morte finiturum, ideòque non poſſunt permutantes transferre in aliàs jus duraturum poſt mortem, & ſic majus quàm ipſæ habebant, dum viverent, ad textum *in leg. nemo* 54. *ff. de reg. jur.*

3 Tolliturque omnis difficultas, ſi permutatio non fuerit facta, niſi ad vitam monialis defunctæ, ac moniales teſtarentur, ita ſenſiſſe, ac pluries faſſam eſſe ipſam monialem viventem, ac ita etiam Abbatiſſam requiſitam de approbatione permutationis dixiſſe, quod eam admittebat tantùm ad vitam, ne fieret præjudicium diſtributioni ſenioribus faciendæ. Id enim ſufficereret, quia certum eſt, quod attendi debeat voluntas Abbatiſſæ, in quam per votum obedientiæ moniales transferunt jura propriæ voluntatis, ut in ſpecie monialium tradit Paſqualig. *in quæſt. moral. quæſt.* 324. *num.* 5.

4 Sicque ceſſaret omnis dubietas dictæ approbationis, ac prætenſio, quod intelligi debeat ad vitam monialis viventis, dum moniales contrarium teſtantur, dumque adeſt declaratio ipſius Abbatiſſæ, cui propterea ſtandum eſt, Alex. *conſ.* 146. *num.* 25. *lib.* 5. Becc. *conſ.* 3. *num.* 17. *lib.* 1. Rota *deciſ.* 238. *n.* 5. *part.* 3. *& dec.* 63. *n.* 7. *p.* 6. *vec.* maximè autem, ſi, non ſolùm ſit adminiculata atteſtationibus aliarum monialium, ſed etiam, quia eſt omninò veriſimilis; in quo caſu ſtatur etiam atteſtationi, quæ aliàs regulariter non probaret, Add. ad Gregor. *deciſ.* 214. *num.* 7. Merlin. *deciſ.* 714. *num.* 18. *& in recent. deciſion.* 122. *num.* 7. *part.* 1. *& deciſ.* 260. *num.* 4. *part.* 5.

Veriſimilitudo autem inde eruitur, quia ſi Abbatiſſa approbaſſet permutationem ad vitam monialis viventis, perturbaſſet ordinem, ac intuliſſet aliqualem injuriam monialibus ſenioribus. Contra verò approbando ad vitam monialis defunctæ, ſe conformabat diſpoſitioni juris, ac decretis S. Congregationis, ac proinde ita feciſſe præſumitur, Crot. *conſ.* 1. *num.* 36. *lib.* 1. Rota coram Gregor. *deciſ.* 56. *num.* 5. *& deciſ.* 307. *num.* 6. & coram Coccino *deciſ.* 67. *num.* 17. 5

Præterea nec potuiſſet Abbatiſſa permittere moniali defunctæ liberam diſpoſitionem cellæ poſt ejus mortem duraturam. Quia decreta Sacræ Congregationis expreſsè prohibent concedere monialibus hanc facultatem. Et quatenus eam concedere potuiſſet, conceſſiſſetque, ſi modò vult recedere, ac diſtribuere cellam ſenioribus ad ſedendas turbas Monaſterii, quod monialis junior debeat obtinere cellam meliorem, monialis vivens non poteſt hanc Abbatiſſæ voluntatem impugnare, cùm propter votum paupertatis non potuerit acquirere in cella, niſi uſum, arbitrio ipſius Abbatiſſæ amovibilem, ex Concilio Tridentino *ſeſſ.* 25. *de regul. cap.* 2. cum aliis adductis a Donato *de reb. monial. tom.* 3. *tract.* 15. *quæſt.* 8. ubi quod hoc eſt de jure naturali, divino, & poſitivo, & quod poſſit ſuper rem ſemel conceſſam ad libitum revocare, Surd. *de alim. tit.* 82. *privil.* 79. *num.* 5. & quod non valet promiſſio per eum facta de non revocando, Sanch. *in decalog. lib.* 7. *cap.* 8. Et in terminis monialium, quod, ſi Abbatiſſa permittat Moniali diſponere de aliqua re ad favorem alterius, & promittat diſpoſitionem non revocare, adhuc tamen ad libitum eam revocare poſſit, ait Pellizar. *de monial. cap.* 4. *num.* 23. 6

Nec ſuffragatur, quod aliquando cellæ hoc modo permutatæ non fuerint ſenioribus diſtributæ. Quia id forſitan evenit ex eo, quod diſtributio non fuerit petita. Unde probari debet fuiſſe petitam, & recuſatam, cùm aliàs in hiſce materiis facultativis ſimplex non uſus non poſſit tollere jus, ſive conſuetudinem contrariam, ut in terminis tradit Monet. *de option. cap.* 8. *n.* 18. Merlin. *deciſ.* 838. *num.* 7. Mantic. *deciſ.* 10. *num.* 11. ac Seraph. *deciſ.* 1086. *num.* 1. paſſimque alibi. 7

Denique non ſuffragatur aſſerta æqualitas cellarum. Quia dum cella monialis defunctæ communiter æſtimatur melior, ita credi debet, cùm valor non percipiatur ſenſu, ſed communi æſtimatione, ut inquit Aret. *in §. Si quis agens num.* 3. *Inſtitut. de act.* & Rota coram Pegna *deciſ.* 479. *num.* 11. & ſufficit, quod ea conſueverit diſtribui ſenioribus ad hoc, ut reputetur dignior, & ſine injuria eis denegari non poſſit, ut in ſimili notat Cyriac. *controv.* 274. *num.* 27. Unde liquet, non poſſe adduci æquitatem, ſed injuriam, ut poſt Bald. *conſ.* 9. *ad med. lib.* 1. tradit Gabriel. *conſil.* 116. *num.* 44. *lib.* 1. & Ancharan. *conſil.* 398. *num.* 4. ac Becc. *conſil.* 3. *numer.* 45. 8

CONSULTATIO XXXV.

An, & quatenus Regularibus, & Monialibus, præſertim Ordinis Sancti Franciſci, liceat appellare ad ſummum Pontificem, ſive ad Sacram Congregationem ſuper Regularibus, omiſſis ſuis Superioribus?

1 REſpondeo affirmativè. De jure enim cuicumque licitum eſt appellare, omiſſo medio, ad ſummum Pontificem, atque adeò ad Sacram Congregationem ſuper Regularibus, illius Vicariam, illumque repræſentantem per text. *in can. quoties, & can. ad Romanam* 2. *quæſt.* 6. & probant Abb. *in cap. dilecti num.* 11. Franch. *num.* 25. ac Dec. *num.* 15. *de appell.* Guidopap. *in tract. de appell. quæſt.* 41. *num.* 34. Schaderch. *cod. tit. num.* 7. Joan. Ferrer. *cod.* pariter *tract. c.* 5. *num.* 139. & Scacc. *eodem argum. quæſt.* 7. *num.* 46.

2 Idque præcipuè permiſſum eſt perſonis Eccleſiaſticis, ut firmat Scacc. *loco cit. num.* 88. ac potiſſimum perſonis miſerabilibus, ut tradunt Rebuff. *de ſentent. proviſ. art.* 3. *gloſſ. ult. num.* 81. Cancer. *var. reſol. part.* 2. *c.* 2. *num.* 3. Scacc. *ibi. num.* 113. Novarr. *de privileg. miſerab. perſon. privil.* 61. *num.* 7. inter quos connumerantur moniales, ut decidit Valaſc. *deciſ.* 65. *num.* 35. Pereyr. *deciſ.* 22. *num.* 1. & Cabed. *deciſ.* 54. *part.* 1.

3 In ſpecie verò id eſſe permiſſum Regularibus Ordinis S. Franciſci, firmant Rodriq. *in prax. crim. tit.* 27. *de appel. n.* 29. Pereyr. *de privil. Regul. tom.* 3. *fol.* 417. *n.* 14.

Lu-

Lucern. Regular. *de appell. num.* 1. Franch. de Toran. *in suo compend. v. appellatio fol.* 45. *vers. an verò appellare.*

4 Eoque maximè quia ex Constitutione 27. Greg. XIII. in Bullar. *tom.* 2. *§.* 2. permittitur Regularibus Ordinis Sancti Francisci de Observantia appellatio alternativa, vel ad Generalem Ministrum, vel ad Protectorem, vel ad Papam, supremum Ecclesiæ universalis Judicem, ibique testatur Summus Pontifex sic antiquitus fuisse semper consuetum. Clarum enim est in alternativis electionem eligendi Judicem spectare ad appellantem, ut tradit Scacc. *de appellat. quæst.* 5. *num.* 99.

5 Quod facilius procedit, quando gravamen illatum fuit a Commissario, sive delegato Patris Generalis, aut Vicarii Generalis, quo casu appellationem interponi posse, omisso medio ad Summum Pontificem, asserunt Specul. *tit. de appell. §. nunc tractemus num.* 3. & 5. Felin. *in cap. super quæstionem, §. Porrò num.* 13. *fallent.* 3. ibique Abb. *numer.* 4. *de offic. deleg.* Franch. *in dict. capit. dilecti numero* 29. *de appellat.* & Scacc. *eo loco quæst.* 6. *numero* 50. & 69.

6 Nam quidquid gessit delegatus Patris Generalis, aut Vicarii Generalis, habetur ac si gestum esset ab ipso Generali delegante, *cap. super literis de rescript. & cap. cùm aliquibus eodem tit. in* 6. Surd. *decis.* 292. *num.* 9. ac Rota *decis.* 55. *num.* 4. *part.* 4. *rec.*

7 Et ob hanc rationem, quando non agitur de delegato a summo Principe, non recognoscente superiorem, sed de delegato ab inferiore, nunquam appellari potest a gravamine illato per talem delegatum ad ipsum delegantem, sed ad superiorem Judicis delegantis per textum *in l.* 1. *§.* 1. & 3. *ff. qui, & a quibus appell.* & firmant Bart. *in leg. præcipimus sub init. num.* 2. *in* 2. *notab. C. de appell.* Archid. *in cap. Romana de appell. in* 6. Sbroz. *de Vicar. lib.* 3. *qu.* 2. *num.* 8. Gratian. *discept.* 374. *num.* 23. Reginell. *de appell. §.* 5. *num.* 24.

8 Ideòque causa cognoscenda est a Sacra Congregatione, nulla habita ratione Patris Generalis, aut Vicarii Generalis, ut tradunt Abb. *in cap. Nicolao num.* 6. ibique Franch. *num.* 7. & Cardin. *num. item* 7. *de appellat.* & Scacc. *d. quæst.* 7. *num.* 57. Siquidem omnia gravamina illata a Commissario, censeri debent, ac si ab ipso Generali delegante processerint, ex adductis a Doctoribus *in l. item eorum, §. Decuriones, ff. quod cujusque univers. nom. & l.* 2. *§. omnia, C. de veter. jur. enucl.* Gemin. *in cap. Romana, §. Archidiaconis numer.* 4. *cas.* 6. ibique Franch. *num.* 4. *limit.* 7. *de appell. in* 6. ac Brederard. *de appellat. part.* 1. *tit.* 18. *col.* 204. *lit. C.* Concurrentibus maximè gravaminibus illatis ab ipso Generali, ob quæ redditur suspectus ad nova gravamina inferendum, ut advertit Scacc. *loco citato quæst.* 17. *limit.* 47. *membr.* 3. *num.* 2. *ac* 3.

CONSULTATIO XXXVI.

Pius testator disposuit, quod antiquior ex hæredibus conducat ad nutum actu Sacerdotes cum annuo stipendio, præferendo semper propinquos, & inter eos proximiores descendentes a fratribus, & sororibus, incipiendo a descendentibus a fratribus, & ita successivè, quæritur *an dicta Capellania, ab hærede concessa Titio, qui provenit ex sororibus, qui tempore concessionis erat proximior Testatori, debeat modo a Titio auferri ad instantiam Fratris Alberti Regularis, qui nunc est proximior, tanquam descendens ex Fratribus, sed non habet pro se voluntatem hæredis?*

1 CEnseo negativè respondendum tùm ex jure, quod a persona Titii oritur, tùm ex defectu, qui ex persona dicti Regularis deducitur. Quod ad jus Titii, cùm ipse fuerit admissus ad Capellaniam tempore, quo erat proximior, illam non amittit ex interventu alterius proximioris. Ita in terminis Capellaniæ probant Gratian. *decis. March.* 199. *in addit. num.* 3. Garz. *de benef. par.* 7. *cap.* 1. *numer.* 33. & in puncto proximioris descendentis ex masculo, qui agebat de exclusione descendentis ex fœmina jam nominati, tradit Rota coram Seraphino *decis.* 489. *num.* 3. quam integram refert Garz. *loc. citato.*

2 Non obstat, quod id procedat in Capellaniis perpetuis, non autem in istis amovibilibus ad nutum. Nam omisso, quod Capellania hæc non est talis, cùm testator dixerit, quod Capellanus eligatur, & conducatur ad nutum hæredis antiquioris, non autem quod possit amoveri ad nutum, quæ valdè differunt inter se. Aliud enim est eligere ad nutum, aliud amovere ad nutum. Amovibilitas ad nutum potest quidem operari, quod habens facultatem amovendi, ea uti valeat ad sui placitum, non autem cogit habentem hujusmodi facultatem, ut removeat jam provisum, superveniente proximiore.

Quamvis igitur admittamus doctrinam Butrii, & aliorum de qua *tom.* 9. quod Capellanus ad nutum possit quandocumque amoveri, hoc tamen non habet locum in hoc casu, in quo habens facultatem nominandi non amovit Titium; sed quæstio est cum proximiore, qui supervenit post provisionem Titii, quique ab habente facultatem nominandi, & amovendi, adhuc nihil obtinuit. 3

Quo verò ad defectum, qui ex persona dicti Regularis deducitur, cùm ipse sit Regularis, est incapax hujus Capellaniæ sæcularis. Sæcularia enim sæcularibus, regularia verò Regularibus beneficia danda sunt, *cap. cùm de beneficiis, de præb. in* 6. ubi Glossa & Doctores. 4

Capellaniam autem hujusmodi esse sæcularem, probatur primò, quia talis de jure præsumitur, quando per sæculares in Ecclesiis sæcularibus fundatur, Franch. *in dict. cap. cùm de beneficiis num.* 1. Gonzal. *ad regul. 8. glos.* 7. *num.* 1. & 2. Vivian. *de jurepatron. part.* 2. *lib.* 6. *cap.* 2. *numer.* 23. ac Rota *decis.* 2. *numer.* 2. *de præbend. in nov.* 5

Secundò, quia ipse fundator ad Capellaniam nominavit sæcularem filium sororis, quamvis tunc viveret Regularis, filius fratris, qui erat in genere prædilectorum ab eo fundatore. Si enim ad dignoscendum sæcularitatem Capellaniæ, etiam in Ecclesiis regularibus erectæ, optimum argumentum est, quod illa per sæculares teneri sit solita, ut in his terminis tradunt Sanchez *in decalog. tom.* 2. *lib.* 7. *cap.* 29. *n.* 27. aliique relati a Barbos. *de jur. Eccles. lib.* 3. *cap.* 5. *num.* 14. certè firmissimum argumentum est, quod ex facto ipsius fundatoris deducitur. Nam, si revera Testator noluisset excludere Regulares, admisisset illum, qui tunc erat ex proximioribus ab se dilectis, non autem sæcularem minus proximum, minusve dilectum. 6

Tertiò, perspicuè probatur ex verbis erectionis, nimirum: *Qui Sacerdos pro hujusmodi celebratione Missarum non sit, nec esse debeat subjectus legibus, factis, nec faciendis a quacumque persona, communi, corpore, collegio, & communitate Ecclesiasticis cujuscumque authoritatis, & dignitatis.* 7

Cùm enim recepta sententia sit, quod intentio subditorum Regularium in celebratione Missarum spectet ad Prælatos, & eorum superiores adeo, quod dicti Prælati possint etiam intentionem subditorum in Missarum celebratione irritare, ut specialis applicatio ei tantùm valeat, cui a Regulari Prælato applicatur, non cui a Sacerdote Regulari, ut per Amil. *in sum. v. Missa num.* 36. Rodriquez pariter *in summ. part.* 1. *capit.* 251. *concl.* 19. Fraxinell. *de Sacerdot. obligat. sect.* 7. *§.* 6. & 7. & Barbos. *de offic. ac potest. Episcop. part.* 2. *alleg.* 24. *numer.* 28. his verbis. Quoad Regulares verò Sacerdotes strictiùs proceditur. Possunt etiam Prælati eorum intentionem in Missarum celebratione irritare. Eo igitur ipso, quòd testator voluit, Sacerdotem non esse subjectum pro celebratione Missæ alicui legi, manifestè patet constituisse Capellaniam merè sæcularem. 8

Quartò, ex eo etiam probatur, quod Testator Sacerdoti deputando legavit annuum stipendium, quod est incompatibile Regulari, qui legatorum, & reddituum incapax est ratione propriæ personæ. Licèt enim Religio in communi possit esse capax, ideòque possit etiam legari Regulari existenti in Religione capaci, hoc tamen non videtur excludere demonstrationem ex præsenti legato ductam. Quia Testator verba direxit in eundem Sacerdotem deputandum, quasi ei dans dominium. Si enim ille disposuit. *Cui Sacerdoti conducendo dictus Testator pro eleemosyna legavit, & legat annuum redditum.* 9

Denique id ipsum probatur ex eo, quod Testator expressè probibuit, ne Regulares aliquo modo in suis bonis, & hæreditate aliquid prætendere possent, nec quidem succedere. Cùm enim hæc prohibitio per ditionem *aliquo modo*, concepta sit, & non solùm loquatur de successione, & hæreditate, sed etiam de bonis, clarissimè ostendit, testatorem voluisse omninò excludere Regulares a quocumque commodo suorum bonorum.

CON-

CONSULTATIO XXXVII.

An quando dubitatur, utrum Conventus aliquis Regularium ſit exemptus a Provinciali, an immediatè ſubjectus Patri Generali, cauſa committenda ſit ipſi Patri Generali?

1 REſpondeo, nequaquam cauſa hujuſmodi remittenda eſt Patri Generali. Nam agitur de ejus commodo, an ſcilicèt Conventus iſte ſit exemptus a Provinciali, an ſubjectus immediatè ipſi Generali, anve ſubjici debeat Provinciali, quemadmodum, & reliqui omnes Provinciæ Conventus, qua in re pro ſubjectione adeſt aſſiſtentia juris Sacri Concilii Tridentini *ſeſſ. 25. cap. 20. de Regular.* Sicuti enim ſe habet Abbas ad ſuum Monaſterium, ita ſe habet Provincialis ad ſuam Provinciam, ut per Suarez *de relig. tom. 3. lib. 5. cap. 10. numero 6.*

2 Ideòque jure, meritoque ſuſpectus redditur Pater Generalis, cùm valdè interſit competentia juriſdictionis, de qua in hoc caſu principaliter agitur, non autem incidenter. Et, quamvis Judex poſſit cognoſcere, an ſua ſit juriſdictio, id tamen procedit, quando lis eſt de prædio, de fundo, de pecunia, vel re ſimili, & oritur quæſtio, an Judex ſit competens, ſecus autem quando quæſtio principalis eſt ſuper juriſdictione. Tunc enim non poteſt cognoſcere, vel ſaltem poteſt uti ſuſpectus removeri, ut ſcitè diſtinguit Innocent. *in cap. venerabili num. 5. de cenſib.* ac proſequitur Angel. *in l. 2. num. 6. in 1. & 2. fallent. ff. ſi quis in jus voc. non ter.* ubi etiam Jaſ. *num. 22. &* tradunt Abb. *in cap. ſuper literis num. 10. de reſcript.* Dec. *in cap. ad audientiam num. item 10. de appellat.* Alexand. *conſ. 1. num. 10. & ſeqq. lib. 5.* Surd. *conſ. 186. num. 15.*

3 Sic etiam Epiſcopus, qui, licèt ſit Judex competens in cauſa ſuæ Eccleſiæ, poteſt tamen allegari ſuſpectus, Abb. *in cap. poſtremò num. 6. de appell.* ubi etiam Franch. *num. 15.* aliique congeſti a Surd. *conſ. 50. numer. 17. & ſeqq.* ac Rot. *dec. 562. num. 15.* coram Merlino.

4 Eoque præſertim, ſi Pater Generalis propalaverit animum ſuum, ut ſi decreverit Novitios recipi in hoc Conventu ſine aliqua licentia, Provincialis, ac Definitoris, ſed cum ſua tantùm licentia, diſtinguendo hunc Conventum a reliqua Provincia. Ex hoc enim oritur juſta cauſa recuſationis, ut per Præpoſ. in *d. cap. poſtremò num. 11. cauſ. 18. de appell.* ibique Franch. *num. 20. cauſ. 37.* Menoch. *conſ. 94. numer. 13. & ſeq.* ac Cæſar. de Graſſ. *deciſ. 4. num. 5. de except.*

5 Aut ſi ſe conſtituerit fautorem Prioris dicti Conventus, vel aliorum, qui hanc cauſam contra Provincialem promovent. Quo quidem in caſu juſta cauſa recuſandi eſt, ut per Caſtr. *conſ. 313. ſub initio lib. 2.* Butr. *in d. cap. poſtremò num. 11.* ubi etiam Præpoſ. *num. 11. in 1. & 28. cauſ.* Franch. *num. 20. in 21. cauſ.* ac Bertach. *de Epiſcop. lib. 4. part. 4. num. 30. in 32. cauſa.*

6 Eodemque cauſæ vigent contra Procuratorem Patris Generalis, & contra Aſſiſtentes, qui intervenerunt in Congregatione. Quinimmò ſufficit eſſe ſuſpectum Patrem Generalem, ut tota Congregatio poſſit recuſari ut ſuſpecta, quemadmodum plenè firmant Menoch. *conſ. 98. num. 11.* Joſeph. Ludovic. *deciſ. Peruſ. 108. numer. 4. ac per tot.* & Joſephus Roman. *conſ. 3. num. 4. ac pluribus ſeqq.*

7 Et ita quidem, ut non obſtaret conſenſus in juriſdictionem, ſi ſupervenerit notitia cauſarum recuſationis, quæ prius ignorabantur. In quo caſu poteſt hujuſmodi exceptio proponi quandocumque, & de ignorantia, ſtatur juramento partis, ut explicant Covar. *pract. cap. 26. num. 2.* Ricc. *deciſ. 143. num. 3. lib. 3.* & Maſtrill. *deciſ. 151. num. 69. ac ſeqq. part. 2.*

CONSULTATIO XXXVIII.

An exiſtente hac regulari Conſtitutione, quod Pater Generalis proponat tres, ſi fieri poterit, ejuſdem Provinciæ, non habita ratione antiquitatis promotionis ad Magiſterium, ſed potius probitatis doctrinæ, *poſſit eligi in Provincialem Baccalaureus? Ubi quid præcipuè conſiderandum in electione Provincialis? Quidve ſi acceſſerit mala fama electi? Objectiones in electum quando fieri debeant? Quid ſi aliquot electores careant ſuffragio activo? Et electus ante confirmationem ſe intruſerit muneri? Ubi etiam cur dicatur Baccalaureus, licentiatus, Magiſter artium?*

SEcundùm ea, quæ proponuntur reſpondendum videtur affirmativè. Nam Pater Generalis proponit tantùm eligendum, non autem eligit, quemadmodum neque eligere poteſt, neque reſtringere electores ad inſignitos illa qualitate, niſi reperiatur expreſſa in Conſtitutione, ut per Rodriquez *tom. 2. quæſt. regul. 52. in fine*, ubi ſpeciatim agit de eligendo tres per reſtrictionem Patris Generalis. Unde ſi reperiantur in Baccalaureo cæteræ qualitates, non poterit dubitari de validitate electionis per Gloſſ. *in cap. quam ſit v. eo ipſo de elect. in 6.* & in ſpecie electionis firmat Rot. in Leodien. Præpoſituræ 19. Januarii 1650. coram Alexandro VIII. 1

Idque præſertim, ſi in Conſtitutionibus Religionis legatur, quod in Provincialem non eligatur, niſi talis, qui ſit bonæ vitæ, & famæ, & in ſacris literis mediocriter eruditus. Quibus ex verbis colligitur non eſſe neceſſarium, quod Provincialis eligatur magiſter, qui non mediocriter, ſed apprimè debet eſſe doctus, ac promotus, prævio rigoroſo examine, ut notat Cardin. *in proœmio lib. 6. decretal. v. Bononienſi.* Baccalaureo autem ſufficit mediocris ſcientia. 2

Non obſtat, quod aliter obſervatur in Capitulo Generali. Quia non probè infertur a Capitulo Generali ad Provinciale. Hoc eſt a diſpoſitione unius ad diſpoſitionem alterius. In Capitulo enim Generali proceditur, ut ajunt, *per ballotas*, in Provinciali per ſuffragia, & ſcrutinium. Regula autem vulgaris eſt, quod a diverſis non fit illatio, *l. Papinianus, ff. de minor.* 3

In electione item Provincialis, primò, conſideratur habilitas ad regimen, deinde doctrina. In Conſtitutionibus autem debet attendi, quod principaliter diſponitur, non quod ſecundariò; per text. *in l. cùm Pater, §. dulciſſimis, ff. de legat. 3. l. ſi de certa*, ubi Bart. *C. de tranſact.* 4

Et, quamvis in Conſtitutionibus fiat mentio magiſtrorum, non tamen diſpoſitivè requirit magiſtros, ſed procedit ex ſuppoſitione, quod adſint in Capitulo Magiſtri, qui velint eligi, non ex neceſſitate eligendi, ſed ex congruo, ut ex illis verbis reſtrictivis, *ſi fieri poterit*, quæ excludunt neceſſitatem eligendi magiſtros. Conſtitutio enim debet intelligi ad literam, non autem interpretationem accipere ab argumentis, itaut ſi Conſtituens voluiſſet eligi magiſtrum, hoc expreſſiſſet Alex. *conſ. 115. n. 4. lib. 2.* quem ſequitur Pariſ. *conſ. 49. n. 8. lib. 3.* 5

Præſertim autem, ſi hoc ipſum diſponatur in Conſtitutione aliqua Summi Pontificis, cui non obſtaret non uſus. Quia non uſum Conſtitutionis Apoſtolicæ non poteſt opponi, cùm eo ipſo, quod ſit publicata, dicitur uſu recepta, & ligat ſemper, ac ubique, nec ei derogatur per contrarium uſum abſque ſcientia Pontificis, ut per Abb. *in cap. 1. num. 4. de tregu. & pac.* ac Rot. *dec. 10. de conſuet. in antiq.* & coram Cavaler. *dec. 111. num. 2.* & quando lex præcipit duo, ſi uſus abrogaverit unum, non cenſetur abrogatum alterum, Rot. *deciſ. 126. num. 21. par. 6. rec.* Quia lex juxta uſum eſt obſervanda, ut per Alex. *conſ. 115. num. 6. lib. 6.* Gail. *obſerv. 79. num. 5. lib. 2.* 6

Quod ſanè certum videtur, ſi acceſſerit pro Baccalaureis conſuetudo, ut ſi in Provinciis, quæ magnam Magiſtrorum copiam habent, electi fuerint in Provinciales Baccalaurei. Ex hoc enim tollitur omnis contraria obſervantia, quæ niſi ſit conformis, non ſuffragatur, ad tradita per Bartol. *in l. 2. n. 12. ff. ſol. matr.* Aym. *conſ. 313. num. 33.* ac Rot. *deciſ. 45. num. 4. part. 1. recent.* Et Conſtitutiones Religionum ſunt generales, non unius tantùm Provinciæ. Poteritque negari obſervantia contraria. Nam ad hunc effectum non ſufficeret demonſtrare, quod nunquam fuerit electus in Provincialem Baccalaureum, ſed neceſſe eſt oſtendere Baccalaureum electum fuiſſe, ac fuiſſe rejectum, Gratian. *diſcept. 694. num. 56.* ac Rot. *dec. 141. part. 6. div.* 7

Quo verò ad malam famam electi, abſolutè id negandum erit, cùm delictum non præſumatur, niſi probetur, 8

betur, Menoch. *præsumpt.* 86. *num.* 5. *lib.* 3. Et quatenus probaretur non comprehenditur delictum ante octo annos patratum juxta Concilium Tridentin. *sess.* 25. *cap.* 7. *de Regular.* restringens bonam famam electi ad octo annos. De laudabili autem vita electi non poterit dubitari, si fuerit electus ab omnibus ferè suffragatoribus. Dicere enim, quod omnes electores sint improbi, prout essent, si eligerent indignum, est impingere maculam toti Capitulo accedentibus præcipuè meritis electi in rebus Theologicis, & Concionibus.

9 Denique objectiones fieri debent in ipso Capitulo, ne detur occasio suspendendi effectum electionis juxta plurium Religionum prudentes Constitutiones, in quibus satis prudenter disponitur in hæc verba, *si quis noverit causam, propter quam vocem quis activam, vel passivam habere non debeat in præsenti capitulo, illam refert Judicibus causarum; aliàs enim sine vitio pertransibunt omnes electiones, nec postquam electio Prioris Provincialis incœpta fuerit, alicujus super hac re proclamatio admittetur.* Hanc protestationem Præsidentes Capitulorum in Capitulis facere debent alta, & intelligibili voce, ne prætendatur ignorantia. Id profectò sufficeret, quoad oppositiones contra qualitates electorum.

10 Si verò aliquot electores caruerint suffragio activo, non idcircò electio esset irrita, quia sustineretur pro majori parte legitima *per cap. in Genesi §. nos hìc de elect.* traditque Castel. *de elect. cap.* 4. *num.* 41. ubi ponderans hunc casum, concludit, quod si major pars constitueretur ex vocalibus non legitimis, tunc esset irritanda electio, quia illa constituit majorem numerum.

11 Verum Abbas *in cap. consultationibus num.* 6. *de procur.* post Innoc. *in cap. illa de elect.* concordat dictum *cap. Genesi cum cap. Messana eod. tit.* & distinguendo ait, quod vel electores admiserunt ad eligendum inhabilem scienter, electio est nulla; si ignoranter, est valida. In casu igitur quo electores nullam haberent scientiam objectorum, ex eo, quod non sint ejus generis, ut omnibus innotescant, quemadmodum exemplum exhibet Abbas *loc. cit.* in laico, ut si iste admittatur ad electionem, cujus qualitas omnibus est nota, electio est nulla. Si verò admittatur excommunicatus, & excommunicatio non est nota, non dicitur admissio voluntaria. Ita etiam Innocen. *loc. alleg.* & tradit Castellin. *ibid. cap.* 4. *num.* 53.

12 Minusque objici poterit electo, quod ante confirmationem se ingesserit muneri. Et id quoque poterit negari, si per definitorium acta fuerint, quæ objiciuntur. Quod si aliquo modo se ingesserit, id forsan fecerit jussu P. Generalis. Et quamquam id comprobaretur, non tamen esset electio nulla, sed incidisset electus in pœnas *cap. avaritiæ, de præb.* electionem enim non inficiunt quæ subsequuntur, sed quæ præcedunt electionem *d. cap. Messana de elect.* Innoc. *in cap. nihil est, vers. idem dicimus eod. tit.*

13 Doctores autem, qui solent allegari pro infirmatione electionis fundantur *in cap. indemnitatibus §. sanè de elect.* ubi quod opponens contra electionem debet docere tantùm de mala fama electi, quam superior accipere potest extrajudicialiter. Quod sanè verum est ad effectum superfedendi in confirmatione, ne statim concedatur, ut per Innoc. *in cap.* 1. *num.* 3. *de elect.* ad effectum verò infirmandi electionem requiruntur probationes judiciales, Glos. *in d. §. sanè*. Quandoquidem electio est voluntatis, confirmatio necessitatis, ut loquitur Abbas *in cap. postquam de elect.*

14 His tamen minimè obstantibus nullam censeo hanc electionem ex parte electi. Primò, quia ipse est Baccalaureus, atque adeò incapax dignitatis Provincialatus. Secundùm enim plurium Religionum Constitutiones Provincialis, quoad fieri potest, debet eligi unus ex tribus Magistris proponendis in Definitorio, non habita ratione antiquitatis promotionis ad magisterium, sed potius probitatis, ac doctrinæ; si ergo inter eligendos non est consideranda prioritas in gradu magisterii, electio debet fieri de similibus Magistris, inter quos Constitutiones nolunt attendi ordinem, ac prioritatem in magisterio, sed experientiam, & doctrinam. Requiritur itaque magisterium in positivo, licèt non in comparativo, cùm comparativum disponat positivum *l. ubi autem ff de ver. oblig.* ubi Doctores, præcipuè Cuman. *num.* 1.

15 Et in hoc casu comparativum antiquior disponit positivum in eadem specie, Benincas. *de Constit. qu.* 2. *num.* 20. & propriè non tollitur comparativum, si non relinquatur in dispositio positivum, Bartol. *in l. illud* 7. *§. si cujus dolo ff. de trib. act.* Dec. *cons.* 184. *num.* 6. ac Surd. *dec.* 65. *n.* 12. Illudque verbum *proponat* directum ad Superiorem importat necessitatem, & verba *quoad fieri potest*, restringunt potestatem, ut minores numero non proponantur, nisi fuerint tres, ex quibus unus est eligendus.

Quod etiam est de jure, ut sicut Doctor ad dignitatem, ita Magister ad Provincialatum eligi debeat, ex quo æquiparatur Episcopo. Sicut enim Episcopus non potest esse, nisi Magister, vel licentiatus *cap. cùm in cunctis de elect.* Concil. Trid. *sess.* 22. *cap.* 2. *de reform.* ita etiam non potest esse Provincialis, ut in his terminis arguit Mirand. *in Man. Prælat. tom.* 2. *de elect. qu.* 4. *art.* 1. ac prosequitur Rodriq. jun. *resol.* 114. *num.* 3. ac Peyrin. *tom.* 1. *de Prælat. qu.* 1. *cap.* 35. *§.* 3. ubi ait quod literatura debet esse in Generali major, quàm in Provinciali, & in isto major, quàm in Priore in eadem specie Theologiæ. Et *tom.* 2. *q.* 2. *§.* 1. *n.* 38. ubi quod Provincialis debet excellere in Theologia, & sic esse Doctor, & Magister. 16

Non obstaret, si Constitutio Religionis statuat, quod non eligatur, nisi sacris literis mediocriter eruditus. Nam intelligitur de mediocriter erudito inter Magistros, qui adsunt. Inter enim Doctores datur scientia sublimis, mediocris, & infima, multique sunt Doctores, qui non sunt docti, ut ostendit Grat. *discept.* 186. *num.* 29. *ae seq.* ubi multa planè curiosa, & Rota in Bononiensi Bonorum de Mulettis 17. Junii 1934. coram Pamphilio dixit, qualitatem Doctoratus competere Joanni Venenti in concursu Marescotti, viri excellentissimi. 17

Nec officit, quod Constitutio dicat, *proponat*, non quod teneatur proponere. Nam ex toto contextu mandat eligi unum ex propositis. Et hæc differentia non subsistit in legibus tradentibus formam, in qua verba potestatis necessitatem important, Surd. *dec.* 168. *num.* 13. quem sequitur Cyriac. *controv.* 207. *num.* 19. Et relata ad superiorem necessitatem inducunt, Dec. *in l.* 1. *num.* 13. *ff de jurisd. omn. Jud.* Et in hac materia verbum *potest* exponi pro *debet* ajunt adducti a Paris. *de resign. lib.* 5. *qu.* 3. *num.* 84. 18

Illud verò, quod in Capitulo generali procedatur per ballottas, in Provinciali autem per suffragia, est differentia, quæ non pertinet ad hunc casum, concernentem personas, non modum eligendi, & ut ait Soccinus, non potest ita argui, alioquin liceret dicere, lex loquitur de Titio, nos loquimur de Sejo, *cons.* 62. *numer.* 2. *lib.* 5. 19

Falsumque videtur, quod in Provinciali consideratur secundariò doctrina, principaliter verò regimen Provinciæ. Nam regimen sine doctrina non potest exerceri, ut ex pluribus sacræ Scripturæ locis probat Peyrin. *loc. cit. q.* 2. *cap.* 2. *num.* 7. 20

Quod autem Constitutio non loquatur dispositivè de Magistris, sed per verba, *quoad fieri potest*, corruit ex facto; cum requirat qualitatem magisterii, si adsunt Magistri idonei, & illa verba, *quoad fieri potest*, restringunt potestatem, itaut stante potentia, non liceat aliter facere, proponendo minores, si adsunt tres Magistri. 21

Non obstat, quod electio debeat esse libera. Debet quidem esse libera, sed in personis qualificatis, ac solitis eligi, non autem in diversis, Castellin. *de elect. cap.* 4. *num.* 36. Cùm autem ex Constitutione appareat, quod tres nominare debeat Generalis, & uno ex eis non electo, nominet alios, hæc consuetudo, approbata a statuto particulari, non est improbanda, ut in specie tradunt Covar. *de sponsal. part.* 2. *cap.* 3. *§.* 5. *num.* 9. ac Lezan. *tom.* 1. *sum. cap.* 15. *num.* 21. 22

At hoc extra rem est. Non enim est quæstio; an liceat P. Generali, sive Præsidenti nominare tres, sed an possint eligi Baccalaurei, anve soli magistri, quod est certum, solos posse eligi, prout semper fuerunt electi, & consequenter electio facta de Baccalaureo non sustinetur, Castellin. *d. cap.* 4. *num.* 36. 23

Accedente præsertim observantia subsequuta, quæ est optima rerum magistra, & declarat verba Constitutionum, si quæ sint dubia, vel æquivoca, *cap. cùm venissent*, ibique Butr. *numer.* 12. *de Constit.* Rota *decis.* 194. *num.* 4. & *decis.* 365. *num.* 1. *part.* 2. *rec.* & *decis.* 14. *n.* 4. & *dec.* 226. *num.* 79. *part.* 7. *rec.* Nec requiritur, quod aliàs Baccalaureus fuerit electus, & non admissus, Rot. *dec.* 193. *num.* 4. *part.* 4. *rec.* Quia sumus in interpretativa, in qua aliqua probatio requiritur, Rot. *d. dec.* 193. *num.* 2. & *dec.* 6. *num.* 9. *ead. part.* 4. *tom.* 1. *rec.* Et sufficit, quod per decem annos ita fuerit observatum, Cavaler. *decis.* 80. *num.* 5. & 7. *dec.* 427. *num.* 2. & 3. Quod autem irrita sit electio Baccalaurei, qui ex consuetudine non solet eligi in Provincialem, asserit Castellin. *loc. cit. d. c.* 4. *n.* 36. 24

Multoque magis id procederet, si electus sit crimine imputatus, processatusque, non obstante S. Concil. Trid. *sess.* 25. *cap.* 7. *de Regular.* quod eligatur, quæ post professionem octo annis laudabiliter in Monasterio vixerit. Nam hic textus loquitur in Moniali non processata, non autem in Monacho, adeò quidem, ut nec requiratur sententia, sed sinistra opinio sufficiat, Rota in Bene- 25

ven-

ventana Parochialis apud Marchef. *par.* 1. *fol.* 293. *num.* 3. Proceſſatus enim, multoque magis condemnatus ratione ſcandali non poteſt eligi, ut dixit Rota de proceſſato tantùm non condemnato in Ravennatenſi Parochialis, & in Sabinenſi concurſus apud Marchef. *par.* 1. *fol.* 291. *num.* 3. *& fol.* 293. *n. item* 3. Rejici enim debet a dignitatibus, qui ſcandalum præberet populo, Abb. *in cap.* 1. *num.* 8. *de elect.* Seraph. *deciſ.* 516. *num.* 4. Comitol. *deciſ.* 119. *num.* 1. *& ſeq.* Et in Leodienſi Præpoſituræ 19. Januar. 1650. *ſ. penult.* coram Alexand. VIII.

26 Aut ſi electores aliquot carerent voce activa, quo in caſu electio eſt nulla, nec poteſt ſuſtineri ex aliorum ſuffragio, *cap. cùm inter in fin. & c. bonæ de elect.* Barboſ. *de jur. Eccleſ. lib.* 1. *cap.* 19. *num.* 57. 60. *& ſeq.* Unde omnes Magiſtri poſſunt ante confirmationem ſe opponere ratione præjudicii, quod oritur ex hujuſmodi electione, nunquam in praxim deducta, ut in ſpecie Sigiſmund. *de elect. part.* 1. *cap.* 7. *dub.* 48. ubi quod omnes de collegio poſſunt confirmationi ſe opponere, qui ſunt ex numero eligendorum.

27 De Baccalaureo triplex eſt hujus cognominis etymologia, mea ſententia non abſurda. Prima eſt a baculo dicuntur bacularii, vel quod adhuc in priſtino laborantes baculis impelluntur, vel quod nondum in diſciplinis abſoluti, opus habeant rectore baculo. Hæc eſt probabilis. Secunda. Conſtat, lauro baccas eſſe nigras, & amaras. Porrò quoniam id temporis etiam non arrodentes amarum ſapientiæ corticem, nondum ad nucleum dulciſſimum penetrarunt, Baccalaureos appellari placuit. Iſta probabilior. Tertia eſt. Arbitratur non nemo dictionem compoſitam a *Vacca*, & *laro* Vaccalarius. Aliquæ enim nationes pro *b*, ſonant *v*, conſonantem, & contra. Vacca autem lac porrigit, & larus avis eſt avidiſſima. Jam de amabili illo ſapientiæ Principe dictum eſt, *Mel, & lac ſub lingua ejus*. Unde quos vehemens quippiam ardor hujus lactis agit, rapitque, vaccalarii dicuntur. Hæc eſt etiam probabilis.

28 In licentiati autem vocabulo vulgus errat periculosè, credens illi jam licere quodlibet, velut ab omni honeſta functione dimiſſo, eoque nonnulli tum ſe dedunt otio, cùm maximè ſint ſuſcipiendi labores. Atqui ſecus habet. Hæc licentia non dicitur a *licet* verbo impersonali, ſed a *licere*, quod eſt ex eorum numero, quæ Græci vocant *Autopadetica* quod genus eſt vapulo, unde deductum licitari. Tum enim plurimi fiunt, & velut a licitantibus avertuntur alius ad aulam, alius ad curam paſtoralem, alius ad Abbatiam, alius ad opimam præbendam, alius aliò.

29 Magiſtri verò honoris cauſa Græcè dicuntur Theologi, Hebraicè Rabini, quod latinè ſonant Magiſtri noſtri.

CONSULTATIO XXXIX.

An Eccleſia conſtituta a Patrono, ac donata Regularibus, quæ prius erat oratorium, ſive ſacellum rurale ſub juriſdictione Epiſcopi, poſſit modò viſitari ab ipſo Epiſcopo? Ex quibus cognoſcatur Eccleſiam eſſe regularem? Ubi ad rem explanatur cap. 8. ſeſſ. 7. S. Concilii Tridentini.

1 REſpondeo negativè. Aut enim Epiſcopus prætendit jus viſitandi ratione Oratorii, ſive ſacelli ruralis antiqui, cùm illud fuerit dirutum, ac ſolo æquatum, ceſſat prætenſio. Nam per deſtructionem Eccleſia amittit conſecrationem, *can. de fabrica de conſecr. diſt.* 1. *cap. poſtulaſti, & c. ligneis de conſecrat. Eccleſ.* ac proinde amittit omnia ſua jura, immò beneficium ipſum, quatenus in illa extiterit, Abb. *in cap.* 2. *num.* 5. *de nov. oper. nunc.* Sylva *de benef. part.* 3. *quæſt.* 42. Remig. de Gonn. *de immunit. ampl.* 20. *num.* 50.

2 Aut hoc prætendit ratione novæ Eccleſiæ a Patrono conſtructæ, & ceſſat pariter prætenſio, cùm ſit regularis, ac omninò exempta ab Epiſcopi viſitatione, ut ſæpiùs declaravit Sacra Congregatio Concilii, teſte Barboſa *in collect. ad cap.* 5. *num.* 15. *ac* 16. *ſeſſ.* 7. *& c.* 8. *ſeſſ.* 22. *num.* 20. *ac* 21. *de reform.* ac Rot. *deciſ.* 260. *num.* 3. *& 6. part.* 7. *rec.* paſſimque alibi.

3 Eccleſiam autem eſſe regularem poterit cognoſci tùm ex eo, quod ei Regulares inſerviunt, ut pluries declaravit eadem Sacra Congregatio teſtante Fagnan. *in cap. grave num.* 18. *de offic. ordin.*

4 Tum ex confeſſionibus Epiſcoporum anteceſſorum, ex quibus liquere poterit, Eccleſiam eſſe ſubjectam Conventui regularium, & propterea dubitari non poterit, eſſe exemptam a viſitatione, & correctione Epiſcopi, ut frequenter etiam declaravit eadem Sac. Congregatio referente eodem Fagnan. *in cap. nullus num.* 3. *& 4.* ibi: *Et regulares cenſeri etiam Monaſterio unitas, vel ab eo dependentes, ſi eis a Regularibus deſerviatur, de Paroch. & in d. cap. grave num.* 18. ibi: *Et regulares interpretata eſt eadem S. Congreg. etiam Monaſterio unitas, & ab eo dependentes, ſi a Regularibus deſerviantur de Offic. ordin.*

Item, ſi conſtiterit, ejuſmodi Eccleſiam fuiſſe conceſ- 5
ſam Patrono laico ex conſenſu Epiſcopi, & a Patrono conceſſam Regularibus, ac unitam eorum Conventui, atque adeò, quemadmodum eſt exemptus Conventus, ita cenſeri debeat exempta Eccleſia, illi unita per text. *in cap.* 1. ibique Gloſ. *v. exempto de privil. in 6.* cum aliis per Rot. *deciſ.* 8. *num.* 3. coram Merlino, & in Cathacenſi prætenſæ obedientiæ 22. Maji 1650. coram Bichio. Ex conceſſione enim Eccleſiæ remanſit unita Conventui, ſive Monaſterio Regularium, & propterea judicanda eſt exempta, ſicut idem Monaſterium ad text. *in dict. cap.* 1. *& in cap. recolentes*, ubi etiam Gloſ. *fin. de ſtat. Monach.* Cumque in hanc conceſſionem Epiſcopus conſenſerit ſine aliqua reſervatione Juris laicalis, effecta eſt regularis, ut tradunt communiter Doctores *in cap. Paſtoralis de donat.*

Nec obſtarent viſitationes Epiſcoporum: Nam præter- 6
quamquod fuerunt forſitan controverſiæ, ac propterea nullum jus tribuere potuerint in præjudicium Regularium, ut in ſpecie firmavit Rota in Brixienſi juriſdictionis apud Tamburin. *de jur. Abbat. tom.* 3. *deciſ.* 25. *num.* 10. Eſto, quod Regulares acquieverint, nullo tamen modo potuerint ſucceſſoribus, ac Religioni præjudicium inferre juxta ea, quæ tradit Cocchier. *de juriſd. ordin. in exempt. part.* 3. *quæſt. ult.* & Tamburin. *loc. cit. diſput.* 17. *quæſt.* 4. *num.* 7. ac Rota *deciſ.* 81. *num.* 12. apud eundem Tamburin. *ibid.* & in hac ſpecie reſpondit Archiepiſcopo Januenſi Sacra Congregatio Concilii apud Peyrinum *in privileg. minim. adnotat. ad Conſtitut. Sixti IV. §.* 10. *num.* 8. & Tamburin. *eo loco diſput.* 15. *quæſt.* 7. *num.* 50.

Nec jus aliquod acquirere potuerint Epiſcopi, tùm 7
propter Decretum irritans in Conſtitutionibus Apoſtolicis ad favorem Regularium exemptorum, quod inficit, ac irritat omnia in contrarium facta, itaut nullum producant juris effectum per *cap. ſi eo tempore de elect. in 6.* traditque præ cæteris Gonzal. *de regul.* 8. *Cancel. gloſ.* 61. *n.* 12. Et tùm quia explorati juris eſt, quod exempti non poſſunt prorogare juriſdictionem Epiſcopi ſine conſenſu Romani Pontificis, cui ſunt immediatè ſubjecti, *c. cùm temp. in fin.* ibique Abb. *num.* 2. *de arbitr.* Jo: Andr. *in cap. ſcienti col.* 14. *de reg. jur.* ac Rot. *dec.* 233. *num.* 4. coram Mantica.

Itemque ſi fuerit in viſitationibus Epiſcoporum enun- 8
ciatum, Eccleſiam hujuſmodi fuiſſe pleno jure conceſſam Regularibus, licèt enim ſint ſimplices enunciativæ, cùm tamen emanaverint ab ipſis Epiſcopis, de quorum præjudicio agitur, videntur attendendæ, ut in validioribus terminis, quod enunciativæ Ordinariorum præbeant juſpatronatus, ponderavit Rot. coram Mantica, *deciſ.* 350. *num.* 3. *& deciſ.* 349. *num.* 4. *&* 5. *ac dec.* 563. *num.* 12. coram Merlino cum aliis *in dec.* 224. *num.* 15. *& deciſ.* 234. *num.* 20. coram Otthobono.

Ac ita quidem, ut non refragetur, ſi in Eccleſia exi- 9
ſteret Capella de jurepatronatus univerſitatis, ſive laicali. Nam ex declaratione Sac. Congregat. Concil. nequeunt Epiſcopi viſitare Capellas, ſive altaria laicorum in Eccleſiis regularium erecta, quibus animarum cura non incumbit, ut apud Tambur. *d. quæſt.* 7. poſt *num.* 50. Barboſ. *de poteſt. Epiſcop. part.* 2. *allegat.* 75. *num.* 13. & Fagnan. *in d. cap. grave num.* 4. *de offic. ordin.*

Minuſque obſtaret ſi Sacrarium Eccleſiæ provideat uni- 10
verſitas ſæcularis omnibus rebus neceſſariis ex redditibus Capellæ. Quia cùm id fiat ex oblationibus, ac eleemoſynis fieri ſolitis dictæ Eccleſiæ, nullatenus pertinent ad univerſitatem, atque adeò in eas nullum jus ſibi arrogare poteſt Epiſcopus, cùm pertineant ad eoſdem Regulares, qui eidem Eccleſiæ deſerviunt ex textu *in cap.* 1. ibique Abb. *num.* 4. *de ſtat. Monach. cap. nimis*, ubi Doctores *de exceſs. Prælat.* Lezan. *in ſum. v. Oblatio num.* 4. Ricc. *part.* 4. *Collect.* 99. *&* 1113. ac Rot. *dec.* 38. *num.* 4. coram Mantica, *& deciſ.* 232. *numero* 2. *ac* 3. coram Merlino, & ex declaratione Sacræ Congregationis 31. Januarii 1642. apud Lezan. *loco citato numero* 2. *cap.* 15. *num.* 27.

Denique non relevarent enunciativæ anteceſſorum 11
Epiſcoporum, quod Regularibus conceſſus fuerit dumtaxat uſus Eccleſiæ; nam prætermiſſo, quod hujuſmodi enunciativæ ſunt recentes, ac emanatæ ab ipſis Epiſcopis, ſuntque contrariæ inſtrumento conceſſionis, & enunciativis antiquioribus, ſatis eſt, quod Eccleſiæ nulla immineat cura animarum perſonarum ſæcularium, eique inſerviant Regulares, ut regularis ſit judicanda. Et propterea nullum jus quoad viſitationem prætendere poteſt Epiſcopus, etiam uti delegatus Sedis Apoſtolicæ vigore

Conſti-

Constitutionis 18. Gregorii XV. *de exempt. Privil.* ut declaravit Sacra Congregatio Concilii cum speciali confirmatione ejusdem Pontificis post præfatam Constitutionem *tom. 3. Bullarii.*

12 Quo verò ad Decretum S. Concil. Trident. *cap. 7. sess. 3. de reform.* ejus verba sunt hujusmodi: *Locorum ordinarii Ecclesias quascunque quomodolibet exemptas, authoritate Apostolica singulis annis visitare teneantur, & opportunis juris remediis providere, ut quæ reparatione indigent, reparentur, & cura animarum, si qua illis immineat, aliisque debitis obsequiis minimè defraudentur appellationibus, Privilegiis, consuetudinibus, etiam immemorabili tempore præscriptis, Judicum deputationibus, & illorum inhibitionibus penitus exclusis.* Concil. Toler. 6. *cap.* 35. Concil. Brachar. 2. *cap.* 1. Concil. Arelat. *cap.* 17. *can. Episcopus, & can. placuit* 10. *quæst.* 1.

13 Etenim omnes Ecclesiæ subjectæ sunt Episcopis earum Diœcesum, *can. omnes Basilicæ*, quarum aliæ sunt sæculares, aliæ regulares, sæcularium verò exemptiones tolluntur, Regularium verò Ecclesiæ, cùm illarum nulla fiat mentio, non intelliguntur comprehensæ. Porrò cùm regulares habeant sub se plures Ecclesias sæculares, & harum aliæ sint exemptæ, aliæ sint pleno jure iis subjectæ, exemptæ, ac sæculares similiter comprehensæ videbuntur. De subjectis pleno jure agitur, *sess.* 25. *cap.* 11. *de Regul.* & nos alibi, de quibus omnibus, *c. cum plantare §. in Ecclesiis*, ibique Gloss. *& cap. quoniam de Privil.* Nec obstant, *cap. per exemptionem*, & *cap. si Papa de Privil. in 6.*

14 Unde Sacra Congregatio Concilii respondit, Ecclesias sæculares, tametsi ad Regulares pertinere asserantur, ab iisque dependeant, dum per sæculares illis deserviatur, hoc Decreto comprehendi, non autem Monasteria, & Ecclesias Regularium, quæ nec etiam possunt visitari ad inspiciendum, an decenter Sanctissimum Sacramentum Corporis Christi custodiatur, congruoque apparatu, & ornatu altaria sint instructa modo præsuppositio, quod Episcopus quascunque sæculares Ecclesias curatas exemptas, sive illius Diœcesis Monasteriis Casinensibus unitas, vel subjectas, dummodò in illis locis utraque jurisdictio ab Abbatibus non exerceatur, possit visitare, & eis deservientes in divinis corrigere, ac reformare, præsertim ex declaratione Sac. Congregationis ad hoc Decretum, & *ad cap. 9. sess.* 24.

15 Quæritur ordinaria ne ipsis Episcopis, an verò delegata authoritate visitare liceat, adeòut nisi expressè declaraverint, se tanquam Sedis Apostolicæ delegatos visitare, possit eis obsisti? Et stante declaratione S. Congregationis, quod Episcopis non solùm per seipsos, sed etiam per suos in spiritualibus Generales Vicarios munus visitationis permissum sit exercere, quæritur secundò, an Vicarii eo casu specialem in scriptis facultatem habere debeant, & de illa priùs per authentica documenta ipsis Abbatibus superioribus, vel eorum Officialibus, & subditis, dimissis sibi illorum exemplis de verbo ad verbum fidem facere teneantur, & donec istud fecerint, liberè, ac licitè ipsis valeat resisti?

16 Censuit S. Congregatio quoad primum, licere Episcopis delegata tantùm authoritate visitare quoad utrumque caput idque expressè declarandum. Quoad secundum opus esse speciali in scriptis facultate, de eaque hujusmodi fidem faciendam. Quodque si Episcopus non exerceat hanc jurisdictionem, sibi a Concilio delegatam, constat ex Sacræ Congregationis Decreto, nullam eum pœnam incurrere; benè tamen in casibus, in quibus Decreta Concilii utuntur præceptivis, sive obligatoriis verbis, incidere in peccatum mortale. Quin etiam in casibus, in quibus dispositio Concilii non absolutè adimit exemptis hanc jurisdictionem, sed tantùm, si Ordinarii velint ea uti, ordinariis nolentibus, eam exercere possunt exempti. In casibus verò, in quibus Concilium absolutè adimit hanc jurisdictionem exemptis, & præcipit Episcopis, ut ipsi soli eam exerceant, non posse.

17 *Singulis annis visitare teneantur.* Respondit S. Congregatio, hoc Decretum habere locum tantùm in Ecclesiis exemptis intra Diœcesim existentibus. Unde ab eadem S. Congregatione dictum, comprehendi etiam Ecclesias, quæ in aliquo territorio, seu districtu subjecto alicui Monasterio, ita tamen quod territorium sit intra fines alicujus Diœcesis.

18 Ad hæc quæsitum fuit, an ab Episcopo illæ Ecclesiæ exemptæ possint visitari, quæ a suis Ordinariis inferioribus jure proprio visitantur. Respondit Sacra Congregatio, posse, nec obstare, quod Ecclesiæ gravarentur duplici visitationis onere, ut colligitur *ex cap. 3. sess.* 24. de Archidiaconis; nec tolli per hoc Decretum, quominus dicti Ordinarii cumulativè cum Episcopis possint visitare.

Item Sacra Congregatio censuit, licere Episcopo visitare Capellam juripatronatus laicorum ad instar juripatronatus Regum, ex Privilegio sibi concesso, quia in sua Diœcesi. Nec juspatronatus, quanquam Regum, obstat, nisi in fundatione id expressum sit. Quod si probaretur Capella exempta, tunc Episcopus visitabit, tanquam Apostolicæ Sedis delegatus. 19

Minimè defraudentur. Sacra Congregatio censuit pro reparatione, vel aliis, quæ in visitatione sibi videbuntur necessaria, Episcopum posse fructus sequestrare. 20

Illorum inhibitionibus penitùs exclusis. Etsi objiceretur, quod verbi gratia, Ecclesiæ exemptæ in sua Diœcesi reperiantur, jurejurando solemniter cessisse; quia Ordinarius ex S. Congregationis sententia non potest se eximere ab ordinationibus, quæ continentur in hoc, & in aliis similibus Decretis, & similiter sibi a Concilio non sublatas, neque rem judicatam, neque concordias. 21

Sed fuit dubitatum, an Decretum Concilii, *sess.* 24. *cap.* 20. in fine intelligatur, sustulisse res judicatas, quæ innituntur Privilegiis ante idem Concilium obtentis? Sixtus V. audita relatione Congregationis, & rationibus utrinque expositis, respondit, sententias in hoc loco sublatas, pariterque res judicatas, Glos. *in Clem. Dudum v. pacta de sepult.* Et decisionem Congregationis in hoc Decreto positam, non intelligi, nisi de duobus vinculis, quorum alterum vinculum per se obstat. Et ita mandavit in similibus responderi. 22

CONSULTATIO XL.

Electio Capitularis Regularium quatenus sit confirmanda? Quid de Capitulo celebrato ante completum tempus Capituli præcedentis? Quid de electione accusati de aliquo crimine? Quidve de electione infirmi, sive valetudinarii impotentis servare vitam communem? Quid de habente jus dubium ferendi suffragium? An creari possint vocales novi, ac insoliti? Quid de non vocato ad Capitulum, qui habet jus certum ferendi suffragium? Quatenus quis dicatur contemptus? An, & quatenus aliquis excludi possit ab electione passiva ex eo, quod fuerit privatus voce? Declaratio privationis vocis ex quibus constare debeat? Ex quibus probentur attentata in materia electionis? Injustitia cassationis electionis ex quibus comprobetur?

COnfirmanda est electio non solùm ex regula, quod electo sufficit docere de sua electione, quia præsumitur Canonica, & contrarium asserenti incumbit onus probandi, juris ordine servato, ad tradita per Lap. *in c. licèt Episcopus num.* 4. *& seqq. de præbend. in 6.* ibique Gemin. *num.* 12. Jo. Andr. *in cap. sicut num.* 11. *de sent. & re jud.* cum aliis per Rotam *decis.* 289. *num.* 25. *& 26. part. 6. & decis.* 244. *num.* 34. *part. 8. rec.* Sed etiam ex illius instrumento, quod in hac re facit probationem probatam, Innocen. *in cap. innotuit num. 7. de elect.* ubi Joan. Andr. & Bellamer. *num.* 2. Rota *decis.* 574. *num.* 64. *part.* 4. *tom.* 3. *recent.* Tam quoad substantiam ex eo, quod major pars vocalium adhæserit electioni, quàm etiam quoad formam, si servata fuerint omnia, requisita a Constitutionibus Religionis, & a jure communi *in capit. quia propter de elect.* ubi Doctores communiter. 1

Constareque poterit, electionem fuisse Canonicam, ex literis Scrutatorum, quæ in confirmatione sunt præcipuè attendendæ juxta Constitutiones quamplurium Religionum, ut de Religione Prædicatorum testatur Donat. *rer. regul. tom.* 2. *tract. 7. quæst. 6. num.* 4. *&* 5. Ex literis item Patrum Definitorum, ab oppositoribus productis, quæ plenè probant, ut per Ludovis. *decis.* 331. *num.* 12. *& decis.* 353. ubi Add. *num.* 19. 2

Si fuerit confirmata, nedum a Commissario, & Præsidente Capituli, sed etiam a tota Provincia recognita, & approbata, ut proindè non sint audiendi pauci tantùm opponentes, si non appellaverint intra tempus præscriptum, ut disponit text. *in cap. concertationis de appel. in 6.* Nec servata forma a jure requisita, scilicet cum expressione causarum prætensæ nullitatis electionis, ac præstito juramento, eas esse veras, & credere eas posse probari, ut decernit textus *in cap. ut circa de elect. in 6.* & tradit Rota *decis.* 17. *in fine de except. in antiq. & dec.* 36. *de appell. in nov.* cum aliis cumulatis in allegata *dec.* 289. *vers. Et proinde part. 6. rec.* 3

Soletque Sacra Congregatio super Episcopis, & Regularibus rescribere, confirmandum esse Capitulum, & omnia gesta in eo, nisi ad primam Congregationem aliquid relevans fuerit deductum. Quia confirmatio electionis debetur ex justitia, & sine justa causa denegari non potest, ut cum aliis latè probat Passerin. *de elect. Canon. cap.* 33. *quæst.* 11. *num.* 134. *& seq.* 4

Non

5 Non eſt itaque deneganda confirmatio electionis, quotieſcumque contra electionem, vel contra electum nihil opponi poteſt, quod ſubſiſtat, ut inquit Abb. *in cap. poſtquam num.* 1. *de elect.* & poſt alios Caſtellin. *eodem tit. cap.* 14. *num.* 36.

6 Nec obſtaret, Capitulum fuiſſe celebratum ante completum triennium poſt electionem Provincialis Defuncti, licèt enim in pleriſque Religionibus officia miniſtri Provincialis, & aliorum Prælatorum ſint triennalia, & propterea Capitula celebrari debeant de triennio in triennium, attamen hujuſmodi tempus non intelligitur mathematicè, ſed civiliter, ſive legaliter, ac itaut non ita præcisè intelligatur, quin poſſit per menſem, aut per menſes prorogari, & abbreviari, dummodo tempus a lege præſcriptum non excedatur, ut de ordine Minorum tradunt Rodriq. *tom.* 2. *quæſt. regul.* 52. *art.* 2. Caſarub. *in comp. Privil. fratr. Minor. tit. Offic. ordin.* ibique Add. Capuc. §. 2. Miranda *in man. Præl. lib.* 2. *tit. de c. Provinc. quæſt.* 16. *art.* 4. Portel. *in dub. regul. v. officia Ordinis in add. num.* 6. & Sanctor. *ad ſtat.* & *Conſtit. Gener. ordin. min. ſtat.* 36. & *ad ſtat.* 65. Quinimmò in fortioribus terminis, quod cedente, aut decedente Miniſtro Provinciali, novus Provincialis in dicto Minorum Ordine eligi poſſit ante completum triennium præcedentis Capituli pro indubitato ſupponitur in Conſtitutione Urbani VIII. ſub datum 13. Auguſti 1625. impreſſa poſt ſtatuta generalia anni 1658.

7 Minùs obſtaret, ſi electus fuerit accuſatus, ac proceſſatus de crimine, præſertim, ſi ad hunc effectum adducatur ſimplex fides extrajudicalis perſonæ incognitæ, ſe referentis ad acta, cui nulla fides eſt adhibenda. Tùm quia non creditur referenti, niſi conſtet de relato, *auth. ſi quis in aliquo C. de eden.* Rot. *deciſ.* 754. *num.* 3. coram Buratto cum aliis *in dec.* 743. *num.* 11. coram Merlino. Et tùm quia, admiſſo, quod hæc atteſtatio eſſet Notarii publici, nihil tamen relevaret, quia Notario aſſerenti de actu præterito a ſe geſto ſine teſtibus non creditur, Innoc. *in cap. quoniam num.* 6. *de probat.* Bald. *conſ.* 428. *num.* 5. *lib.* 1. Alex. *conſ.* 142. *num.* 12. *lib.* 1. ac Rota *deciſ.* 137. *num.* 3. & *deciſ.* 588. *num.* 2.

8 Nam, etiamſi revera fuerit accuſatus, ac proceſſatus, adhuc tamen non redderetur ineligibilis ex ſola accuſatione, aut denunciatione, ut per Jo: Andream, Innocentium, & alios relatos a Fagnano *in cap. omnipotens num.* 6. 25. & 32. *ac* 35. *de accuſ.* eoque magis ſi agatur de re antiqua complurium annorum, & ſic electus ad dignitates, & officia Ordinis fuerit aſſumptus.

9 Minuſque officeret, non potuiſſe eligi infirmum, & valetudinarium, ac impotentem agere vitam communem, ac regularem obſervantiam, ſi atteſtationes, ſive teſtes concluderent ſimplicem infirmitatem actualem de tempore præterito, non autem habitualem, quæ ſola excludit ab electione paſſiva ex Juris communis diſpoſitione, tradunt Sayrus, Ugolinus, & alii, quos ſequitur Paſſerin. *de elect. cap.* 25. *quæſt.* 27. *num.* 330.

10 Idque præcipuè, ſi electio eſſet jam confirmata, ad quam annullandam non ſufficiunt ſimplices atteſtationes, ſed requiritur plena probatio, ut firmat Lavor. *de elect. cap.* 19. *num.* 121. Rodriq. *tom.* 1. *quæſt. reg.* 14. *art.* 3. cum aliis adductis a Lezan. *conſult.* 13. *num.* 9.

11 Præterea minus obſtaret, quod electio facta fuerit, lite pendente, atque adeò quod fuerit attentata, ſi prætenſa litis pendentia non comprobaretur, niſi per ſolam commiſſionem ad inſtantiam electi, & nunquam fuerit præſentata, & effecta communis per citationem, vel alium actum judicialem ex eo, quod commiſſiones contineant clauſulam, *quatenus pars uti velit*, ut tradit Abb. *in cap. ex conqueſtione num.* 11. *de reſtitut. ſpol.* cum aliis per Rot. *deciſ.* 183. *num.* 3. *ac ſeqq.* coram Buratto, & *in Comen. Canonicatus* 16. *Martii* 1654. §. *non obſtat*, coram Cerro.

12 Aut ſi prætenſa litis pendentia fuerit omninò extincta per renunciationem litis ab oppoſitoribus factam, ob quam receditur ab appellatione, ut ponderavit Rota *decij.* 349 *num.* 3. coram Cavalerio, & *dec.* 29. ubi Add. *num.* 4. coram Ludoviſio cum aliis *in dec.* 37. *num.* 4. poſt Tambur. *de jur. Abbat.* Impetrans enim commiſſionem cauſæ, quamvis etiam fuiſſet decreta citatio, pœnitere poteſt, illique renunciare, & poſt renunciationem, nullam remanere litis pendentiam, firmavit Rota penes Achill. *deciſ.* 10. *num.* 1. *de reſcript.* & poſt alios comprobat Lancellot. *de attent. part.* 2. *cap.* 4. *in præfat. num.* 46. dicens *num.* 49. id procedere, licèt commiſſio in manuali Notarii, ſive in libro publico deſcripta eſſet.

13 Ceſſatque omnis difficultas, quia electio tanquam actus extrajudicialis fieri poteſt, etiam lite pendente, abſque vitio attentatorum, ut probat Lancellot. *loc. cit. limit.* 22. *num.* 1. *ac ſeq.*

14 Quod autem aliquis non fuerit admiſſus ad ferendum ſuffragium, non refragaretur, ſi ille non habebat hujuſmodi jus, ſatiſque eſſet, ut ſit dubium, an hoc jus ei competeret, præſertim, ſi de hoc ſuo prætenſo jure non docuerit apud Judices ſuffragiorum, aut ſi cùm eſſet præſens in loco, ubi celebratum fuit Capitulum, non comparuerit, neque deduxerit, aut oppoſuerit coram eodem Capitulo.

15 Vocales autem novos, & inſolitos creare, ac inducere in Capitulis Provincialibus, non ſolùm nequit ſuperior, ſed videtur, quod ne ipſe quidem P. Generalis id poſſit, cùm electio Provincialis pertineat tantùm ad certos, & determinatos ſuffragatores, & Generalis nequeat Conſtitutiones alterare, ſive commutare, niſi per tria Capitula Generalia approbetur, ut in Religione Prædicatorum, quod non poſſit augeri numerus vocalium, probat Paſſer. *loc. cit. cap.* 3. *quæſt.* 2. *num.* 11. & *quæſt.* 3. *num.* 48. & 50.

16 Unde ſatis eſt, quod dubitari poſſit, an alicui competat jus ferendi ſuffragium, ne poſſit admitti, cùm nunquam habuerit poſſeſſionem prætenſi juris eligendi, ſine qua, licèt excluſus non poſſit dare de contemptu, quia ipſi nulla fuit facta injuria cùm nunquam poſſederit, ex jure enim dubio nemo debet immitti in poſſeſſionem, ut diſtinguendo tradit Paſſerin. *loc. cit. cap.* 14. *quæſt.* 7. *num.* 44. & *num.* 48. *ac ſeqq.*

17 Doctores verò contrarii loquuntur in caſu, quo non fuit vocatus ad Capitulum, qui habebat jus certum, ut Lavor. *de elect. tit.* 4. *cap.* 17. *num.* 13. Eòque magis, ſi non admiſſus ad ſuffragium, eſſet præſens in Conventu, in quo celebrabatur Capitulum. Poterat enim, ac debebat ad locum electionis accedere. Quod ſi non acceſſerit, non poteſt dici contemptus, cùm per ſonum campanæ vocantur omnes præſentes in Conventu, nec fiunt monitiones ſingulatim ex communi Religionum praxi.

18 Privatio autem vocis activæ, & paſſivæ debet intimari Patribus Conventus, cùm nemo excludi poſſit ab electione paſſiva ex capite privationis vocis, niſi ſit privatus per ſententiam, quæ tranſiverit in judicatum, ut tradit Paſſer. *ibid. cap.* 25. *numer.* 601. & 602. Cùmque agatur de vitio perſonæ, ſicque de graviſſimo præjudicio, procedendum eſt cum probationibus, & actis judicialiter, ut docent Caſtell. *de elect. cap.* 4. *num.* 30. Barboſ. *vot.* 35. *num.* 15. *lib.* 2. Paſſerin. *eo loco cap.* 33. *num.* 153. & *num.* 164. Eſtque communis ſententia; Ideòque aſſerta declaratio privationis vocis non eſt attendenda, ſi ea conſtet per ſimplices narrativas, aut fides extrajudiciales, ut latè in terminis Barboſ. *vot.* 97. *num.* 42. & *ſeqq. lib.* 3.

19 Ac præſertim, ſi conſtiterit de nullitate, de attentatis, ac de injuſtitia privationis. De nullitate quidem, ut ſi non præceſſerit citatio, cujus defectus eſt inſanabilis ad textum *in Clem. ſæpe §. non ſic de verb. ſignif. in Clem. paſtoralis §. cæterùm de re jud.* & *in l. de unoquoque ff. eod.* Aut ſi citatio facta non fuerit pro illa die, qua fieri debebat declaratio, Rot. *deciſ.* 312. *num.* 4. *part.* 4. Et ſententia declarationis requiritur ex jure, ut poſt multos tradit Paſſer. *cap.* 25. *num.* 624. & *ſeq.*

20 Aut ſi conſtiterit de attentatis ex appellationibus interpoſitis ſuper denegatione induciarum, vel a comminatione dictæ pœnæ privationis. Cùm enim non agatur de correctione morum, neque de viſitatione, ſine dubio licèt appellare, Rodriq. *tom.* 2. *quæſt. reg. qu.* 29. *art.* 2. prolixè Donat. *tom.* 2. *de appel. tract.* 10. *quæſt.* 30. *numer.* 6. & *ſeq.* ac in terminis Barboſ. *de vot.* 97. *num.* 120. *lib.* 3. & Paſſer. *d. cap.* 25. *num.* 602.

21 Vel ſi conſtiterit de injuſtitia, ut ſi denegatæ fuerint induciæ, nec ullum delictum commiſſum fuerit. Non enim eſt contra obedientiæ votum rationes, ac jura proponere præcipienti petere inducias, & appellare, cùm hæc ſint permiſſa de jure, ut tradunt S. Bonaventura *in ſpec. diſcipl. part.* 1. *princ. quæſt.* 1. *cap.* 4. Turrecrem. *in reg. S. Benedicti cap. 66. tract.* 43. & Alvarez *tom.* 2. *de vit. ſpirit. lib.* 5. *cap.* 15.

22 Cumque in Conſtitutionibus Regularium ſit expreſsè ſtatutus modus pro reformatione, utique ſuperior ſecundùm illas debet procedere, ut ex Decreto Sacræ Congregationis, tradit Fagnan. *in cap. recolentes num.* 6. *de ſtat. Monach.*

23 Aut ſi conſtiterit, quod aſſerta declaratio privationis non doceatur fuiſſe Patribus intimata, ideòque nunquam potuerit tranſire in judicatum, aut eſſe impedimento, quin electio eſſet valida, ut per Paſſerin. *citat. cap.* 25. *num.* 600. & 602.

24 Eòque magis, ſi oppoſitiones tangerent vitium perſonæ. Hoc enim caſu debet juridicè, citatis citandis, ac probatis probandis procedi, ut communiter docent Doctores nominatim Paſſer. *ibid. cap.* 33. *n.* 153. & *ſeq.*

CON-

CONSULTATIO XLI.

An quatenus, & a quibus concedendæ ſint licentiæ ingrediendi Monaſteria Monialium, Superioribus Regularibus ſubjectarum? Et quomodo ſit occurrendum inhibitionibus Auditoris Cameræ Apoſtolicæ nomine hujuſmodi Monialium expeditis contra Ordinarios?

1 SAcra Congregatio Concilii, & Sac. Congregat. ſuper Epiſcopis, & Regularibus pluries declaravit, nemini licere ingredi clauſuram Monialium, etiam exemptarum, ac ſubjectarum Regularibus, niſi prius obtinuerit licentiam in caſibus neceſſariis, concedendam non ſolùm a Superioribus Regularibus, ſed etiam ab Ordinariis, non obſtantibus legibus, ſtatutis, & conſuetudinibus, etiam immemorabilibus. Immò quod hujuſmodi licentia non ſit concedenda a Superioribus Regularibus in illis locis, in quibus extat conſuetudo, quod a ſolis Epiſcopis concedatur, æquè dumtaxat, ſufficiat, etiam privativè quoad Regulares.

2 Hæc autem declaratio non ſolùm ſpeciatim emanavit pro Epiſcopo Peruſino, ut ex ſequenti Epiſtola, ſed etiam ſub 10. Januarii 1637. fuit confirmata, & juſſa ejus exequutio ab Urbano VIII. ut ex ſubjecta declaratione.

3 Et quamvis hæ declarationes, ſive decreta ſint perſpicuæ, ac pervulgatæ, Regulares tamen, præcipuè Monachi Caſinates, prætendunt eſſe ſuarum Monialium ſuperiores privativè quoad Ordinarios, earumque nomine expedire curant inhibitiones ab Auditore Cameræ Apoſtolicæ ad illos impediendum, ne eas viſitent, neve viſitari faciant a ſuis Officialibus earum clauſuram, multòque minus concedant licentiam clauſuram ingrediendi.

4 Ideòque a dictis S. Congregationibus reſcribendum eſt Ordinariis, ut procedant ad exequutionem decretorum, ſive declarationum hujuſmodi, non obſtante quacunque inhibitione, aut quod manuteneantur in ſua, ſuorumque anteceſſorum poſſeſſione, donec controverſia terminetur. Nam hujuſmodi inhibitionum prætextu, quas Moniales extorquent, nullum jus habentes, cùm ei Urbanus VIII. derogaverit, augentur inſolentiùs mala, de quibus Ordinarii proteſtari debent, ne de illis rationem Deo reddant.

5 Declarationes, ſive decreta in hanc rem, præter alia, quæ adduximus *tom.* 1. ſunt hujuſmodi.

6 Ad ſecundum. *Tametſi alias Sacra Congregatio declaraverit licentias ingrediendi ſepta Monaſteriorum Monialium exemptarum, & Regularibus ſubjectarum ex neceſſitate tantùm, quæ Moniales reſpiciat, concedendi, & accedendi ad colloquendum cum Monialibus pertinere ad ipſos Superiores Regulares, nihilominus ſub die 13. Novembris 1610. quo magis clauſuræ obſervationi conſuleretur, facultate ſibi a S. D. N. tributa, ſtatuit, & decrevit, ut intra hujuſmodi ſepta nemini ingredi, nec alloqui liceat, niſi licentiæ in caſibus neceſſariis concedendæ, nedum a ſuperioribus Regularibus dictorum Monaſteriorum, ſed etiam a locorum Ordinariis obtentæ fuerint, non obſtantibus quibuſcumque contrariis legibus, ſtatutis, conſuetudinibus etiam immemorabilibus.*

7 *Poſtremò autem ad removendam omnem dubietatem, quæ ex hujuſmodi Decreto forſan oriri poſſet, negotio iterùm in S. Congreg. propoſito, atque S. D. N. relato die 21. Maji 1630. Sanctitas Sua declaravit hujuſmodi licentias a ſuperioribus Regularibus non eſſe concedendas in illis locis, in quibus adeſſet conſuetudo, ut iſtæ ab Epiſcopis tantùm concedantur. Hoc enim caſu ſtatuit, & decrevit talem conſuetudinem eſſe obſervandam, & ipſorum Epiſcoporum tantummodò licentias ſufficere, etiam privativè quoad ipſos Regulares.*

8 *Quod reliquum eſt divinam Clementiam precor, ut diù incolumem ſervare dignetur Emin. veſtram, cujus perofficioſè deoſculor manus, meque humillimè commendo. Romæ die 10. Januarii 1637. Emin. V. humillimus ſervus F. Cardinalis Veroſpius, Franciſcus Paulucius S. Congreg. Concilii Secretarius.*

9 A Milano al Cardinal Federigo Borromeo. *E' ſtato più volte ordinato da queſta Sacra Congregazione, che le licenze da concederſi a' ſecolari d' entrare a parlare alle Monache ſoggette alla cura de' Regolari, e di entrare ne' Monaſterj delle medeſime Monache, debbano ſottoſcriverſi da' Veſcovi, o da' loro Vicarj, e inſieme da' medeſimi Regolari, ſiccome fu già ſignificato al Vicario di V. S. Illuſtr. in fin dall' anno 1599. Tuttavia perchè s' intende, che alcuni Regolari pretendono il contrario ſotto preteſto di certa dichiarazione, che dicono avere più, e più anni ſono, ottenuta dalla Sacra Congregazione del Concilio, hanno queſti Illuſtr. miei Signori voluto, che l' ordine loro fatto per neceſſità di buon governo de' Monaſterj, e fondato nel Sacro Concilio ſia in ogni maniera oſſervato, imperocchè poſſono, e veriſimilmente debbono i Veſcovi molto meglio conoſcere la qualità delle perſone, e più facilmente gaſtigarle, quando tranſgrediſcono, che non poſſono i Regolari, maſſimamente per la freqnenza delle loro mutazioni. Potrà perciò V. S. Illuſtr. notificar tutto queſto a chi pretendeſſe il contrario, e commetterà, che l' ordine ſuddetto ſia in ogni modo oſſervato, ed eſeguito. E perchè s' intende ancora, che in molti di coteſti Monaſterj, così ſottopoſti a V. S. Illuſtr. come a Regolari ſi ricevono le viſite a porta aperta, dove anche vi ſi fa dimora di ore continue, mi hanno i medeſimi Illuſtr. Signori ordinato di ſcriverle, che quanto a quello, che in queſto particolare appartiene a Monaſterj di lei, vi provveda ſecondo la ſolita ſua prudenza, e pietà, e quanto a' Monaſterj ſottopoſti a Regolari, ella, chiamati a ſe i ſuperiori de' medeſimi Regolari, prenda inſieme con eſſo loro quella provviſione, che le parerà più eſpediente per togliere così notabil diſordine.... di Gennaro 1618.*

CONSULTATIO XLII.

An, & quatenus Regulares habentes Monaſterium ſub Cœlo inſalubri, ac longè diſtans a Civitate, habere poſſint pro cura infirmorum hoſpitium Religioſorum intra Civitatem, ibique oratorium privatum erigere? Quid ſi alii Regulares obſtarent, & ad eorum favorem Ordinarius decerneret, Oratorium eſſe demoliendum? Quidve ſi ab hujuſmodi Decreto appelletur, & cauſa committatur Judici Delegato, qui Decretum Ordinarii revocaret? An a Decreto Delegati Regulares contradicentes appellare poſſint, & quomodo, cuive incumbat onus tranſportandi acta?

VIdetur reſpondendum, non poſſe conſtrui hujuſmodi 1
Oratorium, & in eo Altare ad celebrandum Miſſæ ſacrificium. Nam id prohibetur per Conſtitutiones Apoſtolicas, præſertim per Conſtitutionem 25. Urbani VIII. ac proinde poteſt Ordinarius decernere, quod demoliatur Altare, tanquam erectum ſine licentia, & viſitatione Ordinarii.

Quod ſi ab hoc Decreto appellaretur, & cauſa appel- 2
lationis interpoſitæ committeretur per Breve Apoſtolicum Judici Delegato, in quem adverſarii conſentirent, qui, actis tranſportatis, auditiſque partibus accederet ad locum, reque maturè diſcuſſa, decerneret, licere dictis Regularibus habere, ac retinere, Oratorium jam conſtructum, cui Decreto ſi adverſarii non acquieſcentes, in gradu recurſus cauſam in Sacra Congregatione recognoſci peterent, ii non poſſunt audiri, niſi priùs per ipſos tranſportentur acta ſpeciatim illa, coram Delegato agitata.

Nam tranſportatio actorum facienda eſt per adverſa- 3
rios recurrentes. Certum ſiquidem eſt, quod in cauſis inter partes judicialiter deductis, Sacra Congregatio non poteſt ſe ingerere, niſi partibus conſentientibus juxta conſilium Navarri 2. *num.* 4. *de relig. domib.* & declaravit Sixtus V. in Conciſtorio habito 11. Maji 1588. ſicut refertur poſt *Conſtitut.* 72. ejuſdem Pontificis. Et licèt, ut ibidem legitur, idem Sixtus declaraverit, etiam poſt cauſam judicialiter deductam, poſſe partes concordes adire S. Congregationem, attamen exprimitur, quod in hoc caſu Sacra Congregatio debet ad ſe acta tranſportari facere, atque hæc tranſportatio fieri debet per recurrentes, & appellantes, qui volunt in cauſam procedere, ut per Scacc. *de appell. quæſt.* 20. *num.* 7. & *ſeqq.* cum aliis ibi latiſſimè allegatis.

Hæc autem actorum tranſportatio eò magis eſt ne- 4
ceſſaria, quo potiſſima hujus cauſæ deciſio pendet a ponderatione loci, in quo conſtructum eſt Oratorium, an ſcilicet ſit locus ſecretus, decens, & honeſtus, quæ probatio non poteſt aliter liquere, niſi per acta Judicis Delegati, qui acceſſit ad locum; & propria loci viſitatione, illius ſtatum deſcripſit. Quod eſt de ſubſtantia hujus cauſæ, utpotè quod probatio per evidentiam facti, & loci viſitationem, ubi agitur de re, quæ ex oculari inſpectione percipi poteſt, dicitur ſpeculativa probatio, quæ omnes alias probationes excellit, Gravat. ad Veſtr. *lib.* 4. *cap.* 4. *num.* 26. Mezol. *conſ.* 91. *num.* 10. Poſth. *de manut. obſer.* 101. *num.* 5. Maximèque confert ad faciliorem cauſæ reſolutionem, cùm veritas magis per oculum, quàm per aures infigatur, *Inſtit. de gradib. §. fin.* ibique Gloſ. *cap. quia judicante de præſcript.* cum Gloſs. *in can. inter memoratos 16. quæſt. 3.*

Ex hujuſmodi autem deſcriptione, & actorum tranſ- 5
portatione liquebit juſtitia ſententiæ delegati, qui declaravit fuiſſe licitam dictam Oratorii conſtructionem, attentis circumſtantiis concurrentibus circa qualitatem loci,

ci, quibus concurrentibus in hoſpitium, tanquam Granciam, & partem principalem Monaſterii permittitur poſſe conſtrui Oratorium cum ſola licentia ſuperiorum Regularium pro celebratione divinorum officiorum, etiam ſine licentia Ordinarii, non obſtante Concil. Trid. *ſeſſ.* 22. *cap.* 9. *in decr. de obſerv. & evit. in celeb. Miſſ.* Quia Concilium loquitur ſolùm de privatis domibus, & hujuſmodi hoſpitia, ſive Granciæ non ſunt domus privatæ, ut per Rodriq. *tom.* 2. *quæſt. reg.* 75. *artic.* 1. & 2. Peyrin. *tom.* 1. *privil. minim. in Conſtit. Pyrrhi nu.* 129. Nec ſolùm ſine licentia Epiſcopi, ſed etiam repugnante Epiſcopo, ut per Lezan. *in ſum. tom.* 3. *v. Altare* 14. Rodriq. *loc. cit.* Jo: de Cruce *de ſtat. Regul. lib.* 2. *cap.* 5. *dub.* 7. *concl.* 2.

6 Conſtitutio verò Urbani non obſtat. Quia non verſamur in erectione novi ſæcularis, ſed in conſtructione Oratorii in Hoſpitali, quod eſt pars, ſive Grancia antiqui Monaſterii jam erecti.

CONSULTATIO XLIII.

An interpoſita ab utraque Parte appellatione ad ſummum Pontificem, etiam ad effectum petendi Generalem, poſſit illa ab altera Parte poſthaberi, ac procedi ad electionem regularem?

1 NEgativè reſpondendum cenſeo. Nam hujuſmodi appellatio effecta eſt communis, atque adeò non poteſt ab altera Parte in præjudicium juris alteri Parti quæſiti, poſthaberi, ut docent Bart. *in l. ſi quis libellos* 28. *num.* 1. *C. de appell.* Felin. *in cap. ex par. de reſcript.* 2. *num.* 5. aliiſque relatis Scacc. *de appell. qu.* 17. *limit.* 2. *num.* 95.

2 Et in terminis electionis, quod renuncians electioni, vel in alium eam remittens, pœnitere amplius non poſſit, ait text. *in cap. cauſis de elect.* ubi Gloſſ. & Doctores communiter, & tradit Caſtell. *de elect. can. cap.* 16. *num.* 1. addens, quod ubi ex cauſa alicujus ſuffragii ſcribitur ad ſuperiores, interim abſtinendum eſt ab electione.

3 Præſertim ſi Capitulum fuerit dimiſſum ab habente authoritatem cum cœremoniis a Conſtitutione præſcriptis, omnibus approbantibus, & conſentientibus. Ex hoc enim evidenter ſequitur non poſſe deveniri ad electionem. Quia Capitulum primò intimatum amplius non durat, & aliud non eſt a perſona legitima indictum, ut requiritur, & aſſerunt Caſtell. *loc. cit. cap.* 13. *num.* 5. Lezan. *in ſum. v. Præſes Capituli num.* 4.

4 Eoque magis, quod hic non eſt de illis caſibus quibus obligatus indicere Capitulum, illud indicere neglexerit, & cum circumſtantiis, de quibus Donatus *in prax. rer. regular. tom.* 2. *par.* 1. *tract.* 3. *qu.* 8.

5 Ac præcipuè ſi novum Capitulum fuerit celebratum abſque formali intimatione, & tempore, quo jam aliqui diſceſſerant, vel non reperiebantur in loco ex quibus evidens nullitas reſultat. Quotieſcunque enim Capitulum non intimatur vel aliqui ex electoribus negliguntur, electio ſemper irrita eſt, contemptis maximè reclamantibus, *cap. cùm inter univerſitas* 18. *de elect. cap. quod ſicut, cap. coram dilecto, cap. Quia propter eod. tit.* & firmant Donat. *loc. cit. tom.* 2. *par.* 1. *tract.* 4. *qu.* 12. & *qu.* 21. Lezan. *ibid. tom.* 1. *cap.* 15. *num.* 8. & Lavor. *var. lucubr. tit.* 4. *cap.* 17. *num.* 1.

CONSULTATIO XLIV.

De electione Capitulari Regularium ſimoniaca. Ex quibus ſimonia neceſſariò conſtituatur? An, & quatenus probetur ex præſumptionibus, & conjecturis? Quomodo ex Teſtibus? An ex electione per acclamationes publicas facta? Quando pro nullitate actus metus adduci poſſit? Quid de his verbis prolatis a Præſide Capituli: volo mille aureos ab eo, qui vult eligi in Provincialem? An probetur ex mutuo, quod accepit Provincialis poſt ſuam electionem? An, & quatenus ex confeſſione extrajudiciali? An probetur ex eo, quod alius promiſit ſolvere minorem ſummam pro munere Provincialis aſſequendo? Quando ex teſtibus de auditu ſuper pecunia exiſtente in Capſula? An ex eo, quod in Capitulo reſervata fuerint in pectore Patris Generalis aliqua officia: Quatenus probetur ex publica voce, & fama? Quid de pactione; Elige tu illum, & ego eligam, quem tu mihi propones? Quidve de electoribus paciſcentibus invicem de commodis electionis? Quid etiam de pactione elige me in Generalem, & ego eligam te in Guardianum, aut è contra? An liceat offerre pecuniam electori volenti eligere indignum, vel minus dignum? Quid ſi offeratur pecunia electoribus volentibus eligere indignum, aut minus dignum, ut eligant dignum determinatè? Quibus in caſibus liceat electoribus pecuniam dare, ne eligant indignos, aut minus dignos, ſed dignum? Quid ſi electores ſubornentur vi, aut fraude? Quidve ſi ſubornentur pretio, aut precibus, ne quis eligatur? An tibi liceat pecuniam, & munera dare electori, qui accepit a tuo competitore pecuniam, & munera? Quid ſi electione jam facta a majori parte, detur aliquid electori contradicenti, ut ceſſet a contradictione? Electus an poſſit pretio redimere vexationem injuſtam, quam patitur in confirmatione electionis? Quid ſi apud electores juſtè vexetur? Quidve ſi juſtè vexatio fiat ab iis, ad quos non pertinet electio? Quidve ſi fiat juſta vexatio ab iis, ad quos pertinet? Ut vexatio pretio redimi poſſit, quid neceſſarium ſit? An debeat eſſe vexatio actualis, an ſit ſatis, quod probabiliter timeatur? Si aliquis electorum accipiat pecuniam, ut ceſſet a vexatione, an electio ſit ſimoniaca? An qui movetur ad vexandum, ut mediante vexatione obtineat pecuniam, committat Simoniam? Si electus vexetur in ordine ad poſſeſſionem, an poſſit pretio redimere vexationem? Quando jus ad poſſeſſionem eſt dubium, an liceat pretio redimere vexationem contra poſſeſſionem? Quid ſi electus vexetur in poſſeſſione acquiſita vigore electionis, aut deturbetur? Quid ſi vexetur per viam juris circa poſſeſſionem jam adeptam? Quid ſi des pecuniam alicui, ne tibi in electione exceptionem opponat? Quid ſi unus ex concurrentibus det alteri pecuniam, ut a concurſu deſiſtat ob impedimentum tollendum? Quidve de pacto, quod, tu non concurras mecum ad hanc electionem, & ego non concurram tecum ad ſubſequentem? Quid de dante alicui pecuniam, ut metum incutiat competitori, ut deſiſtat a concurſu? Quidve de ſubornatione contra ſubornationem? Ad vitandam ſubornationem in electione an poſſit induci conſuetudo, quod nullus adhibeatur tractatus? Alia.

SImoniæ crimen probatum non dicitur, niſi pactio, & conventio probetur, quæ utrinque inducant obligationem, & præcedant collationem, aut proviſionem, quæ ſimoniaca prætenditur, ita Mareſc. *var. lib.* 2. *cap.* 35. *num.* 24. & *ſeq.* Pariſ. *conſ.* 30. *num.* 21. *lib.* 4. Dec. *conſ.* 118. *num.* 4. Farin. *conſ.* 180. *num.* 6. Put. *dec.* 167. *num.* 5. *lib.* 2. Mohedan. *dec.* 1. *num.* 3. *in fin. de ſimon.* Seraph. *dec.* 1029. *num.* 11. Rota *dec.* 93. *par.* 4. *tom.* 2. *rec. num.* 6. & *dec.* 534. *par.* 4. *tom.* 3. *dec.* 111. *num.* 9. *poſt conſ.* Farin. *vol.* 1. & *dec.* 234. *num.* 2. Burat. *deciſ.* 445. *num.* 13. paſſimque alii. Deſumitur ex jure canonico *in can. qui ſtudet* 11. *q.* 1. & *c. Cùm pridem ſub init. de pact.* & *cap. quæſitum de rerum permut.* ubi Butr. *nu.* 3. Anan. *nu.* 5. Oſtien. *in cap.* 1. *num.* 3. Anchar. *ibid. eod. num.* 3. *de ſimon.* 1

Quia ſimonia eſt emptio, & venditio rei ſpiritualis aut alicujus, quod ſit ſpirituali annexum, ut communiter tradunt DD. nominatim D. Thom. 2. 2 *qu.* 100. *art.* 1. Aleni *par.* 2. *qu.* 187. *membr.* 2. Palud. *in* 4. *diſt.* 25. *qu.* 4. *art.* 1. *concl.* 1. Richard. *art.* 2. *qu.* 1. Adrian. *quodlib.* 9. *art.* 2. S. Anton. *par.* 2. *tit.* 1. *cap.* 1. §. 1. Victor. *relect. de ſimon. par.* 1. *n.* 7. Navar. *cap.* 33. *man. num.* 100. Leſſ. *lib.* 2. *de juſtit. & jur. cap.* 35. *dub.* 1. *num.* 3. cum Gloſſ. in cauſa 1. *qu.* 1. *ſub princ.* & deſumitur *ex d. cap. quæſitum*. Venditio autem, & emptio non perficitur, niſi partium conventione, & pacto. 2

Nec ſufficit ſolus tractatus, niſi pactum, & concluſio pacti probetur *ex d. dec.* 534. *num.* 10. *par.* 4. *tom.* 3. Lotter. *de re benef. qu.* 29. *lib.* 3. *num.* 42. & 150. ubi quod ſimoniæ crimen conſtituatur pacto, & conventione, Gratian. *diſcept.* 210. *num.* 16. Burat. *dec.* 445. *num.* 13. Farin. *dec.* 137. *num.* 3. *poſt conſ. vol.* 2. itaut non probetur ex actibus ſubſequutis poſt proviſionem, & collationem perfectam, niſi etiam probetur, quod in vim pacti, & præcedentis conventionis ſubſequantur, Ludoviſ. *dec.* 238. *n.* 9. Lotter. *d. qu.* 29. *num.* 47. & *ſeq.* Ubi quod exigitur illud principium, quod aſſerat neceſſitatem. Quia, ut rectè ait Pegna *dec.* 211. *n.* 3. Munera, quæ ſubſequuntur actum collationis, & proviſionis, provenire poſſunt a mera liberalitate in remunerationem Beneficii accepti, quæ de jure non prohibetur, Lotter. *d. qu.* 29. *num.* 46. & *ſeq.* & *num.* 50. Farin. *dec.* 234. *num.* 10. *poſt* 2. *vol. conſ.* Rot. *dec.* 23. *num.* 14. & 15. *par.* 4. *tom.* 2. *rec.* Idque potius excludit præſumptionem ſimoniæ, Lotter. *d. qu.* 29. *num.* 50. Rota *d. dec.* 93. *num.* 13. & *ſeq.* & *dec.* 701. *num.* 3. *in noviſ.* per Farin. Mellin. *dec.* 4. *num.* 3. 3

Itaque conventio tantùm, ſive pactum inducunt ſimoniam, quando antecedit, *cap. Aſtaldus* 8. *qu.* 1. & *cap. tua nos de ſimon.* & notant communiter Gloſſ. *ibid.* & *in can. quam piæ, v. poſtmodum* 1. *qu.* 2. Card. *ibid. num.* 33. Alciat. *conſ.* 2. *num.* 20. *lib.* 1. Pariſ. *d. conſ.* 30. *num.* 21. *lib.* 4. Butr. *in d. cap. quæſitum num.* 3. *de ver. permut.* aliique ſuperius adducti, ac Rota cor. Puteo *dec.* 157. *n.* 5. 4

& coram Seraph. *dict. dec.* 1029. *num.* 8. coram Cavalerio *dec.* 359. *num.* 7. & coram Martino Andrea *decis.* 94. *num.* 5. & coram Ludovisio *decis.* 517. *num.* 30. & *dec.* 166. *num.* 9. *par.* 2. *recent.* & in Romana seu Hispalensi prætensæ simoniæ 7. Februari 1596. coram Blanchetto, & in Calaguritana confidentiæ 25. Junii 1593. coram Pamphilio, & in Aquensi Beneficii, seu simoniæ 17. Maji 1593. coram eodem Blanchetto, & in Consentina prætensæ confidentiæ 4. Februarii 1591. coram Orano.

5 Pactum namque, & conventio est forma, qua constituitur simonia, ut firmat Mohedan. *d. decis.* 1. *de simon.* ac Ludovis. *d. dec.* 517. *num.* 32. Nam requiritur aliquod principium, unde oriatur necessitas exequendi, quod fuit in tractatu, ut observant Abb. *in cap. Cùm M. Ferrarienſis num.* 24. *de constit.* Rota coram Verallo *dec.* 239. *numer.* 7. *par.* 3. Unde, secluso pacto, excluditur constitutivum simoniæ, atque adeò omnis simonia, etiam confidentialis.

6 Et proindè ex iis, quæ requirunt actum, in quo prætenditur simonia, non posse præsumi simoniam, licèt immediatè subsequantur, tradunt Gloss. *in d. can. quam pio dict. v. postmodum* 1. *quæst.* 3. Dec. *cons.* 118. *num.* 4. Mohedan. *dec.* 266. Put. *decis.* 167. *num.* 5. Rot. coram Blanchetto, coram Pamphilio, & coram Ludovisio modo citatæ, ac DD. *in d. cap. tua nos de simon.* Quia nimirum quæ subsequuntur actum, non sunt simoniaca, nisi subsint præcedenti conventioni, a qua tota simonia dependet, ut dictum est.

7 Requiritur insuper, quod hujusmodi pactum probetur plenè, ac concludenter, sive civiliter agatur ad effectum privationis, sive criminaliter per accusationem, vel denunciationem, Buratt. *dec.* 445. *num.* 7. & 15. Rota *dec.* 380. *num.* 3. *par.* 4. & *dec.* 93. *num.* 3. & 5. Farin. *dec.* 108. *num.* 3. *post cons. vol.* 2. & *cons.* 75. *num.* 25.

8 Nec obstat, quod simoniæ crimen secretò committi soleat, & ideò præsumptionibus, & argumentis probari satis debet ex *d. dec.* 108. *num.* 2. ac plenius ex Chartar. *dec.* 91. *num.* 18. & 60. Unde Seraphinus decisum refert *in dec.* 237. & 244. quod impensum post collationem beneficii præsumatur in vim tractatus, & pacti præcedentis, & hac ratione probari simoniam.

9 Nam conjecturæ, & argumenta, quando per accusationem proceditur, vel etiam civiliter ac privationem, debent esse legitima, & indubitata, ut reum necessariò convincant, Chartar. *d. dec.* 91. *num.* 58. & *seq.* Buratt. *dec.* 445. *num.* 7. Farinac. *dec.* 111. *num.* 9. *post* 1. *vol. cons.* & Add. *ad dec.* 9. *lit. C.* veluti per evidentiam facti, Lotter. *d. qu.* 29. *lib.* 3. *num.* 59. Idque attenta etiam Constitutione B. Pii V. Rota *dec.* 538. *num.* 16. *par.* 4. *tom.* 3. *rec.* adeòut simoniam non probari per unum Testem idoneum, & duos socios criminis, referat Chartar. *cit. dec.* 91. Nec per duas semiplenas probationes, Glossa *in cap. veniens* 1. *v. illorum de testibus*, ibique Abb. *num.* 4. Alciat. *cons.* 3. *num.* 4. *lib.* 1. ubi testatur de communi, Seraph. *cons.* 129. *num.* 1. ubi quod ita aliàs censuit Rota in Firmana Capellaniæ 7. Maji 1572. coram Clemente VIII. *in dec.* 358. *num.* 10. *par.* 2. *recent.*

10 Nec refragantur allegatæ decisiones Seraphini 137. & 244. Quia inibi simoniæ crimen objiciebatur excipiendo, secus verò agendo, vel accusando. Quia tunc cautius, ac strictius proceditur, ut per Lotter. *d. quæst.* 29. *num.* 61. & *seqq.* Idque, etiamsi essemus in ambiguis, in quibus facienda est illa interpretatio, quæ excludit delictum *l. merito ff. pro socio*, & *cap. estote de regim.* & notant Abb. *in cap. cùm tu de testib.* Natt. *consil.* 549. *num.* 11. Farinac. *in prax. crim. qu.* 85. *num.* 1. Maschard. *de probat. concl.* 496. Menoch. *lib.* 5. *præsump.* 161. *num.* 26. & in terminis de simonia, Felin. *in cap. super his num.* 17. *de accus.* Put. *dec.* 440. *num.* 3. *lib.* 1. Rota *dec.* 418. *num* 4. *par.* 1. *recent.* & *dec.* 491. *num.* 10. *par.* 5. Atqui actus, cùm possit, accipi debet, tanquam factus eo modo, quo licitè fieri potest, non autem eo modo, quo illicitus esset juxta ea, quæ tradunt Cravetta *cons.* 106. *num.* 8. & 9. Alexand. *consil.* 185. *n.* 2. *lib.* 6. Paris. *consil.* 53. *num.* 4. *lib.* 4. Tusch. *lit. A. concl.* 138. *num.* 1. ac Rota *dec.* 596. *num.* 4. *par.* 2. *rec.*

11 Quæ non solùm habent locum in foro exteriori, in quo delictum clarè constare debet *cap. evidentia de accus.* sed etiam in foro interiori, in quo res secundùm conscientiam judicantur. Siquidem in foro quoque interiori non habet locum simonia, nisi concurrant ea quæ sunt necessaria ad ipsam constituendam, cùm universim nulla res subsistat absque iis, quibus constituitur. Simonia autem constituitur per pactum, aut conventionem ex adductis.

12 Hinc quoties non insurgit aliqua probatio concludens, vehemens, ac indubitata præsumptio, simoniæ crimen probari nullo modo dici potest. Non autem ex testibus, qui vel de auditu, vel de judicio, & credulitate deponunt. Ii enim simoniam non probant nec plenè, neque semiplenè, *l. Testium*, *Cod. de testibus*, *cap. tam is eod. tit. can. Testes* 3. *qu.* 6. & in hac specie Rota in Conchen. Archipresbyteratus 29. Novembris 1602. coram Litta, & coram Ludovisio *dec.* 517. *num.* 14. & *seqq.* Sed redduntur suspecti, Farinac. *de testib. quæst.* 69. *num.* 101. Menoch. *de arbitr. cas.* 475. *num.* 7. & *seqq.* Boss. *de oppost. contra Testes num.* 42. Si a quo audiverint non deponant, vel si deponant, an vivant, nec fuerint examinati, Menoch. *loc. cit. num.* 6. & *consil.* 98. *num.* 54. *lib.* 1. Honded. *consil.* 17. *numer.* 46. An tales sint, nominantur, quibus etiam judicialiter examinatus non crederetur, ut plenè Farinac. *dict. quæst.* 69. *num.* 85. & 92.

Minusque probatur simonia ex eo, quod quis per publicas acclamationes ab omnibus vocalibus contra formam *cap. quia propter de elect.* & Concilium Tridentinum electus fuerit. Quoniam aut consideretur publica acclamatio respectu acclamantium, & hæc ad cautelam potius, & probationem virtutum, ac meritorum electi adduci potest, quam ad aliquem illicitum finem præsumendum, argum. Text. *in d. cap. Quia propter*, ibi, *Quasi per inspirationem esset ab omnibus absque vitio celebrata*, & juxta ea, quæ tradunt a Cuch. *instit. major. lib.* 4. *tit. de elect. num.* 26. Sigismund. a Bonon. *de elect.* & *potestat. Prælat. par.* 1. *dub.* 2. *num.* 5. & 6. Moron. *resp.* 72. *n.* 15. aut respectu ipsius Præsulis, qui ex nominatione electi in Provincialem causa fuit, ut acclamaretur ab Electoribus, & hæc nominatio, vel notari prætenditur ad finem inducendi aliquem defectum in electione, posteà subsequuta in personam e jusdem nominati, & non videtur subsistere, cùm nullatenus dici possit impedita libera facultas eligentium in scrutinio secreto, quod est finis, ac intentio Concilii Tridentini *sess.* 25. *cap.* 6. *de regular.* disponentis, quod ad electionem procedatur per vota secreta, itaut nomina eligentium nunquam publicentur, ut advertit Sigismund. *loc. cit. num.* 7. & Moron. *ibid. num.* 32. qua de re nos alibi. 13

Aut id adducitur ad arguendum crimen simoniæ, quod scilicet moveri potuerit Præses Capituli ad nominandum electum propter aliquod lucrum. Hæc autem præsumptio, uti levissima, ac remotissima, nullius est considerationis, debetque cedere alteri præsumptioni ex eodem actu nominationis provenienti, quod scilicet ad nominandum electum motus fuerit ex zelo Religionis, ac justitiæ, propter ejus singularia merita, morum honestatem, ac virtutum decora ex regula, quod ubi ex aliquo actu duplex oriri potest præsumptio, altera delicti inclusiva, altera exclusiva, illa recipitur, quæ delictum excludit, Cacher. *consil.* 64. *num.* 57. *in fin.* & *consil.* 65. *num.* 40. *lib.* 1. Mascard. *concl.* 864. *num.* 30. *lib.* 2. Grammat. *dec.* 18. *num.* 5. Et quod ad actum faciendum potius ex causa licita, & excludente delictum quis motus fuerit, quàm ex causa illicita, Abb. *consil.* 68. *col.* 2. *lib.* 1. Ruin. *consil.* 4. *num.* 19. *lib.* 5. Farinac. *qu.* 81. *n.* 19. & *seqq.* ubi quod talis præsumptio est adeò potens, ut prævalere etiam debeat, dato, quod in contrarium concurreret pro delicto aliqua specialis præsumptio ex Menocchio, Rolando, Garzia, Alziato, & aliis ibi allegatis, idque tutius, attentis meritis nominati, ex traditis a Farinac. *d. qu.* 85. *num.* 24. & *seqq.* & Mascardo *concl.* 1224. *num.* 26. 14

Dicunt forsitan Testes, quod Electores ex hac nominatione, & acclamatione publica perterriti fuerint, & propterea non fuerint ausi contradicere. Nam id non pertinet ad simoniam, sed ad nullitatem electionis, quam, ne quidem probant. Quia non quod ipsi testes perterriti fuerint deponunt, sed quod alii. Quod est prorsus hariolari contra Textum *in l. solam Cod. de testib.* & *canon. si Testes §. sola* 4. *qu.* 3. traditque Farinac. *consil.* 125. *num.* 31. ubi quod sic deponere non est hominis, sed pecoris. 15

Præterea metus tunc pro nullitate actus, & electionis adduci potest, quando talis probatur, qui cadat in constantem virum, per Textum *in cap. ubi periculum §. Cæterum de elect. in* 6. Gloss. *in cap. bonæ*, *v. metuebant cod. tit.* Navar. *lib.* 1. *consil.* 5. *num.* 2. *de elect.* Alter. *de censur. tom.* 2. *tit. de susp. disp.* 13. *cap.* 5. Sigismund. *loc. cit. part.* 2. *dub.* 52. *num.* 4. & fusius *dub.* 54. ubi quod sola reverentia non inducit per se sufficientem metum, sed necesse est, quod minans sit potens minas exequi, immò, & quod etiam sit solitus, vel saltem quod revocetur in dubium. 16

Ex verbis autem illis, *Volo mille aureos ab eo, qui vult eligi in Provincialem*, pactum non inducitur, atque adeò nec simonia, neque alteri nocere possunt, si probaretur, 17

quam proferenti ex Farinac. *consil.* 75. *num.* 7. Præsertim si Testes id deponant de auditu non a Præside, sed ab iis, qui examinari potuerant, & non fuerunt examinati, quo in casu nedum non probare, nec aliquod indicium facere, sed urgentem ex eo nasci suspicionem contra denunciatores, & accusatores, probat Menoch. *consil.* 98. *num.* 54. *lib.* 1. & *consil.* 207. *num.* 36. *lib.* 3. & *consil.* 410. *num.* 53. *lib.* 5. Farinac. *q.* 69. *num.* 38. & fusiùs *n.* 92. & *consil.* 182. *num.* 15.

18 Minus etiam simonia deduci potest ex pecunia, quam in mutuum accepit Provincialis post munus Provincialatus assequutum. Ex hoc enim simoniam non probari, esto, quod Præsidi soluta fuerit pecunia, supra ostendimus ex Farinac. *dec.* 234. *num.* 10. *post.* 2. *vol. consil.* Pegna *dec.* 211. *num.* 3. Rota *decis.* 93. *num.* 13. *p.* 4. *tom.* 2. *recent.* Quia non probatur pactum præcedens, nec aliqua pecuniarum summa conventioni correspondens in vim præcedentis pacti soluta ex Loter. *de re benefic. quæst.* 29. *lib.* 3. *num.* 150. Ludovis. *dec.* 238. *num.* 9. & aliis superius allegatis. Præsertim si probetur in aliam causam pecunias mutuò acceptas, expensas fuisse, in quo casu nulla prorsus dubitatio, vel suspicio subesse potest, Rota in Consentina prætensæ residentiæ 4. Februarii 1591. coram Orano, & in Melitensi Canonicatus 6. Martii 1595. coram Rodiensi, & apud Ludovisium *d. dec.* 238. *num.* 7.

19 Non item deducitur simonia ex confessione extrajudiciali ipsius electi, quam Testes deponunt, ex qua probari simoniam voluit Rota *dec.* 9. *num.* 2. Nam contrarium asserunt Mascard. *concl.* 347. *num.* 13. & 57. Herculan. *de negativ. num.* 198. *in fine*, qui testantur de magis communi, Gabr. *tit. de confess. concl.* 1. *num.* 63. Farinac. *consil.* 75. *num.* 8. Ludovis. *dict. decis.* 238. *numer.* 10.

20 Nec obstat Rota in allegata *decis.* 9. Quia in illa civiliter agebatur, ut *num.* 4. & pro nullitate pensionis, non ad privationem, vel criminaliter, ut advertit ibi Additionator *lit. A.* & tunc demum confessio extrajudicialis plenè probat, præbetque indicium, aut semiplenam probationem, quando testes, qui super ea deponunt, sunt contestes, ac omni exceptione majores, Guazzin. *defens.* 32. *cap.* 34. *num.* 13. & 14. Chartar. *dec.* 60. *n.* 7. & *decis.* 62. *num.* 10. Lotter. *lib.* 3. *qu.* 29. *num.* 58. non autem singulares, & non contestes in omnibus, ut Doctores requirunt, Guazzin. *d. cap.* 34. *num.* 13. & Chartar. *d. decis.* 92. *num.* 11. nec inimici, qui a testando penitus rejiciuntur, Sanfelic. *decis.* 174. *num.* 3. & Ludovis. *cit. dec.* 517. *num.* 7.

21 Ac, itaut ne quidem suffragetur, si testes amicos se profitentur; quia non idcircò inimici non sunt, talesque æstimandi, si constiterit inimicitia, odium, vel causa odii, Farinac. *consil.* 216. *num.* 11. Giurb. *consil.* 37. *num.* 22. Mellin. *dec.* 316. *num.* 10. Eòque magis sunt vitandi, cùm inimicitiam occultando, quærant inimico magis nocere, Mellin. *loc. cit.* Facta enim repugnant assertioni, ut ait Mellinus, qui verbo occultant inimicitiam, & uti secretos accusatores inimicos se profitentur, Ludovis. *d. decis.* 317. *num.* 11. Eòque magis Testes prædicti rejiciendi sunt, si propria subscriptione post electionem contrarium testati fuerint, Rota *decis.* 163. *n.* 27. & *decis.* 581. *num.* 34. *par.* 4. *tom.* 3. *recent.* Gail. *de credit. cap.* 3. *tit.* 1. *num.* 602. & 605. ac etiam uti instigatores, & accusatores *l. Generaliter*, *Cod. de non num. pecun.* ibi, *Nimis enim indignum esse judicamus, quod sua quisque voce dilucidè protestatus est, id in eumdem casum infirmare, testimonioque proprio resistere.*

22 Minus deduci potest simonia ex eo, quod Præses recusaverit in Provincialem eligi, offerentem solvere minorem summam, si id deponatur per eosdem testes, & solùm de auditu, & fama, ex qua nec dici potest probari simonia, Coccin. *dec.* 69. *num.* 10. Marescott. *cap.* 35. *num.* 22. *lib.* 2. Farin. *dec.* 111. *num.* 8. *post.* 1. *vol. consil.* & *consil.* 73. *num.* 32. Ludovis. *d. dec.* 517. *num.* 23. Maximè si a quo audiverint, non deponant, vel talem nominet, cui etiam judicialiter id deponenti non crederetur, Farinac. *consil.* 182. *num.* 15. & *q.* 69. *num.* 75. 76. & 85. & *consil.* 73. *num.* 58. & 113. & ipsimet de auditu deponentes suspecti sunt, Farinac. *d. q.* 69. *num.* 94. ubi quod Testes de auditu, & fama in casu, quo admittuntur, debent esse omni exceptione majores, Capyc. Latr. *dec.* 162. *num.* 36. Sicque contra famam prædictam urgeat depositio Testis pro fisco examinati, plenè concludentis optimam famam electi, quæ contrariam famam evertit, Chartar. *dec.* 87. *num.* 22. & *seqq.* Farinac. *consil.* 161. *num.* 10. & *consil.* 147. *n.* 34.

23 Multò minus deduci potest simonia ex Capsula Præsidentis, quam gravem, & pecuniis plenam ex suo judicio, & auditu deponunt aliqui testes, quibus credi magis non potest, quàm iis, a quibus dicunt se audivisse ex Morono, Farinacio, Capycio, & aliis allegatis, ne inquiunt, copiæ magis credatur, quàm originali. Debent igitur examinari testes, a quibus dicunt audivisse, qui si examinati nihil amplius deponant, quàm vidisse capsulam prædictam, nullam inducerent pravam suspicionem, ut liquet ex *l. merito*, *ff. pro socio*, & ex planè traditis a Farin. *q.* 85. *n.* 19. & *seqq.* ubi quod si ex facto duplex potest desumi præsumptio altera boni, altera mali boni prævalet ad exclusionem mali, Rota *dec.* 519. *n.* 10. *par.* 2. *recent.* ubi quod præsumptio est irrevelans, atque inefficax, quæ fundatur in eo, quod potest esse, & non esse. Præterea etiamsi probata fuerit pecuniarum existentia, nulla ex ea præsumptio simoniæ admitti potest. Esset enim præsumptio de præsumpto, quæ de jure non datur *l.* 1. *Cod. de dot. promis. l. si servum filii*, *ff. de leg.* 1. Farinac. *consil.* 55. *num.* 25. & *consil.* 127 *num.* 7. Merlin. *dec.* 409. *num.* 6. Peregr. *consil.* 2. *num.* 14. *lib.* 6. ac Rot. *decis.* 69. *num.* 14. *post.* 1. *vol. conf.* Farinacii.

Nec simonia deduci potest ex eo, quod Præses in Capitulo reservare fecerit in pectore Generalis aliqua officia, quæ ipse post biduum distribuit cum publica voce, quod pretio vendiderit. Quia modum istum eligendi, ac providendi, quatenus respicit electiones, validum esse, fatentur omnes, si, nemine dissentiente, in aliquem, vel aliquos compromittatur de persona eligenda, ex *cit. cap. Quia propter*, ibi, *Vel saltem aliquibus viris idoneis committatur eligendi potestas*, *cap. in causis*, ubi Panormit. *num.* 2. *cap. Cùm in jure*, & *cap. Cùm dilectus*, ibique Butr. *num.* 2. *de elect.* Silvest. *v. electio* 2. *q.* 15. *num.* 18. Rota in Metensi Monasterii 5. Julii 1621. coram Coccino *§. penultimo*, solumque difficultas est, ubi aliquis ex electoribus, & compromissariis dissentiat. Quo in casu distinguit Sigismundus inter compromissum limitatum, & absolutum, ut *in dict. tractat. de elect. dub.* 21. *cap.* 3. *num.* 1. & *seqq.* Minimè obstante, quod ipsemet Generalis postmodum non elegerit, sed Præses ejus vices gerens, cujus electioni acquieverint, Panormit. *in cap. Qui matrimonium*, & *in cap. cùm olim de causis possess.* & *propriet.* Cucch. *instit. major. tit. de confirmat. num.* 43. ac fusè Sigismund. *dub.* 48. ubi, an, quomodo, & intra quod tempus possit opponi. 24

Quod verò ad publicam vocem, & famam, in qua tota ferè simoniæ inquisitio sæpè fundatur, sit prima assertio. Fama non probat simoniam, etiamsi esset legitimè probata, Ludovis. *d. decis.* 517. *num.* 23. & Marescott. *lib.* 2. *cap.* 35. *n.* 22. Farinac. *dec.* 111. *n.* 8. *post.* 1. *vol. consil.* Quoniam si in aliis causis civilibus semiplenam tantùm inducit probationem. Surd. *consil.* 94. *num.* 49. in criminalibus, nec semiplenè probat, maximè ubi agitur de simonia ad effectum privationis, Rota *decis.* 358. *n.* 8. *p.* 2. *recent.* 25

Secunda assertio. Fama tunc indicium præbet in criminalibus, quando Testes de illa deponentes, idonei sunt, & omni exceptione majores, Mascard. *conclus.* 749. *num.* 37. Farinac. *quæst.* 47. *num.* 210. Capyc. *decis.* 163. *num.* 36. licèt verius sit eam indicium non præbere, sed tantùm alias probationes coadjuvare ex Farinac. *d. qu.* 47. *num.* 50. ac Giurb. *consil.* 62. *num.* 6. Secus autem si Testes super fama tales non sunt, sed odiosi, qui recipi non possunt, nec recepti afficiunt reum, Rota *d. dec.* 358. *n.* 4. Mellin. *dec.* 316. *num.* 10. Giurb. *consil.* 37. *num.* 33. Sique aliis defectibus notentur, ex quibus omninò rejiciuntur, Merlin. *dec.* 279. *num.* 5. Sperell. *dec.* 79. *numer.* 50. Præcipuè si famam simoniæ deponentes, statim post electionem propriam culpam, ac turpitudinem allegent. Nam si verè simonia fuerit commissa, debeant contradicere, & opponere, non testificari contrarium, sicque modò repellendi sunt, Sigismund. *de elect. cap.* 7. *dub.* 48. *num.* 5. 26

Tertia assertio. Probatio hujus famæ falsa præsumitur, & ad subornationem, si contrarium post absolutam electionem Patri Generali testati fuerint, Gail. *de cred. cap.* 3. *tit.* 1. *num.* 602. & 605. Rota *dec.* 263. *num.* 27. & *decis.* 581. *num.* 34. *par.* 4 *tom.* 3. *recent.* 27

Quarta assertio. Fama tunc admittitur, cùm nominentur personæ, a quibus ortum habuit, ipsæque tales sint, quibus credi possit, ac fides adhiberi, Farinac. *consil.* 73. *numer.* 58. & 113. & 162. non autem quando vel neminem allegant, vel tales, quibus credi non potest, 28

Denique corruere videtur tota inquisitio, si accusator ad pœnam talionis, vel ad aliam Judicis arbitrio se non subscripserit, *cap. licet nullus de simon. cap. dudum* 2. *de elect.* & *cap. super his de accus.* ibique Budrig. *num.* 2. Rota coram Crescentio *in manuscriptis dec.* 159. & *in Hispalen. beneficii de Carmona* 13. *Februarii* 1581. & Farinac. *d. consil.* 83. *num.* 23. 29

Porrò

30 Porrò in pacto illo: *Elige tu illum, & ego eligam iſtum, quem tu mihi proponis*, intervenit ſimonia, ſi pactum ſit de electione ſecundùm ſubſtantiam, etiamſi non commutetur cum re ſpirituali. Quia ſimonia non ſolùm dicit, quod ſpirituale commutetur cum temporali, ſed quod ſpirituale ſubjiciatur contractui humano. Immò in hoc præcipuè conſiſtit ſimonia. Quia hæc eſt præcipua injuria, quæ fit rei ſpirituali, & per hoc præcipuè invertitur debitus ordo rerum. Sicuti enim ſpiritualia ſunt in ordine ſuperiori, & elevant hominem ad participandum aliquo modo in eſſe divino; ita ſi humano contractui ſubjiciantur, invertitur iſte ordo, & homo utens ipſis indebitè, avertitur ab ultimo fine, quia non tendit in ipſum juxta exigentiam rerum ſpiritualium: Hinc Matth. 10. *verſ.* 18. *Gratis accepiſtis, gratis date*, per quod prohibetur omnis contractus circa ſpiritualia, & proindè etiam *in cap. pactiones de pact.* damnatur, ut illicitum omne pactum, & omnis conventio circa ſpiritualia.

31 Si verò ſermo ſit de commodo electionis, videtur non intervenire ſimoniam, ſi de ipſo Electores paciſcantur per ſe loquendo. Quia tale commodum eſt quid temporale. Unde ſi unus elector percipiat commodum ex una electione, alter ex alia, ſi de hoc commodum invicem paciſcantur, non committunt ſimoniam.

32 Verùm id ſolùm habet locum, ſi commodum electionis ſeparari poſſet ab electione; quia tunc ſolùm eſſet commutatio temporalis pro temporali. At quia conjungitur cum electione, ut effectus cum ſua cauſa, qui non poteſt haberi, niſi per poſitionem cauſæ, nempè electionis, ideò paciſcens de tali commodo, implicitè paciſcitur de electione, ac proindè tale pactum eſt illicitum, quia venit in contractum ipſa electio.

33 Ex quibus diluitur ſententia negativa, qua tradunt Aragon. 2. 2. *q.* 100. *ar.* 1. Victoria *in relect. de ſimon. num.* 17. Sot. *lib.* 9. *de juſt. & jur. q.* 5. *art.* 2. *ad* 3. Sanhez *tom.* 2. *opuſc. lib.* 2. *cap.* 7. *dub.* 44. *num.* 3. *aliique recentiores*. Nam inquiunt, nihil temporale datur pro ſpirituali, ſed ſpirituale cum ſpirituali commutatur.

34 De pactione autem mutua electorum de commodis electionis, nempè de utilitate, quæ percipitur ex electione facta in tali, vel tali perſona, ut eſſet gratificare amicum, conſtituere aliquem in officio, a quo ſperare poſſis aliqua beneficia, & hujuſmodi alia, diſtinguendum puto. Aliud eſt paciſci de commodo electionis. Aliud eſt proponere mutuum commodum electorum, ſi eligantur hæ, vel illæ perſonæ, ſeu ſi oſtendatur voluntas eligendi aliquem, ſi talis tamen prius eligatur. Primo modo inducitur obligatio, quæ ſequitur ex natura pacti. Poſteriori autem modo non inducitur, ſed ſolùm eſt quædam, veluti ſuaſio, qua electores inducantur ad eligendum aliquem, oblata ſpe alicujus commodi, quod ſequatur ex alterius electione, remanent tamen plenè liberi.

35 Atque hic poſterior modus eſt de ſe licitus, ſolumque vitiari poteſt ratione mali finis, ac circumſtantiarum. Nam continet tantùm quamdam ſuaſionem, quæ de ſe non eſt mala, ſed tantùm ex objecto, & fine malo vitiari poteſt.

36 Neque hoc pactum eſt contra jura prohibentia procurationem ſuffragiorum, ac præcipuè contra Conſtitutionem Clementis VIII. editam ſub die 20. Martii 1601. quæ incipit; *Nullius omninò*, §. *ut officiorum ambitus*, in qua prohibetur tàm directa, quàm indirecta ſuffragiorum procuratio, tàm pro ſe, quàm pro aliis. Solùm enim Pontifex prohibet illam ſuffragiorum procurationem, quæ ordinatur ad malum finem, ut ſi aliquis indignus eligatur, aut aliquo alio pacto electio præjudicium patiatur. Nam procurare ſuffragia, ut dignus eligatur, eſt laudabile. Unde licet proponere merita, quibus aliquis redditur dignus electione.

37 An autem poſſint electores invicem paciſci de commodo electionis, itaut Petrus eligat Antonium, ſecluſa tamen injuria electionis, negativè reſpondendum cenſeo. Quia tale pactum deſtruit naturam electionis, quæ cùm fiat mediante ſuffragio, debet elector libero modo ſuffragari, cùm de ratione electionis ſit, ut libera ſit. Poſito autem tali pacto, non eſſet liberum ſuffragium. Quia elector ſuffragaretur ex obligatione contractus. Nam pactum de commodo electionis obligaret ſuffragium.

38 Quod autem ad pactum: *Elige me in Generalem, & ego eligam te in Guardianum*, & è contra, ſi eſt tantùm de commodo electionis, ut jam diximus, videtur poſſe cenſeri licitum de ſe, atque adeò poſſe aliquos ita paciſci, ſuppoſito tamen, quod utraque electio ſit aliàs de ſe licita, & honeſta, & ut talis ab utroque habeatur, alioquin eſſet pactum de re illicita. Nam etiam commodum electionis eſt illicitum, quando ſequitur ex electione illicita.

39 Quia tale commodum eſt aliquid temporale, & ſupra ipſum cadit pactum, & nullum præjudicium infertur electioni, quia de ſe ſupponitur honeſta. Et ſicuti ſi tale commodum eſſet ſeparatum ab electione, poſſet eſſe objectum pacti abſque ullo ſcrupulo, ita etiam ſi ſit connexum electioni. Quia quæ ſunt de ſe objectum contractus, adhuc de ſe ſunt talia, quando ſunt annexa ſpiritualibus, & poſſunt ſimul cum ſpiritualibus, quibus ſunt annexa, permutari, dummodò contractu diſtincto fiat permutatio, itaut contractus cadat præcisè ſupra temporalia *cap. ad quæſtiones de rer. permut.*

40 Verùm hoc minimè obſtante, hujuſmodi pactum eſt illicitum. Rationem ſuperius attulimus. Quia obligat ante electionem ſuffragium, atque deſtruit naturam electionis, quæ exigit, ut ſuffragia ſint libera. In hoc autem caſu ſuffragia non eſſent libera, quia electores ſuffragium ferrent ex obligatione pacti. Quia dum ſe obligarent ad commodum electionis, ſe etiam obligarent ad ſuffragium, tanquam ad cauſam, qua mediante tenerentur ad commodum electionis. Et proinde Sacrum Concilium Tridentinum *ſeſſ.* 25. *cap.* 6. *de regul.* præcipit, quod ſuffragia ſint ſecreta, ut poſſit illorum libertas ſervari.

41 Facitque *can. ſi quis objecerit* 1. *q.* 3. ubi habetur: *Qui unum vendit, ſine quo nec alterum provenit, neutrum inventum derelinquit*. Ex hoc enim ſignificatur illa connexio, qua res ex natura ſua inſeparabiliter connectuntur, & ideò eo ipſo, quod una eſt objectum contractus, eſt etiam altera. Quia non poſſunt ſeparari, ut eſſet obligatio ad actum ſpiritualem, quæ non eſt ſeparabilis ab ipſo actu. Unde caderent ſub contractu ſecundùm ordinem ad ſpiritualia. Quod etiam contingit in illis, quæ ſunt ſeparabilia, quando ob connexionem cum ſpiritualibus pluris æſtimantur. In hoc autem caſu commodum electionis inſeparabiliter connectitur cum electione ut effectus cum ſua cauſa. Et ideò ſi venit in contractum, venit etiam electio, ut connexa cum commodo.

42 Quod autem liceat electori, qui vult eligere indignum, aut minus dignum, offerre pecuniam, ne eligat, tradunt Innocen. *in cap. nemo de ſimon.* Adrian. *quodlib.* 9. Valentia *tom.* 3. *diſp.* 6. *q.* 16. *punct.* 2. Sot. *lib.* 9. *de juſt. & jur. q.* 6. *ar.* 1. *dub. ult.* Navarr. *in ſumm. cap.* 23. *num.* 102. Leſs. *lib.* 2. *de juſt. cap.* 35. *dub.* 9. Laym. *lib.* 4. *theol. mor. tract.* 100. *c. ult.* §. 2. *num.* 23. Suarez *tom.* 1. *de relig. lib.* 4. *de ſimon. cap.* 50. *num.* 36. Villalob. *tom.* 2. *ſumm. tract.* 37. *diſp.* 23. *num.* 1. *p.* 2. *ſumm. tract.* 12. *poſt cancl.* 9. Cajet. *opuſc. de ſimon. q.* 3. Bonac. *tom.* 1. *diſp.* 1. *de ſimon. q.* 6. *punct.* 5. *num.* 11. Aragon. 2. 2. *q.* 10. *art.* 2. *dub. ultim. concluſ.* 1. Palaus *p.* 3. *tract.* 17. *diſp.* 3. *dub.* 20. *num.* 8. Reginal. *lib.* 23. *prax. for. pœnit. num.* 133. Hurtad. 2. 2. *diſp.* 173. *ſect.* 17. §. 234. Pontius *lib.* 5. *de matrim. cap.* 18. §. 6. *n.* 43.

Nam, inquiunt, offerre pecuniam ad impediendam electionem indigni, aut minus digni, eſt minus malum, quàm ſi eligatur indignus. Quia in illo caſu elector peccat contra juſtitiam diſtributivam, remanet obligatus ad reſarcienda omnia damna, peccat contra charitatem debitam Eccleſiæ, ſeu Communitati, cui talis electio eſt valdè noxia. Unde ait Pontius, licet offerre materiam minoris peccati.

43 Hæc ſententia probabilior eſt. Difficultas eſt in reddenda ratione fundamentali. Quidquid enim ſit, an liceat offerre materiam minoris peccati. Si enim hoc verum eſt, tunc ad ſummum valet, quando in offerenda tali materia non committitur peccatum. At quando offerri non poteſt, quin ipſa oblatio ſit peccatum, tunc nullo modò licet. Quia peccatum nunquam de ſe eſt licitum. Offerre autem pecuniam electori pro electione facienda, etiamſi per hoc impediatur electio indigni, aut minus digni, eſt ita malum, ut nullo extrinſeco fine honeſtari poſſit. Quia electio compenſatur pretio, atque adeò ſpirituale temporali.

44 Vera igitur ratio eſt, quia talis actus habet objectum honeſtum, unde erit actus honeſtus. Nam actus ſumunt honeſtatem, vel turpitudinem ab objecto. Objectum autem talis actus non eſt pecunia compenſare ſpirituale, aut per ipſam ſternere ſibi viam ad ſpirituale, ſed expellere a Judice malam diſpoſitionem, & ita eum allicere, ac benemereri animum ipſius, ut recedens a pravo ſenſu conſtituatur in debita rectitudine, ac diſpoſitione, quam quilibet elector debet habere, & ut ſic diſpoſitus procedat rectè in electione, eligendo quem debet eligere. Quare cùm objectum ſit bonum, ac etiam finis extrinſecus, actus erit undequaque licitus.

45 Atque ex his ſolvitur ratio contrariæ ſententiæ, nempè

Gloss. *in cap. nemo de simon.* Sylvest. *verb. Simonia quæst.* 9. Gabr. *in* 4. *d.* 25. *quæst.* 2. Palud. *quæst.* 5. Sanch. *lib.* 2. *opusc. cap.* 3. *dub.* 30. *num.* 60. Molos. *in summ. tr.* 15. *num.* 16. Dian. *part.* 1. *tract.* 14. *resol.* 1. Quia dicunt, hoc esset, mediante pecunia, munire viam ad acquirendum aliquod spirituale, atque adeò spirituale compensaretur pecunia. Non enim sic munitur via ad spirituale, sed tollitur impedimentum obstans rectæ electioni.

37 Estque notandum cum Cajetano, Aragono, Palao, Ledesma *loc. alleg.* & cum Majore *in* 4. *dist.* 25. *quæst.* 5. *ad* 2. licitum esse offerre pecuniam, ut eligatur aliquis dignus in communi. Quia hoc est redimere vexationem Ecclesiæ, quæ cùm habeat jus, ut eligantur digni, redimi potest injusta ipsius vexatio. Quæ sanè ratio vera est, non autem, quam tradit Villalobus, inquiens, quod idem est offerre, ut non eligant indignum, & ut eligant dignum. Est enim longè diversum. Nam offerre ne eligant indignum, est impedire malum. Offere autem, ut eligant dignum, est pretio procurare bonum. Unde nisi reducatur ad redemptionem vexationis, esset compensare pretio electionem.

38 Si autem electores velint eligere indignum, aut minus dignum, non licet offerre illis pecuniam, ut eligant aliquem dignum determinatè. Ita Suarez *tom.* 1. *de relig. lib.* 4. *de simon. cap.* 50. *num.* 28. & 41. Less. *lib.* 2. *de just. cap.* 35. *num.* 106. Laym. *lib.* 4. *theol. mor. tract.* 10. *cap. ult. §.* 2. *num.* 23. Pont. *lib.* 5. *de matr. cap.* 18. *§.* 6. *num.* 44. Cajet. *dict. opusc. de simon. quæst.* 3. Ledesm. *par.* 2. *summ. tract.* 12. *post concluf.* 29. Villalob. *par.* 2. *summ. tract.* 37. *diff.* 25. *num.* 3. Aragon. *de just. & jur. quæst.* 100. *art.* 2. *dub. ultim. concluf.* 3. Reginald. *lib.* 23. *prax. pœnit. num.* 133. Bonac. *tom.* 1. *disp.* 1. *de simon. quæst.* 6. *punct.* 5. *num.* 11. Sotus *lib.* 9. *de just. & jur. qu.* 6. *art.* 1. qui addit, quod quando plures digni sunt, non licet hoc facere in favorem dignissimi. Quia directè tribueretur pecunia pro ipsa electione: unde spirituale compensaretur pretio. Addo. Quia non potest intendi, quod quis determinatè ex pluribus eligatur, nisi intendatur electio ipsius determinatè. Unde pecunia offerretur pro ipsa electione. Quia offerretur pro eo, quod intenditur.

39 Hanc sententiam ita nonnulli limitant. Quando contingit, quod electores nollent eligere dignos ex malo affectu erga ipsos, tunc licet offerre pecuniam pro aliquo digno determinatè, ut ipsis concilientur electores, & reducantur ad debitam dispositionem, non tamen, ut ipsum eligant. Tenentur enim electores habere bonam dispositionem erga eligendos, & peccant, quando prætermittunt dignos, & eligunt indignos, aut minus dignos, præsertim ex malo affectu. Cùm autem actus dandi pecuniam pro conciliandis electoribus alicui ex eligendis, habeat objectum bonum, atque etiam finem, erit actus bonus, atque adeò licitus.

40 Neque hoc est alicui procurare electionem, sed tantùm procurare bonam affectionem electorum erga ipsum. Quod si ex hac bona affectione sequitur electio, id est per accidens. Nam est in potestate electorum quemlibet ex dignis eligere, neque cùm ipsis sit pactum, quod talem determinatè eligant, sed ad summum, quod erga talem, deponant malum animum.

Ex quibus notandum est cum Ledesma *loc. cit.* quod postquam data est pecunia, ne eligant indignos, sed dignum in communi, licet bona fide, ac debitis mediis procurare electionem digni in particulari. Quia uterque actus ordinatur ad alium.

41 Quando verò ex eligendis unus est tantùm dignus, licet offerre electoribus pecuniam, ne indignos eligant, non autem, ut illum solùm eligant, qui dignus est. Ita Valent. *tom.* 3. *disput.* 6. *quæst.* 76. *quæstiunc.* 4. & Laym. *loc. cit.* Quia tunc non datur pecunia pro electione personæ determinatæ, sed tantùm, ne eligantur indigni, & per accidens censetur; si unus solus dignus sit, qui possit eligi.

42 Hæc sententia præ cæteris probabilior videtur, quia tribuit actui objectum honestum. Est enim honestum impedire malum, quoad fieri potest, & iis omnibus mediis impediri potest, quæ ex natura sua non sunt mala. Ex natura autem sua non est malum aliquem promoveri pecuniis, ac muneribus, ut sibi complaceat, abstinendo a malo. Unde per hoc medium poterit impediri mala electio. Neque enim aliquid spirituale compensatur pecunia, sed datur pecunia, ne aliquod malum fiat.

43 Esse autem licitum, quando electores subornantur vi, aut fraude, redimere pecuniis hanc vexationem, quando subornans adhibens vim, aut fraudem, non est unus ex electoribus, docent Sot. *lib.* 9. *de just. & jur. quæst.* 6. *art.* 1. *ad* 5. Less. *eodem tit. lib.* 2. *cap.* 15. *dub.* 18. *num.* 19. Ugolin. *tab.* 1. *de simon. cap.* 9. *§.* 9. *num.* 3. Valent. *tom.* 3. *disput.* 6. *quæst.* 16. *punct.* 3. *concluf.* 2. *circum.* 2. Suar. *lib.* 4. *de relig. cap.* 50. *num.* 2. Laym. *d. §.* 22. *num.* 22. Gordon. *lib.* 8. *theol. moral. quæst.* 8. *cap.* 18. *num.* 54. Aragon. *d. qu.* 100. *art.* 2. *in dub. circa fol.* 5. Quia hoc est purè redimere injustam vexationem, & non datur pecunia ad obtinendum auxilium pro electione, sed tantùm ad vitandum nocumentum. Secus autem, inquiunt, si subornans prodesse possit, ut si sit elector. Debet enim intelligi de eo, qui potest prodesse cooperando per se ad actum electionis; quia tunc censeretur pecunia offerri, ut processet, atque adeò in ordinem ad electionem.

At verò esse licitum, etiam quando subornans vi, aut 45
fraude prodesse potest, itaut sit elector, docent Sylvius 2. 2. *quæst.* 100. *art.* 2. *concl.* 3. Aragon. *in dub. circa fol.* 2. Malder. *tract.* 9. *cap.* 2. *dub.* 17. Less. *lib.* 2. *cap.* 35. *dub.* 17. Ugolin. *d. tab.* 1. *disp.* 1. *de simon. quæst.* 6. *punct.* 5. *num.* 6. *ac* 7. Coelestin. *in compen. theol. mor. tract.* 7. *c.* 4. *num.* 9. Sanch. *lib.* 2. *conf. mor. cap.* 3. *dub.* 30. *num.* 5. & 9. Quæ sententia valdè probabilis est, eamque sequitur Palaus *par.* 3. *tr.* 17. *disp.* 3. *de simon. punct.* 20. *n.* 4.

Non enim datur pecunia illi, qui prodesse potest, ut 46
prosit, sed tantùm ob redimendam ipsius injustam vexationem. Habet enim jus sibi a natura concessum se, suaque defendendi, atque adeò potest redimere quamcunque vexationem sibi noxiam, sive directam, sive indirectam.

Posse etiam absolutè redimi vexationem, etiam quan- 47
do subornans potest prodesse, & est unius ex electoribus docent Villalob. *tom.* 2. *summ. tract.* 37. *diff.* 3. *n.* 3. citans Aragonam Sanch. *d. dub.* 30. *num.* 5. Fernannandez *par.* 3. *exam. theol. mor. cap.* 32. *num.* 28. Dian. *par.* 5. *tract.* 14. *resol.* 2. Suar. *d. cap.* 50. *num.* 28. & Palaum *loc. cit. num.* 6.

Prior pars assertionis probatur. Quia quando vexa- 48
tio hujusmodi fit ab eo, qui non potest prodesse electioni, habet meram rationem nocumenti; Unde qui læditur, potest uti jure naturali, quod habet ad se defendendum, & ad avertendum a se quodlibet malum. Neque medium, quod adhibetur, est malum. Quod pretio obtinetur, non est quid spirituale, nec quid connexum per se cum se ipso, neque consequens per se ad ipsum. Quia remanent Electores in eo statu, in quo essent, si non fieret subornatio, sed tantùm, quod subornans deponat pravum animum subornandi.

Altera pars ita probatur. Quia licèt, quando subor- 49
nans prodesse potest, quia est elector, censeri posset, quod illa subornatio pertineret ad munus ipsius, ac proindè daretur ipsi pecunia, ut electori, quia tamen subornatio est contra munus electoris, utpotè contraria bonæ electioni, ideò si datur ipsi pecunia ex hoc præciso fine, ut desistat a subornatione, non datur tanquam electori, sed tanquam malè affecto, & in tali casu eadem est ratio de ipso, ac de eo, qui non potest prodesse, ut notat etiam Suarez *loc. cit.* Ideòque hoc licitum est, quia non ordinatur ad acquirendum aliquod spirituale, sed merè ex intentione dantis ad avertendum a se nocumentum. Neque jura, quæ prohibent simoniam, prohibent uti jure proprio naturali ad sui defensionem.

Solumque jura positiva damnant, ut simoniam, re- 50
demptionem vexationis, quando fit in ordine ad obtinendam electionem, sive beneficium. Quia intentio est illa, quæ dat speciem operi. Secus autem est, quando fit solùm in ordine ad constituendum electorem in debita dispositione, & ad amovendam subornationem. Quod si per hoc inclinatur animus electoris ad eligendum, id est per accidens, ac præter intentionem. Unde non potest inficere redemptionem vexationis.

Licitum etiam est procurare pretio, ne impediatur 51
electio, quin juridicè fiat. Hæc assertio est Sylvestri *v. Simonia, qu.* 13. & Sanchez *d. lib.* 2. *conf. mor. cap.* 3. *dub.* 3. *num.* 9. Quia per hoc non obtinetur pretio ipsa electio, sed tantùm redimitur vexatio, quam pateretur Capitulum, si ex malitia alicujus electio non fieret juridicè. Habet enim Capitulum jus ad juridicam electionem, ad quam tenetur concurrere, ipsamque procurare quoad fieri potest. Unde si quis facit, ne juridicè fiat, infert injuriam Capitulo in re gravi, quia, ipsum malitiosè fraudat fine, quem intendit, ac proindè licet redimere hanc injustam vexationem.

Id, quod etiam extendendum censeo cum Sanchez ci- 52
tato, quamvis, ut ipse ait, aliqui Doctores oppositum sentiant, quando agitur de electione alicujus personæ determinatæ; adhuc enim redimitur vexatio, quando datur pretium, ne impediatur, quin electio ipsius juridicè fiat.

fiat. Si enim eligeretur, & non juridicè, adhuc fieret injuria Capitulo, quod ſine ſuo fruſtraretur in tali electione. Nec datur pretium in hunc finem, ut ipſum eligant, ſed ut eligendo, juridicè procedant. Unde manent electores in illa æqualitate, ac diſpoſitione, quam haberent, ſecluſo omni pretio, ſi ad electionem rectè procederent. Quare nulla committitur ſimonia. Quia non trahitur mediante pretio electio ad aliquem.

53 Si autem elector accepit a meo competitore pecunias, aut munera, licet mihi munera, & pecunias ei dare. Eſt Petri Hurtadi *in* 2. 2. *diſput.* 173. *ſect.* 17. §. 243. ubi ait, quod ſi certò ſcio electorem accepiſſe pecuniam, potero indicare animum meum, & oſtendere me eſſe paratum ad dandas pecunias, ſi elector eas voluerit. Quia hoc non eſt provocatio, neque conſilium; abſolutè tamen non licet offerre; quia ego non vexor injuſtè, & elector poteſt eſſe antecedenter determinatus in favorem competitoris ſine ulla injuſtitia; Subdit tamen, non eſſe improbabile, poſſe offerri illam pecuniam; quia quod ego peto, poteſt fieri, & benè, & malè, nempè ut mihi opituletur. Quod ſi malè fit, eſt culpa ipſius, quam ego non tenor vitare cum gravi damno. Eſt autem grave damnum, ut elector ſit a competitore pecuniis devinctus. Neque illi ſum cauſa peccati, quia jam formaliter eſt in peccato. Hactenus Hurtadus. Idem tradit Palaus *d. par.* 3. *tract.* 17. *diſp.* 3. *de ſimon. punct.* 20. *num.* 8.

54 Et quidem hic actus non eſt malus ex objecto, quia non datur pecunia in compenſationem ſuffragii, ac proindè non eſt ſimonia ex objecto; immò eſt bonus, quia dare alicui pecuniam, aut munera ad ſibi ipſius animum conciliandum, eſt actus munificentiæ, ac liberalitatis, quæ eſt ſpecialis virtus. Et licèt procedat ex amore concupiſcentiæ erga ſeipſum, adhuc tamen importat convenientem uſum pecuniæ.

55 Neque eſt malus ex fine. Quia datur pecunia electori ad præponderandam inclinationem, quam habet erga meum competitorem eo, quod pecunias ab ipſo quoque devinctus ſit, qui finis bonus eſt. Quia nihil aliud intenditur, quàm quod ejus animus reducatur ad illam æqualitatem inclinationis, quæ debita eſt in ſingulis Electoribus erga competitores, ut juſta electio ſequatur. Hæc autem æqualitas nedum eſt bona de ſe, ſed etiam neceſſaria pro ipſa electione. Unde qui eam procurat, non facit aliquid in præjudicium bonæ electionis, ſed facit in favorem illius. Nam quoad ſe, procurat, ut juſtè fiat, & non intendit inclinare animum ad eligendum.

56 Electione autem facta a majori parte, committitur ſimonia, ſi datur aliquid electori contradicenti, ut ceſſet a contradictione per Textum *in cap. Matthæus de ſimon.* Quamvis enim electio ſit jam facta, quia tamen contradictio tendit ad illam annullandam, ideò pecunias removere contradictionem, eſt tibi electionem de novo per pecuniam adjudicare. Qua de re infrà.

57 Sed quid ſi contradictio ſit injuſta? Committi ſimoniam, ait Sanch. *d. lib.* 2. *conſ. mor.* 3. *cap.* 3. *dub.* 30. *nu.* 8. Quia hoc pacto paratur via ad electionem, quæ ſtante contradictione, nondum eſt ſub pleno jure electi, adducitque Cardinalem, Panormitanum, & alios *in d. cap. Matthæus*, ac Sylveſtrum *v. ſimonia qu.* 10. ſub initio, & Innocentium *in cap. ſignificaſti de elect.*

58 At verò, id licitum eſſe, quando contradictio eſt injuſta; & non eſſe ſimoniam, tenet Gloſſa *in citat. cap. Matthæus v. majoris*, intelligens Textum ſolummodò de contradictione juſta, quando ſcilicet electo aliquid rationabiliter opponitur, Gloſſ. *in cap. dilectus* 1. *de ſimon.* & tradunt Præpoſ. 1. *qu.* 1. *num.* 3. Suar. *tom.* 1. *de relig. d. lib.* 4. *de ſimon. cap.* 50. *num.* 8. & Palaus *loc. cit. num.* 1. Quæ ſententia probabilior eſt.

59 Nam in hoc caſu licet electo ſe defendere juxta jus, quod habet a natura. Et ideò cùm in contradictione patiatur injuſtitiam, poteſt non modò ſe ab illa tueri, ſed etiam redimere vexationem injuſtam, præveniendo injuſtam turbationem electionis. Quia unuſquiſque habet jus ad manutenendum proprium ſtatum contra omnem injuſtitiam, & proindè habet jus ad manutenendum ſtatum propriæ electionis contra injuſtam contradictionem, eam redimendo.

60 Quod etiam locum habet, quando electio indiget ulteriori confirmatione. Quia tunc non datur pecunia pro confirmatione, ſed pro avertenda injuſta contradictione, quæ fit contra electionem, quæ eſt jam ſub jure electi. Quare defendit quod ſuum eſt.

61 Confirmatur ex communi regula, quod poſt jus acquiſitum liceat pecuniis redimere vexationem injuſtam, quæ fit pro turbando ipſo jure. Eam tradunt Gloſſ. *in can. quæſitum* 1. *qu.* 3. *v. redemptione*, & *in can. decimas* 3. 16. *quæſt.* 6. & *in dict. cap. dilectus* 1. *de ſimon.* ubi Innocent. Panorm. & *alii*, ac D. Thom. 2. 2. *qu.* 100. *art.* 2. *ad* 5. plureſque alii, quos refert, ac ſequitur Suar. *dict. cap.* 50. *num.* 2. Cùm enim quis eſt electus a majori parte, licèt nondum confirmatus, fecit jam ſuam electionem, & ideò poteſt contra injuſtè turbantes illam defendere ac etiam prævenire turbationem dando pecunias.

An autem electus poſſit pretio redimere vexationem injuſtam, quam patitur in confirmatione electionis, ita diſtinguendum eſt. Quando vexatio eſt ab eo, qui poteſt prodeſſe, non licet eam pretio redimere. Quia tunc ille actus tenderet non ſolùm ad vexationem tollendam, ſed etiam ad parandam viam ad confirmationem. Unde ſaltem mediatè ordinatur ad obtinendam confirmationem, quia non daret pecuniam, ſi non vellet obtinere electionem, ac proindè dat ex intentione obtinendi. Si verò vexans non poteſt prodeſſe, quia non pertinet ad ipſum de confirmatione, tunc licet redimere injuſtam vexationem. Atque ita docent Suar. *d. cap.* 50. *num.* 8. citans Præpoſitum, & Bellameram, & proſequuntur Laym. *lib.* 4. *tract.* 10. *cap. ultim.* §. 2. *num.* 22. Gordonius *lib.* 8. *theol. mor. quæſt.* 8. *cap.* 18. *num.* 54. Villalob. *par.* 2. *ſumm. tractat.* 37. *differ.* 30. *num.* 4. Bonac. *dict. tom.* 1. *diſput.* 1. *de ſimon. quæſt.* 6. *punct.* 5. *numer.* 4. 62

Et ſanè quando confirmatio non pertinet ad vexantem, tunc dare pecuniam pro redimenda vexatione eſt pura redemptio vexationis, nec habet admixtum aliquid quod ſpectet ad confirmationem, & alioquin redemptio vexationis eſt juſta, cùm ſpectet ad defenſionem, nec intervenit aliquid ſpirituale, pro quo datur pecunia. Quando autem vexatio injuſta eſt ab eo, ad quem ſpectat confirmatio, eſt eadem ratio, ac de electore injuſtè vexante, de quo diximus ſupra. Quare tenendum eſt, quod etiamſi vexans prodeſſe poſſit, adhuc licet ab ipſo injuſtam vexationem redimere. Quia tunc pecunia non datur pro confirmatione obtinenda, ſed pro removenda injuſta vexatione, & conſtituendo confirmatore in debita æqualitate, quam debet habere. Unde talis actus habet pro objecto aliquid honeſtum, nempè animi æqualitatem in confirmatore, in ipſo neceſſarium, & removere ipſum a malo, ac peccato, in quo eſt, dum injuſtè vexat. 63

Eum autem, qui apud Electores juſtè vexatur, non poſſe redimere vexationem, ut tollat impedimentum propriæ electionis, tradunt communiter Doctores, dum docent abſolutè, non licere redimere vexationem juſtam. Ita Gloſſa *in d. cap. Matthæus verſ. paucis de ſimonia*, Panormit. *in dict. cap. dilectus eod.* ibique Innoc. Abb. *num.* 3. Felin. *numer.* 4. quibus adſtipulantur Redoan. *par.* 3. *cap.* 22. *in fine*, Navarr. *conſ.* 41. *num.* 2. *de ſimon.* Suar. *d. cap.* 50. *num.* 10. Azor. *par.* 3. *lib.* 12. *c.* 3. *qu.* 3. Laym. *d. tract.* 10. *cap.* 8. *num.* 22. Bonac. *loc. cit. num.* 3. Palaus *d. punct.* 20. *num.* 4. ac Reginald. *lib.* 23. *prax. form. pœnitent. num.* 125. 64

Verùm hac in re ita diſtinguendum eſt, quando vexatio juſta injuſta fit, ut ſi fiat ab eo, a quo opponi non poteſt, vel fiat ex malo animo, & non ex intentione bonæ electionis, vel ſi ex aliquo alio capite, tunc pretio redimi poteſt, non ſolùm abſque ſimonia, ſed etiam abſque peccato, ſi cum recta intentione id fiat, nimirum ſi tantùm detur, ut deponatur malus animus, unde provenit vexatio, maneat tamen in ſua libertate. 65

Nam ratione defenſionis, quæ de jure naturali eſt, poſſumus a nobis propulſare omne malum, præſertim quando injuſto modo infertur, etiam ſi alioquin de ſe juſtum ſit. Unde ſi quis mortem mereatur, poteſt ſe defendere contra conantem occidere, ſi injuſto modo velit occidere, quia nimirum non habet poteſtatem occidendi. Unde poteſt etiam propulſare vexationem ſibi injuſtè illatam. 66

Quinimmò quando juſta vexatio juſto modo fit ab eo, qui non tenetur ex aliqua obligatione opponere, eligendo, ut contingit in illis, ad quos non pertinet de electione, ſi fiat redemptio cum debita intentione, nimirum ut intendatur tantùm avertere proprium nocumentum, poteſt etiam pretio redimi. Quia poteſt eligendus uti jure ſuo naturali, quo poteſt ſe defendere, & propulſare omne malum, quod fit a quocunque, cui non ſubjicitur, itaut poſſit ab ipſo puniri, atque adeo omne malum, quod non habet rationem juſtæ punitionis, & poteſt adhibere pecuniam, ut medium indifferens. Tunc enim cùm talis vexatio non ſit juſta punitio, talis actus habebit objectum honeſtum, nempè propulſationem mali per medium licitum. Unde etiam actus licitus erit. 67

Sed quando juſta vexatio eſt ab iis, ad quos pertinet de 68

electione, distinguendum pariter est. Fieri enim potest, quod elector, aut quivis alius, ad quem pertinet de electione, possit, ac debeat opponere, quæ habet contra eligendum, & tunc certum est, non posse pretio redimi hanc vexationem. Qui enim tenetur opponere, quæ habet contra eligendos, peccat mortaliter, si non opponit. Quia in re gravi non satisfacit proprio muneri, & ideò inducere ipsum pretio, aut alio modo ad tacendum, est inducere ad peccatum.

69 Si verò solùm potest opponere, sed non tenetur, quia vel absolutè non habet obligationem, vel ab ipsa excusatur ratione circumstantiarum, tunc est eadem ratio de ipso ac de iis, ad quos non pertinet de electione, ac proinde potest vexatio pretio redimi. Militat enim eadem ratio. Quia nimirum eligendus potest uti jure suo propulsandi malum a se ipso, & potest exigere ab eo, qui illaturus est, ut non inferat, desistendo ab oppositione, a qua cùm possit licitè ex libertate sua desistere, nihil illicitum ab eo exigitur.

70 Quo in casu considerandum est, quod si quæ opponi possunt, reddunt inhabilem pro electione, aut indignum, tunc nullo modo ii, ad quos pertinet electio, tacere possunt. Nam permitterent eligi indignum, & inhabilem. Unde essent authores totius damni, quod ex hujusmodi electione sequeretur, & ideò a nullo induci possunt sive pretio, sive aliquo alio modo, ut taceant. Quia hoc esset, eos inducere ad malum.

71 At si quæ opponi possunt eligendis, non reddunt indignos, aut inhabiles pro munere, ad quod concurrunt, sed tantùm non dignos beneficio electionis, itaut negatio electionis sit potius quædam pœna malis moribus inflicta, quàm aliquid debitum Communitati, tunc licet pretio redimere hanc vexationem, aut alio modo operari, ne ea proferantur, quæ impedire possunt electionem.

72 Nam electores tenentur solùm eligere dignum & habilem ad illud munus, pro quo fit electio, ac proinde tenentur solùm impedire ratione sui muneris, ne eligatur aliquis, qui inhabilis sit, & cujus electio damnosa sit Communitati. Unde quamvis possint, præterquam ex inhabilitate, & indignitate, etiam ex aliis demeritis denegare electionem, non tamen tenentur. Quia sufficit, quod provideant de persona idonea, & consequenter qui novit demerita eligendi, quæ non præjudicant idoneitati, ac bono electionis, non tenetur propalare apud alios electores, ut eos inducat ad denegandam electionem, sed tacere potest. Et ideo si hoc ab ipso exigatur, non inducitur ad aliquod malum, cùm exigatur, quod licitè potest facere.

73 Potest autem vexatio pretio redimi, etiamsi adiri possit superior, aut alio modo vitari. Ita Suarez *d. cap.* 50. *num.* 6. ac Fernandez *p.* 3. *exam. theol. cap.* 14. §. 1. *numer.* 28. Quia nulla adest obligatio, qua teneamur alio modo providere, ne vexemur. Sive enim possimus, sive non possimus alio medio propulsare vexationem, semper hic actus propulsandi est secundùm jus naturæ, quo nobis conceditur defendere nos ipsos, habetque idem objectum, nempe defensionem propriam, sive conservationem proprii status, atque eorum quæ ad nos pertinent. Unde semper de se est actus honestus, habetque objectum honestum, atque adeo est actus licitus, quo hoc ipsum intendimus, ac proinde pro ipso obtinendo possumus applicare quodcunque medium, quod de se malum non sit, & nobis magis expediat applicare.

74 Non obstant Jo: Andr. *in cap. ad aures de simon.* Abb. *in d. cap. dilectus* 1. *num.* 4. *eodem. tit.* ibique Felin. *n.* 3. Rebuff. *in prax. tit. de simon. in renunc. num.* 30. & 31. Redoan. *par.* 3. *cap.* 2. *num.* 17. Bonac. *d. tom.* 1. *disput.* 1. *de simon. q.* 6. *punct.* 5. *n.* 11. Sotus *lib.* 9. *de just. & jur. quæst.* 6. *art.* 1. Reginald. *lib.* 23. *prax. for. pœnit. num.* 133. affirmantes necessarium esse, ut vexatio aliter vitari non possit moraliter loquendo; nam si vitari potest alio modo, ut adeundo superiorem, qui cohibeat vexantes, tunc non liceret illam pretio redimere. Moventur hac ratione, quia quando pretio redimitur vexatio, electio simoniaca est, quantum est ex parte electoris, atque adeo nulla. Non licet autem procurare electionem invalidam, etiamsi adsit intentio procurandi convalidationem a summo Pontifice, nisi adsit urgens causa.

75 Nam hæc ratio solùm militat in redimenda vexatione ab electoribus, quæ nec quidem in hoc casu valida est. Nam esto quod electio ex parte electorum sit simoniaca, non sequitur, quod dans pecuniam, procuret electionem invalidam, sed tantùm procuret impedire propriam vexationem, utens jure suo, & quod electio sit invalida per accidens se habet, provenitque ex malitia electorum.

76 Præveniri autem posse vexationem, ac pretio redimi, quando est apertè futura injusta, docet Reginald. *loc. cit. num.* 126. & quando certò cognoscitur inferenda, Fernand. *d. cap.* 14. §. 1. *num.* 28. Quod sanè tenendum est, atque addendum quod quotiescunque vexatio potest redimi, potest etiam præveniri redemptio, nec est necesse, quod certò cognoscatur inferenda, sed sufficit, si probabiliter timeatur. Quotiescunque enim imminet malum sive certò, sive probabiliter, possumus uti jure naturali defensionis, ac ipsum propulsare, nec debemus expectare quod sit præsens, nisi quando medium ad propulsandum est de se illicitum, & sit tantum licitum ob necessitatem vitandi mali præsentis, ac proinde requirit præsentiam mali ut honestetur, ut est homicidium pro defensione propria, quod de se non est licitum, sed tantùm honestatur ex necessitate defendendi propriam vitam ab actuali vi illata. In hoc autem casu adest malum, quod probabiliter timetur, & medium ad ipsum avertendum non est illicitum, sed indifferens, nempè traditio pecuniæ, aut largitio munerum, quæ possunt benè, vel malè adhiberi juxta finem, ad quem ordinantur. Atqui in hoc casu ordinantur ad finem, qui est secundùm jus naturale, nempe ad propriam defensionem, mediante reconciliatione illius, qui paratus est nocere, ac reductione animi illius ad benevolam affectionem. Cur ergo id non erit licitum, cùm nihil turpitudinis in his omnibus reperiatur, antequam vexatio præsens fiat.

Nec refragatur, quod tradit Sotus *d. q.* 6. *art.* 1. ac 77
Bonac. *d. punct.* 5. *num.* 11. qui ajunt, vexationem debere esse actualem, ut possit pretio redimi, nec sufficere quod probabiliter timeatur. Quia non licet vim vi repellere, nisi vis inferatur; Unde nec pretio redimere vexationem, nisi adsit vexatio, cùm adsit periculum scandali, & simoniæ. Nam ex hoc fieri potest, ut elector moveatur ad promovendam electionem ob pecuniam.

Id, inquam, non refragatur, non enim est eadem ra- 78
tio de vi. Quoniam vis non est de se licita, sed tantùm fit licita, existente vi in contrarium. Est enim vis de se injuriosa, & ideò non potest adhiberi, nisi ad repellendam vim actualem. Periculum autem scandali, aut simoniæ, potest tantùm esse ex parte accipientis, non quidem ratione oblationis pecuniæ, quia non datur pro spirituali, neque est talis, quin justo modo accipi possit, si accipiatur per modum muneris, quando circumstantiæ sunt tales, ut permittant habere rationem muneris. Quando autem non permittunt, potest reprobari. Unde totum scandalum erit passivum, & totum periculum simoniæ erit ex malitia accipientis. Deindè qui dat pecuniam vexatori parato, non offert materiam peccati, quasi oblatione ordinetur ad peccatum, sed offert medium ordinatum ad sui defensionem, & conservationem. Qui autem accipit eam, facit materiam peccati ex propria malitia.

Quando vexans, & accipiens pecuniam est elector, 79
aut alius, ad quem pertinet concurrere quomodocumque ad electionem, quia prodesse potest, tunc electionem esse simoniacam, tradit Præpos. 1. 2. *quæst.* 1. *sub init. num.* 30. aitque, hanc esse tanquam communem sententiam Canonistarum *in dict. cap. dilectus de simon.* quorum tamen plures tantùm dicunt, id esse injustum, ut Glossa, Panormitanus, aliique. Idem asserit Laym. *dict. tract.* 10. *cap. ult. num.* 23. qui citat Valentiam, qui tamen non absolutè loquitur, sed solùm de eo, qui animo simoniaco non vult conferre spirituale, & concludit electionem esse simoniacam secundùm præsumptionem in foro externo. Quod etiam docet Adrian. *quodlib.* 9. *in solut.* 2. *confirm.* 3. *arg. princip.*

At hujusmodi electionem non esse simoniacam, & pro- 80
inde esse validam, firmant Suarez *dict. c.* 50. *n.* 14. Reginald. *loc. cit. n.* 128 Bonac. *cit. qu.* 6. *pun.* 5. *n.* 4. Quæ sententia, ut probabilior tenenda est. Certum etenim est, quod non committitur simonia, nisi vendatur spirituale, & subjiciatur humano contractui. In hoc autem casu nihil spirituale subiicitur venditioni, & humano contractui. Nam materia contractus est tantùm vexatio removenda a vexante. Vexatio autem est quid merè temporale. Et quamvis vexans prodesse possit electioni non tamen cadit sub contractu, quod profit, quia solùm intuitu pecuniæ cessat a vexatione, deindè est in arbitrio ipsius, ut profit, vel non profit eligendo, neque enim de hoc aliquid exigitur.

Hæc tamen sententia limitanda est, primò, quando 81
quod traditur pro redimenda vexatione, non est quid spirituale. Nam si esset spirituale, committeretur simonia, quia spirituale pro temporali commutaretur, ut statuitur *in can. Euphemium* 2. *qu.* 3. ubi, ut simoniaci puniuntur qui acceperunt Ordines ab Episcopo pro relinquenda ejusdem Episcopi accusatione.

Secundò autem limitari debet, ut non habeat locum, 82
quan-

quando ipſa vexatio ſpiritualis eſt, ut ſi fiat per manutentionem juris ſpiritualis, atque adeo non poſſit ceſſari ab ipſa, niſi cedendo alicui juri ſpirituali. Tunc enim venit in contractum aliquid ſpirituale, quod pretio æſtimatur, ideòque ſimonia committitur. Qua in re advertendum eſt, quod ſpirituale nunquam poteſt eſſe ipſa formalis vexatio, ſed tantùm materia, per quam fiat vexatio. Vexatio enim formalis eſt illa moleſtia, quæ provenit ab animo malè effecto, ſi ſit injuſta, vel ab animo illam intendente ob aliquem injuſtum finem.

83 Qui ex eo, quod prodeſſe poteſt, movetur ad vexandum, ut mediante vexatione obtineat pecuniam, injuſtè agit, ac tenetur ad reſtitutionem. Immò in foro externo præſumeretur ſimoniacus, & poſſet puniri. Quia electio mediante vexatione ſubjicitur contractui, ac pretio. Intendit enim per vexationem inducere eligendum ad emendam electionem. Unde ex parte ipſius committeretur ſimonia licèt non committeretur ex parte redimentis.

84 Quando vexatio in ordine ad poſſeſſionem eſt per violentiam illatam a vexatore propria authoritate, & ut a privata perſona, ad quem non ſpectat de poſſeſſione, poteſt pretio redimi. Quia tendit redemptio illa ad removendum tantùm impedimentum merè temporale, ut ſi electus detineretur ab aliquo, ne poſſet adire Superiorem, a quo eſt conferenda poſſeſſio.

85 At quid ſi vexatio ſit a Superiore, vel ab aliquo, qui vexet apud Superiorem, ut impediat, ne ipſi conferatur poſſeſſio, ſeu quandocumque vexatio eſt juris, non facti, itant tendat ad juridicè impediendam poſſeſſionem? Et poſſe redimi vexationem, quæ obſtat poſſeſſioni, deſumitur ex D. Thom. 2. 2. *cit. q.* 100. *art.* 2. *ad* 5. quatenus docet; acquiſito jure, licere vexationem redimi, ubi Aragona, Rodr. *tom.* 2. *ſumm. cap.* 59. *numer.* 5. & *cap.* 61. *numer.* 2. Vega *par.* 2. *ſumm. capit.* 101. *caſ.* 19. 33. & 44. Piſanell. *v. ſimonia* 1. Ledeſm. *par.* 2. *ſumm. tr.* 12. *concl.* 26. & *ſeq.* Major. *in* 4. *d.* 25. *q.* 2. *ad* 2. Suar. *d. c.* 50. *numer.* 31. Leſs. *lib.* 2. *de juſt.* & *jur. c.* 35. *dub.* 18. *numer.* 10. Reginald. *lib.* 23. *prax. for. pœnit. num.* 130. Roſella *v. ſimonia* 1. §. 13. Ang. *eod. v.* 2. §. 11. Palaus *p.* 3. *tr.* 17. *diſp.* 3. *de ſimon. dub.* 20. *numer.* 3. Laym. *lib.* 4. *theol. mor. tr.* 10. *c. ult. num.* 22. Sanch. *lib.* 2. *oppuſc. c.* 3. *dub.* 30. *num.* 11. ac Villalob *p.* 2. *ſumm. tr.* 37. *diffic.* 30. *numer.* 5. aliique ſuperius relati etiam ex Canoniſtis. Hæc ſententia nedum eſt probabilior, ſed certa ex his principiis.

86 Primum eſt, quod non eſt ſimonia compenſare pretio, quod non eſt ſpirituale, ſed temporale, ac pretio æſtimabile, dummodò ſaltem non ita ſit annexum ſpirituali, ut trahat ſecum ipſum ſpirituale, & ſpirituale principaliori modo ſe habeat, ut contingit in beneficio, in quo jus ſpirituale eſt principalius, & connectitur cum temporali. Alterum eſt, quod poſſeſſio eſt quid merè temporale, quia non dicit aliud, quàm quoddam factum corporale, quo res poſſidenda conſignatur poſſeſſori, nec in ſpiritualibus ſecundùm ſe differt a poſſeſſione in civilibus, ſed eſt omninò idem factum; ſolùm enim differt ratione tituli. Et licèt ſit annexa titulo ſpirituali, non tamen vexatio eſt circa titulum, ac jus, quia ſupponitur jus jam plenè acquiſitum. Unde remanet, quod redimatur vexatio tantùm in ordinem ad temporale.

87 Huic ſententiæ adverſantur ii, qui docent non licere hujuſmodi vexationem pretio redimere, nominatim Gloſſa *in can. decimas* 2. *cauſa* 16. *q.* 7. Abb. *in d. c. ad aures de ſimon.* & *d. c. dilectus eod. tit.* ubi Felin. *numer.* 3. Præpoſ. *in cauſ.* 1. *q.* 1. *ſub initio numer.* 28. & *ſeqq.* Redoan. *p.* 3. *c.* 22. *num.* 2. Ugolin. *d. tab.* 1. *c.* 9. §. 8. *num.* 5. Guidopap. *dec.* 1. *in fin.* Navarr. *in man. cap.* 23. *numer.* 102. Sot. *lib.* 9. *de juſt.* & *jur. d. q.* 6. *art.* 1. *ad* 5. licèt dubitanter, Armil. *v. ſimonia num.* 25. Sylveſt. *eod. v. q.* 3. Sum. Confeſs. *lib.* 1. *tit.* 1. *de ſimon. q.* 46. Sum. Corona *par.* 3. *tr. de ſimon. num.* 32. Lopez *p.* 2. *inſtr. cap.* 302. Garzia *de benef. par.* 1. *cap.* 2. *num.* 53. qui *num. ſeq.* affert deciſionem Rotæ Romanæ in Majoricen. præeminentiarum ſub die 21. Maji 1554. coram Veſtano, in qua fuit deciſum, poſſeſſionem Canonicatus fuiſſe ſimoniacam, quia fuit tradita cum pacto de non habenda voce in Capitulo, nec poſſidenda domo Canonicali uſque ad certum tempus. Idque probant; quia poſſeſſio eſt quid ſpirituale. Nam datur in ipſa jus ſpirituale adminiſtrandi officium, vel ſaltem eſt connexa cum ſpirituali, nempè cum adminiſtratione officii, & authoritatis, quæ inde ſequitur.

88 At verò id non obſtat. Quia licèt requiratur poſſeſſio pro adminiſtranda authoritate, & officio, non tamen talis adminiſtratio eſt annexa poſſeſſioni, ut conſequens ad ipſam, nam conſequitur ad titulum, & jus acquiſitum per electionem, ſed poſſeſſio ſe habet tantùm, ut conditio, ſine qua jus acquiſitum exerceri non poteſt in adminiſtratione authoritatis, & officii.

Minus obſtat, quod poſſeſſio ſit annexa juri ſpirituali. 89
Quia non illud trahit ſecum, ſed ſupponitur jam acquiſitum, & ideò pecunia non ordinatur ad acquirendum aliquid ſpirituale. Nec poſſeſſio magis firmat jus ſpirituali modo, ſeu dans aliquid ſpirituale de novo, ſed tantùm dicitur firmare, quatenus jus conjungitur cum ſuo objecto, & fit jus exequutioni mandatum.

Si verò jus ad poſſeſſionem eſt dubium, multi ex iis, 90
qui docent, licitum eſſe redimere vexationem, quæ fit contra poſſeſſionem, acquiſito jure per electionem, negant id licere, quando jus eſt dubium. Quia hoc eſſet conſervare, & roborare jus infirmum. Nam daretur pecunia pro poſſeſſione, ut trahente ſecum conſolidationem, ac determinationem juris dubii. Ita Suar. Palaus, Laym. & Regin. *loc. alleg.*

Diſtinguendum tamen eſt. Aut vexatio eſt contra 91
poſſeſſionem, aut contra jus ad poſſeſſionem acquiſitum per electionem. Si vexatio ſit contra poſſeſſionem, poteſt pretio redimi abſque ulla ſimonia. Poſſeſſio enim non ſolùm revera, ſed etiam ſecundùm citatos authores eſt quid temporale. Unde dare pecuniam pro ipſa, eſt dare pro re merè temporali. Adde quod neque datur pecunia pro ipſa, ſed tantùm pro vexatione propulſanda, cui cùm non teneatur ſubjacere, poteſt illam quocunque licito medio propulſare.

Nec dici poteſt, quod poſſeſſio trahat ſecum jus ſpi- 92
rituale, aut corroboret, & faciat melioris conditionis. Nam cùm poſſeſſio conſequatur ad jus, & jus debeat antecedere poſſeſſionem, non poteſt per poſſeſſionem convalidari, aut corroborari, neque effectus corroborat ſuam cauſam, quia ipſam ſupponit, ut illam, a qua accipit eſſe, ac proindè validitas poſſeſſionis eſt a validitate juris acquiſiti per electionem, & poſſeſſio eſt nulla, ſi jus ſit nullum, & dubia, ſi eſt dubium.

Si autem vexatio ſit contra jus acquiſitum, quod ta- 93
men ſit dubium, tunc cùm per electionem poſſideat illud jus qualecunque ſit, & in dubiis ſit melior conditio poſſidentis, poteſt illud jus, tanquam aliquod proprium ſui ipſius defendere, & adhibere omnia illa media, quæ ad juſtam ſui, ſuarumque rerum defenſionem permittuntur, ac uti jure naturali defenſionis. Atque adeò poteſt pretio redimere vexationem. Quia hoc eſt unum ex illis mediis, quæ ad defenſionem conceſſa ſunt. Nam id non eſt aliud, quàm defendere jus proprium. Neque enim tunc pecunia ordinatur ad aliquid ſpirituale acquirendum, ſed tantùm ad defendendum acquiſitum. Unde objectum iſtius actus eſt juſta defenſio rerum propriarum, quæ cùm ſit quid honeſtum, actus quoque erit honeſtus, atque adeò licitus.

Non poſſe autem electum pretio vexationem redime- 94
re, ſi vexetur in poſſeſſione acquiſita virtute electionis, aut deturbetur ab ipſa, aut in iis, quæ conſequuntur poſſeſſionem, tradit Ugolin. *dict. tab.* 1. *cap.* 9. §. 8. *numer.* 6. Quia videtur ordinari illud pretium ad ſpirituale, aut ſaltem ad annexum ſpirituali. Nam inſervit pro recuperando, quod eſt amiſſum, & quod ſine ſimonia per pecuniam prius obtineri non poterat.

Communis tamen ſententia firmat, poſſe pretio redi- 95
mi vexationem. Hanc tradunt etiam ii, qui negant poſſe redimi vexationem contra poſſeſſionem, eamque docent Gloſſa *in d. cap. dilectus* 1. *de ſimon.* ibique Felin. Præpoſit. *in cit. cauſa* 1. *qu.* 1. *num.* 30. Turrecr. *in cap. nullus* 1. *q.* 1. & *in d. can. decimas* 16. *q.* 7. Suar. *d. cap.* 50. *num.* 34. Reginal. *loco cit. num.* 131. Bonac. *d. punct.* 5. *num.* 8. Laym. *d. tr.* 10. *cap. ult. num.* 22. & Sanch. *lib.* 2. *opuſc. cap.* 3. *dub.* 30. *num.* 12. Hæc ſententia, utpotè vera tenenda eſt.

Nam, acquiſito pleno jure per electionem, & confir- 96
mationem, captaque poſſeſſione, tota vexatio, quæ eſt per deturbationem poſſeſſionis, & contra cætera, quæ conſequuntur poſſeſſionem, eſt mera violentia, nec aufert aliquid ſpirituale, quia non habet vexans authoritatem auferendi. Unde redemptio vexationis ordinatur ad merum temporale, cùm ſemper remaneat apud vexatum totum, quod ſpirituale eſt. Nec eſt eadem ratio de prima acquiſitione. Quia in prima acquiſitione eſt acquirendum quid ſpirituale, in recuperatione autem nihil ſpirituale eſt acquirendum, cùm non ſit amiſſum.

Idque confirmatur ex doctrina, quam tradunt com- 97
muniter Doctores, quod nimirum acquiſito pleno jure, licet vexationem redimere. Eos ſuperiùs adduximus, quibus addendi Raphael a Turre *in* 2. 2. *q.* 100. *ar.* 1. Gloſs. *in can. nullus Epiſcopus* 1. *q.* 1. *v. reſtituat*, & *in can. quæſi-*

tum 1. *cauſ.* 1. *q.* 3. *v. redemptione, & in d. c. dilectus* 1. *de ſimon.* ibique Innoc. Panor. & alii, Turrecr. *in d. can. quæſitum, & in can. altaria* 1. *qu.* 3. Navar. *in man. c.* 23. *num.* 102. Sylveſt. *verb. ſimonia q.* 3. *reg.* 3. Rebuff. *in prax. tit. de ſimonia in renunc. num.* 18. & ſuffragantur *d. cap. dilectus, & d. can. quæſitum*, ubi non cenſentur peccaſſe, qui dederunt pecuniam, ut ſe liberarent a gravaminibus circa ea, quæ jam poſſidebant.

98 Si verò electus vexetur per viam juris circa poſſeſſionem jam habitam, non poteſt pretio redimere vexationem. Ita Suar. *cit. cap.* 50. *num.* 31. Turrecr. *in d. can. altaria, & d. can. decimas*, Reginald. *lib.* 23. *prax. for. pœnit. num.* 131. Sanch. *d. dub.* 30. *num.* 12. Laym. *d. tr.* 10. *c. ult. num.* 22. Quia hoc pacto ordinaretur pecunia ad ſpirituale. Nam daretur pro poſſeſſione, ut eſt annexa juri ſpirituali, & eſſet redimere, ac ſibi firmare jus ad poſſeſſionem.

99 Contrarium tamen ſuaderi poteſt. Quia non remanet privatus poſſeſſione, neque jure ad ipſam, niſi per ſententiam. Unde ante ſententiam poteſt habere & jus, & poſſeſſionem pro ſuis, ac uti jure naturali defendendi ſe, ac ſua, & pretio redimere vexationem.

100 Dare autem pecuniam alicui, ne tibi in electione exceptionem opponat, quam jure opponere poteſt, eſſe ſimoniacum docent Ugolin. *tab.* 4. *de ſimon. cap.* 50. §. 8. Pariſ. *de conſid. benefic. q.* 47. *num.* 9. Proſp. de Auguſt. *in addit. ad Quarantam v. ſimonia addit.* 3. Navarr. *conſ.* 3. *num.* 1. *de ſimon. in antiqua edit. & in aliis editionib. conſ.* 39. 41. *& ſeq.* Palaus *d. tract.* 17. *diſp.* 3. *de ſimon. punct.* 20. *numer.* 2. Sanch. *d. lib.* 2. *opuſc. cap.* 3. *dub.* 30. *numer.* 13. ac ii, qui docent, non poſſe redimi vexationem juſtam. Quia hoc pacto redderetur per pecuniam via ſecurior ad beneficium, ſive ad electionem.

101 Hæc tamen doctrina difficilis videtur. Nam oppoſitio exceptionis eſt quid merè temporale, unde quantum eſt de ſe, non eſt materia ſimoniæ, ſi circa ipſam fiat contractus, & alioquin quiſlibet habet jus ad ſe conſervandum indemnem; Unde cùm oppoſitio exceptionis ſit ipſi damnoſa, poterit, quantum eſt ex hoc capite, eam pretio impedire. Nec redimere talem oppoſitionem trahit ſecum aliquid ſpirituale, quod ſit ipſi annexum, ac proinde ſit materia ſimoniæ, aut quid annexum ſpirituali. Nam non trahit ſecum electionem. Quia adhuc eſt in poteſtate electorum, ſicut erat anteà. Nec adeſt aliud ſpirituale, quod ſecum trahere poſſit.

102 Neque etiam dici poteſt, quod hoc ſit tibi parare viam ad electionem. Quia præparare viam ad electionem eſt aliquid facere, quod conducat ad ipſam per ſe directè, ac poſitivè, non autem tollere, ſive impedire obſtacula, quæ poſſent obſtare electioni. Nam via ducit ad terminum, & eſt quædam incompleta aſſequutio illius, quod non eſt ſolum removere impedimentum.

103 Quod autem reddatur via ſecurior ad electionem, id non eſt verum de ſecuritate poſitiva, ſed tantùm de negativa. Quia non eſt ponere aliquid poſitivum, quod reddat ſecuram electionem, ſed tantùm removere obicem. Removere autem obicem, ſicut non eſt comparare aliquid ſpirituale, nec aliquid temporale, quod trahat ſecum ſpirituale, ita non eſt materia ſimoniæ, ſed quiſque habet jus removendi ea, quæ ſibi etiam juſtè obeſſe poſſunt, dummodò non teneatur ea ſubire per modum pœnæ.

104 Si autem unus ex concurrentibus det alteri pecuniam, ut a concurſu deſiſtat ob impedimentum tollendum, committit ſimoniam. Ita Majol. *lib.* 5. *de irreg. cap.* 45. *num.* 3. Ugolin. *dict. tab.* 4. *cap.* 5. §. 9. *numer.* 2. Proſp. de Auguſt. *loc. cit.* Sanchez ibidem *dub.* 3. *num.* 13. Palaus *dict. tract.* 17. *diſput.* 3. *de ſimon. punct.* 20. *num.* 2. Leſs. *lib.* 2. *de juſt. & jur. cap.* 35. *dub.* 18. Pontius *lib.* 5. *de matrim. capit.* 13. §. 6. *numer.* 40. Nam hoc eſt parare ſibi viam ad electionem, ac redimere vexationem juſtam, quæ ſibi infertur ab alio competitore. Addo, quod dum facit, quod concurrentes deſiſtant a concurſu, trahit electionem ad ſeipſum, quia electores eligent ipſum, dum non ſunt alii, qui concurant, & ideò pecunia pararet ſibi viam ad electionem.

105 Pactum autem cum alio, quod non concurrat tecum in ordine ad hanc electionem, & tu non concurras ſecum ad ſubſequentem eſſe illicitum ait Sanchez *dict. dub.* 30. *num.* 13. Quia obligatio non concurrendi poſteriori vice, eſt pretio æſtimabilis, & ideò per id, quod eſt pretio æſtimabile, paratur via ad electionem. Ac ſubdit, quod non eſt ſimonia completa, donec adimpleatur quod promiſſum eſt, non concurrendo pro poſterioris vice, etiamſi in priori concurſu electus fuerit qui promiſerat.

Verùm ſi obligatio non concurrendi pro poſteriori vice eſt pretio æſtimabilis, etiam obligatio non concurrendi pro priori vice erit pretio æſtimabilis, atque adeò in hoc contractu fit commutatio eorum, quæ ſunt pretio æſtimabilia, nempè unius obligationis cum alia obligatione. Quando autem commuttantur, quæ ſunt pretio æſtimabilia, nulla committitur ſimonia. 106

Rationem igitur cur hujuſmodi pactum ſit illicitum, eam eſſe puto, quia hoc pacto faceres tuam electionem, cùm fieri poſſit, quod remaneas ſolus, præſertim ſi ille, vel illi, cum quibus fit pactum, ſint te digniores. 107

Qui autem dat alicui pecuniam, ut metum incutiat competitori, ut deſiſtat a concurſu in ordine ad electionem, ad quam ipſe quoque concurrit, concertum eſt, quod peccat. Nam inducit aliquem ad inferendam injuſtam violentiam, quæ eſt contra juſtitiam. Nam impedit jus competitoris, quod habet ad concurſum. 108

An autem contingat ſimonia, & electio ſit nulla, ſi cadat in dantem pecuniam pro incutiendo metu, affirmat Ugolin. *dict. tab.* 1. *de ſimon. cap.* 48. §. 3. *num.* 5. *& dict. tab.* 4. *cap.* 50. §. 9. *in fin.* Quia hoc pacto conducit ſe ad electionem, atque adeò mediante pecunia. Electio enim eſt motivum dandi pecuniam pro incutiendo metu. 109

In electione licere uti ſubornatione contra ſubornationem, affirmat Villal. *tom.* 2. *ſub. tr.* 37. *diffic.* 30. *num.* 5. Unde per ipſum licebit adhibere munera, preces, promiſſiones, aliaque hujuſmodi in ordine ad ſubornandum electores, quando ſcio ab aliis adhiberi. Quia nimirum licet vim vi repellere, & monopolium alio monopolio diſſolvere. 110

Hæc tamen ſententia nullo modo probabilis eſt. Nam, etſi aliquando liceat adhibere munera, & preces ad aliquid juſtum, ac honeſtum obtinendum, non tamen in ordine ad ſubornandum. Unde tenendum eſt nullatenus eſſe licitum adhibere ſubornationem contra ſubornationem, ut docent etiam Suarez *tom.* 1. *de relig. tract.* 3. *lib.* 4. *de ſimon. cap.* 50. *num.* 26. ac Bonac. *d. tom.* 1. *diſp.* 1. *de ſimon. quæſt.* 6. *pu.* 5. *num.* 15. 111

Nam electo ſubornatus non poteſt benè eligere, cùm eligat ſecundùm menſuram ſubornationis. Unde qui ſubornat, quantum eſt de ſe, ſemper ponit cauſam malæ electionis, ac intendit, quod electio ſequatur ſecundùm menſuram illius ſubornationis. Et ideò intendit, quod de ſe eſt malum. Nunquam autem licet intendere malum, ſive in ordine ad bonum, ſive in ordine ad aliud malum propulſandum. Et abſque nova ſubornatione poteſt adhiberi remedium priori ſubornationi, eam detegendo, & manifeſtando electoribus, ac proponendo motiva juſtæ, ac debitæ electionis. 112

Neque eſt eadem ratio de vi. Quia vis, qua altera vis repellitur, non ordinatur ad malum, ſed ad id, quod licitum, & honeſtum eſt, nempè ad defenſionem, vel perſonæ, vel rerum, quæ eſt de jure naturali, & ideò licita, & honeſta eſt contra aliam. At ſubornatio per ſe primò ordinatur ad malum, licèt poſſit inde ſequi aliquod bonum. Non ſunt tamen facienda mala, ut eveniant bona. 113

Eſt pariter diverſa ratio de monopolio. Quia monopolium quoque eſt injurioſum communitati, & particularibus perſonis, quæ ſunt de communitate, ac infert moralem vim, ideoque eſt licita defenſio contra ipſum. Unum autem ex mediis aptis ad defenſionem eſt alterum monopolium contra ipſum, & ideò licet ipſum adhibere, quia vis moralis altera vi morali depellitur. 114

Ad vitandam autem ſubornationem in electione, poſſe induci conſuetudinem, quod nullus adhibeatur tractatus, ait Sigiſmond. a Bononia *p.* 2. *de elect. cap.* 1. *dub.* 55. *num.* 11. Quia licèt ſit contra jus canonicum, eſt tamen ex cauſa urgenti, ac veriſimiliter non prævia a canone, nempè ne occaſione tractatus fiat ſubornatio; Unde toleratur, cùm ſurgat ex tacito conſenſu, ut ait Panorm. *in Clem. Et ſi principalis n.* 6. *de reſcript.* Tum quia non præſumitur inambitio, & quia majus ſcandalum oriretur ex reprobatione conſuetudinis. 115

At hæc doctrina nullatenus ſuſtineri poteſt. Nam, quicquid ſit; an poſſit induci conſuetudo contra jus canonicum, hæc tamen conſuetudo rejicienda omninò eſt, tanquam abuſus, & contraria ſubſtantiæ electionis. Ipſius enim ratione ſequitur, electiones eſſe nullas. Nam electio, in qua non præcedit debitus tractatus, eſt nulla, ex *c. in Geneſi de elect.* ac docent Gloſs. *in c. cùm in veteri v. in tractatu eod. tit. & in can. in nomine Domini, v. tractantes* 116

Rantes d. 23. Butr. *in cap. cum inter num. 7. & in cap. in causis pariter de elect.* aliique passim. Deest enim aliquid substantiale, sine quo non potest fieri electio, quæ cùm sit assumptio unius præ cæteris, eo quod præ illis debeat eligi, non potest talis assumptio habere locum sine tractatu, quia sine ipso non potest electoribus innotescere, quinam sit cæteris præferendus. Cumque debeat collegialiter præferri, debet etiam collegialiter innotescere, quod sit præferendus. Ac optimè quidem canon prævidit, posse tractatum evadere subornationem, ideòque decrevit pœnas contra subornantes. Nec verum scandalum oriri potest ex reprobatione pravæ consuetudinis, tollentis necessaria ad bonam electionem. Verùm quia facillimum est hominibus in eo, cupiunt, hallucinari, & quod justum est, injustum opinari, quinimmò in materia simoniæ Judices ipsi facilè in errores incidunt; ideò protestor, quod per suprascriptas doctrinas, etiam ex opinione sapientium Doctorum traditas, quibus diversimodè docetur, licere absque simonia injustam vexationem, vel injustum gravamen pecunia, vel aliter conventionibus profanis redimere, non autumo, lectorem tutum facere in conscientia, nisi consulat probos, doctosque viros super omnibus, ac singulis facti circumstantiis in suo casu existentibus, prout semper Sacra Congregatio Concilii, abstinendo a decretis theoricè petitis, respondet in hujusmodi materiis: Proponantur casus particulares illisque posteà propositis cum omnibus facti circumstantiis attentè consideratis, consultò respondet: *Constare, vel non constare de simonia*. Cæteroqui enim nimis periculosum est incidere in errores per solam doctrinam theoricè datam.

CONSULTATIO XLV.

An Regularis, qui in origine est filius Provinciæ Italiæ, quique postmodum obtenta filiatione Provinciæ Germaniæ, tanquam verus filius hujus ultimæ Provinciæ doctoratum, & magisterium assequutus est, non juxta Constitutiones Ordinis, sed juxta privilegium Ultramontanis concessum, possit modò redire ad antiquam Provinciam Italicam, ibique tractari debeat tanquam doctor, & magister?

1 QUoad filiationem constans sententia est quod nemo potest esse filius duarum Provinciarum. Quia sicut repugnat naturæ duas habere matres, ita repugnat fictioni juris. Jus enim in istis imitatur naturam, ut de adoptione sunt Text. *in §. minorem Instit. de adoptione l. si Paterfamilias, §. In arrogationibus, ff. de adopt.*

2 Cùm ergo hic Regularis postquam erat filius Provinciæ Italicæ, obtinuerit filiationem Provinciæ Germanicæ, hæcque filiatio sortita fuerit plenè suum effectum, quia ipse, tanquam filius hujus novæ Provinciæ admissus fuit ad privilegia, quæ solis filiis competunt, impossibile est, quod remanserit filius Provinciæ Italicæ.

3 Idque, etiam si specificè, ac verbaliter non renunciaverit antiquæ filiationi. Nam actus est incompatibilis, & qui vult antecedens, videtur velle necessariò consequens, ut pluribus exemplis probat Barbos. *axiom.* 30. & in jure fortius est id, quod declaratur factis, quàm id, quod firmatur verbis, *leg. Certum, ff. si certum per canon. existimant* 13. *quæst.* 2. Cæphal. *consil.* 77. *num.* 2. *lib.* 1.

4 Atque ex his, vel hic Regularis prætendit resumere antiquam filiationem jure proprio, & prætensio est vana. Quia temel alteri perfectè incorporatus, desinit esse membrum primæ matris, illamque postmodum cogere non potest ad se iterùm recipiendum, ut de Religioso ad alteram Religionem translato, qui postmodum redire intendit ad primam, est text. *in canon. mandamus* 19. *qu.* 3. & tradunt Pelliz. *in manual. regul. tom.* 1. *tr.* 3. *cap.* 5. *num.* 105. Sanch. *in decal. lib.* 6. *cap.* 7. Bordon. *resol. moral. qu.* 16. *num.* 57. *& seq.* Donat. *in prax. rer. reg. tom.* 1. *p.* 2. *tr.* 5. *q.* 52.

5 Vel prætendit illam resumere ex benigna acceptatione antiquæ Provinciæ, at cùm ista nedum ipsum non acceptaverit, sed reipsa ejus instantiæ se opponat, ejus prætensio remanet inanis.

6 Quod verò ad magisterium res habet minorem difficultatem. Nam demus tandem aliquando, quod hic Regularis prætendere posset reditum ad primam Provinciam, magisterium tamen non poterit ei aliqua ex parte suffragari, quia fuit obtentum ad formam privilegii Ultramontanis concessi. Privilegium autem eatenus suffragatur, ac durat, quatenus in privilegiato reperitur, ac durat qualitas, sive ratio, ob quam privilegium fuit concessum, ut probant Anch. *conf.* 394. *nu.* 3. Rom. *conf.* 404. *num.* 5. *& 6. & antea conf.* 180. *n.* 7.

Et quidem si hoc admitteretur, aperiretur via fraudibus. Incapaces enim magisterii ad formam Constitutionum, obtinerent a Provinciis Ultramontanis filiationem, atque adeò facilitatem assequendi magisterium juxta privilegia Ultramontanis concessa, & redeundo postea ad suas Provincias, gauderent magisteriis, non obstantibus Constitutionibus. Quod minimè consentaneum est. 7

CONSULTATIO XLVI.

Pius Testator in hunc modum dispposuit: Lego Patribus Religionis A. ex mea hæreditate scuta 2000. ut Monasterium in meis ædibus construant, dummodò tamen intra annum legatum acceptent, locumque accipiant, alioquin eis substituo Patres Religionis B. Quæritur,

Primò, an & quatenus in hoc casu factus sit locus substitutioni? Ubi plura in hanc rem discutiuntur.

Secundò, an dictis Patribus, donec eis non solvantur dicta scuta viginta millia, debeantur aliqui fructus sine labe usurarum?

AD primum. Affirmativè respondendum videtur. Perspicua etenim est Testatoris voluntas, ut ædificetur Monasterium intra annum a die sui obitus cum expressione non solùm temporis, sed etiam caducitatis. Unde si post habitam notitiam effluxerit tempus præscriptum, caducitas evitari non potest, per Text. *in cap. vos quidem*, ibique Doctores *de testam.* & firmavit Rota in his terminis in Romana hæreditatis 10. Decembris 1655. coram Albergato, & 28. Aprilis 1659. coram Meltio. 1

Neque in hoc casu opus est discutere, an sit necessaria monitio, quam requirit Textus allegatus. Quia solutio quæstionis est pariter clara, quando tempus, ut in hoc casu fuit expressè in testamento præscriptum. Tunc enim currit a die aditæ hæreditatis, ut rectè distinguit Abb. *in d. cap. nos quidem num.* 10. & post alios ibidem Covar. *num.* 1. & generaliter, quod ubi præceptum testatoris est clarum, nulla sit necessaria monitio ad incurrendam privationem, plenè probat Paris. *conf.* 19. *num.* 206. *cum seqq. lib.* 1. & Altogr. *conf.* 101. *num.* 35. *lib.* 2. Evelliturque ex animo omnis hæsitatio, & augetur magis contumacia, si interceserit interpellatio tàm ex parte hæredis, quàm PP. substitutorum. 2

Non obstat, quod tempus a testatore non fuerit præscriptum ad construendum Monasterium, sed solùm ad accipiendum locum, quod utique factum fuit antequam laberetur annus. Ideòque substitutio in casum contraventionis statim evanuerit. 3

Nam cùm ipse Testator destinaverit locum eligendum in suis ædibus, verba, quæ subsequuntur, nempè ut accipiant locum, non possunt referri ad solam electionem situs, cujus Patres A. nullum habebant arbitrium, sed necessitate præcisa constricti erant ad constructionem Monasterii in loco designato. Et quatenus in eo fieri non potest, causa cognita, & obtenta dispensatione, potuisset constructio fieri in alio loco per *d. c. nos quædam* ubi Glos. *v. in loco de testam.* ibique communiter Doctores. Alioquin voluntas testatoris frustraretur, quod est contra juris regulas, ut sæpè firmavit Rota, speciatim in Romana exequutionis laudi 14. Junii 1647. §. *Quod eo facilius* coram Arguelles, Faber *in Cod. lib.* 6. *tit.* 18. *definit.* 12. 4

Ac licèt verba illa, *ut accipiant locum*, ex propria significatione non importent Monasterii fundationem, id tamen non obstat, quia Testatores sæpè sæpiùs plus significant, quàm loquuntur, ideòque non est standum verborum cortici, sed attendendum qualis fuerit eorum voluntas, monet Jurisconsultus *in l. Cùm avus, ff. de condit. & demonstr. & l. cùm acutissimi, C. de fideicomm.* passimque Doctores; Cùmque in hoc casu Testator voluerit, quod tàm per Patres A. quàm per Patres B. substitutos intra annum accipiatur locus sub pœna caducitatis, hoc sanè repetitum præceptum sub pœna amissionis legati indicat, aliquid amplius testatorem voluisse, quàm verba illa accipiendi locum, possent in se continere, ut per Surd. *dec.* 272. *num.* 6. Cyriac. *contr.* 128. *n.* 48. ac Rot. *dec.* 298. *num.* 4. *p.* 2. *div.* quatenus etiam standum esset in propria significatione verbi accipiendi locum, adhuc Patres A. non adimpleverunt Testatoris voluntatem: Nam verbum, *capere*, intelligendum est cum effectu, ut habetur *in l. aliud capere* 79. *ff. de verb. signif.* ibi, *aliud est capere aliud accipere, capere cum effectu* 5

fectu accipitur. Ideòque non videtur quis capere quod eſt reſtituturus. Quare eſto, quod Teſtatoris præceptum ſe ad illud reſtringeret, quod ſcilicet Patres A. deberent intra annum locum Monaſterii capere ad formam, quoad propriè ſignificat hoc verbum, nihilominus ne quidem id adimpleverint, cùm nec locum emerint, nec ullum actum acquiſitionis dominii, ac poſſeſſionis geſſerint, ex quo liquidiſſimè apparet, nunquam poſſe dici locum fuiſſe cœptum, nec ad formam mentis Teſtatoris, neque ad formam diſpoſitionis juris. Quia capere locum in ſua propria ſignificatione, eſt dominium & poſſeſſionem loci acquirere irrevocabiliter, ut probat Textus ſupra allegatus, & tradit Cagnol. *in l. non videndum 13. num.* 161. ubi propriè capere eſt cum effectu penes ſe retinere *ff. de regul. jur.* Alciat. *in d. l. aliud eſt capere, ff. de verb. ſignif.* aliique per eos relati.

6 Prætereà certum eſt, non poſſe accipi a Regularibus nova loca, niſi ad præſcriptum Conſtitut. *99.* Clementis VIII. editæ ſub die 13. Julii 1603. *in Bullar. tom.* 2. quæ inter alia requirit, ut obtineatur conſenſus Superiorum Conventuum aliarum Religionum, & licentia Ordinarii, idque fiat cauſa cognita, & inducit formam omninò ſervandam, ut tradunt omnes, nominatim Gratian. *diſcept.* 517. *num.* 18. & *ſeq.* Laur. de Franchis *de contr. inter Epiſc. & Regular. reſp.* 18. *pag.* 115. Barb. *de offic. & poteſt. Epiſc. alleg.* 26. Et quod hæc omnia ſint adimplenda ante ipſam Crucis erectionem, ait Donat. *rer. reg. tom.* 2. *p.* 2. *tr.* 1. *qu.* 7. *num.* 10. & *qu.* 11. *num.* 1. & 3. ubi etiam, quod licentia Epiſcopi debet eſſe in ſcriptis, immò erat neceſſaria licentia Summi Pontificis, ſine qua loca nova acquiri a Regularibus non poſſunt, ut ex Conſtitut. 25. Urbani VIII. & ex ſententia Sacr. Congregationis ſuper Epiſcopis, & Regularibus, de qua Tambur. *de jur. Abbat. tom.* 3. *diſp.* 33. *num.* 6. *p.* 1. & firmat Rota in Cracovienſi fundationis 19. Aprilis 1649. §. 1. & 2. ac 20. Junii 1650. coram Cardinali Celſo. Unde cùm nec per viam facti, neque per viam juris acceperint locum intra annum, adimpleta eſt conditio appoſita a Teſtatore, atque adeò ſtatim fuit jus acquiſitum a ſubſtitutis, ad Text. *in l. ſi ita fuerit 13. ff. de manum. teſtam.* Menoch. *conſil.* 78. *num.* 27. ac Rota in d. Romana hæreditatis coram Albergato. Caducitas autem ex eo etiam evitari non poteſt, quod non ſolùm Teſtator præceperit, ut intra annum caperetur locus, ſed locus ſuarum ædium. Quod cùm non adimpleverint. manifeſtum eſt a legati jure cecidiſſe, ut diſponitur *in l. Quod traditum, & l. nam ad ea, ff. de cond. & dem.* ac Rota in Romana Primogenituræ 7. Junii 1617. §. *Præter quod* coram Dunoz. & in ſpecie, quod ſit ſervanda voluntas Teſtatoris, etiam quoad locum, eſt Text. *in d. cap. nos quidem de teſt.*

7 Nec Epiſcopus poteſt commutare voluntates Teſtatorum. Id enim ad ſolum Pontificem Summum pertinere, probatur *in Clem. Quia contingit de relig. dom.* traditque Rota *deciſ.* 544. *num.* 3. *p.* 1. *rec.* & aſſerunt in his terminis Covarr. *de teſt. cap.* 3. *num.* 7. Rodriq. *tom.* 2. *qu.* 125. *art.* 10. Mirand. *in manual. Prælat. qu.* 33. *art.* 7. & Barboſ. *loc. cit. alleg.* 83. Demuſque, quod Epiſcopus id poſſet, debet tamen id facere cauſa cognita, ut ex pluribus firmat Ricc. *dec.* 163. *num.* 5. *p.* 3. Quod cùm ita factum non fuerit, nec conſtet fuiſſe Epiſcopo expoſitum, quod Monaſterium eſſet in loco a teſtatore aſſignato erigendum, dici non poteſt, cauſa cognita, factam fuiſſe commutationem ejus voluntatis per Textum *in c. ſuper literis de rejcript.* Faber. *in ſuo Cod. lib.* 1. *tit.* 2. *defin.* 2. *n.* 6. Rota *dec.* 499. *n.* 4. & 5. coram Cavalerio. Nam, ut aliquid dicatur factum cauſa cognita, non ſufficit expreſſio cauſæ in genere, ſed exprimendæ ſunt cauſæ particulares ipſius commutationis, ut per Hond. *conſ.* 32. *n.* 109. & *ſeqq. lib.* 2. Rota *dec.* 594. *n.* 37. *cum ſeq. p.* 5. *rec.* ubi quod non dicitur cum cauſæ cognitione proceſſiſſe Judicem, quando non conſtat ex quibus cauſis motus fuerit, & non apparet quas cauſas potuerit diſcutere.

8 Debebant igitur Patres A. cum ſolemnitatibus neceſſariis intra annum acceptare legatum, etſi locus a Teſtatore deſignatus juſtis de cauſis non fuiſſet repertus opportunus, debebant inſtare pro commutatione voluntatis juxta formam traditam *in cit. c. nos quidem*. Unde ſolus acceſſus factus per nonnullos ex Patribus A. ad patriam Teſtatoris, & aſſerta electio alterius loci abſque ullo actu judiciali, & abſque cognitione cauſæ nullatenus importare poteſt impedimentum aliquod, adeòut ſtatim evanuerit ſubſtitutio, ſed potius inde magis augeatur contraventio.

9 Nec minus redditur clarum ex facti circumſtantiis, quod dictis Patribus nullo modo competere poſſit reſtitutio in integrum ex duplici ratione. Prima eſt, quod ubi concurrit dolus, etiam in omittendo, reſtitutio non datur, ut declarat Baldus, cujus doctrina in hac quæſtione celebris eſt *in l. Pupillorum, C. de repud. vel obſt. hæred.* Zabarell. *in d. c. nos quidem n.* 9. Aret. *conſ.* 67. *n.* 9. Matt. Felician. *inter conſ. Caſt. conſ.* 259. *p.* 1. Cæphal. *conſ.* 304. *n.* 197. *cum ſeqq.* Odd. *de reſtit. in integr. p.* 2. *q.* 82. *num.* 63. & *q.* 83. *n.* 21. Non autem dubitari poterit, quin concurrat dolus verus, quando is reſultet ex eo ipſo, quod Patres ſcientiam habentes diſpoſitionis Teſtatoris, noluerint illam adimplere, ut in hac ſpecie Monaſterii aſſerit Bald. *loc. cit.* ibi, *Niſi Monaſterium fuerit in dolo, quia cùm ſciret, & poſſet, noluit conditioni parere*, Zabarell. *ibidem*, ac Odd. *cit. qu.* 82. *num.* 23. & Cæphal. *d. conſ.* 304. *n.* 198. probans, quod vera contumacia continet in ſe verum dolum, illumque, ait, augeri, quando contumacia eſt geminata, ut *n.* 202.

Altera ratio, quod reſtitutio nunquam datur, quando 10
res non eſt amplius integra, ut fusè probat Menoch. *conſil.* 103. *numer.* 25. Rimin. jun. *conſ.* 655. *numer.* 87. Grat. *diſcept.* 667. *num.* 45. & *ſeq.* ac in ſimilibus terminis, quod donatarius non reſtituatur adverſus non acceptatam tempeſtivè donationem, quando res non eſt amplius integra, ideſt quando alteri fuit interim verè quæſitum jus, probat Odd. *q.* 89. *n.* 13. quem ſequitur Fontanell. *de pact. nupt. claus.* 4. *glo.* 29. *n.* 16. & 17. & comprobat Staib. *reſol.* 36. *num.* 14. & in his terminis firmavit Rot. *in d. Romana hæreditatis* coram Albergato, eſtque Gloſſ. *in c. ex parte* 4. *v. quamvis de reſt. ſpoliat.*

Quin etiam ſubintraret caducitas ex alio capite, ſi 11
nempè Patres, non obſtantibus pluribus monitionibus judicialibus, nunquam curaverint ædificationem Monaſterii, quæ vel erat facienda intra annum, ut ex Textu, Gloſſa, Innocentio, & aliis probat Fagnan. *in d. c. nos quidem de teſt.* Vel juxta opinionem Abbatis *in d. c. n.* 9. quod inſpicienda ſit qualitas operis, certè Patres officio ſuo defuerunt, ſi nihil poſt monitiones judiciales fieri curaverint. Unde non ſolùm fuerunt in mora, quæ nullo modo purgari poteſt, ad tradita per Bartol. *in l.* 1. *num.* 10. & *in l. cum quidam num.* 7. *ff. de leg.* 2. Grat. *diſcept.* 239. *num.* 19. ac Rotam coram Gregorio XV. *dec.* 316. *num.* 5. Sed etiam in manifeſto dolo, qui committitur, etiam quando aliquid omittitur fieri abſque juſta cauſa, *l. Dolus, & l. ſi procurator, ff. de dol.* Natt. *conſil.* 12. *num.* 5. *lib.* 1. Sicque etiam ex hoc capite ceciderunt a legato, ut admittunt Doctores communiter, ac etiam Rota, quæ in contrarium allegari ſolet *in Neapolitana hæreditatis 30. Januarii* 1660. coram Cardinali Cerro.

At nihilominus negativè reſpondendum cenſeo, ſita- 12
men conſtiterit Patres primò vocati a die habitæ notitiæ legati, acceperint locum pro Monaſterio juxta Teſtatoris voluntatem, aliaque fecerint, quæ concludenter probent agnitionem legati, & loci acceptationem, ad quem effectum ſufficit quomodocunque voluntas declaretur ſive verbis, ſive factis, ut de agnitione legati firmat Rota *dec.* 195. *num.* 22. *p.* 7. *rec.* & de acceptatione eſt Textus *in l. Paulus reſpondit ff. rem ratam haberi*, & Rot. poſt Zacch. *de oblig. Cameral. deciſ.* 189. *num.* 22. & *ſeqq. ac dec.* 40. *num.* 32. *p.* 9. *rec.* Quia nil aliud eſt, quàm quædam animi declaratio Pariſ. *conſ.* 117. *numer.* 10. *lib.* 4. & Rota *deciſ.* 229. *num.* 17. *p.* 9. *tom.* 1. *rec.* Præſertim autem ſi acceptatio legati, ac loci in tempore, ac illius commutatio facta ex cauſa legitima probetur, nedum a teſtibus, ſed etiam ab Epiſcopo in ejus viſitatione, cujus aſſertio uti facta in actu viſitationis, pleniſſimè probat Cæſar. de Graſſ. *dec.* 1. *num.* 1. *de reb. Eccleſ. non alien.* Rota *dec.* 318. *num.* 12. *part.* 5. & *dec.* 50. *num.* 6. *part.* 7. *rec.*

Quare prætenſio Patrum, qui ſecundo loco nominan- 13
tur penitus ceſſat, quia cùm illi ſint vulgariter ſubſtituti in caſum, in quem Patres primò vocati intra annum locum non acciperent, dum acceptatio facta eſt intra tempus, ſubſtitutio aliorum evanuit, neque hodie cum illis agendum eſt per Text. *in l. poſt aditam, C. de impub. & al. ſubſtit.* Rot. *dec.* 97. *num.* 1. & *deciſ.* 661. *num. item* 1. *part.* 4. *tom.* 3. *rec.*

Solumque verſaretur quæſtio, ad quem devolutum 14
ſit jus exequendi hujuſmodi legatum, ſi poſt acceptationem nondum fuerit exequutum, quod intelligitur de illo exequendo ad favorem Legatarii, a quo fuit acceptatum, non autem ad effectum tradendi alteri. Nam id non eſt exequi, ſed deſtruere voluntatem Teſtatoris, & auferre legatum illi, cui fuit acquiſitum, ut probat Text. *in dict. cap. nos quidem de teſt.* ibique Barbat. *numer.* 43. ac Imol. *numer.* 10. Carol. Marant. *reſponſ.* 32. *numer. pariter* 32. & *ſeq. ac reſp.* 41. *numer.* 45. & 68. *part.* 1. Spin. *in ſpecul. teſtam. gloſſ.* 28. *num.* 5. & *ſeqq.*

Quo ſuper non immoror. Nam ſive jus exequendi 15
devo-

devolutum ſit ab hærede ad Patres primò vocatos, ut firmant Imola, & Barbatia *loc. cit.* ſive ab ipſis Patribus ad Epiſcopum, vel fabricam Sancti Petri, id non refragatur, dum ſemper exequutio facienda eſt pro conſtruendo Monaſterio ad favorem dictorum Patrum, quibus legatum eſt acquiſitum, nec aliquid ipſis imputari poterit, ſi legatum ipſis non fuerit traditum; nam reſpectu legatarii tempus non incipit currere ad conſtruendum, niſi a die, quo legatum eſt ei ſolutum, ut in ſpecie firmat Jaſ. *in l. ſi cui legetur* 51. *num.* 18. *ff. de legat.* 1. Cancer. *var. reſol. lib.* 3. *cap.* 1. *num.* 160. & Antonell. *de temp. legal. lib.* 4. *cap.* 6. *num.* 4. & 5.

16 Hinc nihil obſtarent interpellationes de non perfecta conſtructione intra annum, ſi Epiſcopus, ad quem devolvebatur jus exequendi, non procuraverit conſignationem legati, a quo tempore, ut dixi, tempus currere incipit, non autem debuerat interponere decretum pro caducitate legati, quæ non intrat, ſed ipſius legati exequutio, ad Text. *in d. cap. nos quidem*.

17 Tolliturque omnis difficultas, ſi Patres primò vocati inceperint conſtruere Monaſterium, quod ſufficit. Nam annus datus ad conſtruendum intelligitur ad incipiendum, non autem ad perficiendum juxta veriorem, & magis communem ſententiam, quam ſequitur Barbat. *in d. cap. nos quidem num.* 39. ubi ponderando verba illa, *Monaſterium debeat ordinare*, ait, quod verbum, *ordinare*, non denotat perfectionem, tenetque ibidem Abb. *n.* 9. & Anan. *num.* 10. ibi, *Si tamen inciperet intra annum, ſufficit*, & proſequuntur Covarr. *num.* 9. ac Rocc. de Curte *de Jurepatr. v. Conſtruxit qu.* 10.

18 Ex quibus, cùm pateat hanc ſententiam eſſe communem, non eſt attendenda contraria, quam ibidem tuetur Fagnanus, qui ſe fundat in illis verbis Textus *d. c. Nos quidem*, quibus præcipitur Epiſcopo, quod moneat hæredem, quatenus intra annum Monaſterium debeat ordinare, & cuncta ſecundùm voluntatem defuncti conſtruere. Nam illa prima verba, quod intra annum debeat Monaſterium ordinare, non denotant perfectionem, ut dixi; in ſequentibus verò, quod debeat cuncta ſecundùm voluntatem defuncti perficere, non repetitur terminus intra annum, ut notant ſuperiùs allegati Doctores, cùmque illa ſint directa ad hæredem, in omnem caſum nil aliud operantur, niſi quod jus exequendi auferatur ab hærede, & deferatur ad legatarium, & a legatario ad Epiſcopum, qui debet procurare exequutionem pro legatariis. Neque legatarius unquam conſtituitur in mora, niſi poſtquam illi fuerit ſolutum legatum, ut firmant Jaſon, Cancer. & Antonell. *loc. alleg.*

19 Cæterum, etſi aliqua fuiſſet commiſſa negligentia, vel mora, & caducitas fuiſſet expreſsè appoſita, etiam in hoc caſu non perfectæ conſtructionis intra annum, quæ tamen appoſita non fuit, ſed tantùm in caſu non factæ acceptationis loci intra annum ſequutæ, adhuc tamen Patribus primò vocatis ſuccurrendum eſſet per viam reſtitutionis in integrum, quæ datur adverſus non factam conſtructionem in termino præfixo, etiam quando alius eſt ſubſtitutus, qui eſt caſus ſortior, ut in terminis, articulo ad partes diſcuſſo, reſpondendo omnibus contrariis, firmat Bald. *in dict. l. Pupillorum a num.* 3. *Cod. de repud. hæred.* quem ſequitur Card. Zabarell. *in d. cap. nos quidem num.* 4. *in* 5. *q. de teſtam.*

20 Nec obſtaret, quod Monaſterium non fuerit fundatum in loco deſtinato a Teſtatore, ſi id factum fuerit ex juſtis, ac legitimis cauſis cum conſenſu hæredum, & Epiſcopi. Quando enim Monaſterium non poteſt conſtrui in loco, ubi Teſtator mandavit, poteſt conſtrui in alio, conſentiente Epiſcopo, ut probat text. *in d. cap. nos quidem. §. Quod infra*, ibique Anan. *num.* 7. & Covar. *num.* 12. & tradunt Tiraq. *de privil. piæ cauſ. privil.* 43. ubi latè Add. & Monet. *de commutat. ult. voluntat. cap.* 3. *num.* 78. Mirand. *in manual. Prælat. tom.* 1. *quæſt.* 33. *num.* 7. Rodriq. *tom.* 2. *quæſt. regul.* 125. *art.* 10. ac Donat. *rer. regular. tom.* 1. *p.* 2. *tract.* 1. *tit. de Monaſt. ædif.* Sufficere autem conſenſum Epiſcopi, quomodocunque probatum, etiam tacitum, ac implicitum, nec eſſe neceſſarium, quod præſtetur in ſcriptis, firmant Syl. *de benef. part.* 1. *quæſt.* 6. *num.* 21. Azor. *inſtit. moral. part.* 2. *lib.* 9. *cap.* 3. *quæſt.* 2. Ricc. *deciſ.* 168. *n.* 2. *p.* 4. Merol. *tom.* 3. *theolog. moral. diſp.* 7. *n.* 146. ac Donat. *rer. regul. tom.* 1. *par.* 2. *tr.* 1. *quæſt.* 11. *num.* 2. ſufficitque, etiamſi conſenſus Epiſcopi poſt factum ſuperveniat, ut probat Gloſ. *in cap. de Monach. v. probatio*, ibique Archidiaconus, ac cæteri 18. *quæſt.* 2. Fagnan. *in c. non amplius n.* 58. *de inſtit.* ac Donat. *d. q.* 11. *n.* 2.

21 Nec obſtat, quod aliæ Religiones non conſenſerint. Nam hæc dicitur objectio de jure tertii, quæ in his rebus non admittitur, & aliàs rejecta fuit a Sacra Congregatione, ut teſtatur Donat. *loc. cit. quæſt.* 30.

Aut igitur Patres *B.* ſupponunt eſſe factum locum ſubſtitutioni ob conditionem in tempore non adimpletam, & audiendi ſunt, ſi fundamentum ſuæ intentionis probarent, *l. is, cui, ff. de act. & oblig.* Buratt. *dec.* 781. *n.* 3. Rota *deciſ.* 639. *num.* 2. *part.* 4. *tom.* 2. *recentior.* Cyriac. *controverſ.* 451. *num.* 29. cùm ſubſtitutioni non ſit locus, niſi venerit caſus vocationis, Rot. *deciſ.* 314. *n.* 2. *part.* 4. *tom.* 2. *recent.* ſed cùm Patres primò vocati acceptaverint legatum, locumque acceperint intra tempus a teſtatore præfixum, licèt non a Teſtatore ordinatum, quia commodus non erat pro Monaſterio ædificando, ſed alium commodum, præcedente cauſæ cognitione juxta *d. cap. nos quidem de teſtam.* propterea omnis alia ſubſtitutio, quæ in caſu acceptationis non ſequutæ, ac loci intra tempus præfixum non cepti, fuerat a teſtatore facta, evanuit, Magon. *deciſ.* 144. *num.* 1. & *ſeqq.* Surd. *deci.* 144. *num.* 13. & *ſeq.* Fulgar. *conſ.* 64. *num.* 4. & 6. Rota *deciſ.* 570. *num.* 5. *par.* 4. *recent.* 22

Aut propter caducitatem incurſam ex eo, quod Monaſterium intra annum non ædificaverint ex *d. cap. nos quidem*. At diſpoſitio hujus textus non inducit caducitatem legati, ſed ſolùm avocat facultatem hæredi, vel exequutori teſtamentario, eamque devolvit Epiſcopo, ut omnes ad dictum textum obſervant, quibus etiam adſtipulatur Fagnanus. 23

Nec tempus unius anni ad conſtructionem Monaſterii præfixum currit, niſi a die monitionis, ut deſumitur ex eodem textu, quæ quidem monitio eſt ſupervacanea, ſi pecunia pro ædificatione ſaltem non offeratur, Bald. *in l. num.* 22. *C. de uſur.* ubi quod petens adimplementum, ſed deficiens, etiam in minimo, obtinere non poteſt, Rota *deciſ.* 90. *num.* 13. *part.* 4. *tom.* 2. *recent.* & *deciſ.* 215. *num.* 1. *par.* 5. *tom.* 1. *rec.* & *in Mediolanenſi frumenti* 18. *Octobris* 1587. coram Orano. 24

Et privatio ſupponi non poteſt, niſi adſit ſententia declaratoria, Fuſar. *de ſubſtit. qu.* 583 *n.* 2. Quod deciſum ajunt Mogon. *deciſ.* 16. Giovagn. *reſpon.* 61. *num.* 26. *lib.* 1. quæ nunquam poteſt contingere, cùm a pœna caducitatis, & contraventionis quælibet cauſa, nedum juſta, ſed etiam colorata, excuſet, Merlin. *dec.* 491. *num.* 1. Rota *dec.* 429. *n.* 3. *par.* 4. *diverſ.* Gregor. *deciſ.* 388. *n.* 4. Buratt. *deciſ.* 182. *num.* 25. Rota *dec.* 293. *num.* 4. & 5. *par.* 6. & *dec.* 230. *n.* 2. & *ſeq. p.* 7. *recent.* ſolumque aperta malitia, & manifeſtus dolus malus privationem cauſent, Rota *in Neapolitana hæreditatis* 10. *Decembris* 1660. *§. Verum quia* coram Cerro. 25

Et quidem certum eſt pactum reſolutivum non habere locum, niſi ex negligentia in adimplendo onere impoſito, ut notant communiter Doctores in *cap. Verum de condit.* Hæc autem negligentia non ſolùm debet eſſe apud Prælatum, ſed etiam apud Capitulum, Doctores, quos ſequitur Alphon. de Leon. Quia factum ſolius Prælati non poteſt nocere Eccleſiæ, ut iidem docent communiter cum Gloſſa *in can.* 1. *cauſ.* 17. *q.* 6. & ideò ſi ſit Prælatus negligens, non habet locum pactum reſolutivum. 26

Præter autem negligentiam requiritur etiam monitio, Doctores apud Vivian. *de jurepatr. lib.* 2. *cap.* 5. *num.* 49. Quæ licèt aſſeratur interveniſſe, Legatarius tamen non poteſt argui de mora, ſive negligentia, ſi ſemper fuerit oppoſitum cum exceptionibus, & cauſis excuſationis, ut per Doctores communiter apud Menoch. *conſ.* 381. *num.* 46. 27

Requiritur etiam præter negligentiam, & monitionem, quod Eccleſia, ſive Legatarius non ſit paratus purgare negligentiam. Quia dum poteſt mora purgari, non eſt in culpa, Alphonſ. de Leon. *de Offic. Capell.* aliique apud ipſum. Quod procedit, etiamſi ſit appoſitum tempus. Quia, re integra, admittitur ex æquitate purgatio moræ, ac negligentiæ, ut notat Gloſ. in *cap. potuit de locat.* ibique Ber. *num.* 61. 28

Et quamvis non admittantur moræ purgatio, quando adeſt pactum reſolutivum, ut inter alios notat Put. *dec.* 66. *lib.* 3. Viv. *dec.* 531. Id tamen procedit ſolùm de jure civili, non autem de jure Canonico, ut docet Peguer. *deciſ.* 129. Verall. *deciſ.* 231. *par.* 2. Riccius, & alii apud Rotam *deciſ.* 504. *par.* 4. *diverſ.* 29

Quantum autem tempus elabi debeat, ut dici poſſit mora purgata, ſublataque negligentia, ne habeat locum pactum reſolutivum, variæ ſunt opiniones. Quidam volunt incontinenti, atque adeò intra triduum. Alii intra decem dies, qui tamen communiter rejiciuntur. Alii intra duos menſes. Intra quatuor alii. Alii totum tempus, quod currit uſque ad conteſtationem litis. Alii totum tempus uſque ad ſententiam excluſivè neceſſariò requirunt, quorum opiniones refert Menoch. *de arbitr. cent.* 1. *lib.* 2. *c.* 7. 30

At

31 At tenendum eſt, quod in hoc non poteſt aſſignari certa regula, ſed relinquendum prudentis judicio, & arbitrio Judicis, ita tamen, ut debeant conſiderari omnes, ac ſingulæ circumſtantiæ, ac præſertim juxta ſubjectam materiam judicandum. Ita loquentes de mora tradunt Gloſ. *in dict. cap. potuit de locat.* ibique Doctores, ac Menoch. *loc. citat. num.* 13. & Rota cum aliis *deciſ.* 640. *num.* 5. *in fin. p.* 5. *rec.*

32 Quamvis enim Teſtator adjecerit oneri pactum reſolutivum legati, non eſt tamen veriſimile, quod ita exegerit rigoroſè ſtrictum adimplementum oneris, ut voluerit privare legatarium legato propter negligentiam, quæ ſaltem ex æquitate purgari poſſit. Nam cùm privatio legati jam quæſiti, ſit gravis pœna, non debet cenſeri impoſita, niſi ob gravem negligentiam, cum debeat pœna commenſurari delicto. Cùmque legatum factum ſit etiam in beneficium Eccleſiæ, ſive Religionis legatariæ, atque adeò ex affectione erga ipſam, non eſt veriſimile, quod Teſtator velit illam privari ob negligentiam, quæ non ſit notabilis.

33 His accedit, quod quando plura injunguntur per modum unius, ſi aliquid ex ipſis omittatur ex negligentia, non inducitur caducitas, dummodo tamen aliquid adimpleatur, quod ſufficiat, ut dicatur onus injunctum partialiter adimpletum, ut ſi conſtructio Monaſterii jam fuerit incepta intra tempus appoſitum, ita Ber. *conſil.* 15. *num.* 13. *vol.* 1. Et ſequitur ex regula ſervanda in pactis reſolutivis, ut ſcilicet ſemper ſumenda ſit illa interpretatio, quæ excludit reſolutionem, & manutenet, quod factum eſt *l. ſi inter virum, ff. de reb. dub.* ibique Doctores, Mantic. *de tacit.* 2. *tit.* 4. *num.* 30. Unde, cùm pactum reſolutivum poſſimus interpretari appoſitum pro caſu, in quo totum onus dimitteretur, debet ita accipi ad conſervandum jus quæſitum legatario; præſertim quia dici non poteſt, quod legatarius non exequatur voluntatem Teſtatoris, quando ex parte exequitur onus injunctum.

34 Hinc autem fit, quod quando obtinetur finis ex parte, non habet locum pactum reſolutivum. Nam adhuc finis legati perſeverans ſecundùm aliquas reliquias manutenet legatum, nec ſinit ſubintrare pactum reſolutivum, quod ex diſpoſitione ſolùm ſubintrare poteſt, quando, deficiente finali cauſa, deberet deficere legatum, ſi eſſet ſucceſſivum, & non eſſet translatum in dominium legatarii.

35 Præterea ponamus, quod Eccleſia, ſive Religio legataria moram non purgaverit in tempore, adhuc tamen tenendum eſt abſolutè, quod poſſit reſtitui, ſecluſo dolo malo, & quod ſit parata purgare moram. Ita Alphonſ. de Leon. ſupra, & apud ipſum Riccius & Vivianus, qui ajunt, reſolutionem legati non induci, ſi Eccleſia parata ſit moram purgare. Et præcipuè ſi pactum reſolutivum in Teſtamento appoſitum ſit verbis obliquis, quod non reſolvit ipſo jure, neque transfert dominium, ſed ſolùm parit actionem ad illud reſolvendum, ut communiter tradunt Doctores *per l. fin. ff. de legat. commiſſ. & l. commiſſaria C. de pact. inter emptor. & venditor.* Atque adeo requiritur factum Judicis, ut ſuccedat privatio. Ergo poteſt haberi reſtitutio in integrum, quia poteſt condonari, quod deliquit, & non deveniri ad privationem.

36 Nec obſtat, ſi dicatur, hanc reſtitutionem eſſe in præjudicium legatarii ſubſtituti. Nam id non eſt in ejus præjudicium. Quia cùm primus legatarius non ſit adhuc privatus jure, ac dominio legati, non poteſt jus aliquod acquiri ſubſtituto. Dum autem non eſt ipſi jus aliquod acquiſitum, non ipſi infertur præjudicium aliquod per reſtitutionem, cùm præjudicium conſiſtat in læſione juris.

37 Nec etiam juvat, ſi inſtetur, quod legatarius ſubſtitutus habet jus a teſtatore petendi reſolutionem legati in caſu, quo primus legatarius onus non adimpleat. Reſtitutio autem primi legatarii ad legatum privat hoc jure. Quia impedit, quominus ſubſtitutus poſſit conſequi legatum.

38 Nam reſpondetur, ſubſtitutum acquirere hoc jus, ſed ſub tacita conditione, ſi non fiat reſtitutio. Cùm enim reſtitutio de jure locum habere poſſit, cenſetur Teſtator diſpoſuiſſe in conformitate ad jus, ac proinde conceſſiſſe facultatem ſubſtituto repetendi legatum, quando attento jure communi, non eſſet primus legatarius reſtitutus.

39 Accedit, quod reſtitutio eſt introducta ob publicam utilitatem, ut ſubveniatur lapſis, vel deceptis, & fundatur in æquitate, *l.* 1. *ff. de reſtit. in integr. l. Divus Antoninus ff. eod.* & ideo non debet privatum commodum prævalere, contra æquitatem, & utilitatem publicam. Unde jus acquiſitum legatario ſubſtituto eſt jus ſubordinatum æquitati, ac utilitati publicæ; atque adeò admittens reſtitutionem primi legatarii, quando eſſet conformis æquitati.

Quare manutenendi ſunt ii Regulares in legato, 40
quando defectus adimplementi non poteſt reſundi in eorum voluntatem, dum ipſi præſtiterint quantum in ſe eſt, ut modus adimpleretur, ac proinde habetur pro impleto, Doctores communiter apud Menoch. *conſil.* 262. *num.* 13.

Ad ſecundum reſpondeo pariter negativè. Nam le- 41
gatum eſt pecuniarium, unde legatarii habent tantùm actionem ad pecuniam. Pecunia autem nullum ex ſe fructum reddit. Quia pecunia non creat pecuniam, ideoque non poſſunt prætendi aliqui fructus ſine labe uſurarum ad text. *in cap. ſalubriter de uſur.* traditque Rot. *deciſ.* 130. *numer.* 1. & *deciſ.* 301. *numer.* 4. *part.* 5. *recent.*

Eſtque certum, quod creditor pecuniarum, ut con- 42
ſequi poſſit aliquod lucrum licitum, debet probare adeſſe requiſita Pauli de Caſtro *in l.* 3. *ff. de eo, quod certo loco* juxta opinionem Rotæ, ut in *deciſ.* 90. *num.* 3. *part.* 2. *diverſ.*

Cum igitur in hoc caſu ex pecunia legata, teſtator juſſerit conſtrui Monaſterium, certè nec ob retardatam ſolutionem, neque ob non adimpletum opus, aut ob aliquem alium prætextum Patres legatarii, poſſunt prætendere lucrum, cùm ipſi non ſint paſſi aliquod damnum, Surd. *dec.* 365. *num.* 39. & *conſ.* 101. *num.* 24. *lib.* 1.

Nec obſtat, quod legatariis a die motæ litis debean- 43
tur fructus. Nam id locum habet, quando res legata eſt ex ſe fructifera, ut ſi fuiſſent legata bona ſtabilia, vel loca montium, tunc enim, pendente lite, fructus debentur legatario. Nos autem verſamur in caſu, in quo legata eſt pecunia, quæ non poteſt ex ſe parere fructus legatario, & propterea, licèt Patres legatarii potuerint agere contra loca montium, tanquam bona Teſtatoris legantis obligata pro ſatisfactione legati, ſine actione, tamen agunt pro fructibus, eſſetque manifeſta uſura.

CONSULTATIO XLVII.

Quæ, quotve requiſita intercedere debeant ut Regularis dicatur filius nativus alicujus Conventus?

REſpondeo, quod non ſolùm requiratur origo, & 1
patria in illa Civitate, in cujus Conventu filius eſſe velit, ſed etiam quod in eadem Civitate habitum ſuæ Religionis ſuſcipiat, novitiatum agat, & ſuffragantibus Patribus dicti Conventus ſuam ibi profeſſionem emittat, Navarr. *in com.* 4. *de regul. cap. ſtatuimus num.* 22. & *conſ.* 1. *num.* 10. *lib.* 1. *ut lit. pend. vol.* 2. ac Bordon. *de regul. tranſ. reſol.* 43. *num.* 37. *ac ſeqq.* Nam ad ipſum Conventum, ejuſque Superiores ſpectat recipere illum ad novitiatum, & profeſſionem, ac dignoſcere, an expediat illum in Monaſterio admittere *ex cap. novit.* 4. & *c.* 5. & *c. ea noſcitur* 6. *de iis, quæ fiunt a Prælat.* & ſuadetur ex *can. Monaſteriis* 19. *qu.* 3. & *cap. non ſolùm de reg. jur. in* 6. traduntque Vecch. *de novit. diſp.* 6. *dub.* 2. *num.* 2. & *diſp.* 7. *dub.* 2. *num. item* 2. Nav. *conſ.* 9. *de conſtit. num.* 12. Mirand. *tom.* 1. *q.* 15. *art.* 1. *concl.* 2. Sanch. *in decal. lib.* 4. *c.* 16. *num.* 52. ac Bordon. *loc. cit. reſol.* 29. *n.* 4. & 5. & *in cap.* 3. *de profeſſ. regul. q.* 9. & receptio ſemper fit pro certo Conventu, non autem pro Religione, aut Provincia, ut per Bordon. *d. reſol.* 29. *n.* 5.

At ita quidem, ut nullius eſſet momenti filiatio al- 2
terius Conventus deducta ex eo, quod ipſe Regularis aliquando moram in illo traxerit, ac ſæpè vocatus fuerit Pater hujus Conventus. Nam ex hujuſmodi denominatione non tollitur filiatio originaria, dum non docetur ibidem commoraſſe animo deſerendæ propriæ & nativæ filiationis, Navarr. *in dict. comm.* 4. *de regular. num.* 22. quam ne ipſe quidem ex ſe deſerere, aliamque eligere poteſt, etiamſi vellet, niſi cum licentia ſui Generalis, Navarr. *d. conſ.* 10. *num.* 10. *in fine*. Vel niſi probetur ſua propria, & nativa filiatione ex licentia ejuſdem Generalis privatum fuiſſe, quia ſine ſua culpa privari non poteſt.

Neque jure cogi poterit propriam, & nativam filia- 3
tionem dimittere, & ad aliam tranſire. Quemadmodum enim etiamſi voviſſet illud monaſterium ingredi, & ab eo non reciperetur, aliud etiam ejuſdem Religionis ingredi non tenetur, Divus Thomas 2. 2. *qu.* 88. *art.* 3. *ad* 2. & *qu.* 189. *art.* 3. *ad* 2. quem ſequitur Navarr. *in d. com.* 4. *eodem n.* 22. Ita etiam cùm in ingreſſu, & in profeſſione ſe, ac omnia ſua bona dicaverit eidem Monaſterio, & tanquam ejuſdem filius ad illius obſequium ſit adſcriptus, & obligatus privativè quoad

alia, *auth. ingreſſi C. de ſacroſ. Eccleſ. can. ſi qua 19. q. 2. & can. quia ingredientibus eod. qu. ult.* Navarr. *dict. 2. de regul. in cap. non dicatis num. 4. & 5.* Panorm. *inc. in præſentia num. 74. de probat.* Surd. *de alim. tit. 1. qu. 128. num. 7.* Oldrad. *conſ. 29. col. 2. in princ.* Calder. *conſ. 23. de Regular.* ac Rota *dec. 4. num. 6. & 8. & p. 6. rec.* eidemque Monaſterio quæſivit omnia bona, Navarr. *in d. c. non dicatis num. 46. 50. & 54. ac plenè num. 38.* ad aliud etiam ejuſdem Religionis ſine culpa, & cauſa cognita tranſire de jure cogi non poteſt, Navarr. *in dict. com. de Regul. d. num. 22. & in d. conſ. 1. num. 10.*

4 Sed alimenta ibidem ab eo ex origine, & ex profeſſione quæſita, ſunt a Monaſterio ipſi ubique præſtanda, Nav. *in c. ſtatuimus num. 22. & in d. c. non dicatis n. 5.* Sanch. *in decal. lib. 6. cap. 9. num. 8.* Surd. *de alim. tit. 6. q. 35. n. 6. tit. 1. q. 128. num. 12.* & Molin. *de juſt. & jur. diſp. 140. §. Quidam religioſus*, ſumptuſque etiam litis ſunt eidem a Monaſterio ſubminiſtrandi, Surd. *loc. cit. tit. 1. d. qu. 128. n. 6. & q. 121. num. 2.* & Sanch. *d. lib. 6. cap. 9. num. 8.* ubi plenè more ſuo.

5 Cæterum filiatio probatur per tractationem in filium, per reciprocam nominationem in filium, per communem reputationem, ac per conjecturas, ut de tractatione ſcribunt Doctores *in l. quidam quaſi ff. de liber. agnoſcend.* ubi firmant, quod ſi quis tractaverit aliquem in filium, conſtituit eum in quaſi poſſeſſione filiationis, donec contrarium probetur, Maſchard. *de prob. concl. 789. num. 1.* Et de reciproca nominatione aſſerunt etiam DD. locis allegatis, ac Paleot. in ſuo tractatu *de noth. & ſpur. cap. 23. num. 2.* Maſcard. *concluſ. 190. num. 17. & 39.* De fama autem, ac communi reputatione idem Maſcard. *concl. 191.* Ac demum de conjecturis, ac præſumptionibus ipſe Maſchard. *concl. 796.* qui licèt loquantur de filiatione carnali, idem tamen procedit in filiatione ſpirituali, cùm argumentum a Matrimonio carnali ad ſpirituale valeat *cap. 2. de ſponſal. & cap. inter corporalia de translat. Prælat.*

6 Unde filiatio non reſultat ex ſola nativitate, neque ex loco novitiatus, ſive profeſſionis. Nam ſi hoc verum eſſet, duo tantùm, aut tres Conventus uniuſcujuſque Provinciæ haberent filios, cæteri verò nullum haberent filium, cùm in unaquaque Provincia totius Religionis ſint, ac reperiantur ſolùm duo, vel tres Conventus pro novitiatu, & tamen certum eſt aliter diſponi in S. Concilio Trid. *ſeſſ. 25. de regul. cap. 3.* ac etiam in Apoſtolicis Sanctionibus, & decretis Sacræ Congregationis ſuper ſtatu Regularium, ac præſertim in decretis Sacræ Congregationis a S. D. N. Innocentio Papa XII. ſuper diſciplina regulari ſpecialiter deputatæ, ejuſdemque Sanctiſſimi Domini Noſtri authoritate editis, quæ ſunt hujuſmodi.

DECRETA

Sacræ Congregationis a Sanctiſſimo Domino Noſtro Innocentio Papa XII. Super diſciplina Regulari ſpecialiter deputatæ.

Ejuſdem SS. D. N. authoritate edita.

SAnctiſſimus in Chriſto Pater, & D. N. D. Innocentius Divina Providentia Papa XII. pro Paterna charitate, qua Religioſos Ordines multis, magniſque in Eccleſiam Dei meritis refulgentes, & peculiaris erga Sedem Apoſtolicam devotionis nomine commendatos complectitur, volens eorum conſervationi, & propagationi conſulere, ſimulque ex injuncto ſibi cœlitus Paſtoralis Officii debito providere, ut Regularis in iis Diſciplina ad Religioſorum ſalutem, & totius Chriſtiani Populi ædificationem, utilitatemque, ſartatecta cuſtodiatur, ac vigeat, & ſicubi colapſa eſt, adjuvante Domino reparetur, conſtituit, & declaravit, ſe licentiam recipiendi Novitios in ſingulis approbatis Ordinibus benignè conceſſurum, ut volentibus e periculoſis ſæculi fluctibus ad Religionis portum confugere, facilis, tutuſque aditus aperiatur: dummodò tamen ea, quæ pro Regulari vita rectè inſtituenda tàm a Sacroſancta Trid. Synodo, quàm a Prædeceſſoribus ſuis Romanis Pontificibus, præcipuè verò ſel. rec. Clemente VIII. in Decretis generalibus pro Regularium reformatione, necnon Innocentio X. & Alexandro VII. pro Novitiorum receptione, & Profeſſorum educatione ſalubriter conſtituta ſunt, quibus omnibus firmiter inhæret Sanctitas Sua, eaque, quatenus opus ſit, confirmat, & renovat (ſalvis tamen in hac parte ſingulorum Ordinum ſtatutis, ſeu aliis Ordinationibus ab Apoſtolica Sede in forma ſpecifica poſt eadem Decreta forſitan approbatis, aut editis) exactè, & inviolatè ſerventur.

Quocirca Sac. Congreg. ab eodem Sanctiſſimo Domino Noſtro ſuper Diſciplina Regulari ſpecialiter deputata, quæ plura hactenus pro recta nonnullorum Monaſteriorum gubernatione Decreta edidit, aliaque in dies editura eſt, ut omnibus præfata ejuſdem Sanctiſſimi Domini Noſtri mens pateat, ac plenius, & celeriùs innoteſcat, de mandato Sanctitatis Suæ præſentis Decreti tenore denuntiat omnium, & ſingulorum Ordinum Regularium (iis duntaxat exceptis, qui in præfatis Clementis VIII. Decretis excepti reperiuntur) Superioribus tàm Generalibus, quàm Provincialibus, quocunque nomine nuncupentur, cæteriſque, ad quos ſpectat, ut in unaquaque Provincia per Italiam, & Inſulas adjacentes quamprimum deputent aliquos Conventus, quos magis aptos cenſuerit, vel unum ſaltem, ibique authoritate Apoſtolica ſtatuant omnimodam obſervantiam Regulæ, Conſtitutionum uniuſcujuſque Ordinis, & Decretorum Apoſtolicorum, præcipuè verò exactæ Vitæ Communis ad formam eorundem Decretorum ab omnibus Religioſis, qui in Conventibus, ubi recipiendi Novitii, & Profeſſi educandi ſunt, morabuntur, omninò ſervandæ. Poſtquam verò Regularem Obſervantiam, & ſignanter quoad exactam Vitam Communem cum effectu ſtabilitam fuiſſe, tàm ex eorumdem Superiorum Generalium ſeu Provincialium relatione, quàm Præpoſiti, & Fratrum in præfatis Conventibus degentibus jurejurando firmato Teſtimonio, necnon per ſecretas Informationes atque etiam, ubi opus fuerit, per Apoſtolicos Viſitatores ad hoc ſpecialiter deputandos, eidem Sacr. Congreg. ſufficienter conſtiterit, tunc Sanctitas ſua antedictam licentiam, quam hactenus diſtulit, Novitios ibi recipiendi benignè concedet, & locum ad Profeſſos pietate, & literis inſtituendos uſque ad Sacerdotium, vel aliàs juxta Conſtitutiones, & laudabiles cujuſque Ordinis conſuetudines, in iiſdem Conventibus, non autem in aliis, niſi fuerint ejuſdem obſervantiæ, deſtinabit.

Quæ quidem omnia quò facilius, efficacius, & durabilius ad praxim deduci valeant, eadem S. Congr. Sanctitatis ſuæ authoritate committit, & in virtute S. Obedientiæ præcipit præfatis Superioribus, ad quos pertinet ut in ſupradictis Conventibus non colloceat, niſi Religioſos graves, devotos, exemplares, regularis obſervantiæ, & puritatis regulæ ſtudioſos, orationi præſertim, ac mortificationi, ſine quibus non poteſt Religioſa vita conſiſtere, addictos, quique conſentiant exactè ſervare Vitam communem, atque inde amoveant eos omnes, qui tàm Sanctæ Ordinationi contradicere, ſeu verbis, aut factis quoquomodo ſe ſe opponere audeant.

Ut autem tàm laudabilis vitæ inſtitutum, & Regulari Profeſſioni maximè proprium Religioſi alacriùs abripiant, omniſque excuſatio infirmioribus præcludatur, eadem S. Congr. ſimiliter præcipit Superioribus antedictis, ut memoratis Conventibus (implorata etiam, ubi opus fuerit, Apoſtolica authoritate) præfici omninò curent viros non ſolùm diſciplinæ zelo, ſed etiam charitate, & morum ſuavitate prædictos, compatientes, Fraternitatis amatores, miſericordes, quorum regimini libenter alii ſe ſubmittant. Studeant verò præcipuè, ut ea omnia, quæ tàm ad victum, & veſtitum, quàm ad reliquas vitæ neceſſitates pertinent, ſingulis Religioſis promptè ſubminiſtrentur, ac præſertim ægritudinis tempore nihil alicui deſit, quod ad ſanitatem recuperandam pertineat: Ac propterea Religioſos in iiſdem Conventibus morari non patiantur ultra eum numerum, qui ex illorum redditibus, & conſuetis communibus, vel etiam ſingulorum eleemoſynis, aliiſve quibuſcunque obventionibus pariter in commune conferendis valeat commodè ſuſtentari. Eos verò, qui ſemel præfatæ obſervantiæ, & exactæ Vitæ communi libenter, ut verè Religioſos viros decet, ſe ſe ſubjecerint, & in ea laudabiliter perſeverent, nullatenus a memoratis Conventibus nolentes transferant, niſi fortè ad alia Monaſteria, ubi ſimilis obſervantia vigeat, iiſque pariter de omnibus ad vitam neceſſariis poſſit commodè provideri.

Quod ſi redituum, & eleemoſynarum tenuitas hujuſmodi exactæ Vitæ Communis obſervantiæ alicubi videatur obſiſtere, liceat eiſdem Superioribus, vel per annuam contributionem aliorum Conventuum huic neceſſitati proſpicere, vel ab Apoſtolica Sede per ſuppreſſionem alicujus Conventus minus utili perpetuam, vel ad tempus, vel alia demum ratione, quæ opportunior viſa fuerit, remedium poſtulare.

Sciant verò Superiores prædicti, eos qui præfata omnia ſedulò, ut par eſt, adimplere curaverint, ſpecialem a Sanctitate ſua, & Sede Apoſtolica inituros gratiam, & protectionem, atque in iis præcipuè, quæ ad antedictam obſervantiam ſtabiliendam pertinent, favorem omnem, & auxilium experturos; qui verò e contra negligentes,

gentes, aut (quod absit) contumaces reperti fuerint, gravibus pœnis pro modo culpæ, & etiam privationis Officiorum, ac perpetuæ inhabilitatis ad ea, aut alia in posterum obtinenda puniendos fore : Præfatæ autem observantiæ nihilominus stabiliendæ per alios Superiores, vel per Commissarios Apostolicos, ubi opus fuerit, etiam extra Religionem assumendos, a Sancta Sede efficaciter providendum; omnemque interim, ubi eadem observantia non vigebit, recipiendi Novitios licentiam denegandam.

Porrò ne Regularis Disciplina, dum in Conventibus jam erectis statuitur, relaxetur in erigendis, & quod una ex parte construitur, simul ex altera destruatur, S. Congregatio Sanctitate Sua similiter approbante, statuit, atque decernit, nulla in posterum Monasteria, Collegia, Domos, Conventus, aut alia Religiosorum Virorum loca fundari, erigi, aut quovis modo instituì debere, nisi sub expressa obligatione exactæ Vitæ Communis ab omnibus Religiosis ibi commorantibus perpetuò, & inviolatè servandæ; ac propterea nullas deinceps admittendas hujusmodi fundationes, nisi præter alia ad id requisita, prius legitimè constiterit, adesse annuos redditus, vel certam eleemosynarum spem, quibus duodecim saltem Religiosi in exacta vita Communi commodè valeant sustentari.

Non obstantibus circa præmissa omnia, & singula Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, nec non quorumcunque Ordinum Statutis, consuetudinibus, privilegiis, cæterisque contrariis quibuscunque.

Ad extremum eadem Sacra Congregatio Regulares omnes, cujuscunque Ordinis, & Instituti sint, Sanctitatis Suæ verbis, seriò admonet, & in Domino obtestatur, ut omni mora postposita, sicuti filios Obedientiæ decet, ad Regulæ, quam amplexi sunt, præscriptum vitam instituant, & componant. Decretisque Apostolicis pro æterna illorum salute edictis sincerè, ac fideliter pareant, nec ab eorum observantia inanibus interpretationibus, & fallaciis, aut relaxationum prætextibus, ad excusandas excusationes in peccatis, abduci se sinant, sed Professionis suæ memores, qua se totos Dei obsequio manciparunt, susceptum Christianæ perfectionis iter, arduum quidem, sed Divinæ charitatis dulcedine aspersum, abjectis terrenarum rerum curis, alacriter prosequantur: Nimis enim turpe esset, eos ad sæcularia desideria, quibus semel aspirante Domino renunciarunt, animum revocare, & obligatam Deo, qui non irridetur, primam fidem irritam facere. Meminerint, se ad peculiarem Salvatoris Nostri sequelam vocatos, qui cùm dives esset, propter nos egenus factus est, veterumque illorum fidelium glorioſos imitatores, ac veluti hæredes esse, quorum erat cor unum, & anima una, nec quisquam eorum, quæ possidebat aliquid suum esse dicebat, sed erant illis omnia communia, dividebatur autem singulis, prout cuique opus erat; ideoque in Regularis vitæ, ac præcipuè Sanctæ Pauperratis, quæ est parens quædam generatioque virtutum, proposito perseverent, omnem solicitudinem suam projicientes in eum, cujus oculi in pauperes respiciunt, qui non derelinquit sperantes in se, sed dives in misericordia centuplum, & vitam æternam propter nomen suum relinquentibus omnia repromisit.

Dat. Romæ die 18. Julii 1695.

G. Cardinalis Carpineus.

Loco ✠ Sigilli.

Carolus Augustinus Fabronus S. Congr. Secret.

Anno a Nativitate Domini Nostri Jesu Christi millesimo sexcentesimo nonagesimo quinto, Indictione tertia, die vero vigesima prima Julii, Pontificatus autem Sanctissimi in Christo Patris, & Domini Nostri Domini Innocentii Divina Providentia Papæ XII. anno Quinto, supradicta Decreta affixa, & publicata fuerunt ad Valvas Ecclesiæ Sancti Joannis Lateranensis, Basilicæ Principis Apostolorum de Urbe, Cancellariæ Apostolicæ, & Curiæ Generalis in Monte Citorio, ac in aliis locis solitis, & consuetis Urbis per me Gregorium Staggium ejusdem Sanctissimi Domini Nostri Papæ Curs.

Joannes Græcus Mag. Curs.

7 Præterea, si Regularis ortus sit, exempli gratia, Neapoli, & ejus Parentes Brundusii, dictus Regularis dici poterit oriundus è Brundusio. Nam alicujus origo probatur ex eo, quod illius Pater, vel ejus majores originem ex eo loco duxerint. Filius enim retinet originem sui Patris, etiamsi alibi nascatur, ut firmant Gloss. *in capit.* 1. §. 1. *vers. alienigenus de usur. in* 6. *leg. assumptio §. filius ff. ad municip.* ac Doctores, præcipuè Bartol. *in leg. libertas §. Patris, & in leg.* 1. *ff. eodem, & in leg. originem cum leg. sequentibus Codice de municip. & orig. & in leg. cujus Codice de incol. eod.* traduntque Bald. *cons.* 294. *vol.* 4. ac Boer. *decis.* 13. *num.* 5. *& seqq.*

Tandem puto, quod ad hoc, ut aliquis dicatur filius nativus alicujus Conventus, debet esse receptus a duabus ex tribus partibus filiorum, ac Patrum illius Conventus particularis, ubi vult recipi, ac pro illo adscribi, nulla habita ratione de illius nativitate, sive origine, idque ex jure communi, salvis semper Constitutionibus Religionum.

Pro Dominicanis verò Regni Neapolitani extat apud 9
Sacra Congregationem super Episcopis, & Regularibus sequens decretum. *Die 9. Januarii* 1682. *Quoad transfiliationes usque adhuc factas in Conventu S. Dominici Neapolis nihil innovetur. Imposterum tàm respectu dicti Conventus, quàm reliquorum Regni Neapolitani nullatenus concedantur per P. Generalem, & alios Superiores, inconsulta Sacr. Congregatione.*

CONSULTATIO XLVIII.

De ordine militum Sepulchri Dominici, deque privilegiis, exemptionibus, gratiis concessis a Summis Pontificibus Guardiano, ac fratribus terræ Sanctæ.

QUi hujus sunt ordinis a Jacobo Alphæi fratre Do- 1
mini originem se se habere gloriantur, ut sic antiquitatis argumento se hominibus commendent. Mirum est autem hujus rei, præsertim tanti momenti, vel a Clemente Alexandrino, vel Egesippo, & Josepho, vel aliis probatis historicis veteribus nullam prorsus fieri mentionem. Dominus autem discipulis suis non sepulchri sui custodiam, sed verbi Dei, & Evangelii prædicationem commendavit. Et sanè Jacobus, aut alii Apostoli non probè officio suo functi fuissent, qui relicta Hierosolymorum Urbe, Pellam concesserunt, & Apostolici viri permiserunt fieri, ut sepulchrum Domini lapidibus obrueretur, & templum spurcissimæ Veneris ibi ædificaretur, Socrate authore *libr.* 1. *capit.* 17.

Sunt igitur, qui referant Joannem XXII. vel juxta 2
alios XXIII. ordinem hunc militarem instituisse. Sed hæc sententia a quocunque habeat, recipi non potest. Joannes enim hic Papa Pontificatum Romanum tenuit circa annos Domini 1320. Joannitæ autem Templarii, reliquique Christiani omnes, præsertim qui ob militiam erant celebres circa annum Christi 1300. tota Syria a Soldano excedere jussi sunt.

Probabilior ergo eorum videtur opinio, qui putant, 3
cœpisse hos milites post captam demum a Christianis Hierosolymam, Gottifredo Bulioneo Duce, cùm paulò ante Joannitæ etiam emersissent. Quamquam ne huic quidem sententiæ absolutè subscripserim, cùm nulli authorum his temporibus aliquam saltem, quod equidem sciam, mentionem faciant.

Qui tamen in hac postrema sunt sententia judicant, 4
hunc Ordinem Patriarchæ Hierosolymitano subjectum fuisse, atque normam vivendi illi datam, quam Canonicam appellant, amplis prædiis dotatum a Gottifredo, aliisque Regibus, Rubram, & geminam Crucem holosericam togis adfuisse.

E Syria autem pulsi, Ordinis totius caput Perusium 5
constituerunt, sed tandem ab Innocentio Octavo circa annos Christi 1485. militiæ Rhodiorum Equitum agglutinati, sui juris esse desierunt. Hierosolymis verò electis inde militibus sacris, Sepulchri Dominici custodia Soldani assensu, & jussu. Franciscanæ familiæ monachis tradita, & commissa fuit.

Et quidem anno 1336. Pontificis Romani venia octo 6
Monachis Franciscanis Sepulchrum hoc commendatum fuit, qui ei in hodiernum usque diem præsunt. Nam, & si post Rhodi expugnationem Joannitæ, aliique tota Asia excessissent, & in Europam trajecissent, ac Solymanus Turca edicto cavisset, ut omnes Christiani latini nominis suis Provinciis, Syria, præsertim, & Hierosolyma, excederent, concessit tamen, ut soli Armeni, Syriani, Georgiani, Græci, & Franciscani ibidem habitarent.

Ab anno igitur 1304. usque ad hunc annum 1695. 7
tantùm bonorum operum, ac frugis animarum in Palestina, Syria, Ægypto, aliisque in partibus Orientis Ordo Minorum protulit, ut Summi Pontifices Religiosos

ſos in illas partes proficiſcentes, in eiſdemque commorantes variis privilegiis, indultis, gratiis, exemptionibus, & favoribus proſequuti fuerint, quorum omnium, ac ſingulorum tenores in variis Ordinis Archiviis aſſervati ad manus non habentur. Ex multis hæc modò producimus.

8 Clemens VI. conceſſit, & confirmavit Minoritis loca ſancta, iiſdem a Roberto, & Sancia, Sicilia Regibus comparata, vel eorum ſumptibus in meliorem, & firmiorem Ordinem redacta. Item facultatem ad ea mittendi idoneos Ordinis ſui fratres, qui transfretato mari, ſubſint Præfecto, ſeu Guardiano Terræ Sanctæ. Incipit ejus diploma: *Gratias agimus omnium largitori*, datum Avenione 11. Kalendas Decembris Pontificatus anno primo.

9 Innocentius VI. Hoſpitales in Monte Syon fundatum per Sophiam Florentinam ſubjicit regimini Guardiani pro tempore montis Syon. Incipit: *Piis fidelium ſtudiis.* Datum apud Villam novam Avenionenſis Diœceſis nonis Septembris, Pontificatus ſui anno tertio.

Urbanus V. approbat conceſſionem Innocenti VI. quod fratres Minores ferrum, & ligna ad Infidelium partes pro locorum ſuorum reſtauratione, & conſtructione deferre poſſint, & conſtruere Monaſterium propè Eccleſiam Beatæ Virginis Mariæ in Valle Joſaphat. Incipit: *Rationi convenit.* Datum Avenione ſexto Idus Novembris Pontificatus ſui anno primo.

10 Gregorius XI. concedit fratribus Minoribus facultatem ædificandi Eccleſiam, & Domum apud Bethleem propè Capellam ſancti Nicolai, & quod Religioſi in ea habitantes gaudeant privilegiis toti Ordini conceſſis. Incipit: *Inter cunctos ordines.* Datum Avenione 7. Kalendas Octobris Pontificatus ſui anno quinto. Idem conceſſit fratribus Minoritis poteſtatem dandi facultatem piis fidelibus utriuſque ſexus manendi in Terra Sancta ad tempus, vel perpetuò, ſi illuc ſe contulerint cum Apoſtolicæ ſedis licentia. Incipit: *Dilectis filiis Miniſtro, & Cuſtodi Terræ Sanctæ, ac Guardiano loci de Monte Syon.* Datum Avenione 7. Kalendas Decembris Pontificatus ſui anno quinto.

11 Item facultatem reconciliandi Eccleſiæ Catholicæ illos, qui ab ea receſſerunt, & adhæſerunt Mahumeticę, vel alteri Sectæ. Incipit: *Sicut de damnabili filiorum errantium.* Datum Avenione 7. Kalendas Decembris, Pontificatus ſui anno quinto.

12 Item in Syria inſtituit Inquiſitorem Minoritam. Incipit: *Inter ſollicitudines innumeras.* Datum Avenione 4. Kalendadas Januarii, Pontificatus ſui anno quinto.

13 Bonifacius Nonus inſtauravit Societatem fratrum peregrinantium in fidei obſequium, magnis per Sedem Apoſtolicam facultatibus ornatam. Incipit: *Exultet cor noſtrum in Domino.* Datum Romæ apud Sanctum Petrum 8. Idus Januarii, Pontificatus ſui anno decimo. Præficit Antonium Salpenſem Minoritam claſſi mittendæ in Tartariam. Incipit: *Animarum ſalutem.* Datum Romæ apud S. Petrum 7. Idus Januarii, Pontificatus ſui anno duodecimo.

14 Joannes XXII. Confirmat privilegia Pontificum, & aliorum Principum Fratribus Terræ Sanctæ conceſſa. Incipit: *Cum a nobis*, 4. Kalendas Julii Pontificatus anno quinto. Item quod poſſint Minoritæ in illis partibus exiſtentes excipere omnium confeſſiones, & ab omnibus reſervatis, etiam Epiſcopis, abſolvere.

15 Martinus V. conceſſit Guardiano Montis Syon, ſeu aliis Minoritis, in Terra Sancta degentibus, facultatem, ut ab excommunicatione abſolvere poſſint alios fratres proficiſcentes ad prædicta loca abſque licentia Sedis Apoſtolicæ. Incipit: *Votis Veſtris.* Datum Florentiæ 7. Kalendas Septembris. Pontificatus ſui anno tertio.

16 Idem concedit Guardiano Montis Syon poteſtatem abſolvendi ab excommunicatione Mercatores Januenſes, Venetos, Catalanos &c. proficiſcentes ad prædicta loca abſque licentia Sedis Apoſtolicæ. Incipit: *Exigit veſtræ devotionis &c.* Datum Florentiæ 4. Idus Julii, Pontificatus ſui anno tertio.

17 Idem mandat Archiepiſcopo Gradenſi, ut fratres Minores loca Terræ Sanctæ inhabitantes pacifica poſſeſſione dictorum locorum gaudere faciat, & uti poſſint oblationibus ipſis elargitis. Incipit: *Ad aſſiduum Chriſti ſervitium deputatos.* Datum Florentiæ Idibus Julii, Pontificatus ſui anno tertio. Extat authographum in Archivio Sancti Iſidori Urbis *num.* 16. Et proceſſus factus a Patriarcha, quo eadem conſignavit juſſu Martini V. *n.* 25. Incipit: *In nomine Sanctæ, & individuæ Trinitatis.* Datum Mantuæ anno 1421. die 7. Januarii. Pontificatus ſui anno quarto. Fratribus Minoritis in Terra Sancta degentibus conceſſit, ut Confeſſores eligere poſſint, qui eos in articulo Mortis abſolutione plenaria abſolvant. Incipit: *Provenit ex veſtræ devotionis affectu*, 7. Idus Julii, Pontificatus ſui anno tertio.

Confirmat indulgentias, aliaque privilegia, immunitates, exemptiones ab aliis Pontificibus, ac Principibus conceſſa Fratribus Terram Sanctam inhabitantibus: Incipit; *Cùm a nobis &c.* Datum Florentiæ 7. Idus Julii, Pontificatus ſui anno tertio. 18

Conceſſit Fratribus locum de Barutho mittendis in poſſeſſionem ab Archiepiſcopis vicinioribus, ſeu per longa Temporum ſpatia antea poſſeſſum confirmat. Incipit. *Salutare ſtudium.* Datum Romæ 16. Kalendas Maji, Pontificatus ſui anno quarto. 19

Iiſdem Fratribus Montis Syon, & Terræ Sanctæ conceſſit licentiam ſacrum faciendi ante lucem. Incipit: *Sinceritas veſtræ devotionis.* Datum Romæ 4. Idus Martii, Pontificatus ſui anno quarto. 20

Ut poſſint recipere oblationes medio Procuratore pro ſuſtentatione vitæ. Incipit: *His, quæ pro Eccleſiis.* Datum Romæ decimo ſexto Kalendas Martii, Pontificatus anno quarto. 21

Eugenius Quartus conceſſit Fratribus Minoribus inter infideles habitantibus, quod bona tàm mobilia, quàm immobilia per Apoſtolicos Syndicos adminiſtranda, retinere poſſint. Incipit: *Exultate in Domino.* Datum Bononiæ anno 1437. quarto Idus Julii, Pontificatus ſui anno ſeptimo. 22

Idem multa conceſſit privilegia iiſdem pro Sacramentorum adminiſtratione, præſertim pœnitentiæ. Inſtituit Jacobum de Primadiciis ejuſdem Ordinis ſuum Vicarium in partibus Orientis Septemtrionis &c. cum facultate abſolvendi a quibuſcunque cenſuris tàm a jure, quàm ab homine, exceptis caſibus voluntarii homicidii, bigamiæ, mutilationis membrorum, & adminiſtrandi Sacramenta Baptiſmatis, Euchariſtiæ, ac extremæ anctionis, & alia, concedendi plenariam indulgentiam in articulo Mortis, cum excommunicatis, & Schiſmaticis converſandi, nova loca acquirendi cum communicatione omnium privilegiorum, exemptionum &c. toti Ordini conceſſorum. Incipit: *Paſtor bonus.* Datum Bononiæ anno 1437. quarto Idus Julii, Pontificatus ſui anno ſeptimo. 23

Nicolaus V. concedit Minoritis Terræ Sanctæ, ut poſſint omnes Ordines Sacros extra tempora ab Eccleſia ſtatuta, eoſque ſimul ſuſcipere ab Epiſcopo quovis Catholico. Incipit: *Apoſtolicæ Sedis copioſa benignitas.* Datum Romę apud S. Petrum anno 1451. 11. Kalendas Auguſti, Pontificatus ſui anno primo. 24

Confirmat gratias a Summi Pontificibus, vel Regibus Minoritis inter infideles habitantibus conceſſas. Incipit: *Cùm a nobis petitur.* Datum Romæ apud Sanctum Petrum anno 1452. pridie Kalendas Aprilis, Pontificatus ſui anno ſexto. 25

Calixtus Tertius conceſſit omnia Indulta, & privilegia, &c. in genere, vel aliàs quomodolibet antea conceſſa Fratribus Minoribus, commorantibus in partibus Hieroſolymitanis. Confirmat conceſſionem locorum per totam Aſiam, permittit nova recipere, & ædificare, gaudere privilegiis toti Ordini communibus, abſolvere a quibuſcunque peccatis, & pœnis, excepta literarum Apoſtolicarum falſificatione, uti in baptiſmate, & extrema unctione, veteri chriſmate, altaria, Calices, & alia Divino Cultui dicata benedicere, Miſſas ante lucem celebrare, Guardianis Montis Syon fratres pro eleemoſynis ad citramontanas partes mittere, advocare ad ſe fratres quoſcunque voluntarios, cum iiſdem ſuper regulæ præcepta in itinere diſpenſare, permittere, ut Schiſmatici, & Infideles ipſorum Miſſis poſſint intereſſe, ab iiſdem medicamenta recipere, &c. Incipit: *Et ſi ex debito ſolicitudinis paſtoralis.* Datum Romæ apud S. Petrum anno Incarnationis Dominicæ 1455. 4. Idus Jauuarii Pontificatus ſui anno primo. 26

Iiſdem confirmat prædicta loca, dat poteſtatem nova erigendi, etiam in Monte Synai, & ut gaudeant privilegiis totius Ordinis. Incipit: *Licet pro noſtra ad B. Franciſcum &c.* Datum Romæ anno 1455. quinto Idus Maji Pontificatus ſui anno primo. 27

Concedit Guardiano Montis Syon poſſe viginti perſonas ab omni voto abſolvere, præter peregrinationis ad limina Apoſtolorum, & quod fratres Terræ Sanctæ eidem obediant, & nullus audeat abſque ſpeciali ejus facultate ad tranſmarinas partes tranſire. Incipit. *Apoſtolicæ Sedis copioſa &c.* Datum Romæ apud S. Petrum anno 1455. Pontificatus ſui anno primo. 28

Mitigat in illis partibus rigorem paupertatis Minoritanæ. Concedit ex defectu Sacerdotum Ordinario, ut poſſint fratres aliis confiteri, innoxios reddit, qui pro ſui, vel locorum Sanctorum defenſione aliquem infide- 29

lium

lium mutilant, aut occidunt, poteſtatem facit Guardiano Hieroſoymitano admittendi ad tertium Ordinem Sancti Franciſci, atque ejuſdem miniſtrum inſtituendi, concedendi facultatem alienis Sacerdotibus quorumcunque venientium audiendi confeſſiones, & faciendi ſacrum a media nocte uſque ad horam nonam, mandat quod nullus Sacerdos ſæcularis, ſive regularis cujuſcunque Ordinis poſſit manere in partibus Saracenorum contra voluntem Guardiani, niſi habeat ſpecificam a Sede Apoſtolica facultatem. Incipit: *Devotionis veſtræ ardor*. Datum Romæ apud S. Petrum anno 1457. pridie nonas Februarii, Pontificatus ſui anno tertio.

30 Paulus Secundus Petro Maronitarum Patriarchæ Antiocheno commendat fratrem Griphonem, & Conſodales Franciſcanos, & ut horum dictis adhæreat, etiam ſuo nomine proponendis. Incipit: *Virtutem Deus Omnipotens*. Datum apud Sanctum Petrum anno 1469. nonis Auguſtis, Pontificatus ſui anno quinto.

31 Sixtus Quartus tribuit poteſtatem Petro de Neapoli, Vicario Generali Obſervantium eligendi, & mittendi Nuncium in partibus Maronitarum, qui eadem poteſtate gaudeat, ac ſi a Sede Apoſtolica fuerit electus. Incipit: *Suſcepti cura regiminis*. Datum Romæ anno 1475. pridie Idus Februarii, Pontificatus ſui anno quinto.

32 Leo X. anno 1516. conceſſit Guardiano Montis Syon, ut poſſit ordinare milites Sanctiſſimi Sepulchri, & facere, ſicut fecerunt ſui Prædeceſſores anno ſupradicto 1516. Item Lectores Theologiæ, Judices, & notarios creare anno 1518. die quarta Februarii.

33 Clemens VII. confirmat in Caſtro S. Angeli omnia indulta, facultates, & gratias conceſſas per Prædeceſſores ſuos Romanos Pontifices.

34 Pius IV. confirmat omnes Indulgentias, gratias, & privilegia Guardianis, & fratribus Terræ Sanctæ a ſuis Prædeceſſoribus tàm in ſcriptis, quàm vivæ vocis oraculo, tàm in genere, quàm in ſpecie, & aliàs quomodolibet hactenus conceſſa. Incipit: *Divina diſponente Clementia*. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem anno 1551. decimo ſexto Kalendas Auguſti, Pontificatus ſui, anno ſecundo.

35 Gregorius XIII. Eccleſiam, & Domum Conſtantinopolitanam, indulta, item & privilegia aliis locis, & fratribus Ordinis communia Minoritis Hieroſolymitanis concedit, & confirmat. Incipit: *Cùm ſicut nobis*. Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris, die octava Martii 1585. Pontificatus ſui anno decimotertio.

36 Sixtus Quintus privilegia, & gratias Terræ Sanctæ per Prædeceſſores ſuos conceſſa confirmat, a quibuſcunque peccatis, cenſuris, & pœnis, etiam contentis in Bulla Cœnæ Domini, abſolvendi, diſpenſandique in irregularitatibus, in foro conſcientiæ, benedicendi Eccleſiaſtica paramenta facultatem confert, veniasque, indulgentias locis Sanctis, & aliis in Terris infidelium conſtitutis impertitur, Incipit: *Votis ex quibus*. Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris die 19. Aprilis 1588. Pontificatus ſui anno tertio.

APPENDIX.

37 Clemens V. conceſſit Minoritis ad infidelium partes proficiſcentibus, poſſe verbum Dei proponere conſtitutis in terris, quæ adhuc Sedis Apoſtolicæ magiſterio non intendunt cum excommunicatis ibidem converſari, alios cupientes ad fidem converti, baptizare, aggregatos, & baptizatos, ubi Epiſcoporum Catholicorum copia non extiterit, confirmare, uti oleo, & chriſmate antiquis, ubi novum haberi non poterit, volentes inſigniri charactere clericali, & ipſos ad Acholitatus ordinem promovere, in impedimentis Matrimonialibus diſpenſare, omnium fidelium ibidem exiſtentium confeſſiones excipere, excommunicatos a Canone, vel alio modo abſolvere cum irregularibus earumdem partium in caſibus, in quibus ſolent legati Sedis Apoſtolicæ diſpenſare, ac cum Clerici patientibus defectum natalium, dummodo non ſint ex adulterio, vel inceſtu, aut a Regularibus procreati, apoſtatas tàm a fide, quàm a Religione recipere, occiſores Clericorum, & Religioſarum perſonarum abſolvere, fundare de novo Eccleſias, reconciliare profanatas, noviter fundatis de rectoribus idoneis providere, ſchiſmaticis, ac noviter converſis dare licentiam, ut uxores ſuas, cum quibus in gradibus a lege Divina non prohibitis, contraxerunt, retineant, cauſas matrimoniales cognoſcere, diſcordantes ad concordiam reducere, inordinatè viventes compellere, cenſuris Eccleſiaſticis ad ſatisfactionem, & meliorem frugem, in locis ſuarum reſidentiarum Miſſas, & divina officia celebrare, Cœmeteria benedicere, in Civitatibus, Caſtris, vel Villis, ſeu locis quibuſcunque ad habitandum domus, & loca quæcunque de novo recipere, hactenus recepta mutare, eadem venditionis, permutationis, donationis, aut cujuſvis alienationis titulo in alios transferre. Incipit: *Cùm hora undecima ſit diei*. Datum Patavii 10. Kalendas Auguſti, Pontificatus 2. Eadem omnia conceſſit Joannes XXII. dictis filiis de ordine fratrum Minoritarum in Terris Saracenorum. Datum Avenione 10. Kalendas Novembris, Pontificatus anno ſexto.

Gregorius Nonus, Innocentius Quartus, & alii Pon- 38
tifices anteceſſores conceſſerunt plura privilegia, indulta, gratias &c. Fratribus proficiſcentibus in partes infidelium, atque ibidem exiſtentibus, quæ omnia fuerunt confirmata a ſucceſſoribus ipſorum fratribus Terræ Sanctæ.

Ex quibus, & aliorum plurium Summorum Pontifi- 39
cum indultis Guardianis ſacri Montis Syon magna, & varia eſt poteſtas, eſt Commiſſarius Apoſtolicus in partibus Orientalibus, ex ejus vel Viceſgerentis licentia poſſunt Peregrini loca Sancta perluſtrare, poteſt Cruces Sanctiſſimæ Trinitatis pro redimendis Captivis benedicere; ſuæ Religionis habitum conferre aliis Religioſis, ut ſic facilius valeant peregrinari, fulget dignitate Prothonotarii, utitur mithra, baculo, cæteriſque Pontificalibus in feſtis ſolemnioribus, poteſt Ordines minores conferre, Altaria, Calices, Corporalia, &c. benedicere, evocare quos ſibi placuerit Religioſos ex omnibus Provinciis ſui Ordinis, coercere Religioſos cujuſcunque Ordinis, etiam Clericos Seculares, ſive militares, qui in illis partibus ſcandala committunt, revocare Bullas Apoſtolicas, quas deferunt Peregrini ex conceſſione Innocentii Octavi, aliaque multa præſtare, quæ brevitatis cauſa omittuntur.

CONSULTATIO XLIX.

An ſit credendum fide Catholica Sanctis innoteſcere omnes preces noſtras ad eos directa? ſive
An hoc ipſum ſit abſolutè neceſſarium ad fidem, & praxim invocationis Sanctorum, ut ſit ſalutaris?

AD primum reſpondeo, non eſſe prorſus neceſſa- 1
rium fide Catholica credere omnes noſtras preces, quæ ad Sanctos, ſive Sanctorum animas dirigun-tur, eis a Deo revelari, ſed ſufficere quod hoc piè credamus, ſitque nobis ita perſuaſum, tum ob Patrum, & Scholaſticorum authoritatem, Scripturę Sacræ conſentaneam, tum ob rationem beatitudinis, & amicitiæ, quam habent cum Deo.

Quamvis enim ſcholaſtici tàm *in* 4. *diſt.* 45. quàm vel 2
2. 2. *q.* 83. vel *ſupplem.* S. Thom. *q.* 72. vel aliis in locis unanimiter doceant, idoneiſque argumentis confirment preces, quas ad ſanctos dirigimus, ipſis innoteſcere, ideoque non ſine grandi temeritate poſſit quiſpiam oppoſitum tenere, nulla tamen extat vel aperta ſcripturæ ſententia, vel evidens traditio, aut Eccleſiæ definitio, quę certò ſtatuat, ac decernat omnes eis a Deo revelari noſtras preces ad Sanctos directas.

Undè licèt Sanctus Auguſtinus agnoſcat, Beatos re- 3
rum noſtrarum, ac etiam orationum, quas facimus per divinam potentiam eſſe conſcios *lib.* 22. *de Civit. capit.* 29. & in *pſal.* 88. *ac ſerm.* 94. *de diverſ.* libro tamen de cura pro mortuis *capit.* 16. non definit, *quemadmodum opitulentur Martyres iis, quos certum eſt per eos adjuvari, utrum ipſi per ſe ipſos adſint uno tempore tàm diverſis locis, an ipſis in loco ſuis meritis congruo ab omni mortalium converſatione remotis, & tamen generaliter orantibus pro indigentia ſupplicantium, ſicut nos oramus pro mortuis, quibus utique non præſentamur, nec ubi ſint, nec quid agant, ſcimus, Deus omnipotens exaudiens Martyrum preces per Angelica miniſteria uſquequaque diffuſa præbeat hominibus iſta ſolatia.*

Hinc Bellarminus *lib.* 1. *de Beat. cap.* 20. etſi dicat, 4
certum eſſe, quod Sancti preces noſtras cognoſcant, non tamen dicit, fide certum eſſe, quod illas præſertim omnes cognoſcant, uti nec Vaſquez, qui *in* 1. *p. dub.* 50. *c.* 9. ait, Eccleſiam certò ſibi perſuadere, preces noſtras eſſe Beatis cognitas, de fidei tamen certitudine nihil dicit. Eſtius *in* 4. *diſt.* 45. §. 18. ſcribens eſſe pluſquam probabile, quod Beati preces invocantium cognoſcant, addit Patres Concil. Trid. noluiſſe illud tanquam dogma fidei definire. Supponit autem nullam anteriorem Eccleſiæ definitionem extare. Unde §. 20. rurſus ſcribit ex doctrina Patrum Eccleſiæ, atque ex ipſo more Eccleſiaſtico invocandi Sanctos, pluſquam probabile eſſe, quod preces noſtras ipſi

cognoſcant, non ita profectò, ſed cum majori aſſervatione loquuturus, ſi exiſtimaret eſſe certum fidei dogma.

5 Si dicas, Peſantium *in* 4. 12. 1. *par. dub.* 7. dicere eſſe de fide, Beatos cognoſcere orationes, quas ad illos fundimus. Reſpondeo id, quod unus, atque alter Doctor cenſet eſſe fidei, non idcircò eſſe fidei, vel certum fidei dogma, quando Eccleſia nihil ſuper ea re definivit, neque eſt conſtans aliorum Orthodoxorum ſententia, quod hoc ad fidem pertineat.

6 Ad ſecundum etiam negativè reſpondeo, ac dico, quod ad fidem, & praxim invocationis Sanctorum, ut ea ſit ſalutaris, non eſt abſolutè neceſſarium credere; omnes noſtras preces ipſis innoteſcere. Etiamſi enim daremus, quod tamen, ut ex jam ſupra allatis notum eſt, non damus, eos non audire orantes, nec cognoſcere noſtras preces, non ideo conſequens foret, fruſtra eos invocari. Nam aliquis alius eorum vice fungitur, ſicut non fruſtra ſupplicat Regi, qui certò ſcit, Regem non lecturum ſupplicationem, ſed aliquem alium ex aula ejus, & nihilominus ita ſe impetraturum, quod petit, ac ſi Rex legiſſet ſupplicationem. Ita Bellarminus loco citato, & ei conformiter Eſtius allegato §. 20. cùm præmiſiſſet argumentum hæreticorum, quo Sanctorum invocationem oppugnant ex eo capite, quia præces noſtras non cognoſcunt, ſolvi poſſe negatione conſequentiæ id, quod & Bellarminus non tacuit.

7 Eodemque pertinet, quod Raphael de la Torre *in* 2. 2. *quæſt.* 83. *art.* 4. *diſputat.* 3. ſcribit, etiamſi Beati noſtras orationes non cognoſcerent, inde inferri non poſſe, quod non orent pro nobis. Quoniam illi benè ſciunt nos verſari in magnis periculis, & pluribus agere. Ergo poſſunt petere, & petunt auxilium divinum pro nobis, ſicut nos, quamvis ignoremus, quos in particulari cruciatus patiantur animæ Purgatorii, pro eis tamen fundimus preces. Et addit, ex eo quod Beati ponerentur ignorare noſtras petitiones per ſe ipſos, non ſequi, illos inutiliter invocari. Nam aliquis v. g. Angelus poteſt eas Deo præſentare, & nobis ſatis eſt, quod Deus ipſas audit. His conformia videri poſſunt apud Hugon. Victor. *in leg.* 2. *de Sacram. part.* 16. *capit.* 11.

8 Quod ad primum objicitur primò ex *tom.* 4. Conciliorum in Senonenſi decreto 13. fidei, quod eſt non tantùm de invocatione, ſed etiam de notitia illa Beatorum.

9 Secundò, ex quadam tacita definitione totius Eccleſiæ per hanc ipſam praxim tàm antiquam, & communem invocandi directè Beatos, confitendi illis, jurandi per illos, tanquam præſentes, vel ſaltem audientes; ſicuti, & plura alia olim ita definita fuerunt, ut peccatum originale infantium per praxim eos baptizandi; non rebaptizandos hæreticos baptizatos per praxim eos non rebaptizandi.

10 Tertiò, ex S. Auguſtino *lib. de vera Religione cap.* 55. *Quiſquis in Deo manet, & poteſt humanas preces ſentire, in illo me exaudit.* Quo prorſus ſupponit, ſenſum, ſeu cognitionem precum noſtrarum a Beatis neceſſariam eſſe ad earum exauditionem.

11 Quartò, ex Alexandro Peſantio *in* 1. *par. D. Thomæ qu.* 12. *art.* 10. *diſp.* 7. *concl.* 6. ubi notat expreſsè eſſe de fide, quod Beati cognoſcant preces, ad eos directas.

12 Quintò, ex Indice expurgatorio Antuerpienſi ſub anno 1571. ubi ſub cenſura in pleroſque Georgii Caſſandri libellos, ex quodam ejus hymno expungitur: *Omnes Sancti orate Deum pro me, perinde valet ac ſi dicatur: utinam omnes ſancti orent pro me.* Quia inquiunt Cenſores, *revera Sanctos invocamus, preces eorum poſtulantes, non ſolùm deſiderantes, & amplius petit, qui dicit: Ora pro me, quàm qui dicit: utinam ores pro me. Nam illud intelligenti, & audienti dicitur, hoc verò etiam non audientibus, & non intelligentibus optari poteſt.*

13 Ad primum quidem reſpondeo, Concilium Senonenſe tantùm fuiſſe Provinciale ſub annum 1528. nec confirmatum a ſequente Concilio Tridentino, aut Clemente Septimo ejuſdem temporis, neque decreviſſe cognitionem precum noſtrarum a Sanctis eſſe de fide, ſed probare invocationem Sanctorum per facilem earum notitiam a Sanctis ex ſpeculo Eſſentiæ Divinæ, aut revelatione Angelica. Porrò quando Concilia reddunt aliquam rationem ſuæ definitionis, non eam condefiniunt, ut patet ex 2. *Concilio Niceno act.* 5. de pingendis Angelis, & quare. Denique non loqui ullo modo, quoad hoc definitivè. Undè Suar. 1. *par. tract.* 1. *lib.* 2. tantùm inde elicit, quod faveat viſioni precum a Beatis in Verbo; ſed & favet plurimum nobis contra hæreticorum inſaniam, & præſtigias, ut idem Concilium loquitur.

14 Ad ſecundum reſpondeo, dupliciter intelligi poſſe, aliquid definiri per praxim, ſeu traditionem practicam, ſicut etiam per ſacram Scripturam. Primò quidem, per eam formaliter, tanquam per ipſam definitionem. Secundò, per eam, quaſi caſualiter, tanquam per motivum aliquod extrinſecum definiendi. Porrò nec Sac. Scriptura, nec traditio eſt formaliter alicujus definitiva, niſi in certiſſimo, ac expreſſo ſenſu formali. Unde nec praxes illæ ſive traditiones practicæ non rebaptizandi hæreticos, aut baptizandi infantes, fuerunt definitivæ, aut definitiones, ſed motiva definiendi, teſte D. Auguſtino libris contra Pelagianos, & Donatiſtas, ſpeciatim libris de baptiſmo contra Donatiſtas, ubi excuſat S. Cyprianum ab errore contra fidem in rebaptizandis hæreticis, *priuſquam plenarii Concilii ſententia quid in hac re ſequendum eſſet, totius Eccleſiæ conſenſio firmaſſet, inquit lib.* 1. *cap.* 18. *Quamvis*, ait, *lib.* 2. *cap.* 7. *ſaluberrimam conſuetudinem tenebat Eccleſia* (videlicet non rebaptizandi) *quam credo ex Apoſtolica traditione venientem. Et cap.* 9. *conſuetudinis robore tenebatur Orbis terrarum, & hæc ſola opponebatur volentibus inducere novitatem.* Libris autem contra Pelagianos ita quidem ex conſuetudine baptizandi infantes probat eorum peccatum originale, ut hoc ipſum confirmet ex cœremoniis exorciſmi ante baptiſmum *lib.* 1. *de peccatorum merit. & remiſs. cap.* 34. *lib.* 2. *de nupt. & conſpic. cap.* 29. Et ex Sac. Scripturæ teſtimoniis, ut *lib.* 1. *de peccat. mor. & remiſs. cap.* 28. ex illo ad *Roman.* 5. *Sicut in Adam omnes moriuntur &c.* nec dum tamen, ut expreſsè definitivis, ſed potius, ut motivis definiendi per Pontifices Romanos, & Concilia ab eis confirmata, Paleſtinum, Milevitanum, Arauſicanum, ut patet ex libris Beati Auguſtini contra duas Epiſtolas Pelagianorum.

Quantò minus praxis illa orandi Beatos per modum 15
alloquutionis eſt definitiva, immò nec ſufficiens ratio definiendi auditionem, ſive cognitionem omnium talium precum a Beatis, cùm nec ſit propriè alloquutio eorum immediatè. Omnes enim docent Beatos non audire, ſive intelligere a nobis è Cœlo immediatè preces noſtras, ſed a Deo formaliter, aut virtualiter per ſe, vel per Angelos ſuos, quorum inferiores illuminantur etiam a Deo de multis per Superiores ipſis revelante, ſicuti ſpeculum voluntarium repreſæntaret intuenti, aut echo reddit vocem audienti, vel quis refert aliquid neſcienti, aut interpretatur non intelligenti, aut tradit epiſtolam abſenti. Nec alloquutio inferat, aut ſupponat ſemper neceſſariò actualem ſui auditionem ab eo, ad quem dirigitur, neque Eccleſia id inferat, aut ſupponat, ſed potius oppoſitum, tum in ſuis benedictionibus, exorciſmis, formis Sacramentorum directis æquè ſalubriter ad non audientes, aut non intelligentes, ac è contra, ut quando ante baptiſmum interrogatur infans: *Vis baptizari? credis?* Pro quo reſpondet ſuſceptor, *volo, credo, &c.* Quare non poſſint etiam ſalubriter invocari Beati Deo pro ipſis audiente, & exaudiente? Tum ſub communi uſu illius. *Job.* 5. *Voca ſi eſt qui tibi reſpondet &c.* pro invocatione Sanctorum defunctorum a vivis ex ſpe tantùm, aut etiam dubio expreſſo reſponſionis, ſeu attentionis, & illius *Job.* 19. *Miſeremini mei ſaltem vos amici mei*, pro quadam invocatione vivorum, quamvis actu neſcientium a defunctis. Tum denique ſub hac diſtincta forma externa invocandi in Litaniis Chriſtum, & Sanctos. *Chriſte, audi nos, Chriſte, exaudi nos, Omnes Sancti, & Sanctæ Dei intercedite pro nobis.* Non autem exaudite, immò nec *audite* nos.

Quibus adde illud Hugonis de Sancto Victore loc. cit. 16
Hoc unum certum eſt, animas Sanctorum in decreto divinæ contemplationis conſtitutas, eorum, quæ foris aguntur tantùm ſcire, quantùm illis vel ad gaudium, vel nobis ad auxilium prodeſſe conſtat. Nos interceſſores quærimur apud Deum. Quid amplius vis? Times, ne forte non orent, qui ſemper orant? Si non audiunt, inquis, & ego in ventum fundo verba non audientibus, & non intelligentibus loquens &c. Ecce dicamus, non audiunt. Nunquid Deus non audit.

Quid quod nec ipſa praxis tàm publica, & expreſſa 17
officii, & feſti de Conceptione Immaculata Deiparæ Virginis ſit adhuc definitiva ipſis Immaculatæ Conceptionis. Quomodo ergo invocatio Sanctorum per modum alloquutionis eſſet definitiva auditionis omnium talium precum ab ipſis?

Ad tertium reſpondeo primò, S. Auguſtinum ſæpè qui- 18
dem ſtatuere, aut ſupponere notitiam precum noſtrarum a Beatis, non tamen tanquam neceſſariam ad ſalutarem eorum a nobis, & pro nobis orationem, ut patet ex toto illo *cap.* 16. *de cur. pro mort.*

Reſpondeo ſecundò, ſententiam illam *cap.* 55. *de cura* 19
Relig. non requirere actualem, & diſtinctam notitiam noſtri, ac precum noſtrarum a Beatis, ad exauditionem

in Deo, sed tantùm posse sentire, seu potentiam cognoscendi, aut notitiam habitualem, vel etiam actualem, sed generalem invocantium se, aut Deum in suis memoriis, ut loquitur illo *c. 16. de cur. pro mort.*

20 Respondeo tertiò, non requirere illam qualemcunque nostri notitiam, ad hoc, ut possint salubriter a nobis orari, & pro nobis orare, sed ad nostri exauditionem in Deo. Exauditio autem longè plus supponit auditionem exauditi ab exaudiente, quàm invocatio supponat auditionem invocantis ab invocato.

21 Respondeo quartò, exauditionem illam in Deo ex vi totius contextus non significare propriam operationem Beatorum circa nos in Deo, aut ex Deo, tanquam objecto, sed tantùm vicariam ipsius Dei pro illis, seu ipsorum tantùm per Deum, sicuti *lib. 5. de Civit. capit. 12. Quando Angeli nos exaudiunt, Deus nos in eis exaudit, tanquam in templo suo non manufacto*, per hanc ipsam etiam exauditionem Angelorum, tanquam suam, seu sui vicariam. Aut certè illam non esse aliam operationem Beatorum circa Deum, & nos, quàm perfectam adhæsionem Deo, ejusque benevolentiæ, ac beneficentiæ erga suos supplices, ut patet ex hac sententia immediatè sequenti: *Quisquis ipsum habet bonum suum, in illa, me adjuvat.* Tum denique ex toto illo contextu, ac intentione expressa Beati Augustini, ibi videlicet solùm Deum nobis esse colendum absolutè, & simpliciter loquendo, seu cultu latriæ, nec inde offendi, sed nobis etiam conciliari omnes Dei amicos.

22 Ad quartum respondeo primò, unicum Pesantium ita sentire, ac scribere. Secundò, non velle aliis hanc fidem præscribere. Tertiò, nequidem sentire, quod sit de fide omnes omninò preces ad Sanctos, eis semper revelari, sed aliquas & aliquando, vel ad summum solere revelari. Quartò ita sentire hac sola ratione: *Quia aliquin frustra invocarentur*, cujus contradictorium expressè respondent, probant, & exemplificant Bellarminus, aliique.

23 Ad quintum respondetur, illam interpretationem Cassandri, quantumvis authoris suspecti, non tamen censurari, ut hæreticam, immò, nec ut falsam, de sensu aliquo possibili, sed de actuali, ac communi; neque ut positivam, sive affirmativam illius etiam sensus, sed ut negativam, sive exclusivam alterius, nostram autem interpretationem non esse exclusivam alterius sensus, sed etiam inclusivam, vel ad summum præcisivam, nec disiunctivè, sed disiunctim expressam, nec de sensu actuali, & communi, sed de possibili tantùm, idest quod preces non dirigantur ad Sanctos ex fide catholica revelationis earum, nec necessariò ex pia credulitate illius revelationis, sed posse etiam aliquas, & aliquando ad eos dirigi, præscindendo a revelatione, & non revelatione, ex solo desiderio participandi orationibus Sanctorum, expresso per verba mentalia, aut vocalia, potiùs ad significandum, vel excitandum nobis ipsis desiderium, sive spem ac fiduciam nostræ a Deo exauditionis per preces, & merita Sanctorum, tanquam dispositionem ad participandum precibus eorum, quàm ad loquendum eis, vel eos movendum ad orandum, prout Divus Augustinus *epist. 121.* ad Probam interpretatur communes formulas precandi Deum, quibus videmur ei significare rationes motivas exaudiendi nos. *Deus*, inquit, *cap. 8. non vult sibi voluntatem nostram orationibus innotescere, sed exerceri, & dilatari desiderium nostrum ad capiendum, quod præparat dare. Et cap. 11. nobis verba necessaria sunt, quibus commoneamur, & inspiciamus quid petamus, non quibus Dominum, seu docendum, seu flectendum esse credamus.* Quamvis enim longè sit alia ratio Dei, quàm Beatorum, quod ille nec possit ab extrinseco discere, aut moveri; cùm tamen nostræ ad Deum preces per modum alloquutionis, & persuasionis necessariò requirant illam interpretationem, quare non possint aliquæ preces, & aliquando a nobis exprimi ad sanctos in simili sensu, quando quidem nec Beati videantur a nobis immediatè discere, aut moveri posse?

24 Ad illam autem differentiam sensorum inter *Ora pro me*, & *utinam ores pro me*, quod illud intelligenti, & audienti dicatur, hoc verò etiam a non audientibus, & non intelligentibus optari possit. Respondetur Primò, hanc formam æquè supponere audientiam, ac illam. Unde videntur voluisse potiùs dicere, *utinam oret*, quam *utinam ores*, sicuti Divus Augustinus invocat B. Cyprianum *lib. 7. de baptism. contra Donatistas capit. 1.* Adjuvet nos orationibus suis. Quæ forma invocandi Sanctos sine dubio est expressiva illius desiderii, de quo supra. Respondetur secundò, procedere tantùm ex communi modo loquendi, & sentiendi, non autem ex aliqua determinatione Ecclesiæ ad hunc sensum, ut patet tùm ex supradictis, tùm ex eo, quod Ecclesia usurpet preces ad Crucem Christi, ad Sacras Imagines, ad membra, vel vulnera Christi sub forma alloquutionis, non eorum in se, sed in suis prothotypis, in suo capite, ex persona; cur non etiam possint invocari Sancti, tanquam perfectæ Imagines Dei, & membra Christi per modum alloquutionis, non tàm eorum in se, quàm in Deo, & Christo Domino? Respondetur tertiò, quod quidquid importare videtur illa forma orandi ultra desiderium, est alloquutio, sive humilis significatio, & expositio nostri desiderii ad Beatos, quæ quidem non est necessariò vocalis, cùm non dirigatur ad audientes aure corporali, sed mentali, de qua tàm problematicè disputatur inter Doctores, utrum sit actio transiens, vel immanens tantùm, utrum sit intellectus, an solius voluntatis; utrum sit solùm desiderium, an consensus loquentis, ut ab alio intelligatur, an quid aliud, ut hæc ipsa incertitudo sufficere videatur ad probandum, formam illam orandi non esse ita ab Ecclesia determinatam ad sensum, & intentionem alloquendi propriè Beatos, quin possint etiam ita orari ex solo desiderio participandi precibus eorum ad quaslibet etiam necessitates.

CONSULTATIO I.

De cultu, ac veneratione Sanctorum ex Augustissima Divi Augustini doctrina, ubi resolutio practica ejusdem de miraculis, ac plerisque controversiis ex cap. 8. 9. ac 10. lib. 22. de Civit. Dei lib. 2. retract. cap. 64. sic ait: *Librum de cura pro mortuis gerenda scripsi, cùm interrogatus literis fuissem, utrum prosit cuique post mortem, quod corpus ejus apud Sancti alicujus memoriam sepeliatur.* Hic liber sic incipit.

Cap. 1. Diu Sanctitati tuæ, Coepiscope venerande Pauline, reseriporum debitor fui &c. utrum prosit cuiquam post mortem, quod corpus ejus apud Sancti alicujus memoriam sepeliatur. Infra: *Nam dicis videri tibi non esse inanes motus animorum religiosorum, atque fidelium pro suis ista curantium. Adjungis etiam vacare non posse, quod universa pro defunctis Ecclesia supplicare consuevit, ut hinc & illud conjici possit, homini prodesse post mortem, si fide suorum humando ejus corpori talis provideatur locus, in quo appareat opitulatio etiam isto modo quæsita Sanctorum.* 1

Infra: Conciliato illo Apostoli 2. *Cor. 5. Recipiet unusquisque, prout gessit in corpore*, cùm cura, quam aliquoties hoc capite religiosam vocat, fidelium pro defunctis, hancque confirmatam ex oblato pro defunctis sacrificio 2. *Machab. 12.* & ex consuetis precibus sacerdotis pro defuncti ad Altare in universa Ecclesia, *ita c. 2.* regreditur ad intentum principale: *sed utrum aliquid prosit animæ mortui locus corporis sui, operosius inquirendum est &c.* Quo disputato in favorem corporum Martyrum, & pauperum fidelium, quamvis insepultorum, contra superstitionem Gentilium circa sepulturas, crudelitatem tyrannorum, & vanitatem etiam fidelium ditiorum, monet tamen. 2

Cap. 3. Nec ideo tamen contemnenda, & abjicienda sunt corpora defunctorum, maximèque justorum, ac fidelium, quibus, tanquam organis, & vasis ad omnia bona opera sanctus usus est Spiritus. Quo confirmato, tum similibus moralibus, tum exemplis antiquis Sacræ Scripturæ, ita iterum remmit intentum. 3

Cap. 4. Quod si verum est, profectò etiam provisus sepeliendo corporibus apud memoriam Sanctorum locus, bonæ affectionis humanæ est erga funera suorum. Quoniam si nonnulla Religio est, ut sepelliantur, non potest nulla esse, quando ubi sepeliantur, attenditur. Sed cùm talia vivorum solatia requiruntur, quibus pius in suos animus appareat, non video, quæ sint adjumenta mortuorum, nisi adhoc, ut dum recolunt ubi sunt posita eorum, quos diligunt corpora, eisdem sanctis illos, tanquam patronis susceptos apud Dominum adjuvandos orando commendent. 4

Infra: *Cùm itaque recolit animus, ubi sepultum sit carissimi Corpus, & occurrit locus Martyris venerabilis, eidem martyri animam dilectam commendant, recordantis, & precantis affectus.* 5

Et infra: *Verum, & si aliqua necessitas vel humari corpora, vel talibus locis humari, nulla data facultate permittat, non sunt prætermittendæ supplicationes pro spiritibus mortuorum, quas faciendas pro omnibus in Christiana, & Catholica societate defunctis, etiam tacitis nominibus quocunque sub generali commemoratione susceptit* 6

Eccle-

Eccleſiæ, ut quibus ad iſta deſunt parentes, aut filii, aut quicunque Cognati, vel amici ab una eis exhibeatur pia matre communi. Si autem deeſſent iſtæ ſupplicationes, quæ fiunt recta fide, ac pietate pro mortuis, puto, quod nihil prodeſſet ſpiritibus eorum quantumlibet in locis ſanctis examina corpora ponerentur.

7 *Cap. 5. Cùm ergo fidelis mater filii ſui defuncti corpus deſideravit in baſilicam Martyris poni, ſiquidem credidit ejus animam meritis Martyris adjuvari, hoc quod ita credidit, ſupplicatio quædam fuit, & hæc profuit, ſi quid profuit.* Si quid non dubitativè, ſed maximè. *Et quod ad idem ſepulchrum recurrit animo, & filium precibus magis, magiſque commendat, adjuvat defuncti ſpiritum, non mortui corporis locus, ſed ex loci memoria, vivus matris affectus. Simul enim & quis, & cui commendandus ſit, non utique infructuosè religioſam mentem precantis attingit. Nam & orantes de membris ſui corporis faciunt, quod ſupplicantibus congruit, cùm genua figunt, cùm extendunt manus, vel etiam proſternunt ſolo, & ſi quid aliud viſibiliter faciunt, quamvis eorum inviſibilis voluntas, & cordis intentio Deo nota ſit, nec ille indigeat his indiciis, ut humanus ei pandatur animus, ſed his magis ſeipſum excitat homo ad orandum, gemendumque humilius, atque ferventius &c.*

8 Infra: *Ita etiam cùm plurimum interſit, ubi ponat corpus mortui ſui, qui pro ſpiritu ejus Deo ſupplicat, quia & præcedens affectus locum eligit ſanctum, & illic corpore poſito, recordatus locus ſanctus, eum, qui præceſſerat, renovat, & auget affectum, tamen, etiamſi non poſſit, ubi religioſus animus eligit humare quem diligit, nullo modo debet a ſupplicationibus neceſſariis in ejus commendatione ceſſare &c.*

9 *Ac. 7. ad* 10. refert varia exempla, & orationes permiſſionis Divinæ, ut quædam corpora martyrum beneficio ſepultutæ privata fuerint, & pietatis, & compaſſionis humanæ circa ſepulturam fidelium defunctorum, quamvis nihil amplius ſentientium.

10 *Ac. 10. ad 13.* hujus occaſione refert apparitiones mortuorum in ſomnis, vel aliter revelantium corpora ſua inhumata, & commendantium eorum ſepulturam in operationes angelicas ex Dei permiſſione, ac providentia, non autem ſemper, aut neceſſariò in præſentiam, aut notitiam eorum, qui videntur apparere. Quod probat tum exemplis dormientium, qui ſomniant ſibi apparere, & loqui vivos abſentes, prorſus inſcios illorum ſomniorum. Tum exemplis viſorum in ſomniis, quæ revera ita fiunt, ſicut videntur: non tamen a mortuis, ſicut, nec a vivis, a quibus fieri videntur. Tum exemplis phræneticorum, quibus etiam vigilantibus, videntur præſentes, ſive vivi, ſive mortui, quorum tantùm phantaſmata patiuntur. Tum denique exemplis extaticorum, ſeu raptorum a corporis ſenſibus, & ita occupatorum quibuſdam viſionibus, quaſi res ipſæ præſentes, eſſent, & quæ ipſis videntur, fierent, quorum unum admirabile refert ſui temporis de quodam ruſtico municipii Tullienſis, qui vocabatur Curina Curialis, vel, ut alia editio habet, Curia Curialis, habebatque vicinum ejuſdem nominis, ſed fabrum ferrarium. Ille raptus a ſenſibus, viſus ſibi fuit mortuus, & deductus ad locum defunctorum, vidiſſe quomodo pro diverſitate meritorum tractarentur, & inter alia audiviſſe, *quod non Curina, ſeu Curia Curialis, ſed Curina, ſeu Curia, faber ferrarius, ad loca illa mortuorum præceptus fuiſſet adduci.* Unde quaſi a mortuis vitæ reſtitutus, *mox, ut aperuit oculos: eat aliquis, inquit, ad domum Curinæ, ſeu Curiæ fabri ferrarii, & videat quid ibi agatur. Quo cùm itum eſſet, inventus eſt mortuus eo momento, quo iſte fuerat ſenſibus redditus, & penè a morte revixerat.* Super quibus cum eum illius viſionis monitu a ſe baptizatum B. Auguſtinus examinaſſet, deprehendit fuiſſe tantùm viſionem, ex eo, quod videbatur ſibi etiam vidiſſe vivos, & inter alios, & alia Auguſtinum ſe baptizantem: Cumque in eadem viſione moneretur, ut baptizaretur, *jam factum eſſe reſpondit: cui rurſus ille, qui cum eo loquebatur: vade inquit, verè baptizare, nam illud in viſione vidiſti.*

11 Unde cap. 13. infert: *Sicut vidit vivos eiſdem neſcientibus vivis, cur non ergo ita & illos mortuos, eiſdem neſcientibus mortuis? Cur non iſtas operationes Angelicas credimus per diſpenſationem providentiæ Dei?* Et infra: *Ut volet accipiat quiſque, quod dicam: ſi rebus viventium intereſſent animæ mortuorum, & ipſæ nos, quando eas videmus, alloquerentur in ſomnis, ut de aliis taceam, me ipſum pia mater nulla nocte deſereret, &c.* Infra, *ſi autem parentes non interſunt, qui ſunt alii mortuorum, qui noverunt, quid agamus, quidvè patiamur?*

12 Infra: *Hi ergo ſunt ſpiritus defunctorum, ubi non vident quæcunque aguntur, aut eveniunt in iſta vita hominibus. Quomodo ergo vident tumulos ſuos, aut corpora ſua, utrum abjecta jaceant, an ſepulta, &c.*

Et cap. 15. Proinde fatendum eſt, neſcire quidem mortuos, quid hìc agitur, ſed dum hìc agitur: poſtea verò audire ab eis, qui hinc ad eos moriendo pergunt. Non quidem omnia, ſed quæ ſinunt etiam iſta meminiſſe, & quæ illos, quibus hæc indicant, oportet audire. Poſſunt & ab Angelis, qui rebus, quæ aguntur hìc præſto ſunt, audire aliquid mortui, quod unumquemque illorum audire debere judicat, cui cuncta ſubjecta ſunt &c. 13

Infra: *Poſſunt etiam ſpiritus mortuorum aliqua, quæ hìc aguntur, quæ neceſſarium eſt eos noſſe, & quæ neceſſarium non eſt eos non noſſe, non ſolùm præterita, vel præſentia, verum etiam futura, ſpiritu Dei revelante, agnoſcere, ſicut non omnes homines, ſed prophetæ, dum hìc viverent, cognoſcebant, nec ipſi omnia, ſed quæ illis eſſe revelanda Dei providentia judicabant tom 4. de cur. pro mor. dict. c. 15.* & ſimilia *lib. 3 de ſpiritu, & anima cap. 39.* quoad notitiam. Quoad præſentiam autem ſubdit ibidem: *Mitti quoque ad vivos aliquos ex mortuis, ſicut è contrario Paulus 2. Cor. 12. ex vivis in paradiſum raptus eſt, divina ſcriptura teſtatur 1. Reg. 18. & Eccleſ. 46. de Samuele.*

Infra: *Sed ſi huic libro ex Hebræornm, quia in eo non eſt, canone contradicitur, quid de Moyſe dicturi ſumus, qui certe, & in Deuteronomio mortuus, & in Evangelio cum Elia, qui mortuus non eſt, legitur apparuiſſe viventibus? Matth. 17.*

Et cap. 16. Hinc & illa ſolvitur quæſtio, quonam modo Martyres ipſis beneficiis, quæ dantur orantibus, indicant ſe intereſſe rebus humanis, ſi neſciunt mortui, quid agant vivi? Non enim ſolis beneficiorum effectibus, verùm etiam ipſis hominum aſpectibus confeſſorem apparuiſſe Fælicem, &c. cùm a barbaris Nola oppugnaretur, audimus, non incertis rumoribus, ſed teſtibus certis. Verum iſta divinitus exhibentur, longè aliter, quam ſe ſe habet uſitatus ordo &c. 14

Infra: *Alii itaque ſunt humanarum limites rerum, alia divinarum ſigna virtutum. Alia ſunt, quæ naturaliter, alia, quæ mirabiliter fiunt, quamvis & naturæ Deus adſit, ut ſit, & miraculis natura non deſit. Non ideo igitur putandum eſt vivorum rebus quoslibet intereſſe poſſe defunctos, quoniam quibuſdam ſanandis, vel adjuvandis Martyres adſunt, ſed ideo potius intelligendum eſt, quod per divinam potentiam Martyres vivorum rebus interſunt, quoniam defuncti per naturam propriam vivorum rebus intereſſe non poſſunt.* Quid abſolutius, quid expreſſius pro diſtinctione, ac excellentia Beatorum ſuper communi ſtatu defunctorum quoad præſentiam, & notitiam vivorum dici potuit? 15

Subdit tamen Auguſtinus ſuum illud deſuper dubium, non de notitia, aut præſentia extraordinaria Sanctorum defunctorum, nec de ope eorum ordinaria per ſuas preces, etiam in particulari pro invocantibus ſe, aut in ſuis memoriis, ſed tantùm de modo ordinario. *Quamquam*, ait, *iſta quæſtio vires intelligentiæ meæ vincat, quemadmodum opitulentur Martyres iis, quos per eos certum eſt adjuvari, utrum ipſi per ſe ipſos adſint uno tempore tàm diverſis locis, & tanta inter ſe longinquitate diſcretis, ſive ubi ſunt eorum memoriæ, ſive præter ſuas memorias ubicunque adeſſe ſentiuntur, an ipſis in loco ſuis meritis congruo ab omni mortalium converſatione remotis, & tamen generaliter orantibus pro indigentia ſupplicantium, ſicut nos oramus pro mortuis, quibus utique non præſentamur, nec ubi ſint, vel quid agunt ſcimus, Deus Omnipotens, qui eſt ubique præſens, nec concretus nobis, nec remotus a nobis exaudiendi Martyrum preces per Angelica miniſteria uſquequaque diffuſa præbeat hominibus iſta ſolatia, quibus in hujus vitæ miſeria judicat eſſe præbenda, & ſuorum merita Martyrum, ubi vult, quando vult, quomodo vult, maximeque per eorum memorias, quoniam hoc novit expedire nobis ad edificandam fidem Chriſti, pro cujus illi confeſſione ſunt paſſi, mirabili, atque ineffabili poteſtate, ac bonitate commendet. Res hæc altior eſt, quàm ut a me poſſit attingi, & abſtruſior, quàm ut a me valeat preſcrutari, & ideo quid horum duorum ſit, an verò fortaſſis utrumque ſit, ut aliquando iſta fiant per ſeipſam præſentiam Martyrum, aliquando per Angelos ſuſcipientes perſonam Martyrum, definire non audeo, mallem a ſcientibus iſta perquirere.*

Super quo *c. 17.* libenter, ac obſequenter conſuluiſſet, quendam Sanctum Monachum Joannem, qui adhuc vivus alicui apparuerat, quonam videlicet horum modorum apparuiſſet. *Quodlibet*, inquit Auguſtinus, *mihi reſponderet ille homo Dei, & de martyribus ab illo pergerem quærere, utrum illi adſint in ſomniis, vel quocunque alio modo videntibus eos in qua figura voluerint, & maximè quando ab eis ſe torqueri Dæmones in hominibus confitentur, & rogant* 16 17

tos, ut parcant sibi, an ista fiant Dei nutu per Angelicas potestates in honorem, commendationemque Sanctorum, ad utilitatem hominum, illis in summa quiete positis & ad alia longè meliora visa vacantibus seorsim a nobis, orantibusque pro nobis &c.

18 Infra verò *cap.* 18. ita regreditur ad statum communem fidelium defunctorum. *Quæ cùm ita sint, non existimemus ad mortuos, pro quibus curam gerimus, pervenire, nisi quod pro eis sive altaris, sive orationum, sive eleemosynarum sacrificiis solemniter supplicamus, quamvis non pro quibus fiunt, omnibus prosint, sed iis tantùm, quibus dum vivunt comparatur, ut prosit, sed quia non discernimus qui sint, oportet ea pro regeneratis omnibus facere, ut nullus eorum prætermittatur, ad quos hæc beneficia possint, ac debeant pervenire. Melius enim supererunt ista eis, quibus nec obsunt, nec prosunt, quàm eis deerunt quibus prosunt.* Infra *Quod verò quisquam apud memoriam Martyrum sepelitur, hoc tantùm mihi videtur prodesse defuncto, ut commendans eum, etiam martyrum patrocinio, affectus pro illo supplicationis augeatur.*

19 Quod verò ad miracula, Augustinus *cap.* 8. *de Civitat.* loquens de miraculis, quæ ut Mundus in Christum crederet, facta sunt, sub initium, sic ait: *Etiam nunc fiunt miracula in Christi nomine, sive per Sacramenta ejus, sive per orationes, vel memorias Sanctorum ejus. Primum miraculum, quod Mediolani factum est, cùm illic essemus, quando illuminatus est cæcus, ad multorum notitiam potuit pervenire, quia & grandis est Civitas, & ibi erat tunc Imperator, & immenso populo teste res gesta est, concurrente ad corpora martyrum Protasii, & Gervasii, quæ cùm latèrent, ac penitus nescirentur, Episcopo Ambrosio per somnum revelata reperta sunt, ubi cæcus ille, depulsis veteribus tenebris, diem vidit.*

20 Secundum. *Apud Carthaginem autem quis novit præter admodum paucissimos, salutem, quæ facta est Innocentio Exadvocato Vicariæ Præfecturæ, ubi nos interfuimus, & oculis aspeximus nostris?* Et post pauca. *Ego*, inquit Augustinus, *prorsus orare nil poteram, hoc tantummodo breviter in corde meo dixi: Domine, quas tuorum preces exaudis, si has non exaudis?*

21 Ac infra, estque tertium. *In eadem Carthagine Innocentia religiosissima fœmina de primariis ipsius Civitatis, in mamilla cancrum habebat.* Et mox: *A perito medico acceperat, & ad solum Deum se orando converterat. Admonetur in somniis appropinquante Pascha, &c. quæcunque illi baptizata primitus excurrisset, eumdem locum signo Crucis signaret. Fecit, & confestim sanitas sequuta est.*

22 Nota *ad solum Deum*, non ad exclusionem Sanctorum, aut aliorum sacrorum mediorum salutarium, quibus ibidem usa est, sed mediorum, & remediorum naturalium.

23 Quartum. *Medicum quemdam podagricum in eadem Urbe &c. in baptismate ipso non solùm dolore &c. verum etiam podagra caruisse novimus.*

24 Quintum. *Vir Tribunitius Hesperius, qui apud nos est, habet in Territorio Fussalensi fundum, Zubedi appellatum, ubi cum afflictione animalium, & servorum suorum domum suam malignorum spirituum vim noxiam perpeti comperisset, rogavit nostros, me absente, presbyteros, ut aliquis eorum illò pergeret, cujus orationibus cederet. Perrexit unus, obtulit ibi sacrificium Corporis Christi, orans quantum potuit, ut cessaret illa vexatio, Deo protinus miserante, cessavit.*

25 Ecce rogatum sacerdotem, oblatum sacrificium.

26 Infra: Miraculum octavum, *Victorina Villa dicitur, quæ ab Hippone regio minus triginta millibus abet. Memoria Martyrum Mediolanensium Gervasii, & Protasii ibi est. Portatus est eò quidam adolescens, qui cùm equum ablueret, dæmonem incurrit. Ibi cùm jaceret Vespertinos hymnos, & orationes cantare cœperunt. Qua voce, ille quasi percussus, excussus est, & cum grandi ejulatu parci sibi rogans, confitebatur, ubi adolescentem, & quando, & quomodo invaserit. Postremò se exiturum esse denuntians, membra ejus singula nominabat, quæ se amputaturum exiens minabatur, atque inter hæc verba discessit ab homine; sed oculos ejus in maxillam fusus, tenuive nulla ab interiori quasi radice pendebat &c. Quo viso, maritus sororis ejus, qui eum illò detulerat: Potens est, inquit, Deus Sanctorum orationibus, qui fugavit dæmonem, lumen ei reddere. Quod cùm fecisset, sanissimum invenit.*

27 Nonum. *Hipponensem quamdam Virginem scio cùm se oleo perunxisset, cui pro illa orans Presbyter instillaverat lachrymas suas, mox a dæmonio fuisse sanatam.*

28 Decimum. *Scio etiam Episcopum semel pro adolescente, quem non vidit, orasse, illumque illicò dæmone caruisse.*

29 Undecimum. *Erat quidam senex Florentius Hipponensis noster, homo religiosus, & pauper, qui sartoris se arte pascebat. Casulam perdiderat, & unde sibi emeret, non habebat. Ad viginti martyres, quorum memoria apud nos est celeberrima, clara voce, ut vestiretur, oravit. Audierunt eum adolescentes, qui forte aderant, irrisores eumque discedentem exagitantes, prosequebantur, quasi a Martyribus quinquagenos folles, unde vestimentum emeret, petivisset. At ille tacitus ambulans, ejectum grandem piscem palpitantem vidit in litore, eumque illis faventibus, atque juvantibus apprehendit, & cuidam coquo, Carchoso nomine, benè Christiano ad coquinam conditariam, indicans, quid gestum sit trecentis folibus vendidit, lanam comparare inde disponens, ut uxor ejus quomodo posset ei, quo induceretur, efficeret. Sed coquus conscindens piscem, annulum aureum in ventriculo ejus invenit, moxque miseratione flexus, & religione perterritus, homini eum reddidit, dicens: Ecce quomodo viginti Martyres te vestierunt.*

Ecce tibi orationem, non tantummodo memoriam, 30
sed ad ipsos viginti Martyres, non tantùm ex testimonio adolescentum irrisorum, sed ipsius Augustini, ita totum referentis, & quasi communem illam praxim fidelium approbantis. Unde nec illi juvens eum irridebant, quod a martyribus petiisset, cùm ei etiam opem, & favorem desuper præstiterint; sed videbantur tantùm joco fingere quod quinquaginta folles ab eis petiisset.

Duodecimum. *Ad Aquas Tibilitanas, Episcopo afferente Projecto reliquias martyris gloriosissimi Stephani, ad ejus memoriam veniebat magnæ multitudinis concursus, & occursus. Ibi cæca mulier, ut ad Episcopum portantem pignora sacra duceretur, oravit, flores, quos habebat, dedit, recepit, oculos admovit, protinus vidit &c.* 31

Decimum tertium. *De Lucillo Episcopo repente sanato a molesta fistula, vectatione earumdem reliquiarum.* 32

Decimum quartum. *Et Euchario Presbytero sanato a veteri morbo calculi per memoriam præfati Martyris Stephani, & postea resuscitato quasi a morte ex alio morbo delatione tunicæ ejus ad memoriam Sancti Stephani, & relatione, & applicatione ad corpus ejus.* 33

Decimum quintum. De conversione Martialis cujusdam viri primarii ad fidem Christianam, & baptismum per preces sui Generi pro eo ad memoriam Sancti Stephani, & per applicationem florum ab altari ad caput dormientis. 34

Decimum sextum. De duobus podagricis, ibidem per eumdem martyrem sanatis. 35

Decimum septimum. De puero rota vehiculi ad mortem usque obtrito, qui delatus a matre ad aliam memoriam sancti Stephani, totus illæsus revixit. 36

Decimum octavum. De moniali defuncta, & resuscitata, operto ejus cadavere tunica ab eadem memoria relata. 37

Decimum nonum. De quadam puella eodem modo resuscitata. 38

Vigesimum. De puero resuscitato unctione corporis ejus oleo ejusdem martyris. 39

Vigesimum primum. De infantulo Eleusirii viri Tribunitii, ad vitam restituto super alia memoria ejusdem martyris. 40

Vigesimum secundum. De aliis fermè septuaginta notatis miraculis apud Hipponem regium ad aliam memoriam ejusdem martyris. 41

Vigesimum tertium. De longè pluribus notatis Calamæ. 42

Vigesimum quartum. De multis etiam præclaris Uzali, quæ omnia exemplificantur tantum in duobus. 43

In Petronia clarissima fœmina ab ipso Beato Augustino desuper examinata, quæ non tantùm Uzali sanata fuit ab inveterato, & incurabili morbo, impetrante eodem glorioso Martyre Stephano, sed etiam in itinere ad limina Sancti Martyris, subitò discincta a quadam superstitione cujusdam annuli, qui integer exiliit ad pedes ejus ex integro quodam cingulo capillario, quo suasu cujusdam Judæi ad carnem subcincta erat. Unde & vinculum, & annulum projecit in flumen. 44

In uno fratre, ac Sorore Hippone, ad Sanctum Martyrem orando sanatis ab illo horribili tremore, quo cum aliis sex fratribus, & duabus sororibus maledicto matris quatiebantur. 45

Cap. 9. Hæc habet Augustinus: *Cui, nisi huic fidei attestantur ista miracula, in qua prædicatur Christus resurrexisse in carne, & in Cœlum ascendisse cum carne?* 46

Et infra: *Sive enim Deus ipse per se ipsum miro modo, quo res temporales moderatur æternus, sive per suos ministros ista faciat, & eadem ipsa, quæ per ministros facit, sive quædam faciat, etiam per Martyrum Spiritus, sicut per homines adhuc in corpore constitutos; sive omnia ista per Angelos, quibus invisibiliter, immutabiliter, & incorporaliter imperet, operetur, ut quæ per* 47

Mar-

Martyres fieri dicuntur, eis orantibus tantùm, & impetrantibus, non etiam operantibus fiant, ſive alia fiant iſtis, alia illis modis, qui nullo modo comprehendi a mortalibus poſſunt, ei tamen atteſtantur hæc fidei, in qua carnis in æternum reſurrectio prædicatur.

48 Nota hæc atteſtari, *fidei*, *in qua*, ideſt toti illi, non autem huic præciſo articulo. Vel eo ſenſu, quo Sanctus Auguſtinus *Serm.* 31. exponit contra omnes hæreſes illud S. Joann. 4. *Omnis ſpiritus, qui confitetur Jeſum Chriſtum veniſſe in carne, ex Deo eſt.* Nam hoc ipſo, quo aliquid ſentiunt alienum a Chriſto, ejuſque Sponſa Eccleſia, non confitentur hunc Chriſtum, hujus Eccleſiæ Sponſum. Ita & de reſurrectione hujus Chriſti, & Sponſi hujus Eccleſiæ.

49 *Et cap.* 10. *Hìc fortè dicturi ſunt, etiam Deos ſuos aliqua mira feciſſe. Sed nobis Martyres non ſunt Dii &c. fecerunt iſta Dæmones eo faſtu impuræ ſuperbiæ, quo eorum Dii eſſe voluerunt. Faciunt autem iſta Martyres, vel potius Deus, vel orantibus, aut cooperantibus eis, ut fides illa proficiat, qua illos non Deos, eſſe noſtros, ſed unum Deum habere nobiſcum credimus. Denique illis talibus Diis ſuis, & templa ædificaverunt, & ſtatuerant aras, & Sacerdotes inſtituerunt, & ſacrificia fecerunt: Nos autem Martyribus noſtris non templa, ſicut Diis, ſed memorias ſicut hominibus mortuis, quorum apud Deum vivunt ſpiritus, fabricamus. Nec ibi erigimus altaria, in quibus ſacrificemus Martyribus, ſed uni Deo & Martyrum & noſtro, ſacrificium immolamus, ad quod ſacrificium ſicut homines Dei, qui mundum in ejus confeſſione vicerunt, ſuo loco, & ordine nominantur, non tamen a ſacerdote, qui ſacrificat, invocantur. Deo quippe, non ipſis ſacrificat, quamvis in memoria ſacrificet eorum, quia Dei ſacerdos eſt, non illorum. Ipſum verò ſacrificium corpus eſt Chriſti quod non offertur ipſis, quia hoc ſunt & ipſi &c.*

50 *Lib.* 21. contra Fauſtum *cap.* 21. *Quod etiam hinc nobis calumniatur Fauſtus, quod Martyrum memorias honoramus hoc dicens, nos Idola convertiſſe, non me movet, ut huic calumniæ reſpondeam &c.*

51 Infra: *Populus autem Chriſtianus memorias Martyrum religioſa ſolemnitate concelebrat, & ad excitandam imitationem, & ut meritis eorum conſocietur, atque orationibus adjuvetur, ita tamen, ut nulli Martyrum, ſed ipſi Deo Martyrum ſacrificamus, quamvis in memoriam Martyrum conſtituamus altaria. Quis enim Antiſtitum in locis ſanctorum corporum aſſiſtens altari, aliquando dixit: Offerimus tibi Petre, aut Paule, aut Cypriane, ſed quod offertur, offertur Deo, qui Martyres coronavit, apud memorias eorum, quos coronavit, ut ex ipſorum locorum admonitione major affectus exurgat, ad augendam charitatem, & in illos, quos imitari poſſumus, & in illum, quo adjuvante, poſſumus. Colimus ergo Martyres eo cultu dilectionis, & ſocietatis, quo & in hac vita coluntur ſancti homines Dei, quorum cor ad talem pro Evangelica veritate paſſionem, paratum eſſe ſentimus. Sed illos tantò devotiùs, quantò ſecuriùs poſt certamina ſuperata, quantò etiam fidentiore laude prædicamus, tàm in vita feliciori victores, quàm in iſta adhuc uſque pugnantes. At verò illo cultu, qui græcè latria dicitur, latinè uno verbo dici non poteſt, cum ſit quædam propriè divinitati debita ſervitus, nec colimus, nec colendum docemus, niſi unum Deum. Cùm autem ad hunc cultum pertineat oblatio ſacrificii, unde idolatria dicitur eorum, qui hoc etiam idolis exhibent, nullo modo tale aliquid offerimus, aut offerendum præcipimus, vel cuiquam Martyri, vel cuiquam Sanctæ animæ, vel cuiquam Angelo &c.*

52 *Et lib.* 8. *de Civit. cap.* 26. *ubi eſt illa querela lucluoſa Hermetis, quod terra Ægypti Sanctiſſima Sedes delubrorum, atque templorum futura eſſet ſepulchrorum, mortuorumque pleniſſima? Nempe ſpiritus fallax cujus inſtinctu Hermes iſta dicebat per eum ipſum coactus eſt confiteri jam tunc illam terram ſepulchrorum, & mortuorum, quos pro Diis colebant, fuiſſe pleniſſimam. Sed dolor dæmonum per eum loquebatur, qui ſuas futuras pœnas apud ſanctorum Martyrum memorias imminere mœrebant. In multis enim talibus locis torquentur, & confitentur, & de poſſeſſis corporibus hominum ejiciuntur.*

53 *Cap.* 27. *Nec tamen nos eiſdem martyribus templa, Sacerdotia, Sacra, ſacrificia conſtituimus, quoniam non ipſi, ſed Deus eorum nobis eſt Deus. Honoramus ſanè memorias eorum, tanquam ſanctorum hominum Dei, qui uſque ad mortem ſuorum corporum pro veritate certarunt, ut innoteſceret vera Religio, falſis Religionibus, fictiſque convictis, quod etiam ſi qui antea ſentiebant, timendo reprimebant. Quis autem audivit aliquando fidelium ſtantem ſacerdotem ad Altare, etiam per ſanctum corpus Martyris ad Dei honorem, cultumque conſtructum dicere in precibus: Offerimus tibi ſacrificium Petre, vel Paule, vel Cypriane, cùm apud eorum memorias offeratur Deo, qui eos, & homines, & martyres fecit, & ſanctis ſuis Angelis cœleſti honore ſociavit, ut ea celebritate, & Deo de illorum victoriis verò gratias agamus, & nos ad imitationem talium coronarum, atque, palmarum, eodem invocato in auxilium, ex eorum memoriæ renovatione adhortemur. Quæcumque igitur adhibentur Religioſorum obſequia in Martyrum locis, ornamenta ſunt memoriarum, non ſacra, vel ſacrificia mortuorum, tanquam Deorum. Quicunque etiam epulas ſuas, eò deferunt, quod quidem a Chriſtianis melioribus non fit & in pleriſque locis nulla eſt talis conſuetudo; tamen quicunque id faciunt, quas cùm appoſuerint, orant, & auferunt, ut veſcantur, vel ex eis etiam indigentibus largiantur, ſanctificari ea volunt per merita Martyrum in nomine Domini Martyrum. Non autem iſta eſſe ſacrificia Martyrum novit, qui novit, unum, quod illic offertur ſacrificium Chriſtianorum.*

Ex Epiſtola 137. *Quis poteſt Dei Conſilium perſcrutari,* 54
quare in aliis locis hæc miracula fiant, in aliis non fiant? Multis enim notiſſima eſt ſanctitas loci, ubi ſancti Felicis Nolenſis corpus conditum eſt, quò volui, ut pergerent, quia inde nobis faciliùs, fideliuſque ſcribi poteſt quicquid in eorum aliquo divinitus fuerit propalatum. Nam & nos novimus, eum Mediolani apud memoriam Sanctorum, ubi mirabiliter, ac terribiliter dæmones confitentur, furem quemdam qui ad eum locum devenerat, ut falſum jurando deciperet, compulſum fuiſſe confiteri furtum, & quod abſtulerat, reddere. Nunquid non & Africa Sanctorum corporibus plena eſt? Et tamen nuſquam ſcimus hìc talia fieri. Sicut enim quod Apoſtolus dicit 1. Cor. 12. *non omnes Sancti habent dona curationum, nec omnes habent dijudicationem ſpirituum, ita nec in omnibus memoriis Sanctorum iſta fieri voluit ille, qui dividit omnia propria unicuique, prout vult.*

Ex lib. 21. de Civitat. cap. 27. *Illi juſti, qui tanta* 55
ſanctitate vixerunt, ut alios quoque recipiant in æterna tabernacula, quibus amici facti ſunt de mammona iniquitatis. Luc. 26. *Ut tales eſſent miſericordia liberati ſunt, &c. Illi autem, qui recipiuntur a talibus in æterna tabernacula, fatendum eſt, quod non ſint his moribus præditi, ut eis liberandis, ſine ſuffragio Sanctorum ſua poſſit vita ſufficere.*

Infra: *Eſt itaque quidam vitæ modus, nec tàm malæ,* 56
ut his, qui ea vivunt, nihil proſit ad capeſſendum Regnum Cœlorum largitas eleemoſynarum, quibus etiam juſtorum ſuſtentatur inopia, & fiunt amici, qui in æterna tabernacula ſuſcipiant. Nec tàm bonæ, ut ad tantam beatitudinem adipiſcendam eis ipſa ſufficiat, niſi eorum meritis, quos amicos fecerint miſericordiam conſequantur. Mirari autem ſoleo etiam apud Virgilium, iſtam Domini reperiri ſententiam, Æneid. 6. *Quique ſui memores alios fecere merendo, id eſt, qui promeruerunt alios, eoſque ſui memores promerendo fecerunt. Prorſus tanquam eis diceret, quod frequentatur ore Chriſtiano, cùm ſe cuique Sanctorum humilis quiſque commendat, & dicit: Memor mei eſto. Atque ut id eſſe poſſit, promerendo efficit.*

In pſal. 85. *Chriſtus orat pro nobis, ut Sacerdos noſter.* 57
Orat in nobis, ut caput noſtrum. Oratur a nobis, ut Deus noſter.

Infra. *Dominus noſter Jeſus Chriſtus adhuc interpellat pro nobis, omnes martyres, qui cum illo ſunt interpellant pro nobis, non tranſeunt interpellationes eorum, niſi cum tranſierit gemitus noſter.*

In pſal. 88. ſub finem. *Tenete omnes unanimiter Deum* 58
Patrem, & Matrem Eccleſiam. Natalitia Sanctorum cum ſobrietate celebrate, ut imitemur eos, qui præceſſerunt, & gaudeant de vobis, qui erant pro vobis.

In pſalm. 44. *Oſtendatur mihi Romæ in tanto honore* 59
templum Romuli, in quanto ibi oſtendo memoriam Petri. In Petro quis honoratur, niſi ille, pro nobis defunctus? Sumus enim Chriſtiani, non Petriani.

Epiſt. 42. *ad Madaurenſes. Videtis Imperii nobiliſſimi* 60
eminentiſſimum culmen ad ſepulchrum Piſcatoris Petri, ſubmiſſo diademate ſupplicare.

Epiſt. 120. cap. 29. *Annunciant Angeli non ſolùm nobis* 61
beneficia Dei, verum etiam illi preces noſtras. Nam ſcriptum eſt Job. 12. *ubi Angelus hominibus dicit: Ego obtuli memoriam orationis veſtræ.*

Et epiſtol. 121. cap. 9. *Poſtulationes veſtræ innoteſcant* 62
apud Deum, non tanquam Deo innoteſcant, ſed nobis &c. aut fortè etiam Angelis, qui ſunt apud Deum, ut quodammodo eas offerant Deo, prout Job. 12.

Sermon. 1. in feſt. ſancti Stephani: *Commendamus ergo* 63
nos orationibus ejus. Multò magis enim exauditur nunc pro benè orantibus ſe.

Lib. 2. de cognition. veræ vitæ c. 39. *Cùm animæ noſtræ aliquid ſecundùm Deum deſiderant, & hoc ſibi a Deo per Sanctos dari, ſive corde, ſive lingua, ſive voce poſtulant, animæ Sanctorum, quibus eſt idem audire, quod videre, & è*

converſo, non voces, & verba intuentes, deſiderata a Deo eis impetrant.

65 Lib. 5. de baptiſm. cap. 17. *Orationibus B. Cypriani adjutus, diſcam &c.*

66 Lib. 7. cap. 1. *Adjuvet itaque nos orationibus ſuis.* Serm. 18. qui eſt 2. In feſto Annunciationis. *Sancta Maria ſuccurre miſeris, juva puſilanimes, refove flebiles, ora pro populo, interveni pro Clero intercede pro devoto fœmineo ſexu, ſentiant omnes tuum juvamen, quicunque celebrent tuam commemorationem.*

67 Lib. 20. de Civitat. cap. 9. *Neque piorum animæ mortuorum ſeparantur ab Eccleſia, quæ etiam nunc eſt regnum Chriſti, &c. Regnat itaque cum Chriſto nunc primum Eccleſia in vivis, & mortuis.*

68 Serm. 131. de temp. *Credo Sanctorum communionem ideſt cum illis Sanctis, qui in hac, quam ſuſcepimus fide, defuncti ſunt Societate, & ſpei communione teneamur.*

69 Lib. 10. de Civit. c. 7. *Cum Beatis ſumus una Civitas Dei, cujus pars in nobis peregrinatur, pars in illis opitulatur, &c. geritur enim ibi cura de nobis.*

70 De qua ſocietate, & communione per preces Sanctorum pro nobis, & a nobis alibi diſſerit.

71 Quamvis autem Beatus Auguſtinus ſolus pro omnibus, ac præ omnibus huic veritati, ſicut & aliis omnibus ſatisfaciat, ad perfectam tamen harmoniam audiatur deſuper concentus Sanctorum Patrum. S. Chryſoſtomus *tom. 1. hom. 2. in pſ. 50. David mortuus vivo patrocinabatur.* Hom. 44. in Gen. *Confugiamus ad Sanctorum præſens auxilium, & oremus, ut pro nobis intercedant, ſed non illorum precibus tantùm confidamus &c.* Tom. 3. Orat. de S. Philogonio. *Tum quidem patrocinabatur hominibus adverſus homines. Hic autem adeſt hominibus patrocinans adverſus Dæmones.*

72 Ambroſius tom. 1. lib. de Viduis. *Obſervandi ſunt Angeli, qui nobis ad præſidium dati ſunt. Martyres obſervandi, quorum videmus nobis quoddam corporis pignore, patrocinium vindicare.*

73 Et Beatus Hieronymus toto libro contra Vigilantium. Nam *tr.* 1. Vigilantius calumniabatur Catholicos, ob cultum Sanctorum, eſſe cinerarios, & idolatras. Reſpondet Hieronymus: *Honoramus reliquias Martyrum, ut eum, cujus ſunt Martyres adoremus. Honoramus ſervos, ut honor redundet ad Dominum.*

74 Tract. 2. objicit Vigilantius inter alia. *Dum vivimus mutuò pro nobis orare poſſumus. Poſtquam autem mortui fuerimus, nullius pro alio exaudienda eſt oratio.* Reſpondet Hieronymus: Si martyres adhuc in corpore conſtituti poſſunt orare pro cæteris, quando pro ſe adhuc debent eſſe ſoliciti, quantò magis poſt coronas, victorias &c. Et infra. *Malè ergo facit Romanus Epiſcopus, qui ſuper mortuorum hominum Petri, & Pauli ſecundùm nos oſſa veneranda, ſecundùm te vilem pulviſculum, offert Domino ſacrificia.* Infra: *Et poſt hæc de barathro pectoris tui cænoſam ſpurcitiem evomens, audes dicere: ergo cineres ſuos amant animæ Martyrum, & circumvolant eos, ſemperque præſentes ſunt, ne forte, ſi aliquis precator advenerit, abſentes audire non poſſint. O portentum &c.* Infra refert hanc hæreſim ad Eunomium authorem, vocatque etiam Cainam.

CONSULTATIO LI.

Quod in Canonizatione Sanctorum virtutes potius in gradu heroico examinandæ ſint, quàm miracula? Et cur in Carthuſienſi Ordine nulla, aut rara, ut in reliquis ordinibus miracula fiant?

1 AD 1. Plures ſunt, qui cum fama ſanctitatis moriuntur, quique in ſua vita magna, arduaque facinora patrarunt. Ut autem probetur, ea juſſu Dei fuiſſe patrata ad eorum miracula confugitur, quæ ediderint, quæque indicio ſint, ipſos inſtinctu Dei illa feciſſe.

2 At demus maximè omnia ea miracula illos feciſſe, non tamen ſequitur eos inſtinctu, & juſſu Dei ea perpatraſſe. Si deſit enim expreſſum Dei verbum, & mandatum, miracula nos de voluntate ejus certiores reddere non poterunt. Permittit namque Deus interdum etiam falſos Doctores & malos, impioſque homines edere miracula, quod de magis Ægyptiacis conſtat *Exod.* 7. & *Matth.* 7. inducit Chriſtus quoſdam in die judicii dicentes: *Nonne, Domine, in nomine tuo Dæmonia ejecimus? Nonne in nomine tuo multas virtutes edidimus?* Quibus tamen dicetur: *Nunquam novi vos, diſcedite a me, qui facitis iniquitatem*, Matth. 24. ait Dominus: *Surgent pſeudochriſti, & pſeudoprophetæ, & ſigna magna dabunt, itaut in errorem inducantur, ſi fieri poſſit, electi.* A Paulo quoque 2. *Theſſ.* 2. Antichriſti adventus deſcribitur ſecundùm operationem Satanæ cum ſignis, & prodigiis mendacibus. Hinc Cyrillus *lib.* 7. *capit.* 11. in Evangelium Joannis, *Miracula*, inquit, *nihil adjiciunt Sanctitati homini, cùm malis, & reprobis id etiam, competat.* In quam etiam ſententiam Gregorius Magnus in Evangelia hom. 4. inquit: *Corporalia miracula oſtendunt aliquando ſanctitatem, non autem faciunt.*

Ad 2. Bonifacius Ferrarius, qui vixit circa annos 1420. 3
natione Cathalanus, Ordinis Carthuſienſis, ſcripſit tractatum, cur in ordine Carthuſienſi pauci Canonizati ſint, & miracula nulla publica fiant. Sunt qui putant, quod nulla mitacula in hoc Ordine fiant inde eſſe, ne propter miraculorum ad eos concurſum, quies, & ſolitudo, cui ſe totos addixerunt, diſturbetur. Quod ego ex eo colligo, quod Antoninus refert *titul.* 15. *cap.* 22. §. 2. Circa annos Domini 1175. quemdam Carthuſiæ Monachum mortuum miracula multa ad ſepulchrum edidiſſe, ut maxima multitudo hominum quotidie eò confluxerit. Cùm autem Prior ejus loci videret quietem Monachorum turbari, ſive ut Antoninus loquitur, diſſolvi ex eo concurſu, & multa ſimul ſcelera ab iis, qui eò concurrerent perpetrari, acceſſiſſe ad tumulum defuncti, eique præcepiſſe in virtute ſanctæ obedientiæ, ut ſicut in vita ſibi obedierit, ita & nunc faciat, ac nullum de cætero miraculum edat. Quod & factum ſit. Hæc ſe legiſſe Antoninus dicit in Chronico hujus Ordinis, ſi verò de miraculis Sancti alicujus nihil conſtat, non canonizatur etiam.

CONSULTATIO LII.

An ſit annuendum petitioni Confraternitatis Ordinis Sanctiſſimæ Trinitatis Redemptionis Captivorum, ut oblationes ipſi oblatas intuitu dicti Ordinis convertat in aliud opus pium?
Et an id ſaltem ex gratia ſit concedendum?

REſpondeo negativè. Primò, quia ordo Sanctiſſimæ 1
Trinitatis Divina revelatione fuit inſtitutus pro redemptione Captivorum ab Innocentio Tertio, & ſub propria regula confirmatus, ut conſtat ex Bullario Romano *tom.* 1. *Conſtit.* 1. & 9. dicti Pontificis, concedentibus aliis Summis Pontificibus gratias, indulgentias, privilegia, facultateſque Religioſis redemptoribus, ac fidelibus Chriſtianis, qui ad Captivorum redemptionem eleemoſynam erogarent, ut liquet ex literis Apoſtolicis eiſdem Religioſis conceſſis, quas brevitatis cauſa miſſas facimus. Unde præcipuum inſtitutum, eſſentialeque exercitium hujus Religionis eſt Captivorum redemptio, quæ cùm ſit opus tàm pium, ac neceſſarium, Religio hæc Sanctiſſimæ Trinitatis magno in honore habita eſt, ut deducitur ex Caſſaneo in catalogo gloriæ Mundi, D. Antonino, Sabellico, Gaguino, & ex Pontificia hiſtoria Innocentii Tertii.

Unde in limine fundationis, & ex vi ſui inſtituti, 2
ac regulæ habet hic ordo facultatem quærendi, & accipiendi eleemoſynas, & legata relicta pro redemptione Captivorum. Hinc eſt, quod plures Summi Pontifices per ſuas Bullas conceſſas in favorem dicti Ordinis præceperunt univerſis, ac ſingulis Patriarchis, Archiepiſcopis, & Epiſcopis, eorumque Vicariis, & officialibus generalibus, ut quando fratres Ordinis Sanctiſſimæ Trinitatis pergerent ad colligendas eleemoſynas Confraternitatum, darent illis literas commendatitias, ut eos benignè acciperent, honeſtè tractarent, ac eis eleemoſynas conferrent. Confratribus item dicti Ordinis conceſſerunt magna privilegia, indulta, ac indulgentias ad excitandam ipſorum pietatem erga miſeros captivos Chriſtianos. Hæc omnia leguntur in Bullario dicti Ordinis, ac præ omnibus legi poterit Conſtitutio ſeptima Clementis Septimi. Cùm ergo ex vi inſtituti, regulæ, ac privilegiorum Ordinis Sanctiſſimæ Trinitatis competat ejus Religioſis petere, & accipere eleemoſynas pro redemptione Captivorum, injuſtè volunt Confratres, quod tales eleemoſynæ non dentur dictis Religioſis, cùm potius deberent illas dare Patribus Trinitatis titulo Confraternitatis, gratitudinis, ac fidelitatis.

Deinde quia prætenſio Confraternitatis tendit in di- 3
minutionem, ac deſtructionem operis redemptionis Captivorum, quod ex ſuo inſtituto, & regula competit Religioſis Sanctiſſimæ Trinitatis. Cùm enim propriæ non ſuppetant facultates dicti Ordinis pro redemptione Captivorum facienda, indiget eleemoſynis fidelium, ut in Bulla citata inquit Clemens VII. Quare ſi eleemoſynæ ab ipſis Confratribus oblatæ intuitu Ordinis Sanctiſſimæ Trinitatis, ac ejus inſtituti auferantur, nec dentur ejus Religioſis, ceſſabit ipſorum propriuum inſtitutum.

Ad hæc ſi hujuſmodi confratrum petitio exaudiretur, 4
indu-

induceretur exemplum aliis Confraternitatibus ; sunt enim plurimæ, quas ordo Sanctissimæ Trinitatis habet in diversis Orbis Christiani Provinciis, quæ similiter possent prætendere non dare eleemosynas Redemptoribus dicti Ordinis, ex quo exercitium redemptionis frustraretur. Patet id exemplo Archiconfraternitatis Confalonis Urbis, quæ habet privilegium a Sixto Quinto, ut ipsa sola in ditione Ecclesiastica recipiat eleemosynas, & legata pro redemptione Captivorum, & tamen plures anni elapsi sunt absque eo, quod aliquem captivum redemerit, pecuniasque collectas expendit in ducendis matrimonio virginibus. Ita pariter possent facere aliæ Confraternitates, sicque nec ipsæ rediment Captivos, & Redemptores ex instituto privabuntur suo piissimo munere, ut conditori omnium perhumilis pietatis obsequio placentes, operibus misericordiæ fovendo miseros, & de Paganorum vinculis redimendo Captivos, quos dura sors in Infidelium servitutem redegit, quique etiam diversis pœnis, ac tormentis vexati, Christi fidem in baptismo per eos receptam, persæpè (proh dolor!) deserunt in Christi nominis contumeliam, incessanter laborare non desinunt, ut ait Urbanus V. literis Romæ datis, Pontificatus sui anno secundo.

5 Præterea hujusmodi prætensio est contra fidelitatem, & gratitudinem debitam ordini Sanctissimæ Trinitatis, cujus major, ac Generalis minister in Bulla, qua aggregat suo Ordinis Confraternitates, loquens cum Rectore, sive Capellano ponit clausulam tenoris sequentis: *Dantes tibi, tuisque successoribus præsentium tenore facultatem benedicendi scapularia, sive habitus cruce rubra, cerulea-que signatos, eosque conferendi, sive imponendi Confratribus Confraternitatis, eorum eleemosynas pro redemptione Captivorum colligendi, easque tradendi ad hunc effectum dilecto Confratri nostro Patri Ministro Conventus nostri S. N. sive ejusdem Conventus procuratori, &c.*

6 Tum quia id esset contra jus, ac rationem. Nam qui sentit commodum, debet utique sentire onus. Cùm igitur Confratres aggregati Ordini Sanctissimæ Trinitatis sentiant maximum commodum spirituale in communicatione, ac participatione Indulgentiarum, suffragiorum, aliorumque bonorum operum, quæ per Dei gratiam in universo Ordine Sanctissimæ Trinitatis fiunt, sentire debent & onus dandi eleemosynas, præsertim quia dare illas dicto Ordini potiùs, quàm aliis, nullum est onus, sed recognitio, fidelitas, & justitia.

7 Ad secundum, nec quidem ex gratia. Nam Sedes Apostolica non concedit gratias in præjudicium Tertii, cui quæsitum est jus, ut in specie de communicatione privilegiorum, quæ tendit in læsionem juris alicujus, probat Jo: Andr. *in cap. dubium num.* 5. *de privil* Butr. *cons.* 19. *num.* 9. Natta *cons.* 4. *num.* 6. & in fortioribus, quod etiamsi privilegium communicativum sit concessum cum amplissimis verbis, tamen non trahitur ad ea, quæ sunt alteri præjudicialia, latè probat Spada *cons.* 21. *num.* 14. *ac seqq. lib.* 1. & *cons.* 142. *num.* 1. & 2. *lib.* 2. ac firmavit Rota *dec.* 55. *num.* 14. *part.* 2. *div.* & *in Valentina decimarum* 28. *Novembris* 1603. *coram Lancellotto*, apud Marches. *de commiss. part.* 1. *p.* 639. *numero* 2. & coram Cavalerio *dec.* 101. *num.* 3. & coram Pegna *dec.* 1090. *num.* 12.

8 Præjudicium autem Conventus, ac etiam totius Ordinis Sanctissimæ Trinitatis, si concederetur facultas convertendi eleemosynas, quæ percipiuntur intuitu hujus Religionis in alium usum, quàm redemptionis Captivorum juxta ejus peculiare institutum, esset gravissimum, dum Religio non habet ex se facultates sufficientes pro redimendis pauperibus captivis, ut proinde ipsi Sedes Apostolica concessit, quod ad hujusmodi opus tàm pium, ac laudabile peragendum eleemosynas fidelium colligere possit, ut *in d. Const.* 7. Clementis VII. §. *Unde cùm ad ipsam* Religionem principaliter spectet captivos redimere, istudque sit ejus peculiare institutum a Sede Apostolica confirmatum, & tantoperè commendatum, non debent eleemosynæ, quæ contemplatione dicti instituti a fidelibus dantur, concedi extraneis, ut in similibus terminis, quod ad præjudicium Religiosorum, qui habent, jus colligendi eleemosynas ad proprium institutum necessarias in quodam loco, non sit concedenda erectio alterius Conventus, quorum Religiosi studeant collectioni eleemosynarum, ne fiat præjudicium tàm grave, fusè firmavit Rota in Januensi privilegiorum 24. Januarii 1648. coram Royas, *ac divers.* 745. *num.* 1. *part.* 2. *recent.* ubi quod Constitutiones Apostolicæ prohibentes novam erectionem Monasteriorum, potissimè considerant hoc præjudicium proveniens ex eleemosynarum diminutione.

9 Immò præjudicium etiam esset totius Orbis Christiani. Nam eleemosynæ, quæ huic Ordini erogantur, sunt adeò fideliter custoditæ, ut nullum sit dubium, quod possint in alium usum converti, & Religiosi semper sint prompti ad nutum Superiorum eas in redemptionem captivorum erogare.

Nec obstat, quod in aggregatione non adsit hæc obli- 10
gatio, sed fuerit id remissum arbitrio Confratrum. Nam verba illa superiùs relata important quidem arbitrium circa benedictionem Scapularium, & eleemosynarum collationem, itaut Confraternitas hoc facere possit, si velit; at postquam usa fuit hac facultate retinendo eleemosynas, easque colligendo, non remanet arbitrium circa consignationem, sed est actus merè necessarius, non obstante, quod etiam hæc traditio regatur ab eodem verbo *dantes facultatem*, quia etiam verba, quæ videntur facultativa, ubi tamen respiciunt certum effectum, ut in hoc casu, ibi, *eosque tradendi* ad hunc effectum redemptionis inducunt necessitatem juxta consilium Cumani 148. *num.* 4. & comprobat Seraph. *de privil. juram. privil.* 33. *n.* 71. ac Rota *dec.* 48. *n.* 5. *p.* 2. *rec.*

CONSULTATIO LIII.

De electione cum contemptu suffragatorum, eorumque non admissione ad Capitulum. Quid si contempti non prosequantur suum contemptum? Pro appellatione a non admissione ad Capitulum quid satis sit? Appellatio a contemptu an habeat tempus præscriptum? Quinam excludendus ab electione? Quando visitator possit allegari suspectus? Quæ pœna in allegantem suspectum visitatorem? In judiciis Regularium an necessaria citatio? Processus legitimandus etiam inter Regulares. Recursus Regularium ad Judices laicos quomodo probetur?

IN hac re certum videtur, quod appellatio non suf- 1
fragetur, nisi fuerit interposita coram Capitulo, eique intimata intra mensem juxta Clement. *causam de elect.* Scacc. *de appellat. quæst.* 6. *numero* 33. Quo stante defectu, nulla prorsus de illa est habenda ratio, ac si facta non fuisset, quia est omninò nulla, Scacc. *loco cit. num.* 6.

Mandatum verò ad reclamandum debet etiam intra 2
mensem intimari. Quia in appellatione extrajudiciali, prout est appellatio ab electione, intimatio mandati procuratoris ad appellandum, est indistinctè necessaria, & quidem in forma authentica, sicque oportet, quod aliud simile mandatum subscriptum ab ipsis suffragatoribus contemptis sit subscriptum, intimetur Electoribus, aut electo ex *d. Clem. causam*, & in specie notat Scacc. *ibid. num.* 34.

Nec sufficit mandatum ad appellandum, nisi procu- 3
rator appellet, Scacc. *loc. cit. q.* 5. *n.* 12. de qua appellatione constare debet, nec suffragaretur, nisi fiat intra decem dies *cap. ex concertatione de appell.* Rota in his terminis *dec.* 289. *num.* 81. *p.* 6. *rec.* debetque etiam intimari intra mensem *ex d. Clem. causam*. Et isti defectus sunt substantiales, nec possunt suppleri per arbitrium Judicis, qui non est supra canones.

At demus, quod appellatio fuerit legitima, nihil re- 4
levaret, si suffragatores aliud non opponant, quàm fuisse contemptos, si dixerint fuisse contemptos, quia non fuerunt nominatim vocati. Nam sufficit vocatio generalis, quæ semper præsumitur, quia non est inverisimile, quod Capitulum congregetur absque vocatoria, satisque remaneret probata ex relatione Capitulari si in illa enunciaretur.

Si autem dixerint, se contemptos, quia non fuerunt 5
admissi, id doceri debet ex accessu ad Capitulum. Nec satis esset dicere, quod per diem ante Capitulum Præsidens illius aliquot suffragatores inhabiles declaraverit, cùm aliud sit, quod suffragator declaretur inhabilis a Judice propter delictum, aliud quod uti validè judicatus excludatur a Capitulo. Nam cùm exclusio suffragatoris inducat nullitatem ipso jure, quod instat admitti, requiritur quod compareat, & præcisè repellatur ab eis, a quibus admitti debet, ut docet Suarez *tom.* 4. *de relig. lib.* 2. *cap.* 5. *n.* 14. Unde vanum, futileque est dicere, quod suffragator judicatus extra Capitulum dicatur contemptus a Capitulo.

Si verò dixerint, se contemptos ex eo, quod ob ti- 6
morem, vel aliam ob causam fuerint impediti accedere personaliter ad Capitulum, debebant mittere procuratores, ut decernunt textus *in cap. bonæ memoriæ*, & *in c. quia propter de elect.*

Et quamvis fuerint contempti, potuerunt tamen, ac 7
debuerunt contemni, si recursum habuerint ad Judices laicos, cùm ex Constitutione Clementis VIII. relata per Lezanam *in summ. part.* 1. *capit.* 9. *numero* 4. sint ipso jure excommunicati, ac privati voce activa, & passiva.

Quod ſufficeret, etiamſi nulla lata fuiſſet ſententia declaratoria ex theorica Abbatis, *in c. 2. num. 15. de poſtul. Prælat.*

8 Ac ita, ut non obſtet decretum, ne intra menſem poſſint ſuffragatores privari. Nam intelligitur de ſententia privationis, non autem de ſententia declaratoria, & multò minus de ſententia confirmante declaratoriam. Nam in primo caſu ſuffragatur redditus inhabilis ex ſententia, in altero inhabilitatur a Canone, ſive Conſtitutione, & Judex nil aliud facit, quàm declarare factum. Quod non ſolùm facere poteſt in limine Capituli, ſed debet, ne admittantur inhabiles, præſertim excommunicati, in præjudicium electionis, & ab hac declaratoria non datur appellatio ſuſpenſiva, multòque minus factum probatur ex confeſſione Partis, & ſic eſt notorium, quæ notorietas etiam ſufficit abſque declaratoria pro excluſione ſuffragatorum. Et quæ dici poſſunt de appellatione, quod ſuſpendat privationem ſuffragatoris, non applicantur declaratoriæ, cùm aliud ſit privare, aliud privatum declarare.

9 Vel ſi admiſerint mulieres in Monaſterium. Hoc enim caſu ipſo jure ſunt excommunicati per Conſtitutiones Beati Pii V. & Gregorii XIII. relatas a Lezana *d. com. 1. cap. 10. n. 9.* Quarum effectum non poteſt ſuſpendere inferior, ſufficitque notorietas facti reſultans ex proceſſu, ut poſſint non admitti ad electionem.

10 At nihilominus tenendum eſt, quod ſi conſtiterit ſuffragatores aliquot non fuiſſe admiſſos ad Capitulum, ſubintrat nullitas ex capite contemptus, quæ talis eſt, ut etiamſi unus dumtaxat ex iis contemptus fuerit, adhuc tota electio corruat. Textus ſunt expreſſi *in c. quod ſicut de elect. & in c. bonæ 2. eod. tit.* & latè proſequuntur Lavor. *var. elucubr. tit. 4. c. 17. n. 13. & ſeqq.* Caſtell. *de elect. can. c. 4. n. 24. & c. 8. n. 1.* Tambur. *de jur. Abb. tom. 1. diſp. 6. quæſt. 3.* Barboſ. *de canon. & dignit. c. 39. a num. 22.* ac Rot. coram Burat. *deciſ. 351. num. 3. ac ſeqq.* aliique a nobis alibi adducti.

11 Eſtque indubitatum juris principium, quod licèt contempti non proſequantur contemptum, adhuc eorum ſuffragia debeant numerari ad cognoſcendum, an habito reſpectu ad illos, electio facta fuerit a majori parte. Nam aliàs remaneret nulla, ut ajunt in terminis Innoc. *in cap. in Geneſ. num. 8.* ubi etiam Abb. *num. 11. de elect.* atque ex his, aliiſque Additionator ad Burat. *dec. 351. num. 12.* Ut ſi ex actis capitularibus conſtaret, quod ex triginta tribus vocalibus defuerint Provinciali electo tredecim, certè ſi his addantur quatuor contempti, apparebit illum non habuiſſe majorem partem ſuffragiorum.

12 Pro appellatione autem poterit inſervire ipſum mandatum procuræ ſubſcriptum a contemptis, & datum præciſè ad appellandum, ac irritandum Capitulum junctis ſubſequentibus comparitionibus procuratorum, & porrectione libelli in Sacra Congregatione Epiſcoporum. Quotieſcumque enim quis non audet accedere ob juſtum, ſive probabilem metum, ſatis eſt appellare coram Judice a quo, vel coram honeſto viro, vel coram Judice, ad quem appellationem, & oppoſitionem ſuam deducat, ut probant in terminis Maranta *in praxi part. 6. act. 2. numer. 133.* & Scacc. *de appellat. dict. quæſt. 6. ſignatè a num. 20.*

13 Nec oppoſitio de contemptu habet præſcriptum tempus. Unde communiter inquiunt Doctores, ſatis eſſe, quod fiat ante confirmationem electionis, ſi electio tali contempto fuerit notificata, vel innotuerit, quinimmò, & poſt confirmationem ſi talis antecedens notificatio, ſive ſcientia non probetur. Videantur in terminis Lavor. *d. tit. 4. c. 17. n. 14.* Barboſ. *loc. cit. c. 39. n. 35.* quod repetit more ſuo *lib. 1. de jur. Eccleſ. c. 9. n. 115.* & alibi.

14 Perperam igitur appellatio tarda, ſeraque dicitur ſi fuerit oppoſitum de contemptu ante confirmationem. Nec forma, *cap. ut circa de elect. in 6.* ſervari debet, quotieſcumque appellatio interponitur ex capite contemptus, quia tunc appellans non dicitur opponere contra electionem, ſed ſolùm proſequitur jus ſuum. Ita inquit in ſpecie Oldradus omninò videndus *conſ. 188.* Elector verò, appellatione pendente, admittendus eſt ad ſuffragium, Lavor. *loc. cit. cap. 21. num. 78.* Et regula juris eſt, quod omnia geſta, pendente tempore ad appellandum, revocari debeant ex capite nullitatis, quamvis intra dictum tempus appellatio non fuerit poſtea interpoſita, *c. non ſolùm de appell. in 6.* cum aliis, de quibus fusè Rota in Anglonenſi Territorii 13. Junii 1650. coram Meltio. Et omnia geſta, appellatione pendente, tanquam attentata non ſunt habenda in conſideratione *tot. tit. ff. de C. nihil novari appell. pend. c. non ſolùm de appell. in 6.* ac Rota in Averſana Juriſpatronatus 26. Junii 165. coram Zarate.

Idque præſertim ſi Pater Generalis præciſè irritaverit quaſcumque ſuſpenſiones, ac privationes contra ſuffragatores faciendas, ut ſuffragium dare valeant in Capitulo Provinciali, cùm nemo excludi debeat ab electione ob delictum, & culpam, quæ non habet annexam excommunicationem, niſi cauſa finita, *capit. illa quotidiana de elect.* juncta Gloſſ. Lavor. *ibidem capit. 15. num. 13.* 15

Et licèt Regulares prohibeantur de jure allegare ſuſpectos ſuos viſitatores, quando iſti ſola inquiſitione generali volunt viſitare ad correctionem morum, iis tamen permittitur, ac licitum eſt allegare ſuſpectos eoſdem viſitatores, quando inquiſitione ſpeciali, compilato proceſſu, ſine alia forma juridica contra ipſos procedere intendunt, ut in hac ſpecie Ghisler. *de Judic. regul. c. 14. num. 44.* Barboſ. *de poteſt. Epiſc. alleg. 66. n. 28.* Lezana *in ſum. tom. 4. verſ. recuſatio num 7. & verſ. viſitator num. 13. & nos tom. 9.* Eſtque regula juris, quod pœna privationis imponi non poſſit, niſi in caſibus ab eodem jure expreſſis, *can. ſatis peruerſum d. 66.* Creſcen. *dec. 9. num. 1. de prob.* Sigiſmund. a Bonav. *de elect. p. 1. cap. 7. dub. 49. n. 5.* De jure autem communi cautum non reperitur, quod allegans ſuſpectum viſitatorem, puniatur pœna privationis, ſed ſolùm in jure diſponitur, quod allegatione rejecta, procedatur in cauſa. Unde hæc pœna imponi non poteſt ex capite recuſationis. 16

In judiciis verò Regularium eſt omninò neceſſaria citatio, quia inter ipſos omittuntur quidem ſubtilitates, ſed non veritates. Ita ex Geneſi *c. 3. & 4.* probat Ghisler, *loc. cit. cap. 10. num. 21.* 17

Nec obſtaret proceſſus contra ſuffragatores factus, ſi fuerit conſequens actum viſitationis. Unde ſi viſitator fuerit recuſatus, & appellatio ad Patrem Generalem devoluta, dicendum neceſſariò eſt, quod etiam proceſſus culparum a tali viſitatore conditus, vel remanſerit nullus, vel fuerit ad ipſum Patrem Generalem devolutus, ut per Lezanam *diverſ. viſitatio n. 3.* Aut ſi fuerit ſimplex examen Religioſorum factum in ipſo actu viſitationis abſque eo, quod fuerint ejuſmodi Religioſi poſtmodum repetiti, vel proceſſus aliquo modo legitimatus. Explorati enim juris eſt, proceſſum legitimandum eſſe, etiamſi cauſa inter Regulares ventiletur, nam id reſpicit defenſionem, Ghisler. *loc. cit. cap. 10. n. 22. ac ſeqq.* & in terminis proceſſus fabricati in viſitatione, Lezana *d. v. viſitator. n. 1.* in fine, ibi, *nihilominus oppoſitum obſervari debet in cauſis gravioribus.* 18

Et quoad recurſum Regularium ad Judices ſæculares quando is adducitur ad effectum privationis, debet claris, & concludentibus probationibus, non autem per ſimplices fides comprobari, ut poſt multas alias deciſiones fuit firmatum in Ulyſiponenſi cenſurarum coram Bevilaqua, & nos ſæpè. 19

CONSULTATIO LIV.

Exemerat Summus Pontifex a juriſdictione Epiſcopi nonnulla Monialium Monaſteria, illaque ſubjecerat quibuſdam Rectoribus cum poteſtate illas regendi in temporalibus, & ſpiritualibus. At poſtea ex relatione Nuncii Apoſtolici, & poſtulatione ipſarum Monialium idem Pontifex viſitatores earumdem Monialium ſuo diplomate inſtituit, nulla facta mentione de poteſtate Rectorum eligendi viſitatores.

Quæritur, an hujuſmodi inſtitutio ſit ſubreptitia, & obreptitia? Ubi de viſitatione cumulativa, & privativa quoad alios. An per deputationem ſpecialis viſitatoris cenſeatur derogatum facultati viſitatoris generalis? De munere viſitatorum. An iidem Rectores poſſint nominare ſeipſos? De oris aperitione quoad Sacras Congregationes, præſertim ſuper Epiſcopis, & Regularibus. An meliùs ſit, quod viſitatores ſint perpetui, & quid de aliis officialibus?

REſpondendum videtur ejuſmodi diploma, tanquam ſubreptitium, & obreptitium nullatenus poſſe Monialibus ſuffragari, *l. etſi legib. Cod. de contr. juſ. vel util. publ. cap. conſtitutus, cap. Super literis, cap. Poſtulaſti, & cap. ad audientiam 2. de reſcript.* & tradunt Aym. *conſ. 103. n. 17.* Gozadin. *conſ. 9. n. 23.* Zabarel. *conſ. 31. n. 3.* ac Rota coram Mantica *dec. 358. n. 4.* & coram Durano *dec. 100. n. 6.* 1

Subreptio autem eſt perſpicua, cùm non fuerit expreſſum Pontifici, quod Rectores habebant jus præſentandi viſitatores ex privilegio Pontificio, quodque viſitatio cumulativa non ſolùm ab eis acquiſita fuerat ex privilegio, ſed etiam ex lapſu quadraginta annorum, ac ultra, & quod ex eodem privilegio eligi debebant de trien- 2

nio

nio in triennium. Quæ omnia ſi Pontifex ſciviſſet, utique non edidiſſet ſuum diploma, in quo mandat nullum jus competere Rectoribus circa viſitationem, & in quo illis adimit facultatem viſitatores præſentandi, ac tribuit facultatem Nuncio Apoſtolico confirmandi in perpetuos viſitatores duos ab eodem Nuncio eligendos, Rota coram Caputaquen. *dec.* 189. *par.* 3. & apud Seraphin. *deciſ.* 708. *num.* 9. & 10. *dec.* 418. *num.* 1. *par.* 1. & *deciſ.* 94. *num.* 16. *par.* 6. *recent.* & coram Durano *deciſ.* 100. *n.* 7. & *deciſ.* 208. *n.* 8. & *in Romana hæreditatis* 28. *Aprilis* 1659. *§. nec refert coram Meltio.*

3 Obreptio pariter redditur manifeſta, ex quo Pontifici fuit expreſſum, Rectores habere ſolummodò juriſdictionem temporalem, non autem ſpiritualem expreſſam in eorum privilegio, Rota coram Mantica *deciſ.* 358. *num.* 4. & coram Durano *d. deciſ.* 100. *num.* 6. & *deciſ.* 285. *nu.* 13. ex quo conſtat, hujuſmodi Rectores eſſe cum ampliſſima facultate loco Ordinarii, a cujus juriſdictione, & ſuperioritate Monaſteria exempta fuerint in omnibus, & ſubjecta viſitationi, correctioni, & ſuperioritati, quoad viſitationem eiſdem Rectoribus tàm circa temporalia, quàm ſpiritualia, nedum quia ſimpliciter, ac definitè ipſis conceditur cura, gubernium, regimen, & adminiſtratio abſque aliqua reſtrictione temporis, ſed etiam quia datur eis expreſſa facultas faciendi, ac edendi ſtatuta, & ordinationes circa curam, & regimen Monaſteriorum tàm circa temporalia, quàm ſpiritualia, & in ſpecie circa receptionem, & admiſſionem, numerum, ætatem, qualitates, victum, amictum Monialium, nec non earumdem inſtructionem, ac diſciplinam, & modum, ac formam recitandi divina officia, preces, orationes, & ſuffragia, quæ omnia concernunt ſpiritualitatem, data etiam eiſdem facultate præcipiendi Monialibus obſervantiam ſub pœnis; Unde liquidò conſtat univerſalem, ac indefinitam juriſdictionem iis tributam eſſe, tanquam repræſentantibus loci Ordinarium, ejuſque vice ſuffectis, ne aliàs daretur inconveniens, quod hujuſmodi Monaſteria eſſent abſque Superiore, qualis dici non poteſt viſitator, qui ſingulis annis in certis tantùm temporibus deputatur, quia iſtius juriſdictio, completa viſitatione expirat.

4 Conceſſa autem juriſdictione generali, ac indefinita ſubintrat conſequenter jus viſitandi, quod eſt unus ex actibus juriſdictionis, & gubernii, *cap. Conquerente de offic. ordin.* ubi Gloſſ. & Doctores, Seraph. *dec.* 1008. *num.* 4. Merlin. *dec.* 84. *num.* 3. egregiè Gregor. *dec.* 304. & Rota in Burgen. ſive nullius juris viſitandi 14. Junii 1647. coram Royas. Et ita, ut non obſtaret, quod in Monaſteriorum viſitatorem aliquis alius deputatus eſſet. Nam ex alicujus ſpecialis viſitatoris deputatione non infertur ad negationem juris viſitandi annexi juriſdictioni ordinariæ, ac generali, quæ alteri competit, ut per Gregor. *dec.* 8. *Et quamvis hæc quæſtio*, an ſpecialis viſitatoris deputatio faciat ceſſare jus viſitandi annexum juriſdictioni generali in terminis juris communis ſuos habeat contradictores ex adductis per eundem Gregorium *deciſ.* 4. Negari tamen non poteſt, ſaltem id eſſe dubium, ut firmatur apud eundem Gregorium *d. dec.* 8. quod ſufficit, ut ſubſequuta longa obſervantia viſitandi, omninò attendenda ſit, tanquam interpretativa, cùm in caſibus dubiis obſervantia ſit ſemper optima interpres, ac interpretationum regina, ut per Cavaler. *deciſ.* 80. & 99. Adden. ad Gregor. *deciſ.* 184. ac Rota *dec.* 14. *num.* 4. *part.* 7. *rec.* & in Romana pecuniaria 5. Junii & 31. Julii 1648. coram Corrado, paſſimque alibi.

5 Et ſic obſervantia non adducitur, tanquam præſcriptio, ſive introductio juris, aliàs non competentis, ſed tanquam interpretatio, quod ſub dicta generali juriſdictione, & gubernio a Pontifice conceſſa, venerit etiam jus viſitandi, tanquam una ex ſpecialibus juriſdictio. Satis autem refert, obſervantiam non eſſe præſcriptivam, vel novi juris inductivam, ſed declarativam, quod tacitè ineſſe prætendi poteſt. Quia ſic neque temporis lapſus, neque aliud præſcriptionis requiſitum deſiderandum eſt, ſed ſufficit ita aliquando ſervatum eſſe, Cavaler. *dict. deciſ.* 80. *num.* 5. & 427. *num.* 2. Mantic. *dec.* 320. *n.* 5. & *deciſ.* 139. *num.* 12. & 15. apud Vivian. *de jurepatr.* In ſubſequuta igitur obſervantia ſtandum eſt, cùm jus ei non reſiſtat, Rot. *dec.* 232. *num.* 5. *part.* 7. *recent.* Siquidem præſcriptione, & obſervantia annorum quadraginta jus viſitandi in alicujus præjudicium acquiritur, Rota *deciſ.* 394. *num.* 1. & 2. *part.* 1. *recent.* Quæ obſervantia comprobat eiam, quod a principio juriſdictio viſitandi fuerit cumulativè conceſſa, Rota *deciſ.* 76. *nu.* 7. *part.* 7. *recent.*

6 Quod autem non poſſit dici de obreptione, vel ſubreptione dicti diplomatis, ex quo oris aperitio non fuerit obtenta, perperam *objicitur*, ſi conſtiterit oris aperitionem fuiſſe obtentam, dum ſpecialiter ſuper hoc diplomate fuit reclamatum, & Pontifex commiſit cauſam in S. Congregatione diſcutiendam, quod ſufficit pro aperitione oris, Marcheſan. *de commiſſ. tom.* 2. *fol.* 416. *n.* 52.

Præterea illa, quæ dicuntur ſuper defectu juriſdictio- 7
nis ob clauſulam ſublata, & *quod de ſubreptione, vel obreptione*, &c. procedunt in Judicibus Ordinariis, ac inferioribus, qui juxta ſuas ordinarias facultates, prout de jure, in cauſis procedere intendunt. His enim ex hujuſmodi clauſulis adempta eſt facultas judicandi, non autem in Sac. Congregationibus, quæ Principis potius, quàm Judicis partes explendo de ſubreptione, & obreptione Brevis cognoſcere intendit ad effectum conſulendi Pontifici ejus revocationem, tanquam indebitè extorti, præſertim ubi agitur de Brevibus ad S. Congregationis ſuper Epiſcopis, & Regularibus conſultationem emanatis, dum paſſim in eorumdem Brevium corpore Sac. Congregationis facultas reſervari ſolet, accedente præſertim remiſſione ſupplicis libelli per Summum Pontificem deſuper facta, qui eſt loco commiſſionis ſuper aperitione oris; Cùm dicta Sac. Congregatio ex Conſtitutione 74. Sixti V. in ejus erectione non procedat in forma judicii, ſed per viam extrajudicialis, ac ſummariæ cognitionis. Unde propterea neceſſaria non eſt illa formalitas commiſſionum, quæ in Judicibus in forma judiciaria procedentibus requiritur.

Ex quibus tàm ſubreptio, quàm obreptio Brevis ma- 8
niſeſtè convincitur, nec cenſendum, quod Princeps jus Rectoribus ex conceſſione Apoſtolica, & de iure etiam, ut ſupra quæſitum, tollere voluiſſet, ut per Dec. *conſ.* 13. *numer.* 5. *tom.* 1. Pariſ. *conſ.* 65. *numer.* 24. & *ſeqq. par.* 4. Honded. *conſ.* 39. *num.* 45. *vol.* 2. Rota coram Seraph. *dec.* 351. *num.* 7. & coram Cavaler. *deciſ.* 374. *num.* 7. & in Gerunden. juriſdictionis, 22. Aprilis 1630. coram Coccino.

Præcipuè ſi Pontifex nullam habuerit notitiam, quod 9
major pars Monaſteriorum ab hujuſmodi Brevi reclamaverit, Quod ſi ille ſciviſſet, certè gratiam aliis non conceſſiſſet, cùm ſemper ſtandum ſit cum majori numero, *l.* & *ſuum hæredem in fine*, & *l. ſeqq. ff. de pact.* Rota *dec.* 160. *num.* 22. *par.* 6. *recent.*

Aut ſi nulla expreſſa fuerit cauſa, ob quam facultas 10
Rectoribus conceſſa, & obſervantia diuturna exercita eſſet tollenda. Quapropter ab hujuſmodi novitatibus cavendum eſt, ut *in cap. Cum conſuetudine de conſuet.* ibique Gloſſa *verſ. vel novas*, ubi ait novitates ſine cauſa inducendæ non ſunt. Nam ex illis diſſentiones, & ſcandala oriuntur, & ideò tanquam odioſæ, ſunt omninò tollendæ, Anchar. *conſ.* 157. *num.* 4. & ſcandala ſunt penitus evitanda, *cap.* 1. *de offic. leg. in* 6. *Clem.* 1. *de off. ordin.* ibique Zabarell. *notab.* 7. *Clem.* 1. *de immun. Eccleſ.* Neviz. *inter conſ. Bruni conſ.* 12. *num. penult.* ac Federic. de Sen. *conſ.* 185. *n.* 1. & ex iis ceſſare Principis gratiam, firmat Oldrad. *conſ.* 262. *num.* 2. Quinimmò etiam a jure recedendum, tradit Federic. de Sen. *loc. cit. n.* 2. Præſertim ſi hujuſmodi ſcandala ſint univerſalia in omnibus Monaſteriis, Zabarell. *conſ.* 150. *n.* 10.

Et ponderandum eſt, quod ex hoc Brevi tollerentur 11
quamplures optimi effectus, qui ex cumulativa viſitatione proveniunt, & præcipuè quia ſi viſitator eſſet unus, vel duo, & non plures, omnia neceſſaria providere non poſſent, prout providerentur, ſi eſſent plures, & hac de cauſa viſitatio cumulativa aliàs fuit admiſſa, ut *in dec.* 4. & 6. Ludoviſii & in Barchinonenſi juriſdictionis 1. Julii 1644. coram Bichio & in Valentina juris viſitandi 27. Novembris 1653. coram Peutingero. Et in ſpecie, quod juriſdictio viſitandi ſemper dicatur conceſſa cumulativè, non autem privativè, tradit Grat. *diſcept.* 154. *num.* 4. & *diſcept.* 270. Put. *dec.* 213. *numer.* 4. *lib.* 3. & Gratianus atteſtatur fuiſſe reſolutum in S. Congregatione Concilii.

Inſuper ſi viſitatores ſunt plures, meliùs poſſunt con- 12
ſulere neceſſitatibus Monaſteriorum, cùm firmiora ſint conſilia, quæ plurimorum judicio confirmantur, per Text. *in cap. prudentiam prope fin.* ibi, *Cùm ſicut Canones atteſtantur integrum ſit judicium, quod plurimorum ſententiis confirmatur*, ubi Gloſſ. *v. plurimorum de offic. deleg.* & *can. de quibus d.* 20. ibi, *facilius nempè invenitur, quod a pluribus Senioribus quæritur*, ibique Gloſſ. *v. pluribus*, & *in l.* 32. ibi, *ut per ampliores hæredes perfectiſſima veritas reveletur*, *Cod. de fideicomm.* Anchar. *conſ.* 157. *num.* 2. Menoch. *conſ.* 145. *num.* 26. ubi plurium electionem, & adminiſtrationem anteferendam ait electioni, & adminiſtrationi unius, Gratian. *cap.* 544 *numer.* 36.

Idque ex vetuſtiſſimo tenore, ſive ſtylo Sedis Apo- 13
ſtolicæ, cùm hujuſmodi cauſarum cognitiones potius duobus, quàm uni, tribus quàm duobus libentius dele-

gare

gare consueverit, ut firmatur *in d. cap. prudentiam in fin. de offic. deleg.* ubi dictam rationem judicii plurimorum assignat.

14 Et quidem ad constituendum Senatum requiritur multitudo non exigua præcipuorum virorum. Nam si Senatum confles ex paucis, poterunt inter se conspirare, suæque utilitati, & magnitudini velificare, posthabito emolumento, & honore communi totius Populi. Ita Decemviri apud Romanos constituti ad ferendas leges, conspiratione facta, statuerunt non deponere potestatem decemviralem, atque adeò injustum imperium exercere in populum, libertatemque invecta perpetua potestate evertere. At si magnus sit numerus conspicuorum hominum, vix poterit fieri, aut difficillimè fiet, ut velint conspirare ad opprimenda publica jura.

15 At nihilominus tenendum censeo, non esse locum revocationi, seu moderationi dicti Brevis, utpotè motu proprio, ex certa scientia, & prævia matura causæ discussione in S. Congregatione super Episcopis, & regularibus emanati, cum clausula, quod de obreptione, & subreptione dari non possit, necnon cum clausula sublata, & decreto irritante, unde non obtenta prius a Summo Pontifice oris aperitione, pars adversatrix audiri non potest, Rota coram Seraph. *dec.* 764. *num.* 1. confirmata *in dec.* 776. coram eod.

16 Eoque minus dum nullo pacto subreptio, & obreptio subsistit. Nam quatenus obreptio deducitur ex narrativa, quod in Brevi fuerit Rectoribus concessa cura, regimen, & administratio solùm quoad temporalia, & tamen ex eodem Brevi prætendatur eam extendi etiam ad spiritualia.

17 Respondetur primò nihil fuisse narratum Pontifici, cùm ille non processerit ad supplicationem, sed motu proprio sumpta occasione relationis sibi de hujusmodi Monasteriorum statu a Nuncio Apostolico datæ. Unde perperam dicitur, quod a parte suppositа fuerit restitutio facultatis Rectorum, juxta decisionem Achil. 50. *de præb.* Pute. *dec.* 387. *lib.* 1. *in correct.* Seraph. *dec.* 1484. *num.* 10. & *in recent. dec.* 633. *num.* 3. & 645. *num.* 2. *par.* 1. & *dec.* 656. *num.* 1. *par.* 2. & coram Merlino *dec.* 318. *num.* 1.

18 Deinde respondetur a dicta S. Congregatione probè fuisse consideratum, & examinatum Breve Rectorum, & Papam ejus tenorem pro expresso habuisse. Quare non est dicendum fuisse in hoc præsuppositо erratum, dum ex ejusdem Brevis lectione de contrario evidenter non constet, ut post Innocentium, & Abbatem optimè dixit Rota *dec.* 36. *num.* 13. & 14. *par.* 2. *divers.*

19 Postremò, respondetur non absque veritate fuisse in ultimo Brevi narratum, quod facultates Rectorum erant quoad temporalia, dum ita verè deprehenditur ex proprietate verborum: ibi, *Curæ, gubernio, regimini, & administrationi.* Et clarius, *Qui ipsa Monasteria, illorumque proprietates, & bona mobilia, & immobilia, fructus, reditus, proventus, jura, res, actiones, oblationes, & eleemosynas gubernare, & administrare possint.* Quæ sanè satis perspicuè ostendunt facultatem Rectorum fuisse restrictam ad nudum, & merum facti ministerium, & potius œconomos, quàm superiores appellandos esse, ex quo dicta facultas tributa fuerit contradistinctè ab omnimoda jurisdictione, ac superioritate in Brevi concessa visitatoribus. Unde ad temporalia censeri debet restricta, nec aliquid concessum de jure speciali, seu de spectantibus ad jurisdictionem ex ponderatis a Surdo *cons.* 554. *num.* 7. & 8. & ab Add. ad Greg. *dec.* 301. *num.* 18. & a Sanleger. *qu. civil. cap.* 99. *num.* 6.

20 Nec obstat, quod fuerit iisdem Rectoribus data facultas edendi statuta tàm circa temporalia, quàm circa spiritualia; Unde omnimoda jurisdictio desumitur.

21 Nam id ambiguè dicitur dum ea fuerit concessa primis Rectoribus, quorum prudentia, & integritate fretus Pontifex plurimum confidebat, non autem eorum successoribus. Unde necessariò sequitur, cessare penitus prætensum jus visitandi, cùm sit unus ex præcipuis actibus jurisdictionis, & a jurisdictione omninò dependens *d. cap. conquerente de offic. Ordin. cap.* 1. *§. fin. de cons. in* 6. Panvin. *de visit. quæst.* 1. *num.* 8. *par.* 1. Soccin. *cod. tract. num.* 4. & firmat Rota *dec.* 196. *num.* 2. *par.* 2. *divers.* & apud Mantic. *decis.* 322. *num.* 14. & coram Seraphin. *decis.* 475. *num.* 1. & 615. *num.* 2. & 1008. *num.* 4. & coram Gregorio *decis.* 4. *num.* 4. & coram Merlin. *decis.* 84. *num.* 2. & 3. & coram Buratto *decis.* 504. *num.* 1. ibique Add. *num.* 12. & in nullius, sive Burgensi juris visitandi 14. Junii 1647. *§. Quibus accedunt* coram Royas, & in Brixiensi jurisdictionis 21. Junii 1652. & 24. Martii 1653. coram Peutingerio, & in Beneventana jurisdictionis 13. Maii 1652. *§. Cessantibus*, & 27. Januarii 1653. *§. penult.* coram Vallisoletano, & in Viennensi Prioratus 31. Maii 1655. coram Verospio,

Minus obstat, quod aliàs hæc Monasteria remanerent 22
sine capite, & sine Superiore, jurisdictionem habente, dum visitatores extra visitationis actum nihil facere possunt.

Nàm ejusmodi visitatoribus facultàs data est non so- 23
lùm visitandi simpliciter, sed etiam plenissimè concessa est omnimoda jurisdictio, & superioritas. Unde non potest esse restricta ad tempus visitationis, sed continua, itaut censeantur constituti Ordinarii hujusmodi Monasteriorum cum eadem prorsus authoritate, quam prius habebant Episcopi, a quibus jurisdictio fuit adempta.

Quare dum Rectores moderni sunt penitus omni 24
titulo destituti circa prætensum jus visitandi, recurrere nequeunt ad observantiam, quam dicunt sufficere interpretativam, dum ea locum non habet, nisi quando dispositio est dubia, ut dixit Rota *dec.* 136. *num.* 10. & *dec.* 196. *num.* 7. *part.* 1. *rec.* & *dec.* 319. *num.* 2. *part.* 6. passimque alibi.

Rectè igitur Summus Pontifex prævia matura cogni- 25
tione, ac discussione, in dicta S. Congregatione facta; quod Rectores nullam jurisdictionem habentes indebitè jus visitandi Monasteria cumulativè cum visitatoribus prætendebant, sibique arrogabant, declaravit nullum jus, ne cumulativè quidem circa visitationem hujusmodi illis competere.

Et quidem an competat visitatoribus deputatis in Bre- 26
vi Apostolico privativè quoad alios, posset forsitan esse locus disputationi, si quæstio verseretur cum Episcopo habente fundatam intentionem in jurisdictione ordinaria, quam habet super omnibus Monasteriis suæ Diœcesis. Esset enim disceptandum, an per deputationem specialis visitatoris censeretur derogatum facultati visitatoris generalis, in qua re licèt aliqui dissentiant, affirmativam tamen tuentur Bald. *in libro* 1. *numer.* 2. *ff. de offic. Consul.* & *in leg. Quod in rerum, §. si quis, ff. de leg.* 1. Ruin. jun. *consultat.* 715. *numer.* 10. & *seqq.* Menoch. *præs.* 18. *num.* 17. *lib.* 2. & latè, discusso articulo, sensit Rota coram Gregorio *d. dec.* 4. *numer.* 17. ubi, etsi dicat, hanc esse materiam valdè intricatam, concludit tamen hanc opinionem esse proculdubio veriorem.

In hoc autem casu cessat quæcumque dubitatio, dum 27
quæstio non est cum habente universalem jurisdictionem, in quo residet totum fundamentum eorum, qui tenent opinionem contrariam, sed cum Rectoribus, qui non aliam habent facultatem, quam concessam in eodem Brevi, eamque restrictam ad gubernium, & administrationem; Unde nequeunt se in visitationem ingere re, quæ, utpotè trahens secum jurisdictionem, non censetur concessa eis, qui aliàs non habent jurisdictionis fundamentum, nisi specialiter fuerit dictum, ut advertit Gabr. *cons.* 195. *num.* 6. *lib.* 2. Rota coram Gregorio *dict. dec.* 4. *n.* 3. & *seqq.* & rectè distinguit inter unum, & alterum casum cum Baldo, & aliis Corneus *cons.* 30. *num.* 4. *sub initio*, & *propè fin. vol.* 2. & optimè tradit idem Bald. *in leg. unic. §. ubi autem numer.* 6. *Cod. de caducit. toll.* dicens, quod sicut sunt distributæ jurisdictiones, ita censentur privativè concessæ, non autem cumulativè. Nec videtur verisimile, quod Pontifex voluerit gravare hæc Monasteria duplicis visitationis onere, ut arguit Ruin. *loc. cit.* & post alios Maresc. *var.* 28
cap. 54. *num.* 4.

Tenendum etiam puto, quod nominatio visitatorum in posterum non debeat fieri ab ipsis Rectoribus. Quod sanè videtur rationi congruum. Quia cùm visitatio facienda sit tàm in capite, quàm in membris, & visitatores incumbere debeant reformationi regularis disciplinæ, sicque debeant etiam per consequens prospicere, quod Rectores, & Gubernatores munus ipsis injunctum fideliter expleant, securiùs profectò erga eosdem Rectores procedere poterunt, si eos nominaverint independenter ab illis iidem visitatores, quoties eorum aliquis vel recedere, vel decedere contingat. Ita namque removebitur omnis suspicio, & longè meliùs consultum erit regimini Monasteriorum, dum visitatores optimè gnari status regularis, & conditionis Monialium, deputare poterunt viros tali muneri idoenos. Neque est insolens, quod prædecessor eligat sibi successorem. Nam id habetur in ispecie approbatum in dicto Brevi respectu Rectorum, & in fortioribus, nempè in Beneficiis Ecclesiasticis non est a jure improbata talis forma nominandi successorem, ut firmavit Rota in Baren. beneficii 31. Maji coram Taja, & extat hac de re plenum consilium Lambertini, editum Patavi, ac integrè relatum *in tract. de jurepatr. liber.* 1. *part.* 1. *quæst.* 9. *princ. art.* 3.

Tenendum item arbitror, Rectores in omnem ca- 29
sum

sum non posse, nec debere nominare seipso. Idque adeò justum, & juris dispositioni consentaneum est, ut dubitari non possit, quin ita etiam fuerit a Summo Pontifice intellectum, licèt non expressè statutum. Quare dicenda est potius delaratio ejus, quod de jure inest, ut
1 in simili habetur in Clerico patrono Ecclesiæ vacantis, qui non potest seipsum ad eam præsentare per Textum *in cap. per nostras*, ibique Doctores *de jurepatr. & in cap. final. de instit.* ac fusè probat Vivian. *de jurepatr. libro 6. cap. 9. num. 1. & 2.* dixitque Rota pluribus aliis relatis in Cæsaraugustana beneficii de Lenares 26. Junii 1645. *§. nec dicendum* coram Bichio.

30 Denique tenendum existimo, visitatores hujusmodi esse debere perpetuos, ut eorum authoritas in concursu cum Rectoribus, qui sunt perpetui, non parvipendatur, nec vilescat. Quod sanè plurimum interest regiminis Monasteriorum. Nam qui diutius in officio permansuri sunt, meliùs, ac rectiùs suo muneri satisfaciunt, sicque occurritur detrimento, quod mutationes producere solent, ad Text. *in can. hinc est etiam*, ibique Gloss. *v. detrimenti 16. quæstion. 1.* Estque Aristotelis sententia 2. *polit. 1.* satiùs esse, si fieri posset, ut semper iidem gerant Magistratum, quam plures sequuntur, ut refert Mastrill. *de Magistr lib. 1. capit. 23. numer. 26. cum seq.* dicens *num. 34.* dissentientes opiniones conciliari, ut nempe sint in Republica minora officia annualia, per quæ probantur homines, an sint apti majoribus, & idoneitate comperti transferantur ad majora officia, quæ sint perpetua.

31 Hinc narrat Tacitus *annal cap. 80.* Tiberium consuevisse continuare imperia, ac plerosque ad finem vitæ in iisdem exercitibus, aut jurisdictionibus habere, variasque causas recenset. *Alii*, inquit, tradunt, id fecisse tædio novæ curæ. Quidam invidia, ne plures fruerentur. Sunt qui existiment, noluisse Tiberium admovere dignitatibus homines eisdem prorsus indignos. Hinc fiebat, ut non facilè inveniret, quorum opera uteretur, hincque cunctatio, & mora in electione novorum Magistratuum.

32 Verùm ego hanc rem ita definio. Etsi diceret Tiberius, se, non mittendo novos Præsides, parcere Provinciis, non propterea videbatur carere invidia erga reliquos, quod non mittebat. Nam, si non mittantur subindè novi Præsides, fit injuria reliquis ex ordine procerum. Illi, qui regunt Provincias, cùm penitus incubuerint ejusmodi Magistratui, securi de Principe, securi adversus pœnas pro lubitu, nimisque gravi cum authoritate rem gerunt. An igitur peccaverit olim Respublica Romana, quæ voluit annuos esse Magistratus? Quod si omnia in utramque partem expenderis, fortè dices satiùs esse non pati diù in Provinciis degere Magistratus, quàm eorum dignitatem ad multos porrigi annos.

CONSULTATIO LV.

Frater professus in Religione S. Spiritus acquisivit bona, & pecunias ex fructibus commendarum dictæ Religionis, quas infirmus commendavit viro fideli, ut illas post suam mortem traderet suo fratri. Cùm pecuniis item sic acquisitis emit bona stabilia nomine dicti sui fratris, ejusque hæredum.

Quæritur primò, an dicta dispositio facta a dicto Religioso tempore suæ infirmitatis sit valida?

Secundò; an sit valida illa, quam fecit tempore suæ sanitatis?

1 AD primum negativè. Nam dictus frater, uti professus in dicta Religione, prævio voto paupertatis, non poterat disponere de dictis bonis, contemplatione dictæ suæ Religionis acquisitis, tum ex jure communi per Textum *in can. si manifestè 12. qu. 1. cap. 2. de testam. & authen. ingressi, Cod. de sacrof. Eccles.* Molin. *de primog. lib. 2. capit. 9. num. 54.* Rodriq. *quæst. regul. 48. art. 7. tom. 2.* loquens de Regulari beneficiario, ac latè Barbos. *de jur. Eccles. lib. 1. cap. 42. num. 210.* ac Rota coram Gregorio *dec. 109.*

2 Tum ex vi statutorum ejusdem Religionis *cap. 35. & 36.* in quibus auferuntur a Religioso pecuniæ absconditæ superiori. Et tum quia Sixtus IV. *constit. 12. tom. 1. Bullar.* ac Nicolaus IV. *const. 4. §. 2. ejusdem tomi*, ac Pius item IV. *constit. 84. §. 3. tom. 2.* adjudicarunt omnes fructus, & redditus, ac quæcumque pia subsidia Hospitali S. Spiritus erogata in substentationem expositorum, ac pauperum infirmorum, decernendo Religiosos professos esse debere contentos solo victu, & vestitu. Unde patet, eos non habere bona, de quibus possint disponere, ut docent Doctores superiùs adducti, speciatim Glossa *in capit. Cùm olim 2. de privil. v. restitutionem*, ibi, *Quare donare non potuit, quia qui nihil habet, nihil donare potest.*

Idque procedit, etiamsi dictus Religiosus disposuisset 3
favore piæ causæ, quicquid sit de Clerico sæculari. Nam Regulari professo interdicitur testari, & mortis causa donare, etiam ad usus pios propter votum paupertatis, nisi accesserit licentia Summi Pontificis, ut in terminis Monald. *conf. 33. num. 6. lib. 9.* Barbos. *loc. cit. numer. 208. & in d. auth. ingressi num. 34. C. de sacrof. Eccles.*

Adeòut illi non suffragetur licentia Prælati inferio- 4
ris, cùm sit necessaria licentia Summi Pontificis, ut advertit Barbosa *ibid. num. 209.* & Marsil. *de succes. part. 4. quæst. 4. artic. 3. numer. 14.* & in terminis Religiosi beneficiarii tradit Molina *de just. & jur. tract. 2. disp. 141. num. 11.* Graff. *dec. 31. part. 1. lib. 3. de Regul. cap. 5. num. 53.*

Non obstat, quod dictus Religiosus non decesserit ex 5
dicta infirmitate, sicque adhuc remanere possit Dominus, & administrator hujusmodi pecuniarum. Quia cùm in dicto actu dispositiouis, quo voluit pecunias esse tradendas suo fratri post suum obitum, ostenderit se voluisse eas pecunias possidere jure proprio, ac dominio irrevocabili, repugnat tàm voto paupertatis emisso in Religione, quàm ipsi administrationi, quæ cessat in Religioso post suum obitum ex D. Thoma 2. 2. *quæst. 185. ad 3.* & insuper adversatur dictis statutis, in quibus excommunicantur fratres proprietarii, & damnantur ad restitutionem.

Ad secundum etiam negativè. Quia Beneficiarius Re- 6
gularis est incapax dominii, ejusque dispositio quoad fructus est restrictas, vel ad utilitatem Ecclesiæ, ex qua fuctus percipit, vel Religionis, cui se tradidit, vel tandem ad pios usus, ut post Suarez firmat Lezana *in summ. tom. 2. cap. 18. num. 15.*

Hinc Pontifex *in cap. Cùm olim 2. de privil.* declara- 7
ravit non valuisse donationem duorum millium morapetinorum factam ab Episcopo Regulari ejus Monasterio ex bonis acquisitis in Episcopatu, sicut etiam authoritate Zabarellæ ac Butrii probat Barbos. *ad d. caput num. 20.*

Et licèt secundùm aliquos Religiosi commendatarii 8
habeant facultatem disponendi de fructibus commendæ, ac si essent Clerici sæculares, attamen advertendum primò, id non procedere respectu Religiosi viventis sub obedientia Superioris, ut rectè declarat idem Barbos. *dec. 89. numer. 15.* Suar. *de Relig. tom. 3. lib. 3. cap. 19. num. 7. & seqq.* Sanchez *in decal. lib. 7. c. 32. num. 73.* qui loquitur in specie beneficiarii manualis, & ad nutum amovibilis.

Secundò, quia ratio administrationis apud Commen- 9
datarium Regularem fundatur in tacita licentia Superioris inclusa in titulo concessionis commendæ, ut tradunt Doctores, qui asserunt Regularem beneficiatum habere facultatem disponendi de fructibus beneficii, prout habent beneficiati sæculares. Hæc autem licentia, vel censeri debet concessa ad formam Regulæ, & dictarum Constitutionum, nempè, ut dicti Commendatarii possint disponere de fructibus in substentationem pauperum infirmorum, ne aliàs potestas data in ædificationem deserviret in destructionem contra illud Pauli 1. *ad Corinth. 10.* Unde meritò firmat Sanch. *d. lib. 7. cap. 19. num. 102.* ac Molina *de just. & jur. d. tract. 2. disp. 140. n. 27.* quod licentia data non suffragatur, ne quidem si dicti Regulares Capellaniam instituant ex bonis acquisitis occasione Monasterii. 10

Vel in omnem casum dicta licentia potest quandocun-
que ab eodem Superiore virtute suæ supremæ jurisdictionis Regularis revocari, absque eo, quod Religiosus professus possit reclamare, nedum attento dicto voto obedientiæ, sed etiam quia revocatio est secundùm regulas, ad tradita per D. Thomam *quodlib. 10. art. 10.* 11

Quinimmò Superior non tenetur servare facultatem testandi datam suo Religioso, vel quia non potest dari talis obligatio, ut tradit Sanchez *loc. cit. cap. 8. num. 23.* Vel quia requiritur licentia Summi Pontificis ex superius adductis. 12

Atque ex his respondetur ad tertium, quod scilicet possit Præceptor applicare dicta bona, dictasque pecunias ad utilitatem Religionis. Quia omnia acquisita per dictum fratrem professum ex fructibus Commendæ, spectant ad dictam Religionem, tàm ex vi dictorum statutorum, quàm ex dispositione juris communis, ut articulo plenè discusso, pro Religione Hierosolymitana firmavit Rota coram Gregorio *dec. 87. signatè num. 12. ac dec. 109.* & generaliter in Romana censuum 27. Maji 1652. coram Bichio.

CON-

CONSULTATIO LVI.

An Religiosi Conversi, & oblati sedere possint in Superioribus Chori sedibus, pro Sacerdotibus, & Clericis Choro destinatis, quemadmodum ipsi prætendunt?

1 NEgativè omninò. Decet enim, ac honestum est in omni ordinata Republica, & politia quoque Monastica, esse distinctionem personarum instar Cœlestis Hierarchiæ, & humani corporis, in quo multa sunt membra, licèt non eundem actum habeant, sicuti ex vi Regulæ cujusque Religionis fuerunt ab initio distinctæ personæ, prioris scilicet Ordinis Sacerdotes, secundi Ordinis Clerici, tertii verò, ac ultimi Ordinis Conversi, & Oblati, qui pariter in ministerio, habitu, & officio sunt distincti, quin potius circa frequens ministerium fratrum sollicitè satagere debent.

2 Quod planè congruit cum dispositione juris ex notatis *in cap. statuimus de major. & obed.* ubi Gloss. plures adducit, ad cujus rei dignitatem aptè loquitur D. Gregorius relatus *in can. 7. dist. 99.* his verbis: *Ad hoc dispensationis*, aliàs dispositionis, *divina provisio, gradu diversos, & ordines constituit esse distinctos, ut dum reverentiam minores potioribus exhiberent, & potiores minoribus dilectionem impenderent, vera concordia fieret, & ex diversitate contextio, & rectò officiorum gereretur administratio singulorum. Neque enim universitas alia poterat ratione subsistere, nisi hujusmodi magnus eam differentiæ ordo servaret. Quia verò quæque creatura in una, eademque qualitate gubernari, vel vivere non potest, cœlestium militiarum exemplar nos instruit: quia dum sunt Angeli, & sunt Arcangeli, liquet quia non sunt æquales, sed in potestate, & ordine, sicut nostis, differt alter ab altero.* Ita D. Gregorius ad Episcopos Galliarum *lib. 4. Epist. 52.* cujus verba leguntur penè eadem in Epistola Bonifacii II. ad Eulalium, sic quoque in aliis Epistolis S. Gregorii multa leguntur, quæ in scriptis Superiorum Pontificum habentur.

3 Et quidem quis non eos juri divino injurios arbitrabitur, si meminerit primos accubitus ultrò conquisitos a Christo Domino sæpè condemnari, & invitatis ad nuptias novissimi loci sessionem identidem ab eodem esse persuasam, ne rubore suffusi dignioribus cedere cogerentur ab invitantibus? Quid, amabo, causæ fuit, cur Zebedei filiis prima sedes illius regni spiritualis ambientibus responsionis solitos severioris infixerit aculeos, eosque densissimis ignorantiæ tenebris involutos, vel in ipso divinæ lucis intuitu redarguerit? *Nescitis*, inquit, *quid petatis*. Non ad sedium dignitatem, sed ad amarissimi calicis, quem ego bibiturus sum consortium convocati. In amantissimos certè durius animadvertit, ne pullulantis ambitionis germen erumperet, & in ipsa sui ortus teneritudine per censuræ pruinam fœliciter decoqueret.

4 Non ad sedes Superiores in Choro fratres conversi, & oblati per divini spiritus afflatum, mensarum ministeriis deputati sollicitantur, sed potius ad vitæ pœnitentis amaritudinis calicem ab omnibus ambitionis fæcibus defæcatum, cum Clericis ad ultimos usque spiritus epotandum; non verò ad sessionem cum ipsis in subselliis superioribus cœlitus advocantur. Nesciunt igitur quid petant.

5 Jus prætereà canonicum confundere volunt nullo muniti privilegio, immò ex omnium Religionum Provinciis consuetudine prorsus immemorabili, & cum ipsis Religionibus orta, fratres oblati, immo & fratres laici, qui quamvis aliquo gradu Superiores id nunquam hactenus attentarunt, sedem in inferioribus sedibus juxta morem omnium Orbis totius Regularium, immò & totius Ecclesiæ, quæ nunquam laicos, neque oblatos in superioribus subselliis sedere passa est.

6 Deinde quis nesciat in jure Canonico strictissimam esse Sedis in Choro, & vocis in Capitulo conjunctionem, & fœdus iniisse ita indissolubile, ut non sine injuria denegari possit sedes in Choro, cui vox in Capitulo conceditur? Quod si a contrario sensu liceat argumentari, non sine injuria sedes in Choro conversis, & oblatis, quibus vox capitularis denegatur, concedetur.

7 Cùm insuper Congregatio S. Rituum in Vintimillien. 10. Decembris 1604. in responsione ad tertium dubium censuerit, sedes, scamna, & loca laicorum moderanda esse arbitrio Episcopi, manifestè colligitur Patres Generales, qui secundùm omnia jura potestate fruuntur quasi Episcopali in suos subditos, decernere posse fratres conversos, & oblatos sedere debere in inferioribus sedibus tempore divini officii, dum eos adesse contigerit.

8 Denique relata in eadem Sacr. Rituum Congregatione per Cardinalem Franciottum controversia, a fratribus conversis, & oblatis professis Ordinis Minimorum excitata, ex quo ii præcedentiam sibi deberi præsumerent supra novitios Clericos, qui nondum professionem emiserant.

9 *Eminentissimi Domini, visis, ac maturè perpensis partium juribus, censuerunt, præcedentiam deberi novitiis Clericis supra laicos juxta dispositionem juris communis, & Constitutiones editas a Capitulis Generalibus Romano, & Massilien. Et ita ubique, & in toto Orbe servandum esse mandarunt sub pœnis in contraveniente, vel non acquiescentes per Regulæ Constitutiones decretis, aliisque arbitrio Sac. Congregationis die 28. Septembris 1658. Julius Episcopus Sabinensis Cardinalis Sacchettus. Franciscus Maria Phebæus Congregationis Sac. Rituum Secretarium.*

10 Ex hoc autem decreto totalis inter Sacerdotes Conversos & oblatos controversia dirimitur argumento a minori ad majus desumpto, si enim ex illo novitiis Clericis cedere compelluntur, quomodo in hoc casu a contraventione præfati decreti defendere se poterunt?

11 At sufficiat unius nunquam satis laudata Constantini Magni modestia, qui in Generali Synodo Nicena Sacris Ecclesiæ proceribus assidere non est ausus, sed in humiliori subsellio constitutus Synodalium Patrum excipiebat oracula, ut aliorum confunderet audaciam, Meminerint, Basilios olim, & Chrysostomos in Oriente, Ambrosios in Occidente, vel ipsos Imperatores in Presbyterorum subselliis sedere volentes, cum invicta generositate ad sedes inferiores compulisse.

CONSULTATIO LVII.

In quadam Regularium Provincia extat conventio Brevi Apostolico firmata, quod in futuris Capitulis Provincialibus electiones Provincialis, Custodis, ac Definitorum alternativè fierent ex tribus regionibus ejusdem Provinciæ. Extat quoque hoc statutum generale Ordinis in hæc verba: *Si moriatur aliquis Definitor, intelligatur ipso facto subrogatus ille Pater in Provincia qui erit dignior in paternitate.* Ex his dubitatur,

An prædicta alternativa in electionibus Capitularibus locum habere debeat in surrogationibus?

ET negativè censeo respondendum. Primò quia hæc 1 alternativa emanavit in casu electionis. Unde nullo pacto extendi potest ad casum subrogationis. In contractibus enim omissum habetur pro omisso. Quia stipulationes omnes sunt stricti juris, & in eis strictissima fieri debet interpretatio ad limites verborum, & promissionis, *l. quidquid adstringendæ, ff. de verb. oblig.* Rot. *dec. 50. num. 4. & 5. p. 1. rec. & dec. 268. num. 10.* coram Urgellensi, *& dec. 578. num. 2.* coram Merlino cum aliis congestis in Bononiensi Bonorum 2. Martii 1654. *§. Adfuisse etiam* coram Cerro.

Deinde, quia, cùm ejusmodi alternativa sit contraria 2 præfatæ dispositioni statutorum generalium, tanquam correctoria, & odiosa, extendi non debet ad casum subrogationis, etiam ex identitate rationis, licèt versaremur in dispositionibus, non autem in contractibus, ut probat Honded. *conf. 95. num. 98. & 112.* Tiraq. *de ret. ract. in præfat. num. 62. & seqq.* Tusch. *tom. 6. concl. 31. & 43. lit. R.* & in specie similium subrogationum tradit Sanctor. *ad stat. & Constit. Ordin. Minor. cap. 8. stat. 36. vers. respondeo negativè.*

Tum quia non parva est differentia inter electiones, 3 & subrogationes. Hæ namque pendente sola dispositione juris, nempè statutorum generalium; illæ ab eligentium consensu. Quare dispositum in uno, non censetur in alio, quia ex diversis non fit illatio, *l. inter stipulantem, §. sacram ff. de verb. oblig.* cum vulgò aliis, idque, etiamsi diversitas sit in sola ratione, ut per Menoch. *conf. 106. num. 304.* ac Rotam *dec. 116. num. 46. & dec. 255. num. 20. part. 2. tom. 2. rec.*

Præterea cùm hujusmodi subrogatio sit materia, quæ 4 rarò contingit, non potest dici, quod ad illam extendatur dicta conventio. Unde liquet solùm cogitatum fuisse de electionibus. Nam contractus non trahitur ad incognita, *l. si per errorem, ff. de jurisd. judic. l. nec ignorans, ff. de donat.* Federic. de Sen. *conf. 325. p. 8.* Roman. *conf. 273. col. 1.* & Osasch. *decis. 90. num. 16.*

Cessatque insuper omnis dubitatio ex dicta dispositio- 5 ne statutorum generalium Ordinis superius relata, si subrogatus habet qualitates requisitas a dicta conventione alternativæ. Nam idem operatur fictio legis in casu ficto, quod veritas in casu vero ad Text. *in l. 5. ff. de adopt. l. 1. §. hoc Senatu consulto, ff. ad Trebell. & cap. ad audientiam de Cleric. non resid.* & quia regula est, quod subrogatum sapiat naturam ejus, cui subrogatur

cum

cum omnibus qualitatibus, maximè in subrogatione legis, ut in præsenti casu, Berous *cons.* 71. *num.* 42. *& seqq. lib.* 1. Rimin. jun. *cons.* 18. *num.* 88. Quod sanè non procedit, quando aliquid est specialiter attributum, vel quando versamur in odiosis, aut privilegiis ex traditis a Barbos. *de axiom. jur. axiom.* 223. *n.* 4. 6. *& seqq.*

6 Tandem quia hæc alternativa emanata pro alia Provincia, quod non comprehendat casum subrogationis, decrevit Capitulum Generale dicti Ordinis, cujus sententiam approbavit Cardinalis Protector, & confirmavit Sac. Congregatio super Episcopis, & Regularibus. Quare commovenda non videntur, quæ apud majores nostros certam interpretationem habuerunt, *l. minimè, ff. de legib.* Nam inducunt observantiam, quæ est attendenda, cùm sit optima legum interpres, quamvis ipsarum verba repugnent, Honded. *consil.* 35. *num.* 45. *col.* 2. cum aliis *in dec.* 584. *num.* 7. coram Gregorio, *& dec.* 450. *num.* 12. coram Merlino.

7 Ac ita, ut non obstet Breve confirmationis dictæ conventionis. Quia non excedit limites conventionis superiùs adductæ ex illa vulgari juris regula, quod confirmatio non ampliat, sive extendit actum confirmatum, sed ab illo regulatur, ad Text. *in cap.* 1. *& 2. de confirm. util. vel. inutil.* Rot. *dec.* 511. *num.* 1. coram Gregor. *& dec.* 126. *nu.* 32. *par.* 6. cum aliis *in dec.* 226. *num.* 24. *par.* 7. *rec.*

8 Minusque adversatur derogatio generalis statutorum, de qua in dicto Brevi. Quia derogationes sunt stricti juris, & propterea non ampliantur, sed restringuntur ad terminos dispositionis, cui adjunguntur: maximè quando, ut in re præsenti, possunt in uno casu habere effectum, Cæphal. *cons.* 104. *nu.* 17. *lib.* 1. Roman. *cons.* 199. *num.* 6. Osasch. *dec.* 59. *num.* 19. cum adductis a Rota *dec.* 563. *num.* 1. *p.* 1. *& dec.* 23. *num.* 19. *p.* 5. *recent.*

CONSULTATIO LVIII.

An electio sit nulla, non intimatis omnibus vocalibus? Quid si ex iis aliquis reperiatur absens? Sique non fuerit expressum in intimatione, quod vocentur ad effectum electionis? Nec fuerit assignatum tempus certum ad comparendum? Neque expectatum tempus competens a die intimatæ electionis? Electio nulla, ad quem devolvatur? De munere, & authoritate Præsidis Capituli.

1 ET quidem electio in omnibus casibus prædictis nulla est. Electio enim, non intimatis omnibus vocalibus, est nulla per Text. *in c. Quod sicut*, ubi Gloss. *v. vocatos, c. obeuntibus, c. quantò de elect.* & asserunt Tambur. *de jur. Abb. tom.* 1. *disp.* 5. *qu.* 3. *num.* 2. *& 3.* & Lavor. *var. elucubr. tit.* 4. *de elect. can. cap.* 17. *num.* 1. *& seqq.*

2 Ac ita, ut non obstet, quod aliquis reperiatur absens, si ejus absentia non sit ultra dietas, quo in casu vocandus, & expectandus omninò est. In materia tamen vocationis absentium servanda est consuetudo, vel statutum Ordinis, Lavor. *loc. cit. num.* 3.

3 Intimatio autem debet expressè continere, quod qui vocantur, ad effectum electionis vocantur, ne aliàs vocati, negligant suum adventum, ut habetur in formula intimationis apud Sigism. a Bonon. *in tr. de form. can. elect. dub.* 9. *num.* 3. Lavor. *ibidem num.* 27. approbata a Lezana *in summ. q. regul. tom.* 3. *v. elect. num.* 5.

4 Assignandumque est tempus certum, quo debent comparere, ut tradunt citati authores. Regula enim juris est, quod citatio non continens diem certam, non arctet, & omnia cum tali citatione gesta subjaceant vitio nullitatis, *l. aut qui aliter §.* 1. *ff. qui vi, aut clam*, ibi, *debebit enim & diem, & horam denunciatio completi, leg. fin. §. sin verò, de jur. domin.* ibi, *quatenus ille cùm requisierit certo tempore*, & docent Bart. *in l. Qui ante Kalendas n.* 5. *ff. de verb. oblig.*

5 Denique debet expectari tempus competens a die intimationis directæ iis omnibus, qui fuerunt intimati. Acceleratio enim electionis semper præsumitur dolosa. Sigismun. *loc. cit. dub.* 73. *n.* 7. & Lezan. *d. n.* 5. *in fin.* Unde cùm citatio ad statim, & statim contineat terminum adeò brevem, ut impossibile sit in eo comparere, habetur pro non facta, ut *in Extrav. rem non novam de dol. & contumac.* ibi: *arctent citatos post lapsum terminum, quem considerata locorum distantia, volumus citationibus ipsis competentem apponi*, & firmant Cresc. *dec.* 6. *de dol. & contum.* ac Put. *dec.* 178. *num.* 2. *lib.* 1. ubi quod citatio debet fieri saltem una die pro alia.

6 Data autem nullitate hujusmodi electionis, poterit procedi ad novam electionem, Lavor. *ibid. c.* 21. *n.* 29. per deputatum a P. Generali cum omnimoda authoritate. Quotiescumque enim electio est nulla, jus eligendi devolvitur ad immediatum Superiorem, *cap. quam. sit de elect. in* 6. *c. fin. de suppl. negl. Præl.* Lavor. *d. cap.* 21. *num.* 90.

Nec obstaret, si deputatus a Generali non procederet 7
per viam nominationis, sed per viam electionis. Nam deputatus, qui potest per se solum nominare, confirmando electionem nullam nullitate juris positivi, illi adiicit robur, & validitatem, Lavor. *eo cap.* 21. *num.* 23.

Minùs obstaret, quod Præses esset solùm deputatus 8
ad præsidendum Capitulo, sive Congregationi, & ad confirmandum, ac cognoscendum, an electio sit valida, necne. Nam quicquid sit, an Præses in actu congregati Capituli hoc agere possit. de quo dubitat Castell. *de elect. c.* 13. *num.* 24. Certè ubi instituto legitimo processu, ac præviis necessariis citationibus ad declarationem nullitatis electionis devenerit, non potest de illius jurisdictione dubitari juxta ea, quæ tradit Lezana, rerum regularium accuratissimus Scriptor *tom.* 1. *c.* 15. *num.* 34. qui *tom.* 2. *c.* 12. *num.* 30. subdit hæc verba: *Quare si dum tempore faciendæ electionis advertit, hoc posse fieri, etiam in ipso actu electionis, dummodo clarè constet de nullitate, seu inhabilitate vocalis.*

Nam Preses Capituli est veluti Judex, habens jus ad 9
eum finem, ut omnia legitimè fiant, Lezana *tom.* 4. *Præses Capitulorum num.* 3. *& tom.* 2. *c.* 12. *num.* 31. ubi, quod proprium munus Præsidentis est dirigere gremiales ad electiones legitimè faciendas. Et quoniam munus Præsidentis Capituli latè se habet ad omnia, quæ respiciunt profectum spiritualem Religiosorum, cùm ad istum effectum Capitula, & Congregationes convocentur, itaut possint, ac debeant etiam fugitivos, & ejectos quærere, ut per Lezan. *d. c.* 12. *nu.* 3. ideò illius jurisdictio in concernentibus personas vocalium, qui præcisè in Capitulo intervenire debent, est omninò certa.

CONSULTATIO LIX.

1 *An, & quatenus Civitas, Baro, aliive sæculares manutenendi sint in usu, ac retentione duarum ex quatuor clavibus arcæ, in qua situm est corpus alicujus Sancti?*

2 *Quid de manutentione aperiendi, & claudendi eamdem arcam ad libitum, & expoliri faciendi corpus a Capellano Magistratus, superpelliceo, ac stola induto, eodem Magistratu præsente, cum facultate illud liberè ostendendi Populo, ac distribuendi flores, reliquias alias, quæ Sacras Reliquias tetigerunt?*

3 *Quidve de manutentione in quasi possessione eligendi Officialem, qui die festivitatis ejusdem Sancti assistat, eique tradantur claves Ecclesiæ, præsertim Regularium, in qua requiescit idem corpus?*

4 *Quid denique de manutentione in administratione oblationum, & eleemosynarum, que fiunt dictæ Ecclesiæ occasione dicti corporis?*

MAnutentionem in his omnibus censeo, denegan- 1
dam esse ex defectu possessionis legitimæ & manutenibilis.

Et quoad primum. Cùm claves dictæ arcæ ab initio 2
traditæ fuerint Regularibus, debet pro parte Civitatis, Baronis, aliorumve ostendi, quomodo, & a quo postmodum fuerit eis traditæ, & quo tempore, ac per quot annos eas retinuerint; alioquin nisi exhibeatur legitimus titulus, maxima urget usurpationis suspicio, quam certè suadet subjecta materia, cùm sacrarum Reliquiarum claves debeant esse apud Rectorem Ecclesiæ, aut ad summum, ubi adsit consuetudo, soleat permitti laicis usus unius tantùm ex clavibus, non quidem, ut inde jus aliquod quæsitum prætendi valeat, sed solùm gratia securioris custodiæ, ut habetur in Concilio Provinciali Mediolanensi 4. *tit. de sacr. reliq. §. Is porrò locus act. p.* 1. ac refert Gavant. *in man. Episc. v. Reliquiæ Sanctor. n.* 20. Laici namque ex dispositione S. Canonum sunt incapaces exercendi jus aliquod in Ecclesia, ut docent Azor. *instit. mor. p.* 1. *lib.* 5. *c.* 14. *q.* 16. *in fin.* ac Bellet. *disq. Cler. p.* 1. *§.* 3. *de fav. cler. person. n.* 8. Et propterea quemadmodum advertit Barbos. *collect. in c. sacrosancta num.* 2. *de elect. & elect. potest. tom.* 1. cum aliis ibi citatis, non possunt se ingerere in administrationem rerum spiritualium, sacrarumque, uti sunt corpora, sive Reliquiæ Sanctorum, ut tradunt Farin. *de furt. q.* 172. *num.* 64. Less. *de just. & jur. lib.* 2. *c.* 45. *dub.* 3. *num.* 15. Ricc. *in prax. resol.* 6. *num.* 4. *p.* 1. ubi cum Suar. *in* 3. *p. D. Thom. qu.* 25. *sect.* 2. *disp.* 55. *tom.* 1. ait Reliquiæ nomine non tantùm corpora Sanctorum, sed etiam vestes, & vasa, in quibus deferuntur, aliaque similia comprehendi.

Neque

3 Neque iis ita facilè patere debet ingreſſus in Sanctuarium, ut habetur in Apoſtolicis Conſtitutionibus Clementis Romani *lib. 3. cap.* 10. ubi quod ii, qui non ſunt ad hoc munus electi, ſed authoritate propria ſe inferunt, & intrudunt, timere poſſunt Oziæ ſupplicium Idemque habetur in Concilio Bracarenſi primo *c. 1. n. 31. Concil. gener. vol.* 2. Ideòque ubi agitur de re ſpirituali, cujus laici ſunt incapaces, non ſufficere poſſeſſionem ad effectum manutentionis, ſed ulterius exhibendum eſſe titulum, tradunt Fuſch. *de viſit. lib. 1. cap.* 24. *num* 7. *& ſeqq.* & cum aliis Poſt. *de manut. obſ.* 44. *a num.* 49.

4 Nec pro evitanda hujuſmodi incapacitate ſuffragaretur præſcriptio, ſive conſuetudo. Quia illa non eſſet ſuper re, quæ a laicis præſcribi poteſt, ſicuti eſt adminiſtratio ſpiritualium, & ſacrarum rerum, quæ nullo unquam tempore præſcribi poſſunt, quemadmodum firmat Peregr. *conſ.* 74. *num. 6. tom.* 1. & ſequitur Bellet. *loc. cit.* qui *num.* 9. ſubdit, quod laicus poſſidens, ſive adminiſtrans, ſpiritualia, ſemper præſumitur in mala fide, ideoque debeat compelli ad oſtendendum titulum, aliàs nulla temporis præſcriptione, quantumvis immemorabili, juvari poſſit. Id, quod anteà dixerat Bald. *in l. ſuper col.* 4. *C. de long. tempor. præſcript & in l. malè agitur, C. de præſcript. 30. ann.*

5 Ad ſecundum non eſt ſufficienter proviſum incapacitati Magiſtratus laicalis exercendi ſupradictos actus ſpectantes ad perſonas Eccleſiaſticas, deputando Capellanum, qui fungatur tali officio. Quia cùm iſte non proprio nomine id agat, ſed ipſius Magiſtratus, qui illi prætendit dare hujuſmodi juriſdictionem, non videtur ceſſare incapacitas, ſed eò magis vigere, ponderando præſertim, quod Reliquiæ Sanctorum tanquam res Eccleſiaſticæ pretioſiſſimæ, ſolùm contractari poſſunt a dignioribus Eccleſiarum Miniſtris, non autem a Capellanis mercenariis laicorum, qui aliquod jus in Eccleſiis prætendere nequeunt, niſi ex gratia Ordinarii, cujus vices gerit Superior Regularis in propria Eccleſia, ut firmat Ricc. *dec.* 198. *num.* 2. *tom.* 2. qui *num.* 3. ulterius addit, quod ipſo contradicente, multò minus poſſunt laici in Eccleſia deputare Miniſtros. Quodque abſque difficultate procedit reſpectu Eccleſiarum Regularium propter eorum privilegia, in quibus expreſsè indulgetur, quod nemo, invitis ipſis Regularibus, in eorum Eccleſiis, ſive Monaſteriis aliquid celebrare faciat. Maximè cùm ſuper eis nullum jus competat Civitati, Baroni, aliiſve, cùm illas non fundaverint neque dotaverint, neque oſtendant privilegium Summi Pontificis in limine fundationis, vel donationis, ut requiritur ad effectum acquirendi juſpatronatus in Eccleſiis Regularium juxta *cap. Nobis, §. Cæterùm*, ubi Gloſſ. *verſ. de ſua juriſdictione de jurepatr.* & pluries decidit Rota, præcipuè *dec. 266. num. 5. & 6. lib.* 2. coram Puteo, *& dec.* 159. *nu.* 9. coram Alexandro VIII. Eccleſiæ namque ex ſua origine reſpectu laicorum ſunt liberæ, ſolùmque ſubjectæ juriſdictioni Ordinariorum per *can. Omnes Baſilicæ* 16. *quæſt.* 7. etiam ſub pœna anathematis inflicta per Concilium Aurelianenſe *cap.* 1. *quæſt.* 10. *num.* 1. Cumque omnes Eccleſiæ ſint ad res Sacræ, nunquam eſſe poſſunt in bonis, & dominio laicorum, *§. Nullus, & §. Sacræ res Inſtitut. de rer. diviſ.* ſoluſque Papa, qui habet omne jus plenarium in quibuſcumque beneficiis, & Eccleſiis tàm liberis, quàm patronatus ratione ſupremi dominii univerſalis Eccleſiæ, & tanquam Ordinarius Ordinariorum totius Mundi, illas ad ſuæ voluntatis libitum concedere poteſt, Vivian. *de jurepatr. par.* 1. *lib.* 2. *cap.* 7. *n.* 3.

6 Unde ſi Pontifex conceſſerit Regularibus Eccleſiam liberam, & exemptam a juriſdictione Ordinarii, & Capituli Cathedralis ſub dicta conceſſione nedum comprehenditur corpus materiale ipſius Eccleſiæ, ſed etiam comprehenduntur omnia, & ſingula, quæ tunc exiſtebant intra illius ſepta, ut per Barboſ. *de jur. Eccleſ. univ. lib.* 1. *cap.* 20. *num.* 26.

7 Et quidem res aliter ſe habere non poteſt. Nam ex jure communi cuſtodia Reliquiarum pertinet ad Ordinarium, non autem ad laicos, ut ait Rota *dec.* 482. *nu.* 37. *p.* 4. *tom.* 2. *rec.* Et propterea qui earum cuſtodiam prætendit ſibi competere, opus illi eſt oſtendere aſſenſum Apoſtolicum, ſine quo Reliquiæ, uti res pretioſiſſimæ concedi non poſſunt, notante Riccio *in prax. reſol.* 69. *num.* 3. *& ſeqq. par.* 1. Quod videtur concordare cum declaratione Sac. Congregationis ſuper Epiſcopis, & Regularibus in Auximana ſub die 20. Januarii 1597. in qua reſolutum fuit, quod claves Reliquiarum, quæ ſunt in Eccleſiis Regularium, non debent remanere apud ſæculares, licèt Dominos Capellarum, ubi cuſtodiuntur.

8 Potrò ingredi Eccleſiam, & peragere functiones cum proprio Capellano, ſuperpelliceo, & ſtola induto, eſt actus juriſdictionis; Unde etiam Parochus, è cujus Parochia funus defertur ad alienam Eccleſiam, præcipuè Regularium, poteſt quidem cum ſuperpelliceo, & ſtola funus comitari uſque ad januam Eccleſiæ, non autem illam ingredi cum ſtola, minuſque in ea poteſt peragere officium funebre, aut aliquod aliud, ut pluries fuiſſe declaratum a Congregatione Sacrorum Rituum, refert Selelles *in ſect. canon. cap.* 69. *num.* 46. & Barboſ. *in collect.* 558. *num.* 3. Prout etiam eſt actus juriſdictionis aperire, & claudere arcam Reliquiarum ad libitum, diſtribuere flores, ac tegumenta Sancti corporis, cùm hæc ratione contactus, ut diximus, inter Reliquias adnumerentur, ut poſt D. Thomam, & D. Auguſtinum, & alios latè probat Ricciul. *elucubr. Eccleſiaſtic. lib.* 1. *cap.* 4. *num. 6. cum ſeqq.* ubi ait Sanctitatem, quæ ineſt Corporibus Sanctorum transferri ad res, quamvis inanimes, & cum D. Gregorio *Epiſt.* 30. *lib.* 3. refert, quod S. Leo I. res tactu Sanctorum corporum ſanctificatas, adeòque venerandas cenſuit; ut quoties rogabatur, ut Reliquias largiretur, conſueverit Miſſam ad corpora Sanctorum, quorum Reliquiæ petebantur celebrare, brandeumque Altaris, quo Corpus Domini involverat in particulas dividere, quas deinde pro Reliquiis diſtribuebat.

Propterea longè major incapacitas reſpectu harum 9
prætenſionum conſiderari debet in laicis, cùm ſuper Reliquiis nullum omninò jus prætendere valeant, cùm non cadant ſub dominio alicujus, ut expreſsè docet Abb. *in cap. nullus not.* 1. *de jurepatr.* quem ſequitur Rodohan. *de ſimon. part.* 1. *cap.* 5. *num.* 5. & Marant. *reſp.* 3. *num.* 16. *par.* 2. Atque ita fuiſſe decretum a dicta Congregatione Sac. Rituum, tradunt Selel. *loc. cit. cap.* 58. *nu.* 2. & Barboſ. *ibidem. collect.* 656. *n.* 5. Minuſque poſſunt laici exercere jus aliquod in Eccleſia aliena, etiam prætextu juriſpatronatus, niſi doceant de legitimo titulo, cùm aliàs, quamvis probaretur longiſſima poſſeſſio, præſumeretur uſurpatio, præſertim in Univerſitate & Barone juxta decretum S. Concilii Tridentini *ſeſſ.* 25. *de reform. cap.* 9. requirens probationem immemorabilis, quæ in re præſenti eſſet impoſſibilis, ſi doceatur de conceſſione Eccleſiæ cum pleniſſima exemptione, ac libertate, ac præcipuè cum Sanctorum Reliquiis, aliiſque omnibus juribus.

Ad tertium poterit hoc permitti intra limites ſimpli- 10
cis cuſtodiæ, & aſſiſtentiæ, ſed ſervandus eſt modus, ne prætextu cuſtodiæ, & aſſiſtentiæ prætendatur acquiri jus aliquod ſuper Eccleſia, & ideò non videtur permittenda libera clavium traditio, minuſque tolleranda prætenſio, quod Superior Regularis cum aliis ſuis Regularibus obviam eat officiali ſeculari, extra januam Eccleſiæ; Cumque hujuſmodi occurſus ſit actus reverentiæ debitus ab inferiore erga Superiorem, dedecet profectò, Superior Eccleſiaſticus, qui habet aſſiſtentiam juris præcedendi cuicumque in propria Eccleſia, uti Prælatus, qui digniorem obtinet authoritatem, quam dictus officialis, immò majorem, ac nobiliorem adminiſtrationem, cùm præſit perſonis, ac rebus Eccleſiaſticis, quibus laici ſunt inferiores, debeat cum Ordinis dedecore occurrere inferiori, ut in caſu fere ſimili conſuluit Riccius *in praxi præcedentiarum reſolut.* 553. *num.* 4. *tom.* 2. *part.* 1. & tradit Rota *dec.* 310. *n.* 4. coram Gregorio.

Ac ita, ut non obſtet, quod aliquando hujuſmodi of- 11
ficiali obviam itum fuerit, atque adeò manutenendus ſit in poſſeſſione. Quia cùm hæc poſſeſſio, ſive obſervantia ſit contra jus, dum hic Officialis, qui eſt inferior præcederit Superiori tàm ratione Ordinis, cùm Clericus ſit major quocumque laico, etiam Principe, *cap.* 1. *in fin. d.* 16. *& cap. quis dubitet d.* 96. quàm ratione dignitatis, cùm Superior Regularis ſit Prælatus, non temporaneam habens juriſdictionem, qualis eſt illa Officialis laici. Unde hæc obſervantia, tanquam irrationabilis, uti præferens minus dignum, cenſenda potius eſt corruptela, ut rectè ad rem hanc reſpondit Ricc. *d. reſol.* 553. *num.* 4.

Ad quartum reſpondetur cum Paſchali Papa *in cap.* 12
cauſa de verbor. ſignific. quod quicunque, etiam per poteſtatem ſecularem oblationes, & eleemoſynas Eccleſis factas obtinere præſumat, & raptor, & ſacrilegus judicatur. Hoc idem fuit etiam ſancitum a S. Concilio Tridentino *ſeſſ.* 22. *de refor. cap.* 11. & tradit Fuſch. *de viſit. lib.* 1. *cap.* 24. *num.* 7. Etenim jus ad oblationes eſt Eccleſiaſticum, ad Clericos pertinens, atque adeò ſub laicorum dominio nequeunt detineri, ut per Barboſ. *in collect. Doctor. ad cauſ.* 10. *quæſt.* 1. *can.* 15. *num.* 1. itaut ne conſuetudo quidem, ſive præſcriptio laicis ſuffragetur, ut firmant Mareſcot. *var. reſol. cap.* 42. *num.* 5. *lib.* 2. & Fagnan. *in c. Paſtoralis num.* 19. *de bis, quæ fiunt a Prælat.*

Quæ ſanè potiori jure admittenda ſunt reſpectu obla- 13
tionum, & eleemoſynarum, quæ fiunt Eccleſiis Regulari-

tarium, sive eorum reliquiis ibi existentibus, quo in casu non aliis acquirantur, quàm Monasterio, & Monachis ibi servientibus, ut tradunt Marescot. *loc. cit. num. 3.* Ricc. *decis.* 170. *num. 3. tom.* 4. ac Rota *decis.* 373. *n.* 11. *par.* 5. *recent.* & post alios Fagnan. *ibidem num.* 34. inquiens hoc esse ratione exemptionis.

14 Non obstat, si dicatur, quod Magistratus, Baro, aliive non prætendunt in proprios usus convertere oblationes, sed tantùm illarum administrationem habere. Nam respondetur, quod cùm oblationes sint res spirituales, *can. Quia Sacerdotes* 10. *q.* laici non debent in illas quoquomodo se ingerere, & contraria consuetudo est contra libertatem Ecclesiasticam, ut inquit Fagnan. *loc. cit. num.* 20. Doctores verò, qui in contrarium allegari possunt, loquuntur in casu, quo laici ad percipiendum, & custodiendum hujusmodi oblationes deputantur ab habente authoritatem, secus autem si jure proprio id agerent. Tunc enim usurparent jura Ecclesiæ propria authoritate contra textum *in cap. decernimus de jud.* ac juxta ibi notata per Doctores, & Fagnan, *in d. cap. Pastoralis num.* 21.

CONSULTATIO LX.

An Eminentissimi Cardinales Protectores Regularium possint Commissarium deputare ad cognoscendum, an electio Capitularis Regularium sit valida, anve invalida?

1 NEgativè respondendum videtur. Primò, quia Eminentissimi Protectores non possunt aliquo pacto se ingerere in negotiis Religionis juxta Constitutiones Gregorii XI. & aliorum Pontificum, quorum mentionem etiam facit Lezana *in sum. q. regul. tom.* 2. *cap.* 9. *sub initio*.

2 Secundò, quia posito etiam, quod Eminentissimi Protectores possint in negotiis Religionis se immiscere, non tamen possunt suam jurisdictionem delegare, sed tenentur per seipsos cognitionem assumere.

3 Tertiò, quia data facultate delegandi, non debent Eminentissimi Protectores committere Commissario a se deputato, ut quatenus Capitulum nullum reperiret, novum Provincialem, ac Definitorem nominaret. Nam id esset privare integram Provinciam jure electionis.

4 His tamen non obstantibus, affirmativè respondendum censeo. Quod autem attinet ad primum, Constitutiones Summorum Pontificum loquuntur in casu, in quo sine aliqua causa ex abrupto Eminentissimi Protectores id agere vellent. At ubi per viam appellationis iidem Eminentissimi cognoscunt, extat decretum S. Congregationis super Episcopis, & Regularibus, firmans in tali casu eorum jurisdictionem. Vult enim, quod a Provinciali appelletur ad Generalem, a Generali ad Protectorem, a Protectore ad dictam S. Congregationem. Hujus decreti meminerunt Lezana *loc. citat. tomo* 1. *cap.* 9. *numero* 4. *& tomo* 3. *vers. appellatio numero* 4. Sorbus *de privil. mendic. eodem vers. appellatio*, ex additione Capucini sub initio, & Ghisler. *de judic. regul. cap.* 15. *num.* 59.

5 Si igitur assertus Provincialis obtineat confirmari suam electionem a P. Generali, non obstante, quod doceretur de nullitate, ut si electores convenerint per apocam de certis personis eligendis, quæ revera fuerunt electæ, id adversatur *capit. quia propter de elect.* Lavor. *var. elucubr. tit.* 4. *de elect. canon. capit.* 21. *numero* 19. *& seqq.* Lezan. *dict. tomo* 1. *capit.* 15. *num.* 24. *& 29. & tom.* 2. *capit.* 12. *num.* 35. A gravamine autem illato per hujusmodi confirmationem, non poterit appellari ad alium, quàm ad Eminentissimum Protectorem.

6 Nec obstat, quod dicta apoca continet potius compromissum, quod cum scrutinio mixto de jure permittitur in electionibus. Nam advertendum est, quod tunc dicitur compromissum mixtum cum scrutinio, quando ita compromissum est, ut compromissarii ipsi exquirant suffragia singulorum, illumque eligant, in quem major, & sanior pars consenserit. Ita in specie declarat Rota in Treverensi Abbatiæ S. Maximini 24. Januarii 1625. coram Coccino, referente Lavorio *loc. cit. num.* 167. & in Metensi Monasterii in fine. Secus autem si non fuerit compromissa electio facienda per personas determinatas, sed fuerit conventum de personis determinatis eligendis, & de vocalibus ad electionem determinatam trahendis, quod fieri nequit, ut scitè probavit Rota in dicta Treverensi ubi, quod electio facta per compromissum mixtum cum scrutinio sit nulla, si suffragia a commissariis suscipienda non sunt secreta.

7 Quod ad secundum. Aut Eminentissimi Protectores sunt Judices Ordinarii, aut Delegati. Si Ordinarii possunt delegare. Si delegati, cùm sint delegati ad universitatem causarum, possunt pariter subdelegare. Ita in specie de Eminentissimis Protectoribus P. Lezan. *d. tom.* 2. *cap.* 9. *num.* 2.

Quod verò ad tertium. Quotiescumque electio est 8
nulla, & electores redduntur inhabiles, jus eligendi devolvitur ad immediatum Superiorem, *cap. ne pro defectu de elect. cap. fin. de suppl. negl. Prælat. cap. quanquam*, ubi Gloss. *v. nota primò*, *de elect. in* 6. Lavor *loc. cit. num.* 45. Et ab illo immediato Superiore ad alium proximè immediatum, sicque gradatim usque ad Summum Pontificem, Lavor. *ibid. num.* 9. referens plures Rotæ decisiones, nominatim *dec.* 271. *num.* 10. *& seqq.* coram Mantica.

Si igitur Pater Generalis, qui est immediatus Supe- 9
rior, confirmaverit Capitulum, tanquam validum, & sic privaverit semetipsum illa facultate, quæ stante nullitate electionis, sibi fuerat delata, jure quidem, ac meritò Eminentissimus Protector, qui post Patrem Generalem est immediatus, hac facultate uti poterit, quatenus revera Capitulum sit nullum. Sub hac enim conditione facultas nominandi novum Provincialem concedi debet. Cæterùm servanda est hodie Constitutio Sanctissimi Domini Nostri Innocentii XII. super Cardinalibus Protectoribus, quam integram alibi adduximus.

CONSULTATIO LXI.

An, & quatenus dandus sit novus Commissarius ad construendum novum processum super validitate electionis Provincialis, aliorumque Officialium?

REspondeo, non esse dandum, præcipuè in expira- 1
tione officiorum. Tunc enim petitio præsumitur fieri ad impediendum celebrationem novi Capituli, illudque & statum Provinciæ intricandum, quod permitti non debet, sed juxta Constitutiones Ordinis, ac dispositionem juris Canonici, finito tempore, Capitulum celebrari debet per Text. *in capit. in singulis de stat. Monachor.*

Quatenus verò prætendatur revocare in dubio gesta a 2
Provinciali, & officialibus, hoc non est permittendum propter publicam utilitatem, *l. Barbatius*, *ff. de offic. Prætor*.

Neque est locus petito Commissario, si Capitulum 3
fuerit confirmatum, prævio processu, a primo Commissario. Cùm enim decretum confirmationis transiverit in judicatum, non potest contra electionem, & illius confirmationem aliquid opponi, nec peti novus Commissarius, aut institui novus processus. Quia res judicata imponit finem liti, & post rem judicatam non conceduntur ampliùs Commissarii, aut remissoriæ, ut per Seraphin. *dec.* 1308. *numer.* 1. Rota *dec.* 406. *numer.* 2. *par.* 2. *recen. & dec.* 188. *numer.* 2. ibique Adden. *n.* 7. coram Gregorio.

Nec relevaret forsitan appellatio, si illa non fuerit 4
intimata Provinciali, & officialibus, si quæ non fuerit interposita coram eodem Commissario, qui confirmavit, aliàs non suffragatur de jure, per Text. *l.* 1. *ff. Quando appellatio sit*, qui Textus approbatur *in can. biduum* 2. *q.* 6. *& in cap. ut debitus*, ubi Canonistæ *de appell.* Lancellot. *de attent. appel. pend. ampl.* 15. *num.* 27. ac Rota in Toletana decimarum 2. Decembris 1620. coram Ubaldo.

Vel si fuerit appellationi renunciatum ab adversariis, 5
qui recognoverint Patrem Provincialem, & alios officiales pro legitimè electis, ideòque non sunt ampliùs audiendi super prætensa appellatione, ut per Scacc. *de appell. qu.* 17. *limit.* 2. *num.* 1. *& seqq.*

Ac etiam insuper non possunt audiri petendo ex in- 6
tegro deputari Commissarios, sed debent transportare acta primæ instantiæ, & procedere, tanquam in gradu appellationis, juxta dispositionem Sac. Concilii Tridentini *sess.* 24. *cap.* 20. *de reform. l.* 2. *Cod. de eden.* ac Rota *dec.* 104. *num.* 1. *par.* 4. *& dec.* 495. *num.* 26. *& 31. par.* 8. *recent.* Unde liquet, non esse discutienda merita validitatis electionis, quæ jam fuit sortita suum effectum.

Eòque magis, si nullitates, quæ modo opponuntur, 7
post Capituli recognitionem, examen, & confirmationem sint eædem, & nunquam probatæ, ac proindè eo minus admittendus est novus Commissarius. Non enim calumnia vacant, & tanquam intempestivæ, & scandalosæ, fraudique proximæ a singulari prudentia hujusmodi petitiones rejiciendæ sunt ex notatis *in cap. super his*, ubi Innoc. *num.* 7. *de accus.* de March. *dec.* 1392. *n.* 3. & Gloss. *in cap. si forte de elect in* 6.

Quæ

8 Quare non videntur prehendæ aures malignantibus, præcipuè si illi interfuerint. & approbaverint electionem publicatam, & Provinciali electo ritè obedientiam detulerint, quo in casu pro validitate præsumitur, & judicandum est, *cap. nulli licere de elect. in 6.* ubi exiguntur defectus de novo emergentes in persona electi, sive ex causa prius occulta, vel postea manifesta, & servata forma, *cap. ut circa eodem tit. & lib.* Si Provincialis fuerit admissus ad omnes actus capitulares, & ad electionem ipsius Patris Generalis, si per biennium fetè in administratione sui officii pacificè se gesserit, tunc nonnisi per modum solemnis accusationis adversus eum & ex noviter deductis esset procedendum, causa in continenti probata, ut tradunt Doctores *in cap. Super his de accusat.* Gloss. *in cap. fortè, verb. defectum de elect. in 6. & in cap. bonæ memoriæ 23. vers. per rerum naturam propè fin. eod. tit.* Quandoquidem diuturna observantia confirmat validitatem gestorum, nec defectus cadentes fortasse super confirmationem tunc inficiunt electionem, alioquin validam, & canonicè factam unanimi suffragatorum scrutinio, *cap. si confirmationem de elect.* traditque Seraph. *dec.* 1274. *num.* 2. ac Peyrin. *de jubd. par.* 1. *c.* 31. *§.* 11.

9 Quæ quidem certa sunt, ac in judiciis omninò servanda præcipuè in terminis electionis Regularium; cæteroquin semper esset apertus aditus per calumniam, malitiamque vexandi quoscumque, quantumvis canonicè electos; nam in tanta suffragiorum, ac suffragatorum diversitate rarò, aut nunquam sindéresis malitiæ abest, ut advertit in hac specie Sigismundus a Bononia *de elect. par.* 1. *dub.* 48. *num.* 3. *& seqq.* Anchar. *in cap. Cùm dilecti num.* 1. *de elect.* & tradunt communiter Doctores *in cap. fin. eod. tit. in 6.* ac Rota in Legionensi puritatis sanguinis 13. Junii 1633. coram Motmanno, *& dec.* 359. *num.* 8. *& 9. p. 6. recent.*

10 Ex quibus meritò in Concilio Lugdunensi a Gregorio X. relato *in dict. cap. ut circa*, fuerunt rejectæ hujusmodi excogitatæ calumniantium oppositiones, ne Religiosorum, ac subjectorum animi vagentur in incerto, novitates quærendo adversus suos Superiores, ac Prælatos, aliàs benemeritos, qui ex officio nequeunt omnibus complacere ex causis, ac rationibus a Pontifice ponderatis *in cap. Qualiter, & quando 2. de accus.* Si enim sunt, quasi signum positi ad sagittam, & quia non possunt omnibus placere, cùm ex officio suo teneantur non solùm arguere, sed etiam increpare, quin etiam aliquando suspendere, nonnunquam verò ligare, frequenter odium multorum incurrunt, ac invidias patiuntur, atque ideò Sancti Patres providè statuerunt, ut accusatio Prælatorum non facilè admittatur, sed diligens adhibeatur cautio, per quam non solùm falsæ, sed etiam malignæ criminationi janua præcludatur.

CONSULTATIO LXII.

In Statutis Generalibus cujusdam Ordinis, confirmatis in forma speciali a Summo Pontifice, hæc extant verba: *Qui sua sponte, licèt obtenta prius licentia, ad alienam Provinciam transierunt Patres, tàm incorporati, quàm incorporandi, in ea locum, ordinem, & præcedentiam a die tantùm incorporationis suæ, non autem a die receptionis habitus, aut emissæ professionis teneant, & habeant.*

Dubitatur modò, *an qui ex Provincia, exempli gratia, Neapolitana, obtinuit transferri, & incorporari in Provinciam Mediolanensem, & qui post factam, ac diu servatam hanc incorporationem, iterum obtinuit transferri, & incorporari in antiquam Provinciam Neapolitanam, gaudere debeat præcedentiis juxta ordinem primæ receptionis, an potius juxta ordinem modernæ incorporationis, ut prædicto statuto cavetur?*

1 REspondeo, Præsuppositа perfecta incorporatione in Provinciam Mediolanensem, hujusmodi statutum habere locum. Quia quemadmodum Regularis translatus ad aliam Religionem, eique perfectè unitus per professionem, postea obtinens transferri ad Ordinem, in quo primùm professus fuerat, non redit ad jura primogenituræ, sed manet in loco secundæ receptionis, ut ex Sanchez *in decalog. lib.* 3. *cap.* 7. & ex Bordon. *resolut. moral. quæst.* 16. *num.* 17. *& seqq.* tradit Donat. *in prax. reg. tom.* 1. *part.* 2. *tract.* 5. *quæst.* 52. ac Lezana *in summ. quæst. regul. vers. Transitus numer.* 14. ac Pelizar. *in manual. Regular. tom.* 1. *tract.* 3. *capit.* 5. *num.* 105. Ita Regularis translatus ad aliam Provinciam, eique perfectè unitus per incorporationem, non potest ex novo transitu ad primam Provinciam resumere jura primogenituræ.

2 Ratio enim utrique casui est communis. Quia sicuti in transitu ad aliam Religionem Regularis, qui in illa profitetur, desinit esse membrum primæ, ac proindè cogere non potest primam Religionem, ut iterum ab ea recipiatur, sed hoc pendere debet a voluntate Religiosorum, per Textum *in can. mandamus* 19. *quæst.* 3. *& in cap. Intelleximus de æt. & qualit.* ibi, *Ne quis Canonicus Regularis, &c. efficiatur Canonicus, etsi factus fuerit, ad Canonicatus Ordinem revertatur, ultimus in Choro maneat*, ita etiam in casu incorporationis in aliam Provinciam juxta formam Statuti Religionis desinit esse membrum primæ, eamque cogere non potest, ut ipsum iterum incorporet.

Nec obstat *c. intelleximus de æt. & qualit.* Nam Gloss. 3
fin. rectè ibi declarat Textum, inquiens, intelligendum esse, quando quis ex levitate transiit ad aliam Religionem, & in ea professionem non emisit, sicque remansit membrum primæ. Secus autem est in re præsenti, cum per incorporationem in Provinciam Mediolanensem desierit esse membrum Provinciæ Neapolitanæ.

Unde non poterit Definitorium Provinciæ Neapolita- 4
næ incorporare hujusmodi Religiosos cum privilegio præcedentiæ a die susceptionis habitus. Quia hoc est omninò contra Statutum Capituli Generalis in forma speciali a summo Pontifice confirmatum, in quo nullus inferior Pontifice potest dispensare. Hinc cùm multoties Sacra Congregatio super Episcopis, & Regularibus ab ejusmodi incorporatis pro dispensatione suppliciter fuerit exorata, noluit annuere, eò vel maximè, quia perturbarentur Provinciæ propter præjudicium, quod juri tertii inferretur. Quod utique fuit præcipuum motivum Capituli Generalis supplicandi Pontifici pro speciali confirmatione, præcaventis, ne Superiores Ordinis facilè dispensarent.

Nec refragatur doctrina Mirandæ. Quia non scripsit 5
in terminis hujus statuti. Quare licèt vera sit ejus doctrina in terminis juris communis, cùm Religiosus ejusdem Ordinis, sive ad unam, sive ad aliam Provinciam transeat, semper remanet filius ejusdem Religionis, certè quando adest statutum, concedens filiationes singulis Provinciis, ac præcedentiam a die incorporationis, non a die susceptі habitus, non potest amplius haberi ratio, quod sit filius ejusdem Provinciæ, sed ejusdem Religionis.

Quod autem statutum loquatur de transitu ad alie- 6
nam Provinciam, & non de reditu ad propriam, frustra & sine causa dicitur, quandoquidem, cùm quis transit in aliquam Provinciam, sequuta incorporatione, adeò abalienatur a priori Provincia, in qua habitum susceperat, quod, si ad illam velit reverti, omnes, quas in posteriori Provincia conditiones statutales adimplevit, pariter adimplere tenetur, & interdum etiam patitur repulsam, nec voti compos fieri permittitur. Unde ergo in casu ejusmodi incorporationis colligitur favorabilis intentio statuti, quoad præcedentiam tantùm, & non quoad ipsam incorporationem, quæ utique pari passu deberet incedere.

Nec merita hujusmodi incorporati haberi possunt in 7
consideratione ad obtinendum per viam gratiæ id, quod ipsi ex justitia non debetur. Quia cùm hujusmodi gratia illatura sit præjudicium aliis Religiosis, non solent suprema Tribunalia gratiam concedere in præjudicium tertii, præcipuè, quando statuta Ordinis sunt confirmata a Summo Pontifice in forma speciali cum clausula *sublata*, & decreto irritanti.

CONSULTATIO LXIII.

An, & quatenus Clerici Seculares & Regulares examinari possint ad favorem rei, immò contra reum, etiam in criminalibus?

1 REspondeo, posse, cum licentia tamen suorum Superiorum. Clerici enim sæculares cum licentia sui Episcopi testes esse possunt, ut per Innoc. *in c. delictorum de testib.* Guidop. *q.* 65. *n.* 1. & nos alibi. Et sic pariter Regulares cum licentia suorum Superiorum deponere valent, ut per Ricc. *resol.* 459. *n.* 1. *& p.* 2. & nos etiam alibi. Idque ne defectu probationum assertus reus indefensus remaneat, ac innocens moriatur, ideòque debent Episcopus, & Superior regularis iis licentiam pro examine concedere, cùm Clerici pro rei defensione, ac innocentia detegenda coram Judice laico admittantur, ex traditis a Felino *in cap. de cætero n.* 3. *de testib.* & a Farinac. *de oppos. contra person. test. quæst.* 61. *oppos.* 12. *n.* 93. Præsertim ubi veritas aliter haberi non potest, Mascard. *de probat. conclus.* 306. *num.* 5. *vol.* 1. Farinac. *loc. cit. nu.* 93. Guazzin. *defens.* 1. *cap.* 2. *num.* 9.

Adeò

2 Adeò quidem, ut nedum possint admitti, sed etiam debeant compelli ad se subjiciendum examini, Aretin. *in dict. cap. de cætero num. 3.* Præpos. *in can. testimonium quæst. 1.* Genuen. *in prax. Cur. Neapol. cap. 35. numer. 6.* Immò in potiori casu Clericum non modò ad defensionem in testem admitti posse in criminalibus, verùm etiam contra reum inquisitum, tradit Grammat. *consil. crimin. 3. num. 9.* ac Bellett. *in disquis. Cleric. part. 1. §. 3. num. 14.*

3 Et quoniam aliquando hujusmodi licentia non suffragaretur, nisi etiam salvus conductus testibus concederetur, cùm sæpè reorum inimici objiciant eis crimina, & minentur carceres, aut mortem. Unde ipsi examinari recusant, ideò poterit eis cum licentia concedi etiam salvus conductus, durante tantùm tempore examinis, ne sequatur absurdum, quod veritas occulta remaneat, & innocens opprimatur, ut in difficilioribus terminis de bannito ad hunc effectum concedi salvum conductum, firmat Menoch. *de arbitr. lib. 2. centur. 4. cas. 337. num. 2. & seqq.* Guazzin. *ad defens. 12. circa excus. pro abs. cap. 12. num. 58.*

CONSULTATIO LXIV.

An, & quatenus Generales Ordinum possint eligere Priores locales Conventuum sibi subjectorum?

1 ET non posse, dicendum videtur per textum *in cap. 1. de elect.* ubi disponitur, quod Priores locales eligantur a proprio Conventu.

2 Possunt tamen, si Conventus particulares, in quibus fit electio, sive nominatio a Generalibus, non reclamant. Quo in casu Definitorium Provinciale nullum jus habet contradicendi.

3 Nam vel illud deducitur ex allegato *cap. 1. de elect.* & satis est, ut diximus, quod Conventus non reclamant. Vel deducitur ex possessione eligendi, in qua Definitorium asserit, se reperiri, si hæc possessio militat, etiam pro Generalibus non est causa, cur potius Definitorio, quàm Generalibus hæc possessio, sive quasi possessio, suffragari debeat.

4 Præcipuè verò, si hoc etiam disponunt Constitutiones Ordinis, itaut non obstet, quod in hac parte derogent juri communi, sintque illi contrariæ, ex quo de jure electio pertinet ad Conventus, ideòque illæ obstare non possunt, nisi accesserit specialis confirmatio Sedis Apostolicæ.

5 Nam respondetur primò, hujusmodi Constitutiones, concedentes Generalibus authoritatem eligendi, ac nominandi Priores, esse admodum rationabiles, ac honestæ, ut probant Suarez *tom. 4. de Relig. lib. 10. cap. 3. num. 5.* Samuel *de canon. elect. pag. 557.* Lezana *in mare magno cap. 1. num. 47.* In his enim terminis statuta, etiam juri communi contraria, non indigent confirmatione speciali, ut in hac specie inquit Rota coram Merlino *decis. 828. numer. 11.* in Spoletana Successionis 19. Junii 1651. coram Celso, & in Ariminensi fructuum 7. Junii 1655. coram Bichio, *§. non obstat, quod sic statutum.*

6 Deinde respondetur, confirmationem in forma speciali intercedere per diploma Summi Pontificis, si in illo contineatur clausula: *Quorum tenores pro sufficienter expressis haberi volumus, eaque authoritate Apostolica tenore præsentium confirmamus, & roboramus.* Quo in casu dubitari non potest de confirmatione in forma speciali. Illa quippe clausula, *Quorum tenores*, vim habet specialis, ac individuæ mentionis, ut per Paris. *de resign. lib. 12. quæst. 14. num. 16.* Rot. *decis. 466. part. 1. recent.* ac plenissimè Barbos. *clauf. 127. num. 4.*

7 Et postremò respondetur, diuturnitatem temporis, juncta observantia, inducere sufficientem præsumptionem cujusvis confirmationis, ad validitatem earumdem Constitutionum necessariam, ut notant Glossa, & Doctores *in cap. pervenit de empt. & vendit.* ac Rota coram Puteo *dec. 365. num. 4. lib. 2.* & coram Seraph. *dec. 1027. num. 9.* & coram Gregorio *decis. 343.* ubi etiam Adden. *num. 4.*

8 Idque præcipuè, si Religio habuerit revera hujusmodi Constitutiones pro confirmatis. Cùm enim Conventus, ac Definitoria Provinciarum per suos vocales interserint Capitulis Generalibus, in quibus fuerunt approbatæ, & confirmatæ, non possunt hodie illarum dispositioni adversarii per regulam, *quod semel placuit &c.*

CONSULTATIO LXV.

Fuit Regularis a Provinciali, ac Definitorio suæ Provinciæ electus ad Generale Capitulum proximè celebrandum cum mandato proponendi negotia ejusdem Provinciæ. Capitulum Generale non fuit celebratum, quia Summus Pontifex per suum Breve confirmavit Generalem ad aliud sexennium. Interim dictus Regularis, ut supra electus, narrata Summo Pontifici dicta sua electione, & tacito, quod dictum proximum Capitulum pro quo fuerat electus, jam suum sortitum fuerat effectum, per dictum Breve Apostolicum obtinuit ab eo confirmationem suæ electionis, a Provinciali, & Definitorio jam factæ pro Capitulo Generali tunc proximè celebrando. Quæritur an huic Regulari, sic a Pontifice confirmato, liceat interesse Capitulo Generali proximè celebrando?

NEgativè respondendum censeo. Primò, ex regulis, quod a forma mandati non est recedendum, sive illa respiciat res, sive personas, sive locum, sive tempus, ut per Bald. *in leg. 1. §. si igitur, ff. de exercit. & act. vers. nota, quod forma mandati.* Et quod mandatum extendi non potest ad alios casus, quàm expressos, sed debet diligentissimè omni cum cura observari, *l. diligenter, ff. mandati*, non solùm in substantia, sed etiam in qualitate, Butr. *in capit. Pisanis not. 7. de restit. spoliat.* Dec. *consil. 493. numero 3.* etiamsi qualitates consistant in re modica, Paris. *consil. 47. numero 42. & sequentibus lib. 1.* 1

Hinc cùm dictum mandatum datum fuerit ad Capitulum, tunc proximè celebrandum, eoque tunc non habito, deindè celebrato altero, extendi non potest ad istud subsequens, *cap. Si Clericus de præben. in 6.* ubi si Pontifex mandat provideri alicui de præbenda, proximè vacatura, si provisio non sequatur, non potest de alia provideri. Rationem reddit ibi Glossa *v. extincta*, quia forma tradita per rescriptum erat super prima vacatura, ideò non potest ad aliam extendi, cùm proximum dicatur, id quod aliud non antecedit, nullumque admittit medium, Tiraquel. *de retract. lignag. §. 11. num. 1. & seqq.* Accedit, quod mandatum est stricti juris, *cap. qui ad agend. de proc. in 6.* Roman. *conf. 330. n. 11.* Caputaq. *decis. 181. num. 1. & decis. 191. num. 3. par. 2.* & latè Joseph. Ludov. *decis. Perus. 117. numer. 12. cum plurib. seqq.* & limitatus actus limitatum parit effectum, nec operatur ultra intentionem agentium, concessumque ad tempus, post illud censetur prohibitum, Gonzal. *ad reg. 8. Cancell. §. 5. proœm. num. 4. 6. & 7.* 2

Quinimmò, licèt facultas non fuisset expressè limitata ad proximum Capitulum, adhuc de proximo intelligeretur juxta regulam *l. Boves, §. hoc sermone, ff. de verbor. signific.* quam in omni materia, & in omni dispositione servandam esse, tradit Alexand. *conf. 16. vers. Et sic patet lib. 4.* Jas. *conf. 36. num. 19. cum seqq. lib. 3.* ac Tiraquel. *in d. l. num. 1.* 3

Et in proximis terminis de facultate data Patribus Concilii Generalis eligendi locum Concilii, quod intelligatur de prima electione post Abbatem in sermone habito in Concilio Basilienſe, tradit Felin. *in cap. 2. num. 4. de tregu. & pac.* 4

Nec obstat, quod hic electus in præterito Capitulo suum munus non exercuerit. Quia dum actus fuit validus, non minus ejus facultas fuit consumpta, ex fusè deductis per Tiraquel. *in dict. l. Boves limit. 1.* Ubi quod reiteratio tantùm procedit, quando primus actus fuit nullus, & invalidus. 5

Deindè quia dictum mandatum datum fuit a Provinciali, & Definitoribus illius temporis, ideòque propter eorum mutationem, re integra expiravit, Gabr. *concl. 2. de procur.* ubi *num. 10.* ait, conclusionem, quod mandatum re integra expirat post mortem mandantis, procedere etiam in revocatione tacita, quæ insurgit ex mutatione status personarum, & regulariter, resoluto jure datoris, resolvitur etiam jus acceptoris, ut in terminis expirationis mandati tradit Bellamer. *conf. 12. num. 10. & seqq.* Et quando res est integra, expirat mandatum datum ab administratoribus, aliisque Officialibus, gerentibus negotia publica, quicquid sit, quando res non est integra, Alexand. *conf. 128. num. 5. lib. 6.* Præterea cùm Provincialis, & Definitores, qui dederunt mandatum ob creationem aliorum, respectu illorum remanserit tanquam civiliter mortuum eorum mandatum, ipsis in dictis Officiis persistentibus, suum non sortiatur effectum, devenit ad eum casum, a quo incipere non potuit, & sicut extinctum remansisset, si ipsi constituentes naturaliter fuissent mortui, Gabr. *loc. cit.* ita etiam 6

extinctum remanet ob finitum eorum officium, ex quo reputantur mortui morte civili, quæ æquiparatur naturali Gonzal. *ibid. num.* 20. & Mantic. *de tacit. lib.* 7. *tit.* 23. *num.* 13.

7 Et quidem, aliàs plura sequerentur absurda. Primum, quia præcipuum munus ejusmodi electi non solùm consistit in ferendo suffragium nomine omnium Conventuum Provinciæ, a qua eligitur, sed etiam proponere omnia, quæ ad Conventus dictæ Provinciæ pertinent. Tempore autem, quo iste fuit electus, multa potuerant contingere in ipsa Provincia in Capitulo Generali proximè celebrando, utique proponenda, quæ in secundo Capitulo committi non possunt. Secundum, quia omnes moderni Conventuales, Provincialis, ac Definitores privantur suo jure eligendi alium magis forsan idoneum, ac prudentiorem. Posse autem Definitorium ad sui libitum alium eligere, videtur æquitati consentaneum, *argum. text. in cap. Si quis justo, §. Verùm de elect. in 6.* ubi quod orta differentia circa procuratorem a Capitulo deputatum ad eligendum, ad illud spectat determinatio, ibi, *sed is admittatur dumtaxat, quem Capitulum, vel major pars elegerit*, ubi Ancharanus ait, jura omnia concordare in hoc, quod Capitulum sit Judex, & eo eligente discordiæ terminentur.

8 Nec obstat, quod ejus electio sit confirmata a Pontifice. Quia confirmatio non facit electionem perpetuam, neque immutat illius naturam, sed solùm tribuit ei robur secundùm ejus naturam, non ex defectu potestatis Pontificis confirmantis, sed ex defectu ejus voluntatis, proindeque dicta electio sic confirmata remanet in eodem statu, in quo erat ante ipsam confirmationem, ut in hac ferè specie firmat Rota in Melevitana pensionis 29. Maji 1637. coram Ghislerio impressa *part.* 7. *recent. decis.* 219 *num.* 1. *& seqq.* semperque intelligitur secundùm naturam, & cum qualitatibus rei confirmatæ, Rota *decis.* 752. *num.* 5. *part.* 3. *recent.* & non operatur, quod res confirmata comprehendat casum, quem non comprehendisset, si Breve confirmationis non emanasset, Rota *decis.* 111. *num.* 2. *part.* 2. *recent.* Nec etiam comprehendit ea, quæ fuerunt aliena a mente, ac intentione confirmantis, Gregor. *decis.* 164. *num.* 8. Nihil enim de novo tribuit, neque extendit confirmatum, Bald. *in cap. Ex parte num.* 19. *de Constit.* Dec. *in rubric. ejusdem tituli numer.* 2. Præterea confirmatio non operatur, quando non repetit confirmabile, nec reddit validum, quod in se nullum est ex allegatis *in dec.* 84. *num.* 10. *part.* 7. *recent.*

9 Et clausulæ derogatoriæ, oppositæ in Brevi, reguntur a dispositione principali, cujus limites non egrediuntur, *dict. decis.* 111. *num.* 4. latè Curt. jun. *consil.* 56. *num.* 3. *lib.* 1. & Cacher. *decis.* 764. *num.* 2. Eòque magis, quia confirmatio est subreptitia, dum in ea non fuit narratum, quod Capitulum Generale, pro quo fuerat missus speciatim electus, fuerat consumptum, & ideò nihil prorsus operatur, ut in his terminis Seraphin. *dec.* 965. *numero* 12. *& decis.* 972. *num.* 17. *&* 981. *num.* 1. ubi ait, hoc etiam procedere, ubi fuisset rescriptum ex certa scientia, & in Brixiensi Archipresbyteratus 30. Januarii 1626. coram Remboldo. Et cessante causa mandati, cessat ipsum mandatum, per textum *in cap. Si pauper*, his verbis, *cùm cessat causa mandati, &c.* ibique Glossa *v. cessat, de præbend. in 6.* & Tiraquel. *in tract. cessante causa part.* 1. *num.* 18. Mantic. *de tacit. lib.* 7. *tit.* 20. *numero* 3. *& tit.* 22. *num.* 10.

10 Præsertim cùm respectu ejusmodi electi res sit integra. Unde mandatum in ejus persona, vel expiravit per mutationem Provincialis, & Definitorum, quemadmodum dicitur de mandato dato per Tutores, quod extinguitur, finito officio, *l. si per Epistolam, ff. de acquir. hæred.* Alexand. *cons.* 128. *v.* 2. *lib.* 6. Soccin. Sen. *cons.* 112. *num.* 12. *&* 15. *lib.* 1.

11 Vel quatenus datum a Definitorio Provinciali, posset dici etiam post mutationem officialium durare, attamen censeretur finitum per revocationem, cùm indubitatum sit mandatum, re integra, revocari posse, *l. Si ante litem cum seqq. ff. de procur.* Cyriac. *controvers.* 452. *num.* 14. & tacitè ex conjecturis, ex quibus appareat de mutatione voluntatis, ex adductis per Mantic. *d. lib.* 7. *tit.* 22. *num.* 33.

CONSULTATIO LXVI.

An Abbas Regularis, relegatus in exilium, exacto exilii tempore, recuperet suam Abbatiam, quam habebat ante exilii sententiam, ab Abbate Generali alii collatam? Et quid de recuperatione pensionis? Quidve quoad pensiones decursas? Quid si restitutio fiat a Principe laico, aut a Pontifice? Quomodo cognoscendum sit, an Pontifex ad restituendum utatur jurisdictione civili, an Ecclesiastica?

AD primum affirmativè per textum perspicuum *in leg.* 1. *Cod. de sentent. pass. & restit.* & tradunt Felin. *in cap. Quæ Ecclesiarum num.* 27. *de Constit.* Roland. *cons.* 45. *num.* 21. *lib.* 4. Mohedan. *decis.* 6. *num.* 2. *de restit. spoliat.* ac Rota *part.* 2. *decis.* 465. *numer.* 1. *part.* 2. *recent.* quia restitutio tendit ad tollendum effectus sententiæ, & veluti ad eam abolendam, tanquam si non emanasset juxta *leg. fin. Cod. eodem*, ubi etiam Doctores, ac Rota coram Merlino *decis.* 125. *numer.* 45. Neque enim quis censetur restitutus in pristinum statum, nisi obtinuerit plenam restitutionem, *capit. venerabilis*, ibique Abbas *de offic. delegat. & leg. cum indulgentia, & dict. leg. fin.* & notant Bartol. *in leg. Quod si minor §. restitutio, ff. de minor.* Aretin. *§. rursus, institut. de act.* Paris. *consil.* 96. *numero* 112. *lib.* 1. Menoch. *de recuper. possess. in prælud. numero* 4. ac Soccin. Sen. *consil.* 262. *lib.* 2. 1

Nec obstat, si dicatur, restitutionem esse intelligendam sine præjudicio tertii, atque adeò sine præjudicio Abbatis Generalis, qui post sententiam dicti exilii alium Abbatem deputavit in regimine Abbatiæ. Nam respondetur, hanc deputationem habuisse originem, ac proveniisse a sententia condemnatoria dicti Abbatis, qua rescissa per gratiam restitutionis, consequenter acquisitio ab illa immediatè proveniens, censetur resoluta, ut per Rotam *d. decis.* 465. *num.* 6. Franch. *decis.* 213. *num.* 40. *& seqq.* Restitutio namque in pristinum statum operatur, quod restitutus talis habeatur, qualis esset, si nullum habuisset impedimentum per ea, quæ tradunt Bald. *in leg. si cum dotem §. uxor. ff. solut. matrim. & l. Imperialis v. nota Cod. de nupt.* Bartol. *in l. & qui §. si in metallum ff. de mun. & honor.* 2

Quando enim restitutio est plenissima, tunc restituit etiam ad bona in alium alienata, quæ proinde recuperantur, ut docent Felin. *in cap. inter quatuor num.* 6. *de major.* & ibidem Claud. Aquens. *in leg. Gallus §. Et quid si tantùm num.* 31. *ff. de lib. & posth.* Paris. *consil.* 1. *num.* 29. 37. *&* 51. *lib.* 1. Roland. *dict. cons.* 45. *num.* 21. Laderch. *cons.* 94. *num.* 4. Fachin. *cons.* 15. *num.* 23. *&* 37. *lib.* 1. Odd. *de restitut. in integr. quæst.* 99. *art.* 12. *numer.* 108. Farinac. *in praxi quæst.* 6. *num.* 38. Mastrill. *ad Indult. General. cap.* 22. *num.* 45. Peregrin. *de jur. fisc. lib.* 5. *tit.* 2. *numer.* 55. & Rota coram Seraphin. *decis.* 998. *num.* 9. & coram Merlino *decis.* 125. *num.* 2. & in Urbevetana hæreditatis 3. Aprilis 1620. coram Manzanedo. Non enim esset plenissima, si remaneret aliquid, ad quod non se extenderet, aut si non restitueret tantum, quantum Judicis sententia abstulit *dict. leg. fin. §. fin. C. de sentent. pass. & restitut.* 3

Ad secundum. Hæc restitutio non habet locum in pensione. Quia si restitutio provenit a Principe laico, non est sufficiens ad restituendam pensionem amissam. Cùm enim fructus, quos importat pensio, sint consolidati beneficio, eo quod pensio remanet extincta, non secus ac in morte naturali, debent de novo veluti separari a beneficio, circa quod nihil potest potestas laicalis, quia non potest se immittere in spiritualia, qualis est separatio fructum a beneficio, sive restitutio pensionis, *can.* 1. *cum seqq.* 10. *qu.* 1. *& cap. decernimus* 2. *de judic. & cap. Ofius, & cap. Missana de elect. & cap. causam de præscript.* & notant Abb. *in cap. querelam numer.* 9. *de election.* ac Rota coram Seraphino *dec.* 1341. *num.* 5. & coram Pegna *dec.* 905. *num.* 3. & in Toletana juris nominandi die 28. Januarii 1583. 4

Unde si restitutio fiat, etiam a Pontifice, pro aliquo sibi subdito in temporalibus, non tanquam a Pontifice, sed tanquam a Principe laico, habente jurisdictionem temporalem in terras subjectas Ecclesiæ, non se extenderet ad restitutionem pensionis, quia tanquam fundata in potestate civili, etiamsi esset plenissima, non excederet limites potestatis civilis juxta *can. Cùm ad verum d.* 90. ubi usus potestatis, & legum civilium habet locum tantùm in temporalibus. Et sicut civilis potestas est coarctata ad terras subjectas Ecclesiæ in temporalibus, ita etiam est coarctata ad res temporales, & civiles, non secus ac potestas laicalis. 5

Si

6 Si verò pleniſſima eſt reſtitutio, & eſt a Pontifice, non præcisè, tanquam Domino temporali, ſed ut Pontifice, exercente, etiam juriſdictionem ſpiritualem, reſtituit, etiam ad penſionem, quia aliàs reſtitutio non ſortiretur pleniſſimum effectum, quæ proindè ſe extendit, etiam ad translatam in alium.

7 Neque obſtat, quod ſit jus acquiſitum tertiò. Quia præter jam dicta, quando quis privatur bonis, ex confiſcatione, in quemcumque, & quocumque modo transferuntur, tranſeunt ſub tacita conditione reſtitutionis in eventum, quod is, cui confiſcata ſunt, pleniſſimè reſtituatur in priſtinum ſtatum. Cùm enim ſit poteſtate Principis reſtituere pleniſſimè ad priſtinum ſtatum, & hæc poteſtas non rarò deducatur ad actum, bona confiſcata remanent ſubjecta huic poteſtati, & cum hac ſubjectione tranſeunt in quemcumque poſſeſſorem. Ideò ſi cogatur reſtituere, non privatur jure acquiſito, ſed eveniente conditione, ſub qua erant reſtituenda, obligatur poſſeſſor ad reſtitutionem.

8 Ad tertium. Hæc reſtitutio non recuperat penſiones decurſas, ſed tantùm decurrendas a die reſtitutionis. Quia penſio eſt annua, & proinde tot ſunt penſiones, quot ſunt anni. Imitatur enim in hoc legatum annuum, quod non eſt unum, ſed multiplex juxta annorum numerum *l. cùm in annos ff. de ann. legat.* Et ideò, ſicuti legatum annuum eſt affixum ſingulis annis, & ſic debitum juxta eorumdem curſus, ita ſi aliquo anno non ſuit debitum, vel ex incapacitate legatarii, vel quia non habeat locum opus, in quod impendi debet, vel ex quocumque alio capite, non poteſt ampliùs peti, ut de legato alimentorum obſervat Surd. *de alim. tit. 9. qu. 33. num.* 11. Ideòque hoc ipſum etiam ſervandum eſt in penſione, ut reſtitutio non habeat locum quoad penſiones decurſas, quia, tanquam diſtinctæ a ſubſequentibus, non trahuntur ab ipſis, atque adeò reſtitutio ad ſubſequentes non trahit ſecum decurſas.

9 Ad quartum. Tunc autem cenſendum eſt, Summum Pontificem uſum fuiſſe poteſtate civili, ſi ſententia, a qua emanavit confiſcatio, fundatur tantùm in poteſtate laica, ſeu civili, ſecus autem ſi emanavit a ſententia fundata in poteſtate Eccleſiaſtica. Nam reſtitutio tendit ad tollendum effectus ſententiæ, & veluti ad eam abolendam, tanquam ſi non emanaſſet, ut dictum eſt. Unde fit, quod Pontifex utatur illa poteſtate ſuprema, cui ſubjicitur poteſtas Judicis, qui ſententiam tulit, poteſtas enim reſtituendi in integrum eſt poteſtas ſibi ſubordinans directè ipſam ſententiam, & poteſtatem, a qua proceſſit.

CONSULTATIO LXVII.

An, & quatenus juriſdictio, & collatio beneficiorum in locis Abbatiæ ſpectet privativè quoad Epiſcopum ad illius Abbatem? Et quid quoad cognitionem cauſarum criminalium? Ubi adducuntur Decreta aliquot Sacræ Congregationis Concilii Tridentini in cap. 20. ſeſſ. 24. de reformat.

1 REſpondeo ſpectare ad Abbatem, ſi ipſe habet juriſdictionem temporalem, & ſpiritualem in dictis locis, eorumque perſonis. In hoc enim caſu cenſetur illorum Ordinarius, & habere juriſdictionem Epiſcopalem, vel quaſi, ut per Rotam coram Mantic. *dec. 361. num. 1. & 2. & dec. 612. num. 1. part. 4. diverſ. & dec. 100. num. 3.* poſt primum *vol. conſ. Farin.* coram Andr. *dec. 54. num. 5. quæ in recent. eſt dec. 234. part. 4.* Grat. *diſc. 212. num. 3.* & pro Abbate Generali contra Epiſcopum Sancti Angeli Lombardorum fuit deciſum coram Pirovano, coram Peutingerio, & coram Panzirolo, ac per tres conformes pronunciatum, & dum Abbas exercet juriſdictionem quaſi Epiſcopalem, dicitur habere territorium ſeparatum, & juriſdictio penitus ab Epiſcopo adempta, *Clem. 1. §. volumus*, ubi Gloſ. *v. Diœceſanis*, ac Doctores *de for. compet.* cum aliis deductis a Rota in Conſtantienſi juriſdictionis apud Poſth. *de manuten. deciſ. 438. num. 5. & in dict. Sancti Angeli*, etiamſi loca eſſent circumdata limitibus Diœceſis Epiſcopi, ex latè cumulatis a Tamburin. *de jur. Abbat. tom. 1. diſp. 15. quæſt. 9. num.* 18.

2 Id autem comprobaretur, ſi extaret ſententia antiquiſſima ſupra centum annos ad favorem Abbatis, in qua declaretur, nullam Epiſcopum habere juriſdictionem, nullumque jus exercere poſſe in dictis locis, quæ probat etiam ſine actis, Caſſador. *deciſ. 3. num. 2. de procur.* Put. *dec. 338. lib. 2.* cum aliis in hac ſpecie coram Andrea *d. deciſ. 54. num.* 11. Sique acceſſerint tres ſententiæ conformes contra Epiſcopum, quæ tanquam reſpicientes ſtatum, faciunt jus contra omnes, Achill. *dec. 5. de ſentent. & re judic.* Seraph. *dec. 1422. num. 8.* Andr. *loc. cit. num. 3.* & firmavit in d. S. Angeli præſertim in *1. deciſ. §. 3. in 2. §. Quæ omnia.*

3 Si conſtet ex conceſſione Principis, quod juriſdictio temporalis ejuſmodi locorum pertineat ad Epiſcopum, quamvis modo adminiſtratio, & gubernium temporale ſit apud alium ex concordia, per quam Abbas ceſſit ei loca quoad gubernium temporale, reſervatis ſibi ſervitiis perſonalibus, ſive baronalibus ratione directi dominii, ac proprietatis, in quorum ſervitiorum quaſi poſſeſſione unà cum juriſdictione ſpirituali Abbas exiſtit, adeòut ſicuti dubitari non poteſt, quin Abbas utrumque dominium antea habuerit, ſic neque de retentione dominii directi propter reſervata dicta ſervitia baronalia dubitari poteſt, ad tradita per Gail. *obſervat. 62. num.* 12. *lib. 6.* Vincent. de Ann. *ſing. 560.* Capoblanc. *de Baron. pragm. 16. num. 41. & ſeqq.* Novar. *de gravam. vaſall. gravam. 78.* Et Dominus directus ratione civilis poſſeſſionis poteſt in re conceſſa omnia facere, dummodo non impediat dominium utile, ſive illius uſum, Bartol. *in leg. 2. numer. 3. Cod. de jur. emphyt.* Soccin. *conſ. 167. numer. 15. lib. 2.* ac Rota in Romana Domus 10. Maji 1638. coram Salamantino. Unde ex prædictis Abbas repræſentatur, & perſona repræſentata attenditur, *l. ſermo legato §. ſi teſtatur ff. de leg. 1.* Surd. *deciſ. 291. num. 3. & 4.* cum aliis per Adden. *ad d. deciſ. 15. num. 22. part. 3. recent.*

4 Juriſdictio verò ſpiritualis probari poterit ex literis Apoſtolicis, maximè ſi fuerint confirmatæ per tres ſententias conformes, & ex enunciativis Summorum Pontificum.

5 Dictæque poſſeſſionis quaſi poſſeſſio probari etiam poterit tùm ex teſtibus ætatis decrepitæ, vel ſenilis, tùm ex actibus, ex quibus reſultat omnimoda juriſdictio ex allegatis ſub initio. Media autem quaſi poſſeſſio præſumitur, probatis extremis, Seraph. *deciſ. 1141. numer. 3.* Rota coram Buratto *deciſ. 375. num. 3.* & pro Abbate contra Archiepiſcopum, Rota *deciſ. 643. num. 3. part. 2. recent.* & in Barchinonenſi juriſdictionis 1. Julii 1643. coram Bichio.

6 Ac itaut non obſtaret, quod aliqui Teſtes dicantur examinati abſque citatione; dummodò tamen alii formiter examinati fuerint, licèt eſſent duo, ut in terminis Rotam *deciſ. 283. num. 3. part. 7. recent.* alii verò inſerviunt pro adminiculo, ac pleniori probatione, & per Rot. *dict. deciſ. 283. numer. 4.* & apud Poſth. *de manuten. deciſ. 269. numer. 5.* Tum quia veritas depoſitionis poterit confirmari ex actibus juriſdictionis per ſcripturas, Farinac. *de teſtib. quæſt. 65. numer. 129* Rota *deciſ. 69. num. 63. part. 7. recent.* & ex dicta re judicata contra Epiſcopum.

7 Scientia ve ò Epiſcoporum præſumitur ex multiplicitate actuum cum lapſu tanti temporis, Innoc. *in cap. bonæ 2. num. 1. de poſtul. Prælat.* Seraph. *dec. 306. num. 5.* cum congeſtis in hac ſpecie a Rota coram Andrea *d. deciſ. 54. num. 15.* & in d. Conſtantienſi juriſdictionis *d. deciſ. 438. num. 12.* apud Poſth. *loc. cit.* & in d. Barchinonenſi.

8 Quod ſi dicatur, Epiſcopum aliàs viſitaſſe, ac beneficia contuliſſe, reſpondetur, quod tales actus vel non dantur, vel ſi deducant, ſunt ex teſtibus abſque citatione examinatis, ideòque illi ex hoc non probant, *cap. 2. de teſtib.* cum aliis per Rotam apud Poſth. *dec. 323. nu. 6.* neque concludunt, eoque magis ſi reddantur ſuſpecti. Quia ſi adeſſent aliqui actus, adhiberentur, Menoch. *præſumpt. 91. n. 4. lib. 2.* Peregr. *conſ. 25. n. 3. lib. 3.* Præſertim ſi contrarium deponant teſtes pro Abbate, & accedant alii, addentes, quod quando Epiſcopi, ſeu Vicarii tentarunt viſitare, fuerunt rejecti. Quod confirmari poterit ex proteſtationibus, & contradictionibus Rectorum Parochiarum ejuſmodi locorum, quamvis non relevarent, non apparente ſcientia Abbatis, qui erat in quaſi poſſeſſione, ut plenè in d. Conſtantienſi *num.* 18. apud Poſthium.

9 Neque reſpectu cognitionis cauſarum criminalium, matrimonialium, ac ſimilium locum habet diſpoſitio Sacri Concilii Tridentini pro Epiſcopis contra Abbates, *ſeſſ. 24. cap. 20. de reform.* ut in ſubjectis declarationibus. Nam illa procedit contra Abbates fundantes ſe in exemptione, conſuetudine, vel Privilegio, non autem contra Abbates habentes omnimodam juriſdictionem ordinariam, & quaſi Epiſcopalem cum proprio territorio. Hi enim dicuntur Ordinarii, ut latè firmat Rota in Salamantina juriſdictionis 9. Maji 1682. coram Seraph. & coram eodem *deciſ. 1052.* Rota *deciſ. 207. in fine par. 1. dec. 619. num. 1. part. 4. diverſ.* & coram Ubaldo *dec. 65. num. 8.* poſt Tambur. *de jur. Abbat. in recent. deciſ. 346. num. 1. part. 1.* & coram Andrea *d. dec. 54. num. 9. & ſeqq.* & in d. S. Angeli, & tradit Grat. *d. diſcept. 212.*

num. 7. cum ſeqq. ac num. 37. & 38. & hos Abbates venire appellatione Ordinarii in diſpoſitione Concilii Tridentini ex Gloſſ. *in Clem. 1. §. volumus v. Diœceſanis de for. compet.* docent Sanchez *de matrimon. lib. 3. diſp. 29. num. 16.* Gratian. *loc. cit. num. 30. & ſeqq. ac num. 37. & 38.* Rota *d. deciſ. 619. part. 4. diverſ.* Et circa dimiſſorias, & collationem ordinum firmant Gratian. *ibidem num. 21. & ſeqq.* Campanil. *in diverſ. jur. Canon. rubr. 9. cap. 8. num. 4.* Tambur. *loc. allegat. tom. 2. diſput. 2. qu. 26. num. 2. & 3.* Novar. *in lucern. regular. v. Ordo num. 6. & 11.* At de hac re vide quæ alibi diximus.

10 Addamus effata in dictum Sacri Concilii *cap. 20.*

11 Nuncius Apoſtolicus poteſt de conſenſu partium, & Ordinarii cognoſcere cauſas in prima inſtantia.

12 In Tarraconenſi. Quando legitimè appellatur a ſententia Epiſcopi, qui eam tulit, etiam tanquam Sedis Apoſtolicæ delegatus ex facultate decretorum Concilii nihil eſt derogatum authoritati Metropolitanorum *cap. licèt de offic. Ordin.*

13 In Calaguritana. Redargnuntur Metropolitani, qui non ſervata forma hujus Decreti, ſuis ſuffraganeis inhibent. Poſſunt tamen Metropolitani prædicti appellationes admittere a ſententiis ſuffraganeorum, ſervata forma Concilii, & a caſibus ab eo permiſſis.

14 In Patavina, & Aquilejenſi. Metropolitanus, quando ad eum appellatur in cauſis concernentibus exequutionem decretorum Concilii Tridentini, a cognitione earum abſtinere debet.

15 In Ulyſipponenſi. Quando per Breve capitur poſſeſſio beneficii, & aliqui volunt illam impedire, cauſa poteſt tractari in Urbe, etiam in prima inſtantia, & Auditor Camerarius eſt Judex competens.

16 Archidiaconi non ſolùm cauſas expreſſas *in d. cap. 20.* cognoſcere poſſunt, ſtante immemorabili, ſed etiam alias beneficiales, quæ tamen, dum probatur immemorabilis, cognoſcuntur ab Epiſcopo.

17 In Aprutina. Et ſi iſti Decani, aut Archidiaconi eſſent exempti, hoc Decretum procedit.

18 In Meſſanenſi. Pendente judicio inter Epiſcopum, & inferiorem Ordinarium de & ſuper cognitione cauſarum matrimonialium, criminalium, legatorum ad pios uſus, & aliorum Epiſcopo reſervatorum, de quibus in hoc Decreto, *& cap. 8. ſeſſ. 22. & cap. 5. ſeſſ. 25.* Epiſcopus debet de iis omnibus cognoſcere.

19 In Cremonenſi. Præpoſitus, etiam exemptus, non poteſt cognoſcere has cauſas matrimoniales.

20 In Neapolitana. In Eccleſia Sanctæ Crucis de Turre Græci Magiſtri poſſunt nominare illum, qui eſt ab Epiſcopo deputatus ad curam animarum, qui tamen non poteſt ab eiſdem amoveri.

21 In Ruſcoducenſi. Decani, Archidiaconi, & Abbates qui ſunt nullius Diœceſis, non obſtante hoc Decreto, cauſas hic prohibitas, cognoſcere poſſunt; ſecus ſi tantùm eſſent exempti.

22 In Cremonenſi. Decani, & alii, dignitates obtinentes, qui ex antiqua, & immemorabili conſuetudine cauſas criminales, & matrimoniales cognoſcere ſolent, adhuc poſſunt, ſicut antea. Quia Concilium non ſuſtulit immemorabilem.

23 In Burgenſi, & in Salernitana. Dum autem probatur hæc immemorabilis, cognitio prædictarum cauſarum pertinet ad Epiſcopum.

24 In Siracuſana. Quod Decani, & alii dignitates obtinentes, ac cæteri in hoc Decreto nominati, non poſſint cognoſcere cauſas matrimoniales, procedit, etiamſi eſſent exempti. Si autem iſti Decani, Archidiaconi, & alii in dicto Decreto expreſſi, haberent aliquod emolumentum in benedictione annulorum pro matrimoniis, vel aliis ſimilibus. Concilium eis nihil præjudicavit, remanente ſalva diſpoſitione *cap. 1. hujus ſeſſ. 24. de reformat. matrim.*

25 In Veronenſi. Abbas Abbatiæ habentis pleno jure ſpiritualem, & temporalem juriſdictionem, poteſt de cauſis matrimonialibus cognoſcere.

26 In Piſcienſi. Præpoſito Piſcienſi, cui demandata eſt juriſdictio, collatio, correctio, & ſuperioritas etiam quoad inſtitutionem, præſentationem, & nominationem, prout illam habebat Epiſcopus, ſunt committendæ literæ in forma dignum, & diſpenſationes matrimoniales.

CONSULTATIO LXVIII.

In tranſitu Regularium ab una ad aliam Religionem, ſive laxiorem, ſive ſtrictiorem, ut Canonice fiat, quid requiratur? Quænam actio competat ſuperioribus primæ Religionis ad revocandum ſuum ſubditum, illegitimè translatum? Ubi ad id Decretum Sacræ Congregationis ſuper Epiſcopis, & Regularibus, Sacræ Congregationis Concilii, & Conſtitutiones Summorum Pontificum.

DE hac re plura diximus in alio loco, pluraque di- 1
cunt Doctores, nominatim Fagnan. *in cap. ad Apoſtolicam de Regular.* paſſimque alibi. Nunc ſtrictim aſſerimus: ut tranſitus hujuſmodi ſit validus ad Religionem laxiorem non ſolùm requiritur licentia Superioris Ordinis, in quo Regularis eſt profeſſus, per textum *in can. ſtatuimus quæſt. 3. can. Monachum 20. quæſt. 4. cap. licet de Regular.* ubi Jo: Andr. Oſtien. Cardin. aliique relati a Rota *deciſ. 109. num. 4. part. 2. recent.* Gloſ. *in cap. intelleximus in fin. de ætat. & qualit.* ibique Butr. *num. 8.* & Abb. *numer.* , ſed etiam Sedis Apoſtolicæ, ut ex ſubjecto Sacræ Congregationis Decreto. In tranſitu verò ad regulam ſtrictiorem, adhuc eſt neceſſaria petitio licentiæ Superioris per *d. cap. licet*, Gloſ. *in cap. cum ſingula §. ult. de præbend. in 6.* ubi Gemin. ac cæteri Canoniſtæ, D. Thom. 2. 2. *qu. ult. art. 8.* ac Rota in Romana fideicommiſſi de Vecchis 20. Februarii, & 20. Martii 1604. coram Litta.

Attenta præcipuè Conſtitutione Beati Pii V. revocante quæcumque Privilegia recipiendi ad ſtrictiores regulas præter formam juris, & mandante reſtitui ſic receptos ſuis Monaſteriis. Quæ Conſtitutio eſt conformis juri communi, ex cujus diſpoſitione competit actio Superiori ad recuperandum ſuos Monachos profeſſos, per text. *in cap. Joannes*, ibique Abb. *num. 2. de Regular.* Idque vel rei vindicatione, vel conditione ex canone, vel officio Judicis, ut per Innocent. *in dict. cap. licet num. 4.* ibique Butr. *num. 48.* & Abb. *num. 15.* idemque Abb. *in dict. cap. Intelleximus num. 2.* 2

Quinimmò Superiori contra ſuum Monachum datur manutentio, conſtito de ejus antiquiori profeſſione, Abb. *in cap. ſuborta num. 2.* ibique Butr. *num. 7.* & Cardin. *in 1. oppoſ. de re judic.* idem Abb. *in cap. quendam in 3. notab. de elect.* ac Roman. *conſ. 341. num. 3.* Unde ſuperiori Regulari non ſolùm concedenda eſt manutentio, ſed etiam pro illius exequutione, quatenus opus fuerit, licentia implorandi auxilium brachii ſæcularis. 3

Decretum autem Sacræ Congregationis eſt tenoris ſequentis: *Sacra Congregatio Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium negotiis, & conſultationibus Epiſcoporum, & Regularium præpoſita, attentis narratis, & re maturè diſcuſſa, cenſuit, non licuiſſe, neque licere Præpoſito Generali Congregationis Clericorum Regularium Sancti Pauli, etiam quacumque extante cauſa, vel ſub prætextu aſſertorum Privilegiorum hujuſmodi facultatem tranſeundi ad laxiorem ſuis ſubditis impartiri, ac proinde Oratorem, omneſque alios in ea Congregatione profeſſos, qui abſque expreſſa Sedis Apoſtolicæ licentia ad hujuſmodi Ordines ſe tranſtulerint, ad primævam Religionem, atque habitum Congregationis præfatæ revocandos, prout revocari mandavit, novamque profeſſionem in iis emiſſam nullam, & invalidam declaravit. Generalibus verò Congregationis ejuſdem, & aliorum quorumcunque Ordinum, ac Superioribus reſpectivè mandavit, ut in poſterum a dimiſſione, aut receptione ſimilium omninò abſtineant ſub pœna privationis officii, & vocis activæ, & paſſivæ, aliiſque contra receptores Apoſtatarum emanatis, eiſdemque affici voluit profeſſos, qui contra hujuſmodi formam Decreti ad præfatas Religiones ſe transferre præſumpſerint, quibuſcumque non obſtantibus. Datum hac die 20. Januarii 1651.* 4

Et generaliter loquendo, profeſſus in una Religione 5
non poteſt tranſire ad aliam Religionem, niſi ad arctiorem zelo Sanctitatis vitæ, venia a ſuis Superioribus petita, etiam non obtenta, *d. cap. licèt de Regul.* ibique Canoniſtæ, Sanchez *in decalog. lib. 6. cap. 7. quæſt. 2.* & 7. Layman. *lib. 4. de ſtat. Relig. cap. 6. num. 9.* Tranſire autem ad æquè arctam, vel laxiorem nemo poteſt, niſi obtenta licentia a Summo Pontifice, & a proprio Prælato cum juſta cauſa, Abb. *in cap. non eſt num. 5.* & *in cap. ſignificatum numer. 9. de Regular.* Leſſ. *de juſtit.* & *jur. lib. 2. cap. 41. num. 103.* Sanchez *ibidem numer. 59.* Layman. *loc. cit.*

Ex Decreto Sacræ Congregationis Concilii, quod ha- 6
betur in Bullario inter Conſtitutiones Urbani Octavi *numero 26. §. 3.* ſtatutum eſt, ut nullus permittatur ad arctio-

arctiorem tranſire, niſi prius legitimè conſtet Superiori illam Religionem paratam eſſe eum recipere, & tunc recta via transferatur ad arctiorem, aliter Superior præſumens facere, incurrit eo ipſo pœnam privationis vocis activæ, & paſſivæ, & inhabilitatem ad talia, & reſervatur diſpenſatio Papæ privativè, etiam ad Generalem, & Cardinalem Protectorem.

7 Si quis tranſeat ad arctiorem, venia non petita, vel ex temeritate, aut levitate, ira, odio, aut contemptu, aliave inordinata paſſione, profeſſio in ſecunda, ſcilicèt arctiori, erit nulla, Innoc. *in d. cap. licèt*, ibique Abb. *numer. 3.* Roſell. *v. Religio 4. num. 6.* Sanchez, & Layman. *locis allegat.*

8 Religioſi verò tranſeuntes ad aliam Religionem ſine licentia competenti, ſecundùm aliquorum ſententiam incurrunt in excommunicationem, & cenſuras, ac pœnas latas contra Apoſtatas a Religione, ſive ob depoſitionem habitus, ita tenuit Navarr. *in man. cap. 27. numer. 131.* cum Sylveſtro, & Cajetano. Sed contraria eſt verior. Quia neque eſt Apoſtata, cùm diſcedat ſolùm ab hoc inſtituto, non autem a Religione abſolutè, neque deponit habitum cum periculo evagationis, ut *cap. 2. ne Cleric. vel Monach. in 6.* Atque ita Angel. *v. Religioſus num. 37.* Gemin. & Jo: Andr. *in d. cap. 2.* Abb. *in cap. ſanè de regul.* Leſſ. *lib. 2. cap. 41. num. 102. per cap. ex parte de temp. ordin.*

9 Religioſi autem mendicantes non poſſunt tranſire ad aliam Religionem non Mendicantium ſine licentia Sedis Apoſtolicæ, excepto ordine Carthuſianorum, aliàs profeſſio eſt nulla, & tàm tranſeuntes, quàm recipientes incurrunt excommunicationem Papæ reſervatam *in Extravag. 1. de Regular.*

10 Hæc tamen prohibitio, ac pœna intelligitur de tranſitu ſine juſta cauſa. Si enim adſit cauſa legitima, poſſunt adhuc ſuperiores ipſi dare ſuis licentiam tranſeundi, Navar. *conſ. 56. de Regular.* Leſſ. *ibidem cap. 41. num. 104. lib. 2.* Sanchez *d. cap. 7. num. 68.* & Layman. *cap. 6. num. 9.* Et quamvis in dicta Extravag. dicatur, neque majorem Pœnitentiarium poſſe talem licentiam indulgere; hodie tamen ex novis facultatibus eam concedere poteſt.

11 Religioſi, verò, ſcilicet profeſſi Mendicantium Ordinum, ſi tranſeant ad non Mendicantes, etiam obtenta licentia a Sede Apoſtolica, non poſſunt habere vocem in Capitulo, neque adminiſtrationes, neque Curam, ſive regimen animarum, neque officia quæcunque, ſive ut propria, ſive ut Vicario nomine, ſeu vices aliorum gerendo, & in contrarium acta irrita ſunt, non obſtante quocunque Privilegio, *d. Clem. 1. de Regul.*

12 Quod amplia, ut hic nomen officii latè accipiatur. Unde continet non ſolùm officia cum Superioritate, ſed etiam alia, quæ ſunt cum honore, non cum ſolo onere, ut Sacriſtæ, Camerarii, Æconomi, Concionatoris, Lectoris Theologiæ, ut per Gloſ. *in d. Clem. v. officia*, ibique Ancharani *num. 5.* Lap. *num. 7.* Vitalin. *num. 74.* Leſſ. *dict. cap. 41. numer. 105.* Sanchez *ibidem num. 127. & ſeqq.*

13 Amplia item, ut dicta Clementina procedat etiam de Mendicantibus poſt illam inſtitutis, & approbatis, & non ſolùm ex quatuor Ordinibus Mendicantium, de quibus *cap. Religionum, §. ſanè de relig. domib. in 6.* ſed etiam de aliis quibuſcunque, ſive ſint mendicantes ex regula, ſive ex Conſtitutionibus, ut per Azor. *tom. 1. lib. 12. cap. 14. quæſt. 12.* Bartol. de Vecch. *de admit. novit. diſp. 15. dub. 5. num. 14.* Et procedit etiam de iis, qui ex Privilegio Tridentini Concilii poſſunt habere bona in communi, Sanchez *eo loco num. 15.*

14 Quod ſanè limitandum eſt, ut non procedat de tranſeuntibus ad Carthuſianos ex juris communis diſpoſitione, Bart. de Vecch. *ibid. num. 14.*

15 Limitandum etiam, ut non procedat, quando a Pontifice conferretur Religioſo Mendicanti Prælatura, ut Abbatia in Religione aliqua non mendicanti. Quia tunc haberet vocem in Capitulo. Gloſſ. *in d. Clem. v. inibi*, Archid. *num. 10. quæſt. 1.* Vitalin. *num. 61.* Cardin. *num. 5.* & Sanchez *ibidem num. 122.*

16 Religioſi autem Mendicantes, ſi prætextu licentiæ veræ, vel falſæ tranſeundi ad aliam non mendicantium, vagentur extra Religionem, ſive cum habitu, ſive ſine habitu ſi moniti intra quindecim dies non redeant ad ſuam Religionem, ſunt excommunicati, & ut Notorii Apoſtatæ denunciandi ex *d. Extrav. 1. de Regul.*

17 Ex Bulla verò Pauli III. Julii III. & Sixti V. fratres Franciſcani de Obſervantia tranſeuntes ad Cappucinos, & Cappucini illos recipientes ſine licentia Papæ, aut Provincialis incurrunt excommunicationem, & inhabilitatem ad officia, Bonac. *de cenſ. in partic. diſp. 2. quæſt. 8. punct. 3. num. 2.*

18 Et ex Bulla unionis Leonis X. de qua Sorb. *v. Conventuales fratres in addit. num. 2.* prohibitum eſt ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ, ne Fratres Reformati Sancti Franciſci tranſeant ad Conventuales, vel recedant ab obedientia ſuorum Miniſtrorum, & ne Conventuales audeant recipere Reformatos, niſi cum licentia Capituli Provincialis ob juſtam cauſam.

19 In Bulla Urbani VIII. quæ incipit: *Injunctus nobis* anno 1628. die 9. Auguſti ſtatutum eſt, ut Religioſi Cappucini non poſſint tranſire ad laxiorem ſine ſpeciali licentia Sedis Apoſtolicæ in ſcriptis. Ad Carthuſianos autem, vel alium Ordinem, ſcilicèt non laxiorem, requiritur licentia Miniſtri Generalis in ſcriptis, aliàs tranſeuntes incurrant pœnam excommunicationis, & privationis vocis activæ, & paſſivæ, & apoſtaſiæ, ac infamiæ ipſo facto. Sed loquitur contra præſumentes tranſire contra hanc formam; unde excuſat ignorantia non affectata.

20 Fratres verò Minimi ſi recipiant Fratres Minores de Obſervantia ſine licentia Papæ, incurrunt excommunicationem non reſervatam ex Bulla Julii II. Vivald. in *candel. v. Excommunicatio nulli reſervata.*

21 Religioſi Carmelitæ ad Carthuſianos ſine licentia ſui Superioris tranſeuntes incurrunt excommunicationem ipſo facto ex Bulla Beati Pii V. & hoc Privilegium competit per communicationem aliis quibuſdam Religionibus, Sanchez *d. lib. 6. cap. 7. num. 20.*

22 Religioſi quicunque exceptis Carthuſianis, recipientes aliquem Religioſum Societatis Jeſu ſine licentia Papæ, vel Præpoſiti Generalis, & ipſi tranſeuntes, & dantes eis auxilium, incurrunt excommunicationem ex Bulla Beati Pii V. ut per Suarez *de cenſur. diſput. 22. ſect. 5. num. 21.* & Sanchez *loc. cit.*

23 Ex Bulla Urbani VIII. data ſub anno 1635. die 21. Maji, & edita anno 1636. die 20. Decembris ſtatutum eſt, ut Regulares quicunque, qui ex ſuo Inſtituto votum habent, ſive juramentum annexum de non procuranda, vel acceptanda extra ſuam Religionem, dignitate, aut ſuperioritate, tranſeuntes ad aliam Religionem, etiam cum licentia Papæ, aut a Religione ſua dimiſſi, vel ejecti, remaneant adſtricti voto, ſive juramento prædicto.

24 Circa quam Conſtitutionem notandum eſt, quod quamvis Doctores, qui ante illam ſcripſerunt, communiter dixerint, vota ſupradicta de non procuranda, vel acceptanda dignitate, & alia ſimilia Religioſæ profeſſioni annexa, ex intentione voventis cenſeri acceſſoria illi profeſſioni, & per translationem ad aliam Religionem ſive ſecundam profeſſionem, vel per expulſionem, vel dimiſſionem extingui eo ipſo, ut Sanch. *d. cap. 7. num. 87. & cap. 9. num. 56.* Suarez *tom. 2. de relig. lib. 3. de vot. cap. 3. num. 7.* Vega *in ſumm. tom. 2. cap. 86. caſ. 16.* tamen hodie per hanc Conſtitutionem eſt inducta præſumptio juris, ac de jure, quod dicta vota cenſeantur principaliter ob cultum Dei, & abſolutè emiſſa, & non reſtricta ad præſentem ſtatum illius Religionis in ſpecie, aliàs autem in cauſas, ut bonum Religionis illius &c. præſumi impulſivas, ſive ſecundarias, & cum conditionem, ſine qua non, & conſonat *cap. ex parte 2. de converſ. conjug. & cap. magna de vot.* in quibus juribus apparet jus Canonicum ſemper præſumere vota ob aliquam cauſam extrinſecam emiſſa, eſſe emiſſa principaliter ob Cultum Dei, & ideò non ceſſare, ceſſante dicta cauſa extrinſeca, de qua re vide Sanchez *in decalog. libr. 4. cap. 2. num. 48.* & Canoniſtas in dictis *cap. ex parte, & c. magna.*

25 Hoc autem votum per ſe loquendo non eſt Papæ reſervatum, cùm non ſit votum ſolemne, neque votum Religionis. Quare poteſt Prælatus ex cauſa juſta diſpenſare de jure communi, Leſſ. *lib. 2. cap. 40. numer. 74.* Sanchez *dict. lib. 4. cap. 24. num. 30.* Si tamen agatur in ordine ad promotionem illius apud Sedem Apoſtolicam, ad Papam tantùm pertinet diſpenſare, ſeu relaxare, ad quem pertinet tunc cognitio cauſæ, an expediat promoveri.

CONSULTATIO LXIX.

An, & quatenus domus Mulierum oblatarum ſub Regula, exempli gratia Sancti Benedicti, quæ tria vota ſimplicia in manibus ſuperioris regularis emittunt, ſubque ejus in regimine vivunt, ſubjecta ſit Regularibus, an potius Epiſcopo? Ubi actus viſitationis, quando non ſit habendus in conſideratione? Exemptio quomodo ſit docenda? Ut mulieres ſint religioſæ regulares, quid requiratur? Quid, ut ſint Tertiariæ? De mulieribus collegialiter viventibus? Ut quis Religioni incorporetur, poſſitque dici religioſus, ac verè regularis, quid exigatur? Quid de promiſſione obedientiæ ab ejuſmodi mulieribus facta Abbati Generali? Quænam præſtatio obedientiæ faciat regularem, & Monachum? De voto ſimplici obedientiæ, ejuſque effectu. Epiſcopus ſuper juriſdictione quoad omnes Eccleſias, loca pia, & perſonas Eccleſiaſticas ſuæ Diœceſis, quam juris aſſiſtentiam habeat? Religio in quo conſiſtat? Quænam veræ Moniales? Quænam perſonæ Eccleſiaſticæ? Qui habet juriſdictionem in principali, illam, quoque habet in dependentibus, & acceſſoriis. Ex quibus probetur, domum aliquam mulierum viventium in communi, eſſe ſubjectam Epiſcopo? Ex actibus particularibus juriſdictionis infertur ad univerſales. Cura ſpiritualis in Monialibus an ſit propriè juriſdictio? Quiſnam teneatur probare Privilegium? Ex quibus actibus inferatur juriſdictio? Qui vocentur ſuperiores? Quæ pertineant ad ſolam poteſtatem, & curam ſpiritualem? In materia exemptionis fieri debet ſtricta interpretatio. Ex diverſitate nominis arguitur diverſitas Ordinis. Tertiariæ, etiam exemptæ, ſubjiciuntur Epiſcopo. Poteſt exemptioni renunciari. Factum aliquorum nequit omnibus præjudicare. Actus, qui dederunt cauſam liti, an ſint attendendi? Stante aſſiſtentia juris, relevatur quis ab onere probandi exercitium ſuæ juriſdictionis. Actus viſitationis continui, etiam facti, lite pendente, cujus ſint virtutis? Ex omiſſione actus facultativi non poteſt prætendi quaſi poſſeſſio contra viſitationem Ordinarii. Adverſus viſitationem an detur præſcriptio, aut immemorabilis? Quatenus ſubditus dici poſſit conſtitutus in quaſi poſſeſſione exemptionis?

1 NUllam juriſdictionem competere Superiori regulari ſuper hac mulierum oblatarum domo, tenendum omninò exiſtimo. Nam, quoad quaſi poſſeſſionem ſi de nullo alio actu doceatur, niſi de viſitatione, cùm hic actus ſit ille, qui dedit cauſam liti, non eſt habendus in conſideratione, ut per Cald. *conſ.* 13. *de jurepatr.* Afflict. *deciſ.* 395. *num.* 7. ac coram Gregorio *deciſ.* 4. *num.* 1. ibique Auden. & *deciſ.* 409. *num.* 4. *par.* 2. *recent.* Ne ad effectum quidem manutentionis, Rota *deciſ.* 30. *num.* 2. *part.* 2. *recent.* Eoque magis, quia nullus inferior poteſt acquirere aliquam quaſi poſſeſſionem juriſdictionis in præjudicium Ordinarii, ſine illius ſcientia, & patientia, Bartol. *in leg. fin. num.* 4. *ff uti poſſidet.* Rot. *deciſ.* 595. *num.* 5. *part.* 1. *div.* & *deciſ.* 501. *numer.* 4. *part.* 2. *recent.* & in Calaguritana Lenager. 20. Martii 1615. coram Ubaldo, atque alibi ſæpè. Præcipuè ſi in viſitatione emiſſa fuerint decreta aliqua circa gubernium temporale commune cum Monaſterio Monialium, cujus juriſdictio ſpectat ad Epiſcopum. Unde non poterant ſuperiores Regulares in hæc ſe ingerere, quia etiam ſuper his ratione communionis ſpectabat juriſdictio ad Epiſcopum ut digniorem, ex adductis a Gratian. *diſcept.* 641. ſignatè *num.* 16.

2 Quod verò ad jus, & fundamentum prætenſæ juriſdictionis, fruſtra illud deducitur, ſi deducatur ab exemptione, qua prætenditur gaudere dicta domus, vel tanquam membrum, vel aliud quidpiam acceſſorium Religioni Benedictinæ, quod eadem Privilegio exemptionis potiatur, cùm de hujuſmodi exemptione non doceatur, nec per ſpeciale, & expreſſum aliquod exemptionis Privilegium, neque per tententiam, ut de jure requiritur per text. *in cap. ſi Papa de privil. in 6.* ubi Gloſſ. & Doctores, neque de ſufficienti etiam unione, & incorporatione Ordini Benedictino.

3 Nam mulieres dictæ domus non ſunt Religioſæ regulares, ac veluti moniales dicti Ordinis, neque etiam ſunt Tertiariæ ejuſdem Ordinis, ſed particularis quædam ſpecies cum particulari modo vivendi, approbato a Sede Apoſtolica.

4 Non ſunt quidem Religioſæ regulares, quia non emittunt ſolemni profeſſione tria vota ſubſtantialia Religionis, ſine quibus mulier dici non poteſt religioſa, nec monialis per textum *in cap. ad Apoſtolicam de regul.* & tradunt Sylveſter *v. Religio* 3. *numer.* 18. Navarr. *conſ.* 6. *num.* 10. & 22. *de ſtat. Monach.* Leſſ. *de juſtit.* & *jur. lib.* 2. *cap.* 41. *dub.* 1. *num.* 3. Suarez *tom.* 3. *de Relig. lib.* 2. *cap.* 2. *num.* 3. *ac* 10. & *lib.* 6. *cap.* 2. Azor. *inſtit. moral. part.* 1. *lib.* 11. *cap.* 23. Bellam. *tom.* 2. *tit. de Monach. cap.* 2. ſub initio, Sanchez *in decalog. lib.* 5. *cap.* 1. *num.* 14. & *ſeqq.* Monachus enim nemo fit ſine profeſſione *ex cap.* 1. *de regul. in* 6. *cap. ex parte, eodem titul.* Gloſſ. *in cap. conceptum v. profeſſio eodem etiam titul.* Suarez *loc. cit. lib.* 6. *cap.* 1. *num.* 2. & *cap.* 2. *num.* 12. Sanchez *d. cap.* 1. *num.* 22.

Ac etiam quia non obligantur ad ſervandam regulam 5
Benedictinam, neque cœremonias illius Religionis cum intentione faciendi ſe moniales, ut requiritur ex Navar. *conſ.* 49. *num.* 3. *de regular.* & Rodriquez *tom.* 3. *quæſt. regul.* 21. *art.* 1. Minuique tanquam Moniales, obligantur ad clauſuram juxta *cap. periculoſo de ſtat. Regular. in* 6. ac diſpoſitionem Sacri Concilii Tridentini *ſeſſ.* 25. *de regular. capit.* 5. & Conſtitutionem Octavam Beati Pii Quinti.

Neque ſunt Tertiariæ, non ſolùm quia Pontifex in 6
confirmationem earum Conſtitutionum eas non appellat Tertiarias, ſed generali nomine ubique vocat mulieres, a qua denominatione deſumit argumentum in caſu oblatarum Turris Speculorum de Urbe Navar. *conſ.* 6. *numero* 14. *de ſtat. Monach.* Ex diverſitate autem nominis arguitur etiam diverſitas Ordinis, *leg. ſi idem, Cod. de Codicil.* Mandel. Alb. *conſ.* 750. *num.* 18. & *ſeqq.* Seraph. *deciſ.* 528. *num.* 1. & 1137. *num.* 3. Sed etiam quia habent proprias Conſtitutiones diverſas a Conſtitutionibus jam editis ab antiquo pro Tertiariis Ordinis Benedictini, quibus ſtandum; ſi enim hæ mulieres eſſent Tertiariæ, ſecundùm illas vivere deberent, & ſuperfluum fuiſſet novas, ac diverſas Conſtitutiones particulares, & ad beneplacitum pro hac domo edi, & approbari per Sedem Apoſtolicam. Quo argumento ſimiliter utitur Navar. *d. conſ.* 6. *num.* 17.

Sed demus tandem, quod aliquo modo dici poſſint 7
Tertiariæ, attamen vel eſſent ſub juriſdictione ipſius Ordinarii, vel ſaltem, quatenus eſſent exemptæ non poſſent dici ſubjectæ Regularibus. Nam ab exemptione ab Ordinario non infertur ad ſubjectionem Regularibus, ceſſante incorporatione Ordini Regularium. Exemptio enim non tribuit alteri juriſdictionem, ſed ſolùm operatur, quod exemptus ſit immediatè ſubjectus Sedi Apoſtolicæ, ac Ordinario, tanquam ejuſdem Sedis Delegato ex diſpoſitione Sacri Concilii Tridentini, & ex adductis a Rota *deciſ.* 207. *numero primo, part. ſeconda, diverſ.*

Remanet igitur tertia quædam ſpecies particularis 8
mulierum collegialiter viventium juxta proprias Conſtitutiones. Et licèt ſub una Prioriſſa vivant, unum Oratorium, unum Refectorium, unumque veſtiendi modum habeant, cujus generis dicuntur eſſe multæ domus in Germania, & Hiſpania a Navarro *dict. conſ.* 6. *numero* 18. non tamen inde ſequitur, quod emittant Religioſam profeſſionem, & Ordini Regulari incorporatæ cenſeantur, ut per text. *in cap. Indemnitatibus § penult. de elect. in* 6. & *Clem.* 1. *in fin. de relig. domib.* ubi Cardin. *quæſt.* 12. & tradit Navarr. eodem *conſil.* 6. *numero* 9. *ac* 18. & Suarez *tom.* 3. *de relig. libr.* 2. *capit.* 2. *numero* 17.

Etenim, ut quis Religioni incorporatus ſit, poſſitque 9
dici Religioſus, ac verè regularis, non ſufficit emiſiſſe vota Religioſa ſecundùm aliquem modum vivendi, quantumvis approbatum a Sede Apoſtolica, ſed requiritur, quod profeſſio fiat, & vota emittantur in Religione approbata pro Religione per text. *in cap. un. de vot. in* 6. *cap.* 1. *de regular. eod. lib.* Gloſ. *in Clem.* 1. *in princip. v. obedientia de relig. domib.* Abb. *in rub. de regular. num.* 1. Navarr. *in com.* 1. *de regular. num.* 19. & *conſ.* 35. *num.* 1. *de regular.* & *d. conſ.* 6. *num.* 11. *de Statut. Monach.* Azor. *part.* 1. *lib.* 12. *cap.* 6. *quæſt.* 2. Suarez *dict. tom.* 3. *lib.* 6. *cap.* 2. *num.* 31. & *cap.* 3. *num.* 31. & Sanchez *d. lib.* 5. *cap.* 1. *num.* 19. ac nos alibi.

Nec obſtat, quod hæ mulieres in emiſſione ſuorum 10
votorum juxta proprias Conſtitutiones promittant obedientiam Superiori Benedictino. Ex hac enim promiſſione obedientiæ in manibus Superioris volentis incorporare Religioni, incorporatio ſequitur, atque adeò ſubjectio Regularibus, & exemptio a juriſdictione Ordinarii.

Nam reſpondetur primò, quod etiamſi in manibus 11
Superioris, volentis recipere, & aggregare Religioni, emitterentur vota omnia ſubſtantialia Religionis, hoc tamen non ſufficeret, niſi promiſſa eſſet obedientia Monachalis, ut per Innocent. *in capit. conſuluit qui Cleric. vel Monach.* Calder. *conſ. fin. de regular.* Felin. *in capit. præſertim num.* 4. *de probat.* Rodriquez *tom.* 3. *quæſt. regular.* 21. *art.* 1.

Non

12 Non enim omnis præſtatio obedientiæ facit regularem, & Monachum, ſed debet eſſe obedientia Monaſtica ſecundùm regulam illam illius Religionis cum intentione certa, & determinata promittendi obedientiam Monaſticam cum omni renunciatione ſuæ voluntati, ac ſubmiſſione voluntati Superioris, ut per Innoc. *in d. c. conſuluit in fin.* ac Rodriqu. *d. quæſt. 2. art. 1.* Et in caſu Oblatarum d. Turris ſpeculorum, tradit Navarr. *in alleg. conſ. 6. num. 16. & 20.* ac Suarez *d. lib. 6. cap. 2. num. 6.* Recipere enim aliquem ad præſtationem votorum, ad profeſſionem non eſt propriè actus juriſdictionis, ſed ſolùm cujuſdam Superioritatis, ut per Franch. *in cap. 3. numer. 7. de regul. in 6.* Sanchez *in decalog. lib. 5. cap. 4. num. 78.* & Bartholom. de Vecch. *in prax. admit. novit. diſp. 12. dub. 1. num. 2. 5. & 14.*

13 Ideoque non obſtat, quod Abbas Ordinis aliquando in dictis Conſtitutionibus appelletur Superior harum mulierum. Quia ii quoque vocantur Superiores, quibus debetur dumtaxat ſimplex reverentia, & obedientia ſine ulla tamen juriſdictione, Suarez *de relig. tom. 3. lib. 10. cap. 1. num. 21. & cap. 3. num. 4. & 5. & cap. 4. num. 2. & 5.*

14 Cùm igitur hæ mulieres non promittant obedientiam Monaſticam ſecundùm regulam Benedictinam, ſed vota ſecundùm proprias Conſtitutiones, conſequitur, quod obedientiam, quam præſtant, nullo modo poteſt importare monachiſmum, neque ſubjectionem Regularibus, neque ſui traditionem.

15 Deinde reſpondetur quod hæ mulieres promittunt obedientiam limitatè juxta proprias Conſtitutiones, non autem abſolutè ſecundùm regulam Benedictinam, ut modo diximus, & propterea illarum votum obedientiæ continetur intra terminos earumdem Conſtitutionum, ut per Surd. *d. tom. 3. lib. 10. cap. 3. num. 11.* & Navarr. *d. conſ. 6. num. 2.* in quibus Conſtitutionibus cùm nullum ſit verbum de ſubjectione Superioribus Regularibus, non eſt poſſibile, quod vovendo ſuum proprium modum vivendi adſtringantur ad aliquid præter ſuam intentionem. Votum enim eſt promiſſio non obligans præter intentionem voventis, Sylveſt. *v. Religio 3. qu. 12.* Leſſ. *de juſtit. & jur. lib. 2. cap. 40. dub. 1. num. 19.* ac Tolet. *in ſum. lib. 4. cap. 17. num. 19.*

16 Poſtremò reſpondetur; quod eſt impoſſibile has mulieres tranſiſſe in jus, & poteſtatem, ac ſubjectionem Regularium per dictum votum obedientiæ in manibus ipſorum. Quia hujuſmodi votum eſt votum ſimplex, utpotè emiſſum extra Religionem, Navar. *in d. tom. 1. de regular. num. 19.* Suarez *d. tom. 3. lib. 10. cap. 1. num. 23. & cap. 2. num. 2.* Nam votum ſolemne conſiſtit in emiſſione, & profeſſione trium votorum ſubſtantialium in Religione *ex d. cap. unic. de vot. in 6.* Azor. *par. 1. lib. 12. cap. 6. qu. 2. & qu. 6.* Per votum autem ſolemne, conſtans ex tribus ſubſtantialibus, & non per vota ſimplicia quis transfertur in jus, ac poteſtatem Superiorum, idque ratione ſolemnis, ac publicæ traditionis, qua quis ſe tradit Religioni, ac ſe ſubmittit poteſtati coactivæ, & dominativæ ſuperiorum, ut per Sylveſt. *d. v. Religio 6. qu. 6.* Suarez *d. cap. 2. num. 13.* Azor. *d. cap. 6. qu. 6.* Sanchez *d. lib. 5. c. 1. num. 2. & lib. 6. c. 2. n. item 2.*

17 Si ergo hæ mulieres non faciunt profeſſionem religioſam cum emiſſione votorum ſubſtantialium in Religione approbata, ſequitur, quod non faciunt votum ſolemne obedientiæ, atque adeò ceſſat traditio in jus, & poteſtatem Superiorum Religionis, ut fusè per Suarez *d. lib. 6. cap. 2. num. 4 & ſeqq.* Ceſſante autem traditione, & incorporatione Religioni ceſſat poteſtas illa gubernativa, & dominativa apud Superiorem, quæ reſultat a voluntate profitentium in Religione, ceſſat quoque poteſtas Clavium propriæ juriſdictionis, data a Chriſto Papæ, & Epiſcopis; quæ eſt diſtincta a ſupradicta alia poteſtate, ut ſcitè ait Suarez *d. tom. 3. lib. 2. cap. 16. num. 5. & ſeqq.* Unde cùm Patres Benedictini illam non habeant ex Conſtitutionibus dictæ domus, de jure illis non competit.

18 Quare neceſſariò dicendùm eſt, quod ex dicta præſtatione obedientiæ in manibus Regularium nihil aliud illis tribuatur, ac promittatur, niſi quod ex propriis Conſtitutionibus expreſsè conceſſum eſt. Idque voluiſſe Summum Pontificem intelligere, dum in dictis Conſtitutionibus expreſſit caſus quoſdam particulares, in quibus hæ mulieres ſubeſſe deberent Regularibus, nempe quando agitur de diſpenſatione jejuniorum, ac ſimilium, & quando agitur de ejicienda aliqua, quæ eſſet incorrigibilis. Quæ expreſſio caſuum particularium aliàs eſſet ſupervacanea, ſi Pontifex intendiſſet illas omninò ſubeſſe debere juriſdictioni Regularium. Unde ex illis inferri non poteſt ad juriſdictionem omnimodam, quia conceſſio juriſdictionis reſtricta ad certos actus, illos non egreditur. Immò inclusio, & expreſſio unius facultatis omnes alias excludit *l. Cùm Prætor in fin. ff. de jud. l. ult. Cod. de pact. convent. l. Maritus C. de proc.* Gratian. *diſcept. 554. num. 23.* Maximè cùm agatur de præjudicio Ordinarii, cujus reſpectu, etiamſi adeſſet exemptio, deberet in ea fieri ſtricta interpretatio, ut per Oſtienſ. *in cap. cùm Capella num. 1. & 2. de privil.* Rota *part. 1. diverſ. deciſ. 744. in fin. & part. 2. deciſ. 55. num. 1.* cum aliis per Cochier. *de juriſd. Ordin. in exempt. par. 1. qu. 2. num. 7. & par. 4. n. pariter 7. & ſeqq.* Cened. *qu. can. 26. num. 8.* Lotter. *de re benef. lib. 1. qu. 23. num. 4.* & conceſſa quoad unum, non extenditur quoad alia: Immò etiam in ea excluſio unius eſt alterius excluſio, Soccin. *in d. cap. cùm Capella num. 6. & 7.* ac Rota *d. deciſ. 744. num. 3. par. 1. div.*

19 Præſertim verò ſi etiam in his caſibus particularibus Pontifex conceſſerit talem facultatem non abſolutè, ſed ſimul cum Superioriſſa, innuens, quod non principaliter propter Regulares hanc dederit facultatem, ſed potius propter ipſam Superioriſſam. Nam actus hujuſmodi, tanquam actus juriſdictionis, non poſſunt abſolutè exerceri per fœminam ratione ſexus, qui eſt incapax juriſdictionis Eccleſiaſticæ per D. Thom. *in 4. diſt. 25. qu. 2. art. 2. quæſt. 1. ad 2.* Gloſ. *in cap. Dilecta de major. & obedient.* Innocent. *in cap. tua de pœnit. & remiſſ.* Sylveſt. *v. Abbatiſſa*, Rodriq. *tom. 1. quæſt. 15. art. 1.* Suarez *d. tom. 3. lib. 10. cap. 11.* & Sanchez *in decal. d. lib. 6. cap. 1. num. 17.*

20 Ex quibus apertè concluſum eſſe videtur, quod hæ mulieres non ſubſunt juriſdictioni Regularium, quo ceſſante fruſtrà contenditur, illas eſſe exemptas, de qua exemptione, quatenus etiam conſtaret, nihil referret, ſi ipſæmet mulieres profiteantur, quod nolint hac uti exemptione, ſed ſubeſſe velint Ordinario, cùm exemptioni renunciare poſſint, cùm nihil inde præjudicii reſultet, niſi ipſis renunciantibus, Caſtr. in *l. pactum num. 4. ff. de pact.* Angel. in *§. Idem juris numer. 41. Inſtit. de except.* Feder. de Sen. *conſ. 14. num. 5.* Felin. *in cap. Cùm omnes n. 8. de Conſtit.* Cochier. *de juriſd. Epiſcop. in exempt. part. 3. quæſt. 11. in princip. & quæſt. 34.* Serap. *dec. 547. num. 7.* ac Rota in Mediolanenſi decurſus aquarum 10. Martii 1581. coram Clemente VIII. Quandoquidem, & ſi eſſent ſubjectæ Sedi Apoſtolicæ, poſſent profectò quoad ſe ipſas, & in ſuum præjudicium renunciare exemptioni juxta notata per Innocentium, Abbatem, & Felinum *in cap. Cùm olim de præſcript.* & per eundem Abbatem, *in cap. 1. num. 19. de ſentent. & re judic.* cum aliis per Cochier. *in d. tract. de juriſdict. Ordin. in exemp. part. 2. quæſt. 7. num. 6.* & quatenus per exemptionem eſſent ſubjectæ Regularibus, poſſent nihilominus prorogare juriſdictionem Epiſcopi. Quia hoc pacto fieret redditus ad jus commune, quod eſt favorabile, ut latè per eundem Cochier. *dict. quæſt. 7. num. 22. & ſeqq.* ac Lotter. *loc. citat. lib. 1. quæſt. 24. num. 233.* Præcipuè ſi in Conſtitutionibus a Sede Apoſtolica confirmatis nulla fiat mentio exemptionis ab Ordinario. Quod tamen fuiſſet neceſſariò exprimendum. Nam aliàs hujuſmodi Privilegium non præſumitur conceſſum aſſerenti, fuiſſe conceſſum, incumbit onus probandi, ut per Doctores in *dict. cap. cùm perſonæ*, ibique Barboſ. *in collect. numer. 2.* qui plures etiam deciſiones Sacræ Rotæ adducit *de privil. in 6.*

22 Nec obſtat ſi pro Epiſcopo non oſtendatur actus juriſdictionis. Quia vel ſtante aſſiſtentia juris Epiſcopus relevatur ab onere probandi exercitium ſuæ juriſdictionis, præcipuè ſi neque etiam ipſi Regulares ſint in aliqua quaſi poſſeſſione ſaltem legitima, ut ex communi concluſione per text. *in d. c. Cùm perſonæ de privil. in 6.* teſtatur Mareſcotus, plures allegans *lib. 1. var. reſol. cap. 11. num. 1. & 3.* Rota *deciſ. 332. num. 1. part. 1. recent.* & in Sulmonenſi juriſdictionis 4. Decembris 1615. coram Buratto, & in Theatina Juriſdictionis 14. Martii 1615. coram Ubaldo; Vel ſufficeret unicus actus propter cauſam univerſalem ex ſuperiùs allegatis.

22 Præſertim autem ſi adducantur actus viſitationis ab Epiſcopo factæ continuativi priorum actuum, etiamſi eſſent facti, lite pendente, Gloſs. *in cap. non ſolùm de appell. in 6. & in Clem. 2. ut lit. pend.* cum aliis per Lanceſt. *de attent. lit. pend. lim. 1. num. 21. & ſeqq.*

23 Nec refert, ſi antea non viſitaverit. Nam ex omiſſione talis actus facultativi prætendi non poteſt quaſi poſſeſſio contra viſitationem Ordinarii ex congeſtis a Rota *deciſ. 562. numer. 10.* coram Gregorio, ubi Add. *lit. C.*

24 Maximè quia nulla datur præſcriptio, ne quidem immemorabilis, adverſus viſitationem *cap. cùm ex officio*, ibique Gloſ. & Doctores *de præſcript.* Bellet. *diſq. Cler. tit. de Cleric. debit. part. 1. §. 12. num. 13.* & diſponitur in Sacro Concilio Tridentino *ſeſſ. 7. de reform. cap. 21.*

& cap. 8. ac ſeſſ. 24. cap. 3. & 9. & teſtatur Rota *dict. dec. 744. num. 1. part. 1. diverſ.*

25 Ita quidem, ut ſubditus dici non poſſit conſtitutus in quaſi poſſeſſione exemptionis, ex eo ſolùm, quod non appareat Epiſcopum in eum non exercuiſſe juriſdictionem, niſi probetur eveniſſe caſum, illam exercendi. Et Epiſcopum fuiſſe repulſum, & repulſioni acquieviſſe, vel aliàs habuiſſe ſe pro ſpoliato, ut ex Innocentio, Oſtienſi, Joanne Andrea, Butrio, Boic, & Verallo, firmat Rota *deciſ. 491. num. 8. & 10. part. 1. recent.* cum aliis per Barboſ. *in d. cap. cum perſonæ num. 14. de priv. in 6.*

26 His omnibus accedit, quod Epiſcopus ſuper juriſdictione quoad omnia loca, omneſque Eccleſias, & cunctas perſonas Eccleſiaſticas in tota ſua Diœceſi exiſtentes, habet aſſiſtentiam juris, itaut illæ dicantur ei ſubeſſe privativè quoad omnes, niſi adſit, & oſtendatur exemptio, ſive aliquod aliud Privilegium in contrarium, a Sede Apoſtolica conceſſum, ut expreſsè cavetur, non ſolùm in jure communi in *cap. Conſtitutus cùm ſeqq. de relig. domib. in cap. cum Epiſcopus de offic. Ordin. in 6. in d. cap. cùm perſonæ in fine de privil. eodem, in can. omnes Baſilicæ 16. quæſt. 6.* & aſſerit Rota *dec. 306. lib. 1.* coram Verallo, Azor. *inſtit. moral. part. 1. lib. 12. cap. 19. quæſt. 19.* Cochier. *loc. cit. lib. 1. quæſt. 4. num. 6. & quæſt. 16. num. 2. & ſeqq. & lib. 2. quæſt. 6. num. 5. & quæſt. 8. n. 2. & 6. & quæſt. 45. num. 150. & lib. 4. quæſt. 88. num. 10.* Sed etiam in Sacro Concilio Tridentino *ſeſſ. 7. cap. 8. de reform. & ſeſſ. 21. cap. pariter 8. de reform.* & tradit Rota *deciſ. 501. num. 1. part. 2. recent.* & in Nucerina Juriſdictionis prima Maji 1627. coram Pirovano, cujuſcumque ſtatus exiſtant, ſive ſæcularis, ſive regularis, ut ex allegatis a Lotter. *de re benef. lib. 1. quæſt. 21. numero 4. & 5.*

27 Hæc autem diſpoſitio tàm juris communis, quàm Sacri Concilii Tridentini tantò magis locum habere debet in his mulieribus. Tùm ex eo, quod tanquam non emittentes tria vota ſubſtantialia Religionis nequeunt dici propriè, ac verè Religioſæ. Quia ſine dictis tribus votis non poteſt Religio conſiſtere, nec aliquæ poſſunt verè Moniales appellari, juxta communem Theologorum, & Canoniſtarum ſententiam, ut per D. Thomam 2. 2. *qu. 186. artic. 6. & 7.* Navarr. *lib. 3. tit. de Regul. conſ. 13. num. 3. & conſ. 23. num. 6. & conſ. 81. num. 22.* Sylveſt. *v. Religio 1. num. 8.* Zecch. *de Repub Eccleſ. tit. de Regul. cap. 1. num. 3.* Leſſ. *de juſtit. & jur. lib. 2. cap. 41. num. 4. cum binis ſeqq. & num. 15.* Azor. *loc. cit. lib. 12. cap. 6. quæſt. 9.* ſed ſolùm dici poſſunt perſonæ Eccleſiaſticæ, & quæ non poſſunt contrahere matrimonium, ut per Zecch. *loc. cit.*

28 Idque præſertim, ſi hæc domus ſit annexa alicui Monaſterio Monialium: illique ſit acceſſoria tàm reſpectu regiminis temporalis, & ſpiritualis, quàm reſpectu ingreſſus in earum habitationes, ac tituli, ſive invocationis Eccleſiæ. Ex hoc enim negari non poteſt, quin dicta domus dicatur acceſſorium, & tanquam membrum, & de pertinentiis Monaſterii Monialium, ad notata per Rebuff. *in l. verbum illud pertinere 181. col. 3. in princ. ff. de verbor. ſignif.* & Gratian. *diſcept. 164. num. 21.* Quin etiam inter dictas Moniales, & has mulieres adſit manifeſta communicatio ad text. *in l. prædiis 89. §. balnea, ff. de leg. 3. l. Cætera 43. §. hoc Senatuſconſulto 2. ff. de leg. 1. l. planè 34. cod. tit.* cum aliis per Gratian. *diſcept. 526. num. 5.*

29 Unde ſequitur, quod ſicut dictum Monaſterium, dictæque Moniales ſubjiciuntur ſoli Epiſcopo, non autem Regularibus, ita etiam dici debeat de his mulieribus. Qui enim habet juriſdictionem in principale, illam quoque habet in dependentibus, & acceſſoriis, Felin. *in c. ſuper his numer. 20. de reſcript.* Marſil. *ſingul. 211. prope med. & conſ. 84. num. 18.* Mandel. Alb. *conſ. 322. num. 25.* Lotter. *loc. cit. lib. 1. quæſt. 20. num. 27.*

30 Ac præſertim ſi Epiſcopus intervenerit fundationi dictæ domus, eamque ſuſceperit ſub ſua protectione, inſpectione, ac viſitatione, & requiſitus fuerit pro licentiis introducendi Sacerdotes ad celebrandum Miſſam in Sacello dictæ domus, & pro adhibendis Confeſſariis dictarum mulierum, eaſque ad habitum admiſerit. Hæc clarè, oſtendunt, hanc domum eſſe ſubjectam Epiſcopo, non autem Regularibus. Nam aliàs ſi fuiſſet ſubjecta Regularibus, præfatæ licentiæ, præſertim ingrediendi dictam domum, erant petendæ, & concedendæ ab ipſis Regularibus, non ab Epiſcopo, qui illas concedere poteſt, vel authoritate ordinaria in Monaſteriis ſibi ſubjectis, vel authoritate delegata in ſubjectis Summo Pontifici, ut per Bonac. *de clauſur. quæſt. 4. punct. 2. num. 2.* cum aliis per Barboſ. *de offic. & poteſt. Epiſcop. part. 3. allegat. 102. num. 38. 40. & 41. & in collect. ad cap. un. num. 22. & ſeqq. de ſtatut. regular. in 6.* & regulariter petitio, & conceſſio licentiæ oſtendit, quiſnam ſit verus poſſeſſor & Dominus, cùm illa ſit ab iis petenda, & ad eos ſpectat illius conceſſio, ut per Jac. de Aren. *in l. litera num. 1. ff. ne quid in loc. publ.* Surd. *conſil. 482. num. 3.* ac Rota in Rheatina Barchæ 23. Januarii 1617. coram Buratto.

Ex quibus actibus particularibus juriſdictionis infertur 31
ad juriſdictionem univerſalem, in qua fundantur hujuſmodi actus. Quia in his juribus univerſalibus, & in hac potiſſimum materia juriſdictionis, magis attenditur cauſa actuum quàm ipſorum actuum exercitium, ut per Bald. *in repet. lib. 1. num. 22. Cod. de emancip. liber.* Felin. *in cap. conditis num. 29. de præſcript.* ac Rota *deciſ. 320. num. 6.* coram Mantica, *& deciſ. 1047. numero 1. & 2.* coram Seraphino, & *dec. 557. num. 2.* coram Gregorio, ibique Adden. *numer. 6.* & in Tuſculana Sylvarum 6. Julii 1616. coram Veroſpio, *& deciſ. 139. numero 12. part. 2. diverſ. & deciſ. 491. numero 3. part. 1. recent.*

Denique etiamſi concedatur Regularibus cura ſpiri- 32
tualis harum mulierum, nulla eis competit juriſdictio. Quia cura ſpiritualis non eſt propriè juriſdictio, immò ab ea plurimum differt, ut patet ex traditis per Butr. *in cap. cùm ab Eccleſiarum num. 23. de offic. ordin.* Lotter. *ibidem lib. 1. quæſt. 5. numero 37. & quæſt. 20. numero 20. & ſeqq.*

CONSULTATIO LXX.

An, & quatenus in Eccleſia Parochiali, unita Monaſterio Abbatiæ Regularis, requiratur concurſus? An ſufficiat nominatio Abbatis Commendatarii, examen verò, & approbatio dumtaxat Epiſcopi? Ex quibus ſignis, & argumentis probetur, Abbatiam eſſe nullius, atque effectam territorium ſeparatum a Diœceſi Epiſcopi? Gravis ad id, & accurata præ cæteris Sacræ Rotæ Romanæ deciſio, quæ integrè adducitur. Quatuor dubia cum declarationibus Sacræ Congregationis Concilii de locis Abbatiæ, poſitis inter limites Diœceſis Epiſcopi?

EXplorati hodie juris eſt, non requiri concurſum, ſed 1
ſolùm examen, & approbatio Epiſcopi, ſi tamen extiterit Summi Pontificis indultum hiſce, aut ſimilibus verbis expreſſum: *Nec non eidem Abbati Commendatario, ejuſque ſucceſſoribus Monaſterii hujuſmodi Abbatibus &c. juriſdictionem Eccleſiaſticam in Monaſterio præfato, ac in bona, & perſonas, & Eccleſias per nos, ut præfertur exemptas privativè quoad Epiſcopum &c. & quamvis alium loci Ordinarium, itaut Epiſcopus, & Ordinarius hujuſmodi, ne quidem tanquam Sedis Apoſtolicæ delegatus, & vigore Decretorum Concilii ullam omninò juriſdictionem, ſive actum juriſdictionis in Monaſteria, & bona, perſonas, & Eccleſias prædictas quacumque de cauſa exercere, ſeu prætendere poſſit, tenore præſentium concedimus, & impertimur, &c.*

Horum enim vigore dubitari non poteſt, Monaſte- 2
rium, Eccleſias, & perſonas eidem ſubjectas, eſſe ſeparatas a Diœceſi Epiſcopi, & ſubjectas Abbati Commendatario, atque effecta Territorium ſeparatum ipſius loco Epiſcopi, ut cum aliis tradit Gratian. *diſcept. 212. n. 7.* & in ſpecie hujuſmodi indulti, & Eccleſiæ Parochialis Monaſterio ſubjectæ firmavit Rota in nullius, ſive Sancti Severini Parochialis 12. Januarii 1660. *§. moti ex Indulto coram Bevilaqua.*

Quare vel nullo opus eſt concurſu, quia in Eccleſia 3
regulari annexa, & unita Monaſterio, ceſſat diſpoſitio Sacri Concilii Tridentini *cap. 18. ſeſſ. 24. de reform.* ſufficitque nominatio Abbatis, & examen, atque approbatio dumtaxat Epiſcopi, ut docent Barboſ. *in collect. ad dictum Concilii locum num. 7.* Garz. *de benef. part. 9. cap. 2. numer. 197. & ſeq.* ubi refert ejuſdem Sacri Concilii Congregationis declarationem, ac Rota in Ferrarienſi Parochialis 8. Novembris 1596. coram Cordùba, & pluries firmavit Rota ex cumulatis in d. Nullius §. *Quibus quoque accedit coram Bevilaqua.*

Præterea cum poteſtas Epiſcopi faciendi concurſum, 4
pendeat a diſpoſitione Sacri Concilii *loc. cit.* ceſſat omnis difficultas, attenta clara diſpoſitione Indulti Summi Pontificis per quam ablata fuit ab Epiſcopo omnis juriſdictio tàm ordinaria, quàm delegata, & translata in Abbatem Commendatarium, ut declaravit Sacra Congregatio ejuſdem Concilii in cauſa Caſtri Durantis ultima Aprilis 1611. Ideòque licèt Epiſcopus habeat intentionem fundatam in omnibus beneficiis intra limites ſuæ Diœceſis ex ſola juris aſſiſtentia ad effectum manutentionis in materia concurſus, fallit id tamen quando in contrarium exhibetur titulus Indulti Summi Pontificis,

tificis, ad quem pertinet loca dividere, & aſſignare Diœceſes, ad tradita per Abbatem *in cap. cùm contingat* num. 18. *de for. compet.* cum aliis per Buratt. *deciſ.* 912. *num.* 1.

5 Unde licèt Monaſterium cum ſuis membris, & Eccleſiis unitis fuerint de Diœceſi Epiſcopi, cùm tamen ſint modò ab ea ſubtracta, & effecta proprium, ac ſeparatum territorium Abbatis cum propria, & ſeparata Diœceſi, adeò ut Abbas habeat jura quaſi Epiſcopalia, & veniat appellatione Diœceſani, cenſetur derogatum omni juri, ac juriſdictioni Epiſcopi tàm ordinariæ, quàm delegatæ vigore Sacri Concilii Tridentini, ut planè firmat Rota in citata *dec. Nullius*, *cod. §. moti*, & *§. ſeqq.*

6 Cumque dignitati Monaſterii Abbatialis exempti cum territorio ſeparato, & propria Diœceſi ſit perpetuò annexa Eccleſia Parochialis, non eſt neceſſarius concurſus, Grat. *diſcept.* 273. *num.* 48. Caſtropal. *oper. mor. tom.* 2. *tract.* 13. *diſp.* 3. *punct.* 2. §. 5. *num.* 6. cùm aliis allegatis a Barboſa *de offic. & poteſt. Epiſcop. alleg.* 60. *numer.* 24. & *ſeqq.*

7 Vel omninò repellendus eſt Epiſcopus ex jure indulti. Quia cùm Eccleſia fuerit per illud a juriſdictione, ac Diœceſi Epiſcopi ſubtracta, & ſeparata, necnon ſubjecta Abbati Commendatario, ipſi, tanquam proprio Epiſcopo competit illius proviſio, & concurſus ex traditis a Maſſobr. *in prax. hab. concurſ. req.* 2. *num.* 4. Tambur. *de jur. Abb. tom.* 3. *diſp.* 9. *quæſt.* 1. *num.* 2. Rota *deciſ.* 308. *part.* 1. & *deciſ.* 43. *num.* 4. *part.* 6. *rec.* & in his terminis firmavit Rota in d. Nullius §. *Ideò cum Dominus Cardinalis Commendatarius*.

8 Idipſum autem dicendum eſt, ſi conſtiterit de unione, vel ſubjectione Eccleſiæ Parochialis Abbatiæ, ſive regulari Monaſterio. Et licèt non exhibeatur inſtrumentum unionis, probari tamen ea poterit per ſigna, & argumenta, Eccleſiam eſſe ſubjectam, aut unitam Monaſterio, vel de ejus Menſa, juxta ea, quæ tradit Rota *deciſ.* 102. *num.* 1. *part.* 3. *rec.* Seraph. *deciſ.* 1304. *numer.* 4. & *deciſ.* 153. *num.* 1. *part.* 2. *rec.* cum aliis *in deciſ.* 625. coram Merlino.

9 Quia non ſolùm in hoc caſu cura dicitur translata in Abbatiam, ſive Monaſterium, cui facta eſt unio, ad quod pertinet; propterea nominatio, & præſentatio Rectoris, reſervata dumtaxat Epiſcopo approbatione, ſive examine, ut firmavit Rota *dec.* 419. *num.* 3. coram Cavaler, & in Pampilonenſi juris nominandi 11. Junii 1647. §. *nec refert* coram Peutingerio.

10 Sed etiam quia ex unione hujuſmodi Parochialis Monaſterio regulari, illa fuit effecta regularis, & ejuſdem naturæ Monaſterii, cui facta fuit unio, atque adeò eodem plane modo de illa eſt judicandum, ac de ipſo Monaſterio, cujus eſt membrum ad Text. *in cap. recolentes §. Cæterùm de ſtat. Monach.* traditque Caſtropal. *tom.* 2. *tract.* 10. *diſp.* 6. *punct.* 2. §. 1. *num.* 11. Ideòque non eſt neceſſarius concurſus, cùm diſpoſitio Sacri Concilii *d. cap.* 18. *ſeſſ.* 24. non habeat locum in beneficiis regularibus, ſive in titulum conferantur, ſive in commendam, ut ſæpiùs declaravit Sacra Congregatio Concilii, latè tradit Fagnan. *in cap. cùm ſit ars num.* 37. *ac ſeq. de ætat. & qualitat. & in cap. cùm ad noſtram num.* 23. *de elect.*

11 Quando igitur Eccleſia Parochialis eſt Monaſterio regulari ſubjecta, vel annexa, vel de menſa, tunc non eſt locus concurſui, ſed Abbas nominat, & nominatus debet approbari ab Epiſcopo, prævio tantùm privato examine ſine concurſu, juxta Conſtitutionem 46. Beati Pii V. §. *volumus*, & deciſiones Sacræ Rotæ in d. Nullius §. *Quibus quoque accedit*.

12 Signa autem, & conjecturæ ad hunc effectum eruuntur ex publicis Inſtrumentis donationis, vel erectionis Eccleſiæ Parochialis ad favorem Monaſterii, quæ plurimum conferunt ad probandam unionem, ut ponderavit Rota *in d. deciſ.* 625. *n.* 4. Ex compluribus enunciativis antiquis, ex privilegiis Apoſtolicis, ut per Seraph. *deciſ.* 886. *num.* 1. & *deciſ.* 724. *num.* 3. *part.* 2. *recent.* cum aliis in *deciſ.* 95. *num.* 1. coram Merlin. Ex deſcriptione hujuſmodi Eccleſiæ in antiquiſſimo libro ejuſdem Monaſterii inter alias eidem ſubjectas, ex continuatis ſolutionibus factis per illius Rectorem ad favorem Abbatis in recognitionem dominii ad tradita per Panorm. *in cap. bonæ num.* 15. *de appell.* cum aliis in *deciſ.* 505. *num.* 1. coram Pegna. Quæ omnia, licèt per ſe ſola forſan non ſufficerent, ſimul tamen juncta exuberant ad probandum, quod Eccleſia ſit de menſa Monaſterii, & ad illud pertineat, ut Judicio ſuo ponderavit Rota *in deciſ.* 204. *num.* 4. *part.* 2. *recent.* Ex altaribus, ſive Capellis de jurepatronatus laicorum, quorum præſentati, fuerunt inſtituti ab Abbatibus cum expreſſa mentione, quod Eccleſia eſt membrum unitum Monaſterio. Jus enim inſtituendi ad altaria alicujus Eccleſiæ denotat pertinentiam ejuſdem Eccleſiæ ad inſtituentem, præſertim quando inſtitutiones ſunt antiquæ, & factæ cum expreſſa mentione talis pertinentiæ, ut per Rotam coram Merlino *deciſ.* 625. *num.* 2. & 3.

Nec obſtat, unionem non probari ex donationibus, 13
ſi eæ fuerint extractæ ex Archivio Monaſterii, cujus ſcripturæ probant ſolùm inter perſonas ſubjectas, non autem contra tertium. Non reſpondetur, quod cùm agatur de compluribus Inſtrumentis, & antiquiſſimis, quamvis extracta ſint ex Archivio privato, admodum tamen benè relevant, ut tradit Oſaſch. *deciſ.* 69. *num.* 6. ac Rota *deciſ.* 264. *num.* 39. coram Merlino.

Et ita quidem, ut non adverſetur una, vel altera 14
proviſio per concurſum Eccleſiæ Parochialis facta ab Epiſcopo, & approbata forſitan ab Abbate Commendatario.

Nam omiſſo, quod tanquam unica non relevat, ſub- 15
jacet decreto irritanti præfati Indulti Apoſtolici, quod inficit quamcumque diſpoſitionem in contrarium *cap. ſi eo tempore de elect. in* 6. Achil. *deciſ.* 385. cum vulgò aliis, reſpondetur quod attento ſtatu regulari præcedenti, hujuſmodi proviſio fuit nulla ex eo, quod neque Epiſcopus, neque Abbas Commendatarius mutare potuerant defectu poteſtatis ſtatum regularem prædictæ Eccleſiæ in ſtatum ſæcularem ad Text. *in cap. cùm de beneficio de præb. in* 6. ubi Doctores communiter ac Rota *deciſ.* 664. *num.* 10. & *ſeqq.* coram Pegna, & *deciſ.* 636. *num.* 9. coram Buratto cum aliis in *deciſ.* 160. *num.* 2. coram Merlino & in d. Nullius §. *fin.* Neque Commendatarius approbatione ſua potuit præjudicare Monaſterio, ut per Vitalin. *in Clement.* 1. *num.* 97. *de offic. Vicar.* & Rotam coram Seraphino *deciſion.* 1278. *numer.* 3.

Denique non obſtat, quod in Monaſterio amplius 16
Monachi non reſideant. Nam ex hoc ceſſavit quidem ſolùm regularitas actualis, non autem habitualis, quæ ſufficit ad hunc effectum, ut in *d. deciſ. Nullius §. non relevat*, quæ hujuſmodi eſt.

Nullius, ſive S. Severini Parochialis
Lunæ 12. Januarii 1660. coram Bevilaqua.

Sequuta vacatione Parochialis Eccleſiæ S. Mariæ Ca- 17
ſtri Perrini, Eminentiſſimus D. Cardinalis Antonius Barberinus Commendatarius Monaſteriorum S. Mariæ de Rambona, ac Sanctorum Laurentii de Doliolo, & Euſtachii, invicem unitorum, ad eam, uti ad dicta Monaſteria, ſibi commendata, ſpectantem, ex cauſa unionis, & ſubjectionis nominavit Antonium Fabarium, Ordinarius verò Sancti Severini, prævio concurſu, approbavit Horatium Doantium. Hinc orta inter Collatores, & Proviſos controverſia, & ad Rotam devoluta, propoſui dubium, an conſtaret de bono jure D. Cardinalis Commendatarii, & conſtare Domini reſponderunt.

Moti ex indulto Apoſtolico de anno 1641. eidem D. Carninali, & in commendam ſucceſſoribus per ſanctæ memoriæ Urbani VIII. conceſſo, in quo prævia narrativa, & confirmatione exemptionis eiſdem Monaſteriis, perſonis, bonis, & Eccleſiis a ſe de anno 1632. ac per ejus prædeceſſores Cœleſtinum, & Honorium Tertium tributæ a quacumque Ordinarii loci juriſdictione, ac exemptione, lite poſthæc excitata per Reveſendiſſimum S. Severini Epiſcopum, prætendentem ſe, niſi ordinaria, delegata tamen authoritate a Sacro Concilio Tridentino in *ſeſſ.* 7. *cap.* 8. *ſeſſ.* 14. *cap.* 4. & *ſeſſ.* 24. *cap.* 11. *de reform.* poſſe Monaſteria quæcumque exempta viſitare, motu proprio, & ex certa ſcientia eidem Domino Cardinali Abbati, & perpetuis Commendatariis juriſdictionem Eccleſiaſticam in Monaſteriis prædictis, ac in bona, perſonas, Eccleſias, cenſum eis ſolventes, privativè quoad Epiſcopum S. Severini, & quamvis alium loci Ordinarium etiam, uti Sedis Apoſtolicæ delegatum, vigore decretorum Concilii, itaut nullam omninò juriſdictionem, ſive actum juriſdictionis in Monaſteria, & bona, perſonas, & Eccleſias prædictas quacumque de cauſa unquam exercere, ſive prætendere poſſit, conceſſit, & impertitus fuit.

Ex cujus indulti contentu Domini aſſequebantur 18
Monaſteria, & loca exempta cum ſuis membris & Eccleſiis, licèt ex natura, & originaliter eſſent de Diœceſi Epiſcopatus S. Severini, per illud tamen fuerunt ab eo ſubtracta, & translata in Abbatem Commendatarium, & effecta territorium ſeparatum, & appellatur propria Diœceſis ipſius, habentis ibidem jura Epiſcopalia, & venit appellatione Epiſcopi, ac Diœceſani *cap. ſi quis deinceps* 16. *quæſt.* 7. *cap. ſi Papa de privil. in* 6.

Gloſſ.

Gloss. *Clem. 1. verb. volumus de for. comp. & in Clem. Monasteriorum v. proprii post med. de reb. Eccles. non alien.* Felin. *in cap. Cùm olim 18. in princip. vers. secundò limita de rescript.* Franch. *in cap. 2. sub num. 5.* ubi Prob. ad Monach. *num. 48. de præb.* Sarn. *ad regul. de annal. quæst. 21. num. 4.* Gavant. *in prax. Episcop. v. Abbas num. 52.* plenè Gratian. *discept. for. cap. 222. num. 7. & per tot.* Modern. Carp. *controv. 219. num. 71. & 72.* Rota *in recent. decis. 324. num. 1. par. 1. & decis. 45. num. 4. part. 5. decis. 100. num. 3. post 1. vol. conf. Farinac.* coram Andrea *decis. 54. num 5.* apud Tambur. *de jur. Abb. decis. 52. numer. 2. part. 3. & decis. 69. numer. 7.* in Cassinen. jurisdictionis 27. Martii 1651. coram Bichio, in Astorcien. sive nullius jurisdictionis 19. Junii 1654. coram Rev. Dom. meo Decano, *§. Nihilominus*, & in Cavensi Collationis Ordinum 26. dicti mensis, & anni coram R. P. D. meo Verospio *§. non tamen*, & in nullius, seu Montis Virginis Jurisdictionis 12. Junii 1656. *§. unde proposito* coram bon. memor. Dunozetto.

19 Ideò cùm dictus Dominus Cardinalis Commendatarius, nitatur speciali privilegio, habeat separatum Territorium, & in eo, tanquam Episcopus se gerat, per hoc derogatum est juri ex canonum dispositione, Ordinario competenti, ut non ipsi, sed illi competat Ecclesiæ provisio *cap. 2. & fin. 16. quæst. 4.* Paris. *conf. 35. num. 8. lib. 4.* Gratian. *d. cap. 242. num. 44. & 45.* Barbos. *de jur. univ. Eccles. lib. 1. cap. 17. num. 102.* Massobr. *in prax. hab. concurs. requis. 2. num. 4.* Tambur. *de jur. Abbat. tom. 3. disp. 9. quæst. 1. num. 2.* Flores de Mena *var. resol. lib. 1. quæst. 24. num. 21.* Rota *decis. 798. num. 1. part. 4. divers. & decis. 308. num. 4. part. 1. & decis. 45. num. 14. part. 6. recent.*

20 Nec vilum fuit subsistere, quod dictum privilegium, & indultum sit restrictum ad monasteria B. M. de Rambona, & SS. Laurentii, & Eustachii, & non extendatur ad Parochialem hanc. Nam comprehensio apertè colligitur ex ipsis literis Apostolicis, ubi eximuntur ex Ordinarii jurisdictione bona, personæ, & Ecclesiæ, Monasteriis census solventes, ibi super prædictis Monasteriis, eorumque bonis, & Ecclesiis censum solventibus &c. de solutione facta a Rectoribus pro tempore ipsius Ecclesiæ Abbatibus, & Monachis Monasteriorum apparet ex pluribus uniformibus, & multiplicatis partitis ab ann. 1574. usque ad annum 1657. extractis ex libris Monasteriorum, in Archivio repertis, specificè, excepta una, loquentibus de censu ab hac Ecclesia, eisdem Monasteriis debito. Quæ quidem partitæ cùm sint plures, & adminiculatæ, signanter ex onere conjuncto Rectoribus in Instrumentis institutionum de annis 1313. 1362. hujusmodi census singulis annis præstandi, & recognitione manus unius ex illis concludentissimè probationem constituunt, Gloss. *in cap. ad audientiam 13. vers. censuales de præscript.* Felin. *in cap. 2. num. 2. de fid. instrum.* Bald. *in leg. fin. num. 9. Cod. si sine censu*, Rota coram Achil. de Grass. *decis. 5. de fide instrum.* Coccin. *decis. 258. num. 6.* & apud bon. mem. Merlin. *decis. 264. num. 40. & 41.* & indicant subjectionem, & annexionem Ecclesiæ Monasteriis, sicque in indulto exemptionis esse comprehensam *cap. 2. in fin. & cap. cùm olim 19.* ubi Abb. *num. 3. de censib.* Paris. *conf. 22. num. 2. lib. 4.* Roman. *consil. 127. col. 1.* Barbat. *conf. 8. num. 19. & 20.* Rota *decis. 204. num. 5. part. 2. & decis. 343. num. 9. part. 4. tom. 2. recent.*

21 Quod eò magis Domini admittendum censebant, quia ultra hujusmodi exemptionis privilegium, extat probatum per publica Instrumenta usque de anno 1292. Ecclesiam istam fuisse de Ordinarii licentia constructam, & dotatam ab Abbate, & Monachis Sancti Laurentii de Doliolo, quapropter magis cogebantur credere solutiones censuum subsequentes fuisse pro dicta Ecclesia principaliter factas, ratione præcedentis tituli fundationis, & in vim illius, ad notata *in l. 1. C. de acquir. poss.* Et quemadmodum Monasteria sunt regularia, ita & Ecclesia ipsis accessoriè unita, & membrum illius effecta regularis quoque reputatur *cap. 1. de Capell. in 6.* Gonzal. *ad regul. 8. Cancell. gloss. 8. num. 30. & 31.* Rota coram san. mem. Gregorio XV. *dec. 370. num. 3.* Pegna *dec. 443. num. 2.* Duran. *dec. 144. n. 3. & in rec. decis. 153. num. 2. part. 2.* Nihil enim est, quin etiam Regulares possint habere beneficia, quæ sæcularibus conferantur in titulum perpetui beneficii, Abb. *in cap. de monachis num. 9. ad fin. de præbend.* Felin. *in cap. in nostra num. 44. vers. septimò nota in fin. de rescript.* Lotter. *de re benef. lib. 1. quæst. 34. numer. 8.* Rota *decis. 5. 8. num. 2. part. 1. recent.* & in montis Casinensis Parochialis 7. Februarii 1648. coram bonæ memoriæ Bichio, *§. Quia licet.*

22 Non relevat, quod in Monasteriis amplius Monachi non resideant. Quia non inde sequitur extincta fuisse conferendi potestatem, sed solùm cessavit regularitas actualis, non autem habitualis, quæ sufficit, *cap. Cùm dilectus de consuet.* & in terminis respondit Rota *in decis. 587. & 588. part. 4. divers.* Pegna *d. decis. 443. num. 5. & decis. 223. num. 7. part. 2. recent.*

Quibus quoque accedit longissimi temporis observan- 23
tia, deducta ex pluribus deputationibus Rectorum per Abbates, in dictis Monasteriis pro tempore residentes, factis cum obligatione solvendi recognitionem ipsis Collatoribus, ac effectum sortitis per obitum, resignationem, vel permutationem provisorum juxta vulgatum consilium Oldradi 229. passim a Rota approbatum, ut coram Cardinali Seraphin. *decis. 337. num. 1.* san. memor. Gregorio XV. *decis. 215. num. 1.* & ibi Add. *num. 8.* juncta alia provisione anno 1527. a bon. mem. Cardinali de Monte tunc Commendatario in personam Raphaelis Dominici, ut in *sum. num. 9.* Unde patens videbatur bonum jus Eminentissimi moderni Commendatarii, cui reservatum fuit jus præsentandi, ut antea Abbatibus regularibus competebat absque alia indictione concursus requisiti ex dispositione Sacri Concilii Tridentini *in sess. 24. cap. 18. de reform.* Quia quando Parochialis est Monasterio subjecta, aut annexa, vel de mensa, itaut cura apud illud resideat, tunc non est locus Concilii decreto, sed sufficit approbatio Episcopi post nominationem Rectoribus ab Abbate factam, juxta Constitutionem Pii V. in antiquo Bullario 46. *§. volumus*, & post Text. *in cap. 1. de appell. Monach. in c. de Monach. de præb.* traduut Gonzal. *ad regul. 8. Cancell. q. 5. §. 7. num. 13.* Garz. *de benef. part. 9. cap. 22. num. 197.* qui ita censuisse Sacram Congregationem ejusdem Concilii, referunt Castrop. *oper. moral. tom. 2. tract. 13. disp. 13. §. 1. num. 11. & 12.* Barbos. *de potest. Episcop. alleg. 58 num. 53.* Rota *in rec. decis. 202. num. 1. p. 1. decis. 153. num. 1. & dec. 223. num. 6. & 8. part. 2.* coram Buratto *decis. 214. sub num. 1.* & ibi Abb. *lit. A. & decis. 123. num. 10.* Merlino *decis. 115. num. 1. & 2.*

Neque refert, quod de anno 1601. Episcopus Sancti 24
Severini, prævia licentia Sacrorum Rituum Congregat. Ecclesiam istam de Parochiali in Plebaniam erexerit, sæcularibus conferendam. Quia præterquamquod tollitur eadem responsione, quod non sit prohibitum Regularibus habere collationem beneficiorum sæcularium, potuit id agere authoritate delegata, & sic actus esse æquivocos, & posse ad illam referri ad effectum, ut in illis vis fieri non valeat, Tambur. *de jure Abbat. tom. 1. disp. 11. quæst. 19. num. 26. & seqq.* Rota *decis. 447. numer. 4. part. 1. recent.* & in nullius, sive Montis Virginis jurisdictionis 12. Junii 1656. *§. minusque obstant*, coram bon. mem. Dunozetto, Add. ad Buratt. *decis. 572. num. 17. & 18.*

Et cessat omnis difficultas, cùm erectio emanaverit 25
ante literas Urbani, ex quarum forma pro exemptione Ecclesiæ ab Ordinarii jurisdictione, & substantia collationis Eminentissimi Commendatarii sat esse videtur justificari actualis census solutio, non exhibita illius origine, nec rigidè discusso, ad quem verè collatio pertinebat, ad tradita per Rotam coram bon. mem. Merlino *decis. 1311. num. 4.* repetita in *rec. decis. 576.* eodem *num. 4. part. 4. tom. 2.*

Postremò, non potest Episcopo suffragari ultimus sta- 26
tus, elicitus ex deputatione Concionatorum, visitationibus, & provisionibus de annis 1621. 1630. Quia cùm de legitimo statu anterioris regularitatis liquidò constet, ultimus non attenditur, nec sufficiens est ad illum manutenendum in alterius præjudicium *cap. si Judex laicus, §. Idem esse vers. & status præsens de sentent. excommunic. in 6.* Dec. *consil. 126. num. 4.* Rota *decis. 2. numer. 2. de præbend. in 6.* & apud Merlin. *decis. 689. num. 9. in recent. decision. 188. num. 1. & decis. 229. numer. 3. & 4. part. 4.* Add. ad Gregor. *decis. 77. numer. 12. in fine*, & in Lucana Cappellaniæ 1. Julii 1650. coram bon. mem. Bichio *vers. Itaut nec relevet*, & in specie, quod non sint attendendæ provisiones Ordinariorum ad effectum mutandi statum beneficii, ex quo ad id potestate carent, notatur *in cap. cùm de beneficio de præbend. in 6.* Felin. *in capit. In nostra num. 4. de rescript.* Rota *decis. 163. num. 4. part. 1. recent.* Merlin. *decision. 88. in fine*, & multò minus in præsenti, dum Indultum Apostolicum, in quo decernitur exemptio, habet clausulam *sublata*, & decreti irritantis, per quam inficitur quævis contraria observantia, & possessio, Franch. *in dict. capit. cùm de beneficio numer. 4. de præbend. in 6.* Rota coram Coccino *decisione quinquagesimaprima numer. 51. & decisione 142. num. 4. part. 2. recent.*

Ex quibus fuit resolutum, constare de bono jure Emi- 27
nen-

neriſſimi Commendatarii utraque Parte informante. Atque ita S. Rota.

28 Dubia verò hæc ſunt. Intra fines Spoletanæ Diœceſis extant quædam loca ſtatus Abbatiæ Ferentilli, ad quæ accedere volens, per dictam Abbatiam tranſire cogitur, quorum Eccleſias Epiſcopus Spoletanus viſitare intendit, ſaltem, tanquam delegatus Apoſtolicus, non obſtante prætenſa exemptione ex adverſo allegata. Ideo ſupplicat idem Epiſcopus per S. Congregationem declarari, id ſibi licere.

29 2. Idem poſtulat declarari nulli alteri licere Ordines conferre, aut literas dimiſſorias concedere Clericis ſæcularibus præfatæ Abbatiæ, præterquam ipſi Epiſcopo Spoletano, nec poſſe excommunicationes ad finem revelationis ab alio decerni, quàm ab eodem Epiſcopo Spoletano.

30 3. Idem petit edoceri, an poſſit compellere Clericos dictæ Abbatiæ, ut vadant ad Synodum?

31 4. An procuratio pro viſitatione dictæ Abbatiæ ſolvenda ſit a Capitulo S. Joannis Lateranenſis, an verò a viſitatis.

32 Præſuppoſito Abbatiam Ferentilli, & loca, de quorum viſitatione agitur, eſſe intra fines Diœceſis Spoletanæ, Congregatio Concilii cenſuit Epiſcopum Spoletanum poſſe ex *cap. 9. ſeſſ. 24.* illa viſitare, ac Clericos ejuſdem Abbatiæ teneri accedere ad eandem Epiſcopi Synodum.

33 Item Clericos ſæculares ejuſdem Abbatiæ Ordines ſuſcipere, & literas dimiſſorias impetrare debere ab Epiſcopo, intra cujus Diœceſis fines exiſtunt ordinandi, aliterque promotos a ſuſceptorum ordinum exequutione ſuſpenſos eſſe juxta *cap. 16. ſeſſ. 23.* & ſic ſuſpenſos miniſtrantes irregularitatem incurrere.

34 Item excommunicationes ad finem revelationis, ſi præfata loca nullius Diœceſis ſunt, licèt intra fines Diœceſis Spoletanæ petendas eſſe a Sede Apoſtolica, nec poſſe ab Epiſcopo Spoletano decerni.

35 Procurationem non a Capitulo, ſed a viſitatis eſſe ſolvendam.

CONSULTATIO LXXI.

An edictum Epiſcopale ſuper caſibus reſervatis, in quo inter cætera mandat, quod Confeſſarii Regulares confeſſiones audient in habitu, quo utuntur in Choro, eiſdemque prohibet pœnitentes auſcultare extra Confeſſionarium, & extra cratem ligneam, idque januis apertis dumtaxat, & in Confeſſionariis a ſuis viſitatoribus intra præfatum terminum approbandis, neve in propriis ædibus accedant ad infirmos pro Sacramento Pœnitentiæ miniſtrando, abſque licentia Epiſcopi, vel Curati, minuſque certas perſonas utriuſque ſexus ante ortum, & poſt occaſum ſolis auſcultent, & ſi feneſtella, vel laſtra fuerit devaſtata, ſive ejus foramina dilatata Confeſſarii ſuſpenſi remaneant, cum impoſitione pœnæ ſuſpenſionis, & pecuniariæ cuilibet Confeſſario, ſi talia edicta non recipiat, & illa inviolabiliter per ſingula capita non ſervaverit, deroget privilegiis Regularium, ideòque ſit corrigendum, expurganduſque?

1 NEgativè videtur reſpondendum. Æquum enim, & ſalubre cenſetur in ea parte, in qua mandat, quod nullus Confeſſarius, ſive ſæcularis, ſive regularis audiat confeſſiones, niſi per feneſtellas confeſſionalis, a deputatis Epiſcopi approbandas, & in Eccleſia januis apertis, & ſæcularis Sacerdos, niſi indutus ſuperpelliceo, ſtola, & bireto, Regularis, ſtola, & habitu, mulierum, & adoleſcentium confeſſiones ante ſolis ortum, vel poſt ipſius occaſum audire prohibet, & formam confeſſionalis ad ſcandala evitanda præſcribit.

2 Hæc enim omnia præcipiuntur in Conciliis Provincialibus S. Caroli Borromæi, nec adverſantur juri, quod Epiſcopus ex legitima cauſa poſſit Confeſſariorum, etiam Regularium, approbationem ad certum locum, tempus, & perſonas reſtringere, ut ex pluribus probat Barboſ. *de offic. & poteſt. Epiſc. alleg. 25. num. 32.* cùm adminiſtratio hujus Sacramenti Pœnitentiæ animarum curam concernat, de qua poteſt Epiſcopus, etiam contra Regulares, cognoſcere, ut tradit idem Barboſ. *loc. cit. alleg. 105. num. 29.*

3 Quare hujuſmodi edictum non videtur derogare privilegiis, Mendicantibus conceſſis. Quia juxta Sanctorum Patrum inſtituta, monita, & conſilia edictum eſt, neque Epiſcopus in aliquo Regularibus præjudicium inferre intendit, minuſque eorum privilegia tollere, ſed accuratè ea, quæ tanti Sacramenti adminiſtrationem concernunt, & animarum ſalutem reſpiciunt, pi è, & ſanctè ſtatuere.

Non enim repugnat eorum privilegiis, quod Confeſſionalia debeant habere feneſtellam, & quod ipſi januis apertis, ac tempore congruo mulierum, & adoleſcentum confeſſiones audiant, quodque Confeſſionalia debeant per Epiſcopi deputatos recognoſci, an habeant debita requiſita, prout non eſt indecens, neque repugnat, quod ipſi in Confeſſionali ſedentes debeant cum ſtola, & habitu, quo in Choro utuntur, ſedere. 4

Minus conqueri poſſunt, quod ex proprii Parochi licentia, debeant infirmorum in aliena Parochia confeſſiones audire, dum excipitur caſus neceſſitatis, & quod Bulla in Cœna Domini, edictum Epiſcopi ſuper caſibus reſervatis, & Sacra aliqua Imago in quovis Confeſſionali debeant eſſe affixæ. 5

Quod verò ad cenſuras, ipſo facto incurrendas, in caſu contraventionis non videtur adeſſe nimis rigoroſum. Fruſtra enim publicaretur edictum, ſi talem pœnam illud iis non minaretur. Nam ad probandum hujuſmodi delicta, non debeat, neque poteſt proceſſus conſtrui, cùm plerumque occultè patrentur, & ſint difficilis probationis in foro exteriori. 6

His tamen minimè obſtantibus *Sacra Congregatio S. R. Eccleſiæ Cardinalium, negotiis, & conſultationibus Epiſcoporum, & Regularium præpoſita cenſuit, præfatum edictum moderandum, & corrigendum eſſe, prout præſentis decreti vigore moderatur, ac corrigit, prout infra. Quoad habitum, quo uti debent Regulares in adminiſtratione Sacramenti Pœnitentiæ declaravit ſufficere, ſi audiant cum habitu eorum ordinario, & ſtola juxta decretum aliàs emanatum ſub die 20. Junii 1625. a Sac. Congregatione viſitationis Apoſtolicæ. Quoad locum mandavit auſcultari in Eccleſia, & intra crates, quando tamen neceſſitas, vel rationabilis cauſa aliter non ſuadeat, etenim in Sacrario, vel alio decenti loco poterunt audiri, ſuper quo, & declaravit, non licere Epiſcopis neque per ſe, neque per ſuos deputatos viſitare Confeſſionalia, ſive loca Regularium, ubi confeſſiones audiuntur, nec etiam ad effectum videndi, an ſint juxta ipſorum decreta, ſed hoc relinquendum eſt omninò viſitationibus ſuorum Superiorum. Similiter inhærendo aliis decretis ab eadem Sac. Congreg. emanatis, & præcipuè 13. Septembris 1641. noluit teneri Regulares petere licentiam ab Epiſcopo, vel Curato accedendi ad infirmos pro Sacramento Pœnitentiæ adminiſtrando, ſed ſufficere, ſi poſteà fidem habitæ confeſſionis in domo eorumdem Infirmorum relinquat. Inſuper mandavit tolli omninò ab eodem edicto verba illa, quibus de certo genere perſonarum fit mentio. Voluit ſiquidem ut loquatur abſolute, ac ſimpliciter de omnibus, nulla facta ſpeciali mentione, ita quod ſcilicet nemini adminiſtretur tale Sacramentum ante ortum, nec poſt occaſum ſolis, niſi tamen neceſſitas, vel rationabilis cauſa aliter ſuaſerit, in quo caſu voluit, & licere, & cum omnibus. Ulterius præcepit pœnas omnes tàm ſuſpenſionis, quàm pecuniarias ab eodem edicto, tollendas, caſſandas, & expungendas eſſe. Et ita utraque parte informante hac die.* 7

CONSULTATIO LXXII.

An exequutor deputatus ad diſtribuendum pauperibus eleemoſynam, dotem puellis, aliave, teneatur exquirere pauperiores? Ubi quod Collatores poſſunt dividere jus conferendi per turnum, licet electio eſſet ab omnibus facienda. Diſcrimen inter nominationem, & electionem. Forma cap. Quia propter de elect. in quibus electionibus procedat? Et an legatum relictum pro pauperibus poſſit diſtribui nobilibus, qui in ſuo ſtatu pauperes ſunt? Pauperum nomine qui veniant? Quibus pauperibus diſtribuendum? Quomodò voluntas Teſtatoris accipienda? Nobilis indigens an veniat nomine pauperis? Major paupertas quomodò accipiatur? In quo conſiſtat? Ex quo menſuretur?

SUnt qui aſſerunt, quod quando actus diverſimodè conſiderari poteſt, cenſetur factus, prout facienti eſt magis utilis, *leg. cum pater, ff. de jur. dot. & l. 3. ff. de teſt. mil.* & notat Alex. *conſ. 55. vol. 5. & conſ. 185. num. 2. vol. 6.* Crav. *conſ. 106. num. 6.* Sur. *conſ. 19. num. 28.* Quia cùm operans ex intentione boni operetur, cenſetur ſemper intendere, quod ſibi melius eſt, & ideò actus debent accipi cum illa interpretatione, cum qua ſunt ipſi utiliores. Cùm autem legatum pro pauperibus continet majorem pietatem, eſt utilius leganti, quia magis virtuosè operatur, & ideò debet ita accipi, ut cenſeatur relictum pro pauperioribus. 1

Accedit etiam, quod actus, & diſpoſitio ita accipienda eſt, ut cenſeatur proviſum cauſæ magis neceſſariæ, *l. cum ex plurib. ff. de ſolut.* & obſervat Bart. *in l. Titium ff. de* 2

ff. de verb. oblig. ac Men. *conſ. 195. num. 5.* Eſt autem magis neceſſarium, quod ſubveniatur pauperibus, quàm minus pauperibus. Siquidem ratione charitatis plus obligamur reſpectu eorum, qui ſunt in graviori neceſſitate. Et ideò cùm Teſtator præſumatur legare juxta ordinem, & exigentiam charitatis, cenſetur legaſſe pauperioribus.

3 At nihilominus cenſeo, hujuſmodi exequutorem ad id non teneri, ſed ſufficere, quod pauperes eligat, etiam omiſſis pauperioribus, juxta doctrinam Bartoli *in leg. 1. num. 31. Cod. de Sacroſ. Eccleſ. & in leg. id, quod pauper. num. 34. Cod. de Epiſcop. & Cler.* Natt. *conſil. 537. num. 24. lib. 3.* Ubi quod ſatis eſt mediocris diligentia, licèt major adhiberi potuiſſet, Beninc. *de paupert. quæſt. 4. num. 50.* Cardin. Mantic. *de conject. ultim. voluntat. lib. 8. tit. 5. num. 6. & ſeqq.* ubi ait ita fuiſſe reſolutum in Romana dotis de Matthæis 17. Decembris 1584. coram Bubalo, Alex. Raud. *deciſ. Piſan. 37. num. 290.* Capra *de exequut. ult. volunt. membr. 6. nu. 160.* & abſolutè hanc ſententiam tenet Gironda cum aliis *de priv. nu. 1388. & ſeqq.* Carpius *de exequut. teſt. lib. 2. cap. 19. num. 66.*

4 Quare non poteſt redargui forma, quæ obſervatur in electione puellarum ad dotes illis diſtribuendum, quia cùm Teſtator non juſſerit pauperioribus dotes diſtribui, ſatis eſt, quod pauperibus diſtribuantur, & conſequenter ceſſat inconveniens, quod poſſit puella minus pauper pauperiori præferri. Quia ſatis eſt, pauperem eligi.

5 Legatum certè diſtribuendum eſt pauperibus, ſpectata paupertate in genere, non autem in ſpecie. Quia difficile eſſet eligere pauperiores in ſpecie, cùm ſit moraliter impoſſibile habere exactam notitiam paupertatis. Quia cùm voluntas Teſtatoris debeat accipi, ut verba ſonant, quemadmodum notat Bartol. *in leg. Si arrogatur num. 27. ff. de adopt.* Corn. *conſil. 44. num. 4. vol. 3.* dum legat pauperibus, debet voluntas accipi prout ſonat nomen pauperis. Nomen autem pauperis non intelligitur, niſi ſecundùm communem acceptionem, atque adeò ille, qui in communi æſtimatione habetur pro paupere. Et ideò cùm Teſtator præſumatur reſpexiſſe ad eos, qui in communi æſtimatione habentur pro pauperibus, cenſetur eis legaſſe. Ex quo reſpondetur initio deductis.

6 Nec obſtare poteſt, quod electio puellarum ad dotes fieri quidem poſſit a tota Congregatione; non autem a Priore, a Cuſtode, aliove Officiali. Quia cùm omnes de Congregatione Priores fiant, omnibus de Congregatione tempore ſui Prioratus competit electio, quæ quodammodo diviſa apparet per turnum. Et hoc fieri poſſe exemplo Collatorum, qui poſſunt ibi dividere jus conferendi per turnum, licèt electio eſſet ab omnibus facienda, probat Text. in *Clement. plures, §. & ut facilius*, ubi Gloſſ. *v. alternis vicibus*, & Canoniſtæ communiter *de jurepatr. cap. fin. de præb. in 6.* ubi etiam Gloſſ. *v. ſtatuto*, ac cæteri, traduntque Lamb. *de jurep. lib. 1. part. 1. quæſt. 2. princip. art. 36. num. 6. & ſeq.* Covarr. *pract. quæſt. cap. 40. num. 1.* Gonz. *gloſſ. 45. §. 1. num. 19. & 71.* Garz. *de benef. part. 5. cap. 1. num. 725.* Cæſ. de Graſ. *deciſ. 3. de ſentent. & re judic.* Seraph. *deciſ. 980. num. 11.* Buratt. *deciſ. 540. num. 6.* cum aliis in Pampilonenſi Cappellaniæ 19. Junii 1648. coram Corrado §. *Nec alternatio*. Et electio hoc modo facta perindè eſt, ac ſi fieret a tota Congregatione, Gloſſ. *in dict. cap. fin. v. Capituli*, Rota coram Urgellenſi *deciſ. 275. n. 5.* Seraph. *loco cit.* cum aliis in dicta Pampilonenſi *eodem §.*

7 Maximè autem ſi Priores pro tempore non eligant, aut acceptent, ſed ſolùm nominent, ſive proponant, Congregatio verò poſſit ſic nominatam, ſive propoſitam non admittere, ſive non eligere. Tunc enim non dicitur coarctata electio, neque illius libertas læſa, ut ex D. Thom. *part. 2. quæſt. 13. art. 6.* in hac ſpecie notat Samuel. *de elect. canon. tract. 2. diſp. 1. controv. 3. concl. 5. num. 9.* loquens, quando unus ſolùm ad eligendum proponitur.

8 Et quidem in electione facienda præcedit tractatus inter eligentes, in quo nullo jure eſt prohibitum, immò permiſſum, ut aliqui ex Prioribus Collegii nominent aliquas perſonas, quæ ponantur in ſcrutinio, & poſſint electores eligere, vel non eligere, ad Text. *in c. Quod ſicut 28. de elect.* ubi cùm opponebatur contra electionem, quod præceſſerat alia electio ex tribus, ait Papa, non fuiſſe propriam electionem, ſed nominationem, & ex ea nullum jus acquiſitum fuiſſe nominatis, ut explicat Gloſſ. *v. juris*, ex illa tantùm nominatione, quæ fit in ſcrutinio acquiritur jus, non autem ex illa, quæ procedit in tractatu. Unde Abbas in hunc Textum *n. 1.* inquit, triplicem eſſe nominationem. Prima eſt, quæ fit de eligendo. Secunda, quæ fit in ſcrutinio. Tertia, quæ fit a ſuperiori ſolemniter, ut ex duobus unum eligat. De prima tractat Textus, & adducit exemplum, quando aliqui proponuntur in Collegio, tanquam boni viri, ut de illis fiat ſcrutinium. Eum ſequitur Sebaſt. Medic. *in addit. ad Abbatem* antiquam *addit. 3.*

Hoc idem tradit Innoc. poſt initium ante *num. 1. in d. cap. quod ſicut*, ubi diſcrimen eſſe, ait, inter nominationem, quæ fit ante electionem in tractatu, & deliberatione, & inter nominationem, quæ fit in ipſa electione, dum dicitur: Eligo talem, quod ſequuntur ibidem Butr. *num. 2.* Imol. *num. item 2.* Bellam. *num. 16.* Zabarell. *num. 6.* ac cæteri Canoniſtæ. 9

Juſta igitur eſt forma eligendi, ut ſcilicet Prior, ſive Cuſtos, aliuſve proponat puellas pro dote conſequenda, & præmiſſis informationibus, tota Congregatio deveniat ad ſcrutinium, & approbet, vel reprobet, prout ſibi magis placet. Non enim in nominatione cavetur, quod ſit neceſſariò eligenda una ex illis. Ergo eſt in libertate totius Congregationis hanc, vel illam reprobare, hanc, vel iliam eligere, ut in fortioribus quando ii, qui nominant, volunt coarctare, quod liceat eligentibus alium eligere, tradunt Mirand. *in Manual. Prælat. tom. 2. quæſt. 23. art. 22. concl. 3.* Rodriq. *tom. 2. quæſt. reg. 52. art. 40.* Sigiſmund. *de elect. dub. 12. num. 5.* & Samuel *eod. tit. tract. 2. controv. 4. num. 37.* 10

Quando enim relinquitur facultas eligendi, vel reprobandi electoribus nullo jure prohibitum eſſe nominationem quarumdam perſonarum a Priori, aliove Officiali facienda ante electionem, lationemque ſuffragiorum, nec coarctare electionem, tradunt in terminis, non adductis, tamen citatis antiquioribus, Samuel *d. tract. 2. controv. 3. num. 9.* & Peliz. *tom. 2. tract. 9. cap. 2. num. 34.* 11

Nec repugnant verba Teſtamenti, immò ſuffragantur ſi Teſtator diſponat de acceptatione, & ipſa electione per ſuffragia facienda, non autem de propoſitione, & nominatione antecedenti puellarum, quæ differt ab acceptatione. Acceptatio enim ſupponit præcedentem alterius propoſitionem, & oblationem, *l. fin. §. ſi aliquis ff. de muner. & honor. leg. Scio 10. in fin. ff. de an. leg.* 12

Neque ad hanc rem facit forma, *cap. Quia propter de elect.* Quia procedit ſolùm in Eccleſiis viduatis, non autem in electionibus aliarum dignitatum, vel perſonarum, ut ibi notant Innoc. *ſub initio*, Compoſt. *num. 1.* Butr. *num. 19.* Zabarell. *num. 2. in fin.* Abb. *num. 9.* Imol. *n. 3.* Mendag. *de elect. cap. 21. poſt med.* Felin. *conſ. 38. n. 2.* Garz. *loco cit. part. 1. cap. 6. num. 19. & ſeqq.* ac Rot. *deciſ. 5. num. 1. de elect. in nov.* ubi quod eſt communis, ac certa ſententia, & in Leodienſi Decanatus 26. Februarii 1627. coram Manzanedo, & 14. Junii 1628. coram Pirovano. 13

Nec obſtat, quod omnes puellæ pauperes habeant jus eligendi paſſivum. Nam id omninò pernegamus. Habent quidem habilitatem, & aptitudinem, ſed nullum jus prætendere poſſunt, ut in ſpecie legati pauperibus eligendi, inquit Gabr. *conſ. 183. num. 20. lib. 2.* & probat etiam Text. *in d. cap. Quod ſicut de elect.* nullum jus acquiſitum eſſe nominatis ante electionem; Unde nulla ſpecies juris quæſiti reperiri poterit ante nominationem. 14

Pendet etenim id omninò a voluntate exequutorum, qui poſſunt diſtribuere cui maluerint, dummodò habeat qualitates a teſtatore requiſitas, nec tenentur, neque juſtè, cogi poſſunt ad diſtribuendum pauperioribus, vel magis habilibus, ut ſuprà diximus, & in ſpecie tradunt etiam congeſti a Simon de Præt. *lib. 4. dub. ult. num. 73.* Sanch. *conſ. moral. tom. 2. lib. 4. cap. 1. dub. 60. num. 11.* Mantic. *de conject. lib. 8. tit. 3. num. 6. in addit.* ubi refert dictam deciſionem in Romana dotium de Matthæis, in qua etiam dicitur, quod non debet onerari exequutor quoad ea, quæ non reperiuntur expreſſa in teſtamento, ut ait etiam Buratt. *deciſ. 139. num. 1, & 2.* Alioquin autem plura ſequerentur abſurda. Nam ponamus in Civitate magna, ut Neapolitana, Mediolanenſi, Veneta, extare mille pauperes puellas, neceſſe eſt ante acceptationem præmittere informationes, quæ fiunt manu publici Notarii, examinando Teſtes ut ſemper appareat juſtitia eligentium. En novum vectigal ſuper pauperibus puellis. Duo enim circiter ſcuta impenduntur pro hujuſmodi informationibus. Multiplicatio hujus oneris eſt quoque conſideranda. Mille hoc anno concurrunt, quæ faciunt has impenſas, ſolùm tamen admittuntur viginti, vel triginta. Sequenti anno reiterandæ ſunt probationes, ſicque annis ſingulis. Quis hæc pauperum onera audire poterit, & non compati? Et magnum onus imponeretur Deputatis, qui ſunt viri inſigniores Civitatis, aliis graviſſimis negotiis implicati. 15

Viſi-

Visitare autem tot puellas, accipere informationes, suffragia ferre de tanta multitudine, quis non videt onus esse magnum?

16 Ad secundum verè, quod attinet, distinguunt aliqui, & asserunt, quod si legatum sit tenue, non poterit distribui pauperibus nobilibus, secus autem si sit pingue. Nam testator censetur legasse ad sublevandum pauperes. Si autem legatum sit tenue, non est aptum ad sublevandum nobiles pauperes, sicut est aptum, quod est pingue. Ita Bald. *in leg. Si quis ad declinandam num.* 5. *Cod. de Episc. & Cler.* Angel. *in leg. sed & si susceperit §. Si libertis num. 3. ff. de judic.* Mandel. *consil. 69. num.* 7.

17 Id autem fundatur in eo, quod nomine pauperum veniant non solùm mendicantes, sed etiam qui, attento statu personæ, non habent congruam sustentationem, ut notant Bartol. *in leg.* 1. *num.* 35. *Cod. de Sacrosc. Eccles.* Tiraq. *de pia causa in præfat. Spin. in spec. testament. gloss. 6. num.* 10. Maschard. *de probat. conclus. testament. gloss. 6. num.* 10. Maschard. *de probat. conclus.* 1554. *numer.* 14. Alexand. *cons.* 91. *num.* 4. *lib.* 7. Surd. *de alim. tit.* 1. *quæst.* 93. *num.* 30. Petr. Barbos. *in l. maritum num. 6. ff. solut. matrim.*

18 Alii tenent, quod hujusmodi legatum non possit nobilibus distribui, sed debeat distribui pauperibus. Ita idem Bald. *in leg. Cùm multæ num.* 3. *in fin. ff. de dotat. ante nupt.* Mantic. *loco cit. tit.* 5. *num.* 5. per dictum Textum *in leg. Si quis ad declinandam, §. ubi autem, Cod. de Episc. & Cleric.* Verùm in hoc Textu supponitur, quod sit erogandum pauperibus, ex quo infertur, quod cedat in favorem Hospitalis, quia ibi aluntur pauperiores, nempè qui inopia laborant, & sibi victum laborando quærere non possunt. Unde ex congruentia, quod erogetur pauperioribus, disponitur, quod erogetur talibus hominibus. Hæc autem dispositio modò in praxi non est, & cùm sit etiam circa pias causas, non valet juxta eos, qui docent, Principes sæculares non posse statuere circa pias causas.

19 Hanc quæstionem ita censeo definiendam esse. Major paupertas, quæ ut diximus, consideranda est secundum genus in eligendis pauperibus, non debet attendi absolutè, & secundùm se, sed habita ratione conditionis, & status personarum. Unde poterunt eligi nobiles indigentes, quando spectata conditione, & statu ipsorum tàm indigentes erunt in suo statu, quàm mendici in suo. Fieri enim potest, quod plus indigeat nobilis, qui habet unum aureum, quàm mendicus, qui habet semiassim, præsertim quia facilius potest mendicus parare sibi necessaria mendicando, quàm nobilis, qui mendicare non potest.

20 Nam paupertas consistit in eo, quod quis non habet necessaria pro congrua substentatione, ad tradita per Archid. *in cap. quo jure d.* 8. Castr. *in leg. Id quod pauperibus Cod. de Episcop. & Cleric.* Tàm ergo pauper est, qui non habet intra statum mendicitatis, quàm intra statum nobilitatis. Ac proinde paupertas mensuratur ex qualitate personarum, ut notant Alexand. *consultat.* 211. *num.* 8. *lib.* 8. Beninc. *dict. tract. de pauper. quæst.* 1. *num.* 40. Quare cùm possint esse æquè pauperes proportione servata, nobiles, ac mendici, poterunt tales nobiles eligi ad participandum in legato, quod pauperibus, sive pauperioribus distribuendum est.

21 Poterit confirmari ex eo, quod legatum relictum nobili, indigenti, vel pro alimentis, vel pro dotandis filiabus, intelligitur esse ad piam causam, ut notant Bartol. *in dict. leg. si quis ad declinandam num.* 5. Cæpoll. *tract. de Imperat. milit. elig. privil.* 21. Jas. *in leg. si constante num.* 151. *ff. solut. matrimon.* Tiraquell. alios referens *de nobilitat. cap.* 20. *num.* 148. Bellon. *consult. 16. num.* 6. Nam adhuc tendit ad sublevandam paupertatem, & sublevatio eò nobilior est, quò majori compassione digni sunt nobiles, quàm plebei redacti ad necessitatem, quare omnium mortalium fama celebrat in Sancto Nicolao illud insigne Christianæ benignitatis exemplum, dum nobili tantùm subministravit, unde filias posset collocare in matrimonio, Brev. Roman. 6. Decembris.

CONSULTATIO LXXIII.

Legitur hæc regularis Constitutio, si Pater Generalis obierit in secundo anno Generalatus, Primas Definitor sit Vicarius generalis. Quod si Generalis obierit post festum omnium Sanctorum, fiat electio novi Generalis in festo Pentecostes?

Quæritur, An si Generalis moriatur ante unum, vel duos dies festi Pentecostes, fieri debeat electio novi Generalis eodem festo, An verò ipse Vicarius Generalis continuare debeat suum Vicariatum usque ad Capitulum generale celebrandum in proxima Pentecoste: Et quid si ipse Vicarius in dicto Capitulo eligatur in Generalem?

REspondendum censeo. Vicarius Generalis continuare debet suum officium usque ad novum Capitulum generale. Quia cùm Generalis obierit ante unum, vel duos dies Pentecostes, non potest continuari, ac celebrari Capitulum eodem die. Ideòque Constitutio est intelligenda, & restringenda ad mortem sequutam post festum omnium Sanctorum tempore habili ad convocandum Capitulum ipso die Pentecostes. Semper enim lex, sive Constitutio regulatur ab habilitate per Text. *in leg. ut gradatim §. Et si lege*, ubi DD. communiter *ff. ae muner. & honor.* Bertaz. *in leg. si quis major. num.* 216. *C. de transact.* attento præsertim, quod Constitutiones loquantur, si Generalis moriatur *post* festum omnium Sanctorum, dictio autem *post* intelligenda est tempore proximo dici, cui adjicitur per Text. & Gloss. *in l. Anniculus, ff. de verb. signif.* neque possunt intelligi de obitu proximo diei Pentecostes. Quia non poterit tàm brevi tempore convocari Capitulum, ac fieri nova electio. Constitutiones enim, ut dixit, debent ita interpretationem accipere, ut sint possibiles, & accommodatæ ad honestum, & congruum ipiarum usum, & rempus, ut per Sot. *lib.* 1. *de justit. & ur. quæst.* 5. *art.* 3. Mirand. *in manual. Prælat. q.* 25. *art.* 9. & Lezan. *tom.* 2. *summ. pag.* 390. *num.* 9. Dictio igitur *post*, intelligi debet in casu possibili secundùm naturam actus ipsius electionis super quo imposita fuit, ut inquit Rayner. *cons.* 109. *n.* 4. *lib.* 1. Surd. *consil.* 3. *num.* 21. *& decis.* 43. *num.* 16. & dixit Rota coram Seraphino *decis.* 541. *num.* 6. *& decis.* 7. *n. item* 7. *part.* 6. *recent.* ac sæpè alibi. 1

Nec refragatur, quod natura ipsius dictionis *post* non admittat aliquod temporis intervallum. Quia non est verisimile, quod legislator voluerit imponere onus impossibile, quod scilicet fiat electio Generalis eo casu, quo sequeretur mors illius in Vigilia Pentecostes. Unde cùm mens legislatoris ab hujusmodi actu sit prorsus aliena, ut ex se patet, meritò eadem dictio *post* amplianda est, etiam contra suam propriam significationem, & juxta mentem ipsius legislatoris, qui si de hac re fuisset interrogatus, utique in casu tantùm possibili, electionem fieri respondisset, ut comprobat Rota *decis.* 25. *num.* 11. *& seq. part.* 5 *recent.* 2

Etenim mens potius attendenda est, quam verba in omni dispositione *l. labeo in fine ff. de suppellect. & leg. nominis, & rei §. verbum ff. de verbor. signif.* latè Tulch. *conclus.* 119. *lit. M.* Unde cùm non præviderit legislator, quod hujusmodi Regularis Constitutio non posset in hoc casu exequutioni demandari, respiciendum est ad mentem ipsius, quid nimirum voluisset, si prævidisset, & fuisset interrogatus *l. Titius §. Lucius ff. de liber. & postb.* Gloss. *in leg. tale pactum in fine ff. de pact.* de quo plura Gabr. *lib.* 6. *comm. opinion. tit. de reg. jur. concl.* 10. *nu.* 1. 4 & 6. Cùmque nemo præsumatur velle, quod fieri non potest *l. Lucius §. Imperatores ff. ad municipia, & l. si tibi §. unius ff. de opt. leg.* & notant Gloss. *in l. Peto sub initio ff. legat.* 2. ibique Bald. Surd. *cons.* 431. *num.* 41. ac Rota *decis.* 364. *n.* 3. apud Farinac. *p.* 1. *rec.* Quia voluntas respicit finem assequendum, atque adeò solùm media, quæ apta, & possibilia sunt pro illius assequutione, & ultra hujusmodi fines non progreditur; habetur voluntas interpretativa legislatoris, quod si non sufficiat tempus pro celebrando Capitulo, possit fieri extensio ad proximam Pentecostem. Siquidem interpretatio potest extendere, aut restringere legem, juxta mensuram, & terminos rationis. Cùm enim ratio sit mensura legis, & eam trahat ampliando, vel restringendo ad proprios terminos *leg. cum pater §. dulcissimis ff. de legat.* 2. *& l. adigere §. Quamvis ff. de jurepatr.* debet interpretatio concipi ex ipsa ratione legis, & ideò secundùm ipsius exigentiam poterit eam extendere, aut restringere, cùm potiùs ratio, quàm verba debeant considerari *l. scire §. aliud ff. de excus. tut.* 3

Cùm igitur dispositio hujusmodi Constitutionis in hoc casu 4

caſu eſſet inanis, ſi dictio illa *poſt* accipiatur ſecundùm ſuam ſignificationem, ſubintrat diſpoſitio *leg. non aliter ff. de legat. 3.* ibi : *Non aliter a ſignificatione verborum ejus recedi quàm, cùm manifeſtum eſt, aliud ipſum ſenſiſſe.* Eſt autem manifeſtum Capitulum generale non poſſe convocari, ac celebrari uno, eodemque die, ac proindè illam intellexiſſe de tempore opportuno, hoc eſt de proxima Pentecoſte. Præſertim quia cùm verba deſerviant intentioni, verba legis ſumi debent, ut accommodata menti legislatoris, *d. l. ſcire*, *d. §. aliud* ibi : *Sed & ſi maximè verba legis hunc habeant intellectum, tamen mens legislatoris aliud vult.* Siquidem mens diſponentis recipit interpretationem illius, quod commodè fieri poteſt, *cap. nos quidem de teſtam.*

5 Accedit etiam, quod cùm difficultas æquiparetur impoſſibilitati *l. 2. §. 2. & l. 37. §. eum qui ff. de verb. obligat.* & notant Felin. *in cap. Eccleſia n. 81. de conſtit.* ac Medic. *de caſib. fortuit. p. 1. q. 4. n. 13.* quælibet difficultas, licèt non magna, æquiparabitur alicui impoſſibilitati. Quæcumque autem impoſſibilitas in hoc caſu eſt ſufficiens, ut dicatur, non poſſe impleri hujuſmodi Conſtitutio.

6 Minus ſuffragaretur appellatio ab hujuſmodi continuatione officii, & ab electione ipſius Vicarii in Generalem, ſi in libello appellationis non juretur, cauſas in illo expreſſas, eſſe veras, ſicuti pro forma requiritur ex diſpoſitione *cap. ut circa de appellat. in 6.* cujus forma non ſervata, etiam quoad juramentum, quis non auditur ſuper invaliditate electionis juxta *deciſ. 289. num. 36. ac ſeqq. part. 6. recent.*

7 Et quamvis ſervata eſſet hujuſmodi forma, non poteſt tamen opponi amplius nullitas electionis, ſi poſt interpoſitam appellationem debita obſequia electo Generali appellantes præſtiterint, ejuſque ſe ſubjecerint juriſdictioni, ac obedientes præbuerint. Cenſentur enim electioni conſenſiſſe, & a proteſtatione, atque appellatione receſſiſſe, ut in his terminis firmat Rota in Illerdenſi electionis Prioriſſæ 5. Decembris *1636.* poſt Tambur. *de jur. Abbat. deciſ. 37. num. 4.*

8 Hiſque ceſſantibus, nihilominus ſubſiſteret electio. Quia militant pro ejus validitate regulæ generales, quod nempè ſufficiat oſtendere electionem, cùm præſumatur canonica, Joan. Andr. *in cap. Sicut num. 11. de judic. & cap. 1. de conceſſ. præb. in 6.* Lapus, Gemin. & alii *in c. licèt de præbend. eod.* & neganti, eſſe talem, incumbit onus hanc negativam probandi, ut articulo maturè diſcuſſo, firmatur a Rota *d. deciſ. 289. num. 25. & ſeqq. part. 6. recent.* Idque maximè, ſi ipſimet appellantes decreverint, & judicaverint Capitulum Generale protrahi poſſe, ac debere ad ſequentem Pentecoſtem, quo in caſu a dolo excuſantur per Cavaler. *dec. 81. num. 3.* Mantica *deciſ. 54.* ac Rotam *deciſ. 293. num. 5. part. 6.* de quo plenè Capyc. Latr. *conſult. 1. num. 105.* Unde ſi non interceſſerit nullitas, quæ turpitudinem, violentiam, vel ſcandalum contineat, non ſunt attendendæ nullitates, quæ ſæpè adducuntur ad æmulationem inter Regulares, cum quibus de bono, & æquo, omiſſis juris ſolemnitatibus, eſt procedendum ex latè deductis a Lapo *allegat. 73. num. 4.* ibique Mandoſ. *in addit. lit. M.*

CONSULTATIO LXXIV.

An facultas, quæ competit Monaſterio, ejuſque Superiori ferendi in Capitulis duo ſuffragia, ſi dictum Monaſterium authoritate Apoſtolica transferatur ad aliud Monaſterium, dicta facultas planè ceſſet? Ubi quid de his reſcriptis, lectum, aut nihil, quæ in libellis, Sacris Congregationibus porrectis, ſæpè apponi ſolent?

1 REſpondeo, non ceſſat, ſemper retinet ſuum privilegium juxta Gloſſam *in c. privilegium, v. Item ſi authoritate de regul. jur. in 6.* Felin. *in cap. cùm dilecto n. 21. de reſcript.* cum aliis per Rotam in Marſicenſi juriſdictionis 26. Maji 1651. *§. hincque patet* coram Corrado, & favet etiam regula ſubrogatorum juxta *l. ſi eum §. Qui injuriarum, ff. ſi quis controv. cum concordantibus.*

2 Ac ita quidem, ut non urgeat, quod translatio, ſive ſubrogatio reſtricta videatur ſolùm ad res, & bona. Nam hæc verba, maximè cum univerſalibus dictionibus prolata, comprehendunt etiam jura omnia, ut per Barboſ. *in ſuis locis*, & in ſpecie privilegiorum, Mirand. *in manual. Præl. tom. 2. quæſt. 43. art. 2. concluſ. 1.* Lezana *tom. 2. ſumm. verb. Privilegia Regularium num. 14.* Nam hujuſmodi privilegia, Congregationibus, ac Univerſitatibus conceſſa, ſunt vera illarum patrimonia, & peculium, quaſi Caſtrenſe, argum. Text. *in l. multa privilegia, Cod. de bon. quæ liber.* Coſt. *conſ. 1. num. 48. & conſ. 6. num. 10.* Cùm igitur Monaſterium fuerit translatum cum omnibus ſuis bonis, & rebus, rerum appellatione veniunt quoque jura, & actiones, ad Text. *in l. rei appellatione 23. & in leg. bonorum 49. ff. de verb. ſignif.* Maceraten. *var. reſol. lib. 2. reſol. 57. num. 69.* cum aliis plenè cumulatis per Barboſ. *de appell. verb. ſignif. cap. 35. num. 1. & cap. 235. num. 9.* & in ſpecie, quod omne jus honorificum tranſiverit cum univerſalitate bonorum, dixit Rota *deciſ. 89. n. 4. part. 6. rec.* Idque adeò verùm eſt, ut procedat, etiam in materia pœnali, ad tradita per Marchabrun. *conſ. 83. num. 64. cum binis ſeqq.*

Etenim translata Civitate, Caſtro, Monaſterio ab uno 3
loco ad alium, ille locus, ad quem fit translatio, dicitur in omnibus repræſentare locum translatum, ac omnibus ejus privilegiis, & prærogativis gaudet, Pegna *deciſ. 93.* juxta Venetam editionem, aliàs 117. juxta editionem Lugdunenſem, Rota in d. Marſicenſi juriſdictionis, & in terminis bonorum, ac privilegiorum Monaſterii translati, firmat Rota *deciſ. 193. num. 7. par. 5. recent.* & in Calaguritana decimarum S. Aſcentii 7. Februarii 1656. coram Cerro, ubi de privilegiis exemptionis a decimis, & ſimilibus.

Unde cùm in translatione omnia jura, quæ pertinent 4
ad Eccleſiam translatam, tranſferantur ad eam, ad quam fit translatio, *cap. Abbate in fine de verbor. ſignif.* ubi Gloſſ. & obſervat etiam Gloſſ. *in can. Si quis vult 16. quæſt. 7.* Jo: Andr. *in cap. cùm perſonæ de privileg. in 6.* ibique Ancharan. *not. 13.* Rebuff. *in prax. benef. tit. de translat. Epiſc. num. 19.* Lap. *alleg. 68.* & Seraph. *deciſ. 1149. num. 16.* Jura quoque ſuffragiorum tranſferantur ad poſterius Monaſterium, tanquam ad illud, ad quod fit translatio Monaſterii dictorum Regularium.

Ad ſecundum, hujuſmodi reſcripta non officiunt, cùm 5
incertam relinquant petitionem, ad Text. *in l. de ætate, §. nihil, ff. de interrog. act.* Unde hujuſmodi libelli cum hiſce, aliiſque hujus generis reſcriptis, præcipuè ſi non ſunt ſubſcripti, nec a quo fuerint porrecti appareat, cùm nulla in iis porrigendis requiratur expenſa, nullius ſunt effectus, ad tradita per Adden. ad Greg. *deciſ. 331. n. 19.* Seraph. *deciſ. 373. num. 1.* & fuit dictum in Romana, ſeu Veliterna affictus 15. Martii 1652. *§. memoriale*, ac 13. Januarii 1653. *§. fin.* coram Bichio.

CONSULTATIO LXXV.

An, & quatenus claves Sacræ Imaginis miraculoſæ Beatiſſimæ Virginis, aliorumve Sanctorum in Eccleſia, conceſſæ Regularibus a Summo Pontifice, retineri poſſint a Magiſtratu ſæculari? Ordinatio rerum ad quem pertineat? Imagines Sacræ ſunt de genere ſpiritualium. Earum cura quibus competat? An Imagines veniant nomine Reliquiarum? Spiritualia non cadunt in laicos. Laici non habent poteſtatem ſpiritualem, nec eis res Eccleſiaſticæ committi poſſunt. Laicis obſequendi manet neceſſitas. Reliquiæ non poſſunt eſſe laicorum. In id negligentia Prælatorum. Cura Reliquiarum ad quem pertineat de jure? Enuntiativæ an, & quod jus tribuant? Quando probent veritatem enunciati? De jure precarii. Precarium quando cenſeatur revocatum? Virtus, & gratia miraculorum quomodo Reliquiis, ac Imaginibus ſit infuſa? Ex ſola poſſeſſione, an rectè inferatur ad titulum proprietatis? Teſtes quomodo probare debeant immemorabilem? Quadragenaria in rebus ſpiritualibus pro laicis, an iis ſuffragetur? Teſtibus de communitate, an fides adhibenda, ſi cauſa Communitatis agatur? Poſſeſſio jurium Eccleſiæ an probari poſſit a Teſtibus ad favorem laicorum? Quomodo tradita alicui clavi, videatur etiam tradita poſſeſſio eorum, quæ ſub clavi ſunt? Scientia, & patientia ſufficit ad acquirendum dominium, ac poſſeſſionem. Decreta viſitationis, quam probationem inducant? Sola poſſeſſio ſine titulo quando ſufficiat? In annexis ſpiritualibus quænam poſſeſſio ſit ſatis? Nomine Reliquiarum an comprehendatur Imago Beatæ Virginis? Proprietas verborum retinenda. Regulæ de jure quæſito non tollendo effectus. Quomodo ei derogetur? Quænam adminiſtratio rerum ſpiritualium laicis permiſſa? ut precarium ceſſet, quænam requirantur? Alia.

NEgativè reſpondendum videtur. Cùm enim certum 1
ſit ex literis Summi Pontificis prædictam Eccleſiam authoritate Apoſtolica pleno jure, & cum Sanctorum Reliquiis, & omnimoda adminiſtratione temporali, & ſpirituali perpetuò unitam, conceſſam, applicatam, & appropriatam fuiſſe Regularibus, ſequitur perneceſſe curam, & liberam adminiſtrationem Sacræ Imaginis, quæ in eadem Eccleſia collocata eſt, privativè quoad omnes alios, ſpectare ad dictos Regulares. Nam ordinatio illius eſſe debet, cujus eſt res poſſeſſa, *can. 1. verſ. divinæ etiam leges*, ubi poſt Gloſſam Turrecrem. *num. 3. 16. q. 2.* & cuique rei ſuæ cura committenda eſt, *l. nemo, Cod. de Judæis*, Gloſſ. *in d. can. 1. verſ. Inſtitutio.*

Dicta

2 Dicta enim imago, multis clara miraculis, ut de genere ſpiritualium de jure Divino, quemadmodum Reliquiæ Sanctorum ſunt de ſpiritualibus ſecundùm eſſentiam, ut probat Textus *in cap. 6.* juncta Gloſſa *v. venalis de Reliq. & vener. Sanctor.* & in ſpecie tradunt Abb. *in cap. Conſulere num. 3. de ſimon.* Roch. de Curth. *de jurepatr. v. jus num. 1.* Redoan. *de ſimon. ment. part. 1. cap. 4. num. 2. & de ſimon. real. part. 3. cap. 4. num. 16.* ubi ait, eſſe de genere ſpiritualium jure divino, quod vocatur ſpirituale eſſentialiter. Et monetur ſub *num. 21.* quia hujuſmodi ſpiritualitas in Reliquiis infunditur propter virtutes, ac dona Dei, gratia Spiritus Sancti, ac merita illius, cujus ſunt, quæ infuſio a Deo dumtaxat, non a Papa, vel a jure poſitivo procedit.

3 At ea, quæ ſunt ſpiritualia ſecundùm propriam eſſentiam, nullo jure poſſunt a laicis poſſideri, vel præſcribi ſine ſpeciali privilegio Sedis Apoſtolicæ, *cap. cauſam, quæ de præſcript.* ubi Gloſſ. *v. detineri*, ait ſolam naturalem detentionem non ſufficere laicis ad poſſidendum. Quia exigitur poſſeſſio civilis in hujuſmodi ſpiritualibus, nempè, ut perſona ſit talis, in quam poſſit cadere hujuſmodi poſſeſſio de jure, notatque Abbas *num. 2.* nulla temporis præſcriptione juvari laicos in hiſce ſpiritualibus, inferendo ad confirmationem notabilis dicti Joannis Andreæ, & Monachi *in d. cap. 2. de præbend. in 6.* quod laici non poſſunt præſcribere ſpiritualia, etiam per tantùm tempus, de cujus initio memoria non exiſtit. Nam cùm illa nequeant poſſidere, conſequens eſt, ut nullo temporis curſu poſſint præſcribere. Quia ſine poſſeſſione non currit præſcriptio, *cap. ſine poſſeſſione de reg. jur. in 6.* cum aliis adductis a Peregr. *conſil. 74. num. 6. lib. 1.* Ergo magiſtratus ſæcularis non potuit jus dominii, vel poſſeſſionis acquirere in dictam S. Imaginem, ac illius adminiſtrationem, retinendo claves, illamque aperiendo, quia ex dictis liquet, eſſe de ſpiritualibus corporeis ſecundùm propriam eſſentiam, non autem de annexis rei ſpirituali. Præſertim quia virtus, & gratia miraculorum illi eſt divinitus infuſa, ut benè ad rem animadvertit Redoan. *de ſimon. real. part. 3. d. cap. 4. n. 11.* Quapropter Abbas *in cap. nullus ante num. 1. de jurepatron.* negat Reliquias poſſe ullatenus eſſe laicorum, quia non cadunt in alicujus dominium, cujus dictum refert, ac ſequitur Redoan. *de ſimon. ment. part. 1. cap. 5. n. 5.* & propriùs ad rem hanc Azor. *inſtit. moral. part. 1. lib. 9. cap. 8. quæſt. 7.* ſtatuit regulam generalem, quod Reliquiæ non ſunt tractandæ per laicos cujuſvis ordinis, & dignitatis. Ideò cura, & adminiſtratio illius ſolis Regularibus, aliiſve perſonis Eccleſiaſticis concedenda eſt. Primò, quia cedit Eccleſiæ, illis pleno jure conceſſæ inſtar gemmæ auro, vel argento incluſæ, de qua *in l. Cùm aurum 19. §. perveniamus, & §. fin. & l. prædicis 32. §? 1. ff. de aur. & arg. leg.* Deinde, quia eſt de genere ſpiritualium, liberæ eorumdem adminiſtrationi commiſſorum. Poſtremò, quia venit appellatione Reliquiarum, quæ illis nominatim conceſſæ, & appropriatæ fuerunt.

4 Nec permittendum, ut Magiſtratus ſæcularis ejus claves, ne quidem cumulativè retineat, & diebus ſolemnitatis aperiat. Tum quia ſpiritualia, qualis eſt dicta Imago, non cadunt in laicos *can. cauſam quæſt. 7.* ubi Gloſſ. *v. detinere*, notat abſurdum eſſe, quod laici habeant poteſtatem ſpiritualium, *c. Sacroſancta, §. attendentes de præſcript. & cap. Meſſana*, ibique Gloſſ. *ver. per laicos*, notat ſpiritualia non poſſe a laicis poſſideri *de elect. can. bene quidem d. 96.* Bero. *in cap. illud num. 7. & 8.* ac Rebuff. *in cap. poſtulaſtis num. 179. de jurepatr.* Præterea, ſi *in can. nullus 16. quæſt. 7.* dicitur quod nullus laicorum Eccleſias, vel Eccleſiarum bona diſponat, *in can. judicatum, §. de cætero d. 89.* aſſeritur, cavendum eſſe, ne viris ſæcularibus res Eccleſiaſticæ committantur, idemque ſtatuitur *in can. in nona, & in can. laici 16. quæſt. 7.* multò quidem minus eis committenda cura Reliquiarum, quæ ſunt res Eccleſiæ pretioſiſſimæ, Genuen. *in adnot. ad prax. Cur. Archiep. Neap. cap. 57. num. 4 in fine.* Semper enim urget ratio, *can. non placuit 16. quæſt. 7.* quod laicis obſequendi manet neceſſitas, non imperandi. Ideò non debent habere aliquam poteſtatem ſtatuendi in Eccleſia.

5 Tum ex doctrina Abbatis *in cap. nullus ante num. 1. de jurepatron.* dicentis, quod Reliquiæ non poſſunt eſſe laicorum, cùm non cadant ſub alicujus dominio, quam refert, ac ſequitur Redoan. *loco cit. part. 1. cap. 5. n. 5.* Unde Gulielm. Durand. *de mod. General. Concil. celebrand. part. 3. rubr. 59. num. 1.* redarguit de negligentia circa divinum obſequium, & cultum Prælatos permittentes, quod Reliquiæ Sanctorum teneantur, & oſtendantur a laicis.

6 Et tum quia cura Reliquiarum de jure pertinet ad Epiſcopum, ut ex Text. *in l. decernimus 26. Cod. de Epiſcop. & Cleric.* notant Petr. Gregor. Tholoſ. *in ſyntagm. jur. lib. 2. cap. 12. num. 3.* Ideò priuſquam Pontifex illas unà cum Eccleſia conceſſiſſet Regularibus, erant penes ipſum Epiſcopum, nec propterea poterant competere Magiſtratui.

Ac ita quidem, ut nullum jus tribuant in petitorio 7
enunciativè viſitatorum, nempè quod claves dictæ Imaginis reperirentur apud Magiſtratum ſæcularem. Primò, ſi enunciativæ ſint recentes, nempe intra centum annos, quæ nihil probant in præjudicium Epiſcopi, ad quem tunc de jure pertinebat cuſtodia dictæ Imaginis, Gloſſ. *in leg. Cùm aliquis, v. ex hoc*, ibique Bartol. *num. 2. Cod. de jur. deliber.* Innoc. & alii *in cap. Dudum num. 3. de privil.* Gregor. XV. *deciſ. 382. num. 14.* Rota *deciſ. 160. num. 11. & deciſ. 432. num. 4. part. 1. & deciſ. 233. num. 8. par. 5. recent.* & in Andrienſis, ſeu nullius juriſdictionis 18. Martii 1613. coram Ubaldo.

Secundò, quia enunciativè non probant veritatem e- 8
nunciati, quando principaliter contingit de ea dubitari, ut in hoc caſu, Alexand. *conſ. 21. num. 4.* ubi Adden. *lit. N. & conſ. 136. num. 11. vol. 1.* Dec. *conſil. 360. nu. 68. & conſ. 539. num. 1.* Aym. *conſ. 29. n. 30.* Bero. *conſ. 67. num. 33. vol. 1.* Pariſ. *conſ. 94. num. 19. vol. 1.* Cæphal. *conſ. 265. in fin. vol. 2. & conſ. 137. num. 67. vol. 3.* cum aliis congeſtis a Genua *de enunciat. lib. 1. n. 7. 10. & ſeqq.* qui dicit magis communem *num. 12.* Caputaq. *deciſ. 247. num. 3. part. 3.* Gregor. *deciſ. 372. num. 3.* ac Rota *deciſ. 583. num. 3. part. 2. recent.*

Tertiò, quia etiamſi dictis enunciativis credendum 9
eſſet, non tamen inde cenſeretur probatum, quod Magiſtratus retineret claves dictæ Imaginis jure proprio, ſed precario tantùm, & cauſa cuſtodiæ, eò quia tunc in Eccleſia non aderant Clerici, apud quos illa tutò dimitti potuiſſet. Nam cùm ex parte Magiſtratus non deducatur titulus habilis ad translationem dominii in re ſpirituali, & ſacra, utique retentio clavium præſumenda eſt in dubio ex cauſa cuſtodiæ, veluti poſt Gloſſ. *in l. Cùm pater 77. §. Pater, v. Cuſtodiæ cauſa*, per illum Textum diſtinguendo notat Bart. *num. 1. & 3. ff. de legat. 2.* quem ibidem ſequuntur Cuman. *num. 1.* Caſtr. *num. item 1.* Imol. *num. 7.* & Florian. *num. 5.* Alex. *in addit. ad Bartol. in l. Clavib. 74. ff. de contrahend. empt.* Præſertim autem, ſi in viſitatione id recenſeatur per verbum *dicitur*, quod nihil ponit in eſſe, Rota *deciſ. 461. num. 9. part. 1. recent.* Ac etiamſi viſitationes ſupponant, claves dictæ Imaginis teneri per Magiſtratum, ejuſdemque curam ad illum ſpectare, nihil tamen ſuper hoc deponunt, ideò non præſtant legitimum titulum. Aliud enim eſt ſupponere, aliud verò diſponere, Rimin. jun. *conſ. 158. num. 25. vol. 2.* cum aliis per Surd. *deciſ. 282. num. 8. & 9.*

Quare hujuſmodi precarium cenſetur revocatum ſta- 10
tim, ac Pontifex Eccleſiam pleno jure Regularibus conceſſit unà cum Sanctorum Reliquiis, ac libera adminiſtratione ſpiritualium, maximè quia tunc ceſſavit cauſa, propter quam cuſtodia clavium fuerat conceſſa Magiſtratui, ad tradita per Abbat. *in cap. Quanto num. 10. de judic.* ubi ex ſuppoſito, quod laicus non poteſt poſſidere rem merè ſpiritualem, nec totam, nec partem *d. cap. cauſam, quæ de præſcript.* infert, quod laicus non poteſt in cœmeterio ſacrato, vel in Eccleſia propriè poſſidere, vel quaſi, ſepulchrum ſed tolerari in hac permiſſione ex quadam humanitate; Ideò Felin. *ibid. num. 2.* ſupponit pro conſtanti, quod ſi quid merè ſpirituale conceditur laico, non dicitur ab eo poſſideri, ſed detineri nomine Eccleſiæ, *cap. Cùm Apoſtolica*, ibique Butr. *de his, quæ fiunt a majori parte Capituli.*

Cùm ergo ex dictis liquidò conſtet, nos verſari in re 11
merè ſpirituali ſecundùm propriam eſſentiam, nec doceatur de titulo legitimo, habito a Sede Apoſtolica, firmum manet, quod ſupra dictum fuit, nempè Magiſtratum retinuiſſe claves dictæ Imaginis precario nomine Eccleſiæ, non proprio.

Neque obſtat, quod ille in conceſſione non fuerit vo- 12
catus, qui de natura precarii eſt, ut tamdiù duret, quamdiù is, qui conceſſit patitur, *l. 1. ff. de precar.* & quod cenſeatur revocatum ſtatim, atque dominium rei precario conceſſæ, qualis eſt hoc caſu Romanus Pontifex, mutavit voluntatem, concedendo Regularibus *leg. 2. §. eſt enim natura, & leg. & habet ſummam 15. ff. de precario.*

Et quia in literis Summi Pontificis adeſt decretum, 13
quod nequeant impugnari ex eo, quod quicumque intereſſe habentes præmiſſis non conſenſerint, vel ad illam vocati, cauſæque, propter quas emanarunt coram Ordinario, etiam tanquam a Sede Apoſtolica delegato, vel alibi examinatæ non fuerint cum clauſula ſublata,

& de-

& decreto irritante. Propterea cùm voluntas Papæ ſit certa, & ſacrilegium ſit dubitare de illius poteſtate, videtur abſolutè concludendum, nullum hodie jus competere dicto Magiſtratui ſuper retentione clavium dictæ Imaginis.

14 Unde etiam corruit fundamentum ſuper retentione clavium. Tum quia ex ſola poſſeſſione non rectè infertur ad titulum proprietatis, de quo hodie quæritur, cùm nihil commune habeat proprietas cum poſſeſſione, *leg. naturaliter* 12. *§. nihil commune, ff. de acquir. poſſeſſ.* Tum quia hujuſmodi retentio ſemper fuit controverſa, itaut neque ſtatum manutenibilem præſtet.

15 Nec ulla vis fieri poteſt in Teſtibus pro Magiſtratu examinatis, ſi non oſtendatur deponere juxta requiſita Gloſſæ *in cap. 1. v. memoria de præſcript. in 6.* Quam Doctores communiter ſequuntur, ut ibi notat Franch. *num. 16.* Covarr. *in reg. poſſeſſ. quæſt. 2. §. 3. num. 7.* Rebuff. *de decim. qu. 13. n. 99.* Gabr. *tit. de præſcript. concluſ. 1. num. 81.* Caputaq. *deciſ. 71. part. 2. & dec. 290. part. 3.* Rota *deciſ. 58. num. 2. & deciſ. 230. num. 2. & deciſ. 248. num. 2. part. 2. recent.* Gregor. XV. *deciſ. 252. num. 3. & deciſ. 434. num. 11. ac deciſ. 449. num. 9.* Ad probandum enim immemorabilem, perneceſſe eſt, ut quilibet Teſtis deponat de omnibus requiſitis dictæ Gloſſæ, nec ſufficit, quod unus de uno, alter verò de alio aſſereret, Gregor. *d. deciſ. 252. num. 3.* ubi Adden. *num. 15.* Mantic. *deciſ. 289. num. 4.* Rota in Hieracenſi Juriſpatronatus 17. Februarii 1617. coram Veroſpio, Mareſcot. *lib. 2. var. reſolut. cap. 100. num. 10.* Eo enim ipſo, quod Teſtis in uno ex illis deficit, non probat immemorabilem, Rota *dec. 557. ante fin. part. 4. diverſ.* cum aliis relatis in dicta Hieracenſi.

16 Si verò fuerint inducti ad probandum quadragenariam, reſpondetur, quod etiamſi illam probarent, probata adhuc non relevaret in hiſce rebus ſpiritualibus, quæ non cadunt in laicos, niſi probetur alius titulus, quàm præſcriptionis, Gloſſ. *in d. cap. cauſam quæ v. detinere de præſcript.*

17 Præterquamquod dictis Teſtibus nulla prorſus fides adhiberi poteſt, cùm cauſa mixtim agatur nomine Magiſtratus, & Communitatis, hique ſint de eorum numero, Bald. *conſ. 391. num. 1. & conſ. 438. in fine, & conſ. 481. num. 3. vol. 1. & conſ. 168. num. 2. vol. 2.* Fulgoſ. *conſ. 174. num. 2.* ubi de communi Roman. *conſ. 7. n. 4. & conſ. 508. in fine*, Abb. *conſil. 58. col. 2. par. 1.* Caſtr. *conſ. 110. n. 7. par. 1.* Roland. *conſ. 72. n. 17. vol. 2.* cum aliis per Farin. *de teſtib. q. 70. illat. 17. n. 496.* ac Rota *dec. 136. n. 1. & ſeq. part. 1. & dec. 350. n. 2. & ſeqq. par. 2. rec.*

18 At nihilominus tenendum eſſe puto, quod ſi Teſtes pro Magiſtratu examinati deponant, illum pro tempore exiſtentem per annos quinquaginta citra retinuiſſe claves d. Sacræ Imaginis, illiuſque oſtium aperuiſſe, & claudi feciſſe in ſolitis feſtivitatibus, videtur ſine dubio concludentiſſimè probatum ejus dominium, & poſſeſſio, ut in his terminis ait Soccin. Sen. *conſ. 13. num. 14. lib. 4.* Oldrad. *conſ. 209. num. 2. & 3.* Anchar. *conſ. 190. n. 3.* Tiraq. *de conſtit. poteſt. p. 2. ampl. 3. num. 3.* Menoch. *de retinend. poſſeſſ. remed. 3. num. 569.* & in ſpecie poſſeſſionis jurium Eccleſiæ *num. 584.* Miliſ. *in repert. v. poſſeſſio q. 34.* Maſcard. *de probat. concl. 1184. num. 11. & ſeqq. & num. 17.* ac firmavit Rota in Barchinonenſi murorum 10. Junii 1615. coram Veroſpio, cùm, traditis alicui clavibus, videatur etiam tradita poſſeſſio eorum, quæ ſub clavi ſunt, ut poſt multos allegatos firmat Gratian. *diſcept. 681. num. 5.* & Maſchard. *loco cit. concluſ. 298. num. 2.*

19 Præſertim autem, ſi Teſtium depoſita ſit etiam adminiculata ex Inſtrumentis publicis confectis ſuper hac retentione clavium, aperitione, ac reſeratione oſtii ejuſdem Imaginis, quæ pariter plenam probationem inducunt, ut in terminis firmat Soccin. Sen. *conſ. 205. n. 5. lib. 2.* Roland. *conſ. 46. num. 18. lib. 2.* & Rota in Tudertina Prædii 24. Maji 1610. coram Ottembergo, & in Mediolanenſi bonorum 15. Maji ejuſdem anni coram Lancellotto, paſſimque alibi.

20 Et de hoc dominio, deque hac poſſeſſione tantò minus dubitari poterit, ſi omnes prædicti actus ſint facti ſcientibus, & patientibus ipſis Regularibus, ſive Clericis, eorum prædeceſſoribus, quæ ſcientia, & patientia ſufficit ad effectum, ut acquiſitum dicatur dominium, ac poſſeſſio, Cæſar. de Graſſis *dec. 76. n. 9.* Mantic. *dec. 207. n. 6. & dec. 184. n. 1. par. 1. diverſ.* Seraph. *dec. 1432. num. 5.* Gregor. *dec. 249. n. 3.* & præſumitur nedum ex eorum prælentia, ſi per Teſtes probetur, ſed etiam ex multiplicitate actuum, & ex diuturnitate temporis, ut dixit Rota *deciſ. 179. num. 2. part. 1. diverſ.* & coram Seraph. *deciſ. 306. num. 5. & 7. & dec. 685. n. 4. part. 1. rec.*

21 Idque præcipuè ſi accedat, quod iidem Regulares accerſebant Magiſtratum, ut accederet cum clavibus, vel mittere ad aperiendum oſtium, ex quo videtur ipſos Regulares fuiſſe confeſſos dominium, ac poſſeſſionem dictæ Imaginis ad illum ſpectare, ut per Rotam coram Gregorio *deciſ. 402. num. 1. & dec. 458. num. item 1.*

Vel ſi poſſeſſio, ac dominium Magiſtratus etiam comprobaretur ex decretis in viſitatione Eccleſiæ, ac dictæ Imaginis emanatis, in quibus expreſsè dicatur, quod Magiſtratus retinet claves Imaginis, & quod illius cura ad ipſum pertinet, præſente Rectore dictæ Eccleſiæ, quorum viſitatorum atteſtationi omninò ſtandum eſt, ut ait Rota coram Seraphino *dec. 780. num. 1. & 2.* cùm viſitatores præſumantur fuiſſe plenè informati de juribus utriuſque partis, & cauſa cognita decreta edidiſſe, licèt non in forma judiciali, ut ait Seraph. *deciſ. 780. num. 4. & ſeqq.* Unde videntur facere probationem probatam, a quibus non datur appellatio, ut pluries firmavit Rota, præſertim in Mediolanenſi Beneficiorum 18. Decembris 1595. coram Litta. 22

Nec obſtat, quod cùm non appareat aliquis titulus Magiſtratus, ſola poſſeſſio ſuffragari ei non poſſit. Tum quia cùm dicta poſſeſſio ſemper retenta, & continuata fuerit cum ſcientia, & patientia Regularium, eorumque Prædeceſſorum, ipſa ſola ſine alio titulo ſufficit ex allegatis. Et tum quia cùm ſemper fuerit ab ipſo continuata, ex tanti temporis lapſu præſumitur etiam, titulum præceſſiſſe, ut per Felin. *in cap. licèt Heli numer. 10. de ſimon.* Aym. *de antiq. tempor. par. 3. §. vidimus num. 28.* ac Rota *dec. 134. num. 2. par. 1. diverſ.* & coram Seraph. *dec. 1252. n. 2.* ubi firmat, ſufficere vigintiquinque annos. Et in his annexis ſpiritualibus ſufficit poſſeſſio quadraginta annorum. Quia per tantùm temporis dicitur inducta præſcriptio, vel diſcontinuata, Bald. *in l. 2. n. 7. C. de ſervit. & aq.* Aretin. *conſil. 99. num. 11. & ſeqq.* Feder. de Sen. *conſ. 234. num. 3.* 23

Minus obſtat, quod Summus Pontifex dictam Eccleſiam cùm Sanctorum Reliquiis, & omnimoda adminiſtratione temporali, & ſpirituali conceſſerit, & applicaverit Regularibus, & propterea debeat etiam ad ipſos ſpectare adminiſtratio dictæ Imaginis. 24

Primò, quia cùm Pontifex omne jus, curam, & adminiſtrationem temporalem, & ſpiritualem, quam in dicta Eccleſia, ejuſque bonis, Clerici habebant, ſuppreſſerit, atque extinxerit, eaque omnia cum Sanctorum Reliquiis conceſſerit, & applicaverit Regularibus, non videtur iis voluiſſe concedere, niſi ea, quæ habebant dicti Clerici, ut per Angel. *conſ. 138. in princip.* ſed apud Magiſtratum remanſiſſe, cùm Pontifex illud non abſtulerit, nec velle auferre declaraverit, ut tradit Dec. *conſ. 407. n. 23. & ſeqq.* 25

Deindè quia ſub nomine Reliquiarum Sanctorum non venit hæc Imago Beatæ Virginis. Quia cùm illa ſit Mater Dei, tanquam Sanctorum Reliquiis eminentior, debebat expreſsè nominari, aliàs ſub expreſſione generali non cenſetur comprehenſa, ex traditis per Roman. *conſil. 498. num. 10. & ſeqq.* Anchar. *conſ. 295. num. 4. & 5.* Mandoſ. *ſuper reg. 19. de infirm. reſign. qu. 2. n. 4.* cum vulgò aliis. Eoque magis, quia proprietas verborum, quam ſemper ſequi debemus, id non patitur, Soccin. Sen. *conſ. 304. num. 3. lib. 2.* ac Tiraq. *de retract. convent. §. 2. gloſſ. 1. num. 11.* Et quamvis ſimul cum aliis Reliquiis nominetur etiam hæc Imago, id tamen attendi non debet, quia impropriè ita fuit appellata, vel quia fuit poſita ſimul cum aliis Reliquiis, quæ ſub illo ſolo nomine veniunt, & propterea talis nominatio non præjudicat, ut per Alex. *conſ. 86. n. 2. lib. 1.* 26

Ad hæc, cùm, non obſtante dicta conceſſione, Magiſtratus, ſcientibus, & patientibus ipſis Regularibus, continuaverit in retentione clavium, aperiendo, & claudendo oſtium Imaginis, videtur declaratum, quod Regularibus nullum jus ſuper dicta Imagine conceſſum fuerit, ut ſpeciatim ait Roman. *conſil. 271. num. 4.* Aym. *conſil. 201. num. 11.* Soccin. Jun. *conſil. 61. num. 36. lib. 2.* ac Rota *deciſ. 503. num. 2. div. & deciſ. 571. num. 3. part. 1. & deciſ. 256. num. 5. & 6. part. 2. & dec. 261. num. 4. part. 1. recent.* 27

Prætereà quia cùm in ſuis literis Pontifex non ſolùm non fecerit expreſſam mentionem conceſſionis prædictæ Imaginis, ſed neque mentionem juris dicti Magiſtratus, obſtat Regularibus regula de jure quæſito non tollendo, quæ operatur, ut ipſi hac in re non cenſeatur in aliquo præjudicatum, Pariſ. *conſil. 51. num. 15. & ſeqq. lib. 4.* Dec. *conſ. 407. num. 23. & ſeqq.* Rota *dec. 33. n. 8. de præben. in antiq.* & in Viterbien. Caſtrorum 12. Februarii 1611. coram Sacrato, & in Uritana Archipresbyteratus 18. Junii 1599. coram Corduba, & in terminis in Oſcenſi indulti 1. Julii 1602. coram Millino. 28

Ita quidem, ut non videatur illi per clauſulas ampliſſi- 29

mas

mas in dictis literis appoſitas, derogatum. Nam, ut illi derogatum cenſeatur, requiritur ſpecialis, & expreſ. ſa mentio dictæ regulæ, ut tradit Caputaq. *dec.* 30. *part.* 3. Seraph. *dec.* 1802. *n.* 1. & 7. & firmatum fuit a Rota in Terdonenſi Juriſpatronatus 13. Maji 1613. coram Pamphilio, ita ſanè, ut licèt etiam Pontifex ſciret præjudicium partium, non tamen cenſeatur illis præjudicaſſe, niſi expreſsè dictæ regulæ derogaverit, ut dicitur in dicta Terdonenſi, & firmatur in Uliſypponenſi concordiæ 14. Januarii 1600 coram Juſto, & in dicta Oſcenſi coram Millino.

30 Minus etiam obſtat, quod hæc Imago, tanquam res ſpiritualis non poſſit retineri, neque adminiſtrari a laicis, Nam hæc adminiſtratio eis non competit, uti de re merè ſpirituali, ſed veluti de jure annexo rei ſpirituali, quod laicis non eſt prohibitum, ut docet Abbas *in cap. Quantò num.* 4. & 6. ibique Felin. *num.* 2. *de judic.* Roch. *de jure patr. verſ. Jus num.* 2. Alex. *conſ.* 58. *num.* 7. *lib.* 1. Vel ratione officii, ut ait Roch. *loc. cit.* Vel ex antiqua obſervantia, ut in Imagine Sanctiſſimi Salvatoris ad Sancta Sanctorum Urbis, cujus cura, & cuſtodia pertinet ad cuſtodes Hoſpitalis illius, in Imagine Beatiſſimæ Virginis de Populo, etiam Urbis, cujus cura pertinet ad cuſtodes Hoſpitalis Incurabilium, & in aliis, ut per Roch. *ibid. verſ. & in Eccleſia quæſt.* 1. *limit.* 2. *num.* 5. & dum publicè a tanto tempore Magiſtratus retinuerit claves, & Pontifex in ſuis literis dictum jus eas retinendi ipſis non ademerit, cenſetur voluiſſe, quod in eas retinendo continuarent juxta, *cap. inter corporalia de translat. Epiſc. cap. ad audientiam in fin. de decim.* & Caſſad. *dec.* 4. *num.* 4. *de conſtit.*

31 Denique non obſtat, quod Magiſtratus videatur retinere claves non jure proprio, ſed precario, quod cenſetur per dictas literas Pontificis revocatum. Quia cùm non conſtet de aliqua conceſſione per Regulares, neque per eorum prædeceſſores dicto Magiſtratu facta, ut requiritur, ad Text. ibique Doctores *in lib.* 1. *ff. de præcar.* Caſtr. *conſ.* 439. *in princ. lib.* 2. Covar. *var. reſ. lib.* 3. *cap.* 15. *ſub initio*, neque conſtet de principio dictæ conceſſionis, ut inquit Caſtr. *conſ.* 440. *col.* 2. *lib.* 2. Immò habeat poſſeſſionem tanti temporis, ut omne jus Regularibus præſcripſerit, præſumitur jure proprio, tanquam Magiſtratus, & Cuſtodes illas retinere.

32 His tamen hunc modum adhibendum eſſe judico, ut nimirum claves retineantur a Magiſtratu privativè quoad Regulares, qui accedere debeat ad Eccleſiam, & tradere illas uni ex dictis Regularibus, qui ſuperpelliceo indutus aperiat oſtium S. Imaginis, præſente Magiſtratu cum cereis funalibus.

CONSULTATIO LXXVI.

Quænam potiſſimum requirantur, ut quis verè ſit Religioſus Religionis Hieroſolymitanæ? Virtus profeſſionis. Profeſſio expreſſa quomodo ſaltem conſtare debeat? Profeſſio tacita quomodo inducatur? Annus probationis ubi peragendus? Nullitas profeſſionis manifeſta quomodo ſananda? Qualis actus ſit acceptatio profitentis ad Religionem? Profeſſio nulla requirit novum conſenſum profitentis, & Monaſterii. An Pontifex ſuppleat conſenſum Monaſterii pro ratificanda profeſſione nullæ? Quam ratificationem profeſſionis admittant jura?

1 REquiritur, quod ſit profeſſus, aliàs enim ſine profeſſione non eſt cenſendus Religioſus, *cap. Religioſo de ſentent. excomm. in* 6. *cap. ex parte de regul.* & tradunt Dec. *in cap. in præſentia num.* 202. ibique Bero. *num.* 56. *de probat.* Soccin. jun. *conſ.* 48 *numer.* 21. *vol.* 4.

2 Hinc de profeſſione expreſſa conſtare debet, ſaltem ex atteſtatione receptoris Religionis in aliquo Prioratu, ſub quo fuit receptus, qui atteſtari debet, ipſum peregiſſe novitiatum, ac profeſſionem, cui atteſtationi in ſpectantibus ad ejus officium adhibenda eſt fides, Seraph. *dec.* 792. *num.* 3. ac Rota *dec.* 200. *num.* 5. & *dec.* 525. *num* 5. *part.* 2. *rec.*

3 Ex quo excluditur profeſſio tacita. Quia licèt illa ante Sacrum Concilium Tridentinum induceretur per actus, qui non poſſint fieri, niſi a profeſſis, poſt tamen Concilium, quando non apparet fuiſſe peractum annum novitiatus, ea nunquam poteſt cenſeri facta, Navarr. *conſ.* 19. *num.* 4. *de regular.* & latè Sanch. *in decalog. tom.* 2. *cap.* 3. *num.* 26.

4 Quod eo magis procedit, quia non ſolùm concurrit prohibitio Concilii Tridentini, ſed attentis ſtabilimentis hujus Religionis, eſt peragendus annus probationis in Conventu, & prohibetur admiſſio, niſi peracto anno novitiatus, ut *in ſtabil.* 28. *de recept. fratr.*

Præcipuè ſi non concurrit aliquis actus, qui non po- 5
tuerit fieri, niſi a profeſſis, ſine quo profeſſio tacita, ne quidem ante Concilium Tridentinum inducebatur, *cap. ſtatuimus*, ubi Gloſſ. *de regular.* Abb. *in capit. vidua num.* 5. ibique Joan. Andr. *num.* 7. *eod. tit.* Menoch. *conſ.* 396. *num.* 15. Surd. *dec.* 303. *in fin.* Licèt enim quis detulerit Crucem auream, hæc tamen defertur etiam ante profeſſionem in infantili ætate, non autem in pallio, in quo ſolet deferri a profeſſis, ut ſtatuitur *in ſtabil.* 1. *verſ. Queſto è il noſtro ſegno*, *de recept. fratr.* Et ideò iſta delatio Crucis aureæ non poteſt inducere profeſſionem tacitam, Abb. *in d. cap. vidua num.* 6. ibique Doctores communiter, *cap.* 1. ubi Joan. Andr. Gemin. Franch. & alii *de regul. in* 6. Gratian. *diſcept.* 640. *num.* 39. Adden. ad Gregor. *dec.* 385. *num.* 6. *verſ.* Item etiam requiritur, quod habitus novitiorum ſit diſtinctus. Et delatio habitus, etiam profeſſorum, per quantumcumque temporis ſpatium extra Conventum non inducit profeſſionem, Mohedan. *dec.* 1. *de præſumpt.* Put. *dec.* 136. *lib.* 1. Menoch. *lib.* 3. *præſumpt.* 83. *n.* 15.

Demùm profeſſio tacita non inducitur, niſi concur- 6
rente voluntate, ac ſcientia Superioris, qui poteſt incorporare Religioni, qui anteà non erat profeſſus, & qui per illas intelligebatur tacitè profiteri, Cardin. *in cap. porrectum de regul.* & poſt Navarrum, Sanchez *d. cap.* 3. *num.* 14. Prout etiam eadem voluntas, & ſcientia debet probari in eo, qui prætenditur profeſſus, etiam quod eſſet in anno novitiatus, Abb. *in d. cap. vidua num.* 7. Sanchez *loc. cit. num.* 16. & Navarr. *de regul. tom.* 4. *num.* 74. & *conſ.* 19. *de regular.* ubi *num.* 5. ait, quod multi eruditi neſciunt induci profeſſionem tacitam per ſimiles actus.

Unde ſi non conſtiterit de voluntate, & ſcientia Su- 7
perioris, neque de voluntate, & ſcientia Religioſi, ſed potius apparuerit de contrario, quia ipſe aſſiduè proteſtatus fuerit coram honeſtis viris, nolle eſſe Religioſum, ſed deferre Crucem auream devotionis cauſa, prout illam deferebat ab infantili ætate, quod excludit profeſſionem, etiamſi detulerit habitum profeſſorum, Abb. *in cap. conſulti num.* 1. & *in cap. poſtulati num.* 2. *de regul.* Menoch. *d. præſumpt.* 83. *n.* 17. nunquam erit verus Religioſus.

Et quamvis plures ſint, qui doceant, ſufficere novum 8
conſenſum profeſſi ratificantis profeſſionem invalidam, nec requiri novum conſenſum Monaſterii, ut Navarr. *conſil.* 77. *numer.* 2. *de regular.* Graff. *part.* 1. *deciſ. lib.* 3. *cap.* 5. *num.* 24. Leſſ. *lib.* 2. *de juſt.* & *jur. cap.* 41. *num.* 67. Suar. *tom.* 3. *de relig. lib.* 7. *capit.* 1. *numer.* 16. Sà *in aphoriſm. verſ. religio num.* 25. Sanchez *lib.* 7. *de matrim. diſp.* 37. *num.* 60. Rodriq. *tom.* 3. *quæſt. regular.* 17. *art.* 3. §. *aut nullitas*, Sorb. *in compend. privil. mendic.* §. 4. Bartol. a S. Fauſto *in Theſ. Relig. lib.* 5. *quæſt.* 257. *edit. ult.* Vecch. *in prax. pro admitt. novit. diſp.* 14. *dub.* 4. *num.* 3. Portel. *in dub. regul. v. profeſſio num.* 41. Scroſa *de invalid. profeſſ. dub.* 9. Bordon. *de profeſſ. regul. cap.* 6. *q.* 11. quos ſequuta eſt Sacra Rota Romana in Uliſypponenſi nullitatis profeſſionis die 17. Maji 1641. coram Carillo.

Id tamen locum habere arbitror, quando nullitas pro- 9
feſſionis eſt omninò occulta, itaut Monaſterium ſit in bona fide de illius invaliditate, ad quod faciunt jura, quæ admittunt tacitam profeſſionem, vel per dilationem habitus profeſſorum, ut *can. Interrogaſti dict.* 27. *can. devotis* 2. *q.* 1. *c. ad noſtram*, *cap. ſuper eo*, *cap. cum virum*, *cap. cum ſcimus*, *cap. ſicut a nobis*, *cap. ex parte de regular.* & *cap.* 1. *ac ſeqq. eod. tit. in* 6. Vel per exercitium actuum, qui ſunt proprii profeſſorum, de qno fit mentio *in can. Cùm progenitores* 20. *q.* 1. & *d. c. vidua de regular.* Hoc enim pacto profeſſio nulla ratificatur per profeſſionem tacitam ſupervenientem.

Quia Monaſterium cùm permaneat in bona fide, ha- 10
bens ipſum pro validè profeſſo, ſe gerit cum ipſo, tanquam cum profeſſo, per quod virtualiter ratificat non ſolùm delationem habitus ipſi conceſſam, ſed etiam conſenſum proprium acceptandi illum ad profeſſionem. Nam ſe gerere cum ipſo, tanquam cum profeſſo eſt effectus illius conſenſus, quo ipſum acceptavit in profeſſione, ac proindè hujuſmodi conſenſus manet virtualiter in tali effectu, ex quo fit quod habeat vim ratificandi ex parte Monaſterii virtuali modo profeſſionem. Quia ſicut expreſsè exhibitus, expreſsè ratificat, ita virtuali modo de novo exhibitus, virtuali quoque modo ratificat.

Secus autem dicendum eſt, ſi nullitas profeſſionis ſit 11
manifeſta, & nota Monaſterio, cùm non poſſit, ſublata, bona fide, ſe gerere cum nulliter profeſſo, tanquam cum verè profeſſo, & hoc pacto manutenere virtuali modo priſtinum conſenſum, & virtuali, ſive tacito

modo acceptare tacitam ratificationem nulliter profeſſi. Unde quod requiratur novus conſenſus Monaſterii, docent Azor. *tom.* 1. *lib.* 14. *cap.* 4. *qu.* 7. Pontius *lib.* 4. *de matrim. cap.* 25. *num.* 12. & Palaus *par.* 3. *oper. mo-*
12 *ral. diſput.* 2. *de ſuſcept. relig. ſtat. punct.* 5. *num.* 2.

Quia profeſſio eſt contractus mutuus, quo profeſſus ſe obligat Religioni, & Religio ſe obligat profeſſo. Contractus autem eſt obligatio proveniens hinc inde ex voluntate partium, *l. labeo, ff. de verb. ſignif.* Unde ſicut ad ineundum contractum requiritur mutuus conſenſus partium, ita etiam ad ratificandum contractum nullum requiritur mutua ratificatio. Nam quando conſenſus eſt nullus perindè ſe habet, ac ſi non fuiſſet.

13 Quod præcipuè verùm eſt in profeſſione regulari. Nam obligatio profitentis acceptari debet a Prælato regulari, itaut non ſortiatur ſuum effectum, niſi acceptetur. Unde cùm prior intentio acceptandi fuerit inanis, & nullum ſortita ſit effectum, quia ex parte profitentis non aderat vera obligatio, neceſſaria eſt nova intentio acceptandi novam obligationem profitentis. Nam intentio non ſe extendit, niſi ad obligationem præteritam, circa quam ſolùm verſatur. Et cùm obligatio ratificans non cadat ſub intentione Prælati, non poteſt acceptari per illam intentionem. Quia ſolùm acceptatur, quod intenditur acceptari. Eſt enim talis acceptio actus ſuperioritatis, ut notant Franch. *in c. deſtitutionum §. in aliis num.* 7. *de regul. in* 6. Gemin. *ibid. num.* 6. Rotella *v. novitius num.* 21. *in fine*, Tabiena *eod. v. num.* 8. & Sanchez *lib.* 5. *in decalog. c.* 4. *num.* 78. qui exercetur a Prælato, ut a capite Collegii, atque adeò nomine ipſius Collegii, & ideò ſe extendit ſolùm ad tempus, perſonam, & actum, ad quæ ſe extendit determinatio Collegii, & tranſacta illa vice, expirat facultas in Prælato, quia functus eſt munere ſuo, & complevit id, quod ex determinatione Collegii poterat præſtare. Talis enim acceptatio eſt actus dependens toties, quoties exendenda eſt a determinatione Collegii, & ideò ſi ſemel inanis fuit defectu profitentis, non poteſt Prælatus iterùm acceptare quia expiravit ejus facultas.

14 Nec dicatur, quod ex parte Monaſterii maneat moraliter virtualis conſenſus, qui cenſetur manere, donec retractetur. Nam quando deſinit bona fides, jam Monaſterium cognoſcit contractum profeſſionis fuiſſe abſolutè nullum; Undè non poteſt continuare virtualiter conſenſum ſuum, tanquam validum; nam cognoſcit jam fuiſſe nullum; quia non poteſt quis validè conſentire in id, quod non ſubſiſtit, nec ſe obligare velle illi, tanquam ſubdito, qui non ſe tradit ut ſubditum, ac proindè cùm talis conſenſus non ſubſiſtat, nec etiam virtualiter permanere poteſt. Præterea non eſt quicumque conſenſus, ſed conſenſus contractationis, hoc eſt obligans conſentientem, & ſimul acceptans alterius obligationem. Et quoniam obligatio non eſt mutua, ſi non ſubſiſtit in ratione acceptationis alienæ obligationis, nec etiam poteſt ſubſiſtere in ratione obligationis. In ratione autem acceptationis non poteſt ſubſiſtere, quia non adeſt materia, quæ acceptetur. Sic votum, & promiſſio non ſubſiſtunt, deficiente materia.

15 Minus etiam dicatur, quod quatenus nova acceptatio requiritur, ſuppletur a Summo Pontifice, ut inquit Sanch. *lib.* 1. *de matrim. diſp.* 37. *num.* 64. Nam in jure non habetur hujuſmodi ſupplementum. Etenim *ex cap. ad noſtram, & cap. ſignificatum, & cap. cum virum de regular. & cap. perlatum de iis, quæ vi & c.* 1. *eod. tit. in* 6. ſolùm habetur, quod profeſſio nulla ſubſiſtit, ſi poſteà ratificetur a profeſſo, quod non ſuffragatur oppoſitè opponi. Nam debet intelligi de ratificatione in debitis terminis, & juxta exigentiam materiæ. Unde cùm ſit ratificatio de contractu mutuæ obligationis, debet intelligi de ratificatione a parte acceptata, & ratificante etiam ipſam ſuam mutuam obligationem, ſiquidem etiam obligatio Monaſterii fuit nulla. Cùm enim ratio ſit anima legis, *l. Cùm Pater, §. dulciſſimis, ff. de leg.* 2. & verba legis ampliari, ac reſtringi debeant ad limites rationis, ut tradit Abbas *in cap. fin. de reſcript.* debemus prædictos Textus accipere ſecundùm exigentiam rationis. Ratio autem exigit, quod quando obligatio mutua nulla ratificatur a parte, acceptetur ratificatio ab alia parte. Quia in contractibus non tenet obligatio, niſi acceptetur.

16 Nec talis conſenſus ſuppletur a Concilio Tridentino *ſeſſ.* 25. *c.* 19. *de regul.* Nam ibi ſolùm decernitur, quod nulliter profeſſus poſſit reclamare per totum quinquennium a die profeſſionis, & quod tranſacto quinquennio, non poſſit amplius reclamare; ſed præſumatur profeſſus. Quare ante quinquennium non ſupplet conſenſum, ſed relinquit totum in ſuo ſtatu, quem habet ex vi primæ profeſſionis. Tranſacto autem quinquennio, nec quidem ſupplet conſenſum, ſed ſolùm vult quod ex taciturnitate præſumatur profeſſus, atque adeò ſolùm in foro exteriori, non autem in foro conſcientiæ, quod ſatis ex eo patet, quod elapſo quinquennio, reſtituitur nulliter profeſſus ad reclamandum. Quod ſanè fieri non poteſt, ſi in foro interno eſſet verè profeſſus.

Et quamvis in contractibus non requiratur mutuus 17
conſenſus temporaneus, ſed poſſit ſucceſſivè præſtari, *l.* 1. *ff. de verb. oblig.* nihilominus debet ſucceſſio eſſe talis, ut contineat moralem ſimultatem, itaut conſenſus poſteà præſtitus ſit in ordine ad acceptandum conſenſum alterius partis anteà præſtitum. Id autem non poteſt habere locum, quando ſemel contractus eſt nullus. Quia tunc conſenſus partium ſe invicem reſpiciunt, & unus conſummatur per ordinem ad alium, nec ordinatur ad conſenſum aliàs præſtandum in ſupplementum prioris invalidi, ſicut ordinatur, quando conſenſus ab una parte exhibetur uno tempore, & ab alia exhiberi debet tempore ſubſequenti.

CONSULTATIO LXXVII.

De electione regulari per ſubornationem. Ejus pernicies. Quid in Sacerdotiis? Nullitates hujuſmodi electionis. De electione reſtricta ad duos, vel tres. Secreta ſuffragia in electione, quæ, quomodo, quando? Ad id alia.

EX Conſtitutione 128. Beati Pii V. quæ incipit, *Paſtoralis officii §.* 4. habetur: *Qui verò electionibus* 1
omnibus, vel ante eas per ſex menſes pro ſe, vel pro alio ſubornaret, excommunicationis ſententiam ipſo facto incurrat, a qua abſolvi non poſſit, niſi a Pontifice pro tempore exiſtente, ac voce activa, & paſſiva perpetuò careat. Eam confirmavit Clemens VIII. in decretis pro reformatione Regularium *Conſt.* 60. *num.* 35. & innovavit Urbanus VIII. decreto edito a Sacra Congregatione Concilii, quod legitur *in Conſtit.* 26. ejuſdem Pontificis, ubi in electionibus Superiorum Regularium prohibetur omnis procuratio ſuffragiorum tàm pro ipſis, quàm pro aliis directè, vel indirectè, & tranſgreſſores puniuntur ipſo facto pœna privationis officiorum, quæ obtinent, & perpetuæ inhabilitatis, extantque plurium Religionum ſtatuta, in quibus diſponitur, quod ſubornatores declarentur, qui donis, & promiſſis, comminationibus, & obſecrationibus importunis, laudibus, aut vituperationibus falſis aliquem inducere conantur, ut ſibi, aut alteri ſuffragium in electionibus ferat, quive colligationes, aut inductiones fecerint. Inſuper ſubornatores actibus legitimis ipſo facto privantur, de quibus atque aliis nos agimus *tom. nono in Conſult. de ambitu.*

Ex his autem conſtat, prohibitam eſſe ſubornatio- 2
nem. Immò hoc crimen, tanquam peſtis Reipublicæ, ac pernicies Religionum, connumeratur inter illa, quæ ab omnibus accuſari poſſunt, Molfeſ. *in prax. crim. & ad ſtatut. ſuæ Relig. c.* 15. *q.* 50. *§. Ad cujus* cum aliis ibi allegatis. Lex de ambitu dicta eſt, quæ de re, quæ ad ambitum, ſeu circuitionem populi, cujus erant ſuffragia, ſive jus electionis in Comitiis Magiſtratuum pertinebat. Unde *in l.* 1. *ff. ad leg. Jul. de ambitu* incidit, qui illicitis artibus populi favorem, vel eorum, qui eligendi ad Magiſtratus Officia, vel Sacerdotia poteſtatem habent, ſuffragia aucupantur. Hinc Juſtinianus omnium majorum occaſionem unam, accipere ſuffragium a Judicibus, dicit, totiuſque nequitiæ principium, & terminum, quæ accuratè, & veriſſimè perſequitur per exempla *in §. an certè non omnibus manifeſtum eſt, tit. ut judic. ſine quoquo ſuffrag. Conſt. novel.* 8. ubi digna optimo Principe ponuntur.

In Sacerdotiis obtinendis, etiam ambitum locum ha- 3
bere, & puniendum, placet Modeſtino *d. l.* 1. *ad leg. Jul. nemo*, inquit Leo Cæſar. *l. ſi quemquam, C. de Epiſcop. & Cler. gradum Sacerdotii, pretii venalitate mercetur. Quantum quiſque mercatur, non quantum dare ſufficiat, æſtimetur.* Idem ſancivit Juſtinianus *§. ſed neque Clericum, §. ſed neque Xenodochium, C. de Sanctiſ. Epiſcop. in novel.* Firmiuſque decretum Sacris Canonibus ex ſententia ſacræ paginæ, quibus pro ſpirituali adminiſtratione, vel ordine, vel magiſtratu Eccleſiaſtico quidpiam accipere, ſimonia dicitur, *cap. non ſatis de ſimon. can. quos conſtiterit, can. ſunt nonnulli, canon. ſi presbyter, can. quidquid, can. Salvator.* 1. & ſeveriſſimè vindicatur *can. ſi quis, can. presbyter, can. quicumque, can. qui ſtudet, can. ſi quis Epiſcopus cum quinque ſequen.* 1. *qu.* 1. *& tot. tit. de ſimon.* In legem Juliam

de

de ambitu item incidere Arcadius, & Honorius *in d. l. un. C. ad leg. Jul. de ambitu* tradunt eum, qui iteratò petierit principatum, sive Commentariensis gradum, vel cætera officia, quibus jam functus sit, cùm publicæ disciplinæ semel gesta sufficiant.

4 In electione igitur, in qua obtinetur intentum per efficacem persuasionem, & exquisitam exageratione ita inducantur, & colligantur voluntates suffragatorum, illos deterrendo, ut ad sui, vel alterius favorem suffragium feratur, intervenit vera subornatio, colligatio, atque inductio interdicta, de qua idem Molfes. *loc. cit.*

5 Sicque prima nullitas hujusmodi electionis resultat ex hoc capite subornationis interdictæ. Quia facta est contra legem prohibentem, licèt non contineat expressè decretum irritans. Nam pro irrito haberi debet, quod habet causam perpetuæ inhabilitatis, *l. non dubium 5. C. de leg. cap. licet can. tit. de elect. can. vides dist. 10. & cap. tua 4. de sponsa. duor.* ibi, *Imperator ait procedere, licèt lex non annullet contra se factum*: Quod etiam habetur *in can. Imperiali 13. 5. qu. 2.* traditque Dec. *in cap. in nomine de testam. num. 17.* Electio enim præseferens perpetuitatem, & successionem in omnibus Religionibus reprobatur, ac ita ne Summus quidem Pontifex possit sibi eligere successorem, ut per Jacobat. *lib. 5. de Concil. art. 22.* Azor. *tom. 2. lib. 4. cap. 5. q. 3.* quos cum aliis benè multis refert, ac sequitur Diana *p. 19. tr. 4. resol. 2. & 4.* Electio autem per subornationem habet perpetuitatem, & successionem. Nam officiales prædecessores per subornationem concludunt electionem juxta suam mentem contra omnium expectationem, atque adeò successorem sibi eligunt.

6 Insuper, præter ea, quæ ex mente Beati Pii V. & Clementis VIII. contra subornatores retulimus, additur, quod subornatus, & is, pro quo facta est subornatio, incurrunt eamdem excommunicationem, Papæ reservatam, eamdemque privationem, vocis activæ, & passivæ, ex eadem Beati Pii V. Constitutione. Et quidem de eo, pro quo fit subornatio, id statutum est, quia sciens subornationem fieri pro se, & tacens indirectè dicitur subornare, dum non obstat, sed ratum id habet. Rati autem habitio eam in delictis, mandato comparatur, *l. hoc jure, §. dejicit, ff. de reg. jur.* & sufficit ratihabitio tacita, quæ ex facto, sive acceptatione colligitur, ut per Dec. *in l. semper ff. de reg. jur. num. 8.* Et quia non prohibendo, subornationem mandasse creditur, *d. l. semper*, ubi etiam Decius.

7 Secunda nullitas deducitur ex defectu libertatis, qua caret hujusmodi electio. Nam in omnium sententia libertas est de essentia electionis, sine qua subsistere non potest, *cap. Cùm terra 4. de elect. c. ubi periculum, §. Cæterùm eod. tit. in 6.* ibique Glos. *v. metuebat, c. bonæ memoriæ 13. eod. pariter tit.* Rodriq. *tom. 2. quæst. regular. 51. art. 10.* Sigismund. de Bonon. *de can. elect. dub. 53. cum binis seqq.* Lavor. *var. elucubr. tit. 4. q. 22.* Et officiales enim per subornationem toto conatu, & omnibus viribus cogunt suffragatores ad ferendum suffragium pro quibus ipsi volunt. Preces namque importunæ, & assiduæ cum actibus vehementissimis aptis ad animos etiam constantium virorum commovendum, quibus suorum fautorum auxilium sæpè clamoribus implorant, beneficia sua in eos commemorantes, minitantes aliàs eos fore proditores, incutiunt metum gravem; nam preces eorum, quibus reverentia debetur, causant justum metum, libertatem tollunt, ac vim, & impressionem faciunt, præsertim quando cum clamore fiunt; *can. si ergo sub initio 8. quæst. 1.* Afflict. *dec. 69. num. 4. & 5.* Cravet. *cons. 10. num. 17.* Rota *dec. 105. num. 3. par. 1. in novis*, & Sanchez *de matrim. lib. 4. disp. 4. num. 5. & 7.* Unde suffragatores meritò timere possunt, se contumeliis afficiendos, vel in aliis electionibus illos sibi inimicos experturos, ex quo causatur justus metus, Sanch. *loc. cit. num. 11.* Vel si electores non pareant subornatoribus, imminet grave periculum seditionis cum gravi scandalo populi, & sequeretur facilè subtractio eleemosynarum. Jactura enim bonorum, ac honoris Religionis causat justum metum, Sanch. *ibid. disp. 5. numer. 13. 15. & 27.* Quod autem verum est, ut sola justa, & probabilis suspicio metus ad id sufficiat; Nam illa habetur pro metu, Bald. *in l. fin. num. 7. Cod. de jur. deliber.* Rimin. Sen. *cons. 15. num. 6.* Alban. *cons. 77. num. 18.* quos sequitur Rota *dec. 274. num. 18.* coram Gregorio, & Sigism. a Bonon. *loc. cit. dub. 14. num. 15.*

8 Immò hujusmodi electiones non solùm carent libertate, sed nulla in eis apparet intrinseca ratio formalitatis, quæ de se est assumptio unius ex pluribus, ut per Abb. *in d. c. cùm terra 14. de elect.* ubi cæteri Canonistæ. Quia necessarius est plurium concursus, saltem duorum ad electionem passivam, ut indifferentia libertatis determinetur magis ad universalem, quàm ad alterum, aliàs si unus esset, non diceretur indifferens, sed determinatus, sive necessitatus ad unum. Per subornationem autem suffragatores non possunt dici esse indifferentes, dum iis unus eligendus proponitur cum exclusione aliorum.

Tandem nulla est electio restricta ad duos, vel tres, 9
aliis exclusis, & hæc consuetudo reprobatur in citato *cap. cum terra*, traduntque Rodriq. *tom. 2. qu. 51. artic. 11.* Mirand. *tom. 2. qu. 23. art. 22.* Sigismund. *loc. cit. dub. 52.* qui refert responsum Sacræ Congregationis in hæc verba: cùm enim proponeretur, *an stante libertate electionis, liceat Prælato Regulari præponere duos, vel tres, ex quibus necessariò eligatur unus? Sacra Congregatio censuit, non licere.* Idipsum refert Lavor. *d. tit. 4. cap. 22. de elect. num. 16.* Hoc denique modo non solùm libertas destruitur electorum, sed etiam ex parte electionis contra ejus naturam, dum non fit assumptio unius ex pluribus, sed assumptio unius ex seipso tantùm.

Tertia nullitas hujusmodi electionis eruitur ex defe- 10
ctu secreti. Nam ad electionem procedendum est per secreta suffragia ex dispositione Sacri Concilii Tridentini *c. 6. sess. 25. de regular.* ubi cavetur, ut in electione Superiorum quorumcumque, Abbatum temporalium, & aliorum Officialium, ac Generalium, & Abbatissarum, atque aliarum præpositarum, quo omnia rectè, & sine fraude fiant, omnes prædicti eligi debeant per vota secreta, itaut singulorum eligentium nomina nunquam publicentur. Nec imposterum liceat Provinciales, aut Abbates, Priores, aut alios quoscumque titulares ad effectum electionis faciendæ constituere, aut voces, & suffragia absentium supplere. Si verò contra hujus decreti Constitutionem aliquis electus fuerit, electio sit irrita, & is, qui ad hunc effectum se in Provincialem, Abbatem, aut Priorem creari permiserit, deinceps ad omnia officia in Religione obtinenda inhabilis existat.

Unde electio facta cum publicatione unius schedulæ 11
dumtaxat non secretæ, nulla reputatur a Rota in Trevirensi Abbatiæ Sancti Maximini 20. Aprilis 1624. coram Coccino apud Massob. *in prax. habendi concurs. prælud. 8. num. 13. & 67.* & Sigismun. a Bonon. *dub. 31. num. 4.* Quod etiam locum habet sive ante, sive post electionem immediatè, etiam toto Capitulo consentiente, publicetur, ut per Rodriq. *d. tom. 2. q. 51. art. 9.* Peyrin. *tom. 4. q. 1. c. 36. §. 8.* & Lezan. *tom. 1. q. regul. c. 19. num. 17.* Per subornationem autem non solùm coguntur suffragatores, verùm etiam dum subornatur, quod ferant suffragium pro aliqua determinata persona manifestantur eorum suffragia, antequam singulorum vota inquirantur, & subjiciantur scrutinio.

Qua in re notandum primò est, quod pœna illa in- 12
habilitatis est latæ sententiæ. Quia verbum, *existat*, excludit ministerium hominis, & significat eo ipso induci, ut per Sayr. *de censur. lib. 1. cap. 11. num. 9.* Intelligitur autem, pœnam procedere solùm contra suprà dictos titulares constitutos ad effectum electionis faciendæ.

Deindè notandum est, quod ex vi hujus Triden- 13
ni decreti electio irrita redditur, si fuerint quidem in scrutinio secreta suffragia, sed in patentibus, & confirmatione electi nomina suffragantium fuerint expressa, ut declaravit Sacra Congregatio apud Suarez. *tom. 4. de relig. lib. 2. c. 5. num. 11.* Non est tamen necesse, ut suffragia dentur in scriptis clausa, sed possunt etiam voce dari coram tribus, vel quatuor Scrutatoribus, ut per Garz. *benef. p. 5. c. 4. num. 189.* Suarez *loc. cit. num. 10.* nisi aliud sit cautum ex speciali Constitutione alicujus Religionis, ut Minorum de Observantia, & Bulla Sixti V. Rodriq. *q. 51. art. 8.*

Et licèt aliqui velint, intentionem Concilii esse, ut 14
non manifestentur suffragia, neque publicè, neque occultè, seu privativè, ita tamen, quod si manifestentur publicè, & Capitulum consentiat, seu permittat, electio sit nulla. Si autem privatè, aut sine consensu Capituli, tunc non sit nulla electio, nisi suffragium istius fuerit necessarium ad numerum, & causa fuisset talis manifestatio illius electionis. Quia hoc solùm suffragium est cassandum, & non alia, ne sit in potestate unius particularis subvertere quamlibet electionem *per cap. fin.* ac ibi notata *de prec.* Navarr. *cons. 3. de elect.* Rodriq. *d. q. 51. art. 9.* Mirand. *d. tom. 2. man. qu. 23. art. 19.*

Alii tamen rectiùs ajunt, mentem Concilii esse abso- 15
lutè non duplicari suffragia, ut sive ab uno, sive a multis revelatio fiat, sive publicè, sive privatim, electio sit nulla, si publicatio, seu manifestatio fiat in actu electionis,

nis, vel ante consummationem, sive publicationem, vel ante confirmationem electionis inclusivè, & non ultra. Et ita declarasse Sacram Congregationem, tradit Suarez *d. tom. 4. tr. 1. lib. 12. cap. 5. num. 12.* Garz. *loc. cit. num. 193.* qui tamen *num. 94.* & *196.* dupliciter limitat. Primò, ut non irritetur, si id faciat quis in fraudem, ut subvertat electionem. Secundò, ut non irritet, si propalatio solo verbo fiat, aut taliter, ut non possit inde certò sciri, an verè tali dederit suffragium.

16 Præterea notandum est, quod ait Concilium de non supplendis suffragiis absentium, intelligendum esse, ut non possint suppleri a Præside electionis, vel Capitulo propria authoritate, sed benè per procuratorem constitutum cum speciali mandato, ut declaravit S. Congregatio apud Garz. *ib. num. 199.* ac Rodriq. *loc. cit. art. 6.* Advertitque Garz. modò citatus, non posse mandatum in scriptis dari de suffragio dando certæ personæ, quia sic esset publicatio suffragii, sed benè potest separatim oretenus hoc mandare, tamen si ille non pareat huic mandato, & alteri det suffragium, valet electio, sive suffragatio. Quia mandatum formale externum est generale, sed peccat graviter. Ita Garz. *n. 202.*

17 Denique notandum est, quod si electio fiat contra decretum Tridentini pro foro conscientiæ, multi ajunt, validam esse, si omnia jure naturali requisita interveniant, donec per sententiam cassetur, ut Navarr. *dict. consil. 9. num. 2.* Rodriq *tom. 1. quæst. 27. artic. 10.* Sà *verf. electio numer. 5.* & de communi testatur Miranda *in man. tom. 1. quæst. 23. artic. 30.* ac Innoc. *in capit. quod sicut de elect.* Vide quæ de hac re alibi diximus, ubi fusè decretum Sacri Concilii Tridentini explicavimus.

CONSULTATIO LXXVIII.

An electio, in qua Præsidens Capituli proponit Electoribus, an velint eligere viva voce, sit valida?

1 REspondeo, non esse electionem validam, sed suggestivam. Ita Card. Zabarella *in c. quia propter de elect.* ac Rip. *resp. 5. num. 10. eod. tit.* Nam hoc modo non servatur forma electionis, quæ de jure servari debet. Non enim fit per scrutinium, non per compromissum, neque per inspirationem, vel quasi inspirationem. Per unum enim ex his modis electio necesse fieri debet *d. c. quia propter de elect.*

2 Nec dicatur, quod hujusmodi electio fit per inspirationem ex eo, quia post acclamationem primi vocalis, omnes subsequenter acclamant. Nam hic non est modus eligendi per inspirationem, qui non fit, nisi quando omnes quasi ebrii virtute Spiritus Sancti una voce, nulla interposita mora, nullove ordine successivo simul eligunt eamdem personam, ut per Ostiens. *in d. cap. quia propter num. 50.* ibique Abb. *numer. 3.* Oldrad. *cons. 155.* Gregor. Log. *in leg. partit. tit. 5. l. 21. p. 1.* Quod hodie propter peccata nostra rarò evenit, ut notat ibid. Joan. Andr. *num. 40.* Petr. de Baix *in director. elect. part. 3. c. 16. num. 2.* Franc. March. *dec. 1252. in fin. part. 1.* In hoc autem casu non simul, sed ordine successivo, neque ex aliquo impulsu Spiritus Sancti, sed potius ex suggestione Præsidentis devenitur ad acclamationem, itaut electio non fiat per inspirationem, sed per acclamationem, qui est nonus eligendi modus a Sacris Canonibus minimè intentus.

3 Ideòque plures Summi Pontifices per suas peculiares Constitutiones pro multis Religionibus, ut Paulus V. pro Religione Sancti Augustini Constitutione sua 16. Maji 1614. expresè præcepit, ut in ea Religione electiones non fiant, nisi per secreta suffragia, derogando omnibus, ac quibuscumque Constitutionibus hactenus editis. Quinimmò, ut omninò servetur secretum, & ut nulli possint innotescere vota eligentium, prohibuit, ne in recipiendis votis, adhibeatur Scriba, ut in alia Constitutione edita die 14. Julii ejusdem anni, de quibus in Bullario ejusdem Religionis. Hujusmodi autem Constitutiones sunt conformes dispositioni Sacri Concilii Tridentini *cap. 6. sess. 25. de regul.* qua ad evitandum fraudes cavetur, & datur pro forma, ut electiones Superiorum Regularium fieri debeant per secreta suffragia, itaut electio aliter facta, irrita sit, & taliter electus ad omnia officia in posterum obtinenda, inhabilis existat. Quæ dispositio cùm contineat decretum irritans, ligat etiam ignorantes, *cap. dudum & cap. pen. de præben. cap. si soli de concess. præbend. in 6.* Felin. *in cap. Cæterum num. 19. de rescript.* Cassad. *dec. 3. num. 1. de decr. in rescr.* & Caputaq. *dec. 1. num. 2. part. 2.*

4 Neque dici potest, hujusmodi electionem fieri per quasi inspirationem. Quia licèt suffragia non ferantur simul quasi quodam repentino Spiritus Sancti afflatu, omnes tamen successivè unus post alium elidit eamdem personam.

Nam respondetur primò, quod præterquamquod in ea non concurrunt illa requisita necessaria, quæ recenset Baix *loc. cit. cap. 16.* sub initio, ac Ripa *d. resp. 5. num. 10.* debet etiam post omnium vota committi uni, ut vice omnium eligat, secus autem tot essent electiones, quot sunt eligentium vota, & electio esset irrita, *cap. in Genesi de elect.* Specul. *eod. arg. tit. de via inspirationis num. 6.* Oldrad. *dict. cons. 155. num. 2.* & Sigismund. a Bonon. *de elect. can. part. 1. dub. 2. num. 6.* Ac etiam debet concurrere aliud requisitum, ut scilicet vota sint secreta juxta dispositionem Sacri Concilii Tridentini *loc. cit.* Sigismund. *ibid. num. 7.* ubi testatur, ita fuisse declaratum a Sac. Congregatione Concilii, cujus declarationem adducit. 5

Deinde respondetur, quod sive servandum sit secretum, sive non sit servandum, debet saltem apparere, omnium vota concurrisse in eamdem personam. Id autem fieri non potest, nisi eligentium vota fuerint scripta. Præsertim autem si statim in principio electionis fuerint electi tres scrutatores, atque adeò fuerit inchoata electio per viam scrutinii, ut per Speculat. *loc. cit. §. 1. n. 12.* Et ideò non poterit postea mutari. Electa enim una via, non potest ad aliam convolari, *l. si quis agere*, ubi Gloss. *verb. præclusisse*, *C. de Codicillis*. 6

Comprobaretur autem, quod Præsidens jam in animo conceperat eligere personam sibi benè affectam, si protinus, nulla interposita mora post talem acclamationem confirmaverit illius electionem. Ad confirmationem enim non potest deveniri, nisi facta prius diligenti perquisitione de vita, moribus, & qualitate electi per Text. *in cap. postquam, & cap. nihil est de elect.* Archid. & Butr. *in cap. fin. eod. tit. in 6.* 7

CONSULTATIO LXXIX.

An, & quatenus Regularis habeat factionem Testamenti? Voluntatem alterius declarare? Quomodo hæc declaratio facienda?

IN hac re primum dicendum est, verissimam esse propositionem, quod Regularis, etiam Superior, non habet factionem Testamenti, nec pro se, neque pro alio, sed non minus veram esse limitationem, quod Regularis potest pro alio declarare, & voluntatem alterius explere, aperire, & arbitrari. Ita firmat præ omnibus S. Rota in Rom. bonorum sive fructuum 4. Maji 1646. coram Arguelles. Idque etiam sine licentia Superioris, quando legata, & declarationes respiciunt piam causam, ut in citata decisione, *§. sed huic difficultati in fine*. 1

Deinde dicendum est, veram esse regulam, quod hujusmodi declaratio debet fieri cum juramento, sed nec minus veras esse limitationes, quando sine juramento declaratio sustinetur, ubi vel adsunt conjecturæ, quod talis revera esset voluntas Testatoris, ut per Mantic. *de conject. lib. 3. tit. 1. num. 16.* Rota in eadem Romana 16. Januarii 1652. Vel is, qui declarare debet non eligitur in simplicem testem, sed etiam in arbitratorem, ut ex decisione in Romana Legatorum 27. Maji 1639. coram Cardinali Verospio, inquit Rota in dicta Romana bonorum coram Zarate. 2

Postremò dicendum est, verum esse assumptum, quod tota substantia dispositionis non potest remitti in voluntatem tertii, sed non minus veras esse limitationes, quod ubi agitur de simplici declaratione voluntatis, vel de præscribendo, & arbitrando modos, quibus relictum erogari, & distribui debet, id potest in tertium remitti. Ita scribentes communiter, & speciatim Ruinus videndus *cons. 19. lib. 2.* ubi allegat Text. optimum *in l. quem hæred. ff. de reb. dub.* Angel. *cons. 201. n. 3.* Cancer. *var. lib. 3. cap. 20. num. 7. ac seqq.* Peregrin. *de fidei comm. art. 33. num. 58.* ac Rota post alias in Bononiensi fidei commissi de Monterentiis 27. Junii 1657. coram Dunozetto. Et de facultate distributoria tradunt cumulati a Paulo Rubeo *de testam. cap. 50. num. 58.* ac Rota *dec. 178. num. 10. part. 6. rec.* Et sine difficultate, quod etiam impossibile jam est, quod dispositio Testatoris redditur inanis, vel quia tertius declaravit, vel quia etiam declaratione non facta, dispositio nihilominus subsisteret, ut benè fuit ponderatum in citata Bononiensi in fine. 3

Quando igitur Testator non remisit in regularem substantiam suæ dispositionis, quia ipse per se claris, & explicitis verbis instituit hæredem in proprietate, & usufructu, in quo consistit substantia, remisit bene declarationem, & dicamus etiam arbitrium circa 4

modum

modum erogandi, & convertendi hæreditatem, quod importat ſolam diſtributionem, firma remanente diſpoſitione, hoc eſt permiſſum, ut in tertia limitatione probavimus.

5 Non obſtat, quod Regularis poſſet declarare in eversionem diſpoſitionis Teſtatoris. Qui ſi talem declarationem faceret, poterit ſemper hæres petere reductionem arbitrio boni viri. Aliud enim eſt remittere in liberam voluntatem tertii. Aliud in arbitrium, & declarationem tertii, ut ſcitè præ cæteris diſtinguit ad rem Cancer. *loc. cit. p. 3. c. 20. numer. 100. & ſeqq.* & de reductione ad arbitrium Judicis, qui tali caſu ſuccedit in locum boni viri, eſt plena deciſio in dicta Romana Bonorum 4. Maji 1646. coram Arguelles. Ceſſatque difficultas, ſi declaratio fit favore hæredis, ſicque ſubintrat ponderatio deciſionis in dicta Bononienſi in fine.

6 Si verò caſus eſt ad terminos limitationum ſecundæ regulæ, non eſt neceſſarium juramentum. Nam quoad hæredem vehementer eruitur voluntas Teſtatoris, quod redditus hæreditatis convertantur in ejus beneficium. Reſpectu autem arbitrii Teſtator clarè oſtendit, Regularem fuiſſe electum, non in ſimplicem teſtem, ſed etiam in arbitratorem, ut de ſimili verbo *videbitur*, inquit Cancer. *d. num. 100.*

7 Si demum caſus eſt ad terminos limitationis primæ regulæ, poterit Regularis ſtare in terminis declarationis, & meri arbitrii, & circa ſubſtantiam diſpoſitionis tàm reſpectu hæredis inſtituti, quàm ſubſtituti in caſum contraventionis, dum nihil proſus immutet, vel addat diſpoſitioni Teſtatoris.

8 Et hæc quidem ſatis clara ſunt. Cæterùm ſi his addatur licentia Patris Generalis hæreditatem liberè, & pro arbitrio adminiſtrandi, & omnes circa eam juxta mentem Teſtatoris neceſſarios, & opportunos actus faciendi, res proſus erit abſque difficultate. Permittitur enim Regularibus explere munus, & officium arbitrandi, exequendi, ac declarandi ſupremas defunctorum voluntates de licentia Superiorum, *c. fin. de teſtam. in 6.* cum vulgò aliis.

CONSULTATIO LXXX.

An, & quatenus Monachi, ſive Regulares poſſint aſſumi ad adminiſtrationem piorum legatorum? Quid de adminiſtratione beneficiorum? Quando cenſeatur legatum pium, & quando beneficium?

1 NUlli dubium eſſe poteſt, quin legatum ſit pium, non autem beneficium, quando ab Ordinario non fuit erectum in beneficium. Unde nequit in eo ſe immittere, nec erigere in titulum perpetuum, vel temporale ex prohibitione Teſtatoris. Quare dicitur legatum pium, non beneficium, Guidop. *dec.* 187. *num.* 1. & *ſeqq.* Navarr. *conſ.* 5. *de præben.* Felin. *conſ.* 45. *num.* 2. & *ſeqq.* Gonzal. *gloſſ.* 5. *num.* 20. ac Rota *dec.* 238. *p.* 5. *rec.* in Monopolitana hebdomadæ 14. Decembris 1612. & 1. Julii 1613. coram Manzanedo, & 22. Aprilis 1616. coram Cardin. Veroſpio, & in Calaguritana Capellaniæ 17. Maji 1648. coram Meltio.

2 Hinc ſequitur, quod ex ſui natura poteſt ſpectare etiam ad laicum, & ab ipſo adminiſtrari. Immò etiam a fœmina, Rota *dec.* 182. *num.* 2. *p.* 1. & *dec.* 264. *n.* 1. *p.* 4. *diverſ.* ac Pegna *dec.* 152. *per tot.*

3 Et cùm fundator non prohibeat, quin Monachi, ſive Regulares poſſint ad hujuſmodi adminiſtrationem aſſumi, non debent ullo pacto excludi, ſi non reliquerit aliquid nomine dotis, ſed ut detur quantitas nomine ſtipendii, quo in caſu abique dubio eſſe non poteſt beneficium, Lotter. *lib.* 1. *q.* 31. *num.* 60. & *ſeqq.* cujus ſtipendii non ſunt incapaces Regulares, ut in terminis tradunt Navarr. *conſ.* 8. *num.* 10. *de teſtam.* ubi quod habet tantam libertatem is, qui debet eligere, quantum haberet in curando celebrari alias Miſſas, & divina Officia. Quod ſequitur Sanchez *in decalog. libr.* 7. *cap.* 20. *numer.* 5.

4 Nec refragatur deciſio in Pampilonenſi Capellaniæ 19. Junii 1648. coram Cardinali Corrado. Quia loquitur in caſu, in quo aderat inhibitio, ne poſſet Capellania dari alteri, qui non interviſſet Eccleſiæ, in qua erant celebrandæ Miſſæ, & ideò ille, qui aſſumpſerat Canonicatum Regularem in alia Eccleſia, dicitur effectus incapax illius legati. Quod eſt veriſſimum ex cauſa concordiæ, non autem quod aliàs de jure aliquid obſtaret, cùm etiam Religioſus poſſit præſentari, ut per Lambertin. *de jurepatr. libr.* 2. *p.* 2. *q.* 7. *art.* 10. *numer.* 21.

5 Pariter doctrina Garziæ *de benef. p.* 7. *c.* 10. *num.* 37. *in addit.* non videtur adaptari. Nam loquitur de Capellania erecta in titulum, non autem de non erectis, in quibus ſine dubio viget diverſiſſima ratio ſuperiùs adducta.

Nullumque eſt inconveniens, quod in Eccleſia ſecu- 6
lari officietur Capella a Regulari, qui non facit unum corpus cum aliis Presbyteris ſæcularibus in dicta Eccleſia titulari, cùm collegialiter non poſſint ſimul uniri *Clem.* 1. *de elect.* Secus autem ſi non conſtituunt Collegium, ſed uti ſinguli interveniant, ut per Anchar. *ibi n.* 1. Zabarell. *num.* 5. Capra *num.* 3. Immol. *num.* 12. & Barbat. *num. item* 12.

Nec obſtat, quod Regulares, præcipuè Mendicantes, 7
non poſſit habere proprium: Quia certum eſt, quod habere poſſunt adminiſtrationem peculii, etiam ex jure noviſſimo, ut tradunt congeſti a Sanchez *loc. cit. cap.* 22. *num.* 11. Bordon. *tom.* 1. *reſol.* 43. *numer.* 48. & 51. Dian. *par.* 1. *tract.* 6. *reſol.* 32. & aliis omiſſis firmat Rota coram Buratt. *dec.* 584. *num.* 2. & *ſeqq.*

Sic etiam tollitur, quod Capellania fuerit alteri pro- 8
viſa, dum Regularis erat abiens, & ideò amoveri non debeat jam proviſus, ut per Garz. *d. p.* 7. *c.* 1. *num.* 73. Nam id procedit in Capellano perpetuo, ſecus verò in Capellanis, qui ſunt amovibiles ad nutum, juxta celebre conſilium 51. Butrii, & Leon. *de offic. Capell. q.* 50. *num.* 251. ac Barbol. *de jur. Eccleſ. libr.* 3. *c.* 5. *numer.* 16.

Magis urgeret, ſi Teſtator mandaret eligi Sacerdo- 9
tem non ſubjectum, cùm tamen Regulares ſint ſubjecti ſuis Superioribus. Verùm hæc ſubjectio cenſetur reſtricta ex cauſa miſſarum, non autem quod non ſit ſubjectus aliis de cauſis. Aliàs ne alii quidem Sacerdotes ſæculares eſſent capaces, cùm omnes ſubſint ſuis Ordinariis.

Minus refragaretur obſervantia. Quia ex electione 10
Sacerdotis ſæcularis non poteſt induci obſervantia excluſiva Regularis, niſi probetur, excluſos fuiſſe Regulares proximiores juxta Calderini *conſ.* 19. *tit. de præbend.*

CONSULTATIO LXXXI.

Declarata nulla prima electione, quibusnam Electoribus competat nova electio? Quænam probationes requirantur ad probandum recurſum Regularis ad Judices laicos? Ubi effectus hujuſmodi recurſus.

AD primum competere Electoribus ultimi Capituli 1
invalidi, cùm non poſſint admitti pro vocalibus electi in Capitulo nullo, ac declarato pro irrito: Nam electio, ſi de jure non potuit habere effectum, eſt reiteranda per Electores, ad quos redit jus eligendi, *c. ſi electio* 26. *de elect. in* 6. ubi Doctores, atque alii congeſti a Gonzal. *gloſs.* 45. §. 5. & 6. Sigismund. a Bonon. *de elect. dub.* 12. *num.* 1. & *ſeqq.* Barbol. *de jur. Eccl. lib.* 1. *c.* 19. *num.* 238.

Ideòque facultas primorum eligentium non fuit con- 2
ſumpta, ut rectè advertit Gonzal. *d. num.* 6. Nam electio nulla turnum non conſumit *dec.* 868. *num.* 1. *p.* 4. *diverſ.* & redire ad eoſdem electores, ait Sigiſmund. *loc. cit. num.* 3. & 4. Probetur ex *Clem. exivi, §. Demum de verbor. ſignif.* his verbis: *Si fuerit infirmata, ad Capitulum Provinciale hujuſmodi electio revertatur.* Si debet reverti, ergo debent eligere iidem, qui prius elegerant, ut ibi tradit Zabarell. *num.* 23. inquiens, congregandum, prout in anteà celebrato conſtitutum fuerat. Quod ſequitur Franc. Marc. *dec.* 1360. *num.* 2. *p.* 1.

Quare electio ſic facta eſt valida, nulloque pacto po- 3
teſt impugnari, nec aliquis contra illam audiri adeòut, appellantes rejici debeant a limine judicii, niſi allegent in ipſa appellatione juſtas cauſas cum juramento, quod eæ ſint veræ, ac poſſint probari, *c. ut contra, & c.* 15. *qui de elect. in* 6. *Clem. Conſtitutiones eod. tit.* ac Rot. *dec.* 289. *num.* 38. & *ſeqq. p.* 6. *rec.*

Ad ſecundum videtur probari hujuſmodi recurſus ex 4
oppoſitione Judicis Eccleſiaſtici, cui nihil opponit recurrens. Hæc enim taciturnitas opponendi, præcedente interrogatione in actu præjudiciali operatur confeſſionem, Surd. *conſ.* 202. *num.* 38. Rot. *dec.* 237. *num.* 2. *tom.* 2. *p.* 4. *rec.* ubi plures referuntur. Item probari videtur ex ipſa ſententia lata per Judices laicos. Cùm enim illa ſit inſcripta nomini ipſius Regularis recurrentis, ad ejus quoque inſtantiam, ac ipſo petente lata dici debet juxta doctrinam Bartoli *in l. ult. num.* 5. *ff. de qu.* quam paſſim ſequitur Rota in his terminis, ubi, quod actus ſemper dicitur factus ad inſtantiam illius, de cujus commodo tractatur, Rota coram Pegna *dec.* 1119. *num.* 6. & coram Buratto *dec.* 335. *num.* 4.

Eoque magis, ſi non agatur de privatione juris quæſi- 5
ti,

ti, sed lucro, seu amissione juris quærendi, satis sunt probationes præsumptivæ, ut in hac specie firmavit Rota in Burgensi Abbatiæ 7. Februarii 1586. coram Cantuccio, & latiùs coram Pegna inter ejus impressa *dec.* 1111. *numer.* 2. *& seqq.* ubi est casus, in quo opponebatur recursus ei, qui obtinuerat sibi provideri de beneficio. Quicquid igitur sit, si ageretur de privando exempli gratia eum, qui, cùm jam esset Provincialis, habuisset recursum, certè ubi agitur de impedienda assequutione, & electione, solæ præsumptiones sufficiunt.

6 Nec refragatur, quod de excommunicatione ob hujusmodi recursum non fuerit oppositum. Nam electio facta de excommunicato est ipso jure nulla, *c. Constitutis de appel. c. postulasti de Cler. excom. ministr.* Alter. *de censur. tom.* 1. *lib.* 2. *disp.* 6. *c.* 3. *in princip.* quem, atque alios allegat Lavor. *var. elucubr. tit.* 4. *c.* 16. *numer.* 85. ac, itaut ne facta quidem, ab ignorantibus sustineatur, ut per Lavor. *loc. cit.* Nec suffragetur confirmatio electionis. Nam intelligitur de confirmatione, si & quatenus ad formam Sacrorum Canonum, Concilii Tridentini, ac Statutorum Ordinis facta fuerit. Unde electio aliter facta non potest confirmari. Nihil enim confert confirmatio, quando electio in semetipsa est nulla, Abb. *in c. ad probandum num.* 5. *de sent. & re jud.* Lavor. *ibidem c.* 25. *num.* 72. *& seqq.*

7 At verò excommunicatio propter hujusmodi recursum ad effectum repellendi electum, debet plenè, & concludenter probari, ut per Rotam *dec.* 534. *numer.* 8. *& seqq. p.* 1. *rec.* ubi respondet objectioni, & firmat, non sufficere præsumptiones, quæ aliàs sufficerent ad denegandum audientiam. Audiamus eamdem Sacram Rotam, quæ hanc rem ita præclarè more suo definit in Ulisypponensi Censurarum 15. Decembris 1653. coram Bevilaqua contra Patrem Joannem Andradam.

8 Quia, præterquamquod hujusmodi recursus, & impedimenta nullo modo extant probata ex simplici fide, quæ regulariter fidem non facit, & ut plurimum fit, ut complaceatur Partibus eam petentibus juxta vulgatam regulam *in l.* 3. *Idem ff. de testib.* Gloss. *in c. præterea eod. tit.* Roland. a Vall. *cons.* 40. *num.* 5. & ubi admittenda esset in odium recurrentium ad Judices laicos, deservire posset pro audientia illi deneganda, ad quem effectum tantummodo solet adhiberi fides similibus scripturis informibus, ac minus legitimis, Felin. *in c. prudentia num.* 16. *& 17. de offic. deleg.* Bald. *in leg. Publicati q.* 8. *in fin. de testam.* & pluries Rota decidit, ut coram Seraph. *dec.* 1094. *num.* 7. coram Coccino *decis.* 425. *num. fin.* coram Buratto *dec.* 448. *num.* 1. *& 6. & dec.* 536. *num.* 4. *& dec.* 632. *num.* 2. *& 3. in rec. dec.* 17. *num.* 8. *par.* 6. *& dec.* 83. *num.* 4. *& decis.* 309. *num.* 2. *par.* 7.

9 Non autem ad effectum, ut declaretur excommunicatus. Nam in tali casu agitur de præjudicio gravi, & propterea plena, & concludens requiritur probatio per Textum expressum *in cap.* 1. ibi, *probare valeat aptissimis documentis, de except. in* 6. quem in terminis adducit Oldrad. *cons.* 183. *num.* 16. Gregor. *dec.* 96. *num.* 1. *& 3.* Cavaler. *dec.* 529. *num.* 2. Merlin. *dec.* 179. *num.* 5. *& dec.* 751. *num. fin. par.* 2. *rec.* Adden. ad Buratt. *dec.* 316. *lit. A.* & fuit dictum in Cæsaraugustana beneficii de Linares 27. Aprilis 1644. *§. At non fuit justificatum* coram Bichio.

10 Cùm igitur ex præmissis constet, allegatos recursus non esse justificatos, corruit etiam fundamentum, ex illis deductum ad arguendum Patrem Andradam innodatum remansisse excommunicatione in Bulla Cœnæ Domini, & per consequens sententia per Auditorem Cameræ lata redditur nulla, & uti talis, nullum quoque operatur effectum, Sayr. *de censur. lib.* 1. *c.* 16. *num.* 42. Avil. *eod. tit. p.* 2. *c.* 6. *disput.* 1. *dub.* 1. *ante fin.* Gutier. *lib.* 2. *quæst. can. cap.* 4. *num.* 36. Salzed. *ad Diaz. in prax. crimin. can. cap.* 33. *v. est etiam.*

Et ita utraque parte, &c.

CONSULTATIO LXXXII.

Constitutiones generales cujusdam Religionis disponunt confessionem propriam culparum, mutuam proclamationem, & correctionem fraternam per unumquemque Fratrum in Capitulo faciendas. *Quæritur, an Definitorum generale ejusdem Religionis constituere possit, ne Conversi, aut Oblati, sive Donati publicis proclamationibus Sacerdotum, & Professorum vocalium interesse possint, nec ulli Converso, aut Donato licere quemquam Sacerdotum, aut Clericorum Professorum, & vocalium privatim, vel palam in Capitulo proclamare?*

REspondeo id nullo modo videtur tolerandum. Quia 1
cùm Constitutiones Generales sint authoritate Apostolica confirmatæ, sunt omninò observandæ ad tradita per Abbatem *in cap. dilecti numer.* 14. *de præbend.* Felin. *in c. Cùm accessissent numer.* 4. *& 7.* ibique Glos. *numer.* 19. *de constitut.* cum aliis per Rot. *dec.* 19. *num.* 2. *p.* 7. *rec.*

Prætereà cùm ejusmodi confessio, necnon mutua 2
correctio, & proclamatio spatio quamplurium annorum ab ipso prædictæ Religionis exordio observata fuerit, nullatenus permittendum videtur, quod immutari possit hujusmodi laudabilis consuetudo. Tum quia hæc est potentior statuto, & transactione, ut probat Felin. *in cap. quod super numer.* 10. *de major. & obedien.* Gonzal. *ad regul.* 8. *glos.* 45. *§.* 1. *numer.* 79. cum aliis per Barbos. *in axiom. jur. usu freq. axiom.* 86. *num.* 5.

Tum etiam quia ex ea per spatium tanti temporis 3
fuit jus quæsitum, & præscriptum ad favorem Conversorum, & Donatorum, ad tradita per Aym. *cons.* 111. *num.* 7. & 25. qui ad hunc effectum possunt quemcumque titulum allegare ex cumulatis a Gab. *concl.* 1. *num.* 71. *de præscript.* Et proptera Capitulum generale non potest juri prædicto ad sui favorem, mediante novo statuto præjudicare, Rot. *decis.* 3. *de reb. Eccles. non alienand.* Dec. *in cap. Cùm accessissent num.* 54. ibique Felin. *num.* 4. *de constit.* Abb. *in cap. In Genesi num.* 2. *de elect.* Card. *cons.* 131. *in princip.* Oldrad. *cons.* 272. *n.* 31. latè Anchar. *cons.* 298. *num.* 3.

Quibus accedit, quod hjusmodi nova Constitutio ad- 4
versatur intentioni Religionis ad hanc religiosam, & mutuam charitatem inter omnes fratres fovendam, insuperque Clericis, & vocalibus interesse permittit confessioni Conversorum, & Donatorum, eosdemque in Capitulo corripere, & proclamare concedit, & contra, eisdem denegat, summam continet iniquitatem, non solùm Sacris Canonibus, ac juri civili, sed etiam naturali præcepto contrariam propter vulgatas regulas, de quibus *in capit. non licet de reg. jur. in* 6. *& in l. non debet, ff. eodem, & tot. tit. ff. quod quisque juris.*

Nec obstat, Capitulum generale, posse novas leges 5
condere, & antiquas mutare. Nam id non procedit ad solam statuentium commoditatem, & tertii præjudicium, ut perspicuè decernit Text. *in cap. Cùm omnes de constit. & in c. mutare de regul. jur. in* 6. *in l. non potest, ff. eod.* Et propterea certum est, quod licèt apud Episcopum, & Capitulum resideat facultas nova statuta condendi, & antiqua mutandi, ut fusè firmat Rota *decis.* 697. *num.* 1. coram Merlino, attamen non procedit quando statutum antiquum, ut in hoc casu, concernit tertii utilitatem, ut in specie probat Dec. *in dict. cap. Cùm accessissent num.* 3. *de Constit.* Gemin. *in cap.* 1. *num.* 19. *eod. in* 6.

Quinimmò cùm ex antiquis Constitutionibus resultet 6
quoddam privilegium reciprocum in hac materia inter Clericos, & Conversos, ut in simili tradit Aretin. *in l. non amplius, §. si certum, ff. de leg.* 5. ubi Jason. *num.* 13. non potest tolli, aut in eo dispensari per solos Clericos per novum statutum ut post Butrium probat Abb. *in cap. at si Clericis, §. De adulteriis num.* 10. *de judic.* Cardin. *cons.* 150. Gemin. *in cap. licet Canon. sub initio n.* 8. *de elect. in* 6. Etenim in iis, quæ omnes tangunt, major pars Capituli non præjudicat minori, immò sufficit, quod unus tantùm reclamet ex traditis per Glos. & Felin. *in dict. cap. Cùm omnes num.* 15. *de constit.* cum aliis per Rot. *dec.* 81. *num.* 19. *& decis.* 82. *num.* 31. apud Tambur. *de jure Abbat. tom.* 7.

Nec relevat ad hanc novitatem colorandam, quod 7
incommodum sit, Conversos interesse confessionibus aliorum toto tempore Capituli, cùm vacare debeant servitiis Monasterii. Nam Conversi hujusmodi rebus vacantes, excusantur a Capitulo, prout hactenus servatum est. Quod verò Conversi abutantur jure proclamandi, provisum est per eadem Constitutiones pœnis hoc casu

infli-

infligendis, quibus opportunius consulitur huic prætenso malo, quàm abrogatione Constitutionis.

8 Minusque relevat, quod minimè deceat, Conversos interesse confessionibus Sacerdotum, & aliorum vocalium. Quia contrarium videmus in Religione Prædicatorum, Minorum aliorumve, apud quos laici absque ulla distinctione intersunt hujusmodi Capitulis, estque de jure, ut hujusmodi Conversi admitti debeant unà cum Clericis ad omnes actus Monasterii, exceptis spiritualibus, ut diffusè tradit Abb. *in cap. In Ecclesiæ num. 5. & 6. de instit.* Quia, licèt non sint Clerici, prout erant antiquitus omnes Monachi, sunt tamen personæ Ecclesiasticæ, ut ibidem asserit Abbas, & propterea in Religione Minorum, & aliis, laici, & Conversi eligebantur olim ad Prælaturas, ut testatur Lezan. *tom. 1. quæst. reg. cap. 10.*

9 Denique non obstat, Conversos, tanquam laicos non posse de jure Clericos accusare. Nam, omisso, quod hoc procedit in merè laico habitu, & professione, de jure etiam Conversus potest accusare, ac denunciare proprium Abbatem, etiam non petita venia, ut exertè statuitur *in c. ex parte de accus.* & in terminis probat Abb. *in cap. Illæ præpositorum n. 2. eodem tit.* Et cùm in hoc casu agatur de accusatione merè civili, in qua Conversi habent proprium interesse, etiamsi essent merè laici, non possunt excludi ab accusatione Clericorum, ut in specie firmat Abb. *in c. cum P. Manconella num. 6.* ubi Doctores communiter *de accus.*

CONSULTATIO LXXXIII.

De recusatione Judicis Regularis, sive delegati, sive Ordinarii. Suspicio Judicis delegati quomodo probetur? Quomodo debeat adjunctus? Causa recusationis Judicis Ordinarii. Recusatio Judicis quàm sit favorabilis? Hac in re praxis Curiarum.

1 SUspicio Judicis delegati, non autem Ordinarii, probatur solo juramento recusantis, ut firmat Rota coram Caputaq. *decis. 102. part. 1.* & de stylo testatur Ridolphin. *in prax. cap. 7. num. 127. p. 1.* Et in hoc casu ad differentiam Judicis Ordinarii, non datur adjunctus, sed delegatus omninò removetur, ut tradunt Doctores *in l. apertissimi Cod. de jud.*

2 Quæ sanè eo libentiùs videntur admittenda, si non modò Judex a parte adversa fuerit exquisitus, verùm etiam ad illius favorem in causa simili pronunciaverit. Quod solùm exuberaret ad illius recusationem, etiamsi ageretur de Judice ordinario juxta ea, quæ tradit Aretin. *cons. 29. n. 25.* Innoc. *in c. Irrefragabili sub initio de offic. Ordin.* Capyc. *dec. 146. ac sæpe alibi.*

3 Accedit, quod recusatio Judicis, tanquam defensio de jure naturæ, ut decernit Textus *in can. suspecti 3. quæst. 5.* est adeò favorabilis, ut ne a supremo quidem Principe sine causa repelli soleat ad tradita per Abbat. *in cap. Cùm inter num. 8.* ubi etiam Felin. *de except.* & propterea jure meritòque maximè viget.

4 Unde Curiarum praxis est, ut suprema Tribunalia facilè aures præbeant commissionibus suspicionis Judicum, præsertim in principio causæ gravis, & magni præjudicii, ut de Signaturæ Justitiæ testatur Marches. *de commiss. part. 2. titul. de commiss. suspic. Judic. §. 1. num. 6. ad 31.* Et ad hunc effectum sufficit quælibet levis causa, ut probant Gloss. Abb. & alii *in cap. cùm R. Canonicus de offic. deleg.* & firmat Rota in Gerundensi administrationis 6. Octobris 1574. coram Robusterio apud eundem Marches. post *d. §. 1. n. 3.* Vide plura de hac re in nostro tom. 9. de qua fusè, latèque diximus.

CONSULTATIO LXXXIV.

An Regulares retinere possint in Civitatibus, Oppidis, aliisve locis simplex hospitium?

1 AFfirmant Cespedes, Donatus, Lezana, Peyrinus, Bordonus, aliique Regulares, quos adduxi *tom. 1. consult. 79. num. 35.* Nam, inquiunt, Constitutiones Pontificiæ, earumque requisita, quæ concurrere debent in fundatione Conventuum, non habent locum in hospitio simplici.

2 Anverò ex Constitutionibus Apostolicis prohibeantur etiam hujusmodi hospitia, probavimus *loc. cit.* Nunc addimus, quod simplex hospitium, si concedatur, habere non potest Ecclesiam, sed tantùm Oratorium privatum, cujus ingressus in viam publicam immediatè non respondeat, nec sit in plano, nec habeat campanam, nec ibi ministrari possint Sacramenta, nec continuam permanssionem Religiosorum, nisi infirmorum, & servientium, nec sepulturam, nisi specialiter concedatur. Ita sæpiùs declaravit S. Congregatio super Episcopis, & Regularibus, ut die 7. Januarii 1617. 3. Aprilis 1618. 16. Novembris 1646. 10. Decembris 1649. & 26. Aprilis 1652. ac alibi. Et quærentibus Capucinis, an retinere possint in loco Carignenæ Cæsaraugustanæ Diœcesis simplex hospitium in parvo regesto rescriptorum, ac resolutionum dictæ Sac. Congregationis ad antescriptas preces, ita respondit. *Ex audientia Sanctissimi 24. Novembris 1660. Capucini de Aragonia Sanctissimus renuit, & 12. Augusti 1661.* ita decrevit: *Sac. Congregatio Eminentissimorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præposita, attentis narratis juxta alias resoluta, censuit, ac decrevit, prout præsentium tenore decernit, Fratribus Capucinis non licuisse, neque licere, nedum prætensam Conventus erectionem verum etiam, nec Hospitii in dicto loco Carignenæ retentionem. Ac proinde committendum esse, prout harum serie pariter committit Archiepiscopo Cæsaraugustano, ut omnibus juris, & facti remediis opportunis, ac etiam per censuras Ecclesiasticas eosdem Fratres Capucinos inde discedere, & hospitium prædictum deserere omninò, cogat, & compellat, appellationibus, Judicum deputationibus, eorumque inhibitionibus, cæterisque in contrarium non obstantibus quibuscumque.*

CONSULTATIO LXXXV.

An, & quatenus de rebus Ecclesiæ, etiam Regularis, fieri possit compromissum, ac eligi in arbitrum Princeps sæcularis? Et an hujusmodi compromissum, & laudum inde sequutum, sit approbandum, ac sustineri valeat?

REspondeo negativè, & non posse sustineri ex defe- 1
ctu potestatis. Quamvis enim possint Ecclesiastici de rebus propriis compromittere in laicum, ut probatur *in cap. exposita & cap. dilecti de arbit.* & tradunt Abb. *cons. 83. num. 1. & seqq. part. 2.* Marth. *de jurisd. part. 4. cent. 1. cas. 40. num. 5.* qui *num. 7.* verius existimat esse necessarium consensum Episcopi, *&c. 120. num. 3.* Bellet. *disq. cler. part. 1. tit. de favor. Cler. real. §. 2. num. 71.* Attamen super rebus Ecclesiæ, vel spiritualibus non possunt in laicum compromittere, *cap. contingit*, ubi Ostien. *num. 4.* Abb. *num. 1. & 4. de arb.* Felin. *in cap. 2. num. 8.* ac Dec. *num. 195. de Judic.* Scac. *de judic. lib. 1. cap. 11. num. 37.* Carol. de Grass. *de effect. Cleric. effect. 1. n. 858.* Barbos. *in collect. ad d. c. contingit n. 2.* ubi alii Grat. *discept. 379. n. 1. ac seq.* ubi ait esse non posse laicum arbitrum inter laicum actorem, & Clericum reum in quocunque possessorio, sive agatur actione personali, sive reali.

Et licèt aliqui dubitaverint de rebus temporalibus Ec- 2
clesiæ, attamen quod neque in ipsis possit in laicum compromitti, saltem absque superioris assensu, post Glossam, & Abbatem *in c. si diligenti de for. compet.* asserit de Grass. *loc. cit. n. 861.* ac Roman. *cons. 375. n. 3.* Admittuntque posse laicum esse arbitratorem, sive amicabilem compositorem, Dec. *in d. c. 2. n. 4. de jud.* Bellett. *ibid. n. 72.* & Barbos. *loc. allegat. n. 3.* ubi plures id tamen videtur solùm recipiendum in iis casibus, in quibus Clericus, sive persona Ecclesiastica potest absque solemnitate bona Ecclesiæ alienare, secus autem quando non potest alienare; tunc enim neque de illi potest compromittere sine licentia Superioris, ut per Roman. *cons. 364. n. 18.* Soccin. Sen. *cons. 18. n. 33. & seqq. vol. 1.* qui ponderatis hinc inde, quæ pro utraque parte solent afferri, hanc dicit veriorem, & magis communem opinionem, ut sequitur Bellett. *loc. cit. p. 1. tit. de Cleric. debit. §. 6. n. 1. & seqq.* latè Ricc. *in prax. emphyt. Eccles. p. 3. cap. 165. n. 3. ac seqq.*

Hinc cùm Regulares, qui certè non possunt sine as- 3
sensu Superiorum bona suarum Ecclesiarum alienare, neque Confraternitates, aliivè, qui subjiciuntur Constitutionibus Apostolicis, quæ prohibent alienationem rerum Ecclesiæ, ut si Confraternitates sint erectæ authoritate Ordinarii ad opus pium, si habeant Altare, si subjiciuntur visitationi Episcopi, ut per Barb. *de jur. Eccl. lib. 2. c. 8. num. 88.* ac Rota in Romana Spolii 4. Julii. 1625. & 31. Januarii 1629. coram Coccino, & in Cajetana bonorum 3. Decembris 1646. coram Cardinali Cerro, in qua fuit firmatum hujusmodi Confraternitates non esse merè laicales, nequeunt compromittere, sique bona sint mobilia, sed Sacra, ut Cruces argenteæ, vel aureæ, Calices aliave, quę quoad solemnitatem requisitam in alienatione æquiparantur immobilibus, Redoan. *de reb. Eccl. non alien. q. 7. num. 15. & 16.* ne quidem potest de iis fieri compromissum in laicum arbitratorem, ut præter allegatos tradit idem Redoan. *loc. cit. quæst. 8. n. 7.* Ricc., *in praxi part. 3.*

resol. 165. ubi ait, id procedere de immobilibus, quæ servari possunt, cumque res Sacræ dicantur annexæ spiritualibus, Redoan. *dict. cap.* 7. *n.* 16. Laicus arbiter non potest in illis se ingerere, Blanch. *de compromiss. quæst.* 2. *n.* 62. & saltem requiritur, ut ei adjungatur arbiter Clericus ex permissione Episcopi, ut per de Graff. *d. effect.* 1. *n.* 180. Bellett. *d. §.* 2. *de favor. Cleric. real. n.* 69. & Blanch. *d. qu.* 2. *n.* 64. de quo infrà.

4 Quæ magis amplexari debemus, si eligatur in arbitrum Princeps, habens jurisdictionem in loco, ne prætextu hujusmodi compromissorum aperiat viam se immiscendi in iis, quæ spectant ad Ecclesiasticos, ac turbandi Ecclesiasticam jurisdictionem, cogendo partes ad compromittendum in se, tanquam amicabilem compositorem, ex traditis a Blanch. *cit. q.* 2. *n.* 41.

5 Et quidem *in dict. cap. contingit de arbitr.* certum est quod de rebus spiritualibus in laicum compromitti non potest. Immò non valet compromissum in laicum super rebus, vel causis spiritualibus. Nam etsi *d. cap. contingit*, simpliciter prohibeat, gesta tamen contra legis prohibitionem sunt ipso jure nulla, licèt lex non procedat ulterius ad irritationem actus, ut per Doctores *in cap. Cùm accessissent de constitut.* & nos alibi. Et ita intelligunt Canonistæ *dict. cap. contingit*, dum ajunt, non posse in laicum de rebus spiritualibus compromitti. Negant enim potentiam ad Gloss. *in cap.* 1. *v. non potest de regul. jur. in* 6. quam Bartolus, aliique Legistæ sequuntur *in leg. Gallus ff. de liber. & posthum.* Et expressè hujusmodi compromissum, seu arbitrium non tenere, firmat *in d. cap. contingit*. Gloss. *v. Si verò compromittatur*, quam Butr. *numer.* 4. ac cæteri sequuntur.

6 Et quamvis Textus adducat rationem, quia non decet, ut in talibus laicus arbitretur, tamen, ut ajunt Ostien. *num.* 4. & Joan. Andr. *num.* 2. nec debet, neque expedit. Et secundùm Abbatem *in ult. notab.* id, quod non decet, non licet, ut hic quamquam aliquando, quod non decet, liceat, ut *in c. Magnæ de vot. & in cap.* 1. *de sponsi. impub.*

7 Itaque laicus non potest esse arbiter in causa spirituali, sicut non potest esse delegatus, nisi delegatio ei fieret a Pontifice, *can. præter hoc §. verum d.* 32. *cap. Mennam* 2. *qu.* 5. *& can. nos si, ead. qu* 7. ac plenè notatur *in cap. decernimus de judic.* per Gloss. *in d. cap. contingit ad fin.* Innoc. *n.* 2. Ostien. *n.* 5. Boich. & Bellam. *n.* 2. & Abbas *n.* 1. Nec potest in talibus esse Judex, etiam in causa reconventionis, ut *in c.* 1. *de mut. pet.*

8 Ratio autem est, quia spiritualia negotia laici tractare non debent, *cap. Messana de elect.* ne illorum arbitrio talia disponantur, in quibus eis manet necessitas obsequendi, non authoritas imperandi, *can. benè quidem dist.* 96. Et quoniam si res spiritualis in laicum compromitteretur, ex illius judicio videretur pendere talis rei dispositio, cùm tamen de universa Ecclesia malè judicet, qui Judicium quærit laicorum, *can. placuit* 11. *qu.* 1. *& d. cap. contingit*, per Gloss. *ibi*, ac Ostiens. *n.* 4. qui addit, hoc procedere, etiam de jure civili, ut *in auth. de Eccles. tit. §. Si verò collat.* 6. & sequitur Jo. Andr. *num.* 5. *gloss.* 1.

9 Quod quidem ampliatur primò, ut habeat locum, etiamsi Episcopi authoritas intercedat. Quia sicut nullus inferior Summo Pontifice potest laico causam spiritualem committere, ita nullus inferior Pontifice potest de jure spirituali in laicum compromittere. Et quamvis oppositum tenuerint Vincent. *in d. cap. contingit*, Innoc. *in princip. & n.* 2. ac Joannes *in can. plures in gloss. verb. discernant* 16. *q.* 1. attamen primam opinionem Glossæ sequitur indistinctè Ostien. *n.* 1. & 5. & Bellam. post Henricum *n.* 2. *& 3.* qui tutiorem ait, Abb. *n.* 3. qui veriorem appellat. Quia Textus *in d. c. contingit*, generaliter prohibet, ne hujusmodi compromissum fiat in laicum. Ergo nullus præter Papam, potest hanc Constitutionem violare, cùm inferior Constitutionem Superioris non possit tollere, nec moderari, aut illi aliquatenus detrahere, ut *in Clem. ne Romani de elect.* Estque adeò expressum *in can. Institutionis* 25. *q.* 2. ut responderi non possit secundùm Archidiac. *in cap. licet Canon. n.* 3. *de elect. in* 6. Fagnan. *in cap. dilectus de temp. ordin.*

10 Præsertim quia hæc prohibitio est Concilii Generalis, in quo non dispensant Episcopi, ut est Textus *in Extravagan. Joannis XXII. Sancta Romana §. Quidam autem*, ibique notat Glos. *v. Concil. Generalis de Relig. domib.* & huic opinioni suffragatur Textus *in c. decernimus de judic.* ubi est expressum, non debere Prælatum negotia Ecclesiastica laicis committere per eos tractanda.

11 Ampliatur id secundò, ut ne quidem incidenter de re spirituali compromitti possit in laicum. Nam de talibus Judex laicus, ne incidenter quidem potest cognoscere, *c. tuam de ordin. cognit. c. lator qui fil. sint legit. & in dict. cap. contingit*, tenet Gloss. & Innocen. *n.* 1. Ostien. *n.* 4.

Id tamen limitatur primò, si compromissum de re spi- 12
rituali fiat in laicum, & Clericum simul. Propter enim mixturam Clerici sustinetur per Text. *in cap. ex parte de arbitr.* Nam magis dignum trahit ad se minus dignum, ut res potius valeat, quàm pereat, *cap. Quod in dubiis de consecr. Eccles. & cap. Abbate de verbor. significat.* Quod procedit, etiamsi unus tantùm sit Clericus, & plures laici, ut est casus *in d. cap. ex parte*, dummodò tamen ejusmodi compromissum fiat authoritate Superioris, prout ibi factum fuit authoritate Archiepiscopi, alioquin non valeret, ut illic patet, & tenent Gloss. *in dict. cap. contingit*, *ver. sed si compromittatur*, Ostiens. *num.* 1. Henric. & Bellam. *num.* 2. Butr. *num.* 4. Abb. *num.* 3. & Gloss. fin. communiter approbata *in d. c. ex parte.*

Nec obstat, quod causa spiritualis non possit delega- 13
ri simul Clerico, & laico, ut per Abb. *in d. cap. contingit numer.* 4. Nam arbitrari de re spirituali non est actus spirituali secundùm Joan. Andr. *in dict. cap. ex parte*, & Martin. de Salva, relatum a Bellamer. *loc. cit. numer.* 3. Nec ab eo removetur laicus, nisi propter decentiam, & authoritatem judiciorum, & arbitriorum, quæ instar judiciorum sunt redacta, meritò in Clericum, & laicum potest compromitti authoritate Superioris. At judicare de causa spirituali est quid spirituale, ut *in cap. quanto de judic.* Laicus autem non est capax juris spiritualis, etiam admixto Clerico, ut probatur *in d. cap. Messana de elect.* & notat Joan. Andr. *in d. cap. nobis de jurepatr.* & Abb. *in d. cap. contingit. num.* 4.

Limitatur secundò, si compromissum fiat in laicum 14
de rebus Ecclesiæ non spiritualibus, sed merè civilibus, seu temporalibus. Nam valet compromissum, ut firmat Gloss. *in d. cap. contingit*, ubi cùm solùm prohibeatur de spiritualibus, censetur de temporalibus permittere, *can. qualis* 25. *qu.* 1. *d. cap. exposita de arbitr. & cap. nonne de præsumpt.* & tradunt Innoc. *in d. cap. contingit. num.* 1. Ostiens. *num.* 1. Joan. Andr. *numer.* 5. Henric. *sub initio*, Bellam. *num.* 2. Butr. *num.* 3. & est casus *in d. cap. dilecti de arbitr. & in dict. cap. exposita*, adeò ut in tali compromisso, nec requiratur consensus Judicis Ecclesiastici secundùm Tancredum, Innoc. & Ostiens. *in d. cap. dilecti*, & Bellam. *in d. cap. contingit. num.* 2. qui etiam allegat Archid. *in can. Clericum* 21. *qu.* 1. licèt Goffred. contra sentiat *in d. cap. dilecti*. Quod intelligendum est, dummodò compromissum fiat de jure, secus si de facto, cum qua distinctione respondendum est ad illam quæstionem, an de re spirituali possit in laicum compromitti, tanquam in arbitratorem, sive amicabilem compositorem.

Etenim aut compromissum hujusmodi fit de jure, & 15
de facto, itaut liceat arbitratori controversiam dirimere pro libito suæ voluntatis, & uni rem auferre, & alteri dare, compromissum non valet. Quia, ne quidem in Clericum potest sub hac forma de rebus spiritualibus compromitti, ut respondit Gemin. *cons.* 109. & scribit Fagnan. *in cap.* 2. *num.* 10. *& seqq. de arbitr.*

Aut compromissum in arbitratorem fit de jure tan 16
tùm, itaut teneatur controversiam amicabiliter decidere, & componere, tanquam vir probus, & declarare cui ex compromittentibus res de jure debeatur, in quo casu dissident Doctores. Nam sunt, qui absolutè negant, laicum esse posse arbitratorem in causis spiritualibus, sive Ecclesiasticis, ita Abb. *in d. cap. Contingit n.* 1. Andr. Sicul. *in c.* 2. *de judic.* & Roman. *in l. Titia col.* 5. *ff. solut. matrim.* ubi refert se ita consuluisse, ut habetur *in ejus cons.* 299. *num.* 9. *& seqq.* ubi hoc extendit, ut ne incidenter quidem in causa spirituali laicus possit esse arbitrator.

Rationes multæ sunt. Primò, quia Textus *in d. cap.* 17
contingit, generaliter prohibet, fieri compromissum in laicum de re spirituali, nec distinguit, an in arbitrum, anve in arbitratorem. Ac proindè generaliter est intelligendus *l. non distinguemus*, *ff. de recept. arbitr.* cum similibus; præsertim quia Textus reddit rationem prohibitionis, quia non decet, ut laicus in talibus arbitretur. Quæ ratio militat etiam in arbitratore secundùm Roman. *d. n.* 9.

Deinde quia laici nec principaliter, neque ministeria- 18
liter possunt tractare negotia Ecclesiæ, ut videtur probari *in d. c.* 2. *de jud.* ubi post alios Abb. ac cæteri hoc ipsum tenent, ponderando illud verbum, *tractare*, quod generale est.

Postremò, quia in his spiritualibus non potest tran- 19
sigi,

ſigi, *cap. ſuper eo de tranſact.* Arbitramentum autem eſt quædam tranſactio, ut per Gloſs. *in auth. ad differ. judic. §. Si verò contigerit*, *v. Conventum*, Oldrad. *conſ.* 176. *num.* 1.

20 Alii verò aſſerunt, compromiſſum de re ſpirituali fieri poſſe in laicum, tanquam arbitratorem, quod amplexantur Doctores communiter, nominatim Oſtienſ. & Joan. Andr. *in cap. fin. ſub init. de rer. permut.* Roman. *diſt. conſ.* 299. Speculat. *in tit. de arbitr. §. reſtat*, Bald. *in d. c. 2. col. fin. de judic. & in tit. de cap. Conſtantiæ*, *v. poſſeſſionis*, Anchar. *conſ.* 34. *num.* 7. *& conſ.* 98. *in princip.* Quod probavit Romanus, ſibi contrarius *conſ.* 173. Alex. *in l. quoties Cod. de judic. & conſ.* 91. *col.* 2. *lib.* 2. & Joan. de Anan. *in cap. ſicut in uno col.* 1. *de hæret.* quos ſequitur Dec. *in d. cap.* 2. *n.* 4. ubi ait, hanc eſſe communem opinionem, & ab ea non eſſet recedendum. Idipſum teſtatur Mandoſ. *ad Roman. d. conſ.* 299. ubi etiam adducit Ruinum *conſ.* 66. *num.* 11. *lib.* 4. & Felin. *in cap. Cùm ſit generale num.* 3. *de for. compet.* & pro hac opinione Oſtienſ. & Joan. Andr. allegat. *c. cum tempore de arbitr. & d. cap. contingit*, *& cap. penult. eod. & cap. niſi de præb.* Et hæc ſententia tenenda eſt. Rationes eruuntur ex reſponſione ad argumenta primæ opinionis.

21 Non obſtat prima ratio, quia Textus *in d. cap. contingit*, procedit in arbitrio, prout loquitur, non autem in arbitratore. Ratio differentiæ eſt, quia arbitria ad inſtar judiciorum ſunt redacta, ut *l. rem non novam §.* 1. *de judic.* Nam arbiter dicitur, qui eligitur, ut Judex, ut ſcilicet procedat in ſubſtantialibus, ſervato ordine judiciali, ac litem dirimat coram ſe cœptam, vel coram alio, *l.* 1. *l. qualem*, *& l. diem*, *§. ſtari*, *ff. de recept. arbitr.* Unde arbitrium definitur trium actus perſonarum, ſicut in judicio confligentium, vel cauſa in dicendo jure voluntariè poſita. Atque ita quamvis arbitrari de re ſpirituali non ſit actus ſpiritualis, tamen ab eo removetur laicus propter decentiam, & authoritatem judiciorum, & arbitriorum. Hæc autem ratio indecentiæ ceſſat in arbitratore, quia eligitur, ut aliquid æſtimet, & ſine ordine judiciario dicat, & arbitretur, quod ſibi videatur, & amicabiliter componat, ut *Inſtit. de empet. & vendit. §. pretium*, *l. ſi ſocietatem* 1. *ff. pro ſocio*, *l. ſi quis arbitratu*, *ff. de verb. oblig.* cum hujuſmodi aliis ſecundùm Innoc. *in cap. Quintavallis num.* 5. *de jurejur.* & cum eo cæteri Canoniſtæ. Nec arbitramentum dicitur propriè ſententia, nec quaſi ſententia, ſed implementum compromiſſi, ideoque actio oritur ex compromiſſo, non ex arbitramento, ut per Cardin. *conſil.* 139. *num.* 6. Quod eſt Saliceti, & Joan. de Anania *conſ.* 16. *num.* 3. & complures alias differentias inter arbitrum, & arbitratorem recenſet Innoc. Oſtienſ. & Bellam. *loc. cit.* Non igitur mirum, ſi de re ſpirituali in laicum compromitti non poſſit, ut in arbitrum. Simile *in auth. ſi verò contigerit de judic.* Ubi patet in Judicem poſſe compromitti, ut in arbitratorem, non ut in arbitrum.

22 Minus obſtat ſecunda ratio. Quia laicus etiam in ſpiritualibus procurator eſſe poteſt, *cap.* 1. *de procur. in* 6. & acceptare poteſt beneficium pro Clerico abſente, ut notat Jo: Andr. *in cap. accedens de præbend.* quem cæteri communiter ſequuntur, ut teſtatur Dec. *in d. cap.* 2. *num.* 6. *de judic.* & conſuluit Calder. *conſ.* 122. aliàs 1. *de præbend.* Item laico cauſa civilis Eccleſiaſtica ab Epiſcopo delegari poteſt, & tenet Gloſs. *in d. c.* 2. *v. non præſumant*, quam omnes approbant, teſtante Decio *ibidem num.* 7. Atque adeò laici non prohibentur negotia Eccleſiaſtica ſpiritualia tractare, tanquam miniſtri. Neque reſtringitur Textus *in d. c.* 2. Quia verbum, *tractare*, ibi accipitur non ita generaliter, ſed prout congruit *rubricæ de judic.* ſub qua collocatur *l. Imperator ff. de in diem addict.* & notatur *in l. Si verò*, *§. ſi verò*, *ff. locat.* & ita laici prohibentur ibi tractare negotia Eccleſiæ, ſcilicet judicando. Quod ſuadent verba ibi poſita, nempè: *Prælati de negotiis Eccleſiaſticis laicorum judicio non diſponant*, atque ita, quod ſupra dixit, videlicet. *Laici Eccleſiaſtica tractare negotia non præſumant*, intelligi debet judicando, ac diſponendo, non autem, ut nudi miniſtri.

23 Nec refragatur tertia ratio. Nam, etſi de his ſpiritualibus non poſſit fieri tranſactio, poteſt tamen fieri amicabilis compoſitio, ut per Anchar. *d. conſ.* 34. *num.* 7. Jo: de Anan. *in cap. poſt miſerabilem num.* 20. *de uſur.* & Felin. *in cap. cum ſit de for. compet.* Quia tranſactio de ſui natura requirit, ut aliquid detur, promittatur, vel retineatur, *l.* 1. ibique Gloſs. 1. *ff. de tranſact. l.* 3. *C. de repud. hæred.* Gloſs. *in l. Tutores*, *§. ab eo*, *v. tranſactum*, *ff. de adminiſtr. tutor.* Angel. *conſ.* 240. Unde fieri non poteſt in ſpiritualibus ſine labe ſimoniæ *d. cap. ſuper eo*, Gloſs. *in cap. fin. v. Temporalis de rer. permutat.* Item tranſactio dicitur ſpecies alienationis *l. ſi profundo*, *Cod. de tranſact.* & notat Bald. *in cap. ſi vaſſallus de beneficio ſuo in fine*, *ſi de feud. contr. fuer. inter. domin. & agn. & in c.* 1. *de controv. inter vaſſall. & alium de benef.* Rom. *conſ.* 160. *num.* 1. Tiraq. *de utroque retract. tit.* 1. *§.* 1. *gloſs.* 14. *num.* 66. *& ſeqq.* & poſt *n.* 55. meritò de ſpiritualibus, quæ alienari prohibentur, non poteſt tranſigi, & ob has rationes non valet compromiſſum in his ſpiritualibus de jure, & de facto, ut diximus. Hæc autem omnia ceſſant in amicabili compoſitione, ut *in cit. cap. ſuper eo de tranſact.*

Porrò compromiſſum factum in laicum de re ſpirituali, tanquam in arbitrum, arbitratorem, ſive amicabilem compoſitorem, pœna adjecta, ſuſtinetur, ut ſic res magis valeat, quàm pereat, *cap. Abbate de verb. ſignific.* & utile per inutile non vitietur, ut in regula *utile in* 6. *l.* 2. *§. converſio*, *verſ. proinde de judic.* ac tenet Jo: de Anan. *in d. cap. poſt miſerabilem*, *& num.* 20. eſtque ex mente Oſtien. *in cap.* 2. *num.* 4. *de arbitr.* per *cap. niſi de præben.* ubi Compromiſſarii fuerunt aſſumpti, ut arbitri, & tamen ordinatio valet, ut arbitratoris, quia ut arbitri valere non poſſet.

Et ſuffragatur, quod notat Speculat. *tit. de arbitr. §.* 24
penult. aliàs *ult. verſ. ſed pone*, ubi tenet, ſi compromiſſum fuerit in aliquem, ut arbitrum arbitratorem, nec appareat quo jure pronunciaverit, dictum ejus ſuſtineri eo jure, quo melius valere poteſt. Et quamvis ibi concludat valere jure arbitri, hoc tamen dixit, quia in ſuo caſu utroque jure valere potuit. Ergo ex mente ipſius, ſi ut arbitrium valere non potuiſſet, debuiſſet valere ut arbitramentum, ne partes cenſerentur eligiſſe viam, per quam judicium ſuum infringeretur *l. miles ff. de teſtam. mil. & l. Claudius ff. de acqu. hæred.* ac ita declarat Bald. *in l. non codicillum num.* 7. *C. de teſtam.* Et nihilominus, etiamſi utroque jure valere poſſit, tamen ſuſtineri, ut arbitramentum, cùm hoc ſit humanius propter reductionem ad arbitrium boni viri. Contra Specul. tenet Collectar. poſt Oſtien. *in d. cap.* 2. *num.* 5. & Bellam. *ibidem num.* 18. *in* 3. *q. de arbitr.* ſimiliter ſecundùm Innoc. *in d. cap. Quintavallis de jurejur.* propter naturam negotii intelliguntur electi, ut arbitratores, ubi aliàs de mente non apparet. Et hoc caſu ſecundùm Joan. de Anan. *loc. cit.* cautela eſt, ut in laudo arbitrator declaret ſe procedere, tanquam amicabilem compoſitorem juxtà plenè notata in *d. c. Quintavallis.*

An autem ſuper quæſtione uſuraria fieri poſſit com- 25
promiſſum, præſertim in laicum, vide Abbat. *in d cap. contingit num.* 2. Anan. *in d. cap. poſt miſerabilem de uſur.* & Felin. *in d. cap. Cùm ſit num.* 3. *de for. compet.* Et quid de cauſa electionis vide pariter Innoc. *in d. cap. Contingit in fin.* concludentem negativè. Idemque ait Jo: Andr. etiam in fine per *cap. Meſſana de elect.*

CONSULTATIO LXXXVI.

An, & quatenus Religioſi Clerici, & Converſi poſſint intervenire Capitulis ſuæ Religionis?

NEgativè reſpondendum eſt ex diſpoſitione juris 1
communis *in cap. ex eo* 31. *§. In Eccleſiis quoque de elect. in* 6. Cujus hæc ſunt verba: *In Eccleſiis quoque regularibus, vel Monaſteriis hi, qui non ſunt tacitè, vel expreſsè profeſſi, non debent cum profeſſis, vel Converſi laici cum Clericis electionibus intereſſe.* Id ipſum decernitur in *Clement. ut ii de ætat. & qualit.* quod confirmat Sacrum Concilium Tridentinum *ſeſs.* 22. *cap.* 4. *de reformat.* per hæc verba: *Quicunque in Cathedrali, vel Collegiata, ſeculari, vel regulari Eccleſia divinis mancipatus officiis in ſubdiaconatus ordine conſtitutus non ſit, vocem in hujuſmodi Eccleſiis in Capitulo non habeat, etiamſi hoc ſibi ab aliis liberè fuerit conceſſum.* Unde ſumitur regula, quod laici careant voce activa in electione Prælati regularis, ut de mente Textus tradunt Cuch. *inſtit. moral. lib.* 4. *tit. de elect. num.* 114. Suarez *de relig. tom.* 4. *lib.* 2. *cap.* 4. *n.* 3. & Barboſ. *de jur. Eccleſ. lib.* 1. *c.* 19. *n.* 49.

Cum igitur obſtet ipſis diſpoſitio juris communis, debent laici oſtendere privilegium Apoſtolicum, vel ſtatutum Apoſtolica authoritate confirmatum, vel conſuetudinem legitimè præſcriptam, per quam hujuſmodi jus eligendi vel ipſis conceſſum fuerit, vel legitimè præſcriptum, ut expreſsè declarat Gloſs. *in d. cap. ex eo v. electoribus*, & latè comprobant Barboſ. *loc. cit. num.* 49. ac Sigiſmund. a Bonon. *de elect. dub.* 91.

Et quamvis in Conſtitutionibus alicujus Religionis 2
contineantur hæc verba: *Ille verò, qui eligitur Sacerdos ſit, vel Clericus ordinibus aptus*, ex iis tamen non tribuitur laicis jus activum eligendi. Argumentum enim a

con-

contrario ſenſu diſtrictè accipitur reſpectu ejus, quod continetur in ſenſu directo, ut advertit Butr. *in cap. cum Apoſtolicam in ult. notab. de his, quæ fiunt a Præl.* Fab. Ann. *conſ.* 90. *num.* 14. Ideo cum in ſenſu directo dicatur dumtaxat, *ille qui eligitur, ſit Sacerdos, vel Clericus*, a ſenſu contrario poteſt ſolùm inferri, eum qui Sacerdos non eſt, vel Clericus, eligi non poteſt; ac nunquam poteſt inferri, electionem fieri poſſe in laicum, de quo nihil dictum fuerat in ſenſu directo, ut abundè tradit Honded. *conſ.* 110. *n.* 5. Canc. *var. reſol. p.* 2. *cap.* 10. *n.* 78. & dixit Rota apud Mantic. *deciſ.* 283. *nu.* 3. & apud Buratt. *dec.* 116. *num.* 12.

3 Quod ſanè certum eſt. Quia de jure communi prohibetur laicis vox activa. Et ideo Conſtitutio præcipiens eligi Sacerdotem, trahi non poteſt ad indulgendum laicis vocem activam in correctionem juris communis juxta Gloſſam communiter approbatam *in l. Cupientes §. Quid ſi per viginti v. petere de elect. in* 6. Bald. *in l.* 1. *num.* 1. *C. de inutil. ſtipulat.* Dec. *conſ.* 364. *n.* 10. Everar. *in ſuæ topic. loc. a contr. num.* 9. Rota coram Buratt. *dec.* 116. *n.* 11. & latè in Romana, ſive Peruſina Cenſus 12. Decembris 1644. coram Bichio. Et quod caſus omiſſus cadat ſub diſpoſitione juris eſt Textus in *l. Cùm dotem, & l. commodiſſimè ff. de lib. & poſthum.* Rot. *dec.* 22. *n.* 10. & 18. coram Buratto.

4 Quapropter caſus hic non deciſus a Conſtitutione, remanet ſub cenſura juris prohibentis laicis conſortium eligendi, ut rectè ratiocinatur Caſtr. *conſ.* 106. *num.* 1. & *ſeqq. lib.* 2. Cravett. *conſ.* 289. *num* 1. Gratian. *diſcept.* 376. *num.* 17. Ceſ. Manent. *dec.* 63. *n.* 4. & Rota in d. Romana *verſ. ſtatutum verò.*

Præſertim ſi adfuerit longiſſima obſervantia, inconcuſsè obſervata, non admittendi Converſos, ſive laicos ad vocem etiam activam. Obſervantia enim præbet verum intellectum diſpoſitionibus, licèt verba habeant a jure veriorem intellectum contrarium, Gregor. *dec.* 184. *n.* 8. Buratt. *dec.* 944. *n.* 6. Rota in S. Severinæ decimarum 28. Junii 1647. coram Tarraconenſi.

5 Secus autem tenendum eſt, ſi adſit clara Conſtitutio, quod Clerici, & laici converſi admittantur in Capitulis, præſertim Conventualibus. Cùm enim Conſtitutio ſit confirmata in forma ſpecifica cum inſertione illius tenoris, ad Text. *in c. ſi Apoſtolica*, ubi Gloſ. *v. Confirmamus de præb. in* 6. Felin. *in c. Cùm acceſſiſſent num.* 4. & *ſeqq. de Conſtit.* cum aliis per Rot. *dec.* 743. *num.* 13. coram Merlin. & *deciſ.* 46. *num.* 2. coram Alexandro Octavo, tanquam Conſtitutio Pontificia omninò ſervanda eſt, Abbas *in c. Dilecti n.* 14. *de præb.* Felin. *loc. cit. n.* 4. & 5. ibique Dec. *n.* 19. Gabr. *concl.* 7. *num.* 20. *tit. de clauſ.* ac Rota *dec.* 19. *n.* 2. *p.* 7. *dec.*

6 Et quidem quod attinet ad Converſos perſpicua eſt diſpoſitio juris communis, ſecundùm quam ii, ſi fuerint profeſſi, admitti debent unà cum Clericis ad omnes actus capitulares Conventuum, excepta electione, ut probat Textus a contrario ſenſu *in c. in Eccleſia in fine*, ibi: *Sed in aliis debent intereſſe, de inſtit.* Rodriq. *tom.* 2. *quæſt. regul.* 51. *art.* 5. Bord. *reſol.* 53. *q.* 72. *num.* 84. Pellizar. *tom.* 2. *tract.* 9. *cap.* 8. *ſect.* 4. *num.* 123. dicens omnes Religioſi profeſſi jure communi indiſtinctè habent vocem in negotiis Conventuum tractandis. Quia cùm hæc omnes tangant, debent ab omnibus approbari, & cùm ſint communia omnibus, ſinguli admittendi ſunt ad ea, etiam in ſacris non conſtituti, ut in ſpecie tradit Vitalin. *in Clementin. ut ii, num.* 14. *de ætat. & qualitat.*

7 Idque præcipuè ſi concurrat diſpoſitio regulæ in forma ſpecifica confirmata, quæ nullam quoad hæc diſtinctionem facit inter Clericos in ſacris conſtitutos, ac minoribus ordinibus tantùm initiatos, & Converſos, ſed omnes communi fratrum nomine ad vocem activam in Capitulis localibus pro negotiis, & admiſſione novitiorum admittit.

8 Unde, licèt de jure canonico laici converſi cum Clericis non debeant intereſſe electionibus, per Textum expreſſum *in cap. ex eo, §. in Eccleſiis quoque de elect. in* 6. ubi tamen vel ex Conſtitutione approbata per Summum Pontificem, vel ex conſuetudine præſcripta per Converſi laici admittendi forent, hoc jus eis negandum non eſt, ut ait Gloſ. *in d. §. In Eccleſiis, v. Electionibus*, ac tenent Mirand. *in man. Præl. regul. tom.* 2. *qu.* 23. *art.* 4. *concl.* 4. Barboſ. *de jur. Eccleſ. tom.* 1. *lib.* 1. *c.* 19. *n.* 49. & *in collectan. ad d. cap. ex eo num.* 8. *in fin.* ubi alii referuntur.

11 Rationem addunt Innocent. *in c.* 2. *num. item* 2. *de inſtit.* quod in iſtis laicis profeſſis, qui profeſſione ſunt regulares, & Eccleſiaſtici atque in Monaſteriis degunt, non viget illa juris reſiſtentia, & incapacitas, quæ militat in aliis. Idipſum repetit Gloſſ. *in cit. c. ex eo, d. v. electionibus*, inquiens: *non obſtat, quod in talibus non vigeat conſuetudo. Quia illud dico verum ſecundùm Imolam, & Innocentium, & Oſtien. de laicis profeſſione, & habitu, non de Converſis.* Cùm ergo Converſus ſit Eccleſiaſtica perſona, tale jus ſpirituale præſcribere poteſt. Dum enim jus commune hujuſmodi Converſos *in d. cap. ex eo* ab electionibus dumtaxat excludit, eos ad omnes alios actus Conventuales admittit, ut in ſpecie tradit Abb. *in d. c. in Eccleſia n.* 7. *in fine de inſtit.* quod etiam tradit Calder. *conſ.* 30. *de regul.* ubi obſervat, quod hujuſmodi Converſi, quia tria ſubſtantialia promittunt, non differunt a Monachis, aut Canonicis regularibus, & eorum appellatione comprehenduntur; ſed Converſi appellantur, quia de facto non ordinantur, vel ordinari non poſſunt, & ideò regulariter, excepta electione, gaudent privilegiis, oneribus, & honoribus Regulæ, ſicuti alii profeſſi. Siquidem Profeſſio trium votorum eſt de eſſentia Religionis, nempe paupertatis, obedientiæ, & caſtitatis, non autem Clericatus. Vide Navar. *conſ.* 10. *de regular. n.* 2. ac Pinot. *lib.* 2. *hiſt. Canon. Regular. cap.* 81. ubi multa contra inſtitutum Monachorum, quibus ex privilegio conceſſus fuit Clericatus.

Eoque magis ſi concurrerit etiam in hoc caſu aptitudo, & capacitas Converſorum intereſſendi electionibus, aliiſque Contractibus pertinentibus ad Monaſterium, non ſolùm quia vigore profeſſionis ſunt perſonæ Eccleſiaſticæ, ſed etiam quia ita cavetur in eorum Conſtitutionibus, ceſſaretque omnis difficultas ex obſervantia, quod fratres Converſi admittantur in Capitulis conventualibus. Interpretatio enim quæ fit ex obſervantia, tanquam aliarum interpretationum regina, omnibus eſt præferenda, Rota *deciſ.* 184. *n.* 8. coram Gregorio, & *deciſ.* 944. *n.* 6. coram Buratto cum aliis *in deciſ.* 165. *n.* 26. coram Alexandro Octavo. 12

Quod verò ad ſecundum, nempe ad vocem activam in electionibus reſpectu Clericorum profeſſorum, ceſſat etiam omnis difficultas, ſi id eis Conſtitutio concederet. Et quamvis textus *in Clem. ut ii de ætat. & qualit.* nec non Sacrum Concilium Tridentinum *cap.* 4. *ſeſſ.* 22. *de refor.* ſtatuant, ut habentes vocem in Capitulis debeant eſſe ſacris ordinibus initiati, attamen cùm hujuſmodi Conciliares diſpoſitiones non comprehendant Monaſteria, & Conventus Regularium, ſed Eccleſias Collegiatas Canonicorum Secularium, aut Regularium dumtaxat, ut declaravit Sacra Congregatio Eminentiſſimorum Sacri Concilii Tridentini Interpretum 22. Maii 1577. his verbis: *Quoniam decretum Concilii non comprehendit Monaſterium Regularium, ſed Eccleſias Sæculares, de quibus ibi ſermo eſt*, prout ſunt Cathedrales Pampilonenſis, Calaguritana, & aliæ Collegiatæ in Hiſpania, ut teſtatur Cardinalis Bellarminus *ad d. cap.* 4. *Concilii ſeſſ.* 22. & in ſpecie tuetur Rodriq. *tom.* 2. *qu. regul.* 51. *art.* 5. Tabiena *in ſumm. v. electio* 1. *num.* 5. Portel. *eod. v. n.* 2. Paſiarel. *in privil. Minorum in adnot. ſuper can. Concil. can.* 13. & alii, quos refert, ac ſequitur Pelliz. *in man. tract. 9. cap.* 2. *ſect.* 2. *n.* 92. & *ſeqq.* traduntque Garz. *p.* 3. *de benef. cap.* 4. *n.* 31. Sigiſmund. a Bononia *de elect. dub.* 91. *n.* 2. Bordon. *de profeſſ. c.* 20. *n.* 6. Portel. *in dub. regular. ver. electio nu.* 6. & Barboſ. *de Canon. & Dignit. cap.* 37. *n.* 7. aliique. 13

Unde ſequitur, quod etiam, inſpecto jure communi, Clerici profeſſi, licèt ſacris ordinibus non inſigniti, admittendi ſunt ad vocem activam in electionibus, cùm ad hunc effectum ſufficiat ſola profeſſio, ut decernit text. *in d. cap. ex eo §. In Eccleſiis*, ubi Gemin. *n.* 1. *de elect. in* 6. Innoc. *in d. cap. In Eccleſia n.* 2. *de inſtitut.* Abb. *in cap.* 1. *n.* 9. *de procur.* Felin. *in cap. non dubium n.* 3. *de ſentent. excommunicat.* Suarez *de Relig. tom.* 4. *tractat.* 8. *lib.* 2. *cap.* 3. *n.* 3. 14

Idemque dicendum eſt de Converſis, ſuppoſita diſpoſitione Regulæ ad eorum favorem, quo in caſu ceſſat diſpoſitio juris communis vigore *d. cap. Ex eo, §. in Eccleſiis*, quod Converſi laici non debeant cum Clericis intereſſe electionibus. Quia lex generalis non derogat particulari Conſtitutioni, aut conſuetudini, aut Statuto, etiam præcedenti, quod tanquam quid facti præſumitur ignorari a Pontifice, niſi de illo expreſſam mentionem faciat, ut per text. *in cap. licet*, ubi communiter Doctores *de Conſtit. in* 6. Et in hac ſpecie, quod laici, & Converſi poſſint, non obſtante prædicto *cap. ex eo*, habere vocem in electionibus ex particulari Conſtitutione, aut conſuetudine Religionis, tradit Joan. Andr. *in d. cap. ex eo in fin.* Innoc. *in cit. cap. In Eccleſia*, Miranda *loc. cit. tom.* 1. *q.* 23. *art.* 5. Peliz. *d. tr.* 9. *cap.* 2. *qu.* 2. *ſect.* 2. *n.* 2. & Fagnan. *in cap. Meſſana de elect.* Vitalin. *in dict. Clem. ut ii, n.* 13. inquiens: *Ubi eſt dare aliquos non deputatos ad divina officia, ſicut eſt laicus, & Converſus in Eccleſiis regularibus, tunc ſtatur juri antiquo, ut tales non repellantur a voce capitulari, ex eo, quod non ſunt in ſacris,* 15

dum

dum tamen id haberent ex privilegio, ſtatuto, fundatione, vel conſuetudine. Quod docet praxis plurium Religionum, præſertim Sancti Franciſci, in qua Converſi laici admittuntur, nedum ad vocem activam, ſed etiam ad paſſivam in electionibus.

16 Nec obſtat, quod examen idoneitatis, aliarumque qualitatum recipiendorum ad profeſſionem fieri non poſſit per Clericos tyrones in Religione. Quia cùm ad effectum admiſſionis duo requirantur, idoneitas recipiendi, & facultates Conventus recipientis; Primum ſatis præſtatur per examen, quod fit a Superiore, & aliis ad id deputatis. Secundum verò cùm reſpiciat intereſſe totius Conventus, approbari debet ab illius familia. Quod etiam docet praxis Religionis Minorum, ac Minimorum, apud quos S. Congregatio ſub anno 1642. & 1648. declaravit, jus ſuffragandi in receptione novitiorum ſpectare, nedum ad Clericos profeſſos, ſed etiam ad Laicos, & Converſos.

17 Quod videtur non ſolùm conforme diſpoſitioni Regulæ ac juris communis, ſed etiam neceſſitati, ex quo plerumque ſuperiores ad ſe confovendum in regimine Conventuum, nolunt permittere Clericis aſcenſum ad ſacros Ordines, niſi poſt aliquot annos, & ſibi benè affectis, Sicque adminiſtratio rerum temporalium dependeret a ſola voluntate duorum, vel trium Sacerdotum cujuslibet Conventus. Quod an ſit laudabile, ac proficuum alii judicent.

18 Minus obſtat obſervantia contraria. Quia cùm diſpoſitio Regulæ, ac juris communis in contrarium ſatis ſit perſpicua in favore Clericorum, & Converſorum, prætenſa obſervantia non revelat, eſtque rejicienda per Textum *in l. ille, aut ille §. Cùm in verbis ff. de legat. 3.* Rota coram Gregorio XV. *dec.* 184. *nu.* 5. *& dec.* 319. *n.* 3. *&* 4. *p.* 6. *recent.* cum aliis, quos in terminis ſimilis obſervantiæ contra ſtatutum Religionis Hieroſolymitanæ refert, ac ſequitur Rota in Milevitana Commendæ 11. Maji 1657. *§. non obſtat obſervantia*, coram Dunozetto Decano. Ac præſertim ſi obſervantia dederit cauſam liti, quo in caſu non eſt attendenda, Rota *dec.* 66. *n.* 10. *p.* 7. *rec. & dec.* 159. *nu.* 13. *ac ſeqq.* coram Alexandro VIII.

19 Quibus accedat, quod cùm Regula, ſive Conſtitutio Religionis contineat clauſulam ſublata, & decretum irritans, quælibet obſervantia in contrarium eſt nullius roboris, ac momenti per Textum *in cap. ſi eo tempore de elect. in 6. cap.* 1. *de conceſſ. præb. etiam in 6.* Gonzal. *ad regul. octavam gloſſ.* 67. *num.* 12. *cum ſeqq.* Gratian. *diſcept.* 283. *num.* 3. *&* 791. *numer.* 13. ac Rota *dec.* 178. *n.* 3. *p.* 1. *diverſ.* Caſſad. *dec.* 1. *nu.* 7. *de reſtitut. ſpoliat.* Gabr. *clauſ.* 3. *num.* 56. ac Rota *dec.* 31. *num.* 2. *ac dec.* 66. *num.* 8. *part.* 7. *recent.* cùm aliis *in deciſ.* 187. *num.* 3. *&* *dec.* 814. *num.* 6. *&* *dec.* 846. *n.* 18. coram Merlino.

20 Neque etiam obſtaret, ſi in aliquo novo ſtatuto Religionis diſponeretur, admittendos eſſe in Capitulo Conventuali Clericos initiatos ordine Sacro dumtaxat. Quia, præterquamquod hujuſmodi ſtatutum non eſſet forſitan confirmatum authoritate Apoſtolica, cùm deroget juri quæſito ad favorem Clericorum, & Converſorum ex diſpoſitione Regulæ, ac juris communis, fieri non poterit, ipſis ſpretis, ac inauditis, ut tradunt communiter Doctores *in cap. Cùm omnes de Conſtit.* ac in terminis ſimilis novi ſtatuti in præjudicium fratrum Converſorum, ſive Laicorum Tertii Ordinis S. Franciſci, necnon Congregationis Fulienſis, ſive Ciſtercienſis Reformatorum declaravit S. Congregatio 6. Aprilis 1646. & 12. Auguſti 1660. referente Eminentiſſimo Cardinali Franciotto.

21 Denique non obſtat, quod argumentum a contrario ſenſu non admittatur in ſtatutis ad correctionem juris communis, & propterea quod ex reſervatione vocis activæ ad favorem Clericorum, & Sacerdotum inferri non poſſit, quod è contra vox activa debeatur etiam fratribus Converſis. Tum quia jus Converſorum ad vocem activam non deducitur ex ſolo argumento a contrario ſenſu, ſed ex diſpoſitione Regulæ. Tum etiam quia argumentum a contrario ſenſu in Statutis ſemper admittitur, etiam ad correctionem juris communis, quando ſtatutum in ſenſu directo nihil operaretur, ut tradit Bald. *in l. obſervare §. Proficiſci ff. de offic. Proconſul.* Fulgoſ. *in l. liberis C. de collat.* Cravett. *conſ.* 105. *num.* 7. *lib.* 1. Corneus *conſ.* 91. *col.* 2. *lib.* 5. Dec. *conſ.* 626. *col.* 2. poſt *num.* 6. cum aliis per Maſchard. *de general. ſtatut. interpret. concl.* 4. *n.* 31. *in fine*.

CONSULTATIO LXXXVII.

An, & quatenus a P. Abbate Generali avocari poſſit cauſa ejus ſubditi regularis? ubi ſtrictim de cauſis avocationis, & quid ea ſit?

CEnſeo, non eſſe locum avocationi, ſed cauſam eſſe terminandam coram Patre Abbate Generali, coram quo fuit in prima inſtantia inchoata. Habet enim Abbas Generalis juriſdictionem ordinariam ex diſpoſitione Sac. Concilii Tridentini *ſeſſ.* 24. *cap.* 20. *de reform.* verbis illis: *coram ordinariis locorum*, quorum appellatione non modò veniunt Epiſcopi, ſed etiam exempti, Epiſcopalem juriſdictionem habentes, qualis eſt Abbas Generalis, ut per Rodriq. *tom.* 1. *quæſt. regul.* 36. *art.* 4. Rotam *dec.* 100. poſt Farin. *par.* 4. *prax. crim.* Pariſ. *de reſignat. lib.* 3. *qu.* 11. *num.* 19. 1

Et dato, non autem conceſſo, quod præfatus Abbas non veniat appellatione Ordinarii in d. decreto S. Concilii, non tamen idcircò ex eo ſublatæ fuerunt Conſervatoriæ Regularium, etiam quod cauſæ graves ſint, & plenariam cognitionem requirant, ut cenſuit ejuſdem S. Concilii Congregatio in Mediolanenſi, ac refert Rota in Oſcenſi juriſdictionis 12. Decembris 1694. coram Ubaldo. Conſervatoriæ autem hujuſmodi Abbatibus Generalibus a Sede Apoſtolica tributæ, & confirmatæ leguntur paſſim apud ſcriptores. 2

Eoque magis, ſi ad majorem ſuæ juriſdictionis ordinariæ firmitatem, haberet etiam juriſdictionem a Summo Pontifice ſpecialiter ad id delegatam. Unde non poteſt de jure cauſam hujuſmodi Commiſſarius ſibi avocare, ſaltem qua dictus Abbas Ordinarius eſt. 3

Primò, quia hoc eſſet in præjudicium ejuſdem Ordinarii, ut per Suarez de Paz. *in pract. tom.* 2. *prælud. ult. num.* 18. Sarav. *de juriſd. Adjunct. q.* 7. *n.* 7. 4

Deinde quia hoc eſſet in grave damnum actoris propter ſumptus litis, & probationum difficultatem, cùm cogeretur, cauſam agere extra proprios lares, ut per Oſtien. *in ſum. tit. de renun. §. nam poſſunt col.* 1. Surd. *dec.* 41. *numer.* 5. *&* *dec.* 277. *numer.* 9. *&* *ſeqq.* Grat. *diſcept.* 892. *num.* 10. *ac* 11. 5

Ad hæc maximè, ſi pars non producat acta jam agitata coram Ordinario. Certum autem eſt, quod qui petit avocari cauſam, ſive ſit actor, ſive reus, tenetur acta producere, Guidopap. *dec.* 441. Mart. *in compil. dec. v. cauſæ c.* 5. *tom.* 1. 6

Quod verò coram Ordinario, ſive Commiſſario fuerit in cauſa inducta pendentia litis, atque adeò quod præceſſerint acta, conſtare poterit ex confeſſione partis in libello, ſive Commiſſione, quam porrigit his, aut ſimilibus verbis: *prævia avocatione cauſæ, & cauſarum hujuſmodi a dicto Abbate*. Confeſſio enim facta in libello plenè probat contra Confitentem, ut firmat Text. *in c. fin. de jurejur. in 6.* & tradunt Ruin. *conſ.* 81. *num.* 3. *vol.* 4. Avocatio enim cauſarum nihil aliud eſt, quàm litis pendentiæ coram Inferiore ad Superiorem abſque provocatione facta translatio, ut ait Benintend. *dec.* 41. Gaill. *dec.* pariter 41. & Marth. *d. tom.* 1. *cap.* 4. *ad fin. d. v. cauſa*. 7

Poſtremò quia deficit cauſa, ſine qua avocatio non præſumitur, neque datur, cùm ſit odioſa, Caſſad. *dec.* 2. *num.* 6. *de appellat. & dec.* 1. *num.* 1. *de reſcript.* Felin. *in cap. ad audientiam* 2. *fallent.* 10. *eodem tit.* ac Rota coram Caval. *dec.* 117. *num.* 3. 8

Cauſæ autem, propter quas datur avocatio, ſolent eſſe, ſi Judices ordinarii intra menſem, Partibus inſtantibus, juſtitiam miniſtrare renuant, aut judicium aperire denegent, ſive illud in longum protrahant, ut teſtatur Miſyng. *dec.* 82. *p.* 5. 9

CONSULTATIO LXXXVIII.

An, & quatenus facienda ſit a Curia Romana remiſſio cauſarum, etiam Regularium, ad Judices Regni Franciæ ut ab iis definiatur?

QUoties agitur de ſententia lata prævio proceſſu formali, & in contradictorio judicio, & Partes ſunt de Regno Galliæ, ac jus, de quo diſceptatur eſt in Regno, locum habent concordata inter Leonem Decimum, & Franciſcum Primum impreſſa in Bullario Romano *t.* 1. quorum particulam dabimus in fine. Quia cùm concordata ſint clara, quod cauſæ debeant uſque ad tertiam ſententiam incluſivè cognoſci in partibus, dubitari non poteſt, quin ſint obſervanda cùm tranſiverint in vim Contractus, Creſcent. *dec.* 2. *&* 5. *de privil. &* Summus Pontifex nunquam derogat Concordatis, ſed 1

potius

potius ſemper illa excipit, & præſervat, ut latè per Gonzal. *ad regul. 8. gloſ. 25. n. 8.*

2 Eoque magis, quia hæc concordata ſtrictè cuſtodiuntur, atque obſervantur, dum cauſæ Regni Franciæ non dijudicantur in Curia Romana, ſed omnes cognoſcuntur a ſuis Judicibus in partibus, & propterea multò magis obſervanda ſunt, cùm non ſint immutanda, quæ ſemper certam, & diuturnam conſuetudinem habuerunt, *l. ſi de interpretatione, & l. de quibus, ff. de legib.*

3 Juncto etiam decreto irritante, expreſſè appoſito a Pontifice in hoc concordato, ex quo Judicium in Curia Romana vanum, infectumque eſſet. Quia decretum irritans tollit vires ſententiæ ac ejus exequutionem impedit Caſſador. *dec. 12. num. 5. & 6. ac. 7.* & Gabr. *de clauſ. concl. 3. n. 51.*

4 Accedit plerumque impoſſibilitas cognoſcendi cauſas in Curia Romana. Quia non datur partibus facultas tranſportandi proceſſus, ſine quibus non poteſt cognoſci an ſententiæ ſint juſtæ, anve injuſtæ. Et quamvis interdum deferantur aliqua jura, adhuc tamen conſtare non poterit, an ex illis fuerit lata ſententia. Quia non probat hoc eſſe, quod non contingit abeſſe. *l. neque natalis C. de probat.* Et acta ſunt integrè tranſmittenda ad Judicem appellationis, non ſolùm ex diſpoſitione juris communis *l. 2. Cod. de eden.* Sed etiam ex diſpoſitione S. Concilii Tridentini *ſeſſ. 24. cap. 20. §. Præterea de reform.* Ideoque, actis non integrè tranſportatis, nequit procedi in cauſa appellationis, & aliter lata ſententia non eſt attendenda, *l. ſi cum nulla*, ubi Gloſſ. & Doctores *ff. de re judic.* Mohed. *dec. 3. num. 1. & 2. de teſtam.* Seraph. *dec. 615. num. 5.* ac in Lunenſi Sarzanenſi juriſdictionis 3. Julii 1623. coram Remboldo, & in Romana ſpolii domus 20. Novembris 1624. coram Manzanedo.

5 Et quamvis Concilium loquatur tantùm de actis coram Epiſcopo, illud tamen decretum obtinet etiam in actis coram quocumque Judice Eccleſiaſtico, ut latè firmavit Rota in Toletana habitus 10. Junii, & 16. Novembris 1626. coram Pirovano.

6 Particula autem concordati eſt hujuſmodi: *Statuimus quoque, & ordinamus, quod in Regno Delphinatus, & Comitatus prædictis, omnes, & ſingulæ, cauſæ, exceptis majoribus in jure expreſſè denominatis, apud illos Judices in partibus, qui de jure, aut conſuetudine præſcripta, vel privilegio illarum cognitionem habent, terminari, & finiri debeant.*

7 *Et ne ſub umbra appellationum, quæ nimium, & nonnunquam frivole interponi conſueverunt, atque etiam in eadem inſtantia ad prorogationem litium ſæpe multiplicari, injuſtis vexationibus materia præbeatur, volumus, quod ſi quis offenſus coram ſuo Judice, Juſtitiæ complementum habere non poſſit, ad immediatum ſuperiorem per appellationem recurſum habeat, nec ad aliquem ſuperiorem, etiam ad nos, & ſucceſſores noſtros, & Sedem Apoſtolicam, omiſſo medio, nec a gravamine in quacumque inſtantia ante definitivam ſententiam quomodolibet appelletur, niſi forſitan tale gravamen extiterit, quod in definitiva reparari nequiret, & eo caſu nonniſi ad immediatum Superiorem liceat appellari.*

8 *Si quis verò immediatè ſubjectus Sedi Apoſtolicæ ad eamdem Sedem duxerit appellandum, cauſam committatur in partibus per reſcriptum uſque ad finem litis, videlicet uſque ad tertiam ſententiam conformem incluſivè, ſi ab illis appellari contigerit, niſi propter defectum denegatæ juſtitiæ, aut juſtum metum, & tunc committi debeat in partibus convicinis, & cum cauſarum expreſſione, quæ etiam de illis, etiam legitimè, alias quam per juramentum coram Judicibus a Sede Apoſtolica deputandis conſtare debeat. Proceſſus autem contra præmiſſa attentatos nullos, & irritos eſſe volumus, ac reſcripta contra præmiſſa impetrantes in expenſis, damnis, & intereſſe condemnari debere decernimus, atque declaramus.*

CONSULTATIO LXXXIX.

An, & quatenus in Eccleſiis Parochialibus, quæ membra ſunt Abbatiarum, requiratur concurſus?

1 SI Epiſcopus ante proviſionem Eccleſiæ Parochialis, factam ab Abbate regulari, celebraverit concurſum juxta diſpoſitionem Sac. Concilii Tridentini *ſeſſ. 24. cap. 18.* non eſt ei deneganda manutentio, ſecundùm vulgares concluſiones, & in hac ſpecie extat *deciſ. 559. n. 2. in fine, par. 2. recent.*

2 Unde non obſtat, quod Eccleſia ſit membrum Abbatiæ, atque adeò, quod in illius proviſione non requiratur concurſus per *deciſ. 99. par. 3. recent.* Quoniam ad hunc effectum eſt attendendus ultimus ſtatus, qui unioni repugnat, Rota in Vicenſi Parochialis 20. Junii 1650. coram Bichio *§. Unionis autem, & in dec. 564. nu. 13. p. 5. recent.* Lotter. *de re benef. lib. 1. q. 28. nu. 104.*

Præterea unio eſt concludenter probanda, Rota *in d. Vicenſi*, vel per publicum inſtrumentum, vel præſumptivè per præſumptiones ad id ſufficientes, ut ſi probaretur, quod Abbatia ſit domina bonorum Eccleſiæ, ſi tradat dumtaxat hujuſmodi Parochis aliquam annuam præſtationem, ſi illa ſuſtineat onera Eccleſiæ, & hujuſmodi alia, quæ ad probandum unionem ponderat in his terminis Rota *d. deciſ. 99. p. 3. recent.* 3

Neque inferri poteſt, collatio, ſive præſentatio pertinet ad Monaſterium, ergo eſt illi unita. Nam hoc jus provenire poteſt ex capite Juriſpatronatus. Rota in Valentina Rectoriæ 22. Junii 1650. coram Bichio *§. Et ex abundanti.* 4

Et quatenus unio probaretur, adhuc non ſufficeret pro excludendo concurſu, niſi ulterius comprobaretur, quod cura habitualis reſideret apud Monaſterium. Nam Eccleſia unita, quæ habet curam actualem, & habitualem provideri non poteſt ſine concurſu, ut ex mente Sacræ Congregationis Concilii dixit Rota *deciſ. 179. ſub initio part. 2. recent.* 5

Multoque minus allegari poteſt, quod Eccleſia ſit Regularis. Nam ad id, ut dicebam, attendendus eſt ultimus ſtatus, Doctores *in cap. cum de beneficio de præbend. in 6.* Rota *deciſ. 2. de præbend. in nov. & deciſ. 154. num. 3. part. 1. recent. & in dict. Valentina Rectoriæ* coram Bichio *§. firmato.* 6

Idque præſertim, ſi pro regularitate non adducantur ſufficientes probationes. Non enim attendendæ ſunt antiquæ proviſiones factæ in perſona regulari. Quia niſi concludenter doceatur, illas fuiſſe obſervatas ſpatio quadraginta annorum, in nulla ſunt habendæ conſideratione, concurrentibus aliis proviſionibus in ſeculari adeò, ut in hoc caſu ſemper dicendum ſit, beneficium fuiſſe ſæculare, nec conſiderari poſſit, quod ſtatum regularitatis beneficio impreſſum, ſubſequentes proviſiones factæ ſæcularibus immutaverint, ut firmavit Rota in d. Valentina *§. Prout nec applicatur*, cujus particula his ſubjicitur. 7

Et quatenus etiam probaretur a principio impreſſus ſtatus regularitatis, adhuc tamen per longiſſimi temporis curſum, quo beneficium ſæcularibus proviſum fuit, ſtatus dicetur mutatus, Rota *d. dec. 2. de præb. in nov.* 8

Et quamvis admitteremus, quod quando mediante titulo Commendæ providetur ſæcularis regulari beneficio illud non mutet ſtatum juxta deciſionem Pegnæ 443. de qua re nos alibi, id tamen ad ſummum procederet reſpectu Abbatiæ, quæ in titulum commendæ confertur non autem quoad beneficium, quod nunquam probatur collatum fuiſſe titulo commendæ. 9

Sicuti etiam nihil relevat ad probandum regularitatem beneficii, quod illud pertineat ad collationem Monaſterii regularis, quia ſæpius regulares tenentur conferre ſæculari, & hoc caſu ſæculare dicitur, Gonzal. *ad regul. 8. Cancellar. gloſ. 8. n. 38.* Lotter. *loc. cit. lib. 1. q. 34. n. 8.* Rota in Valentina *d. §. & ex abundanti*, & in Montis Caſinenſis Parochialis 17. Februarii 1648. coram Bichio *§. A qua receptiſſima* poſt Dianam *tom. 9. in fin.* 10

Sique plura concurrant, quæ convincant ſæcularitatem, præſertim quia eſt in ſtatu collativo, quod non convenit Regulari, Gonzal. *gloſs. 5. §. 6.* & quia ſuper eo liberam ſemper exercuit juriſdictionem Ordinarius. Quod ſi eſſet regulare, illi non fuiſſet licitum. Obſtaret enim exemptio. 11

Particula deciſionis in Valentina hæc eſt: Prout nec applicantur, quæ dicuntur de mutatione ſtatus, negando quod allegatæ proviſiones Apoſtolicæ ex defectu voluntatis, & Ordinarii ex defectu poteſtatis mutaverunt ſtatum hujus beneficii de regulari, & manuali in ſeculare, & collativum. Quia cùm unica datur antiquiſſima collatio facta regulari, nempe fratri Jacobo Bonetto de anno 1331. ideoque non probatur antiquiſſimus ſtatus regularitatis originaliter, aut quadragenaria præſcriptione conſtitutus, ut oportet *cap. cum de beneficio de præb. in 6.* Gonzal. *ad regul. 8. gloſs. 7. n. 8.* Lotter. *de re benef. lib. 1. q. 34. n. 45.* Rota coram Buratto *dec. 636. num. 1.* & poſt Modern. Pilan. *de jurepatr. dec. 44. num. 5.* non intrat quæſtio mutationis ſtatus, ſed allegatæ proviſiones, & collationes factæ ſæcularibus collativum, & ſæculare perpetuò fuiſſe beneficium declarant, Rot. *dec. 482. num. 1.* coram Gregorio XV. *dec. 57. num. 9. & ſeq. p. 6. rec. dec. 156. num. 6.* coram Pegna, & in Pampilonenſi præceptoriæ 21. Februarii 1611. coram eodem 12

His addo ſequentem S. Rotæ Romanæ deciſionem coram Meltio, in Bononienſi Parochialis 24. Aprilis 1651. 13

DECISIO.

PEr obitum Franciſci Sambucchii, ſequutum de menſe Novembris 1648. vacante Eccleſia Parochiali S. Mamæ in Civitate Bononiæ, fuit ab Eminentiſſimo Cardinali Archiepiſcopo ejuſdem Civitatis indictus concurſus juxta diſpoſitionem Concilii Tridentini, & Conſtitutionis Pii V. at quia in termino edictorum ſe ſe oppoſuerunt Abbas, & Monachi Monaſterii S. Proculi Ordinis S. Benedicti prætendentes jus conferendi eandem Parochialem ad ipſos ſpectare, eo quia illa eſſet unita eorum Monaſterio, atque Eccleſiæ; fuit inter Sindictum Menſæ Archiepiſcopalis ex una parte, ac Abbatem, & Monachos ex altera ventilata controverſia hujuſmodi coram Vicario Archiepiſcopali, qui citatis citandis, decrevit Menſam Archiepiſcopalem, ac illius Sindicum manutenendos eſſe in quaſi poſſeſſione liberè conferendi, & propterea ad ulteriora procedendi eſſe in concurſu, reſervatis tamen juribus eiſdem Abbati, & Monachis agendi in judicio petitorio; Unde proſequuto concurſu fuit pro magis idoneo præelectus Philippus Boſius qui etiam adiit Sanctiſſimum pro obtinenda collatione ratione menſis reſervati. Sed poſtmodum mihi commiſſa cauſa in gradu appellationis ad inſtantiam eorumdem Abbatis, & Monachorum, fuit per Procuratores menſæ, ac Philippi Boſii de d. Parochiali proviſi adita Signatura pro obtinenda reformatione d. Commiſſionis, a qua emanavit reſcriptum cum clauſula ſine præjudicio concurſus arbitrio Rotæ, ad cujus formam propoſito ſub hac die per me dubio, An intret arbitrium pro retardatione, viſum fuit DD. non intrare. Nam cùm illud veniat regulan. a juris diſpoſitione Cæſ. de Graſ. *dec.* 7. & 8. *n.* 2. *ac ſent. & re jud.* Rota *dec.* 641. *n.* 1. *par.* 1. *diverſ. & in recent. dec.* 365. *n.* 1. *par.* 1. *dec.* 698. *n.* 1. *par.* 2. & *dec.* 289. *n.* 3. *par.* 7. ac ſæpiſſimè in aliis; de jure eſt quod non retardetur exequutio litteris Apoſtolicis, neque detur appellatio ſuſpenſiva adverſus proviſionem factam de Parochiali per concurſum, ut ſancitum fuit in Conc. Trid. *ſeſſ.* 24. *c.* 18. *de refor. verſ nec prædictorum examinatorum relationem*, ac in Conſtitut. Pii V. de quibus per Gonzal. *ad regul.* 8. *Cancell. gloſ.* 9. §. 1. *in adnot. contra nullitat. & attent. n.* 209. cum aliis relatis per Rot. in Celſon. Parochialis 13. Novembris 1642. coram R. P. D. meo Peutingero, Add. ad Burat. *dec.* 22. *n.* 39. quod eò magis procedit in hoc caſu, in quo habemus decretum etiam latum ex remedio poſſeſſorii ſummariiſſimi per Vicarium ad favorem menſæ Archiepiſcopalis Bonon. atque illius Sindici, per quod fuit declaratum illos manutenendos eſſe in quaſi poſſeſſione liberè conferendi Eccleſiam Parochialem S. Mamæ, & ideò procedendum eſſe ad ulteriora in concurſu, ac ejus collatione; quod pariter appellationem ſuſpenſivam rejicit etiam de jure canonico, ut per Seraphin. *dec.* 1295. *n.* 1. & 2. nec quidquam refert, quod cauſa reperiatur commiſſa cum clauſula, arbitrio, quia nihilominus illud denegatur, ut firmavit Rota *dec.* 211. *n.* 1. & *ſeqq.* inter impreſſ. apud Moder *de manut.* & fuit etiam reſolutum in Ceſaraug. decimarum 12. Decem. 1650. §. *in fin. coram. me.*

Neque obſtat nominatio, & admiſſio Vicarii facta per Abbatem Monaſterii S. Proculi in perſonam Jo. Plateſii ſub prætextu quod d. Parochialis S. Mamæ ſit unita, & ideò ut fieri non potuerit ab Ordinario concurſus, ſed Prælatus Monaſterii, qui eſt etiam Rector Eccleſiæ unitæ, præſentare teneatur, ac Ordinarius ſolùm approbare poſſit juxta trad. *in cap.* 1. *de capell. Monach.* Rota *in recent. dec.* 102. *n.* 1. & 9. *ubi aliæ allegantur par.* 1. *dec.* 153. *n.* 2. *par.* 2. *dec.* 445. *n.* 2. *par.* 5. & *dec.* 16. *n.* 12. *par.* 6. Buratt. *dec.* 214. *n.* 1. & ibi Add. Duran. *dec.* 2. *n.* 2. quod eſt etiam juxta diſpoſitionem Conſtit. Pii V. de Vicariis, quæ eſt in ordine la 47. de qua per Rot. *d. dec.* 16. *par.* 6. *rec. ſub. n.* 17. quia reſpondetur, quod objectum procedere poſſet, quatenus unio, de qua principaliter quæritur, probaretur clara, & indubitata, itaut altiorem indaginem non requireret; cùm ex illa excludatur quæcumque reſervatio ex latè deductis coram R. P. D. meo Otthobono in Regien. Parochialis 31. Maji 1649. *Sub §. certum eſt enim*, & in Vicen. Parochialis 20. Junii 1650. coram R. P. D. meo Bichio, necnon in Barchin. Parochialis de Palau 5. Decembris 1650. coram R. P. D. meo Albergato. Hujuſmodi autem probatio in propoſito prorſus deficit, quia de unione non apparet per aliquam ſcripturam, prout neceſſarium eſſe, tradit Cravett. *conſ.* 258. *num.* 11. Alexan. *conſ.* 219. *num.* 16. *lib.* 6. Rota *deciſ.* 606. *num.* 5. *par.* 3. *recent.*

Immò juſtitia concurſus eò magis detegitur, quia illa probatur ex poſſeſſione 89. annorum reſultan. ex quatuor collationibus effectuatis, quæ fuerunt factæ per Ordinarium, nempe tres ex cauſa *liberæ reſignationis*, & reſpectivè permutationis factæ authoritate Ordinaria de annis 1559. 1566. & 1590. & quarta ex cauſa reſignationis authoritate Apoſtolica, & in litterarum Apoſtolicarum exequutione de anno 1600. quibus accedit, & alia ſequuta de anno 1621. per obitum in menſe reſervato facta authoritate Apoſtolica prævio concurſu coram Ordinario ad favorem Sambucchii ultimi poſſeſſoris defuncti de anno 1648. ſummar. menſæ Archiepiſcopalis, ac Philippi Boſii num. 3. quæ prorſus repugnant unioni, cùm illa impediant vacationem *Clem. frequens*, §. *quidam etiam Eccleſias*, ubi Gloſſ. *in verb. menſa de exceſſ. Prælat.* Oldrad. *conſ.* 257. *num.* 26. Rebuff. *in prax. tit. de union. benef. num.* 12. *in fin.* Unde Parochialis iſta quatenus fuiſſet unita, ac de menſa, uti præſupponit Joannes Plateſius vacare non potuiſſet per obitum Vicarii, Gregor. XV. *dec.* 77. *num.* 2.

Sed quod magis ſtringit eſt ultima collatio facta ad favorem Sambucchii de anno 1621. quæ conſtituit ultimum ſtatum omninò attenden. ad effectum ſuſtinendi collationem factam uti de reſervato, ſicuti in puncto contra prætendentem unionem fuit reſolutum in Vicen. Parochialis 20. Junii 1650. §. *unionis autem probationem*, coram R. P. D. meo Bichio & in jam alleg. Barchinon. Parochialis de Palau. 3. Decembris 1650. §. *ſiquidem*, *verſ. & hic ultimus ſtatus*, coram R. P. D. meo Albergato, & eò magis in hoc caſu eſt attendendus ultimus ſtatus ad ſuſtinen. Parochialis collationem tanquam reſultant. ex quaſi poſſeſſione Rot. *dec.* 57. *numer.* 3. *par.* 6. *recent.*

Ponderatum fuit etiam per DD. quod ultimus ſtatus in hoc caſu eo majoris ſit relevantiæ, quia concurſus factus de anno 1621. ab Archiepiſcopo ſuum habuit effectum per collationem Apoſtolicam ſequutam ad favorem prænominati Sambuchii ultimi poſſeſſoris, non obſtante quod Abbas, ac PP. S. Proculi ſe ſe judicialiter oppoſuiſſent, quia nihilominus menſæ Archiepiſcopali conceſſum fuit mandatum de manutenendo, de quo in Summ ejuſdem menſæ, & Philippi Boſii n. 3. ſub litt. E. cui mandato ipſi PP. acquieverunt, nec unquam per ſpatium 27. annorum, ſcilicet uſque ad tempus ultimæ vacationis reclamarunt, quare etiamſi ipſi per prius fuiſſent in quaſi poſſeſſione conferendi, nihilominus per tàm longam patientiam, atque acquieſcentiam quamcumque eorum anteriorem poſſeſſionem amiſiſſent, cùm ſpatio decennii illa deperdatur juxta doctrinam Bartol. *in l. ſi de eo*, §. *ſi forte n.* 4 *ff. de acq. poſſeſ.* Rot. inter impreſſ. apud Modern. *de manut. dec.* 103. *n.* 4. & coram bon. mem. Coccino *dec.* 50. *n.* 6. & 7. ac illam acquiſiviſſet Archiepiſcopus, ut in ſpecie de jure conferendi declarat Jo. Silv. *de benef. par.* 2. *qu.* 7. *n.* 3. *ante fin. verſ. ex quibus infertur*, & *n.* 4. *verſ. & ratio aſſignatur*, prout in ſimili de jurepatronatus egregiè firmavit Rot. in Aſculana juriſpatronatus 7. Junii 1638. §. *ultra*, coram Eminentiſſim. Domino Cardin. Panzirolo.

Hac eadem reſponſione optimè tollitur etiam objectum factum, quod ut ſit locus clauſulæ arbitrio pro retardatione exequutionis, non requiratur tàm plena probatio unionis, ſed ſufficiat quoquomodo rem turbidam reddere, quia hoc ſanè procedere poſſet, quatenus non interceſſiſſet tantum temporis ſpatium, quo Abbas, ac Patres parare potuiſſent ſuas probationes, ſecus è converſo, ut declaravit Rota *dec.* 756. *num.* 1. & 4. *par.* 2. *recent.* & fuit reſolutum in Gerund. beneficii 30. Aprilis, & 18 Junii 1640. coram R. P. D. meo Rojas, in caſu autem iſto d. Abbas, & PP. ſatis commodè parare poterant eorum probationes uſque ab anno 1621. quo contra eos emanavit ſententia in ſummariiſſimo poſſeſſorio ad favorem Archiepiſcopi reſervatis juribus Abbati plenius probandi in petitorio, quod cùm non fecerint, imputent ſibi ipſis, nec eorum negligentia eis ſuffragari poteſt, Rot. *dec.* 71. *num.* 8. *par.* 4. *recent. tom.* 2.

Neque pro concludentibus probationibus unionis inſervire valent nominationes, præſentationes, ſeu proviſiones diverſis temporibus factæ per Abbatem S. Proculi in perſonas Monachorum, quæ præſupponuntur confirmatæ per Vicarium, & Capitulum Bonon. & dantur ab anno 1271. uſque ad annum 1582. quia ille referri omnes poſſunt ad titulum juriſpatronatus, nam eorum aliquæ continent expreſſam mentionem juriſpatronatus, aliæ loquuntur non de Vicario, ſed de Rectore, & ferè omnes emanarunt ex cauſa vacationis, ex quibus reſultat, ut effectuata aliqua unio allegari non poſſit; nam certum eſt, quod illa impediviſſet quamcumque vacationem, Feder. de Sen. *conſ.* 200. *num.* 2. Sarnen. *de trienn. qu.* 8. Rebuff. *de union. n.* 3. vacatio enim adeò repugnat unioni, ut unitum abſolutè nunquam vacet, neque poſſit impetrari Rot. coram Card. Caval. *deciſ.* 330.

num.

num. 3. 373. *n.* 3. & 408. *n.* 3. 411. *n.* 1. & 435. *n.* 2. cùm pluribus aliis relatis in Regien. Parochialis 15. Junii 1650. coram R. P. D. meo Otthobono, in d. Barchinon. Parochialis de Palau. 5. Decembris ejuſdem anni coram R. P. D. meo Albergato.

Non adverſatur, quod præſentationes fieri poſſint non ſolùm ratione ſimplicis juriſpatronatus, ſed etiam ratione annexionis, & unionis, ut firmavit Rot. *dec.* 441. *ſub n.* 7. *par.* 5. *recen. tom.* 2. Quia hoc procederet quotieſcunque aliundè conſtaret de unione, in quo caſu optimè applicarentur etiam omnes actus, qui pro parte Monaſterii, ac Joannis Plateſii adducuntur pro comprobatione eorum prætenſæ unionis, & in ſimilibus terminis loquitur deciſio Barchinonen. Vicariæ S. Eulalii de Oſpitaletto 12. Decembris 1638. coram bon. mem. Coccino, ex cujus lectura apparet in principio, quod unio probata remanebat per ſcripturas, in iſto autem caſu, quia per aliquam ſcripturam omninò neceſſariam ad eam probandam ex ſuprà allegatis non docetur, ita neque de per ſe ſoli illam probare valent ponderati actus, ac verba æquivocum ſenſum habentia, cùm illa potius importent patronatum, & ſubjectionem, quàm unionem, & tamen ad effectum probandi unionem verba debent eſſe adeò clara, ut perneceſſe illam concludant, Duran. *dec.* 430. *n.* 121. Add. ad Gregorium XV. *deciſ.* 196. *num.* 3. *verſ.* 2. Rota in Celſonen. Parochiali 1. Julii 1643. coram R. P. D. meo Peutingerio.

Ullius neque viſum fuit relevantiæ, quod Eccleſia, de qua agitur dicatur ædificata in ſolo Monaſterii, ſcilicet in vinea, quæ de anno 1269. fuit a Monaſterio, & Monachis conceſſa pro ædificatione domorum, ut in Summ. Plateſii *num.* 5. ex quo infertur ad unionem: Quia primò, non probatur, quod iſta Eccleſia ſit ædificata in prædicta vinea, immò potiùs contrarium demonſtratur, nam pro confine ipſius vineæ aſſignatur Burgum S. Mamæ ibi, & *juxta Burgum S. Mamæ*, unde confinans pro ſeparato ſemper habetur a confinato ex trad. per Hier. a Mont. *de fin. cap.* 15. *num.* 2. & *ſeq.* & *cap.* 101. *n.* 4. Rot. *dec.* 236. *nu.* 7. & 8. *par.* 6. *recent.* Sed eſto etiam quod Eccleſia ædificata dici poſſet in ſolo Monaſterii, hoc quidem ſuffragaretur ad proban. juſpatronatus, non autem unionem, quæ indigeret aliis ſignis, ac requiſitis ſecundùm opinionem Rot. *dec.* 204. *n.* 5. *par.* 2. *rec.* Burat. *dec.* 330. *num.* 15.

Quod autem Eccleſia S. Mamæ ſolvat ſingulis annis Monaſterio S. Proculi Bononenos 24. neque ex hoc inferre licèt ad aliquam unionem, cùm potiùs ſolutio hujuſmodi indicet meram ſubjectionem *cap. omnis anima in fin. de cenſ.* Abb. *in c. in cauſa ſub numer.* 4. *de cauſ. poſſeſſ.* & *propriet.* Rot. in Peruſina Eccleſiarum S. Crucis, & S. Luciæ 13. Martii 1620. coram Remboldo, & fuit etiam dictum in alleg. Regien. parochialis 31. Maji 1649. & 15. Junii 1650. coram R. P. D. meo Otthobono *ſ. ſolutiones annuæ.*

Prout etiam nihil referunt compromiſſum, & laudem anni 1226. & 1227. juncto alio inſtrumento anni 1445. ſum. Monaſterii *n.* 4. ex quibus apparet Monaſterium fuiſſe conſtitutum debitorem decimarum, quæ debentur Eccleſiæ Cathedrali Bononiæ etiam pro ejuſdem Monaſterii Eccleſiis, inter quas deſcribitur iſta S. Mamæ, ex qua ſolutione arguitur de unione d. Eccleſiæ ad Monaſterium, quia aliàs illud ad eas non teneretur Rota *dec.* 16. *num.* 9. *par.* 6. *recent.* Quia reſpondetur, quod cùm ſolutiones fuerint factæ non ſolùm ratione bonorum Monaſterii, ſed etiam aliorum ad Eccleſias inferiores ſpectantium, iſtæ magis excludunt unionem; nam ſi verè Eccleſiæ fuiſſent unitæ Monaſterio nequaquam potuiſſet dici, quod illæ bona propria haberent, Rot. *dec.* 282. *num.* 15. & *ſeqq. par.* 6. *rec.* & in d. Regien. parochialis 15. Junii 1650. coram R. P. D. meo Otthobono, *ſub cad. ſ. ſolutiones annuæ in fin.*

Præterea neque refragatur, quod de anno 1509. facta fuerit conſignatio bonorum mobilium hujus Eccleſiæ per Abbatem D. Nicolao de Cimatoribus, tunc temporis hujus Eccleſiæ Rectori, ut in Summ. Abbatis num. 8. quod demonſtrare videtur eorumdem mobilium cuſtodiam fuiſſe prius penes ipſum Abbatem, quia neque actus hujuſmodi poteſt deſervire ad proban. aliquam unionem, nam d. Nicolao de Cimatoribus Eccleſia S. Mamæ fuit collata, tanquam vacans per obitum prædeceſſoris, quæ ſola vacatio ex jam dictis repugnat unioni, ſed quidquid ſit an iſti actus ſufficere poſſint ad demonſtran. Eccleſiam S. Mamæ pertinere ad Monaſterium S. Proculi ex tali tamen pertinentia non valet illatio ad unionem Rot. *dec.* 282. *num.* 12. & *ſeq. par.* 6. *rec.* & coram Pegn. *dec.* 261. *n.* 9. & *ſeq.*

Demum non obſtat, quod Conſtitutio Pii V. 47. edita de anno 1567. ſuper Vicariis Parochialium unitarum contineat decretum irritans, unde dicitur ex eo infectam remanere quamcumque poſſeſſionem, quæ allegari poſſit per Ordinarium conferendi hujuſmodi Eccleſiam, quia ſufficit, ut ſit controverſia ſuper ſtatu d. Eccleſiæ, an ſcilicet ea ſit unita, nec ne, ut decretum irritans non afficiat, quod locum habet ſolummodo, quando liquidò apparet de ejus juſtificatione, non autem quando res aliquo modo eſt turbida, vel adeſt umbra dubitandi, ut firmavit Rot. in Barchinon. Canonicatus 15. Decembris 1645. coram R. P. D. meo Rojas, *ſ. nam Domini dicebant.*

Et ita utraque &c.

CONSULTATIO XC.

Quas Eccleſias Epiſcopus, uti proximior, vigore Sacri Concilii Tridentini viſitare poſſit? Ubi ejus decretum adducitur, expenditurque.

DEcretum Sacri Concilii Tridentini *ſeſſ.* 24. *cap.* 9. *de reform.* ex quo viciniores Epiſcopi poſſunt viſitare Eccleſias nullius, non habet locum in Eccleſiis regularibus. Primò, quia eſt reſtrictum ad Eccleſias ſæculares illis verbis: *Eadem etiam in eis Eccleſiis ſæcularibus obſerventur, quæ in nullius Diœceſi eſſe dicuntur.* Ideoque ad Eccleſias regulares nullatenus eſt extendendum *l. ſi cùm dotem ff. ſolut. matrimon. l. ſi ita quis, ſ.* 1. *de legat.* 2. Rota in Bononienſi fideicommiſſi de Rubeis 4. Martii 1641. coram Cardinali Panzirolo, & in Romana hæreditatis de Fabiis 19. Junii 1643. coram Bichio. 1

Hinc Barboſa *in collectan. ad d. cap.* 9. *S. Concilii n.* 2. loquitur tantùm de Eccleſiis ſæcularibus, aitque nullo modo hujuſmodi Eccleſias ſæculares poſſe viſitationem effugere. Quod declarat præ cæteris Fagnan. *in cap. nullus de paroch. & alien. parochian. n.* 37. inquiens quoad Eccleſias regulares in dicto decreto nullam Epiſcopis per Concilium eſſe attributam facultatem. *Et infra num.* 38. extendit declarationem, etiamſi Eccleſiæ regulares eſſent Curatæ, ac ita etiam declaravit S. Congregatio Concil. 7. Novembris 1573. his verbis: *Epiſcopus tanquam vicinior Eccleſias exemptas, quæ regulares ſunt, viſitare non poteſt, cùm Concilium in hoc loco de ſæcularibus tantùm expreſſerit.* 2

Ac ita quidem, ut non refragetur, quod Abbatia regularis ſæcularibus commendetur, & Eccleſiæ inſerviant Presbyteri ſæculares a Commendatario deputati. Quia non exindè cenſetur antiquum ſtatum regularitatis amiſiſſe, ſed illud adhuc habitu dicitur retinere, Rota *dec.* 587. *n.* 2. & *dec.* 588. *par.* 4. *diverſ.* ac in nullius Sancti Severini Parochialitatis 12. Januarii 1660. *ſ. Quod eò magis*, & *ſ. non revelat*, coram Bevilaqua. 3

Deinde quia decretum Concilii tribuit Epiſcopis facultatem viſitandi illas Eccleſias, quæ Summo Pontifici immediatè ſubjiciuntur, non autem illas, quæ habent proprium Ordinarium, qui in eas juriſdictionem exercet. Quo in caſu Epiſcopus vicinior, neque jure ordinario, neque delegato viſitabit, ſed ipſe Prælatus, cui Eccleſiæ ſunt immediatè ſubjectæ juxta diſtinctionem, quam tradunt Cocchier. *de juriſd. in exempt. par.* 4. *q.* 23. *numer.* 3. Mendez de Caſtro *in prax. Luſitan. par.* 2. *lib.* 2. & 3. *num.* 31. *in princ.* Barboſ. *de poteſt. Epiſcop. par.* 3. *alleg.* 74. *num.* 2. & 3. 4

Præſertim ſi agatur de Prælato, & Eccleſiis habentibus non ſolùm exemptionem, ſed etiam Territorium ſeparatum, ac proprium, quorum Abbas, ſive Commendatarius habet juriſdictionem in omnibus, itaut Territorium appelletur Diœceſis, habens jura Epiſcopalia, & veniat appellatione Epiſcopi, ac Diœceſani, ut declaravit Rota in d. nullius, ſive Sancti Severini *ſ.* moti ex indulto ibi: *Licèt ex natura, & originaliter eſſent de Diœceſi Epiſcopatus Sancti Severini, per illud tamen fuerunt ab eo ſubtracta, & translata in Abbatem Commendatarium, & effecta territorium ſeparatum, & appelletur propriæ Diœceſis habentis ibidem jura Epiſcopalia, & venit appellatione Epiſcopi, & Diœceſani.* 5

Eritque certa juriſdictio ordinaria Commendatarii in Eccleſiam, ſi illa fuerit a Summo Pontifice conceſſa, in cujus diplomate contineatur exemptio a juriſdictione Epiſcopi, etiam ei delegata, vigore decretorum S. Concilii Tridentini. Ex quo reſultat omnimoda exemptio a juriſdictione Ordinarii vigore privilegii Apoſtolici, omninò excludentis Epiſcopum a viſitatione. 6

Decretum autem S. Concil. Trident. *in d. cap.* 9. *ſeſſ.* 24. eſt hujuſmodi. *Quæ aliàs ſub fel. recor. Paulo III. & nuper ſub Beatiſſimo D. N. Pio IV. in hoc eodem Concilio de adhibenda ab Ordinariis diligentia in beneficiorum, etiam* 7

etiam exemptorum, visitatione, constituta sunt, eadem etiam in iis Ecclesiis sæcularibus observentur, quæ in nullius Diœcesi esse dicuntur, ut ab Episcopo, cujus Cathedralis Ecclesia est proximior, si id constet, alioquin ab eo, qui semel in Concilio Provinciali a Prælato loci illius electus fuerit, tanquam Sedis Apostolicæ delegato visitentur, non obstantibus privilegiis, & consuetudinibus quibuscunque, etiam immemorabilibus.

8 In *sess. 7. cap. 8.* decernitur quonam pacto locorum ordinarii Ecclesias, quomodolibet exemptas, visitare possint, & *sess. 21. cap. 8.* Quemadmodum Regulares Ecclesiæ, etiam exemptæ, ab iisdem Episcopis possint visitari; in hoc autem decreto *cap. 9.* ampliatur eadem facultas visitandi Ecclesias, quæ sunt nullius, nedum suæ Diœcesis, per eum Episcopum, qui est vicinior, vel semel electus in Concilio Provinciali a Prælato illius loci. Antiquitus enim omnes Basilicæ erant sub jurisdictione Episcoporum, *can. omnes Basilicæ 16. q. 7.* ibique Glossa, sed dum excipiuntur in fine illius Glossæ Ecclesiæ exemptæ, corrigitur per verba hujus decreti, in quibus, ut non obstant privilegia, sic etiam non obstat *cap. per exceptionem, & cap. si Papa de privil. in 6.* neque *cap. cùm & plantare §. In Ecclesiis verò eodem titul.* Quod dicit Glos. *in fin. can. 3. 10. q. 1. can. sanè 7. qu. 2. cap. In Ecclesiis de Capel. Monach.* semper intelligendum, nisi in talibus Monasteriis regularis observantia vigeret, ut *in d. cap. 8. sess. 21.* vel plenè utroque jure ad Monachos pertineret, de quo in *cap. quoniam de privil.* Unde Sac. Congregatio censuit, hoc decretum non habere locum in Ecclesiis regularibus.

9 Et advertendum est, Abbates regulares posse parochiales Ecclesias visitare, & alias inferiores unà cum vicino Episcopo cumulativè. Et Gregorius XIII. dixit, quod Parochiales, quibus inservitur per presbyteros sæculares, censentur sæculares, non regulares, licèt unitæ, ac dependentes a Regularibus, & ideò hoc decreto comprehendi.

10 Proximior autem ratione Ecclesiæ, non Territorii, & ut proximior, ad illum ex Sac. Congregatione spectat litteras dimissorias concedere iis, qui nullius sunt, quando non constabit, an sint intra fines alicujus Diœcesis. Donec autem controvertitur causa vicinitatis, is dicitur vicinior, contra quem causa dirigitur, maximè, si non agitur contra alium Episcopum, Rota in Toletana sive nullius jurisdictionis 28. Maji 1612. coram Pirovano, Item in visitatione, monere, & corrigere, ac punire, prout *in cap. 2. sess. 5.* ut plebem sibi commissam unusquisque salutaribus verbis pascat.

11 Dum visitat illum, qui est nullius, si non resideat, vel indiscretas licentias non residendi suis subditis concesserit, punire potest, & corrigere.

12 Ad dictum verò Episcopum, tanquam viciniorem, non spectat Sacramentum Confirmationis iis, qui nullius Diœcesis sunt, ministrare, cùm possint accersire quem maluerint Catholicum Antistitem, salvo tamen majori jure Episcopi, si aliundè id sibi competit, & non modò Ecclesiam visitabit, sed Prælatum illius, aliosque Ministros.

13 Dicitur in decreto *a Prælato loci*, non ergo Metropolitano, qui Concilium coegit Provinciale, electio Episcopi, qui visitat, facienda est, sed ad Prælatum visitandum hujusmodi electio spectabit, & talis electio obligat successores.

CONSULTATIO XCI.

An, & quatenus hodie Monasteria tàm virorum, quàm mulierum erigi, mutari, vel dimitti possint? Quando licentia Episcopi necessaria? Ad id sacrorum Canonum varietas. Conciliantur. Adducitur Sac. Rotæ Decisio. Quomodo intelligenda? Sententiarum conformitas, & justitia, ex quibus comprobetur? Ad erectionem hujusmodi quinam vocandi? Remissoria an, & quatenus in hac re sit concedenda. Ubi alia non importuna.

1 DE hac re plura diximus multis in locis. Nunc strictim rem magis perspicuam reddimus. *Ex can. quidam 18. quæst. 2. can. de Monachis ead. can. Cellulas ibidem*, Religiosi, quamvis approbati a Sede Apostolica, novum Monasterium erigere non possunt sine licentia Episcopi loci.

2 Ex *cap. 1. de excess. Prælat. in 6.* Quod est Bonifacii VIII. Religiosi Mendicantes non possunt possessa loca dimittere, vel ad alia se transferre, vel nova suscipere sine speciali Sedis Apostolicæ licentia. Excipiuntur tamen ibi Eremi solitariorum. Unde ex hoc jure requiritur licentia Episcopi, & Papæ pro Mendicantibus, ut per Cherubin. supra Bulla 9. Gregor. XI. & per hanc Bonifacii Constitutionem adempta fuit Episcopis facultas, quam habebant ex dispositione antiquorum Canonum, quoad Monasteria, & loca Ordinum Mendicantium dumtaxat, sed salva erat, quoad Eremitas, & non mendicantes.

Ex *cap. unico de Relig. domib. in 6.* Regulares Mendicantes approbati post Concilium Lateranense, qui de novo domos ad habitandum recipiunt, vel receptas mutant, vel alienant sine licentia Papæ, incurrunt excommunicationem non reservatam. 3

Ex *Clem. Cupientes de pœn.* absolutè statutum est, ut Religiosi mendicantes non possint sine Sedis Apostolicæ speciali licentia nova loca recipere, aut mutare, aut in alios transferre quæsita, sub pœna excommunicationis ipso facto incurrendæ, non autem reservatæ. 4

Quoniam verò hujusmodi Constitutionibus fuerat per varia Sedis Apostolicæ privilegia, diversis Religionibus concessa, derogatum, ut per Navar. *cap. 27. num. 144. Suar. de censur. disp. 23. sect. 5. n. 3.* Toler. *lib. 1. cap. 39. §. Decima*, Filliuc. *tr. 14. n. 145.* & Regulares iis privilegiis prætendebant, se ne quidem licentia Episcopi indigere in novis locis acquirendis, Sacrum Concilium Tridentinum *sess. 25. cap. 3. de regular.* statuit, ne de cætero Regularium loca erigantur sine licentia Episcopi, in cujus Diœcesi erigenda sunt. 5

Ex quo sacri Concilii decreto quæritur, an hodie monasteria erigi possint de licentia solius Episcopi? Negant Campanil. *in diverj. jur. canon. rubr. 12. cap. 13. num. 80.* Zerol. *in pr. Episc. p. 1. v. Monachi §. 2.* Barbos. *de offic. & potest. Episc. p. 2. alleg. 26. num. 4.* arbitrantes Episcopi consensum non sufficere, nisi etiam Summi Pontificis accedat authoritas. Moventur ex eo, quod Concilium Tridentinum *in d. cap. 3.* non abrogaverit juris communis dispositionem, de qua *in d. c. 1. de excess. Prælat. in 6.* & referunt ita decisum fuisse per Eminen. PP. ejusdem Concilii Interpretes. 6

Id confirmant, quod multæ Religiones impetrarunt indulta a Sede Apostolica eligendi Monasteria de sola Episcopi licentia, hinc deducentes, sine hujusmodi indulto monasteria sic erigi non posse, alioquin privilegium nihil eis contulisset contra Textum *in cap. in his de privil. & cap. Abbate de verb. signif.* 7

Contra verò Episcopi tantùm licentiam esse necessariam, asserunt Sorb. *in comp. privileg. Mendic. v. ædificare in annot. §. 26.* ac Rodriq. *tom. 2. q. regul. 49. art. 3.* 8

In hac re ita distinguendum est. Quoad loca eremitica, & Monasteria non Mendicantium, nulla est difficultas. Nam facultas, quam Episcopi habebant ex jure antiquo similia loca erigendi ex dictis *can. de Monachis, can. quidam, can. Cellulas 18. q. 2.* fuit expressè illis prælervata in *d. cap. 1. de excess. Prælat. in 6.* quoad loca eremitica, & quoad Monasteria non Mendicantium non fuit illis adempta, cùm prohibitio illa loquatur tantummodò de Mendicantibus. Unde quod non mutatur, stare non prohibetur, *l. Sancimus C. de testam. & l. præcipimus in fin. de appell.* & cùm Constitutio de Mendicantibus negaverit, de non Mendicantibus censetur consensisse, *cap. nonne de præsumpt. & l. prætor, ff. de judic.* 9

Quod verò ad Mendicantes, exceptis Capucinis, & Minoribus de Observantia Sancti Francisci, videtur idem dicendum. Nam prohibitio Bonifacii Octavi in *d. cap. 1.* locum habet in illis Mendicantibus, quibus victum tribuit incerta mendicitas, & qui redditus, aut possessiones ex regula, vel Constitutione habere non possunt per Text. *in cap. un. de relig. domib. in 6.* & notat Glos. *in cit. decretali Bonifacii v. Mendicantes.* At ex Concilio Tridentino *in d. cap. 3. in princip.* Regularibus quorumcumque Ordinum, prædictis tantùm exceptis, licet bona immobilia possidere, atque adeò in eis videtur cessare prohibitio Bonifacii, & nihilominus, quoad omnes Concilium videtur Episcopis restituisse facultatem, eis ademptam a Bonifacio, cùm de omnibus loquatur sub unica determinatione, & juris correctio sit favorabilis, cùm per eam fiat reductio ad jus commune antiquum, ut notatur *in cap. cùm dilectus*, in Glossa *v. juri communi*, ac ibi per Ostien. *num. 17.* Nec credendum est S. Synodum voluisse arctare eos, qui licentiam erigendi Conventus a Summo Pontifice impetrarunt ad aliam licentiam obtinendam ab Episcopo Diœcesano, cùm licentia sit gratia, per quam alicui licet, quod prius non licebat, secundùm Cardin. & Lauden. *in Clem. fin. num. 9. de elect.* Nec Patres eo casu fuissent usi verbo *licentia*, sed potiùs verbo *consensus*, quemadmodum usus fuit Pius IV. dum voluit, ut dispensationes Apostolicæ, de non resistendo studiorum causa non suffragarentur, nisi accedente Ordinariorum consensu, ut in Constitutione, incipien. *Sanctissimus*, edita die 26. Novembris 1564. 10

Ex

11 Ex Constitutione 99. Clementis VIII. cujus initium, *Quoniam ad institutum* edita die 23. Julii 1603. de voto Sac. Congregationis Cardinalium super negotiis Episcoporum, & Regularium, declaratur, locorum Ordinarios non posse licentiam ad novos Conventus cujuscumque Mendicantium Ordinis in Civitatibus, & locis eorum &c. Ordinariæ jurisdictioni subjectis erigendos impertiri, nisi vocatis, & auditis aliorum in eisdem Civitatibus, & locis existentium Conventuum Prioribus, & aliis interesse habentibus, & causa, servatis servandis, cognita, constiterit in eisdem Civitatibus, & locis novos hujusmodi erigendos Conventus sine aliorum detrimento commodè sustentari posse. Quod si a sententiis Ordinariorum ad Sedem Apostolicam appellari contigerit, tamdiù ipsos Ordinarios erectionem novorum Conventuum suspendere debere, quousque ab ipsa Sede in eadem causa pronunciatum extiterit. Decernens irritum, &c. Ex qua Constitutione a contrario sensu, servata forma in ea præscripta, Conventus Mendicantium erigi poterunt de licentia Ordinarii, nec opus erit licentia Sedis Apostolicæ.

12 Hunc intellectum jam pridem probavit Sac. Congregatio Concilii, dum censuit pro erectione Monasterii, nedum requiri licentiam Ordinarii, sed servandum esse decretum Clementis VIII. nisi erigatur de licentia Sedis Apostolicæ, quia tunc erigi potest sine Ordinarii licentia.

13 Patet igitur, non esse admittendam opinionem eorum, qui dicunt Sacrum Concilium *in dict. cap.* 3. non sustulisse Constitutionem Bonifacii Octavi, sed præter licentiam Sedis Apostolicæ, voluisse, ut adhiberetur etiam licentia Ordinarii. Immò etiam ex sententia Sacræ Congregationis, ubi erectio fit de licentia Papæ, Ordinarii licentia non est necessaria, & ubi fit de licentia Ordinarii, non est necessaria licentia Papæ, sed tantummodò servari debet solemnitas Constitutionis Clementis. Et ita multoties observatum fuisse, testatur Fagnan. *in cap. non amplius num. 66. de institut.* Nam, inquit, eadem Sacra Congregatio, multas Monasteriorum erectiones approbavit, ab Ordinariis factas, sine licentia Sedis Apostolicæ. Quinimmò aliàs eam censuisse firmat, concedendum Congregationi Peregrinantium Ordinis Prædicatorum, ut possint erigere Conventus, inconsultis Episcopis, quoad loca, in quibus non sunt Episcopi. Aliorum verò locorum Episcopis commendandos esse hos Regulares, ut cùm postulaverint alicujus Monasterii erectionem, illis faveant pro tempore, nisi aliquid relevans obstiterit. Et aliàs censuit, Episcopum non prohiberi de Capituli, & quorum interest consensu, & absque Rectoris præjudicio Ecclesiam sæcularem ordinaria authoritate in Monasterium erigere. Et Datarius idem censuit, nisi agatur de commutatione ultimæ voluntatis. Rursus censuit, Episcopum non prohiberi ordinaria authoritate Monasterium Monalium erigere.

14 Quin etiam hanc facultatem novum Monasterium erigendi Sacra Congregatio nec denegavit Vicario Generali Episcopi, ad id speciale mandatum habenti. Nec forsitan Vicario Capituli, sede vacante, & propterea quoddam Monasterium fratrum Sancti Dominici, cœptum ædificari de illius licentia, respondit, finendum esse ad finem produci. Ex quibus credit Fagnanus apocriphan esse decisionem, quam referunt Campanilis, & alii præcitati, cùm præsertim loquantur de Monachis, qui nullo jure arctantur ad obtinendum super hoc licentiam Sedis Apostolicæ, nec talem decisionem unquam se reperisse in publicis libris Sacræ Congregationis ipse testatur.

15 Non obstant indulta erigendi Monasteria de licentia solius Ordinarii. Nam, si rectè advertatur, Regulares, præsertim non Mendicantes, indulta hæc non impetrarunt, ut se eximerent ab obtinenda licentia Summi Pontificis, quia non indigebant, sed solùm, ut se eximerent a forma Constitutionis Clementis Octavi, ut scilicet Monasteria possent erigere ubique locorum, nullo aliorum Ordinum Regularium requisito consensu, quemadmodum constat ex indultis pro Monachis Congregationis B. Mariæ Fulginis, pro Carmelitis Discalceatis, pro Clericis Regularibus Sancti Pauli Decollati, quæ habentur in tribus Constitutionibus Pauli Quinti, nempè 51. ac 10. aliàs 5. & 64. *in tom. 3. Bullarii.*

16 Quoad verò Moniales dubitatur, an Episcopis liceat ordinaria authoritate Monasterium Monialium erigere in vim *d. cap. 3. sess. 25. de Regular.* Praxis est, ut erectiones fiant a Sede Apostolica, tum propter gratias, indulgentias, privilegia, & exemptiones, quæ ab illa impetrantur, tum propter facultatem educendi Abbatissam ex aliis Monasteriis pro novi Monasterii institutione. Cùm enim hæc facultas fuerit Episcopis adempta per Constitutionem Beati Pii Quinti super clausula Monialium, illa non consuevit concedi, nisi pro Monasteriis erigendis authoritate Apostolica. Supplicationes autem remittuntur a Sanctissimo ad Congregationem super Episcopis, & Regularibus, in qua examinantur conditiones, & qualitates ad id requisitæ, nempè, ut erectio non fiat pro pauciori numero quàm duodecim Monialium Choristarum, ut dos constituatur non in Censibus, sed in bonis stabilibus frugiferis, ac liberis ab omni onere, & fideicommisso purificato, aut purificando, & non minoris redditus pro dicto numero duodecim, quàm trecentorum ducatorum aureorum, & majoris pro locorum qualitate ultra dotes ordinarias a puellis deferendas; ut Monasterium erigatur intra Mœnia in loco salubri, ac libero a prospectu, ut fabrica, clausura, Ecclesia interiori, & exteriori, loco pro Novitiis distincto, atque omnibus officinis sit sufficienter instructum, & alia id genus.

17 In decreto Sacræ Congregationis Regularium jussu Gregorii Decimiquinti anno 1622. die 20. Junii, quæ est Constitutio 31. Gregorii XV. in Bullario statutum est, ne erigantur nova Regularium Monasteria, sive Domus in quacunque Civitate, Oppido, aut alio quocunque loco, nisi cùm consensu aliorum Regularium intra quatuor milliaria existentium, & quod constet de tali consensu Ordinario, & quod saltem duodecim de familia ibi ali possint. Et quod si ibi intra quatuor milliaria non sint alii Regulares, necessaria sit convocatio, & consensus Incolarum, aliàs appellandum est ad Sedem Apostolicam suspensivè, & derogavit omnibus privilegiis contrariis.

18 Urbanus Octavus Constitutione sua 25. quæ incipit: *Romanus Pontifex* anno 1624. die 28. Augusti statuit, ut Regulares Superiores erigere, recipere, fundare, vel instituere, vel cœpta finire præsumentes nova Monasteria, sive Domos sine licentia expressa Episcopi, ac servata forma prædictarum Constitutionum, ac Decretorum Clementis VIII. & Gregori XV. incurrant pœnam excommunicationis non reservatæ, & privationis vocis activæ, & passivæ, & officiorum, & inhabilitatis ad hujusmodi, & derogavit omnibus privilegiis.

19 Sacra Congregatio Concilii decreto edito de celebratione Missarum authoritate Urbani Octavi anno 1625. die 21. Junii, quod est in Bullario Constitutio 43. Urbani Octavi §. 14. statuit, ut si loca deinceps recepta fuerint, sive erecta a Regularibus, quibus saltem duodecim Regulares sustentari non valeant, & actu duodecim non habuerint ibidem, locorum Ordinariis sint omninò subjecta. Sed hoc decretum solùm procedit in Italia, & Insulis adjacentibus, ut ibi patet.

20 Advertendum autem est, quod hodie ex dictis Constitutionibus neque licèt Regularibus sine licentia Episcopi, ac solemnitatibus prædictis mutare locum, etiam in eadem Civitate, quia eadem est ratio præjudicii vicinorum, & propter argumentum de toto ad partem, *l. Quæ de tota ff. de rei vendic.* & tradunt Gemin. *in d. cap. 1. de excess. Prælat. in 6.* Cherubin. *super citat. Constit. Clem. 8. schol. 1.* Portel. *de dub. regular. v. Monasteria numer. 5.* Rodriq. *tom. 5. quæst. reg. 23. artic. 7.* quamvis Diana *resol. 136. tract. 2. tom. 2.* cum Miranda, & aliis, dicat, per privilegia concessa Religionibus posse fieri talem mutationem sine licentia Episcopi, neque Tridentinum derogasse privilegiis, quoad mutationem, sed quoad novam erectionem tantùm. Sed non videtur recedendum a priori sententia. Quia verè in tali mutatione reperitur erectio, sive fundatio in aliquo novo loco, quod est prohibitum in dicta Constitutione Clementis Octavi, & decreto Gregorii XV. & Concilii Tridentini, nisi cum licentia Episcopi supradicta, & ex *dict. can. de Monachis* ponderat Gloss. 1. illud verbum *novum*, & ait requiri consensum Episcopi, si totum Monasterium sit destructum, quia novum dicitur, cujus facies immutatur *l. 1. §. Opus novum ff. de nov. oper. nunc.* Secus in reparatione *can. si quis vult 16. quæst. ultim. cap. Judæi de Jud. ac l. 2. & 3. C. de oper. publ.* eademque Glos. *in dict. can. de Monachis in v. probante*, notat satis esse, ut Episcopi consensus accedat post erectionem. Quia ratihabitione potest confirmare *consult. 21. quæst. 11.* & consentiunt ibi Hugo, Archidiaconus, & alii. Alioquin quod factum fuerat, destruatur, ut in *can. placuit de consecr. d. 1.* Licentia verò Sedis Apostolicæ tunc temporis non requirebatur, *ut cap. nimis 2. v. adhoc de excess. Prælat.* & notat Glos. *in dict. capit. 1. vers. deinceps in 6.*

21 Immò in citata Bulla Urbani Octavi prohibetur sub dictis

dictis pœnis loca etiam cœpta finiri, non tamen videtur per supradictas Constitutiones antiquas, & novas interdictum Regularibus aliquod hospitium recipere, vel domum recreationis. Quia in his cessat ratio considerata a Gregorio XV. in tali decreto, nempe præjudicium vicinorum, & angustia circa eleemosynas, & sustentationem, cùm hæc loca sustententur de redditibus Conventus principalis, cui accedunt. Et ita tenent Gloss. *in dict. cap.* 1. *de excess. Prælat. v. habitandum*, Cajet. *in summa ver. excommunicatio cap.* 55. Navarr. *d. cap.* 27. *n.* 144. Suarez *de censur. dict. sect.* 5. *num.* 25. Sed neque eis prohibitum est loca, jam cum licentia legitima Episcopi, ut supra possessa, augere, sive extendere, ut per Lapum *alleg.* 188. Sylvest. *in sum. ver. excommunicatio* 9. §. 86. ac Tolet. *d. cap.* 39. nisi talis extensio veteres limites egrediatur, consideratos in priori licentia juxta decretum Gregorii XV. Quia sic fieret novum præjudicium aliis Religiosorum locis, & dummodò non augeatur numerus Regularium sine licentia.

22 Nam ex dicto decreto Sacræ Congregationis Concilii *de celebrat. Missar.* prohibitum est Superioribus Regularium numerum augere Religiosorum suæ familiæ, semel taxatum, & a Sac. Congregatione approbatum, nisi cum licentia ejusdem Sacræ Congregationis, etiamsi prætextu augumenti reddituum. Sed hoc decretum solùm procedit in Italia, & Insulis adjacentibus. Contrafacere præsumentes incurrunt privationem vocis activæ, & passivæ, & officiorum. Hoc decreto corroboratur simile decretum Concilii Tridentini *dict. cap.* 3. *sessione* 25. *de Regular.*

23 Denique per Constitutionem Innocentii X. quæ incipit, *Instaurandæ* publicata die 22. Octobris 1652. in qua ex causis in procœmio expressis primò extinguuntur, ac supprimuntur Conventus omnes Regularium virorum tàm mendicantium, quàm non mendicantium existentes intra fines Italiæ, & Insularum adjacentium in literis a Congregatione super statu Regularium propediem expediendis nominatim exprimendi, in quibus ob parvum numerum Religiosorum regularis disciplina servari non potest. Ac deinde quia parum est mala præcidere, nisi etiam malorum causa, & radix evellatur, innovantur Constitutiones Bonifacii, & Clementis, quarum superius meminimus, aliorumque Romanorum Pontificum super erectione novorum Conventum editæ, illisque addendo prohibetur, ne deinceps aliquis Regularium Ordinis Mendicantium, vel non mendicantium, Congregationis Societatis, & cujuivis alterius instituti, etiam Societatis Jesu, in aliqua Civitate, Castro, Villa, seu loco ad habitandum domos vel loca quæcunque de novo recipere, seu Monasteria Conventus, & Collegia incipere, vel fundare præsumat absque Sedis Apostolicæ licentia speciali, plenam, & expressam faciente, de prohibitione hujusmodi mentionem in scriptis & gratis concedenda, prævia examinatione Sacræ Congregationis, negotiis Episcoporum, & Regularium præpositæ. Si secus egerint eo ipso incurrant pœnas privationis vocis activæ, & passivæ, nec non dignitatum, & officiorum ac perpetuæ inhabilitatis ad illa, vel alia in posterùm obtinenda. Et nihilominus receptiones, fundationes, & erectiones sint ipso jure nullæ, & invalidæ, & domus, ac loca ipsa, & personæ in eis degentes omnimodæ jurisdictioni, visitationi, & correctioni Ordinarii loci plenè in omnibus subjaceant. Ita Constitutio Innocentiana.

24 Quare cessante hodie difficultate, quæ ex præcedentibus Constitutionibus, ac Tridentini Concilii decretis oriebantur. Nam post Constitutionem Innocentii X. manifestum est, nova monasteria erigi non posse sine licentia Sedis Apostolicæ. Sed quia hæc Constitutio loquitur de Monasteriis Virorum, & nondum egressa est fines Italiæ, ac insularum adjacentium, propterea in Monasteriis Monialium, & ultra Montes servari debent, antedictæ Constitutiones, ut advertit *loc. cit.* Fagnan. *n.* 71. *in fin.*

25 His subnecto Sacræ Rotæ Romanæ decisionem in Cæsaraugustana fundationis Conventus sub die 6. Junii anni Millesimi sexcentesimi quinquagesimi noni coram Verospio, quam juxta superius dicta intelligendam esse velim. Illa est hujusmodi.

26 Novi Conventus erectio in Oppido de Carignena a Patribus Capuccinis inchoata tribus hujus Sacri Tribunalis sententiis obnoxia nullitati sancita fuerat, super quarum conformitate, & exequutionem post remissoriam iisdem ex irrelevantiæ fundamento denegatam, dubium hodie proposui, resolutum affirmativè. Conformitas enim ex unius sententiæ confirmatione ab altera simpliciter edita, optimè concluditur, ut post Gloss. *in Clem.* 1. *de re judic.* notant communiter DD. Soccin. jun. *cons.* 74. *num.* 2. *lib.* 2. Cæphal. *cons.* 209. *num.* 3. Aym. *cons.* 183. *num.* 1. Surd. *cons.* 162. *num.* 9. *cum seqq.* Gratian. *discept. for. cap.* 879. *num.* 26. Rota *decis.* 647. *num.* 1. *part.* 1. *recent.* & in Romana Censuum 27. Aprilis 1654. coram R. P. D. meo Bevilaqua. Et proinde cùm validitati, atque justitiæ eadem probentur innixæ, debent exequutioni demandari ad text *in l.* 1. *C. ne liceat tertiò provoc. & in Clem.* 1. *de sent. & re judic. cap. tua nobis de appellat.* ubi notat Dec. *num.* 5. Alex. *cons.* 77. *n.* 1. *lib.* 2. Cæphal. *cons.* 209. *n.* 12. Rota coram Crescentio *decis.* 1. *de sent. & re judic. & dec.* 38. *n.* 1. *cum seqq. p.* 7. *rec.*

Ipsarum enim validitatem acta revoluta præseferunt 27
juxta decisionem Veralli 260. *part.* 2. Justitia verò ex decisionibus hactenus editis in causa depromitur. Fundatio quippe Conventus in eis invalida sancitur ex non adhibito Sedis Apostolicæ beneplacito, ad hunc effectum necessario juxta Textum *in cap. unic. de excess. Prælat. & cap. Religionem §. Confirmatos*, ubi notant Franc. & Gem. *in princ. de Relig. dom. lib.* 6. *Clem. Cupientes* 3. *de pœnit.* & tradit Barbos. *de potest. Episc. part.* 2. *alleg.* 26. *num.* 4. Rota in Toletana manutentionis 7. Februarii 1658. §. *non etiam* coram R. P. D. meo Meltio, nec non etiam ex defectu licentiæ Ordinarii Cæsaraugustani, quæ una cum Apostolicæ Sedis assensu copulativè requiritur, licèt Sacri Concilii Tridentini dispositio in *sess.* 25. *cap.* 3. *de Regular.* Ordinariorum consensum, quacunque beneplaciti Apostolici mentione posthabita, exposcat, ut declaravit Sacra Congregatio Eminentissimorum Cardinalium ejusdem Concilii Interpretum, quam referunt Campanil. *in diverf. jur. canon. rubr.* 12. *cap.* 13. *num.* 8. Barbos. *in d. cap. unic. de excess. Prælator. lib.* 6. *& de offic. Episcop. part.* 2. *alleg.* 26. *num.* 4. Rodriq. *quæst. regular. tom.* 1. *quæst.* 23. *art.* 7. *& tom.* 2. *quæst.* 49. *art.* 3. *in fine*, Rota in Cracovien. fundationis Monasterii 19. Aprilis 1649. *in* 1. §. *cum seqq.* & 20. Junii 1650. coram R. P. Domino meo Celso.

Hinc urgere non poterunt Religionis Patrum Capuc- 28
cinorum Constitutiones, fundationem novi Conventus permittentes in casu, quo unà cum Ordinarii licentia incolarum concurrat assensus. Quoniam assensus Ordinarii intelligi debet requisitus, præter alterum Summi Pontificis, ut declaravit Sacra Congregatio in causa Majoricen. relata in decis. hujus causæ edita 18. Maji 1657. coram R. P. D. meo Bevilaqua, licèt eadem statuta ex san. mem. Urbani VIII. decreto confirmationis robur assumpserint. Confirmatio enim actui confirmato vires respectu juris dumtaxat attribuit, non tamen ultra ibidem contenta porrigitur ad Text. *in l. Aurelius §.* 1. *de liberat. leg. cap.* 1. *& 2. de confirm. util. vel inutil.* Alex. *cons.* 122. *num.* 20. *vol.* 4. Ruin. *cons.* 97. *num.* 2. *vol.* 3. Surd. *cons.* 330. *num.* 10. Rota coram Seraph. *dec.* 981. *n.* 5. *& dec.* 177. *num.* 53. *par.* 5. *rec.*

Et licèt post denegatam ab Ordinario Cæsaraugustano 29
licentiam, Ordinarius Oscen. ab Hispaniarum Nuncio delegatus, eam Patribus Capuccinis indulserit, non tamen eisdem potuit suffragari, ex quo ab hujusmodi denegatione ad Nuncium provocare non poterant, sed per modum recursus Sacram Congregationem dumtaxat Episcoporum, & Regularium tenebantur adire, ut in Constitutione san. memoriæ Gregorii XV. expressè sancitur, inter impressas 31. §. 4.

Pro validitate præterea fundationis incolarum assen- 30
sus exigi debuerat, necnon Patrum quoque Minorum S. Francisci de observantia Conventum incolentium, ab eodem Oppido per quatuor mille passus nullatenus distantem, ut disponit eadem Constitutio Gregorii XV. innovata per san. mem. Urbanum Octavum inter cæteras impressas 25. ac denique Parochi in eodemmet Oppido degentis, qui ex causa præjudicii, quod sibi circa oblationes, & obventiones poterat inferri, debuerat in nova fundatione vocari, ad Text. in *cap. pastoralis de his, quæ fiunt a prælat. sine cons. Cap.* & tradit Barbos. *de offic. Episc. par.* 2. *alleg.* 26. *num.* 5. Ricc. *in prax. for. Eccl. par.* 5. *resol.* 298. *num.* 2. *cum seqq.*

Et ita altera tantùm Parte informante, altera verò, 31
licèt pluribus citationibus lacessita, informare recusante, resolutum. Hæc S. Rota.

Porrò quoad remissoriam, & ut coadjuventur proba- 32
tiones, & manifestetur veritas, quod nova Monasterii fundatio nullum præjudicium inferat aliis Regularibus, illa concedenda videtur, quoties est relevans. Quod in hac re potissimum attendendum est, cùm Apostolicæ Constitutiones id solùm requirant, & ad hunc tantùm effectum exposcant vocationem aliorum Regularium existentium in loco, ut ponderant Cesped. *de exempt. regul. quoad Monasterium ædific. cap.* 1. *dub.* 4. Lezan. *in sum. verf. Monasteria num.* 7. Donat. *in prax. part.* 2. *tit.* 7. *qu.* 24. *num.* 2. & Pasqualig. ad Laur. de Franch. *tit. de*

Convent. non fundand. num. 486. Nav. *in praxim nov. jur. Pontific. concluſ.* 12. aliàs 11. *numer.* 4. Barboſ. *de offic. & poteſtat. Epiſcop. part.* 2. *allegat.* 26. *numer.* 2. *& 6.*

34 Non obſtante, quod examinati jam fuerint hinc inde plures teſtes, ſi materia magis diſtinctè, ac præcisè articuletur. Quod ſufficit pro conceſſione novæ remiſſoriæ, ceſſante maximè omni ſuſpicione calumniæ, ut ſi novi Regulares jam deſeruerint locum, ſive hoſpitium; unde iſta brevis dilatio nullum præjudicium antiquis Regularibus inferre poterit. Et in ſpecie quod ceſſat calumniæ ſuſpicio, quando petens remiſſoriam eſt actor, & non poſſidet, dixit Rota in Ulyſſponenſi nullitatis profeſſionis 27. Februarii 1624. coram Compoſtellano.

35 Poterit etiam Sacra Congregatio per remiſſionem habere ſinceram informationem veritatis ab Epiſcopo, cui plurimum ipſa deferre ſolet, quando adeſt teſtium diſcrepantia, quemadmodum ſæpè factum eſt, præſertim in Tiraſonenſi fundationis Monaſterii ad inſtantiam Patrum Beatæ Mariæ de Mercede in loco de Coregliu.

36 Et quidem remiſſoria concedenda eſt, quia verſamur in profanis, & materia articulata eſt relevans, quo in caſu, etiam ſine fumo, paſſim conceditur, *l. Indicans Cod. de fide inſtrument.* & dixit Rota in Calciaten. decimarum 4. Junii 1636. coram Dunozetto, in Toletana decimarum 16. Martii 1648. *§.* 1. coram Celſo, in Toletana decimarum de Capilla 12. Junii 1654. *§. favorabilem*, coram Veroſpio, & in Melevitana Commendæ 14. Junii 1654. coram eodem, ubi quod pro remiſſoriæ conceſſione ſit ſufficiens, quod probationes faciendæ aliquo pacto ſuffragari valeant, & quod ſemper concedi ſoleat, quando materia articulata eſt ſufficiens pro victoria cauſæ firmavit Rota cum aliis in Januenſi pecuniaria 27. Junii 1642. coram Dunozetto, & in Anconitana pecuniaria 13. Maji 1637. coram Arguelles.

37 In hoc autem caſu materia articulata eſt relevans, ac ſufficiens pro victoria cauſæ, dum probare intendunt, quod incolæ loci, in quo fundari debet novus Conventus tot affluunt divitiis, & tàm liberales ſint in eleemoſynis erogandis, ut per erectionem novi Conventus nullum inferatur præjudicium aliis Regularibus. Unde, ſecluſo hujuſmodi præjudicio, nec non data etiam congrua ſuſtentatione novis Regularibus, neceſſariò ſequitur, quod novus Conventus ex eiſdem Conſtitutionibus Pontificiis non poſſit prohiberi. Præſertim ex Conſtitutione Clementis Octavi, quæ ſolùm prohibet erectionem novorum Conventuum, præcipuè Mendicantium, niſi abſque aliorum detrimento commodè ſuſtentari poſſint, attenta illa dictione: *niſi*, quæ quoties præcedit oratio negativa, prout in hoc caſu, reſolvitur in affirmativam, juxta theoricam Bartol. *in l. actione num.* 1. ibique Dec. *numer.* 6. *Codice de tranſact.* Grat. *conſ.* 126. *num.* 19. *lib.* 2. Oſaſch. *deciſ.* 131. *num.* 19. Gratian. *diſceptat.* 9. *numer.* 25. *in fine*, ubi quod perinde eſt, ac ſi fuiſſet dictum, quod actus valeat, eſtque certum, quod cauſa finalis, tanquam ſubſtantia actus, ac principium intentionis agentis, ſola eſt attendenda ex traditis a Tiraquell. *in tract. ceſſante cauſa limit.* 1. *a num.* 1. Burſatt. *conſ.* 109. *num.* 31. ac Rota *deciſ.* 125. *numer.* 28. *part.* 5. *recentior.* & in Romana Domuncularum 10. Februarii 1648. coram Dunozetto.

38 Eoque faciliùs remiſſoria concedenda eſt, ſi congruam etiam pro novis Regularibus ſufficientem eſſe depoſuerint teſtes, itaut ex ea coadjuvarentur probationes jam factæ, & ex ſimul junctis concludentiſſima probatio reſultaret, quod per novam Conventus conſtructionem nullum detrimentum inferatur antiquis Regularibus. Unde Epiſcopus licentiam non poterit denegare pro illius conſtructione ex notatis a Barboſa *loc. cit. part.* 2. *cap.* 1. *alleg.* 26. *num.* 1. Quod ſi beneplacitum Apoſtolicum in fundatione novi Conventus etiam requireretur, facilè poterit impetrari, ponderando, quod agitur de augendo cultu divino, ac de reficiendis cibo Spirituali animabus incolarum, qui hujuſmodi novum Conventum deſiderant.

39 Ac ita quidem, ut nec remiſſoriam impedire valeat Breve per antiquos Regulares a Summo Pontifice forſan impetratum, ne in Provincia novi Conventus recipiantur, niſi a Conventibus antiquis diſtent, ſaltem duodecim milliaribus, ſi Breve reſpiciat tempus futurum, quo in caſu non poteſt comprehendere fundationem novi Conventus jam in litem deductam ante Breve promulgatum. Nam actus ante editam legem inchoati, licèt ſubjaceant illius diſpoſitioni, ſi poſt eam deducantur ad uſum, ex Bartol. *in leg. omnes populi numer.* 45. *ff. de juſt. & jur.* Felin. *in cap. quoniam* 11. *de Conſtitut.* attamen hæc concluſio admittitur dumtaxat in caſu, quo lex ſimpliciter diſponit, nulla temporis diſtinctione adhibita, ſecus verò, quando diſpoſitio reſpicit tempus futurum, Dec. *in cap. final. num.* 44. & 46. *de Conſtitut.* Bolognet. *in d. l. omnes populi num.* 161. *cum ſeqq.* Maſchard. *de general. ſtatut. interpr. concluſ.* 13. *num.* 42. ac Rota *dec.* 142. *num.* 4. & 5. *dec.* 158. *num.* 4. *par.* 2. *diverſ.*

Præſertim verò ſi Breve fuerit per ſubreptionem extortum, nulla facta mentione litis jam vertentis, cùm certum ſit, Papæ intentionem eſſe, nemini velle præjudicare ut per Decian. *in capit. cùm omnes numer.* 10. *de Conſtitution.* Ruin. *conſil.* 30. *num.* 1. & *ſequentibus lib.* 1. Nec jus tertio quæſitum tollere, licèt poſſit, *capit. Cæterum*, ibique Doctores *de preſcription.* ac Rota in Bononienſi juris macinandi prima Februarii 1638. coram Dunozetto, & conſuluit Brun. *conſil. fund.* 7. *numer.* 3. ubi id firmat etiam in gratia facta motu proprio, Alexand. de Nev. *conſil.* 49. *numer.* 7. ubi quod Papa nunquam præſumitur velle alteri præjudicium inferre, etiamſi agatur de jure quæſito ad rem tantùm & proſequitur Rota in Nazarena, ſive Montis viridis beneficii 12. Novembris 1646. coram Veroſpio, & procul dubio ſi Papæ fuiſſet expoſitum, poſſe ab incolis æquè provideri congruæ ſuſtentationi omnium Regularium, utique Breve aut non conceſſiſſet, aut ſaltem difficilius conceſſiſſet. Quod exuberat pro reddenda gratia ſubreptitia, ut per Rebuff. *conſil.* 90. *numer.* 6. Rota in Melevitana dignitatis quarta Aprilis 1642. coram Dunozetto, & in Carpenctoratenſi hereditatis decima ſexta Decembris 1658. coram Bevilàqua. Aut ſi Breve plus non contineret, quàm Conſtitutio Clementis Octavi, quę non adverſatur novi Conventus fundationi, quando pro omnibus adeſt congrua ſubſtentatio, ut ſuperius oſtendimus, & tradit Barboſ. *dict. allegat.* 26. *numer.* 6. ubi quod diſtantia ab uno Conventu ad alium attenditur tantùm in Oppidis, ac locis parvis, non autem in magnis, & populoſis. Quia in iis ceſſat ratio prohibitionum. Eoque magis, quia modo non eſt ſtrictè articulus examinandus ſuper nova ædificatione Conventus, ſed tantùm an remiſſoria ſit concedenda, ut comprobata prius congrua ſuſtentatione pro omnibus, examinetur poſtea, utrum ſit locus novi Conventus erectioni.

CONSULTATIO XCII.

An, & quatenus requiratur titulus ad Sacros Ordines, non modò in Clericis Sæcularibus, ſed etiam in Regularibus? Ad id Canones antiqui. Quid hac de re diſponat Sacrum Concilium Tridentinum? Quid Beatus Pius Quintus ac Sixtus Quintus? Et quid de Religioſis Societatis Jeſu?

PRæter alibi a nobis dicta, certum eſt ad Sacros Ordines neminem ſine titulo promoveri poſſe, ut patet ex *can. neminem dict.* 70. ubi legitur, *neminem abſolutè ordinari Presbyterum, vel Diaconum, vel quemlibet in Eccleſiaſtica ordinatione conſtitutum, niſi manifeſtè in Eccleſia Civitatis, ſive poſſeſſionis, aut in Martyrio, aut in Monaſterio, qui ordinatur, mereatur ordinationis publicatæ vocabulum*; ubi Gloſſa per illam dictionem *abſolutè* intelligit ſine titulo, & per nomen, *poſſeſſionis* intelligit titulum patrimonii, & per *Martyrium*, putat intelligi locum, ubi ſunt reliquiæ Martyrum, vel Eccleſiam regularem. 1

Idipſum conſtat ex *canon. Sanctorum, eadem dict.* 70. qui eſt deſumptus ex Concilio Calcedonenſi *act.* 15. *canon.* 6. ubi dicitur: *Sanctorum Canonum ſtatutis conſona ſanctione decernimus, ut ſine titulo ordinatio irrita habeatur*, hoc eſt ſic ordinatus incurrat ſuſpenſionem latæ ſententiæ, qua violans efficitur irregularis. 2

In cap. non liceat de præb. hæc habentur: *non liceat ulli Epiſcopo ordinare Clericos, & eis nullas alimonias præſtare; ſed duorum alterum eligat, vel non faciat Clericos, vel ſi fecerit, det illis, unde vivere poſſint.* 3

In capit. Epiſcopus eodem titul. ſtatuitur: *Epiſcopus ſi aliquem ſine certo titulo, de quo neceſſaria vitæ percipiat, in Diaconum, vel Presbyterum ordinaverit, tandiu ei neceſſaria ſubminiſtret, donec in aliqua Eccleſia ei convenientia ſtipendia militiæ Clericalis aſſignet, niſi talis ordinatus de ſua, vel paterna hæreditate ſubſidium vitæ poſſit habere*, ubi Gloſſ. *verſ. Diaconum ait*, idem eſſe intelligendum de Subdiacono. 4

In cap.

5 *In capite tuis eodem titulo de præbend.* Ita Innocentius Tertius ſcribit Archiepiſcopo Biſuntino : *Tuis quæſtionibus reſpondemus, quod Clericos in Minoribus Ordinibus Conſtitutos de patrimonialibus bonis habentes, unde poſſent congruè ſuſtentari, & ſi nondum fuerint beneficium Eccleſiaſticum aſſequuti, dummodò aliud canonicum non obſtet, ad ſuperiores poteris ordines promovere.*

6 Hoc ipſum decernitur in Concilio Tridentino *ſeſſ. 21. cap. 2. de reformat.* his verbis : *Cùm non deccat eos, qui Divino miniſterio adſcripti ſunt, cum ordinis dedecore mendicare, aut ſordidum aliquem quæſtum exercere, ſtatuit Sancta Synodus, ne quis deinceps Clericus ſæcularis ad ſacros Ordines promoveatur, niſi prius legitimè conſtet, eum beneficium Eccleſiaſticum, quod ſibi ad victum honeſtè ſufficiat, pacificè poſſidere. Patrimonium verò, vel penſionem obtinentes ordinari poſt hac non poſſint, niſi illi, quos Epiſcopus judicaverit aſſumendos pro neceſſitate, vel commoditate Eccleſiarum ſuarum, eo quoque prius perſpecto, patrimonium illud vel penſionem verè ab eis obtineri, taliaque eſſe, quæ ei ad vitam ſuſtentandam ſatis ſint.* Citatque Concilium in margine *can. Diaconi ſunt dict. 93.* in quo dicitur : *mendicat infelix Clericus in plateis, & civili operi mancipatus publicam a quolibet depoſcit alimoniam. Et quidem ex eo deſpicitur cunctis ſacerdotale officium, dum miſericordia deſolatus juſtè putatur ad hanc ignominiam deveniſſe.* Citat etiam *cap. poſtulaſti de reſcript.*

7 Ex dictis igitur conſtat, neminem ad Sacros Ordines poſſe aſcendere abſque titulo. Immò olim non poterat quis ad minores ordines promoveri ſine titulo, ut ſentiunt Gloſſ. *in dict. Can. neminem dict. 70. & in cap. 2. de præben. & cap. Epiſcopus eodem*, & tradunt Navarr. *conſ. 14. num. 1. de tempor. ordinat.* ac Suarez *tom. 5. de cenſur. diſputat. 31. ſect. 1. num. 23.* ubi ait, *in canon. neminem*, eſſe ſermonem de omnibus etiam minoribus ; nam verba Textus abſoluta ſunt. Conſuetudine verò introductum eſt, unumquemque habilem poſſe promoveri ad Ordines minores abſque ullo titulo, ut obſervant Gloſſ. *in dict. cap. 2. de præbend.* ibique Dec. *num. 29.* Pariſ. *de reſignat. lib. 2. quæſt. 6. num. 4.* ac Rota *dec. 631. num. 13. par. 1. diverſ.* Et quidem Sacrum Concilium Tridentinum *dict. cap. 2. ſeſſ. 21.* ſolum requiri titulum in eo, qui Sacris Ordinibus initatur, ut notat Petr. de Ledeſm. *in ſumm. part. 1.* ubi agit de *Sacrament. Ordin. cap. 7.* non longe a fine, Rodriquez *in ſumm. tom. 2. cap. 15. num. 16.* Salzed. ad Diaz. *in pract. crimin. cap. 18. num. 5.* & Ugolin. *de regular. cap. 61. num. 2.*

8 Porrò Sacrum Concilium Tridentinum citato *cap. 2.* loquitur ſolùm de Clericis ſæcularibus, non autem de Religioſis profeſſis, ut patet ex illis verbis : *Ne quis deinceps Clericus ſæcularis*, ut etiam loquitur Conſtitutio 29. Sixti Quinti contra Clericos malè promotos, quæ habetur in Bullario ibi : *Aut quod ſæculares ſine titulo ſufficientis beneficii, vel patrimonii*, & notat Rodriquez *tom. 3. quæſt. regular. 23. art. 3.* ubi ait, jus canonicum, quod in hoc non revocavit Sixtus Quintus, ſtatuens, ut nullus ſine titulo beneficii, aut patrimonii ordinetur, non extenditur ad Regulares, ut advertit etiam Navarr. *in manual. cap. 27. num. 159.* & Ugolin. *loc. cit. num. 3.*

9 Nec ſub dicto decreto Sacri Concilii Tridentini comprehenduntur Religioſi Societatis Jeſu, qui poſt biennium probationis emiſerunt vota ſimplicia, ut notant Rodriquez *art. 3.* Garz. *de benefic. par. 2. cap. 5. num. 9.* Mandoſ. *conſil. 13.* cùm ſint veri, ac proprii Religioſi non ſecus ac profeſſi cujuſcunque alterius Religionis, ut declaravit Gregorius XII. in ſua Conſtitutione, quæ incipit : *Aſcendente Domino* ſub anno 1584. Nam ad ſubſtantiam ſtatus religioſi non requiruntur neceſſariò vota ſolemnia, ſed ſufficiunt vota ſimplicia, ut probant Vaſquez *in 1. 2. diſp. 165. cap. 2. 3. & 9.* Petrus Ribadeneira *in lib. de inſtit. Societatis Jeſu cap. 25. & ſeqq.* Sanchez *lib. 5. decal. cap. 1. num. 25.* & colligitur apertè ex Cajetano *in 2. 2. qu. 88. art. 7.* ubi ait: Mutatio ſtatus mancipando hominem ad divinum cultum, & religioſa opera ſtare poteſt cum voto ſimplici, ut ſi Eccleſia inſtitueret, quod in ſacro ordine, & Religione aliqua votum ſimplex fieret.

10 Non obſtant Doctores, qui communiter ſcribunt, hominem fieri religioſum per votum ſolemne, non autem per votum ſimplex, ut Gloſſ. *in cap. 1. de relig. domib. verſ. dedicanda*, D. Thom. *2. 2. quæſt. ultim. art. 7. ad 1.* Angel. *verſ. Religioſus in princip.* Tabien. *verſ. Religio in princip.* Armil. *eod. verſ. num. 1.* Sylveſt. *eodem pariter verſ. ſub initio, & num. 3.* Antonin. *par. 3. tit. 16. cap. 3.* nominatim verò Cajetan. *in 2. 2. quæſt. 188. art. 1. in ſolut. ad 4.* & Sot. *lib. 7. de juſtit. & jur. quæſt. 5. art. 1. concl. 8.* ſentiunt eſſe non poſſe veram Religionem abſque votis ſolemnibus. Sic etiam Navarr. *in canon. non dicatis 12. quæſt. 1. num. 15.* in prima editione, addens, eos, qui finito novitiatu emittunt vota ſimplicia in Societate Jeſu non eſſe verè, ac propriè Religioſos, & Gloſſ. *in cap. porrectum de regular.* ait, quempiam fieri Religioſum per ſolam profeſſionem, & colligitur ex *Clem. 1. de relig. domib. in princip.* ubi dicitur, quaſdam mulieres non fuiſſe religioſas, quia non profitebantur regulam aliquam approbatam. Hoc idem etiam colligitur ex *cap. religioſo de ſent. excommun. in 6.* ubi ſtatuitur, eum qui Religionem ingreditur, non poſſe dici Religioſum verè niſi fuerit profeſſus, vel expreſsè, vel tacitè, & in *d. cap. porrectum* dicitur, quod Monachum non facit habitus, ſed profeſſio.

Nam reſpondeo primò, dictos Doctores, ac Textus 11
non dicere, vota ſolemnia ita eſſe de eſſentia ſtatus religioſi, ut non poſſit Summus Pontifex inſtituere Religionem cum ſolis votis ſimplicibus, ſed ſolùm ita loqui ; quia tunc temporis omnes Religioſi emittebant vota ſolemnia, & per ſola vota ſimplicia olim non efficiebatur ullus Religioſus. Nam Romani Pontifices cum ſolis votis ſolemnibus inſtituerunt Religiones, & Eccleſia tunc non acceptabat ſtatum religioſum ſine emiſſione votorum ſolemnium, non tamen auſerunt poteſtatem Summo Pontifici inſtituendi aliquam Religionem cum ſolis votis ſimplicibus, ut de facto ſalubriter inſtituit Societatem Jeſu, quamvis in ea plurimi ſint, qui ſolemnem non emittant profeſſionem.

Hinc Eminentiſſimi Cardinales S. Inquiſitionis tempo- 12
re Sixti V. unà cum eodem Pontifice declararunt, ſtatum religioſum regulariter conſiſtere in emiſſione votorum ſolemnium, poſſe tamen Summum Pontificem aliter inſtituere. Hanc declarationem refert Ribadeneira *loc. cit. cap. 17. ad 3.*

Deinde cùm votum ſolemne, ac ſimplex non differant eſſentialiter, ſed ſolùm accidentaliter, & ex ſola Eccleſiæ inſtitutione, ut affirmant Scot. *in 4. diſt. 38. q. un.* ibique Pallud. *qu. 4. art. 4. concluſ. 11. num. 49.* Guillelm. Varilong. *quæſt. unic. propoſ. 16.* Cajetan. *in 2. 2. dict. queſt. 88. artic. 7. dub. 1.* Azor. *tom. 1. lib. 12. cap. 5. queſt. 1.* Abulen. *in cap. 4. Num. quæſt. 100.* Medin. *de Sacror. homin. contin. lib. 4. controv. 7. capit. 22.* Ribaden. *loc. alleg. cap. 15.* Sanchez *lib. 7. de Matrimon. diſput. 25. numer. 2. & lib. 5. in decalog. capit. 1. numer. 5.* Vaſquez *1. 2. diſput. 165. capit. 2. & ſeqq.* & deducitur ex *capit. unic. de vot. in 6.* ubi Bonifacius Octavus ait, voti ſolemnitatem ex ſola Eccleſiæ inſtitutione eſſe inventam, ſequitur Summum Pontificem poſſe inſtituere aliquam Religionem cum ſolis votis ſimplicibus, ſicut etiam ſequitur, Societatem Jeſu eſſe veram, propriam, & omnibus numeris abſolutam Religionem, etiamſi in illa non reperiretur ullus profeſſus, ut aſſerunt Vaſquez *dict. diſput. 165. capit. 9. numer. 106. & 106.* Sanchez *dict. lib. 5. in decalog. cap. 2. numer. 28.* Cùm igitur Clerici Societatis Jeſu ſint veri, ac proprii Religioſi, non comprehenduntur ſub dicto decreto Sacri Concilii Tridentini, requirente in ordinandis titulum.

Unde non adverſatur Jeſuitis Conſtitutio 74. Beati 14
Pii Quinti edita ſub anno 1568. incipien. *Romanus Pontifex*, in qua ſtatuit, ut decretum Sacri Concilii Tridentini comprehendat etiam Clericos regulares non profeſſos ſub pœna ſuſpenſionis ab exercitio ordinum aliter ſuſceptorum. Quod etiam notant Majol. *de irregul. lib. 4. cap. 15. numer. 1.* Salzed. *ad Diaz. in princ. crimin. cap. 18. numer. 2.* Pariſ. *de reſign. lib. 2. queſt. 6. numer. 19.* Ugolin. *de irregular. cap. 61. num. 3.* & declaravit Sacra Congregatio apud Garz. *de benef. par. 2. cap. 5. num. 12.* his verbis: *Nullus Clericus ſæcularis, aut regularis non profeſſus debet ad ſacros Ordines promoveri ſine ſufficienti titulo ex Bulla Pii V. data anno 3. pridie idus Octobris.* Et dicta Conſtitutio intelligitur tàm in iis, qui non ſunt profeſſi, quàm in iis, qui nulliter ſunt profeſſi ex Sacra Rota in Urgellenſi Canonicatus 3. Martii 1595. coram Blanchetto, cujus hæc ſunt verba.

Domini abſque ulla controverſia dixerunt, Ferdinan- 15
dum per ſuſceptionem Ordinum eo modo, quo illos ſuſcepit, contraxiſſe incapacitatem ad beneficium. Conſtitutio enim Pii Quinti eſt clariſſima, qua ſuſpenduntur ordinati abſque aliquo titulo contra formam Concil. Trid. *ſeſſ. 21. capit. 2. de reformat.* Quæ Conſtitutio habet locum tàm in non profeſſis quàm in nulliter profeſſis, cùm loquatur de his, qui liberè, aclicitè ad ſeculum redire poſſunt. Quare cùm Ferdinandus ſe nulliter profeſſum prætendens, per conſequens potuiſſet ad ſæculum redire ad titulum paupertatis religioſæ,

ut professus Sacros Ordines susceperit, fuit suspensus ab exequutione suorum ordinum, & beneficii acquirendi incapax effectus, *cap. cum bonæ de ætat. & qualitat.* ubi Gloss. & Abb. *num. 6. cap. fin. de Cler. excommuniç.* ubi Gloss. *cap. lator. de excess. Prælat.* Gemin. *cons. 91. num. 3. & cons. 133. num. 2.* & fuit resolutum coram Domino Gypsio in causa Melitenen, Abbatiæ 24. Januarii 1590. Et cùm postea ipse promotus ad subdiaconatus ordinem obtinuerit sub prætextu emissæ professionis in Diaconum, ac Presbyterum ordinari, fuit factus irregularis, cùm ascendendo ad majores, ministrare dicatur in minoribus, Majol. *de irregular. lib. 1. cap. 2. num. 11. & lib. 4. cap. 33. num. 2.* cum aliis allegatis in dict. Melitenen. & hoc ipsemet Ferdinandus in suo libello porrecto Ordinario fatetur. Nam dum asserit se non ministrasse in ordine Presbyteratus per hanc exclusionem videtur includere, se ministrasse in aliis ordinibus, & ex hac irregularitate novam contraxit inhabilitatem ad beneficia, Modern. *de resignat. benef. lib. 5. cap. 6. num. 99.*

16 Non obstat prætensa dubietas primò quia contrarium apparet ex ejus confessione in libello, dum asserit, se statim post dictam professionem nullam, & etiam in ipsa ordinum susceptione, & postea reclamasse semper, ex qua reclamatione probatur, ipsum habuisse animum dimittendi habitum, & ad sæculum redeundi, ideò debebat abstinere ab Ordinibus suscipiendis, tanquam verè professus, & ordinarium non decipere, qui, si de tali animo, & statu fuisset informatus, eam ab Ordinum susceptione repulisset. Præterea ignorantia crassa ipsum Ferdinandum non excusat, Navar. *in manual. cap. 27. num. 241.* præcipuè ad effectum acquirendi beneficium, quo casu sunt probandæ habilitates. Et dato quod fuisset dubius, tutiorem viam debebat eligere, & ab ordinum susceptione abstinere, donec de validitate professionis fuisset judicatum *cap. ad audientiam de homic.* Navar. ubi supra *n.* 284. Et ex his, & aliis ita fuit decisum. Hactenus sacra Rota.

17 Causa autem cur in Religiosis professionis non requiratur titulus, ut ordinari possint ad Ordines Sacros, ea est, quia si Religio possidet in communi, satis est ordinari ad titulum paupertatis, cùm hoc sit illorum institutum, quia Dei benignitas, & providentia, quæ nemini deest, & volatilia Cœli pascit, est eorum titulus, & patrimonium indeficiens; Unde aliqui dicunt Regularibus esse pro titulo sportulam, Mendicantibus præcipuè. Si autem quis non est professus, non potest ordinari absque titulo sufficienti. Nam ante professionem emissam habetur pro sæculari quoad hunc effectum.

18 Non obstat, dixi, Constitutio Beati Pii Quinti, Clericis Societatis Jesu, quia Gregorius Decimus tertius, exemit a dicta Constitutione Beati Pii Religiosos Societatis Jesu. Quare isti possunt ad ordines Sacros promoveri sine titulo, ut notant etiam Suarez *tom. 5. de censur. disput. 31. sect. 1. num. 38.* Enriqu. *in summ. lib. 13. cap. 37. num. 8.* Genuen. *in prax. Archiep. Cur. Neapol. cap. 83. num. 1.* Rodriq. *in summ. tom. 2. cap. 15. num. 1. & tom. 3. quæst. regul. 23. art. 3.* Salced. & Paris. *loc. cit.* Ricc. *in prax. rer. quotid. for. Eccles. resolut. 548. num. 1. & 7.* Martinus Fornar. *in tract. de ordin. cap. 8. num. 9.* ubi ait; *est autem triplex titulus ordinandorum, nempè beneficii, patrimonii, & professionis solemnis in Religione approbata, ad quam reducitur titulus Societatis Jesu. In ea enim, qui post biennium probationis emittunt vota simplicia, possunt ex privilegio ordinari, non obstante Constitutione Pii Quinti, ut concessit Gregorius Decimus tertius.* Ita etiam habetur in compendio privilegiorum Societatis Jesu *vers. Ordo §. 1.* his verbis: *Gregorius XIII. concessit Societati Jesu, quod qui tria vota paupertatis, castitatis, & obedientiæ in Societate emiserunt, de licentia Præpositi Generalis possint promoveri ad Sacros Ordines, etiam ante solemnem professionem emissam, si modò sint ætate, moribus, & doctrina idonei, non obstante Constitutione Pii V. quæ decretum Concilii Tridentini sess. 25. cap. 2. de reformat. ad Religiosos non professos extendit.* Ita etiam, teste Garzia *par. 2. de benef. cap. 5. num. 29.* declaravit Sacra Congregatio Concilii his verbis: *Ab hac Pii Constitutione Gregor. XIII. exemit Clericos Societatis Jesu, aut potius declaravit in illa Constitutione Pii Quinti eos non comprehendi.* Hoc etiam fuit confirmatum a Gregorio Decimoquarto in sua Constitutione, qua Societatis Jesu institutum confirmatur, edita sub anno 1595. quarto Kalendas Junii, & a Paulo V.

19 Atque ex his nonnisi ex opinione præjudicata, & errore successorio scribunt Marchin. *de Sacrament. Ordin. tract. 2. par. 6. cap. 5. numer. 5.* Barbos. *de offic. & potestat. Episcop. par. 2. alleg. 19. num. 7.* Pasqualig. *in observat. ad Laur. de Franchis controvers. inter Episcop. & Regular. tit. de Regular. ordin. quæst. 34. in fin.* Martin. a S. Josepho *de Ord. tom. 1. lib. 1. tract. 8. num. 3.* Leand. *de Sacram. tom. 2. tract. 6. disput. 9. quæst. 2.* Petr. Marchant. *in trib. Sacr. tom. 3. par. 1. tract. 6. tit. 5. quæst. 8. §. 3.* Molphes. *in summ. tractat. 2. cap. 15. num. 12.* Gabr. a Sancto Vincentio *de Sacram. Ordin. par. 4. disputat. 2. quæst. 4. numer. 36.* Ugolin. *de offic. & potest. Episcop. cap. 26. §. 8. num. 1.* Muscon. *de Majestat. milit. Eccles. lib. 1. par. 2. cap. 1. num. 380.* Hurtad. *de Congreg. tom. 2. lib. 7. resolut. ultim.* Boss. *Moral. de ordin. titul. 3. §. 8. numer. 23.* Hallier. *de Sacrament. ordin. titul. de Reg. Ordin. §. 5. a numer. 21.* aliique nonnulli, qui autumant, quod Societas Jesu ex quodam decreto Sacræ Congregationis Concilii, cujus verba aliqui referunt, tenetur Sacerdotibus a se dimissis congruam alimentariam aureorum quadraginta annuatim subministrare.

Nam, quidquid sit de tali decreto, illud certum 20
est, quod eo relato B. Pio Quinto, ipse noluit annuere, decernendo, quod more aliorum Regularium Patres Societatis profiteantur, & deinde ad Sacros Ordines promoveantur, & dicant officium in communi, sed postmodum hæc resolutio non placuit. Unde Sacra Congregatio postea censuit, injungendum esse per Breve P. Præposito Generali, ut quoties aliquem promotum ad Sacros Ordines velit ejicere, sive dimittere, isque nullum patrimonium, beneficium, pensionem, unde viveret, habeat teneatur providere, & procurare ei de aliquo, unde vivat, aut alere de bonis Religionis. Et si aliquid postea acquirat, unde possit vivere, desinat eum alere, ut constat ex Archivio Sacræ Congregationis.

Tractu autem temporis nec prima, nec altera pla- 21
cuit resolutio. Quia nedum non fuit unquam editum Breve juxta secundam resolutionem, sed anno millesimo quingentesimo octogesimo secundo Summus Pontifex Gregorius Decimus tertius, totum oppositum decrevit in sua Constitutione 77. ubi sancivit, quod Religiosi Societatis possint promoveri a quolibet Antistite, cui a Præposito Generali præsentati fuerint absque ulla promissione, vel obligatione Societatis per hæc verba.

Gregorius Papa Decimus tertius ad futuram rei memo- 22
riam. Pium, & utile societatis Jesu Institutum non patitur certa quædam ab iis, qui sub ejus vexillo, atque disciplina salutari militant, obiri, quæ in sacris ineundis generaliter præscribuntur. Quocirca cùm dictæ Societatis, ac disciplinæ alumni nulli Ecclesiæ, nullive loco certo mancipati sint, ut ibi permaneant, sed veluti viatores omni tempore parati, expectantesque diem, & horam, qua vel ad extremas Orbis regiones, cùm venit usus, emittantur, ubi quisque pro captu suo, & juxta datam sibi a Domino Sapientiam sese in vinea Domini excolenda exerceat, ejusque rei causa felicis recordationis Paulus Papa Tertius Præposito ejusdem Societatis concesserit, ut idoneos, & comprobatos ab ipsa Societate quibuscunque mallet Catholicis Antistitibus gratiam, & communicationem Sedis Apostolicæ habentibus, præsentare posset, qui illos sic præsentatos absque ulla promissione, vel obligatione ad ordines hujusmodi promoverunt, nonnulli tamen Antistites post Concilii Tridentini decreta eos sic præsentatos, prius in cujusque tàm minorum quàm Sacrorum Ordinum hujusmodi præscripto munere exercitatos, temporumque determinatorum post susceptos præscriptum finem antequam ad Superiores Ordines ascendant, omninò expectandum, eosque in eorum Ordinum functionibus, Choriique officiis plenè instructos, & denique super eorumdem vita, moribus, ætate, & natalibus ad Parochi inquisitionem, aut aliàs testimonium, & certa alia requisita habenda esse contendunt, quamvis nonnisi ad eosdem Ordines suscipiendos numeris alioqui omnibus idonei dimittantur. Nos his incommodis, quantum in nobis est, occurrere volentes, omnibus Episcopis, & aliis Antistitibus præsentibus, & futuris in perpetuum præcipimus, atque interdicimus, ne ab hujusmodi promovendis, qui licentiam a Præposito Generali dictæ Societatis pro tempore existente, vel ab eo delegatis habuerunt, quidquam prædictorum requirant, vel exigant, sed ipsos, etiam absque ulla functione in Ordinibus ipsis, interstitiorumque ad illos suscipiendos observatione, aut inquisitione de cantu, officiis, & cæremoniis Ecclesiasticis idoneitate proprii Ordinarii licentia, & aliis in aliis requisitis ad minores, ac etiam extra tempora a jura statuta, tribusque Dominicis, vel aliis festis diebus etiam continuis ad Sacros, etiam Presbyteratus ordines promoveant, ac si illi omnibus requisitis prediti essent. Nos enim illis Ordines predictos sic suscipiendi, ac predictis Antistitibus eos ipsis conferendi facultatem tribuimus, non

obstan-

obſtantibus præmiſſis ; ac Conſtitutionibus , & Ordinationibus Apoſtolicis , cæteriſque contrarii quibuſcumque. Præſentis autem gratiæ communicationem omnibus aliis , etiam qui ſua privilegia cum ipſa Societate copiosè participant , participareque potuerunt quomodolibet in futurum , ſic omninò prohibemus . Cæterùm quia difficile eſſet præſentes quocumque illas opus erit deferre , volumus , ut earumdem præſentium tranſumptis manu notarii publici ſubſcriptis , & ſigillo perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ , ſeu etiam dicti Præpoſiti munitis , eadem prorſus fides in Judicio , & extra illud adhibeatur , quæ ipſis præſentibus adhiberetur , ſi eſſent exhibitæ , vel oſtenſæ . Datum Tuſculi ſub annulo Piſcatoris die Vigeſima ſecunda Septembris anno milleſimo quingenteſimo octogeſimo ſecundo. Pontificatus noſtri anno ſecundo.

23 Conſtitutio autem Pauli III. quam Gregorius confirmavit, eſt in ordine 48. data 15. Kalendas Novembris 1549. incipiens, *licèt debitum §. 19.* & in literis Apoſtolicis Inſtituti Societatis *pag.* 35. eſtque hujuſmodi : *Et quia ejuſdem Societatis fratres , & Socios de locis ad loca transferri contingit, propter quod ſtabilem , & continuam in certis, & determinatis domibus manſionem habere non poſſunt , & in ipſa Societate idoneos tantùm , & comprobatos ad Sacros Ordines promoveri intelleximus , eidem Præpoſito Generali, quod ordinandos Socios , & Fratres hujuſmodi Societatis quibuſcunque maluerint Catholicis Antiſtibus , gratiam, & communionem dictæ Sedis habentibus, præſentare , ipſiſque Antiſtibus præſentatos hujuſmodi abſque omni promiſſione ipſorum Ordinandorum Fratrum , & Sociorum ad omnes, etiam ſacros , & presbyteratus Ordines promovere.*

24 Extatque alia ſimilis Conſtitutio Gregorii XIII. emanata ſub anno 1573. cum expreſſa derogatione S. Concilii Tridentini , eſtque ſequentis tenoris.

25 *Gregorius Papa Decimotertius. Ad futuram rei memoriam ex Sedis Apoſtolicæ benignitate provenire dignum eſt, ut Regularia Inſtituta pro Religionum quarumlibet ſalubri directione edita , illibatam obtineant roboris firmitatem . Cùm itaque inſtituto Clericorum Regularium Societatis Jeſu , quod per felic. record. Paulum Tertium , & Julium etiam Tertium prædeceſſores noſtros approbatum , & confirmatum fuit , cuique per Sacrum Concilium Tridentinum derogatum minimè extitit , inter alia expreſsè cavetur , quod Socii omnes , etiam , qui in ſacris fuerint , Horis Canonicis recitandis ſatisfeciſſe cenſeantur , ſi eas extra uſum Romanæ Eccleſiæ ſinguli privatim , & particulariter , & non communiter , ſeu in Choro recitaverint , necnon , ut iis , qui in eadem Societate tria paupertatis , & caſtitatis , & obedientiæ vota emiſerint ad omnes etiam ſacros , & presbyteratus Ordines de licentia pro tempore exiſtentis , ſui Præpoſiti Generalis, etiam antequam ſolemnem profeſſionem emiſerint, promoveri valeant, nos conſiderantes Religionem prædictam uberrimos fructus ad Dei laudem, Sanctæ Catholicæ fidei propagationem per univerſum Orbem dediſſe , meritòque in ſuis piis inſtitutis confovendam eſſe , motu proprio , & ex certa ſcientia noſtra , Sociis prædictis , ut horas canonicas ſinguli , & privatim juxta uſum Romanæ Eccleſiæ , non autem communiter , ſeu in Choro recitare teneantur , quò acriùs ſtudiis , lectionibus , & prædicationibus intendere poſſint , necnon , ut ii , qui tria vota prædicta in eadem Societate emiſerint , de licentia ſui Præpoſiti Generalis ad ſacros, etiam Presbyteratus Ordines , etiam ante ſolemnem profeſſionem emiſſam dummodò aliàs ætate , moribus , & doctrina idonei ſint , promoveri valeant , Inſtituta prædicta approbantes tenore præſentium authoritate Apoſtolica , quatenus opus ſit , de novo concedimus , non obſtantibus Conſtitutionibus Apoſtolicis , & in ſpecie Conſtitutione Pii Quinti, Prædeceſſoris noſtri , qua Decretum Concilii Tridentini , quod incipit : Cùm non deceat , ad Clericos Regulares non profeſſos extendit , cæteriſque contrariis quibuſcumque. Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris die ultima Februarii 1573. Pontificatus noſtri anno primo.*

26 Itaque in dictis reſolutionibus Sacræ Congregationis, quæ non fuerunt exequutioni demandatæ , nec a Beato Pio V. ſub quo emanarunt , approbatæ fuerunt , quinimmò a Gregorio XIII. contrarium ſancitum fuit , nullum prorſus fundamentum oppoſitum conſtitui poteſt , quia etiam ex citatis Conſtitutionibus ceſſat omnis diſputatio , dum in illis cautum eſt , quod Pater Præpoſitus Generalis ſuos Religioſos poteſt ordinari facere ſine ulla promiſſione , vel obligatione , id quod etiam ſtatuere placuit ſanctæ memoriæ Gregorio XIV. in ſua Conſtitutione 50. edita anno 1591. in qua approbavit conceſſiones Societati factas hac in re a Sede Apoſtolica , ut in ejus §. 16. legitur nempè , *ac Religioſos hujuſmodi poſt emiſſa vota, etiamſi ſimplicia, ad ſacros etiam Presbyteratus Ordines, juxta Summorum Pontificum conceſſiones promoveri poſſe.*

Unde ſocietas , quæ ab Apoſtolicis Conſtitutionibus 27
exempta eſt ab omni obligatione ob promotionem ſuorum Religioſorum ad ſacros Ordines , nullo modo arctari poteſt ad ſubminiſtranda alimenta eiſdem Religioſis poſt Sacerdotium , ex juſta cauſa dimiſſis , etiamſi per juſtam dimiſſionem evenire poſſit, quod aliqui cum dedecore mendicare cogantur . Quia id evenit per accidens , non autem per culpam Religionis , ſed per aliquem Religioſi exceſſum , ut tradit per Tambur. *de jur. Abbat. tom. 2. diſput. 2. quæſt. 30. num. 9.* ibi, *Neque item obſtat, quod hujuſmodi Religioſi poſt primam profeſſionem poſſint relinquere Societatem , vel etiam expelli , atque ita cum ſui etiam Ordinis , & ſtatus dedecore cogantur mendicare . Nam mali eventus ſecundùm regulam juris , leg. inter ſtipulam , §. ſacro , ff. de verb. oblig. cum per accidens eveniant , non veniunt in conſiderationem .* Quod latè firmat Suarez *de Relig. tom. 4. lib. 3. cap. 2. num. 7. & 12.*

Et quidem tum ex alibi a me dictis in hoc tomo , 28
ex iis, quæ in hac actione adduxit vir pius, ac doctus Hilarius de Amicis , Religio Societatis Jeſu Sacerdotibus juſta de cauſa a ſe dimiſſis , non tenetur alimenta ſubminiſtrare . Eatenus enim Religioni ineſt obligatio alendi , quatenus Religioſus emiſſis votis adſtrictus ei ſervit in iis muneribus , quæ ejus præſcribit intuitum , non verò ineſt, quando per dimiſſionem a votis abſolvitur, ſecus enim conditio dimiſſorum, qui nullum Religionis retinent onus, eſſet par conditioni eorum , qui in Goa, vel Inſulis Japponenſibus, aut Regno Sinarum pro Orthodoxæ fidei propagatione ſuſtinet pondus diei, & æſtus, ut votis Religionis , ejuſque ſatisfaciant Inſtituto , ut probat in ſpecie Caſtropal. *oper. moral. tom. 3. tract. 16. diſp. 3. punct. 18. num. 1.* his verbis: *Facilius eſt horum deciſio , ſi Religioſus juſtè expulſus eſt , eo ipſo excluditur a Religionis cura, & poteſtate, ac proinde Religionis alimenta percipere non debet. Quod a fortiori procedit in Religioſis Societatis Jeſu non profeſſis, qui a Religione dimiſſi a votis omninò abſolvuntur, & ſæculares fiunt, ac ſi nunquam Societatem ingreſſi fuiſſent . Hos enim nullatenus Societas alere tenetur.*

Idipſum aſſerunt Fagundez *in præcept. decalog. tom. 2.* 29
lib. 6. cap. 6. num. 1. qui pluribus rationibus comprobat, Societatem non teneri præſtare alimenta Sacerdotibus , ex juſta cauſa dimiſſis.

Diana *de dub. regul. par. 7. tract. 1. reſol. 191. num.* 30
2. & ſeqq. qui idem concludit de jure, ſalva ſupradicta reſolutione Sacræ Congregationis , de cujus authentico ipſe dubitat.

Fermoſin. *de offic. & Sacroſ. Eccl. tract. 2. ad rubr. &* 31
tit. de temp. ad qu. 12. num. 6. ac ſeqq. ubi etiam teſtatur, ita in praxi ſervari, ibi, *In praxi ſemper audivimus, nunquam Prælatos illius Religionis ejicientes propter demerita, & indignos tantæ, & graviſſimæ Societatis ejectis ſubvenire, nec parum honeſtiſſimis alimentis jam effectis Sacerdotibus.*

Garzia, reprobans Moſconum, & Ugolinum *in addit.* 32
ad 2. par. tract. de benefic. cap. 5. num. 13. hunc in modum . *Et Moſconus , qui malè ait , quod iſti Jeſuitæ poſt Sacerdotium ejecti , ali debeant a Religione , & noviſſimè etiam Ugolinus, qui etiam male ait, quod poſt Sacerdotium provideri eis debet de redditu ſaltem quadraginta ſcutorum aureorum ex bonis Religionis.*

Alloza *alphab. mor. v. Ordo ſect. 2. num. 34.* ubi teſta- 33
tur, exageratum ab aliis decretum Sac. Congregationis nunquam exequutioni demandatum fuiſſe.

Bartolus in vita S. Ignatii *lib. 8. num. 20.* teſtans dict. 34
Sanctum Patriarcham plures, etiam nobiles viros dimiſiſſe , & exoratum , ut aliquid cauſa ſubſidii præſtaret Chriſtophoro Laines ab eo dimiſſo , reſpondiſſe : *Se io aveſſi tutto l'oro del Mondo , non ajuterei di un ſol quattrino quelli, che per demerito ſi rendono indegni, che la loro Religione gli tenga .*

Pellizarius *in man. regul. tom. 1. par. 3. cap. 6. num. 20.* 35
qui itidem pluribus rationibus comprobat , Religionem juſtè dimiſſis non teneri alimenta præſtare , & generaliter de aliis Religionibus magiſtraliter tradit Paulus de Caſtro *conſ. 76. num. 2. lib. 1.* Surd. *de aliment. tit. 7. qu. 35. a num. 1.*

Quinimmò, ſuppoſita juſta cauſa dimiſſionis, quæ his 36
verbis, aliiſve hujuſmodi modeſtè concipi ſolet: *Quamvis N. N. per aliquot annos in noſtra Societate vixerit , fidem tamen facimus ipſum nullam in ea profeſſionem emiſiſſe , noſque juſtas ob cauſas illum ab obligatione , quam erga Societatem noſtram habebat , authoritate Societati ,*

noſtræ a Sancta Sede Apoſtolica conceſſa, & nobis ab admodum Rev. P. Noſtro N. Præpoſito Generali communicata, liberum dimittere. In quorum fidem has literas manu noſtra ſubſcriptas, ac ſigillo noſtræ Societatis munitas dedimus. Si Religio teneretur dimiſſis alimenta præſtare, cogeretur dare præmium prò noxa, ac præpoſterato ordine juſtitiæ, loco pœnæ delinquens celebre commodum reportaret. Quod omninò abſurdum eſt, ac omni poſſibili modo vitandum, ne aliquibus, aut multis Religioſis, decreſcente favore, propter ſpem ſtipendii augeatur deſiderium ad repetendum ſæculum cum exceſſibus, quos patrare poſſunt, ut a Religione dimittatur, ut tradunt Gabr. a Sanct. Vincent. *de Sacram. Ordin. part.* 4. *diſput.* 2. *quæſt.* 4. *num.* 36. Fagund. *loc. cit. dict. cap.* 6. *num.* 5. Diana *d. reſolut.* 191. *num.* 2. Pelliz. *d. par.* 3. *cap.* 6. *num.* 20. & Fermoſin. *d. qu.* 12. *num.* 7.

37 Prætereà, ſi Sacerdotibus juſtè dimiſſis tribuatur alimentaria congrua, nedum id adverſatur inveteratæ conſuetudini Religionum nihil illis tribuendi, tanquam membris a ſuo corpore abſciſſis, de qua teſtantur Doctores citati, ſed etiam corrumpitur corpus ipſum Religionis. Quia permulti erunt, qui in ſocietatem deinceps ingredientur, & poſt didicitas ſcientias cauſam invenient egreſſus per dimiſſionem eventuri, certò ſcientes ſibi victum non defuturum, tanquam a Religione ſubminiſtrandum. Et cùm a domibus profeſſis ſubminiſtrari non poſſit, tanquam in arctiſſima paupertate conſtitutis, ac de ſimplicibus eleemoſynis viventibus, opus eſt particularium Collegiorum opes dividere, quæ plerumque aut neceſſariis indigent, aut habent redditus a piis benefactoribus relictos cum certo onere Magiſtros, & Confeſſarios manutenendi. Quod deinceps creſcente dimiſſorum multitudine, haud poterit expleri. Unde fruſtarentur piorum voluntates benefactorum contra Jus publicum, quo enixè præcipitur voluntatum exequutio juxta Text. *in leg. vel negare*, ibi, *publicè enim expedit ſuprema hominum judicia exitum habere*, *ff. quemad. teſt. aper.* & *in leg.* 1. *Codice de Sacroſanct. Eccleſ.* ibi, *Nihil eſt, quod magis hominibus debeatur, quàm, ut ſupremæ voluntatis, poſtquam aliud velle non poſſunt, liber ſit ſtylus*, & *licitum, quod iterùm non redit, arbitrium*. Et proſequuntur Gob. *conſ. prima*, *num. quarto*, & 89. Altogradus jun. *controv.* 16. *numer.* 22. Cæphal. *conſ.* 429. *num.* 51. & *ſequentibus*, *lib.* 3. ac Cyriac. *controverſia* 407. *numer.* 127.

38 Atque hinc jurgia exorirentur, nedum inter Collegia ipſa, verum etiam inter Civitates, in quibus illa fundata ſunt, cùm quærendum ſit, unde, ac ex quorum redditibus alimentariæ hujuſmodi congruæ deſumendæ ſint, & inde eveniet, quod ubi hodiernis temporibus fervet in Civitatibus amor piarum largitionum, ac cupido novarum fundationum, deinceps frigeſcent benefactores, qui Summo jure pati nollent ſubſtantias ad pias cauſas deſtinatas, converti in alimoniam illorum, qui ob exceſſus è Societate dimittuntur, ut ad rem hanc ponderat Fagund. *dict. cap.* 6. *num.* 5. Fermoſin. *dict. cap.* 12. *numer.* 7. ac Dian. *dict. reſolut.* 191. *num.* 2.

39 His accedit, quod Religio magnos facit ſumptus in Religioſos alendos, eoſque imbuendos ſcientiis, proindèque multum ab æquitate, & juſtitia detrahetur, etſi poſt Sacerdotium deſides evadant, cogaturque ſocietas eos dimittere, majora ſubire debeat incommoda, eos alendo, jam ſæculares effectos, votis ab omnibus liberatos, ac ſæculi libertate gaudentes, ut rectè perpendit Pelliz. *d. cap.* 6. *num.* 20. Fagund. eo pariter *cap.* 6. *num.* 5. §. 5.

40 Hæc, & alia, quæ ad hanc rem, alioquin claram, adduci poſſent, comprobat tum mens Summorum Pontificum, tum inveterata, & inconcuſſa Societatis nihil juſtè dimiſſis Sacerdotibus tribuendi obſervatio. Mens quidem Summorum Pontificum, quia tribuerunt Societati libertatem ſuos Religioſos poſt emiſſa tria vota ſimplicia ad Sacerdotium promovendi ex titulo religioſæ paupertatis, declarandos eſſe veros Religioſos, ut in Conſtitutione 89. Gregorii XIII. cujus initium *aſcendente Domino*, edita 8. Kalendas Julii 1584. §. 20. *ac* 21. & literis Apoſtolicis Inſtituti Societatis *pag.* 225. per hæc verba.

41 *Ad hæc dictam Societatem firmo Sedis hujus præſidio communire volentes, hac noſtra perpetua Conſtitutione, motu, ſcientia, & poteſtatis plenitudine ſimilibus ſtatuimus, atque decernimus tria vota hujuſmodi, etſi ſimplicia, ex hujus Sedis Inſtitutione, ac noſtra etiam declaratione, & confirmatione eſſe verè ſubſtantialia Religionis vota, ac in dicta Societate, tanquam in Religione approbata per Sedem eandem admiſſa fuiſſe, ac eſſe, ac per nos admitti, nec illis a quoquam, præter nos, & Sedem hujuſmodi diſpenſari, nec ea ullo alio modo, quàm per legitimam dimiſſionem a Societate ceſſare poſſe.*

Et non modo eos, qui in coadjutorum formatorum, ſive ſpiritualium, ſive temporalium gradus, & miniſteria, ut præfertur, admittantur, ſed, & ſcholares ipſos, ac ſupradictos alios omnes, & quoſcumque, qui in ipſam Societatem admiſſi biennio probationis a quolibet eorum peracto tria vota ſubſtantialia prædicta, tametſi ſimplicia emiſerint, aut emittent in futurum verè, & proprie Religioſos fuiſſe, & eſſe, ac fore, & ubique ſemper, & ab omnibus cenſeri, & nominari debere, non ſecus, atque ipſos tum Societatis, tum quorumvis aliorum Regularium Ordinum profeſſos, ſuiſque Præpoſitis in omnibus, & per omnia obedire, & huic Sedi immediatè ſubjectos, & a quorumvis Ordinariorum, & Delegatorum, ſeu aliorum Judicum juriſdictione omninò exemptos, prout nos etiam vigore præſentium exigimus. 42

Prout etiam libertatem tribuerunt eos ex juſta cauſa dimittendi, ac penitus a votorum emiſſorum obligatione liberandi, ut in Conſtitutione Decima Gregorii Decimiquarti, quæ incipit, *Eccleſiæ Catholicæ* 4. Kalendas Junii 1591. & in literis Apoſtolicis Inſtituti Societatis *pag.* 280. in qua §. 13. ita diſponitur. *Quod verò attinet ad dimiſſionem declaramus, formam judiciariam adhibendam non eſſe ſed modum in Conſtitutionibus præſcriptum, hactenus in ipſa Societate ſervatum, de cætero ſervari volumus, nempè, ut etiam ſine aliquo proceſſu, tela, aut ordine judiciario, ac nullis terminis, etiam ſubſtantialibus ſervatis, ſola facti veritate inſpecta, culpæ, vel rationabilis cauſæ tantùm ratione habita, aut perſonarum, aliarumque circumſtantiarum, quarum conſideratione ſit cum charitate, & prudentia conjuncta, procedi poſſit, authoritate prædicta declaramus, & decernimus.* 43

Et §. 14. In hunc modum ſtatuitur: *Quin etiam omnes facultates, omnemque juriſdictionem, quod ad ſubditorum correctionem, & punitionem pertinet, quibuſcunque Ordinibus, eorumdem Generalibus hactenus conceſſas, non ad inſtar, ſed æquè principaliter ipſi Societati, ejuſque Præpoſito Generali concedimus, & elargimur.* 44

Et §. 16. ſic decernitur: *Ac Religioſos hujuſmodi poſt emiſſa vota, etſi ſimplicia, ad ſacros etiam Presbyteratus Ordines, juxta Summorum Pontificum conceſſiones promoveri poſſe.* 45

Ac demum §. 19. ita declaravit: *Poteſtatem quoque a Societate dimittendi quoſvis non profeſſos ab hac Sede Apoſtolica ſæpius approbatam, eoſque ab omni obligatione votorum juxta Conſtitutiones, & diplomata hujuſmodi emiſſorum per dimiſſionem ipſam, per quam vota prædicta ceſſant liberandi, tanquam rem magni momenti, ad Societatis puritatem, & conſervationem retinendam, omninò ratam, intactam, & illibatam eſſe volumus.* 46

Et tamen nullibi diſpoſuerunt Sacerdotibus dimiſſis aliquid, vel minimum, pro alimentis eſſe præſtandum, quinimmò indulſerunt, ut Religioſi poſt tria vota ſimplicia emiſſa, ac promotionem ad Sacerdotium, bona retineant, ut in caſu dimiſſionis, Societas majorem habeat libertatem cum minori injuria eos dimittendi, ut in Conſtitutione Octogeſima nona Gregorii Decimitertii, edita anno 1584. §. Decimoſexto, in qua hæc leguntur. *Et licèt qui ad gradus profeſſorum, & Coadjutorum formatorum nondum pervenerunt, bonorum ſuorum jus, ac dominium, tum alias ob juſtas cauſas, tum etiam, ut majorem Societas habeat libertatem illos, ſi opus fuerit, cum minori offenſione dimittendi, ad tempus, Generalis Præpoſiti judicio præſcribendum, valeant retinere.* Unde patet, quod Summi Pontifices nullo modo gravare voluerunt Societatem ad præſtandum alimenta Sacerdotibus dimiſſis, cùm ſi tale gravamen voluiſſent illi imponere, utique illud expreſſiſſent, nec contra decreviſſent, quod ſine aliqua promiſſione, vel obligatione eos faceret promovere ad Sacerdotium, & multò minus conceſſiſſent eiſdem Religioſis facultatem retinendi bona, ut cum minori injuria dimitti poſſent. 47

Obſervatio autem, quoniam a die fundatæ Societatis nihil unquam Sacerdotibus dimiſſis pro alimentis attributum fuit, licèt Pater Vitelleſchus, Præpoſitus Generalis non deſierit eos adjuvare apud Sedem Apoſtolicam, ac Principes, ut alii Cathedras, alii verò beneficia Eccleſiaſtica, vel dignitates aſſequerentur. Id enim probat Patrem Vitelleſcum officioſa opera exhibuiſſe, non verò de bonis Societatis præſtitiſſe alimenta, ideòque inconcuſſa remanet, nihil pro alimentis tribuendi, obſervatio, 48

vatio, comprobata sæpiùs in Sacra Congregatione Concilii præsertim in illa causa Limana, disputata anno 1662. die 11. Februarii, in qua super puncto alimentorum nihil innovandum esse decretum fuit. Præposito enim hoc dubio cum suis rationibus ab Archiepiscopo: *Eminentissime, ac Reverendissime Domine, Archiepiscopus Limanus in Indiis humiliter petiit declarari ab Eminentia sua.*

49 *An Patres Societatis Jesu in sacris constituti juxta indulta, & privilegia ejusdem Ordinis, & posteà dimissi, seu ejecti absque patrimonii, aut beneficii Ecclesiastici, assignatione ad propriam sustentationem competente, juxta Constitutionem Concilii Tridentini sess. 21. cap. secundò, habeantur, ut suspensi ab exequutione præfatorum Ordinum.*

50 *Et licèt dicti Patres nullum privilegium ostendant, & prætendunt dictos dimissos, seu ejectos non esse suspensos ex eo, quod Constitutio Urbani Octavi, felicis recordationis edita sub die vigesima prima Septembris anno 1624. eos non comprehendat, nihilominus jura omnia, & Canones clamant, non esse permittendum, in sacris constitutum esse sine patrimonio, aut beneficio Ecclesiastico, ne cum Ordinis dedecore mendicet infelix in plateis, & servili opere mancipatus a quolibet poscat eleemosynam, sicuti scriptum est in canon. Diaconi 99. distinct. Immò in can. neminem, & in can. Sanctorum dist. 10. constitutum est, quod Episcopus laborare, quàm maximè possibile fuerit, debeat, ne quis titulo sufficienti ad victum carens, promoveatur ad Ordines, & quisquis contrariè audeat ex his ordinatis vacuam habeat manus impositionem, ubi Glossa vacuam quoad exequutionem illam appellat, confirmat Majolus de irregul. lib. 4. cap. 15. in princip. idem Trident. sess. 21. dict. cap. 2. P. Laurea in epit. can. 5. Ordines sacri quatenus prohibentur, ubi qui non habet titulum, seu beneficium, vel patrimonium suspenditur ab exequutione ordinum.*

51 *Ulterius dato, quod prædicti ejecti non sint suspensi, quæritur, a quibus debeatur, & quidem epit.* Barb. *in collect. sess. 21. de reformat. dict. cap. 2. num. 6.* ibi, *Si contingat Societatem, quem ejici, in Sacris jam constitutum, & beneficio carentem, tunc Prælati ejusdem Societatis de honesto victu saltem de redditu quadraginta aureorum illis providere debent, donec sufficiens beneficium fuerit assequutus.* Ita Marchin. *tract. 2. par. 6. cap. 5. num. 5.* idem Barbos. *de offic. & potest. Episcop. allegat. 19. num. 7.* Molphes. *in summ. tract. 2. cap. 13. numer. 2. refert, Sixtum V. reddita relatione Sacræ Congregationis, declarasse Jesuitas, cùm post Sacerdotium exire non possint, nisi a Superioribus rejciantur, provideant illis de redditu quadraginta aureorum ex bonis Religionis, quoad alios, qui arbitrio suo exire, quando volunt, possunt, ne detur illis occasio exeundi, ut fruantur illo redditu, vocentur prius, & intelligantur, qua alia vi prospici possit, deindè maturè deliberandum,* Vasquez *tom. 3. in 3. par. disp. 146. num. 62.* & aliquos refert dictus Barbos. *de offic. & potest.*

52 *At verò Societas libello Episcopi hæc reposuit. Eminentissimi, e Reverendissimi Signori. Monsignor Arcivescovo di Lima con una sua scritta a questa Santa Sede rappresentata, che i dimessi dalla Compagnia di Gesù lo molestano per ottener beneficii Ecclesiastici, tanto più nel pretendere ciò importuni, quanto che si trovano dopo la dimissione senza titolo, senza patrimonio per la loro sostentazione necessaria, e supplica, che si dichiari, che detti dimessi siano sospesi dall' esercizio degl' ordini ricevuti nella Religione.*

53 *Questa istanza Eminentissimi Signori altre volte fu discussa in cotesta Sacra Congregazione, e risoluto, che i dimessi dalla Compagnia non sono compresi nel decreto* de ejectis. *Nè osta, che poi questi tali restano senza titolo, al quale furono ordinati, imperocchè la dimissione dalla Compagnia non toglie loro la legitima della loro ordinazione fatta a titolo di povertà, venendo un tal titolo approvato da Sommi Pontefici a favore della Compagnia di Giesù, e principalmente dalla santa memoria di Gregorio Decimoterzo nella Bolla, che comincia:* Ex Sedis Apostolicæ benignitate, *concessa l' anno 1973. dopo aver confermato a' medesimi la libertà di rigettar via da se ancora i Sacerdoti, non stimati utili alla Religione, parlando di questa materia di sospensione, e che in essa non incorrano, quei, che legitimamente ordinati hano perduto il titolo, a che furono ordinati, anche per la loro colpa,* Avila *de censur. par. 3. dub. 5.* Suar. *de censur. disp. 31. sect. 17. num. 38.* Diana *resol. moral. par. 5. tract. 10. resol. 57.*

54 *Nè in ciò Monsignor Arcivescovo di Lima può chiamarsi aggravato, perchè, se sua Signoria Illustrissima farà riflessione alla qualità de' dimessi dalla Compagnia, troverà, che sono di nascimento, d'ingegno, di ricchezze, di scienze, di condizioni tali, che senz' altro titolo di beneficio ponno vivere onestamente. Che se questi con la loro vita, e costumi si fanno degni della protezzione di sua Signoria Illustrissima, non dee come buon Padre di famiglia avere a discaro, che le sino alla mano molti operarj buoni, e che l' ajutino nella cultura della vigna, raccomandatale da Dio. Quando poi i dimessi non vivano conformi all' obbligo del Sacerdozio, può Monsignor Illustrissimo giustamente ributtarli, e senz' altra dichiarazione di questa Sacra Congregazione sospenderli dall' esercizio degli Ordini, si come gliene danno l' autorità il Sacro Concilio Tridentino, e le ordinazioni Apostoliche.*

55 *Che se pure Monsignor Arcivescovo insiste, che i dimessi dalla Compagnia, poveri in estremo, sono molti in numero, supplica il Provinciale della Provincia del Perù della medesima Compagnia l' Eminenze Vostre di ordinare, che dii i nomi, acciocchè non vi sia qualche supposta persona, che inganni il Mondo con questo; essendo certo l' Oratore, che di tali dimessi in condizione sì povera non ve ne conterà un paro in tutta la Provincia del Perù, che pure gira tante leghe, e comprende tanti Collegi. Nè pare giusto, che per provvedere a due si metta in rovina una Religione, impedindo la libertà di mandar fuori di essa i malcontenti, in che consiste la conservazione principalmente della Religione.*

56 *Questo motivo, Eminentissimi Signori, persuase altre volte cotesta Sacra Congregazione a rigettare l' istanze de' dimessi, quando pretesero dalla Compagnia il patrimonio, siccome si legge nel decreto terzo della Congregazione settima della Religione, il cui decreto si dà per extensum,* e nel parla il Garzia *de benefic. in addit. par. 2. cap. 5. num. 13. & eruditamente secondo il solito l' Eminentissimo Pallavicini nel libro intitolato* Vindicationes Societatis *al cap. 34.*

57 *E se bene alcuni Autori portano una risoluzione di Sisto V. a favore de' dimessi in questo proposito di patrimonio, l' Oratore però supplica l' Eminenze Vostre di avvertire, che una tal dichiarazione fù fatta in caso particolare da alcuni, che pretesero, inaudita Societate, migliorare le proprie condizioni, ma non si sà, che havessero l' effecuzione. Anzi dalle medesime parole si cava, che quel Sommo Pontefice volle quel tal decreto fosse universale, ne transiret in exemplum, per le pessime conseguenze, che apportarebbe: Onde dice: Vocentur prius, & intelligantur, qua alia via prospici possit, deindè maturè deliberandum. E la deliberazione de' suoi Santi successori, particolarmente di Clemente VIII. fù di non voler novità in questo punto tanto grave, ed importante per mantenere l' osservanza regolare nella Compagnia di Giesù, & Deus, &c.*

58 *Sac. Congreg. Concilii respondit, Religiosos Societatis, post tria vota simplicia dumtaxat vigore privilegiorum ejusdem Societatis dimissos, non comprehendi in Constit. Urbani VIII. de apostatis, & ejectis. Quoad reliqua nihil innovandum.*

59 *Ita reperitur in Regesto autographo decretorum ejusdem Sac. Congregationis lib. 23. fol. 59. In fidem, &c. hac die 21. Julii 1693.*

R. Pallavicinus Sacræ Congregationis Secretarius.

60 Et in volumine resolutionum Sacræ Congregationis Sacri Concilii Tridentini annorum 1662. & 1663. apud Eminentissimum Dom. Cardinalem Franciottum unum ex Eminentissimis Dominis Cardinalibus dictæ Sacræ Congregationis reperitur in margine restrictus dictæ causæ Limanæ manu propria ejusdem Cardinalis: *Dimissos quoad vota simplicia non comprehendi. Quoad alimenta nihil innovandum ut ex fide notarii A. C. Pelusii 18. Augusti 1664.*

61 Id ipsum decrevit eadem Sacra Congregatio in causa Gerundensi sua die 4. Julii 1672. utraque parte informante. Cùm enim proponeretur, *quod Martinus Balle Gerundensis, aliàs ad titulum paupertatis in Societate Jesu promotus, post duodecimum annum, professione nondum emissa, cùm & ipse salutem triviisset, & ejus mater in gravem incidisset paupertatem anno 1664. gli fù donata licenza (sunt verba Oratoris) di esser Prete secolare, confidandosi i Superiori Gesuiti, che il detto Oratore sarebbe provveduto dal suo Vescovo del primo beneficio curato, che vacarebbe, e che frà tanto camparebbe bene, insegnando, ed essendo Parochiano. Sed quoniam propter Episcoporum mutationes nullum beneficium obtinuit, & demum anno 1669. duobus beneficiolis provisus in Curia, cùm illa litibus inextricabilibus implicita compererit, jam annus est, ex quo Romam reversus, incassum semper supplicibus libellis pro beneficiis institit, necessariis ad victum desti-*

deſtitutus, ne cum Ordinis dedecore mendicare cogatur, petiit, ut ſibi provideretur de annuo redditu quadraginta aureorum ex bonis Religionis juxta decretum ſanctæ memoriæ Sixti V. relatum a Barboſa de poteſt. Epiſcop. part. 2. allegat. 19. Cùm autem Sanctitas ſua dubium in Sac. Congregatione proponi juſſiſſet, Eminentiſſimorum Patrum erit decernere. An ſecundùm ea, quæ proponuntur Oratori providere debeat de dicto annuo redditu ſuper bonis Religionis.

62 *Die 4. Junii 1674. Sacra Congregatio Eminentiſſimorum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum, perpenſis deductis tum pro parte Oratoris, tum pro parte Religionis reſponderunt: Nihil eſſe innovandum.*

63 Et claræ memoriæ Cardinalis Grimaldus Archiepiſcopus Aquenſis ita declaravit: *Univerſis, & ſingulis præſentes inſpecturis ſalutem in Domino. Quia Religioſi Societatis Jeſu non offerunt ſe ad ſacros Ordines ſuſcipiendum, niſi poſt exploratos eorum mores, probatamque vocationem per quindecim circiter annos, poſtque impenſam erudiendæ juventuti S. Theologiæ ſtudio per idem tempus operam; propterea viſum eſt nobis declarare, non eſſe intentionis noſtræ dictos Religioſos comprehendere in ordinatione vigeſima prima ſtatuti noſtri de Sacra Ordinatione. In quorum fidem præſentes manu noſtra ſubſcriptas per Secretarium noſtrum infraſcriptum fieri, & ſubſcribi, ſigillique noſtri juſſimus, & fecimus appoſitione muniri anno 1676. die verò menſis Novembris 18.*

Hieronymus Cardinalis Grimaldus Archiepiſcopus.
Cornelius Secretarius.

64 Quamobrem ſi inconcuſſa eſt obſervatio nihil tribuendi pro alimentis, & quidem per unum ſæculum cum dimidio religiosè obſervata, nihil remanet, de quo hæſitandum ſit cum ſola centenaria, quando Societati non faverent Pontificiæ Conſtitutiones, ſuperiùs citatæ, præbeat meliorem titulum, immò, & Apoſtolicum privilegium, Rota coram Coccino *dec.* 864. *num.* 4. & *recent. dec.* 646. *num.* 6. & *dec.* 770. *num.* 10. *par.* 18. & in Romana Caſtri Orciani 16. Januarii 1679. §. *Immò adhuc* coram Bourlemont.

65 Hæc fundamenta, quæ placuerunt Parlamento Toloſano ad excludendam, tanquam injuſtam petitionem alimentorum, quam olim fecerat Joanni Gentilio Provinciali Claudius Bernardus è Societate dimiſſus, uti teſtantur Fagundez *dict. cap.* 6. *num.* 5. Diana *dict. reſol.* 191. *numer.* 2. & Pelliz. *dict. tract.* 3. *cap.* 6. *num.* 20. credimus ſatis omnibus ſufficere, cùm nequeant obſtare, quæ non nemo opponere poteſt. Nec obſtat Inſtitutum ipſius Societatis in illis verbis: *Circa ſtatum vitæ eorum Superiores ſtudeant eos dirigere, ut aliquam convenientem vitam ſerviendi Deo inveniant.* Quia verba hujuſmodi pertinent ad vitam ſpiritualem, non verò ad alimenta corporis, ut genuinus ſenſus ipſe demonſtrat, & declaravit S. Patriarcha Ignatius, quando P. Laines ab ipſo dimiſſo, quid etiam minimum ſubſidii denegavit. Melior enim legis declaratio haberi non poteſt, quàm illa, quæ ex ipſius legislatoris ore procedit, *leg. hæredes palam, & §. Si quis poſt, ff. de teſtam. & qui teſtam. facer. poſſ.* Rota cor. Coccino *dec.* 1680. *num.* 155. & *par.* 19. *recent. dec.* 385. *num.* 37.

66 Multò minus obſtare poteſt Sacrum Concilium Tridentinum *dict. cap.* 2. *ſeſſ.* 21. *de reformat.* in quo prohibetur, quod nemo promoveri poſſit ad Sacerdotium ſine beneficio, vel patrimonio, ne mendicare cogatur. Quia Conciliaris diſpoſitio non comprehendit Regulares, multòque minus Religioſos Societatis Jeſu, ut ſuperiùs dictum eſt, nec illos ligat Conſtitutio 75. B. Pii V. extenſiva Concilii ad omnes Regulares. Quia dicta Conſtitutio ſublata fuit ab aliis Conſtitutionibus Gregorii XIII. & Gregorii XIV. ſupracitatis, & tradunt Piaſec. *in pr. Epiſcop. art.* 7. *num.* 9. Peyr. *de privileg. Regul. in conſtitut.* 2. *Sixti Quarti, numer.* 37. *ad med.* Vulp. *in pr. for. Eccleſ. cap.* 8. *num.* 16. Gobat. *moral. tract.* 8. *caſ.* 16. *num.* 644. *tom.* 2. Bellett. *diſq. Cler. par.* 2. §. 28. *num.* 12.

67 Hinc non ſubintrat paritas, quod ſicuti Epiſcopus qui ſine titulo aliquem ordinat, tenetur illum alimentare, donec de beneficio provideat, ita etiam tenetur Religio, quæ ſuos promoveri facit Religioſos titulo religioſæ paupertatis, ne cogantur mendicare in dedecus Ordinis, quem etiam dimiſſi exercent. Nam Epiſcopi ligati ſunt Conciliari diſpoſitione, non autem Societas, cui Pontifices privilegium dederunt, ut promoveri faciat ſuos Religioſos ſine Beneficio, vel patrimonio. Quinimmò etiam Religioſis dictæ Societatis gratiam fecerunt, ut dimiſſi etiam ſine beneficio Sacerdotes remaneant. Si autem Societas teneretur dimiſſos alere, non haberent privilegium, ſed onus poſitivum, & quidem intolerabile, ut ſupra oſtenſum fuit. Et ideò privilegium in onus, ac odium retorqueretur, contra Textum *in l. Quod favore, C. de ligat.* Surd. *conſ.* 351. *num.* 68. & *conſ.* 426. *num.* 16. Rota coram Celſo *dec.* 326. *num.* 13. paſſimque alibi.

Neque in dimiſſis Societatis conſiderari poteſt ſuſpi- 68
cio mendicitatis. Quia in Religione tot ſcientias acquirunt, ut annuatim cum earum exercitio acquirere poſſint pluſquam ſcuta quadraginta, quæ ex verberata grandine vinea, vel prædio valoris ſcutorum mille percipere poſſunt, niſi ab omni ſe labore velint excutere, ut experientia uſque in hæc tempora, quibus nullus dimiſſus mendicare viſus fuit, manifeſtè docuit, de qua etiam teſtantur Card. Pallav. *d. cap.* 34. Pelliz. *d. cap.* 6. *num.* 20. & ſiemavi *tom.* 5. *conſult.* 77. *num.* 44. ubi hac de re plura.

Et certè Summi Pontifices in promotione Religioſo- 69
rum Societatis, quorum poſteà dimiſſionem liberam indulſerunt, non habuerunt alium reſpectum, niſi ad ſcientias, quas acquiſiverint in Religione, ut dimiſſi vivere poſſint, non verò ad modicum ſexcentorum, vel octingentorum aureorum patrimonium, temporum viciſſitudinibus quandoque noxiis ſubjectum, ut declaravit Gregorius XIII. in ſua Conſtitutione 77. §. 2. *in fine*, ibi, *Quamvis nonniſi ad eoſdem Ordines ſuſcipiendos numeris alioquin omnibus idonei dimittantur.* Unde ſicuti ſi Epiſcopus ex privilegio Sedis Apoſtolicæ ſuos diœcesanos ſine titulo promoveret, ad nihilum teneretur, ita neque tenetur Societas, quæ ex privilegio Pontificum promovet ſuos Religioſos ſine titulo patrimonii, ſed cum majori beneficio ſcientiarum, quæ exiguo patrimonio tutiores ſunt, ac pro patrimonio admitti poſſunt, ut per Dian. *in ſumm. verſ. Ordinis ſubjectum num.* 18. Avil. *de cenſur. par.* 3. *diſput.* 5. *dub.* 16. Henriq. *Theol. mor. lib.* 13. *cap.* 35. *in Gloſſ. literam* N. Gabr. a S. Vincent. *de Sacram. diſput.* 2. *qu.* 4. *num.* 44. Gonzal. *ad reg.* 8. *Cancell. Gloſſ.* 4. *num.* 36. Gratian. *diſcept.* 57. *num.* 30. de quo tamen nos alibi.

Et in hoc caſu ceſſare videtur omnis difficultas. Quia 70
Summi Pontifices Collegialibus, ſub directione Patrum Jeſuitarum degentibus, privilegia indulſerunt, ut ſine beneficio, vel titulo ad Ordines promoveantur, ut ſunt alumni Græci, Germanici, Illyrici, Pragenſes, Fuldenſes, ac ſimiles, de quibus extant Conſtitutiones Urbani VIII. 64. §. 10. 66. §. 11. 67. §. 9. & 96. §. 12. non quidem alio penſato, niſi pinguiori titulo ſcientiarum, quas illi acquirunt in Collegiis. Quapropter multò fortiùs dicendum eſt, quod idem privilegium conceſſerint Religioſis Societatis, quia major ita ſtatuendi ratio concurrit quoad dictos Religioſos, quàm quoad dictos alumnos, dum major in illis ſcientiarum copia concurrit, maximè quia expreſsè decreverunt, quod Religioſi promoveantur ſine aliqua promiſſione, vel obligatione Societatis, ut ſupra probatum eſt.

Atque ita demum eadem Sacra Congregatio Concilii 71
in Panormitana Congruæ declaravit, ut ex ſequentis decreti gravitate.

Panormitana Congruæ. Præpoſita hujuſmodi cauſa die- 72
bus 11. & 25. *Septembris* 1694. *cum dubiis infraſcriptis dilata fuit, ac precibus Patris Generalis Sanctiſſimo porrectis, ac Secretario remiſſis: A Monſignor Segretario, che ne parli, inſtantiis pro diſcuſſione dubii, quoad perſonam Vaccarini dumtaxat, Sanctitas ſub die* 2. *Decembris* 1694. *audita relatione per Secretarium facta, mandavit eidem, ut ſuſpenſa dubii propoſitione in abſtracto, idem dubium proponatur in concreto tantùm, ac in caſu particulari dimiſſionis Sacerdotis Georgii Vaccarini, nec interim ultra eſſe innovandum, ne fiat in Societate Jeſu turbatio, ac ſtatus ejuſdem immutatio. Quare dignetur EE. VV. benigniter reaſſumere folium, & jura tranſmiſſa dicta die* 11. *Septembris* 1694. *& parte utrinque informante decernere.*

Primò, An Georgio Vaccarino ordinato Sacerdoti ad ti- 73
tulum religioſæ paupertatis in Societate Jeſu, & deindè ab ea dimiſſo, debeatur congrua portio ſaltem aureorum quadraginta ſcutorum?

Secundò, An eidem ſint ſubminiſtranda alimenta, & ſumptus litis?

Die 28. *Maji* 1695. *Sacra Congregatio Concilii, juri-* 74
bus ab utraque Parte deductis maturè perpenſis, ad utramque reſpondit, negativè. Et facta de præmiſſis relatione Sanctiſſimo in audientia habita die 4. *Junii* 1695. *unà cum votis Eminentiſſimorum PP. quatuor pro dilatione ex novem, & quinque pro dicta reſolutione, Sanctitas ſua inhærendo decreto, & menti alias* 2. *Decembris* 1694. *expreſ-*

expressæ, favorabilem Societati Jesu sententiam Congregationis approbavit, & mandavit. Vaccarinum non esse amplius audiendum, ac in posterum nihil innovandum, inconsulta Sanctitate sua, &c.

75 His subjicio, tanquam in epilogum antea dictorum, Placita, & Decreta Summorum Pontificum, &c.

PLACITA, ET DECRETA

Summorum Pontificum, necnon Decreta Sacr. Congregationis Concilii Tridentini, in causis prætensæ congruæ, seu præstationis alimentorum, a Sacerdotibus dimissis e Societate Jesu, non semel propositæ; quorum instantia perpetuò fuit, constanterque rejecta, ex typographia Cameræ Apostolicæ Superiorum facultate anno 1696.

I.

PAULUS III. qui primus Societatis Institutum approbavit, ejusque Successores JULIUS III. MARCELLUS II. PAULUS IV. & PIUS IV. quamvis in ipso Societatis primordio intellexerint, nonnullos Sacerdotes, eosque pauperes, veluti beneficio, patrimonio, & pensione destitutos aliquando dimitti, nihil tamen de rebus ejusdem Instituti, signanter ad dimissionem pertinentibus immutarunt.

II.

B. PIO V. sedente, Nicolaus Ormanetus, tunc in Curia degens, olim S. Caroli Borromæi in Archiepiscopatu Mediolanensi Vicarius Generalis, Episcopus exindè Patavinus renunciatus, primam de Congrua Alimentari præstanda Sacerdotibus pauperibus, e Societate dimissis quæstionem instituit, & dubium super hac re, anno 1567. cùm aliis dubiis, ad suimet instructionem FRANCISCO CARDINALI ALCIATO proposuit. Qui cùm materias Conciliares ageret, veluti aliter ex Sacr. Congregationis Concilii Præsidibus, Societate inaudita, ejusque Instituto inexpenso, quadraginta icuta aurea annuatim esse a Societate præstanda censuit, & hoc judicium suum in calce dubiorum adnotavit. Hæcque adnotatio tantam nonnullis Authoribus ansam credulitatis præbuit, ut Decretum esse Sacr. Congregationis Concilii ausi sint asserere; cum revera pro legitimo, & valido Decreto ab eadem Sacr. Congregatione successivis hucusque temporibus nunquam habitum fuerit; illudque ideò a dignioris notæ, & sanioris doctrinæ Scriptoribus improbetur. Quinimmò BEATISSIMUS PIUS Congruam, seu Alimentorum præstationem hujusmodi, uti inconsonam, & indebitam (nunquam relationibus sibi factis annuendo) constantissimè repressit, sed potius mandavit, ut Religiosi Societatis, more aliorum Regularium profiteri tenerentur, antequam promoverentur ad Sacros Ordines. Quare anno sequenti 1568. *pridiè Idus Octobris*, Constitutionem edidit Decreti Concilii Tridentini *sess.* 21. *cap.* 2. *de reform.* de Clericis sæcularibus absque titulo Beneficii, seu Patrimonii, ad Sacros Ordines non promovendis, ad Clericos etiam Regulares non professos extensivam.

Sed maximum ex hac Sacerdotum promovendorum dilatione detrimentum Societati obveniret, rumoreque latè diffuso, a B. Pontifice Societatis Institutum, prout in aliis Religiosis Ordinibus incœptum fuerat, multifariam immutandum; FRANCISCUS CARDIN. PACHECUS, S. Francisco Borgia, tunc Præposito Generali Societatis rogante, B. Pii animum eplorare studuit, qui teste Franc. Sacch. Andr. Victor. Christoph. Gomez, & aliis, exclamasse, fertur in hæc verba. *Absit a nobis hoc grande peccatum. Videmus Deo complacitum in his famulis suis, perque eos utilitates Ecclesiæ suæ præclaras afferre. Dum ita vivent, non est, quod negotium eis quisquam faceſſat, sed ut favorem potius, atque patrocinium accomodet, qui secundùm vitæ suæ formam servitio se Divino impendant.* Hæc Sanctissimus Pontifex. Nec sanè de cætero aliter se ipse gessit; Quin & Societatem amplis favoribus, & indultis cumulavit.

III.

GREGORIUS XIII. Cui Societatis nonnulla postulata obtulit, pro recto ipsius regimine, ad Instituti sui normam, præsertim in iis, quæ ad Religiosos spectant, ante solemnem professionem Sacris Ordinibus initiandos; postulata eadem unà cum Instituto ad trutinam revocato examinanda, & perpendenda tradidit quatuor S. R. E. Cardinalibus, non minus probitate, quàm doctrina, rerum experimento, & prudentia illustribus, nimirum S. Carolo Borromeo, Joanni Aldobrandino, Gabrieli Paleotto, & Paulo Aretino, quorum Consilio, die ultima Februarii 1573. in Constitutione sua, incipiente, *Ex Sedis Apostolicæ benignitate*, Religiosis Societatis indulsit, ut ad Sacros Ordines promoveri possent, post vota simplicia duntaxat, ante solemnem professionem, *non obstantibus Constitutionibus Apostolicis, & in specie Constitutione Pii V. Prædecessoris Nostri* (sunt verba Pontificis) *qua Decretum Concilii Tridentini, quod incipit, Cùm non deceat, ad Clericos Regulares non professos extendit, cæterisque contrariis quibuscunque.*

Hujusce Constitutionis vigore, qua derogatum fuit Concilio Tridentino, in ea parte, cui Sacerdotes dimissi, pro alimentis consequendis innituntur, quæcunque etiam eorumdem alimentorum præstatio Sacerdotibus ipsis, licèt absque beneficio, aut patrimonio promotis, exindèque dimissis, ex conciliari interpretatione quomodocunque dimanans, fuit proculdubio proscripta. Præterea idem Pontifex, Societatis Institutum pluribus adjectis privilegiis, promovendæ Catholicæ Religionis zelo, bonarumque artium studio confirmavit.

IV.

SIXTUS V. Etsi Societatis Institutum meditatus aliquando fuerit in re aliqua alterare; Nihilominus factum maturiùs advertens, professus est, Institutum idem utile omninò esse Ecclesiæ Sanctæ, illudque intactum, inviolatumque servavit.

Proindè nulla ratione subsistit, quod Molfesius, Barbosa, & alii eorum asseclæ allegarunt, de quadam declaratione Sixti V. super alimentis Sacerdoti dimisso præstandis; quasi fuerit prætensæ Congruæ 40. aureorum annuorum confirmatoria. Declarationem enim hujusmodi neque edidit, neque etiam sibi suasit hic Pontifex. Adhibitæ quippè sunt possibiles, & exquisitissimæ diligentiæ, ad eam observandum in fonte suo, vel in Scriptoribus, qui tempus, locum, aut aliquam circumstantiam indicarent, ubi inveniri posset, sed frustra. Scriptores Sixto V. contemporanei, nihil prorsus de hac declaratione retulerunt. Prosper Fagnanus, qui per quinquaginta, & ultra annos in Curia versatur, variarum Congregationum, præcipuè Episcoporum, & Regularium, itemque Concilii longo tempore Secretarius, & in suis in Decretales Commentariis, plura de rebus Societatis collegit, plurima etiam Decreta earundem Sacrarum Congregationum recensuit, de supposita tamen declaratione Sixti V. prout de asserto Decreto super congrua 40. aureorum annuorum, nec verbum quidem protulit. (protulisset tamen, si vera fuissent) Cæteri quoque Scriptores antiquiores, qui melius rem nosse peterant, nihil penitùs de hisce Decreto, & Declaratione differuerunt. Unde fateri cogimur, declarationem ipsam a veritate absonam, & merum esse commentum.

V.

GREGORIUS XIV. Institutum Societatis approbavit, confirmavitque; præsertim modum, & formam dimissionum explicando, & quorumdam impugnationes die 4. Kalendas Junii 1591. Apostolica Sanctione retulit.

VI.

CLEMENS VIII. cui oblatus fuerat, die 21. Aprilis 1597. supplex libellus, ab incerta Persona, pro Sacerdotibus e Societate dimissis, ut ne ad egestatem, & mendicitatem cogerentur, de aliquo remedio providere dignaretur, HJERONYMO CARDINALI MATTHÆJO, prudentia, fide, & integritate probatissimo, qui alter erat ex Cardinalibus Sacr. Congregationis Concilii, libelli materiam disquirendam commisit; Qui ea seriò, & accuratè discussa, Pontifici retulit, aliàs hoc negotium, per Summos Pontifices, & Congregationem S. Officii, fuisse examinatum, & intactum demum relictum. Pontifex, iis auditis, eandem etiam rem integram Societati reliquit, Laur. de Paul. *in diar. pag.* 48. & *decr.* 3. *Congr. Gen.* 7. §. 8.

VII.

VII.

PAULUS V. qui inſtitutum Societatis, anteà ex ejus mandato diſcuſſum anno 1606. pridiè nonas Septembris ſpeciali Conſtitutione probaverat, viſo ſupplici libello, ſibi oblato, anno 1615. a quodam Sacerdote e Societate dimiſſo, alimenta petente, illum ROBERTO CARDINALI BELLARMINO remiſit, ut Patribus Societatis in Congregatione tunc Generali Septima convocatis, proſpiciendum proponeret, quid facto opus eſſet, circa Sacerdotes è Societate dimiſſos; Congregatio autem Pontificem omni animi ſubmiſſione rogavit, ut Societatis Jura, receptamque conſuetudinem tueri dignaretur, pluribuſque argumentis oſtendit, nihil in hac re immutandum fore, *eod. decret. 3. Congreg. Gen. 7. §. 8.* nihilque adeò a Summo Pontifice immutandum eſt.

VIII.

URBANO VIII. libellum ſupplicem exhibuerat anno 1630. Coſimus Curmus, Sacerdos e Societate dimiſſus pro alimentis ob inopiam exigendis, & Sacr. Congregationi Epiſcoporum, & Regularium a Pontifice remiſſum; cujus tunc obibat munus a Secretis præfatus Proſper Fagnanus, qui cùm audiſſet Coſimum actionis ſuæ ſuppetias quærere a prætenſo Decreto Congruæ 40. aureorum, & ab aſſerta Sixti V. declaratione; ille ut erat rei peritiſſimus, Sacerdotem hunc a proſequenda cauſa dimoviſſe creditur, & ab errore, ſeu fallacia deduxiſſe, quoniam actione deſerta receſſit.

IX.

ALEXANDRO VII. in ſupremo Solio imperante, Archiepiſcopus Limanus in Indiis petiit a Sacra Congregatione Concilii declarari; *An Patres Societatis JESU in Sacris Conſtituti, juxta Indulta, & Privilegia ejuſdem Ordinis, & poſteà dimiſſi, ſeu ejecti, abſque patrimonii, aut beneficii Eccleſiaſtici aſſignatione, ad propriam ſuſtentationem competente juxta decretum Concilii Tridentini cap. 2. ſeſſ. 21. de reform. habeantur, ut ſuſpenſi ob exequutione præfatorum Ordinum, & quatenus non ſint ſuſpenſi, an Religio teneatur illis providere de honeſto victu, ſaltem in reddito 40. aureorum donec ſufficiens beneficium fuerint aſſequuti.*

Die 11. Februarii 1662. Sacr. Congregatio reſpondit, Religioſos Societatis poſt tria vota ſimplicia duntaxat, vigore Privilegiorum ejuſdem Societatis dimiſſos, non comprehendi in Conſtitutione Urbani VIII. de Apoſtatis, & Ejectis; QUOAD RELIQUA, NIHIL INNOVANDUM.

X.

AD CLEMENTEM X. anno 1672. recurſum habuit Martinianus Battle, Gerundenſis Sacerdos e Societate dimiſſus, ut Sanctitas Sua injungere dignaretur Præpoſito Generali Societatis, de illi ſolvendo ſingulis annis ſcuta 40. annua ex bonis Religionis, ad mentem (ut ille ajebat) Decretis Sacr. Congregationis Concilii, & declarationis Sixti V. libellum verò Pontifex Sacr. Congregationi Concilii tranſmiſit ut rem diſquireret, & reſolveret. Propoſito igitur dubio, *An Oratori provideri debeat de dicto annuo reddito ſuper bonis Religionis?*

Die 4. Junii 1672. Sacra Congregatio perpenſis deductis tum pro parte Oratoris; tum pro parte Religionis, reſpondit, NIHIL ESSE INNOVANDUM.

XI.

Sub cæteris Pontificibus, quotquot a Societatis exordio, uſque nunc imperarunt; nempè ſub URBANO VII. INNOCENTIO IX. LEONE XI. GREGORIO XV. INNOCENTIO X. CLEMENTE IX. ET ALEXANDRO VIII. vel nulla excitata fuit de hac re controverſia, vel nec aurem quidem iidem Summi Pontifices hujuſmodi petitionibus inclinarunt; cùm nullum reperiatur hiſce temporibus de eadem quæſtione monumentum.

SANCTISSIMO demum INNOCENTIO XII. Pontificatus ſui imperium ad præſens feliciter tenent, Georgius Vaccarinus, Sacerdos Siculus anno 1690. è Societate dimiſſus, actionem de alimentis conſequendis anno 1694. antiquis & recoctis argumentis innixus, recens inſtauratis: libellum ſupplicem eidem Sanctiſſimo obtulit, Sacr. Congregationi Concilii remiſſum; coram qua dimiſſorum etiam omnium jura, non minus quàm ſua, item alimenta, & ſumptus litis petens, accerrimè propugnare conatus eſt: In qua cauſa decreta infraſcripta Sanctiſſimi, & Sacr. Congregationis emanarunt.

2. Inſtante eodem Vaccarino, ut reſolveretur dubium, tàm in abſtracto, pro intereſſe quorumcunque dimiſſorum, quàm in concreto, pro ſuomet intereſſe, & è contra rogante Societate Sanctiſſimum, ut inſpiciendum mandaret factum duntaxat Vaccarini, *Sanctitas Sua, audita relatione ſibi facta de ſpeciali ejus commiſſione ab Illuſtriſſimo, & Reverendiſſimo D. Raynutio Pallavicino, tunc S. Congregationis Secretario, nunc Urbis Gubernatore, die 2. Decembris 1694. mandavit, ut ſuſpenſa propoſitione in abſtracto, dubium proponeretur in concreto tantùm, ac in caſu particulari Sacerdotis Georgii Vaccarini, nec ultra eſſe innovandum, ne fiat in Societate JESU turbatio, ac ſtatus ejuſdem immutatio.*

2. Hujuſce Decreti virtute, duplex itaque dubium fuit in Sacr. Congregatione propoſitum, pro intereſſe petentis tantummodò. *Primò, An Georgio Vaccarino ordinato Sacerdoti, ad titulum Religioſæ paupertatis, in Societate JESU, & deindè ab ea dimiſſo, debeatur congrua portio, ſaltem aureorum quadraginta annuorum? Secundò, An eidem ſint ſubminiſtranda alimenta, & ſumptus litis?*

Die 28. Maji 1695. S. Congregatio, juribus ab utraque parte deductis maturè perpenſis, ad utrumque reſpondit negativè.

3. Et facta de præmiſſis, ab eodem Illuſtriſſimo, & Reverendiſſimo D. Pallavicino Secretario relatione Sanctiſſimo die 4. Junii 1695. SANCTITAS SUA FAVORABILEM SOCIETATI SENTENTIAM S. CONGREGATIONIS APPROBAVIT, ET MANDAVIT, VACCARINUM NON ESSE AMPLIUS AUDIENDUM ET IN POSTERUM NIHIL INNOVANDUM.

4. Exploſam hanc in concreto inſtantiam, eam in abſtracto reaſſumpſit Vacccarinus, ſupplici oblato Sacr. Congregationi libello, ubi tria dubia reſolvenda propoſuit. *Primò, An Sacerdotes e Societate dimiſſi, abſque congrua, in Sacerdotio remanere poſſint? Secundò, An ad hanc congruam Societas teneatur? Tertiò, Et quatenus Societas non teneatur, ad quem congruæ onus pertineat?*

Die 11. Junii 1695. Sacra Congregatio inſtantiam rejecit; reſcriptumque eſt, DILATA, ideſt *Nihil.*

5. Sanctiſſimi mentem Vaccarinus alio ſupplici libello recuſo, in publica audientia retentavit, petiitque cauſam committi de voto Rotæ.

Sanctitas verò ſua die 16. Julii 1695. referente eodem Illuſtriſſimo, & Reverendiſſimo D. Pallavicino Secretario, ex commiſſione ſpeciali ſibi facta, STETIT IN DECRETIS 4. JUNII PRÆDICTI.

6. Rurſus in alia publica audientia Vaccarinus ſupplicem libellum Sanctiſſimo exhibuit, rogans ſibi, & cæteris Sacerdotibus e Societate dimiſſis alimenta præſtari, ſub prætextu novę ſcripturæ, repertæ in libris ejuſdem Sacr. Congregationis, in qua (ut ipſe aſſerebat) ſeipſam ad hanc præſtationem obligaverat: Societate tamen exadverſo ipſius ſcripturæ futilitatem, levitatemque plurimis rationibus confirmante, cujus tenorem olim, & aliàs in præcedentibus cauſis expenſum, & refricatum, atque noviſſimè animadverſum S. Congregatio neglexit.

Sanctitas ſua die 27. Julii 1695. *reſcripſit*, ACQUIESCAT.

7. Nec tamen acquieſcente Vaccarino, novumque ſupplicem libellum Summo Pontifici offerente, pro exequutione præfatæ (inanis) ſcripturæ, ut a paupertate ſublevaretur, & creditoribus ſuis ſatisfacere poſſet.

Die 8. Septembris 1695. referente eodem Illuſtriſſimo, & Reverendiſſimo D. Pallavicino Secretario, ex commiſſione ſpeciali ſibi facta, SANCTITAS SUA MANDAVIT ORATOREM ACQUIESCERE DEBERE, ET AMPLIUS NON AUDIRI, QUIBUSCUNQUE ETIAM DE NOVO SUPPLICATIS NON OBSTANTIBUS.

8. Alias item preces in ſequenti publica audientia Vaccarinus reformato libello coram SANCTISSIMO ſubrogavit, reſcriptumque obripuit die 26. prædicti Septembris, remiſſionis præfacti libelli ad Sacram Congregationem Concilii, ſed obreptione a Societate intellecta, juribuſque ejus juxta facti ſeriem expoſitis.

Die prima Octobris 1695. SANCTISSIMUS, attenta relatione præfacti Illuſtriſſimi, & Reverendiſſimi D. Pallavi-

lavicini Secretarii, de iis omnibus, quæ ad causam pertinebat, ex speciali commissione sibi facta. STETIT IN DECRETIS, VACCARINUM NON ESSE AMPLIUS AUDIENDUM, ET ILLIUS INSTANTIÆ SILENTIUM IMPONI MANDAVIT.

9. Siluit per aliquot menses Vaccarinus, & cùm videret integram, & rectam SANCTISSIMI constantiam, in ejus petitionibus refellendis, novam a S. Congregatione Concilii audientiam obtinere studuit, supplici oblato libello, antiquas propositiones repetente.

Die 14. Aprilis 1696. S. Congregatio instantiam rejecit, scriptumque, LECTUM; ideſt *Nihil.*

Porrò præstationem hanc alimentorum membris a suo corpore perpetuò abscissis, quam Sacerdotes dimissi sibi deberi contendunt, (hi autem illam prætendentes pauciſſimi sunt, & vix sex ex iis, centum & quinquaginta annorum intervallo apparuerunt, plurimi quidem fortasse in posterum surrecturi, si aditus iste aperiretur,) nullatenus esse debitam, in tractatu opportunè evulgando firmabitur, nec scilicet de jure Naturali, nec de jure Canonico, nec de jure Civili, nec ex Conciliorum Generalium, præsertim Tridentini dispositione, nec Instituto Societatis, nec ex Constitutionibus Summorum Pontificum, nec ex Sacrarum Congregationum responsis, nec ex Statutis Synodalibus Episcoporum, nec ex quibusve Supremorum Tribunalium judiciis, nec ex solidioribus Scriptorum sententiis, nec ex unconcussa, & inviolata Societatis praxi, & observantia, nec ex meliori Ecclesiæ Sanctæ bono, nec ex utilitate Christianæ Reipublicæ, nec ex motivis prudentialibus, nec in subsidium benigno Judicis officio, ubi etiam æquivoca super asserto decreto de congrua scutorum 40. & alia in hac hypothesi deteguntur. Adversariorum fallaciis undequaque occurritur, objecta quæcunque excogitata removentur, Authorum quorundam conspiratio evertitur, turbationes, quæ in Societate fierent, scandala, & mala eventura, eaque desperato remedio indicantur. Et demùm ostenditur, impracticabilem omninò esse hanc alimentorum præstationem, nisi Societatis Institutum toties a Sancta Sede Apostolica confirmatum, integrum etiam servatum, susdeque vertatur, illiusque substantialia convellantur,

Hucusque decreta.

Cæterùm pro omnibus aliis Regularibus quibuscunque tertium edico, rem hanc indigere Apostolica Constitutione, qua statuatur, ut quod Summus Pontifex Pius V. in explicatione decreti Concilii Tridentini, quod est in *sess. 22. cap.* 2. constituit, exequtionem habeat: Episcopus, ne Clericum ullum regularem, neque sæcularem, qui Regularium more in communi vitæ disciplina sit, beneficiumque Ecclesiasticum non habeat, Ordinibus Sacris adscribat, nisi a superiore fidem ille attulerit, se religionis, cui adscriptus est, professionem confeciſſe, juratusque affirmet scripto manu sua signato coram Episcopo, se id sponte feciſſe, aut ratam habuisse, illud autem scriptum in Archivio asservandum Episcopus curet.

Decreti istius æquitas ex eo patet, quod cùm loco tituli Ecclesiastici sit regularis professio, sicut Ecclesiasticum titulum Ordinatori suo comprobare debent sæculares ordinandi, quia ipsius est cavere, ne sine eo titulo, seu beneficii, seu patrimonii facta ordinatio vitiosa sit, ita apud eundem de regulari professione emissa ordinandos Regulares testari oporteat, ne ad titulum Monasterii falsò aliqui ordinentur, & professionem regularem ideò mentiantur.

Quia verò vel extorta, vel antè ætatem facta, vel ante probationem annuam, vel aliis ejusmodi conditionibus necessariis destituta, regularis professio nulla est, nisi rata habeatur, consultò additur illa regularis professionis coram Episcopo ratæ habendæ formula, ab iis, qui ordinandi sunt, servanda, ne abolita posteà professione, absque titulo ullo quis ordinatus remaneat, & ita cum ordinis dedecore mendicare, aut sordidum aliquem quæstum exercere cogatur, cujus rei vitandæ causa Concilium Tridentinum impositam ordinandis hanc legem firmavit, ut sine titulo beneficii, vel patrimonii ad victum sufficientis promoveri nemo possit.

Huic verò Clericalis Ordinis infamiæ vitandæ non hac solùm, sed alia etiam ratione providendum est, ut Regulares quicunque (Jesuitas semper excipimus ob causas superius adductas) sine literis Superiorum suorum; quibus constet eos vota Religionis emisisse, non ordinentur, promoti verò, si quando ab hujusmodi Superioribus pro criminis exigentia puniri conveniat, & urgeat necessitas, ne possint tamen habitu Religionis privari, itaut extra Monasteria in contemptum Ecclesiæ, dejiciantur mendicaturi, sed intra eorundem Monasteriorum septa detineri, puniri, & sustentari, & ad id prædicti Superiores per Ordinarios compellantur.

Unde nemo Regularium ordinandus, nisi Monasteria, domus religiosæ, sive Conventus, in quibus professionem emiserit quicunque ordinandus est, spondeant, se ei quolibet prætextu, specie, vel occasione ejecto, ex suis redditibus alimenta datura, ne in dedecus Cleri stipem corrogare cogatur. Satius enim est, onus aliquod Monasteriis, aut religiosis domibus imponi, quàm universum Clericalem Ordinem mendicantis Clerici vilitate dehonestari. Æquum quoque est, religiosarum domuum impensis infamiam Clericalis Ordinis devitari, eam præsertim, quæ ex procurato religiosarum domuum per ordinationes splendore, atque utilitate oriretur.

Id precor, id opto, id voveo pro arcendo hoc probro ab Ecclesia. Utinam Deus nobis occurrat in precibus, in optatis, in votis.

CONSULTATIO XCIII.

An, dum Episcopus est in possessione jurisdictionis in Clerum, & Populum alicujus loci, cujus exemptio controvertitur, possit punire, nedum censuris Ecclesiasticis, sed etiam carceribus prætensis exemptos, de facto Episcopum in dicta sua jurisdictione turbantes?

Et ad quem Judicem pertineat cognitio hujus causæ, aliarumque hujusmodi, an ad Sacram Congregationem super Episcopis, & Regularibus, an ad Sacram Congretionem Concilii, an verò ad Sacram Rotam?

AD primum respondeo affirmativè. Quia nulla datur exemptio, quæ suffragetur, ad hunc effectum Judicis turbati, sive cujus aures offensæ sunt, cùm defensio propriæ professionis, & jurisdictionis sit etiam de jure naturæ. Unde Episcopus rectè procederet, se defendendo adversus turbatores. Excepto enim casu exemptionis ab omnimoda incompetentia jurisdictionis, qualis est illa Judicis laici in Clericos, non datur privilegium exemptionis, quod suffragetur adversus jurisdictionem Judicis alioquin competentis a jure concessum ob ejus offensionem juxta terminos *cap. 1. de offic. delegat. cap. tam literis de testib.* cum aliis apud Farinac. *quæst.* 114. *num.* 67. *& seqq.* ubi quod nemine discrepante, id omnes admittunt, estque juris principium absolutum, ut per eundem Farinac. *cons.* 134. *num.* 4. *& 5. vol.* 2. ubi de familiaribus Cardinalium, quos certum est habere amplam exemptionem a jurisdictione Ordinariorum. Immò, licèt aliquis in rebus indifferentibus esset exemptus a jurisdictionem Episcopi, attamen ob turbatam Episcopi jurisdictionem, eumque offensum, efficitur ejus subditus, ac justè puniri poterit. 1

Et sanè cùm Episcopus habeat assistentiam juris in omnibus locis, & Ecclesiis sitis intra suam Diœcesim, *can. Omnes Basilicæ* 17. *quæst.* 7. Concil. Trident. *cap.* 8. *sess.* 7. *de reform.* ac Rota *decis.* 501. *num.* 1. *p.* 2. *rec.* præcipuè si habeat immemorabilem, & pacificam possessionem exercendi plenariam jurisdictionem in Loco, Clero, Populo, & Ecclesiis, quod constare poterit ex collationibus beneficiorum, visitationibus, ordinationibus sacris, processibus, & sententiis in causis, aliisque actibus jurisdictionalibus antiquis, & recentibus extractis ab Archivio Episcopali, ut probant Buratt. *decis.* 667. *num.* 5. ubi Adden. *num.* 13. *& seqq.* Coccin. *decis.* 128. *num.* 3. utique poterit continuare suam possessionem, illamque defendere, ac procedere contra quoscunque turbatores, etiam per censuras *dict. cap.* 1. *de offic. deleg.* ubi Innocentius, ac Decian. *numer.* 2. & Joan. Andreas *num.* 11. 2

Quod quidem habet locum tàm in delegato, quàm in Judice Ordinario, ut pluribus rationibus, & authoritatibus firmat Farinac. *de crim. læs. majest. quæst.* 114. *numer.* 76. *cum aliis seqq.* Prout etiam poterit procedere criminaliter ad carcerationem, ut post cæteros, quos allegat, tradit idem Farinac. *loc. cit. num.* 1. *& seqq.* Etiamsi turbans esset exemptus a jurisdictione Episcopali. Nam ratione delicti, ac turbatæ jurisdictionis efficitur subditus ex eodem Farinac. *dict. quæst.* 114. *numer.* 67. *& 79.* 3

Ac ita quidem, ut non obstaret, si turbator diceret, quod fuerit malè tractatos in carceribus. Si enim testes essent examinati pro informatione Curiæ, Parte non citata, non probant, Farinac. *de testib. quæst.* 72. *numer.* 87. *& seqq.* Præcipuè autem si testes essent vasalli, & subditi in temporalibus domini loci controversi, Gloss. *in can. de formæ propè fin.* 12. *quæst.* 5. Aufrer. *de reprob.* 4

testium

teſtium numer, 94. Gabriel. *de teſtibus libr.* 1. *concluſ.* 10. *numer.* 22. Quoniam vaſallus non eſt integræ fidei, & ei non creditur, quando eſt ſubditus ratione juriſdictionis, & agitur de probando factum, vel dictum in loco illius Domini, cujus teſtis productus eſt ſubditus, Boſſ. *in titul. de oppoſit. contra teſt. num. 99. poſt med.*

5 Eòque magis id locum habet in vaſallis, & ſubditis angariis, & perangariis, cùm habeantur pro vilibus perſonis, & valdè ſubjectis ſuo Domino, ut eis minus ſit credendum, Afflict. *deciſion.* 304. *numer.* 14. ibique Urſil. *num.* 6. Grammat. *conſil.* 21. *num.* 31. Gabr. *loc. cit. num.* 25. aguntque cauſam propriam, ut ita eximantur a juriſdictione Epiſcopi, ejuſque lege Diœceſana. Et obſervandum, quod omnes Doctores admittentes teſtimonium ſubditorum, & vaſallorum pro eorum Dominis, vel Superioribus procedunt cum duplici temperamento. Primò, nempè quod ſint perſonæ qualificatæ. Secundò, quod nullum habeant intereſſe in cauſa, ut conſtat ex Afflict. *d. deciſ.* 304. Pegna *dec.* 521. & aliis.

6 Ad ſecundum reſpondeo, ſpectare ad Rotam, in qua formiter tractari debet cum probationibus, & formali proceſſu, quem ex præſcripto Conſtitutionis 74. Sixti V. quam decreto ſuo innovavit, & declaravit Sanctiſſimus Dominus Noſter Innocentius XII. quod huic conſultationi ſubjicimus, Sacræ Congregationes non conficiunt, prout in ſimilibus controverſiis perpetuò ſervatum eſt, ut ex cauſis Sancti Angeli Lombardorum, nullius, ſeu Beneventanæ juriſdictionis, de quibus extant deciſiones, & ex Toletana juriſdictionis 9. Maji 1659. 21. Maji 1660. ac 27. Januarii 1662. coram Bevilaqua, & in eadem 10. Junii 1661. coram Taya; Unde pars adverſa deducere debet in Sacra Rota ſuas rationes, quibus approbatis per tres conformes, aut per rem judicatam, Epiſcopus abſtinebit ab exercitio ſuæ juriſdictionis, in qua ſemper fundatam habet intentionem, & manutenendus eſt, donec per tres conformes, aut per rem judicatam firmata fuerit qualitas nullius cum Territorio ſeparato, ut pleniſſimè probatur in allegata Toletana coram Bevilaqua, & Taya, de quo nos alibi, & quotidiè ſervatur in Sacra Congregatione Concilii, præſertim ſub anno 1660. & 1662. in Vulturiarenſi contra S. Religionem Hieroſolymitanam, & in Anglonenſi, in quibus Prælatus inferior erat de facto in poſſeſſione exercitii juriſdictionis ſpiritualis per tempus antiquiſſimum, prout in eadem poſſeſſione erat magnus Prior Caſtellæ in citata Toletana coram Bevilaqua, & Taya.

7 Nec datur amplior exemptio, quam conceſſa per Pium IV. in ſua Conſtitutione 9. Sacræ Religioni Hieroſolymitanæ tàm reſpectu perſonarum, quàm Eccleſiarum, & bonorum, itaut Priores, & Commendatarii declarentur verè Ordinarii cum omnimoda exemptione, quæ tamen procedit reſpectu juriſdictionis paſſivæ, quoad perſonas, & bona ipſorum Religioſorum, non autem quoad Clerum, & Populum eorum locorum, quæ ad Prioratus Commendas pertinent, quia Pontifex non ſegregavit iſtas oves ab antiquo Paſtore, qualis eſt Epiſcopus, ut plenè habetur in dicta Toletana coram Bevilaqua, & Taya. Et deciſiones in Sancti Angeli Lombardorum, & in nullius, ſeu Montis Virginis non fundantur in generalibus privilegiis, ſed in Territorio ſeparato, formiter probato cum privilegiis Apoſtolicis, & cum pacifica plurium ſæculorum poſſeſſione, concurrente etiam altera circumſtantia, quod in eis agebatur non de ſimplici Prælato inferior, ſed de Generali, ſive Capite totius Ordinis, cui magis congruit juriſdictio quaſi Epiſcopalis, ac ei regimen animarum Eccleſiæ confidit.

8 Decretum autem ſuper renovatione, ac declaratione Conſtitutionis Sixti V. eſt hujusmodi videlicet.

9 *Ut debitus ordo ſervetur inter Tribunalia Urbis, & opportunè provideatur, ne ob litigantium importunitatem cauſæ, telam judiciariam aliquin requirentes, deferantur ad Sacras Congregationes, in quibus negotia non aliter, quam in forma extrajudiciali cognoſci, & definiri debent, Congregatio particularis a Sanctiſſimo Domino Noſtro (ut infra) deputata, quamvis agnoverit, quod eædemmet Sacræ Congregationes plerumque, ac de per ſe remittant ad ſuos Judices eaſdem cauſas, nihilominus, ut firmius in poſterum provideatur, tollaturque anſa hujuſmodi importunitatibus, cenſuit, ſi Sanctiſſimo placuerit, innovandam eſſe quoad cauſas, quæ in Tribunalibus Urbis commodè cognoſcerentur, Conſtitutionem 74. ſanctæ memoriæ Sixti V. ſuper erectione plurium Sacrarum Congregationum, in ea præſertim parte, in qua vel ex ſubjecta materia ibidem expreſſa, vel literaliter diſponitur, non poſſe in dictis Congregationibus cognoſci cauſas contentioſas, ſeu negotia formam & ordinem judiciarium requirentia.*

Cauſas autem contentioſas, & ordinem judiciarium requirentes cenſuit eſſe omnes illas, in quibus neceſſarius eſt proceſſus judicialis, aut fieri debent probationes, parte citata, ſive mediante examine Teſtium in Curia, ſive mediante jurium, & inſtrumentorum productione, ac reproductione, ſive mediante expeditione literarum remiſſoralium, vel compulſoralium, aut interponendum foret aliquod decretum judiciale, ſublata idcircò eiſdem Sacris Congregationibus, earumque Præfectis, ac Secretariis, omnibuſque aliis facultate cauſas prædictas reaſſumendi adverſus Judices Ordinarios illiſque, ſeu Patribus inhibendi, aut quomodolibet deveniendi ad purgationem attentatorum, aut quovis alio modo judicialiter procedendi; Quod ſi ſecus a præſenti decreto factum fuerit, omnia acta, reſolutiones, ac decreta, ſint ipſo jure nulla, perindè ac ſi non emanaſſet. 10

Quatenus verò Partes etiam in Judicialibus velint concorditer ſubire judicium Sacrarum Congregationum juxta declarationes ejuſdem Sixti V. impreſſas in Bullar. novo poſt dicta ejus Conſtitutiones 74. cenſuit Congregatio, conſenſum hujuſmodi præſtandum eſſe in ſcriptis ab ipſis Partibus vel ab eorum legitimis Procuratoribus ſpeciale habentibus mandatum ad conſentiendum apud acta illius notarii, qui negotiis Sacrarum Congregationum incumbit. Et nihilominus etiam in hoc caſu acta, & proceſſus probatorios fieri debere coram Judicibus Ordinariis, a quibus remittendi erunt ad eaſdem Sacras Congregationes. 11

Ceſſante verò præfato expreſsè Partium conſenſu ut ſupra, cenſuit Congregatio, in cauſis, & negotiis telam judicialem requirentibus, juriſdictionem Sacrarum Congregationum non eſſe prorogabilem, niſi per ſpecialem commiſſionem manu Sanctiſſimi ſignatam, neque cenſeri prorogatam ex ſimplici rescripto in ſupplicibus libellis, qui eidem Sanctiſſimi porrigi ſolent, ſed immò ſimilia reſcripta habenda eſſe pro ſubreptitiis extortis, nec ullatenus in judicio, vel extra ſuffragari poſſe, perindè ac ſi non emanaſſent. 12

Rurſus cenſuit Congregatio in omnibus cauſis criminalibus tàm contra laicos, quàm contra Eccleſiaſticos ſæculares, ſive rei ſint præſentes, ſive contumaces, proceſſus, & appellationes deferendos eſſe ad Judices Ordinarios etiam quoad dicta Regularium commiſſa extra clauſtra, ſervata forma Sacri Concilii Tridentini, & Conſtitutionis 39. ſanctæ memoriæ Clementis Octavi neque in cauſis prædictis eoſdem Judices Ordinarios etiam hìc in Curia procedere poſſe tanquam delegatos a Sacris Congregationibus, niſi ubi fuerit impetrata ſpecialis Commiſſio Sanctiſſimi, citato, vel audito Procuratore fiſcali Generali Sanctitatis ſuæ, aliàs acta, reſolutiones, & decreta ſint, ut ſupra ipſo jure irrita, & nulla, perindè ac ſi non emanaſſent. 13

Et quoniam poſt eamdem ſanctæ memoriæ Sixti V. Conſtitutionem Sacra Congregatio Boni Regiminis inſtituta fuit pro felici, & œconomico gubernio Communitatum Status Eccleſiaſtici, & ad hoc, ut ſublatis debitorum ſubterfugiis expeditior eſſet exactio onerum, & collectarum eijdem univerſitatibus incumbentium exinde cenſuit Congregatio, cauſas omnes tàm pro adimplemento Bullæ Boni Regiminis nuncupatæ, quàm alterius declaratoriæ impreſſæ poſt Conſtitutione 10. Clementis Octavi ſive ſint civiles, ſive criminales, aut mixta juxta aliam Conſtitutione 25. Pauli Quinti contra quoſcunque earumdem Univerſitatum officiales, Adminiſtratores, Appaltatores, aut quoſvis alios debitores, ex cauſa tamen onerum Cameralium, & Communitativorum, aliorumque reddituum in Tabella Sacræ Congregationis deſcriptorum, ſive etiam ratione publicæ Annonæ, necnon appellationes, aut recurſus ſuper præmiſſis omnibus interponendos ſpectare ad eamdem Sacram Congregationem privativè quoad omnes alias Sacras Congregationes, Judices, & Tribunalia, etiamſi agatur de perſonis, & locis Eccleſiaſticis quantumvis exemptis, & privilegiatis, ac ſpeciali nota dignis, itaut ad eamdem Sacram Congregationem Boni Regiminis pertineat privativè, ut ſupra, cognitio, An privilegia, & exemptiones ſuffragentur contra dictas Communitates, eorumque adminiſtratores, & appaltatores, & an onera ſint Cameralia, Communitativa, vel mixta, juxta præfatam Bullam declaratoriam ſanctæ memoriæ Clementis Octavi & juxta alia decreta Congregationis particularis edita die quarta Decembris 1680. & decima quinta Januarii 1681. a ſanctæ memoriæ Innocentio Undecimo approbata. 14

Cæteras verò cauſas tàm activas, quàm paſſivas earumdem Univerſitatum (exceptis debitoribus, & officialibus, 15

ut

ut ſupra) cenſuit Congregatio ſpectare ad Judices ordinarios , prout de jure . Hac die 9. Auguſti 1693.

16 *Facta per me infraſcriptum ſub eadem die relatione Sanctiſſimo Domino Noſtro præmiſſæ reſolutionis, Sanctitas ſua illam approbavit , eamque publicari , & inviolabiliter obſervari mandavit.*

Anſaldus de Anſaldis Sanctiſſimi Domini Noſtri Auditor .

Nomina Prælatorum , qui ſuperius enunciatæ Congregationi Particulari a Sanctiſſimo deputatæ interfuerunt .

R. P. D. Proſper Bottinus Archiepiſcopus Myrenſis fiſci , & Reverend. Cameræ Apoſtolicæ Advocatus , & Promotor fidei.

R. P. D. Jacobus Emerix Sacræ Rotæ Decanus.

R. P. D. Antonius Altovitus Sacræ Congregationis Epiſcoporum, & Regularium Secretarius.

R. P. D. Joannes Dominicus Thomatus A. C. Locumtenens.

R. P. D. Curtius Origus Signaturæ Juſtitiæ Auditor.

R. P. D. Joſeph Sacripantes Sanctiſſimi Domini Noſtri ſubdatarius.

R. P. D. Ferdinandus Nuptius Reverendæ Cameræ Apoſtolicæ Commiſſarius Generalis.

R. P. D. Anſaldus de Anſaldis Auditor Sanctiſſimi.

R. P. D. Antonius de Philippo vot. Signaturæ Juſtitiæ.

R. P. D. Fattinellus de Fattinellis Cameræ Apoſtolicæ Præſes.

Paulus Fatius Apoſtolicæ Cameræ , & Sacri Palatii Apoſtolici Notarius.

CONSULTATIO XCIV.

An, & quatenus Monachi, & Regulares omnes fuerint olim ſubjecti juriſdictioni Epiſcoporum. Quis eos exemerit, & in quibus hodie ſint iis ſubjecti?

1 CErtum eſt de jure communi veteri omnia Monaſteria ſubjecta fuiſſe Epiſcopo Diœceſano. Conſtat *ex can. Monaſteria* 18. *quæſt.* 2. & ad eum ſpectabat cura, & ſolicitudo etiam Monachorum , *can. ſi quis Abbas*, & *can. Abbates ead. cauſ. & quæſt. can. qui verè in fine* 16. *quæſt.* 1. Unde ipſe poterat nulliter profeſſos a Religione ejicere, ſicut poterat ad eam admittere , *can. ſi vir* 27. *quæſt.* 1. & *cap. dudum de can. uxor d.* 23. *can. de viduis* 27 *quæſt.* 1. & *cap. dudum de converſ. conjug.* Circumſcriptis enim exemptionibus, ac privilegiis Apoſtolicis, Regulares de jure communi originaliter ſubſunt Epiſcoporum juriſdictioni, *dict. can. qui verè*, & *canon. pervenit.* 16. *quæſt.* 1. de quibus per Oldrad. *conſ.* 274. Lap. *allegat.* 42. *num.* 3. Navarr. *conſil.* 8. *num.* 4. *de reſcript.* Seraphin. *deciſ.* 1353. *num.* 3. ac Doctores *in capit. Epiſcopus de Ordinar. lib.* 6. Non quidem quoad legem Diœceſanam, ſed quoad legem juriſdictionis, Gloſſ. 2. *in cap. ex parte de regular.* Unde Epiſcopus de jure communi fundatam habet ſuam intentionem ſuper juriſdictione ordinaria, non tantùm contra Clericos ſæculares, ſed etiam contra omnes Regulares ſuæ Diœceſis . Ex eo enim quod Monaſteria ſint in Diœceſi , ſunt Epiſcopo loci ipſo jure ſubjecta , *cap. Cùm non liceat de præſcript. can.* 1. *dict. can. Abbates cum ſeqq.* 18. *quæſt.* 2. *cap. de Xenodochiis de relig. dom.* Gloſſ. *v. in tua*, *cap. ſicut de exceſ. Prælat.* Niſi ſpeciali privilegio ſint exempta, *can.* 1. 16. *quæſt.* 2. Quæ exemptio non præſumitur, donec non probatur, *can. contra morem d.* 100. Gl. *dict. cap. ſicut, v. in tua in fine*. Unde in dubio habet Epiſcopus ratione ſuperioritatis intentionem ſuam fundatam in Eccleſiis ſibi ſubjectis, quod in eis omne ſuperioritatis jus habeat, *capit.* 2. *de reſtitut. ſpoliat. in* 6. Soccin. *conſil.* 86. *numer.* 5. *volum.* 1. Montan. *in tr. fin. regund. cap.* 61. *num.* 4. Everard. *in loc. legal.* 16. *loc. a tot. ad part.* Schruf. *conſ.* 26. *num.* 2. *contr.* 1. Quin etiam in jure ſtatutum eſt, ut omnes Eccleſiæ cum univerſis earumdem bonis, ac juribus , Epiſcopis ſubjectæ, in eorumque poteſtate ſint , ut apparet ex *canon. decretum*, & *canon. quæcunque cum duobus ſeqq.* 10. *quæſt.* 1. Quod uſque adeò verum eſt, ut non valeat pactum appoſitum, quod res Eccleſiæ oblatæ non debeant ad ordinationem Epiſcopi pertinere , tanquam pactum contra naturam contractus , ut eſt Textus *in canon. ſi quidam*, juncta Gloſſ. 10. *quæſt.* 1. quam videntur ſequi Bart. *in auth. ut nullus fabricet num.* 3. & latiùs Paulus de Cittadin. *de jurepatr. part.* 3. *quæſt.* 9. *cauſ. acquir.* 2.

2 Hinc eſt, quod jure etiam Canonico conſtitutum fuerit , ut Monaſteria continuò , poſtquam erecta fuere , Epiſcopo, cujus in Diœceſi conſtructa ſunt , debeant eſſe ſubjecta juxta *d. can. Monaſteria* 18. *qu.* 2. & *dict. cap. omnes Baſilicæ* 18. *qu.* 2. facitque *can. interdicimus* 16. *qu.* 1. & *cap. cùm perſona in princip.* junctò *verſ. quod ſi tales*, ibi, *licet Ordinarium de privil. in* 6. *cap. cùm venerabilis de Relig. dom.* &c. *cum Epiſcop. de offic. Ordin. lib.* 6. quæ jura ad hoc allegat Panorm. *in cap. recipimus de privileg.*

Monaſteria igitur Epiſcopis erant ſubjecta cum Ab- 3
batibus, & Monachis , a quibus etiam viſitabantur , & corrigebantur, ſi quid minus piè , rectèque ab ipſis ageretur . Nam in Aurelianenſi prima Synodo *capit.* 21. ita ſancitum fuit : *Abbates pro humilitate Religionis in Epiſcoporum poteſtate conſtituntur. Et ſi quid extra regulam fecerint, ab Epiſcopis corrigantur.* Citat etiam Gratian. *eod. loc.* 18. *quæſt.* 2. ex Aurelianenſi quadam Synodo , ſed in nulla reperitur , canonem, qui præcipit , *ut non ſemel, ſed ſæpiùs in anno Epiſcopi Monaſteria Monachorum viſitent , etſi aliquid corrigendum fuerit , corrigant.*

In Cabillonenſi quoque Synodo anno 658. habita *c.* 4
22. ſancitum fuit, ut Epiſcopi Monachos, a Benedicti regula diſcendentes , in ordinem redigant . Gregorius Magnus conſtituit , *ut viſitandi , exhortandique gratia ad Monaſterium quoties placuerit , Epiſcopus eat , ſic tamen charitatis officium illic impleat, ut gravamen aliquod Monaſterium non incurrat* 18. *qu.* 2. ſancivitque Aurelianenſis ſecunda Synodus tempore Vigilii Papæ celebrata , *ut Abbates, qui Epiſcoporum præcepta contemnunt ad communionem penitus non admittantur , niſi contumaciam humilitate ſuſcepta deponant.* Et Moguntina quædam Synodus ſub Vvefrido, ejus loci Epiſcopo, tempore Pipini Francorum Regis habita, decrevit, *ut Monachi ubique Epiſcopis ſint ſubjecti, eoſque diligant , nec Eccleſiaſticis , nec ſæcularibus ſeſe negotiis miſcere audeant , niſi eos Epiſcopus ad neceſſarium aliquod opus avocavit*, ſicut refert Stumpfius *lib.* 5. *cap.* 3. *Chron.*

Quidquid etiam ſine licentia Epiſcopi ab Abbate de 5
rebus monaſticis venderetur, ad poteſtatem Epiſcopi revocandum Agathenſis Synodus ſtatuit *cap.* 56. Extat quoque 17. *qu.* 4. in venditionibus. Qua de re , & Aurelianenſis tertia Synodus tale decretum edidit : *Abbatibus , Preſbyteris , cæteriſque Miniſtris , de rebus Eccleſiaſticis , vel ſacro miniſterio alienare , vel obligare abſque permiſſu, & ſubſcriptione Epiſcopi ſui, nihil liceat . Quod qui præſumpſerit , degradetur , communione conceſſa . Et quod præſumptum , vel alienatum , vel temerè ordinatum eſt, ordinatione Epiſcopi revocetur , can. Abbatibus* 12. *qu.* 2. In eamdem ferè ſententiam ita quoque præcipitur *cap.* 11. Aurelianenſis quartæ Synodi : *Si quid Abbatibus , aut Sacris Monaſteriis oblatum fuerit , in ſua proprietate hoc Abbates minimè revocabunt , nec alienari a cunctis fratribus debet quacunque occaſione. Quibus ſi fuerit neceſſarium, ut ſtatuta convellant , non aliter valeat , niſi fuerit ſui Epiſcopi ſubſcriptione firmatum.*

Nec licere cuiquam Monachorum abſque venia Epiſ- 6
copi Monaſterium ædificare , Concilium Chalcedonenſe , & Agathenſe præceperunt 18. *quæſt.* 2. *canon quidam Monachorum* . Immò ne peregrè quidem eis licebat ire ſine Epiſcopi aſſenſu . Nam in Cabillonenſi Synodo *capit.* 15. ſtatuitur, *ne Abbates , vel Monachi ad Principem eant ſine Epiſcopi ſui conceſſione ſub anathematis pœna*. Sæpè tamen ſine Principum , & Regum etiam conceſſione, Abbatibus non licuit peregrè abire, ut apparet ex Theodori Fuldenſis Abbatis epiſtola ad Benedictum . Eccleſias denique Monachorum Epiſcopo ſubjectas eſſe debere in Concilio apud Faventiam celebrato definitum fuit 16. *quæſtion.* 4. *canon. ſtatuendum .*

Unde ab initio naſcentis Eccleſiæ, quo Monachiſmus 7
inventus eſt, teſte Caſſiano *collat.* 18. *cap.* 5. & ex eo Bellarm. *de Monach. lib.* 2. *cap.* 5. Quod & Concilium Meldenſe *can.* 9. affirmant, nempè Ordinem Monaſticum a Deo inſpiratum, & ab ipſis Apoſtolis fundatum, & a Sanctiſſimis Patribus excultum, & habetur in Concilio Colonienſi *cap.* 1. *part.* 10. Monachos, eorumque Monaſteria ſub juriſdictione Epiſcoporum per quinque ſæcula abſque interruptione fuiſſe. Omnes enim Baſilicæ poteſtati, & juriſdictioni Epiſcoporum ſubjectæ erant. Sic enim ſtatutum fuit in Concilio Aurelianenſi relato *in can. Omnes Baſilicæ* 16. *qu.* 7. Ex quo omnes DD. concludunt, quod tàm Eccleſiæ ſæculares, quàm regulares, & Monaſteria de jure commnni ſubjacent juriſdictioni Epiſcoporum , & Ordinariorum . Quod ſtatuit Concil. Chalcedonenſe ſub Leone I. anno 451. *can.* 4. relatum *in can. Quidam Monachorum* 18. *quæſt.* 2. & in Concilio Aurelianenſi primo ſub Symmaco anno 511. de quo Gratianus *in can. Abbates ead. cauſ. & quæſt.* & in Concilio Aurelianenſi quarto ſub Joanne primo anno 524. de quo etiam Gratianus *ibidem dict. can. Monaſteria*, traditque Fagnan. *in capit. nimis prava num.* 3. *de exceſſ. Prælat.*

Prælat. & ex Regularibus Rodriquez *tom.* 2. *quæſt. regular.* 64. *articul.* 1. ac Rota in pluribus deciſionibus adductis *in deciſion.* 238. *numer.* 2. *part. recent.* & *deciſ.* 47. *num.* 14. apud Tambur. *de jure Abbat.* idemque Tabur. *in dict. tract. tom.* 3. *diſp.* 5. *quæſt.* 11. *numer.* 1. & 2.

8 Quia verò Epiſcopi hac ſua poteſtate ſæpè ſunt abuſi, ipſorum audacia non rarò fuit repreſſa. Nam Gregorius Magnus in Concilio quodam Lateranenſi decrevit, *ut nullus Epiſcoporum ultra præſumat ne redditibus, de rebus, vel curtis Monaſteriorum, vel de cellis, & villis, quæ ad ea pertinent quocunque modo, qualibet exquiſitione minuere, vel immiſſiones, aut violentias aliquas facere, aut in deſcribendis, pervidendiſque rebus Monaſterii acquiſitis, vel datis, acquirendiſque ulla occaſione ſe permiſcere, ſed ſi qua cauſa forte inter terram venientem ſuarum Eccleſiarum, & Monaſteriorum evenerit, & pacifice non potuerit ordinari apud electos Abbates, & alios Patres, ſive voluntaria dilatione, mediis Sacroſanctis Evangeliis finiatur.*

9 Idem ſancivit Herudfordiana Synodus Angliæ *can.* 3. & in Toletana Synodo decretum fuit, *ut Epiſcopi ſi aliquid in Monachos Canonibus interdictum præſumpſerint, aut uſurpare quicquam de Monaſterii rebus tentaverint, excommunicentur can. hoc tantum* 18. *qu.* 2. In Toletana ſeptima Synodo *can.* 7. cautum etiam fuit, *ut defuncto Abbate, nihil ab Epiſcopo auferatur, & aliquid de Monaſterii rebus minuatur.* Et Gratianus eodem loco, *can. non ſemel §. Pro talibus judicat, propter Epiſcopos tales, qui animarum curam non habentes, bona tantùm Monaſteriorum in ſuos uſus convertere cupiunt, ſtatutum eſſe, ut Monaſteria cum ſuis rebus penitus ſint libera a poteſtate, & dominio Epiſcoporum.*

10 Sæpè etiam Monaſteria ab Epiſcopis, aliiſque Clericis, occupabantur, & tanquam Abbatibus regebantur. Hoc verò prorſus non vult fieri Gregorius Magnus. Sic enim hac de re ſcribit *lib.* 7. *ep.* 40. Maximiniano Ravennatenſi Epiſcopo: *Dudum ad nos multorum relatione pervenerat, Monaſteria in Ravennatibus partibus conſtituta, omninò Clericorum veſtrorum dominio pregravari, ita ut occaſione quaſi regiminis ea velut in proprietate poſſideant. Quibus non modicum condolentes, deceſſori veſtro literas miſimus, ut hoc emendare per omnia debuiſſet, ſed quoniam vitæ eſt termino citius præoccupatus, ne hoc onus Monaſterio remaneret, fraternitatis veſtræ eadem nos ſcripſiſſe recolimus. Et quia ut comperimus, in hujus rei hactenus ceſſatum correctione eſt, hæc ad vos iterum prævidimus ſcripta dirigere. Hortamur ergo, ut omni mora omnique excuſatione ſubmota, ita Monaſteria ipſa ab hujuſmodi ſtudeatis gravamine relevare, quatenus nullam deinceps in eis Clerici, vel hi, qui in Sacro ſunt Ordine conſtituti, aliud habeant, niſi orandi tantummodò cauſam accedendi licentiam, aut ſi fortè ad peragenda Sancta Miſſarum fuerint invitati myſteria. Sed ne vel pro cujuslibet Monachi, aut Abbatis promotione onus aliquod fortaſſe ſuſtineant, ſtudendum vobis eſt, ut ſi quiſpiam Abbatum, aut Monachorum ex quocunque Monaſterio ad Clericatus officium, vel Ordinem Sacrum acceſſerit, non illic aliquam habeat ulteriùs poteſtatem, ac Monaſteria hujus occaſionis velamine, ea, quæ prohibemus, ſuſtinere onera, compellantur. Hæc itaque omnia vigilanti cura emendare jam ſecundò commonita ſanctitas veſtra non differat, ne ſi poſt hoc negligentes vos eſſe, quod non credimus, ſenſerimus, aliter Monaſteriorum quieti proſpicere compellamur. Nam notum vobis ſit, quia tantæ neceſſitati ſervorum Dei Congregationem ſubjacere amplius non patimur.* Idem Gregorius decrevit quoque, ne Epiſcopus in Monaſteriis Cathedram collocet, vel aliquam poteſtatem exerceat, ſeu ordinationem, quamvis leviſſimam faciat, niſi ab Abbate loci fuerit rogatus.

11 Circa tamen Carolinorum tempora frequentiſſimo fuit in uſu, præſertim per Germaniam, & Galliam, Epiſcopi vice Abbatum præeſſent Monaſteriis, & Monachos regerent. Probari hoc poſſet multis exemplis ex Chronologia Bruſchii de Monaſteriis Germaniæ, itemque ex ſumptis annalibus Helvetiorum de Monaſteriis S. Galli, & Augiæ divitis. Sed ſatis ſit, quod in genere alicubi Bruſchius dicit uſque ad annos Domini 850. Abbates Epiſcopos factos, poſt hæc verò tempora Epiſcopos opimiores Abbatias cœpiſſe ad ſe rapere, & ſimul Abbates, ac Epiſcopos agere ob ventrem.

12 Immò Politici quoque avaritiæ ſtudio Monaſteria, & Abbatias regendas poſt ea tempora non rarò ſuſceperunt, eaſque ſuo nomine gubernandas aliis commendarunt, ipſis interim politico regimini vacantibus, ut eſt videre apud Antonin. *lib.* 5. *cap.* 41. de geſtis Francorum, & Jacobum Meyerum in Flandrica hiſtoria.

In Turonica ſecunda Synodo quoque *cap.* 6. ſancitur, 13
ne Epiſcopus Abbatem ſine omnium ſuorum Abbatum conſenſu loco ejiciat, & alium per præmia ordinet. Et in Moguntina Synodo præcipitur, ne liceat Epiſcopo res Monaſterii ob peccatum Abbatis tollere, *canon. Epiſcopo* 16. *qu.* 6.

Prætereà licebat Abbatibus, ab Epiſcopo ad Principem, & Concilium provocare, ut colligitur ex Rabani epiſtola ad Orgarium de cauſa Saxonis fugitivi Monachi. In Synodo verò Toletana 7. *capit.* 15. præcipitur, ne Abbates, aut Monachi patrocinio ſæculari utantur, nec ad Principem ſine Epiſcopi ſui licentia eant, ſin minus excommunicentur. Si etiam Epiſcopi Abbatibus præter debitam obedientiam contra libertatem Ordinis Pontificibus Romanis indultam, aliquid exigant, liberum relinquitur Abbatibus authoritate Apoſtolica, quod petitur, denegare, *cap. ſanè de exceſſ. Prælator.* 14

Quidam tamen Abbates cum ſuis Monachis, & Monaſteriis ab omni obedientia Epiſcoporum erant penitus exempti. Nam Gregorius Magnus Monaſterio in Sueſſorum Civitate privilegium dedit, ut tantùm Pontifici Romano pareat, ut eſt videre in libro ejus 12. *c.* 32. & Leo Oſtienſis *lib.* 1. *c.* 4. indicat, Caſinenſe Monaſterium tantùm Romano Pontifici ſubjectum fuiſſe, & ab omnium Epiſcoporum juriſdictione liberatum. Sic etiam Monaſterium S. Maximi propè Treverim Ordinis primum, & Regulæ Orientalium Monachorum, nunc verò Benedictinæ profeſſionis, quam ſuſcepit circa annum Domini 764. ab Imperatore Conſtantino ſub perpetuò duraturam tuitionem Imperatoriam ſuſceptum eſt, & adhuc hodie ab omni Archiepiſcopali, & Epiſcopali jugo exemptum, in temporalibus ſoli Imperatori Romano, in ſpiritualibus ſoli Summo Pontifici ſubeſt, Bruſchius *de Monaſt. German. fol.* 125. idem refert *ibid. fol.* 28. Adrianum Pontificem Maximum, ac hujus nominis primum Andegario Campidonenſi Abbati circa annos Chriſti 780. inſigne privilegium dediſſe, in quo Pontifex Campidonenſe Monaſterium ab omni Epiſcopali jugo exemptum, & perpetuò liberum eſſe ſtatuerit. Zacharias etiam, & poſteà Benedictus Romani Pontifices Fuldenſe Cœnobium ſibi ſolis voluerunt eſſe ſubjectum, ut patet ex epiſtola Theutonis ad Benedictum Papam, & Hartonis ad Leonem. 15

Circa annos etiam Domini 676. Monaſterium Sancti 16
Martini Turoni in Gallia a Theodato Papa Romano exemptum eſſe dicitur ab omni Epiſcopali ſubjectione, & Gubernatione. Exemplum privilegii hujus profert Baronius *tom.* 8. *annalium pag.* 516. quod inter alia ſic habet: *Aegericus Religioſus Presbyter, & Abbas Monaſterii Sancti Martini ſupplici voce precatus eſt, ut privilegium Apoſtolica authoritate ſubnixum ob munitionem Venerabilis Monaſterii, quod beatæ recordationis confeſſor Chriſti Martinus Turonenſis Eccleſiæ Epiſcopus, in Gallicanis partibus ad converſorum ſalutem ſui Sanctiſſimi Corporis conſecratione decoravit, cui nunc præeſſe ſe perhibens, ſcriptis oſtenderat, ei concedere deberemus. Parumper autem ambigimus idcircò, quod mos, atque traditio ſanctæ noſtræ Eccleſiæ plus non ſuppetat a regimine Epiſcopalis providentiæ Religioſa loca ſecernere. Verum, &c.*

Ex his verbis privilegii hujus mos, atque traditio 17
Sanctæ Eccleſiæ noſtræ plus non ſuppetat a regimine Epiſcopalis providentiæ religioſa loca ſecernere, colligit Baronius, ceſſaſſe hoc tempore Romanos Pontifices ejuſmodi exemptionem, & immunitates concedere Monaſteriis. Id fortaſsè, quod experimento didiciſſent, ejuſmodi immunitates obfuiſſe potius, quàm profuiſſe monaſticæ diſciplinæ. Ex iis verò exemplis Gregorii Magni, & Leonis Oſtienſis, quorum paulò ante mentio facta eſt, conſtat, non ceſſaſſe, ſed ſubindè duraſſe hunc morem, & conſuetudinem, etiam in Romana Eccleſia. Atque hæc res valdè mihi ſuſpectam facit hanc epiſtolam, ſive privilegium Adeodati Romani Pontificis, præſertim cùm Baronius ipſe teſtetur, Pontificis hujus res geſtas alto ſilentio ſepultas eſſe, unicam hanc epiſtol. per Papirium Maſſonum nuper in lucem vindicatam.

Alexander II. Papa monitus ab Oderico Vindocinen- 18
ſis Monaſterii Abbate circiter annum Chriſti 1040. a Gaufrido Andegavorum Comite, & Agnete Pictavienſium Comitiſſa Monaſterium in honorem Trinitatis apud Caſtrum Vindocinum fundatum fuiſſe, & a Nicolao II. ſpeciale privilegium conceſſum præter ea, quæ a Clemente, & Victore indulta fuerunt, hoc addidit, nimirum, ut inter Sedis Apoſtolicæ Pontificem, & Abbatem illius Venerabilis loci nulla prorſus perſona media habeatur. Et quoniam Beato Principi Apoſtolorum Petro, ejuſque ſucceſſoribus in allodium proprium bona a Gua-

fridо, & Agnete collata erant, Eccleſiam Beatæ Priſcæ in Urbe Romana cum dignitate Cardinalis Sancti, ut ait, Spiritus judicio Oderico Abbati decernens ſtatuit, *ut nulla, niſi ſolius Papæ perſona poteſtatem, aut dominationem aliquam in illo cœnobio exercere auderet, vel pro ejus loci rebus Abbatem quem Alodiarium Beati Petri vocat, ſive fratres ſollicitare contenderet, ſed ſi quis contra eos cauſari vellet, Papæ præſentia requireretur.*

19 Unde infinita Germaniæ Monaſteria à Summis Pontificibus olim in protectionem ſuſcepta, ad promiſſæ protectionis indicium quotannis unum Bizantium, ideſt aureum nummum Lateranenſi Palatio perſolvebant, cujus rei, ut alia innumera prætereamus exempla, evidens documentum habemus ex diplomate primæ fundationis Monaſterii Buherenſis, dato ab Urbano II. ſub anno Dominicæ Incarnationis 1099. Octavo Kal. Februarii indictione ſeptima Pontificatus ejus anno undecimo, quod hodie Monachis deſtitutum in Ducum Vvitergienſium poteſtate eſt.

20 Nec diſpari argumento narrat Urſpergenſis Philippum Cæſarem Monachorum fundis annuum quiddam ipſorum permiſſu indixiſſe defenſionis nomine ſibi penſitandum. Qua etiam beneficiaria formula Pontifices Maximi ſeſe conſtituerunt Monaſteriorum Protectores. Teſtatur idipſum vetus Hirſaugienſis Cœnobii pactio cum Sacroſancta Petri Sede apud Trithemium, ut Romæ quotannis perſolveretur nummus aureus, quo Pontificiæ Majeſtatis auſpiciis, præſidioque firmum illud, ſtabileque ſemper regeretur, quemadmodum ejus rei mentionem facit privilegium ejuſdem Urbani II. eidem Monaſterio anno redemptionis humanæ 1099. octavo Idus Martii conceſſum. Aliis inſuper exemplis fidem faciunt Nauclerus 2. *generat.* 27. Stumpfius *Chron. Helvet. lib.* 6. *cap.* 6. Spangenb. Hennemberg. *Chron. lib.* 1. *cap.* 39.

21 Sic etiam annuæ penſionis Protectori tributæ exemplum memorabile habemus in Civitate, & Epiſcopatu Bambergenſi, quem Henricus Imperator ex teſtimonio Leonis Oſtienſis ſub tuitionem Summi Pontificis ea pactione obtulit, ut penſionis nomine annuatim equus albus cum ornamentis omnibus, & phaleris, centumque marchis argenti ab Epiſcopo ejus loci Summo Pontifici, tanquam Protectori, penderetur, Cuſpinian. *de Cæſar. in Henrico II. pag.* 261. Chron. Spiren. *lib.* 2. in anno Chriſti 1001. *pag.* 175. Illa verò penſione annua Eccleſiam Bambergenſem, ut liberaret Henricus Junior vice talis annui honorarii tradit Eccleſiæ Romanæ Beneventum tempore Leonis Nonis Papæ, ut per Baronium *tom.* 11. *annal. Eccleſ. anno* 1019. *numer.* 2.

22 Joannes Papa Tertius anno 559. Monaſterio S. Medardi apud Sueſſones Ordinis S. Benedicti ampliſſimam exemptionem conceſſit, inſtante Clotario Rege. Hujus exemptionis exemplar tradit Chopin. *in tract. de jur. Cœnob. tom.* 2. *lib.* 1. *num.* 19. & hanc fuiſſe ſecundam exemptionem Monachorum adſtruit Tamburinus *tom.* 3. *de jur. Abbat. qu.* 11. *num.* 10.

23 Habito demum Concilio Romano ſub Gregorio Magno anno 601. exemptio Monachorum ampliata fuit, & tunc fortaſsè initium habuere hujuſmodi exemptiones a Sede Apoſtolica, ut autumat Cardinalis Pallavicinus in Hiſtoria Concilii Trident. *lib.* 8. *cap.* 17. *num.* 11. Iſta verò non fuit exemptio univerſalis, ſed ſolùm reſtricta ad certos Monachos Caſinenſes, quod innuit Tambur. *d. q.* 11. *num.* 14. ubi ait exemptionem univerſalem Congregationis Caſinenſium Monachorum nullam extare ante Eugenium IV. Patetque ex eo, quod ſi fuiſſet univerſalis non oportebat eam petere a Theodoro Pontifice pro Monaſterio Bobienſi anno Domini 643. neque a Zacharia I. pro Monaſterio montis Caſinenſis anno 741. neque a Gregorio III. pro Monaſterio Peruſino anno 835. neque ab Urbano II. pro Monaſterio Cavenſi anno 1092. neque ab Alexandro III. pro Monaſterio Florentino anno 1176. neque ab aliis Pontificibus pro aliis Monaſteriis, ut ex Diplomat. regeſt. in Bullar. Caſinenſi Conſtit. 2. 3. 5. 8. 18. & aliis, ac præcipuè pro Monaſterio Romano S. Pauli, quod Innocentius III. anno 1203. Sedi Apoſtolicæ ſubjecit, ut ex eodem Bullario Conſtit. 22.

24 Quinimmò exemptiones nonnullis Monaſteriis conceſſæ ſunt ab ipſis Epiſcopis. Si enim anno 509. B. Germanus Epiſcopus Pariſienſis exemit in aliquibus a poteſtate Ordinariorum Monaſterium S. Vicentii Ordinis S. Benedicti, inſtante Rege Chidelberto, cujus exemptionis exemplar refert Chopinus *loc. cit.* quam exemptionem confirmatam fuiſſe a Gregorio Primo, teſtatur Aym. *rer. Francic. lib.* 3. *cap.* 2. & ex eo idem Chopin. *ibid.* Tamburin. *cit. qu.* 11. *num.* 10. qui hanc exemptionem fuiſſe primam teſtatur. Anno 658. alius Epiſcopus Pariſienſis exemptione donavit Monaſterium Sancti Dionyſii. Epiſcopus Ambianenſis exemit Monaſterium Corbienſe anno 664.

Quare ex his, atque aliis ipſi Regulares, ut Rodri- 25
quez *tom.* 2. *queſt. regular.* 2. *artic.* 8. quærens, an de jure communi Judex immediatus Regularium ſit Abbas, anve alius Prælatus, reſpondet, quod in iis, quæ reſpiciunt regularem obſervantiam Abbas eſt Superior ſecus quoad extranea. Hanc quæſtionem latiùs examinat *quæſt.* 64. *artic.* 1. ubi adducens ea, quæ faciunt pro Abbatibus ait, illam opinionem non habere ſolidum fundamentum, concluditque, attento jure communi, nullum in hac re eſſe conſtituendum diſcrimen inter Clericos ſæculares, & Regulares, Tamburinus *tom.* 1. *de jur. Abbat. diſp.* 15. *quæſt.* 2. diſquirens, quo jure Abbates, Prælati, Regulares, ac Religioſi ſint exempti a juriſdictione Ordinariorum, atque ſibi objiciens, quod videantur exempti de jure communi, per Text. *in canon. nullam quæſt.* 2. decernit de jure communi Monachos eſſe Epiſcopo ſubjectos, ac ſubjungit, quod nulla extat lex Canonica, per quam tota juriſdictio in Monachos Abbatibus tribuatur, & Epiſcopis eximatur. Nec obſtare *d. canon. nullam*, quia ibi Pontifex loquitur de iis, quæ ſpectant ad Regularem obſervantiam. Et licèt ibi dicatur totam poteſtatem Monaſterii ad Abbatem pertinere, non tamen excludit Epiſcopum ſed Monachos.

Hiacynthus Donatus *in prax. rer. Regular. qu.* 7. quæ- 26
rens, an Regulares poſſint dici exempti de jure communi, reſpondet, eſſe exemptos quoad legem Diœceſanam, non autem quoad legem Juriſdictionis, a qua non ſunt exempti, niſi ſpeciali privilegio ſint muniti, ſed manent ſub juriſdictione Epiſcopi, ibique *n.* 3. & 4. ſequitur ſententiam Rodriq. nimirum quod Regulares quoad Regularia inſtituta ſunt ſubjecti Prælato ſuo jure communi, ſecus quoad externa.

Lezana *in ſumm. v. exemptio Regularium* petens, an ex- 27
emptio Regularium a Juriſdictione Ordinariorum ſit de jure communi? Reſpondet, quod, licèt videatur de jure communi competere per *c. quàm ſit neceſſarium*, & *can. nullam* 18. *qu.* 2. oppoſitum tamen dicendum eſt. Reſidet tamen in opinione eorum, qui dicunt de jure communi eſſe exemptos a lege Diœceſana, & quoad ea, quæ ſpectant ad Regularium obſervantiam.

Bordonus verò dicens exemptionem competere Re- 28
gularibus de jure communi, quia eorum privilegia inſerta ſunt in jure communi, hallucinatur. Nam, licèt privilegia inſerta in juris corpore faciant jus commune, quoad nominatos, ut voluit Jo: Andr. *in cap. ex parte* 1. *num.* 3. *de decim.* quem ſequitur Fagnan. *in cap. His, quę num.* 35. *de major. & obed.* id tamen non procedit; quando privilegium eſt inſertum in corpore juris per modum privilegii, ut declarat Dec. *in cap. in* 2. *lect. num.* 12. *de Conſtit.* Jacob. Niger *in repet. l. diem functo num.* 17. *ff. de offic. aſſeſ.* Privilegia autem Regularium eſſe inſerta in corpore juris per modum privilegii, patet ex eo, quia illis quotidie derogatur, ut *in c. volentes de privileg. in* 6. Et quia in multis ſunt ſubjecti Epiſcopis, de quibus latè Fagnan. *in cap. grave a num.* 34. *ad* 82. *de offic. Ordin.* Campanil. *diverſ. jur. rubr.* 12. *cap.* 13. & nos alibi.

Nec Ceſpedes, ſequens opinionem Bordoni, immò 29
illam amplians, dum inquit, quod de jure communi Epiſcopus non habet juriſdictionem in Regulares, nec quoad legem Diœceſanam, nec quoad juriſdictionem, audiendus eſt. Tum quia loquitur contra communiſſimam Doctorum ſententiam, de qua Sanch. *lib.* 6. *conſ. cap.* 9. *dub.* 1. Tum quia fundatur *in c. nimis prava de exceſ. Prælat.* ubi Summi Pontifices in multis, quæ ſpectant ad legem juriſdictionis exemerunt Regulares ab Epiſcopis. Si enim in multis per modum privilegii exempti ſunt, in reliquis remanet illæſa juriſdictio Epiſcoporum, quæ de jure communi competit Epiſcopis, ita in hac ſpecie Fagnan. *in d. c. nimis prava n.* 3. Quod liquet ex *c. cùm venerabilis de relig. domib.* ac tenent *in d. c. nimis prava*, Innocentius, Abbas, Marianus, Soccinus quos citat, & ſequitur Fagnan. *loc. alleg.* Lotther. *de re benef. lib.* 1. *qu.* 24. *n.* 96. ac Rota *deciſ.* 520. *num.* 2. *p.* 5. *rec.* & fusè Epiſcopus Barbaſtrenſis *in paſtor. Regul. p.* 2. *qu.* 2. *art.* 8. adducens *deciſ.* 78. *p.* 1. *diverſ. & deciſ.* 15. *part.* 1. *recent.* in quibus, diſputato articulo, Rota firmavit hanc ſententiam, reſpondetque contrariis, ſatis ſcitè advertens aliud eſſe exemptum de jure, aliud exemptum in jure. Nam exemptio de jure debet eſſe omnimoda abſque aliqua limitatione. Exemptio verò in jure eſt illa, quæ eſt limitata ad caſus expreſſos, qualis eſt exemptio Regularium.

Atque

30 Atque hæc olim, hodie verò Regulares ferè omnes exempti ſunt privilegia Summorum Pontificum a juriſdictione Ordinariorum, exceptis quibuſdam in caſibus, de quibus nos alibi fusè. Poſſunt tamen Pontifices iis privilegiis derogare, immò & illa abrogare, cùm per hoc fieret redditus ad jus commune, & antiquum, ut notat Gloſſ. *in capit. ſtatutum v. numerandum de præbend. in 6.* Jaſ. *in auth. quas actiones num. 20. de Sacroſ. Eccleſ.* Roman. *conſil. 318. num. 5.* plenè Curt. jun. *conſil. 9. num. 4.* Grammat. *dec. 92. num. 15.* Eoque præſertim, quia nunquam certè placuit S. Bernardo, atque aliis, quod ex pluribus locis epiſtolarum ejus apparet, ut Monachi ab Epiſcopali obedientia hujuſmodi privilegiis ſe ſubtraherent, cùm, ut diximus, experientia docuit ejuſmodi immunitates obfuiſſe potius, quàm profuiſſe monaſticæ diſciplinæ. Sed an id expediat, præſtantiſſimo judicio opus eſt, conſiderando circumſtantias temporum, locorum, perſonarum, argum. *cap. ſuggeſtum de decim.* Ita & quilibet alius abutens privilegio ſibi conceſſo, meretur illud amittere, Gloſſ. *in d. cap. ſuggeſtum, can. privilegium 11. quæſt. 3. cap. ut privilegia; & cap. tuarum de privil. l. qui ſine de negot. geſt. l. Judæos 11. de C. Jud. & cap. licèt quibuſdam de regular.* Siquidem prætextu privilegiorum flagitiorum authoritatem creſcere, ac publicam utilitatem vacillare non oportet, *leg. 2. Cod. de privileg. ſchol.* & eſt Textus *in auth. de mandat. Princip. §. quod ſi delinquentes*, ibi, *non permittas privilegiis aliquibus uti nocentes*, & *in capit. Abbate de verb. ſignific.* Quod tamen non eſt temerè faciendum,

CONSULTATIO XCV.

Dubitatum jamdudum, an, & quatenus Regulares omnes approbari debeant ab Ordinario pro audiendis Sacris Confeſſionibus utriuſque ſexus fidelium, & pro concionando in alienis Eccleſiis teneatur petere ab eodem licentiam, in propriis verò benedictionem? Quid ſi adfuerit tolerantia ipſius Ordinarii, qua paſſus fuerit eos Confeſſiones audire ſine approbatione, conciones habere ſine licentia, ſine benedictione? Quid in Regnis Hiſpaniarum, quidve in Indiis Occidentalibus? Appellatione Regnorum Hiſpaniarum, quæ Regna comprehendantur? Quomodo contra Regulares hac in re Ordinarii ſe gerere debeant? Ad id multa ex oraculis Sacrarum Congregationum, & Diplomate Summi Pontificis, & aliqua de Regularium Conſervatoribus.

1 IN Concilio Tridentino *ſeſſ. 23. cap. 15.* ita decernitur: *Quamvis Presbyteri in ſua Ordinatione a peccatis abſolvendi poteſtatem accipiant, decernit tamen Sancta Synodus, nullum, etiam Regularem, poſſe Confeſſiones ſæcularium, etiam Sacerdotum, audire, nec ad id idoneum reputari, niſi, aut Parochiale Beneficium, aut ab Epiſcopis per examen, ſi illis videbitur, eſſe neceſſarium, aut aliàs idoneus judicetur, & approbationem, quę gratis detur, obtineat, privilegiis, & conſuetudine quacunque, etiam immemorabili, non obſtantibus.* Id ipſum ferè ſtatuitur *in Clem. Dudum, §. ac deinde de ſepult.*

2 Quis autem pro Epiſcopo intelligatur, inter ſe diſcrepant Doctores. Alii dicunt Epiſcopum pœnitentis, alii Epiſcopum loci, alii Epiſcopum ipſius Confeſſoris, alii etiam cujuslibet loci, aſſeruntque plures, quod Sacerdos exemptus ſemel approbatus ab Epiſcopo in una Diœceſi, cenſeatur approbatus a Succeſſore in omni Diœceſi, ea ratione, quod exempti videntur habere immediatè juriſdictionem a Summo Pontifice, cùmque ſemel ab Epiſcopo ſunt approbati, videtur ſatisfactum menti Sacri Concilii. Et hæc quidem generatim.

3 Pro Indiis verò Occidentalibus extat Breve B. Pii V. *tom. 2. Bullar. ſub 24. Martii 1567.* directum Philippo II. Hiſpaniarum Regi, quod incipit: *Exponi nobis nuper fecit tua Majeſtas Regia*, in quo hæc habentur: *Omnibus & ſingulis Religioſis quorumcunque, etiam Mendicantium Ordinum, in dictis Indiarum partibus, & in eorundem Ordinum Monaſteriis, vel de illorum Superiorum licentia extra illam commorantibus, ut in locis ipſarum partium eis de ſimili licentia aſſignatis, & aſſignandis, officium Parochiale hujuſmodi, matrimonia celebrando, & Eccleſiaſtica Sacramenta miniſtrando, prout hactenus conſueverunt, dummodo ipſi in reliquis ſolemnitatibus dicti Concilii formam obſervent, exercere, & verbum Dei, ut præfertur, quatenus ipſi Religioſi Indorum illarum partium idioma intelligant, de ſuorum Superiorum licentia, ut præfertur, in eorum Capitulis Provincialibus obtenta, prædicare, ac Confeſſiones audire, Ordinariorum locorum, & aliorum quorumcunque licentia minimè requiſita, liberè, & licite valeat, licentiam, & facultatem authoritate Apoſtolica tenore præſentium concedimus, & indulgemus. Et inſuper, ne locis illarum partium, in quibus ſunt Monaſteria Religioſorum, qui animarum curam exercent, aliquid per prædictos Epiſcopos innovetur, eadem authoritate, & tenore ſtatuimus, & ordinamus. Sic per quoſcunque Judices &c. Ac quicquid ſecus &c. irritum, & inane decernimus.*

Non obſtat Bulla Gregorii XIII. cujus initium, *In tanta rerum, & negotiorum mole*, quæ præfatam Bullam 4
B. Pii V. videtur revocare, ex eo, quod ejuſdem B. Pii Bullas, quæ Concilio Tridentino adverſari videbantur, ad terminos ejuſdem Concilii reduxit, Bulla autem B. Pii adverſatur capiti XI. Concilii *ſeſſ. 25. de ref.* Nam in eo *c. 11.* B. Pii Bulla non excluditur, ſicut in illo alii Religioſi, & alia Monaſteria non excluduntur, ergo majori ratione Religioſi & Monaſteria Indiarum excludi non debent, cùm ipſi fundatores ſint illius novæ Eccleſiæ, & nunc fidei propagatores exiſtant. Et quamvis Bulla B. Pii revocata fuiſſet, eam nihilominus confirmavit Gregorius XIV. Bulla ſua, incipiente. *Quantum animarum*, his verbis: *Epiſcopi illarum partium prætendunt, Religioſos prædictos id facere non poſſe abſque eorum ſpeciali licentia, ut examine pro eo, quod deinde piæ memoriæ Gregorius XIII. prædeceſſor noſter illos motus proprios, qui decretis Concilii adverſabantur, ad ordines reduxit, & qui animarum curam ſine Epiſcopi licentia exercent, ii decretis ejuſdem Concilii adverſantur. Et propterea literæ dicti Pii Prædeceſſoris in hoc obſervari non debent contra mentem, & intentionem ejuſdem Pii prædeceſſoris. Nos ad omnem, quæ inde naſcitur, & naſci poterit in futurum controverſiam componendam, de venerabilium fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium ſuper cauſis Epiſcoporum quibus hoc negotium examinandum, & nobis referendum commiſimus, conſilio, literas prædicti Pii prædeceſſoris, quarum tenoribus præſentibus haberi volumus pro expreſſis, ac de verbo ad verbum inſerit, Apoſtolica authoritate præſentium robur Apoſtolicæ confirmationis, illaſque debitæ exequutioni demandari volumus, ac præcipimus, inhibentes omnibus, & ſingulis Epiſcopis illarum partium ſub interdicti ingreſſus Eccleſiæ pœna eo ipſo per contrafacientes incurrenda, ne de cætero prędictos profeſſores premiſſis, ſeu aliis quibuſcunque prætextibus quoquomodo deſuper moleſtare, aut inquietare audeant, ſeu præſumant, non obſtantibus &c.*

Minus obſtat Conſtitutio Gregorii XV. *Inſcrutabili*, 5
emanata ſub die 7. Februarii 1622. cujus hæc ſunt verba: *Hac generali, ac perpetuò valitura Conſtitutione decernimus, ſtatuimus, ac declaramus, ut deinceps tàm Regulares, quàm ſeculares quomodolibet exempti, ſive animarum curam perſonarum ſæcularium Monaſteriis, ſeu domibus regularibus, aut quibuſvis aliis Eccleſiis, vel Beneficiis, ſive Regularibus, ſive ſæcularibus incumbentem, exerceant, ſive aliàs Eccleſiaſtica Sacramenta, aut unum ex illis miniſtrent, ſine prævia Epiſcopi licentia, & approbatione, ſive quoquomodo in dictę Curæ exercitio, aut in eorundem Sacramentorum, vel alicujus ex illis adminiſtratione de facto abſque ulla authoritate ſe intromittant in iis, quæ hujuſmodi curam, ſeu adminiſtrationem concernunt, omnimodæ juriſdictioni, viſitationi, & correctioni Diœceſani Epiſcopi, tanquam Apoſtolicę Sedis Delegati, plenè in omnibus ſubjiciantur.*

Præmittit itaque Pontifex in his verbis non expreſsè, ſed aliqualiter præviam Epiſcoporum licentiam ad 6
curam animarum exercendam, & præter eam expreſsè adjicit, quod illi, qui hanc licentiam habent, juriſdictioni, viſitationi, & correctioni Diœceſani Epiſcopi, tanquam Apoſtolicæ Sedis Delegati, plenè in omnibus ſubjiciantur. Hæc autem non habent locum in Indiis. Primò, quia licèt Conſtitutio pro toto Orbe fuerit edita, non tamen pro America, & Indiis Occidentalibus, quæ novus Orbis dicuntur, in quibus Religioſorum circa Sacramentorum exercitium, & Parochorum adminiſtrandi ritus eſt valdè diverſus ab illo, qui in cæteris tribus Orbis partibus obſervatur. De qua America, ſi Pontifex Summus plenè edoctus fuiſſet, certè in ſua Conſtitutione partem illam excepiſſet *can. illud d. 12.* ibi. *Nec aliorum conſuetudinem aliorum contrario more ſubverti*, ubi ait Gloſſ. *Arguitur hìc contra Epiſcopos, qui ſic argumentantur contra Eccleſiam aliquam ex quo alię Eccleſię hoc, vel illud faciunt, ergo & iſta idem faciat.* Reſpondetur ergo eis, quod conſuetudo unius Eccleſiæ non ſubvertitur propter contrarias conſuetudines aliarum.

Deinde quia Urbanus Octavus in ſuo motu proprio 7
ſub die 21. Aprilis 1625. inſtante Duce de Paſtrana, tunc temporis Hiſpaniarum Regis Oratore, mandavit, ut

in

in Regnis Hiſpaniarum Conſtitutio Gregorii XV. nullatenus exequutioni demandetur, teſtantibus Lezana *tom. 1. ſumm. cap. 19. num. 35.* Auguſtino de Bellis *in tract. pro defenſione Religionum §. 1. num. 2.* cujus verba refert Diana *part. 7. tit. 12. reſol. 25.* Alphonſo de Carranza in *informat. 2. pro Religionib.* & integrè illum refert Antonius Inojoſa in *director. deciſ. regul. v. Confeſſarius §. In nomine*. Nec Bulla B. Pii V. fuit revocata per Bullam Urbani VIII. incipientem: *Cùm ſicut accepimus*, editam anno 1628. ſolùm enim in ea revocantur Privilegia conceſſa ipſis Regularibus, ac Religionibus, non autem conceſſa Principibus, ac Regibus.

8 Nec refragatur, quod Breve Urbani VIII. ſuſpenſivum Conſtitutionis Gregorianæ, tanquam particulare, non habeat robur adverſus Conſtitutionem emanatam per modum legis Generalis. Nam conſtat de voluntate Pontificis expreſſa his verbis: *Motu proprio, & ex certa ſcientia, & matura deliberatione, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine committimus, & mandamus ut in Regnis Hiſpaniarum ad exequutionem literarum hujuſmodi ſuperſederi authoritate noſtra cures, & facias*. Quàm voluntatem ſatis eſt allegare, cùm de poteſtate non ſit dubitandum.

9 Quod autem Breve Urbani comprehendat Indias Occidentales tradit Rota in Barchinonenſi Canonicatus 4. Decembris 1644. coram Veroſpio, in qua plenè probatur, quod appellatione Regnorum Hiſpaniæ continentur omnia Regna Regis Hiſpaniarum Dominio ſubjecta, ſolumque excluditur Cathalonia, quia illa non eſt Regnum, ſed Principatus. Unde cùm Indiæ gaudeant regali dignitate, ut tradit Joannes Soler. *de jure Indiar. Occident. lib. 4. cap. 9. num. 1. & ſeqq.* ubi quod in illas conſtituitur Prorex ad Regnorum gubernationem, & qui Regis locum, ac vicem habeat, ſecus autem in Cathalonia cui, qui præeſt, non appellatur Prorex, ſed Locumtenens Generalis, ut in alia deciſione Sacræ Rotæ in eadem Barchinonenſi 9. Junii 1645. coram eodem. Quare non poteſt ullo modo controverti earum comprehenſio ſub diſpoſitione dicti Brevis ſuſpenſivi, ut ex Vitalino, Mantica, & aliis firmatur in dicta deciſione.

10 His tamen minimè attentis, ſit regula ubique gentium, quod nullus Sacerdos tàm regularis, quàm ſæcularis poteſt audire Confeſſiones ſæcularium, abſque licentia Epiſcopi loci, ut diſponit Sacrum Concilium Tridentinum *dict. cap. 15. ſeſſ. 23. de ref.* auferens omnem contrariam conſuetudinem, aut præſcriptionem immemorabilem, omniaque Privilegia. Unde Rota apud Burattum in Marſicenſi juriſdictionis 20. Octobris 1621. abſolutè firmat, Confeſſores ab Epiſcopo non approbatos, Confeſſiones audire non poſſe, etiamſi lis pendeat ſuper approbatione, ſive licentia danda.

11 Quod adeò verum eſt, ut nec ipſe Epiſcopus poſſit impertire hanc licentiam Sacerdoti non ſibi ſubdito abſque proprii Ordinarii licentia, ut habet declaratio Sacræ Congregationis Concilii ad *dict. cap. 15.* ubi ex Cardinali Carafa *num. 1. & 10.* Interpretes dixere, nullus, præterquam Epiſcopus, ſe interponere debet in iis, quæ ſpectant ad approbandum Sacerdotes, Sacros Confeſſionis Miniſtros. Et *numero* 4. quod ne ipſi quidem Superiores, & Prælati regulares poſſunt audire Confeſſiones ſæcularium, ipſi inſervientium, abſque licentia Epiſcopi.

12 Unde Confeſſiones aliter auditæ ſunt invalida per clauſulas irritantes Conſtitutionis Beati Pii V. quæ eſt 133. in Bullario, declarata per Sacram Congregationem Concilii *in d. cap. 15. num. 11.* his verbis: *An abſolutio data a Sacerdote vigore facultatis generaliter a Summo Pontifice, vel ſpecialiter a Parocho conceſſæ, ſi ab Epiſcopo is Sacerdos examinatus, & approbatus non fuerit, valida cenſeatur quoad eos, qui tali Sacerdoti bona fide confeſſi ſunt, rati eſſe approbatum, vel ignorantes approbationem requiri? Congregatio Concilii cenſuit, nullam cenſeri, tametſi confitentes quoad Deum accuſati cenſeantur. Ubi tamen reſciverint, reiterandam eſſe Confeſſionem*. Idem repetit alia declaratio ſub *num. 12. &* nos ſæpè.

13 Atque his inhærendo Clemens VIII. in ſua Conſtitutione 115. §. 8. præſcribit Regularibus ad audiendum Confeſſiones duplicem approbationem, a ſuo ſcilicet Superiore, & ab ipſo Ordinario loci. Notatque Cardinalis Bellarminus in dictum Concilii locum. Et hanc doctrinam religioſiſſimè ſectantur Patres Societatis Jeſu, decernentes Prædicatores, & Confeſſarios per Provincialem conſtituendos eſſe, præmiſſo tamen domeſtico examine, & approbatione Ordinariorum juxta formam Sacri Concilii Tridentini. Ita legitur in Regula Societatis *cap. 3. de regimine Provincialis numer. 26.* & in Regula Miſſionum *num. 7. pag. 169. & in compendio Privilegiorum Societatis v. Confeſſarius §. 2.* ubi habetur declaratio P. Claudii Aquavivæ. Præpoſiti Generalis ſub *num. 11. v. abſolutio §. 1.* referente, & approbante Sanchez *de ſtat. relig. lib. 9. cap. 17. num. 41.*

Idque procedere, non obſtantibus quibuſcumque Privilegiis, docent omnes ferè Doctores, nominatim ex Societate Jeſu doctiſſimi Viri Suarez *tom. 4. in 3. part. D. Thomæ diſp. 18. ſect. 7. dub. 3.* Valquez *in dict. par. 3. qu. 93. dub. 7.* Card. de Lugo *de Sacram. Pœnit. diſput. 41. ſect. 2. num. 19.* Fagundez *in præcept. Eccleſ. lib. 7. cap. 2. num. 85.* Filliucius *tom. 1. tract. 7. cap. 9. num. 263.* Emanuel Sà *in aphor. v. Confeſſor. num. 4.* Cardinalis Tolet. *lib. 3. ſumm. cap. 13. num. 6.* omneſque alii, qui de hoc argumento ſcripſerunt poſt Concilium Tridentinum, quibuſcumque Regularium Privilegiis minimè obſtantibus, cùm diſpoſitio Beati Pii V. comprehendat omnes Regulares, etiam Societatis Jeſu, ut notat Barboſ. *in coroll. Concil. cap. 16. ſeſſ. 21. de refor. num. 8. & in collect. Bullar. v. Cler. regulares Societatis Jeſu*, illiſque per clauſulas generales derogatoriarum ſatis derogatum fuiſſe, tradit Diana *part. 7. tract. 10. reſol. 19.* 14

Et ita quidem, ut non obſtet tolerantia Epiſcoporum, qua interdum Regulares Confeſſiones ſæcularium audiunt abſque illorum approbatione, quæ per tolerantiam cenſetur remiſſa. Nam tolerantia ſuperioris non tribuit jus aliquod inferiori per text. *in cap. fin.* ubi Gloſſ. *v. approbare de ſentent. excommun.* Grilenſon. *conſ. 157. num. 3.* ubi quod, quando tolerantia habet vim conceſſionis, oportet quod dependeat a Superiore, ita expreſsè volente. Maximè autem in his actibus facultativis, nempe in quibus Ordinarius ex cauſa poteſt non concedere licentiam, & non approbare. Quo caſu ex tolerantia non inducitur conſuetudo, ſive jus aliquod contra tolerantem, Rota coram Gregorio *deciſ. 162. numer. 10.* ibique Adden. *lit. C.* 15

Immò ad hunc effectum requiritur, quod Ordinarius prohibuerit, & ipſe, non obſtante prohibitione, acquieverit. Ita in terminis examinis, ac approbationis dixit Rota in Hiſpalenſi Curæ Sacrarii 7. Maji 1618. coram Remboldo per hæc verba. Concluſum fuit &c. Non obſtat prætenſa quaſi poſſeſſio Capituli dictos Capellanos deputandi, nullo alio prævio Ordinarii examine. Quia ultra quod &c. non fuit dicto Capitulo acquiſita quaſi poſſeſſio juris negativi, quod ſcilicet dictus Archiepiſcopus non poſſit dictos Capellanos examinare, antequam admittantur, & admiſſos rejicere, niſi probetur eveniſſe caſum, quod dictus Archiepiſcopus voluerit illos examinare, & fuerit prohibitus, atque huic prohibitioni ipſe acquieverit, & Capellani fuerint abſque ejus examine admiſſi, cùm iſtud ſit requiſitum neceſſarium ad hoc, ut poſſet dici quæſita Capitulo quaſi poſſeſſio juris negativi, ad tradita per Doctores *in cap. Eccleſia Sutrina de cauſ. poſſeſſ. & propr.* Aym. *conſ. 154. num. 2.* Rota *div. deciſ. 411. num. 7. part. 1.* Card. Seraph. *dec. 151.* Obſtat enim dictæ poſſeſſioni Decretum Concilii, & Illuſtriſſimæ Congregationis dicti Concilii Interpretum declarationes, quibus, ut ex copia, quæ datur, apparet fuiſſe deciſum, quod Capellani, ut ſupra deputati, tenentur ſe, etiam non obſtante quavis alia, etiam immemorabili poſſeſſione in contrarium, Epiſcoporum examini ſubjicere. 16

Et in Dertuſenſi Vicariæ 21. Aprilis 1624. coram Merlino in hunc modum, firmato in hac cauſa &c. Præſertim, quia non probatur nominationem aliquam Capituli ad Vicarios præfatos fuiſſe rejectam ab Ordinario, & ita deventum fuiſſe ad actum prohibitionis, ſeu contradictionis cum ſubſequuta acquieſcentia Capituli, prout requiritur ad effectum, ut amittatur jus, ſive Privilegium, & inducatur contraria quaſi poſſeſſio in facultativis, Franch. *in cap. ſignificante num. 3. de appell.* Felin. *in cap. Paſtoralis num. 5. de offic. ordin.* Caſtren. *in leg. Qui luminibus num. 2. verſ. ſed tamen ff. de ſervit. urban. præd.* Rota apud Seraph. *dec. 1080. num. 6.* & in Rheatina Barchæ 23. Januarii 1617. coram R. P. D. Buratto. Et quatenus etiam probationem hujuſmodi prohibitionis cum acquieſcentia Capituli præſtitiſſet Epiſcopus, attamen Domini reſpondebant, inde non aliud inferri poſſe, niſi errorem, tàm Epiſcopi, quàm etiam Capituli. Sic Rota. 17

Unde tolerantia hujuſmodi poterit quidem excuſare culpam ante hac, non autem conferre inferiori jus aliquod erga Superiorem in poſterum. Ita ſimili objectioni reſpondit Rota in Treverenſi Abbatiæ S. Maximini coram Coccino, relata a Caſtellino *de elect. cap. 4. n. 29.* 18

Hoc idem prorſus dicendum eſt de prædicatione: Quia idem Concilium Tridentinum *ſeſſ. 5. de reform. cap. 2.* quoad Regulares in propriis Eccleſiis ſtatuit, eos teneri petere benedictionem ab Ordinario, antequam prædicent. In aliis verò Eccleſiis licentiam, & approba- 19

tionem, & *seſſ. 24. cap. 4.* Extatque declaratio Sacræ Congregationis Concilii apud eundem Cardinalem Caraſam ſub *num. 27.* Ordinarium etiam a Concionatoribus petere poſſe profeſſionem fidei.

20 Quare poterit Epiſcopus in Contumaces, & inobedientes Confeſſarios, & Concionatores Eccleſiaſticis cenſuris animadvertere, ut diſponit Gregorius XV. in dicta ſua Conſtitutione *Inſcrutabili §. 6.* & Urbanus VIII. in ſua quoque Conſtitutione edita 22. Septembris 1628. ubi derogatur omnibus privilegiis Regularium, & quarumcumque Societatum, etiam Societatis Jeſu. Quæ omnia magis procedunt contra Regulares, qui nullum privilegium exhibent, quique exhibere tenentur, ac ſolemniter publicare, ut ſtatuit Sixtus V. apud Caſarub. *in privil. mendicant. v. Conſervatores.*

21 Ex quibus manifeſtum eſt, Regulares omnes, etiam Societatis Jeſu, non poſſe audire ſacras Confeſſiones perſonarum ſæcularium ſine approbatione Epiſcopi, ut in Concilio Tridentino *dict. cap. 15.* & *in d.* Brevi Urbani Octavi incipien. *Cùm ſicut accepimus*, in quo revocantur omnia indulta audiendi ſæcularium confeſſiones abſque Ordinarii examine, & approbatione quibuſvis Regularibus conceſſa. Similiter manifeſtum eſt, prædictos Regulares non poſſe prædicare in Eccleſiis in Ordinis, non petita Epiſcopi benedictione, nec in aliis Eccleſiis ſine ipſius licentia, ut in *d. cap. 2. ſeſſ. 5.* nec in Eccleſiis etiam ſui Ordinis, ipſo contradicente, ut *in cap. 4. ſeſſ. 24.*

22 At licèt Epiſcopi decretorum Sacri Concilii Tridentini ſint exequutores, non tamen illa exequi poſſunt contra exemptos, niſi in caſibus, in quibus hæc facultas ſpecialiter eis attribuitur. Quod factum non legitur in præcitatis decretis Concilii. Quinimmò Bulla Pii IV. quæ incipit: *Benedictus Deus in §. mandamus autem*, dum præcipit Epiſcopis, ut decreta ipſius Concilii in ſuis Eccleſiis, Civitatibus, & Diœceſibus obſervent, & obſervari faciant, addit illa verba: *a ſubditis quiſque ſuis*, quales non ſunt Regulares exempti. Et Concilium in *dict. cap. 2. ſeſſ. 5.* poſteaquam inhibuit, ne Regulares prædicent, non petita benedictione, vel non obtenta licentia Epiſcopi, immediatè ſubjunxit: *Si verò, quod abſit, Prædicator errores, aut ſcandala diſſeminaverit in Populum, Epiſcopus ei prædicationem interdicat. Sed ſi hæreſes prædicaverit, contra eum ſecundùm juris diſpoſitionem, aut loci conſuetudinem procedat, tanquam Sedis Apoſtolicæ delegatus.* Unde patet quanta circumſpectione proceſſerint Patres Concilii in non violandis exemptorum privilegiis, cùm noluerint quoad hoc eos ſubjicere coercitioni Epiſcopi, niſi in prædictis duobus caſibus, & tunc authoritate tantùm delegata.

23 Ideòque Sacra Congregatio Cardinalium ejuſdem Concilii Interpretum conſulta, an Regulares abſque Epiſcopi approbatione perſonarum ſæcularium confeſſiones audire præſumentes, ab ipſo Epiſcopo jure puniri queant, die 9. Maji 1597. reſpondit: non poſſe puniri ab Epiſcopo, ſed tantùm a ſuis Superioribus regularibus. Et in cauſa Hieracenſi die 14. Decembris 1613. cenſuit: *In Eccleſiis ſuorum Ordinum Prædicatores debere prius ſe Epiſcopo præſentare, ab eoque petere benedictionem. Si verò in aliis Eccleſiis prædicare voluerint, etiam licentiam habere, teneri. Nullo autem modo, Epiſcopo contradicente, prædicare debere. Cæterùm non poſſe ab Epiſcopo prohiberi per cenſuras, atque alias pœnas, quemadmodum ſi contrafecerint, non ab Epiſcopo, ſed a ſuis Superioribus eſſe puniendos.*

24 Sicque in vim Concilii Tridentini non poſſunt Epiſcopi prohibere ſub excommunicationis latæ ſententiæ pœna Regularibus, qui non docent ſe hujuſmodi approbationem, ac licentiam obtinuiſſe, ut a Confeſſionibus audiendis, & prædicatione verbi Dei abſtinerent, & ab hac manifeſta injuria, & violentia liceret eis ad remedium Conſervatorum confugere, ut ex *cap. 1.* & *final. de offic. deleg. lib. 6.* dicuntur enim Conſervatores contra notorias injurias ſervatores, ut inquit Archid. *in d. cap. 1.*

25 Verùm poſteà ſupervenit d. Conſtitutio Gregorii XV. cujus initium, *Inſcrutabili Dei providentia*, quæ tribuit facultatem Epiſcopo, tanquam Sedis Apoſtolicæ Delegato coercendi, ac puniendi, etiam per cenſuras Eccleſiaſticas, Regulares delinquentes in adminiſtratione alicujus Sacramenti, & verbum Dei prædicantes, non petita, vel habita Epiſcopi benedictione, aut ipſo contradicente. Et quamvis hæc Conſtitutio dicatur fuiſſe ſuſpenſa in Hiſpania per Breve Urbani Octavi, tranſmiſſum ad Cardinalem Sacchettum tunc temporis ibi Nuncium Apoſtolicum, de hoc tamen non liquet authenticè, & Conſtitutio Gregorii dicitur recepta in Indiis etiam ex ordine Regio, ut obſervat Fagnan. *in cap. ſane 2. num. 27. de offic.* & *poteſt. judic. deleg.* Unde non videtur ambigendum, quin Epiſcopus in vim hujus Conſtitutionis poſſit ſub cenſuris prohibere Regularibus, ne confeſſiones ſæcularium audiant, aut verbum Dei prædicent abſque ſua approbatione, ac licentia.

Subditque Fagnanus, non obſtare, quod ex decreto 26
Sacræ Congregationis Epiſcoporum, & Regularium, edito die 20. Novembris 1655. Epiſcopus non potuerit duobus integris Collegiis ſimul adimere facultatem audiendi ſæcularium confeſſiones, ipſa Congregatione inconſulta. Etenim decretum hoc ex intentionis defectu non videtur extendi ad remotiſſimas Indiarum partes per Textum in *can. Cùm longè d. 63.* Ac præterea hoc caſu Ordinarius non adimit facultatem audiendi confeſſiones, ſed tantùm prohibet, ne illas audiant Regulares, qui approbationem non obtinuerint, jubetque, ut vel oſtendant, vel petant licentias, quas promptè ſe daturum offert.

Ex quo tollitur etiam aliud objectum, quod Epiſco- 27
pus ex decreto ipſius Sacræ Congregationis non poſſit ſuſpendere Confeſſarios a ſe liberè approbatos ſine nova cauſa, eaque ad confeſſiones pertinente. Nam Ordinarius hoc caſu non ſuſpendit Confeſſarios jam approbatos, ſed tantùm inhibet, ne confeſſiones audiant non approbati. Atque ita videtur ſolùm exequutioni demandare decretum Concilii in vim facultatis ſibi attributæ in præcitata Conſtitutione Gregorii XV. quo poſito, nullam infert injuriam. Nam is, qui jure publico utitur, non dicitur injuriæ inferendæ cauſa hoc facere. Juris enim exequutio non habet injuriam, ait Textus in *l. Injuriarum 1. ff. de injur.* atque adeò non videtur Regularibus licere ob hanc cauſam, quaſi a manifeſtis injuriis Conſervatores eligere.

Juvat his ſubnectere Breve Innocentii X. in quo iſti, 28
aliique multi caſus definiuntur. Illud eſt ac hujuſmodi: *Innocentius Papa X. Ad futuram rei memoriam. Cùm ſicut accepimus, aliquæ fuerint ortæ differentiæ inter Venerabilem fratrem Joannem Epiſcopum Angelorum in Indiis Occidentalibus ex una, & delictos filios Clericos, Regulares Societatis Jeſu, partibus ex altera de, & ſuper munere prædicationis verbi Dei, tàm in propriis eorumdem Clericorum Regularium, petita ſolùm Epiſcopi benedictione, quàm in alienis Eccleſiis, petita, & obtenta ab eodem Epiſcopo Diœceſano licentia exercendi, nec non ſuper confeſſionibus laicorum audiendis, prævio examine, ſive approbatione ejuſdem Epiſcopi Diœceſani, quæ dicti Clerici Regulares in vim privilegiorum prædictæ Societatis Apoſtolica authoritate conceſſorum ſibi proprio jure licere prætendebant, & deſuper in partibus fuerit deventum ad plures actus judiciales, & pro parte Clericorum Regularium hujuſmodi ad electionem Conſervatorum privilegiorum hujuſmodi, nobiſque tàm dicti Joannis Epiſcopi, quàm eorumdem Clericorum Regularium nomine pro ſopiendis differentiis hujuſmodi quædam dubia deciſionem differentiarum præfatarum, nec non juriſdictionem Ordinariorum in exemptos, & ipſorum Clericorum Regularium exemptionem a juriſdictione Ordinarii concernentia fuerint propoſita, ad quæ ambæ partes reſponderi, & quia deſuper conſervandum ſit authoritate noſtra Apoſtolica ſtatui, & ſtabiliri deſiderabant. Nos, qui omnium fidelium, & præſertim Eccleſiaſticorum quieti libenter incumbimus, differentias prædictas, totumque negotium particulari Congregationi aliquorum venerabilium fratrum noſtrorum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium, & dilectorum filiorum Romanæ Curiæ Prælatorum examinandas commiſimus, qui auditis Jacpius Procuratoribus prædicti Joannis Epiſcopi, nec non Procuratore Generali Societatis prædictæ, negotio maturè diſcuſſo, omnibus dubiis, & petitionibus hinc inde præpoſitis reſponderunt, prout ſequitur, videlicet.*

Sacra Congregatio a Sanctiſſimo Domino Noſtro deputata 29
ſuper controverſiis vertentibus inter Epiſcopum Angelorum in Indiis Occidentalibus, & Religioſos Societatis Jeſu, ſæpiùs auditis Procuratoribus, ab eodem Epiſcopo ad Urbem ablegatis, nec non ipſius Societatis Procuratore Generali, negotioque accuratè diſcuſſo cenſuit, prædictos Religioſos nequaquam poſſe in Civitate, & Diœceſi Angelopolitana perſonarum ſæcularium confeſſiones audire ſine approbatione Epiſcopi Diœceſani, nec verbum Dei prædicare in Eccleſiis ſui Ordinis, non petita ipſius benedictione, nec in aliis Eccleſiis ſine ejus licentia, nec in Eccleſiis etiam ſui Ordinis, ipſo contradicente, & contraveniente ab Epiſcopo, tanquam Sedis Apoſtolicæ delegato, coerceri, & puniri poſſe, etiam cenſuris Eccleſiaſticis in vim Conſtitutionis ſan. memor. Gregorii XV. quæ incipit, Inſcrutabili Dei providentia, ac proinde memoratis Religioſis, qui hujuſmodi approbationem, & licentiam ſe obtinuiſſe non docuerunt, potuiſſe Epiſcopum, ſive ejus generalem Vicarium præcipere ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ, ut a confeſſionibus

sionibus audiendis, & verbi Dei prædicatione abstinerent. Nec ob eam causam licuisse dictis Religiosis, quasi a manifestis injuriis, & violentiis eligere Conservatores, eosque, ut præfertur, electos, in Episcopum, ejusque vicarium Generalem indebitè; ac nulliter excommunicationem fulminasse. Cæterum Congregatio serio in Domino hortatur, ac monet Episcopum, ut Christianæ mansuetudinis memor erga Societatem Jesu, quæ laudabili suo Instituto in Ecclesia Dei tam fructuosè laboravit, ac sine intermissione laborat, paterno se gerat affectu, eamque in regimine Ecclesiæ suæ perutilem Adjutricem agnoscens, benignè, foveat, ac pristinæ suæ benevolentiæ restituat, quemadmodum S. Congregatio ipsum facturum confidit, sibique certò pollicetur, cùm ejus zelum, pietatem, ac pastoralem sollicitudinem compertam habeat. Datum Romæ die 16. Aprilis 1648.

30 Et premissorum occasione pro parte prædicti Joannis Episcopi, nec non Religiosorum Societatis Jesu in eadem Congregatione proposita fuerunt diversa dubia de mandato Santissimi resolvenda, quæ quidem S. Congregatio sæpius auditis, ut in præmissis, ab eodem Episcopo ad Urbem missis, nec non Procuratore generali ipsius Societatis, negotioque maturè perpenso, ad singula dubia ab utraque parte proposita, respondit ordine, quo sequitur.

31 Primò. *An in casu, quo Episcopus præcipiat decreta aliqua Concilii Tridentini a Regularibus observari, & exequutioni demandari, Regulares quicunque, etiam Societatis Jesu, sub prætextu, quod hujusmodi præcepta infringant sua privilegia, possint eligere Conservatores?* Congregatio respondit, *si Episcopus præcipiat Regularibus, etiam Societatis Jesu, ut decreta aliqua Concilii Tridentini observent, ac exequantur in illis casibus, in quibus per ipsum Concilium, vel Constitutiones Apostolicas Regulares exempti subjiciuntur jurisdictioni, & correctioni Episcopi, minimè licere ipsis Regularibus ob eam causam Conservatores eligere.*

32 Secundò. *An quando Ordinarius procedit, juris ordine servato, adversus Regulares exemptos in casibus, in quibus per Concilium Tridentinum, vel Constitutiones Apostolicas ipsi subjiciuntur, possint Conservatores Judices assignare?* Respondit, ut ad proximum, *non posse.*

33 Tertiò. *An Regularibus, etiam Societatis Jesu, asserentibus, se habere privilegia, quominus obediant Episcopo in exequutione decretorum juris communis, Concilii Tridentini, & Constitutionum Apostolicarum, Ordinarii debeant ipsis adhibere fidem absque exhibitione hujusmodi privilegiorum?* Respondit. *Ordinarios non teneri hujusmodi assertioni fidem adhibere absque integrali privilegiorum exhibitione.*

34 Quartò. *An in casu quo, Regulares quicunque, etiam Societatis Jesu exhibeant aliqua privilegia, & Ordinarii judicent, ea non suffragari casui, de quo agitur, & ad rem non facere, Regulares præfati possint, ac debeant prouocare ad Summum Pontificem, vel in partibus Indiarum remotissimis ad Metropolitanum, sive Ordinarium viciniorem, vel potius possint hoc casu eligere Judices Conservatores?* Respondit: *Si verba privilegiorum sunt obscura, & ambigua, non licere recurrere ad Metropolitanum, vel viciniorem Episcopum, nec Conservatores eligere, sed ad Summum Pontificem pro interpretatione esse adeundum.*

35 Quintò. *Utrum Constitutio fœl. record. Gregorii, XV. circa Conservatores Regularium, publicata anno 1611. cum declarationibus Eminentissimorum Sacræ Congregationis Concilii Interpretum desuper editis æquè afficiat, & comprehendat Religiosos Societatis Jesu, ac reliquos Regulares, itaut omnia alia præfatæ Societatis privilegia fuerint reducta ad terminos dictæ Constitutionis, & sic in posterum debeant ab iis eligi Conservatores, juxta formam, & tenorem præscriptæ Constitutionis.* Respondit, *hujusmodi Constitutionem cum declarationibus, ut præfertur editis, æquè afficere Religiosos Societatis Jesu,* atque aliorum Ordinum, & Conservatores ad illius præscriptum esse eligendos, non obstantibus quibusvis privilegiis, quippe quæ omnia sunt redacta ad terminos ipsius Constitutionis.

36 Sextò. *An Regulares prædicti gravati ære alieno, vel ad ratiocinia, vel Testamentorum exequutione possint conveniri coram Ordinario, si Conservatores non nominaverint intra tempus habile ab Ordinario præscriptum?* Respondit, *Regulares in causis præfatis coram Ordinario loci esse conveniendos, si ad præscriptum Constitutionis fa. mem. Gregorii XV. Conservatores non elegerint, ipsumque electionis documentum intra præfinitum tempus in actis Curiæ ipsius Ordinarii non exhibuerint, ac dimiserint.*

37 Septimò. *An dicti Regulares, conservatores, sive ad jura, sive ad privilegia tuenda assumentes, teneantur ante exercitium commissionis præstare cautionem coram Ordinario, sive alio Judice competente de judicio sisti, & judicatum solvendo, casu, quo in lite, sive causa succubuerint?* Respondit, *non teneri.*

Octavò. *An quando Episcopus jura, vel decimas Cathedralium adversus Regulares prædictos, dote sua spoliantes Ecclesias, coram Judice competente tueatur, libros que, memorialia, & allegationes producunt, jus Ecclesiarum Cathedralium exprimentes, & acquisitiones Religiosorum, aliæque id genus annumerantes, hujusmodi scriptorum occasione possint Regulares nominare Conservatores, prætendentes injuriam sibi inferri in referendo immoderatas acquisitiones?* Respondit, *si Episcopi pro tuendis juribus Cathedralium Ecclesiarum coram Judice competenti hujusmodi scripta producant, & Regularium immoderatas acquisitiones veraciter, & modestè referant, non licere ob eam causam ad Conseruatores recurrere.* 38

Nonò. *Utrum Regularis quicumque, etiam Societatis Jesu, possit administrare Sacramentum pœnitentiæ sæcularibus absque licentia Episcopi Diœcesani, etiamsi in alia Diœcesi ab Episcopo approbatus sit?* Respondit, *Regulares, etiam Societatis Jesu, in una Diœcesi ab Episcopo approbatos, ad confessiones personarum sæcularium audiendas, nequaquam posse in alia Diœcesi hujusmodi confessione audire, sine approbatione Episcopi Diœcesani.* 39

Decimò. *An Episcopus contra dictos Regulares audientes in sua Diœcesi confessiones sæcularium absque approbatione, vel concionantes absque licentia Episcopi intra, & extra proprias Ecclesias, possit procedere, eos è talibus Ministeriis removendo, sive præceptis, & aliis juris remediis coercendo?* Respondit, *eisdem Regularibus, qui confessiones personarum sæcularium audiunt sine approbatione Episcopi loci, vel prædicant in Ecclesiis sui Ordinis, non petita illius benedictione, aut in aliis Ecclesiis absque ipsius licentia, vel in Ecclesiis, etiam sui Ordinis, ipso contradicente, posse Episcopum in vim Constitutionis fœl. record. Gregorii XV. quæ incipit, Inscrutabili Dei providentia, tanquam Sedis Apostolicæ delegatum administrationem Sacramenti pœnitentiæ, ac munus prædicationis interdicere, eosque juris remediis coercere ac punire.* 40

Undecimò. *An quando Episcopo constat, dictas licentias obtentas non fuisse, possit ipse præcipere, ut donec licentiam intra præscriptum tempus exhibeant, a tali Ministerio abstineant, & an requirendus sit per Episcopum pro his exhibendis Provincialis in alia Diœcesi, vel longissimè existens, vel ipsi Regulares Confessarii, vel eorum superiores ejusdem Diœcesis, in qua prædicta exercentur?* Respondit, *posse Episcopum sic præcipere, nec pro hujusmodi licentiis requirendum esse Provincialem, sed satis esse ipsos Religiosos requirere, aut eorum Superiores in Diœcesi Episcopi existentes.* 41

Duodecimò. *An si contingat, ut aliquis prædictorum Regularium injurgat contra Episcopum in propria Diœcesi, maledictis, scripto, vel dicto Populum scandalizando, possit ab Episcopo puniri, & qua animadversione? Et quid si hujusmodi delinquens transiverit ad aliam Diœcesim. hoc casu servandum sit, & qua pœna puniendus sit Regularis, qui commorans in una Diœcesi, spargat famosos libellos contra Ordinarium alterius Diœcesis?* Respondit, *si Regularis intra claustra degens, extra ea in casibus in dubio expressis, ita notoriè deliquerit, ut populo scandalo sit, Episcopo instante, teneri Superiorem Regularem intra tempus ab eo præfigendum, severè illum punire, ac de punitione Episcopum certiorem facere, alioquin sic delinquentem ab Episcopo puniri posse ad præscriptum Concilii Tridentini capit. 14. sess. 25. de Regul. Quod si delinquens ad aliam Diœcesim migraverit, servandum esse quod præcipitur in Constitutione sanctæ memoriæ Clementis Octavi incipien. suscepti muneris ratio.* 42

Decimotertiò. *An conservatores nominati, & electi a Regularibus præscriptis ante exercitium suæ jurisdictionis, teneantur electionis authenticum documentum exhibere coram Ordinario sub pœna nullitatis actuum?* Respondit, *utique teneri.* 43

Decimoquartò. *An privilegia, quæ sunt contra jurisdictionem Ordinarii, & quibus gaudent, & gaudere prætendunt, Regulares præfati, debeant Episcopis notificari seu insinuari?* Respondit, *Regulares teneri hujusmodi privilegia Episcopo exhibere si eis uti voluerint.* 44

Decimoquintò. *An prædia rustica, metallorum fodinæ, sacchari opificinæ a Regularibus Societatis, vel aliis possessa, vel aliæ domus sæculares, in quibus videlicet unus* 45

unus, vel duo Regulares tantùm Commorantur, gaudeant privilegio Collegiorum, seu Conventuum? Respondit, *non gaudere.*

46 Decimosextò. *Utrum Regulares præscripti apothecas quarumcumque mercium, macella, & similia, præsertim propè collegia, seu Conventus exercentes, possint ab Ordinario sub censuris inhiberi, ne hujusmodi exerceant?* Respondit; *non posse Episcopum hæc prohibere Regularibus exemptis; sed si in præmissis ita notoriè delinquant extra claustra, ut Populo scandalo sint, servandum esse, quod dictum est supra in responsione ad duodecimum.*

47 Decimoseptimò. *Utrum Regulares, etiam Jesuitæ in suis prædiis, opificiis, aliisque suis domibus sæcularibus, sitis intra limites Parochialium, ad se spectantium, possint administrare Sacramenta baptismatis solemnis, matrimonii, extremæ unctionis, & Eucharistiæ in festo Paschatis famulis, mercenariis, rusticis, sive aliis id genus hominibus sæcularibus absque Ordinarii, vel Parochi licentia?* Respondit, *non posse.*

48 Decimooctavò. *Utrum Patres Societatis in Civitate, & Diœcesi Angelorum possint consecrare vasa sacra, Altaria, & similia, in quibus unctio requiritur?* Respondit itidem, *non posse.*

49 Pro parte verò Religiosorum Societatis Jesu proposita fuerunt infrascripta dubia.

50 Primò. *An Episcopi in partibus Indiarum possint ex integro totum unum Monasterium, vel collegium ab audiendis confessionibus suspendere?* Respondit, *Episcopum Indiarum posse quidem omnibus simul unius Monasterii, vel Collegii Confessariis adimere facultatem audiendi confessiones personarum sæcularium, etiam inconsulta Sacra Congregatione Episcoporum, & Regularium negotiis præposita, cùm decretum ab ea editum sub die 20. Novembris 1615. ex intentionis defectu, & convenientia morali non extendatur ad regiones illas tàm longè ab urbe dissitas. Verum ab hac generali suspensione, quæ vix sine scandalo, & animarum pernicie contingere potest, abstinendum esse Episcopis, nisi gravissima subsistente causa, super quo Sacra Congregatio illorum conscientias graviter voluit esse oneratas.*

51 Secundò. *An Episcopus Regularem pro confessionibus semel approbatum sine nova causa suspendere possit ab ipsis confessionibus audiendis?* Respondit, *Regulares, aliàs liberè ab Episcopo, prævio examine approbatos ad audiendas confessiones personarum sæcularium, ab eodem Episcopo suspendi non posse sine nova causa, eaque ad Confessiones ipsas pertinent.*

52 Tertiò. *An Bulla Pii Quinti 34. in Ordine tom. 2. Bullarii, concessa, instante, & supplicante Serenissimo Rege Catholico, non ad petitionem Regularium, sit revocata in Bullis Summorum Pontificum, in quibus exemptiones Regularium mitigantur?* Respondit, *agendum cum Sanctissimo, an velit declarare Bullam non esse revocatam, illam tamen non suffragari, nisi in locis, ubi est defectus Parochorum.*

53 Quartò. *An Episcopus possit cum censuris procedere contra Regulares exemptos, si inobedientes fuerint in confessionibus audiendis, vel prædicatione verbi Dei, & hoc, an vigore Concilii Tridentini, vel per quem Canonem?* Respondit, *posse procedere, non quidem in vim Concilii Tridentini, sed in vim Constitutionis Gregorii XV. quæ incipit, Inscrutabili Dei Providentia.*

54 Quintò. *An licentia audiendi confessiones, & prædicandi ab Episcopo per literas missivas, an solùm per literas patentes Cancellariæ concedi possit?* Respondit, *posse concedi, etiam per literas missivas, si ita Episcopo videbitur.*

55 Sextò. *An talis licentia oretenus sine scripturis concedi possit?* Respondit, *ut ad proximum.*

56 Septimò. *An facultas eligendi Conservatores, concessa Societati a Gregorio Decimotertio suffragetur illis in locis, in quibus non adsunt Judices Synodales?* Respondit, *privilegium Gregorii XIII. suffragari, ut Societas non teneatur ex illis eligere conservatores, dummodo tamen in reliquis servetur forma Constitutionis Gregorii Decimiquinti hac de re edita.*

57 Octavò. *An Conservatores Societatis Vicarios Generales Episcoporum authoritate Apostolica per sententias, censuras, & pœnas Ecclesiasticas compellere possint, virtute Bullæ Gregorii XIII. incipientis: Æquum reputamus, datæ ultima Februarii* 1573. Respondit, *posse a manifestis injuriis & violentiis eos compescere, etiam censuris & pœnis Ecclesiasticis. Datum Romæ die 16. Aprilis* 1648. *Quapropter, ut præmissa firmius subsistant, & inviolabiliter observentur, nobis pro parte Joannis Episcopi hujusmodi fuit humiliter supplicatum, ut illa authoritate Apostolica confirmare dignaremur. Nos igitur dicti Joannis Episcopi votis hac in re annuere, illumque specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & eumdem Joannem Episcopum a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quis quomodolibet innodatus existit ad effectum præfatum dumtaxat consequendum, harum serie absolvendum, & absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati præinserta responsa, sive resolutiones authoritate prædicta tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illisque Apostolicæ firmitatis vim, & robur adjicimus & inviolabiliter observari mandamus, salva tamen semper in præmissis authoritate dictæ Congregationis. Decernentes sic, & non aliter in præmissis per quascumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, etiam de latere legatos, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane si quid secus a quoquam quavis authoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, non obstantibus Apostolicis, ac universalibus, Provincialibusque & Synodalibus Conciliis editis generalibus, & specialibus Constitutionibus, & ordinationibus, necnon Ecclesiæ Angelopolitanæ, ac Societatis prædictæ, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel alia quavis firmitatis roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis, Apostolicis ejusdem Ecclesiæ, & Societatis sub quibuscumque verborum tenoribus, formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, ac decretis etiam irritantibus, etiam motu proprio, ac etiam consistorialiter, & aliàs quomodolibet in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis, quibus omnibus, & singulis, etiamsi pro sufficienti illorum derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales, idem importantes, mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium, & singulorum tenores præsentibus pro plenè & sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad effectum præmissorum specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud S. M. Majorem sub annulo Piscatoris die* 14. *Maji* 1648. *Pontificatus nostri anno quarto.*

CONSULTATIO XCVI.

An, quatenus, & qui Regulares eligi possint in Conservatores Regularium? Quibus in casibus, intra quod tempus, & intra quos fines eligi debeant? illustratur decretum Sacri Concilii Tridentini sess. 7. cap. 24. de reform.

VIdetur, posse eligi Regulares, Priores Ecclesiarum Conventualium, qui saltem habitu habent personatum, & dignitatem in Ecclesia Collegiata, qualis non impropriè dicitur Conventualis, atque adeò comprehenduntur in dispositione Textus *in cap. fin. de offic. & potest. deleg. in 6.* ubi Pontifex approbat posse eligi in Conservatores Abbates, seu dignitates, vel personatus in Cathedralibus, vel Collegiatis Ecclesiis obtinentes, ut in specie, hunc Textum exponendo, tradit Monet. *de conserv. cap. 5. num. 16. cum seq.* Idemque antea de Prioribus non habentibus in Conventu Abbatem, cui subsint, ait Rodriq. *to. 1. q. regul. 6. art. 3.* Et cum eadem distinctione inter Priores, ac Prælatos regulares, qui nullum in Monasterio Superiorem habent, & alios habentes Abbatem Superiorem procedit Tambur. *de jur. Abbat. tom. 3. disp. 17. q. 4. n. 6. & q. 5. num. 4.* Quod clarum apparet respectu Clericorum Regularium Societatis Jesu ex privilegio eidem a Beato Pio V. concesso, quod possint in Conservatores eligere omnes, & singulos Episcopos, Archiepiscopos, & Abbates, nec non alias personas in Ecclesiastica dignitate constitutas, ut ex Constitutione 1. §. 2. Gregorii Decimitertii, qui dictum privilegium confirmavit. 1

Ad hanc autem electionem Conservatorum deveniri minimè potest prætextu defensionis privilegiorum Regularium circa exemptionem ab Episcopi jurisdictione, cùm obstet declaratio S. Congregationis, ac decretum Sacri Concilii Tridentini *sess. 7. de reform. cap. 14.* ubi sic disponitur. *In exemptorum causis Constitutio Innocentii Tertii, quæ incipit: Volentes in generali Concilio Lugdunensi edita, servetur, quam eadem Sacrosancta Synodus innovandum censuit, & innovat, addendo insuper, quod in civilibus causis mercedum, & miserabilium personarum Clerici Sæculares, aut Regulares extra Monasterium degentes quomodolibet exempti, etiamsi* 2

cer-

certum Judicem a Sede Apostolica deputatum in partibus habeant, in illis verò, si ipsum Judicem non habuerint, coram Locorum Ordinariis, tanquam in hoc ab ipsa Sede delegatis, convenire, & jure medio ad solvendum debitum cogi, & compelli possint, privilegiis, exemptionibus, Conservatorum deputationibus, & eorum inhibitionibus adversus præmissa nequaquam valituris.

3 *Quomodolibet exempti*, nisi tamen essent extra Monasterium de licentia suorum Superiorum, ut pro servitio Ecclesiæ, quia tunc non subsunt Ordinario, sed remanent sub visitatione, & jurisdictione suorum Superiorum, & dummodò loca illa, in quibus habitant, sint Membra Monasteriorum, vel ipsis unita. Atque ita censuit Sacra Congregatio Concilii, & *can. qui verè 6. quæst. 1.* sic est intelligendus. Fuitque dubitatum occasione hujus decreti, an Regulares adeuntes Monasteria Monialium sine licentia Episcopi, incidant in pœnam excommunicationis, quam Episcopus suo edicto proposuit? Et dato, quod incidant, an possint absolvi ab eorum Superioribus, an verò ab Episcopo, qui in ipso edicto absolutionem reservavit? Respondit Sacra Congregatio Concilii. Si Regulares ab excommunicatione Ordinariorum suis nominatim privilegiis eximantur, non incidere quidem, sed si intra Claustra degant, puniendos esse juxta dispositionem *cap. 3. sess. 6. de reform.* Et quoad secundum membrum quæstionis respondetur, posse absolvi a suis Superioribus, quatenus incidant, nisi Episcopus sibi absolutionem reservaverit.

4 Sed deveniri debet propter injurias, & gravamina in violento modo procedendi adversus Regulares, aliisque causis, quæ tanquam injuriæ, ac violentiæ manifestæ proculdubio parant viam Conservatorum electioni, tàm de jure juxta *d. cap. fin. de offic. & potest. deleg. in 6.* quàm ex dicta Constitutione Gregorii XIII. decernente Conservatores per Clericos Societatis Jesu eligi posse ad compescendos injuriosos, & cognoscendum de quibuslibet molestiis, & injuriis, ut in *§. 3.*

5 Neque necesse est, quod Episcopus consentiat hujusmodi electioni, & quod eo non consentiente, eligendi sint arbitri super competentia, juxta dispositionem Sacri Concilii *sess. 14. cap. 3. de refor.* Id enim procedit, quando Conservatores non eliguntur adversus injurias illatas ab ipso Episcopo; sed ab aliis, quo in casu ad occurrendum scandalis, quæ aliquando intercedunt Ordinario cum ipsis Judicibus Conservatoribus super competentia jurisdictionis, quam potissimum ob causam ad mutuas inhibitiones persæpè solet deveniri, Sacrum Concilium decrevit, quod in tali casu procederetur ad electionem Arbitrorum, prout declarat Moneta *loco cit. cap. 9. num. 93.* Aliàs enim nunquam poterit dari casus, quod Conservatores habeant facultatem procedendi, etiam per censuras contra Episcopos, cùm Episcopi semper dissentirent, ad hoc, ut deveniatur ad electionem Arbitrorum. Quod est contra mentem Sacrorum Canonum, & ipsius Sacri Concilii.

6 Et quatenus prætendatur, injurias, & gravamina non esse tanti ponderis, quanti existimant Regulares, ponderandum id relinquitur Eminentissimis Patribus Congregationis Sacri Concilii, qui sua prudentia considerare poterunt quanta cum injustitia, & violentia fuerit per Episcopos contra Regulares processum, & quomodo eorum fama, & Religio contaminata remanserint, ut propterea per publicam declarationem instauranda foret.

7 At verò tenendum est, perperam eligi conservatores contra dispositionem *cap. statuimus de offic. & potest. deleg. in 6.* in quo permittitur, immò potiùs restringitur electio ad Episcopos, & Abbates, similesque in dignitate Ecclesiastica constitutos, ut per Rodriq. *d. tom. 1. qu. 65. art. 3.* qui licèt proferat, Guardianos ac Priores Mendicantium dici in Ecclesiastica dignitate constitutos, firmat tamen, eos officium Conservatoris exercere non posse, etiam cum licentia suorum Superiorum & post Baldum, Socinum, Alexandrum, & Alciatum tradit Barbos. *de offic. & potest. Episcop. part. 3. alleg. 106. numer. 15.* ubi refertur decretum Sacræ Congregationis Cardinalium, negotiis Episcoporum, & Regularium præpositæ.

8 Qua in re advertendum, quod cùm electio Conservatorum, sive facultas eligendi Conservatores procedat a solo summo Pontifice, ut ex declaratione Sacræ Congregationis *ad c. 5. sess. 24. de refor.* de hac facultate Regulares docere debent, alioquin Episcopus poterit in eos procedere, non obstante, *cap. 2. de offic. & potest. delegat. in 6.* ubi quod Conservatores, ac Judices delegati possint contra Episcopos procedere. Nam intelligitur in delegato ipsius Pontificis, ut notat ibi Glossa, non autem in subdelegatis. Et quamvis Conservatores dentur Regularibus ad tuendum eorum personas, bona, & jura, sub quibus possunt comprehendi eorum privilegia, ut ait Glossa *in d. cap. 1. ad fin.* attamen de iis debet constare, ut notat Rodriq. *loco cit.*

9 Et quamquam ubi non sunt Judices synodales, possint eligi Conservatores, habentes dignitatem in Collegiata Ecclesia ad præscriptum *d. cap. fin. de offic. & potest. delegat.* ut Sacra Congregatio Concilii declaravit, & Prior Conventualis dicatur habere dignitatem in Ecclesia Collegiata, ideoque possit esse non modò Judex delegatus, ut est Text. *in Clem. 2. de rescript.* & notat Felin. post alios *in cap. Cùm olim num. 1. de major. & obed.* Sed etiam Conservator ut in *Clem. 2.* firmant Gloss. *v. delegatus*, Imol. *num. 30.* & Vital. *num. 37.* Tabiena *v. Conservator. §. 2.* Attamen non desunt qui oppositum sentiant, ut Butrius relatus per Imol. *loco cit.* & Sanchez *in decal. tom. 2. lib. 2. cap. 13. n. 79.* Unde quærente Archiepiscopo Turritano, an Regulares unius Conventus, Monasterii, vel Domus, aliquem Priorem, sive Guardianum, vel quemvis alium, quavis dignitate regulari fulgentem, in suum Conservatorem eligere, vel deputare possint? Sacra Congregatio Cardinalium, negotiis Regularium præpositorum, non posse respondit, Romæ 6. Octobris 1617.

10 Multò minus in Conservatores eligi possunt Definitores Provinciæ pro Capitulis Generalibus, qui nullam habent dignitatem Ecclesiasticam, eorumque authoritas ultra decem, vel quindecim dies non extenditur; Ideòque in Conservatores eligi non possunt, ut in *d. cap. fin. de offic. & potest. deleg. in 6.* licèt gesta fortè sustineri poterint ex persona alterius legitimi Conservatoris, si ambo fuissent deputati in solidum, ut in *cap. Cùm plures eod. tit. & lib.* Vel cum clausula: *Quod si non omnes &c. ut in cap. Scisitatus de rescript.* licèt sit argumentum contra *in cap. Messana de election.*

11 Et notandum, quod ex Constitutione Bonifacii Octavi *in d. cap. fin.* statutum est, ut Conservatores ultra unam diætam aliquos a fine Diœcesum eorum trahere non præsumant. Unde quamvis in suo edicto asserentes, se hoc facere in vim Constitutionis Gregorii XIII. quæ extendit facultatem Conservatorum ad tres diætas, attamen hæc Constitutio sublata est per Constitutionem posteriorem Gregorii XV. de Conservatoribus *§. 11.* ubi Gregorius innovat prædictam Constitutionem Bonifacii Octavi in omnibus, quæ suæ Constitutioni non adversantur, & contrariis privilegiis derogat.

12 Nec Conservatores excedere debent, ne in ordine quidem procedendi. Nam etsi generaliter Conservatores Regularium possint uti Censuris Ecclesiasticis, etiam contra Episcopos, tàm de jure communi per *d. cap. 2. de offic. deleg. in 6.* quàm ex memorata Constitutione Gregorii XIII. *§. 3.* & Sacra Congregatio Concilii in compilatione Constitutionis Gregorii XV. de conservatoribus noluerit eis hanc facultatem adimere, tamen in his deferendum est præcipuè dignitati Episcopali, & servandus ordo præscriptus in *d. cap. 2.* Unde ab initio non debent excommunicare Episcopos. Et quamvis excommunicatio ex hoc capite non esset nulla, quia ille Textus procedit de honestate, tamen ut ibi ait Glossa, ipsi non benè facerent. Quare quemadmodum Regulares Episcopis, ut par est, honorem, & reverentiam exhibere debent, ita quoque Episcopi erga Regulares, qui in Ecclesia Dei fructus tàm uberes in dies proferunt, paterno se gerere debent affectu.

CONSULTATIO XCVII.

De Episcopo regulari? An liceat ad Episcopatum assumi Regularis? A quo promovendus? Ubi de Romani Pontificis authoritate in promovendis Episcopis; An expediat promoveri? Quomodò promovendus? Alia plura præsertim de palii usu, ac potestate.

AB ipsis ferè Apostolorum temporibus Ecclesia Religiosos viros a Monachali instituto ad Episcopatum assumpsit, ut in sequenti consultatione fusius demonstrabo. Id comprobant Sacri Canones, ut *can. de Monachis 16. quæst. 1. can. Monachus 18. quæst. 1. cap. statutum de elect. in 6. cap. nullus Religiosus, cap. Quorumdam cum aliis eod. tit.* Unde illud, quòd effutivit Joannes Andreas, celebris alioquin Canonista, quod scilicet transitus a simplici Religioso statu ad statum Episcopalem, sit quædam subtilis apostasia, falsum est, irreligiosum, ac contra judicium Sedis Apostolicæ, minusque rectè deduxit. Calvinus *lib. 4. Instit. cap. 13. §. 8.* olim pios viros, qui Monachi fiebant, hoc tantùm intendisse, ut in Monastica disciplina se præpararent ad Episcopatum.

Nam eos è Monaſterio ad Epiſcopatum aſcendiſſe invitos infra oſtendemus, ex quo hæretici effatum præclarè improbat Bellarm. *de Monach. tom. 2. cap. 6.* adductis plurium Epiſcoporum Monachorum ſententiis, quibus fatentur, ſe nonniſi coactos Monaſterium reliquiſſe. Quod evincitur ex Auguſtino *epiſt.* 81. relata in *can. vos autem 16. qu. 1.* ubi conſtat, conſuetudinem tunc fuiſſe aſſumendi Monachos ad Epiſcopatum, hortaturque eos Auguſtinus, *ut dignitatem nec elatione avida ſuſciperent, nec blandiente deſidia reſpuerent ſed mihi corde obtemperarent Deo.*

2 Quoniam verò ad Summum Pontificem jure divino pertinet aſſumere omnes Epiſcopos, eoſque Eccleſiis in toto Orbe præficere, atque adeò etiam Regulares, ut probatur ex collata Petro, ac ſucceſſoribus poteſtate *Matth. 16. & Joannes 21. ex can. quis neſciat diſt. 11. ex can. omnes dict. 22.* ac toto titulo *de elect. & transl. Epiſcoporum*, firmatque S. Tom. *in opuſc. contra errores Græcorum*, Cajet. *de author. Papæ, & Concilii cap. 13.* Suarez *de pœnit. diſp. 25. ſect. 1. num. 10.* Dual. *tom. 2. part. 3. qu. 6.* Bellarm. *tom. 1. controver. de Rom. Pontif. lib. 4. cap. 24. & tom. 2. de Cler. lib. 1. cap. 8.* Azor. *inſt. moral. p. 2. lib. 2. cap. 48. quæſt. 3.* Ideo hujuſmodi aſſumptio, ſive electio non indiget alterius confirmatione, aut aſſenſu.

3 Nam hoc ferunt tituli illi, *Romana Sedes, mater dignitati Sacerdotalis, & Romana Eccleſia matris, & radix totius Catholicæ Eccleſiæ*, Item *Petrus author nominis, & honoris Epiſcopalis*. Leguntur iſta apud varios antiquos Pontifices, qui cùm ſanctiſſimi, & eruditiſſimi fuerint nec falſi ſunt per ignorantiam, nec fallere voluerunt per malitiam. Ita ergo Anacletus *epiſt. 1.* Julius I. *epiſt.* etiam prima ad Orientales, Innocentius quoque primo *epiſt.* ad Concilium Carthaginenſe, quæ eſt apud S. Auguſtinum *93.* Itemque ibidem *epiſt. 91.* Similiter S. Leo *epiſt. 89. & ſerm. 3. de anniverſ. ſuæ aſſumpt.*

4 Propoſitio ergo tot, tantorumque Pontificum authoritate communita, & ſancti inſuper Cypriani ſuffragio roborata cum eodem ſenſu nominat Eccleſiam Romanam *radicem, & matricem Catholicæ Eccleſiæ*, necnon ſancti Cæſarii *ep.* ad Symmachum Papam, diſertè ajentis, Epiſcopatum ſumere initium a perſona B. Petri, indeque optimè inferentis, Romani Pontificis eſſe, omnes docere, non poteſt non continere ſenſum verum, ſed quis ille ſit, non omninò liquet.

5 Exiſtimarunt aliqui, eatenus in S. Petro cepiſſe Epiſcopatum, & ab eo emerſiſſe totam Epiſcopalis nominis authoritatem, quod prædictæ loquutiones ferunt, quatenus omnes planè Orbis univerſi ordinationes, vel a Sancto Petro, vel ab ejus ſucceſſoribus ſunt derivatæ. Nam ſolum Sanctum Petrum fuiſſe a Chriſto ordinatum Epiſcopum, ab ipſo autem Sancto Petro alios Apoſtolos fuiſſe initiatos ordine Epiſcopali, ſicque a S. Petro vel immediatè, vel mediatè omnes Epiſcopos, eſſe ordinatos, contendunt Turrecremat. *lib. 5. ſumm. de Eccleſ. cap. 34.* Iſidor. de Iſolan. *lib. 2. de imper. milit. Eccleſ. tit. 1. qu. 2.* & Bellarm. *lib. 1. de Pontif. cap. 23. privil. 22.* & videtur idem velle Ecbertus *ſer. 10. adverſus Catharos ſub initio.*

6 Hæc certè ratione quotquot ab aliis Apoſtolis in variis Orbis Provinciis fuerunt ordinati, habebunt Sanctum Petrum mediatum authorem ſuæ ordinationis. Quandoquidem ab eo initiati ſunt Apoſtoli, cæterorum ordinatores. Qui verò a ſucceſſoribus S. Petri ordinati ſunt, quos magno numero eſſe, tradit Innocentius primus *d. ep. 41.* & latè Sanderus *lib. 3. de clavo David cap. 4.* æquè Sanctum Petrum habebunt pro ordinationis radice. Quandoquidem ſucceſſores ſuos ipſe conſtituit, immediatè quidem unum, aut alterum, mediantibus verò iſtis, cæteros.

7 Ad eum ergo modum exponunt authores prædicti radicationem univerſæ Hierarchiæ in Sancto Petro. Hæc tamen ægrè ſatisfaciunt. Nihil enim eſt, quod perſuadeat Sanctum Petrum initiaſſe ordine Epiſcopali omnes Apoſtolos. Deinde conſtat S. Paulum primo triennio ſui Apoſtolatus conſecraſſe plurimos Epiſcopos, & Sacerdotes, neque tamen adhuc viderat Sanctum Petrum. Quod autem conſecratus ſit ab aliis Apoſtolis, vel diſcipulis, a Sancto Petro conſecratis, in obſcuro eſt, cùm ejus Baptiſmus per Ananiam ſit adnotatus, non item conſecratio in Epiſcopum. Nec inveriſimiliter dicitur, eum, ut juriſdictionem non ab hominibus, neque per hominem, ita characterem, & ordinationem a Chriſto ipſo accepiſſe. Tandem de Judæ Epiſcopatu, alteri tradendo, extat prædictio *Pſalm. 108.* Erat ergo Judas Epiſcopus quoad Ordinationem, ſeu characterem, quando nondum Sanctus Petrus erat Pontifex. Id quippè tantum obtigit Sancto Petro poſt Chriſti Reſurrectionem.

Non ergo univerſus Epiſcopatus a Sancto Petro ordi- 8
natore ſumpſit initium, niſi ordinatio, ut interdum contigit, uſurpetur pro ſola collatione juriſdictionis, & aſſignatione Sedis, ac Territorii. Qua ratione nihil vetaret affirmare, Apoſtolos omnes aliquatenus eſſe a Petro ordinatos; quatenus Apoſtoli, etiamſi a Chriſto ipſo acceperant juriſdictionem, tamen Territorium videri potuerunt a Petro accepiſſe eo ipſo, quod priuſquam digrederentur in cœtu omnium Apoſtolorum præſide, & approbante Petro, attributa cuique eſt ſua Orbis terræ portio, quam præcipuè excoleret, & inſtitutis Epiſcopis, aliiſque Miniſtris, plantaret in Chriſtianam Eccleſiam. Qua ratione Sanctus Chryſoſtomus dixit, Sanctum Jacobum fuiſſe a Sancto Petro ordinatum Hieroſolymitanum Antiſtitem, ut ſemel ac iterum tradit Roſſenſis ad *artic. 25. Lutheri*. Deſideratur tamen adhuc plenior aliqua ratio radicandi omnes ordinationes in Sancto Petro, & revocandi totam Hierarchiam ad Sedem Apoſtolicam, tanquam ad matricem.

Exiſtimant itaque nonnulli, dici poſſe non incommo- 9
dè, ut omnia vera eſſe, quatenus Hierarchia a Sancto Petro, ſive a Sede Apoſtolica dependit magna ex parte id fieri, & univerſa etiamnum in diem pendet in conſervari quoad licitum uſum ordinis, & validum ſimul, ac licitum uſum juriſdictionis, quam etiam eſt valdè probabile a Summo Pontifice immediatè manare, ſin minus quoad Parochos, ut voluit Alexander a Sancto Elpidio *opuſc. de Eccleſiaſ. poteſt. tr. 1. cap. 7.* At ſaltem quoad Epiſcopos juxta graves, pleroſque Doctores adductos a Lelio Jordano *tract. de major. cauſ. ad Papam refert cap. 7.* nominatim verò a Turrecremata ad *art. 1. Baſilienſium a num. 26.*

Id, quod optimè confirmari videtur ex traditione pal- 10
lii. Nam pallium ex uſu perantiquo, de quo plenè Andr. Sauſſayus *lib. de pallio*, operi de myſtici Galliæ Scriptoribus inſerto, *cap. 4. 7. & 8.* eſt nota plenitudinis poteſtatis, itaut ante acceptum pallium Archiepiſcopus nequeat obire munera Pontificalia, tantique fiebat ejus uſus, ut Sanctus Bernardus *epiſt. 246.* profeſſus ſit Eugenio Papæ, tolerabilius ſibi futurum fuiſſe, interdici ſibi ipſi celebratione Miſſarum, quàm amico ſuo Rhemenſi Archiepiſcopo interdici uſu palii, ut fecerat Eugenius.

Hujuſmodi itaque Symbolum plenitudinis poteſtatis 11
plena libertate exercendæ, ut rectè diſtinxit Boſquetus ad *lib. 1. Epiſt. Innocentii epiſt. 3. diſt. 47.* quod nonniſi enixè petentibus, ac ferè præſentibus, demptis infrequentiſſimis eventibus, de quibus Juretus ad *ep. 250.* Innocentii, concedebatur, ſemper eſt a Pontifice collatum in ſignum acceptæ ab eo Epiſcopalis juriſdictionis. Quod autem Agnellus Epiſcopus Ravennas ait, Valentinianum Imperatorem ſubjeciſſe Archiepiſcopo Ravennati quatuordecim Epiſcopos, eique pallium attribuiſſe ex lana candida, quo tunc temporis ſoli Imperatores utebantur, ſi verum eſt, accipi debet de alio quopiam pallio, quàm de eo, humeri Antiſtitis utrinque cinguntur, eſtque nota plenitudinis poteſtatis. Nam tali pallio uſos Imperatores, eſt inauditum. Nec ſi illud Epiſcopo Ravennati per ſe ipſum concedere voluiſſet Valentinianus, contuliſſet revera juriſdictionem, ſed prætergreſſus partes ſuas, dignus fuiſſet, qui Lepram Ozæ devocaret in frontem ſuam.

Manifeſtiſſimum verò erit quantoperè Sancti Petri, 12
ejuſque ſucceſſorum judiciaria Cathedra ſupra omnes aliorum Eccleſiaſticorum Judicum Cathedras ſublimis efferatur, ſi ſupponamus omnium Antiſtitum juriſdictionem communicari a Summo Pontifice, itaut ſicut tota temporalis juriſdictio eſt a Supremo Principe, & ab eo in quoſcunque civilis juriſdictionis participes derivatur, ut probat Molin. *tractat. 5. de juſtit. diſput. 3.* itaut ſpiritualis juriſdictio Antiſtitum inferiorum tota manat a ſpirituali Summo Principe, Chriſti Vicario, qui non tantùm deſignet perſonam Epiſcopali juriſdictioni divinitus imprimendæ ſubſternendam, ut ferebat olim quorumdam ſententia apud Bellarminum *lib. 4. de Pontif. capit. 22.* ſed etiam largiatur unicuique poteſtatem juriſdictionis, muneri obeundo conſentaneam, & pro temporum, ac locorum, cæterarumque circumſtantiarum varietate, diverſam quoad magis, & minus.

Eſt in ea ſententia Iſidorus de Iſolan. *loc. cit. tit. 4. to-* 13
ta qu. 2. Henriqu. *lib. 6. ſumm. cap. 3.* Molin. *dict. tract. 5. diſp. 4.* Bellarm. *eod. lib. 4. de Pontif. cap. 24.* Suarez *tom. 4. in 3. part. diſp. 25. ſect. 1. num. 21.* Megalia *in proœm. Epiſtol. ad Timoth. ſect. 12.* Ægidius *3. part. diſp.*

§. *de pœnit. dub.* 3. Duallius *tract. de Pontif. part.* 1. *q.* 2. Malder. *cod. tract. disp.* 1. *dub.* 1. Fagundez *in* 2. *præcept. Eccles. lib.* 7. *cap.* 1. *a num.* 25. Viderique posse hanc sententiam insinuasse Sanctus Cyprianus *lib. de unitat. Eccles.* ubi Cathedram Petri confert cum capite, radice, fonte, Sole. Sicut ergo virtus animalis membrorum corporis derivatur a capite, & virtus ramorum arboris fluit a radice, aqua item rivorum ex fonte manat, ac denique lux radiorum a Sole oritur, ita omnium aliorum Episcoporum vis motiva, & gubernativa, totaque jurisdictio Ecclesiastica profunditur a Pontifice. Quam proinde rectè contulerimus cum Moyse, de cujus spiritu accepit Deus, communicavitque septuaginta Senioribus, quos ei dabat coadjutores, ut habetur *Num.* 11. Neque enim Deus de Moysis spiritu accepit, quod aliis daret, quasi imminuerit spiritum Moysis. Nam sic frustra accepisset coadjutores, ut Sanctus Augustinus benè advertit *quæst.* 18. *in Num.* Dicitur itaque de Moysis Spiritu accepisse, & dedisse senioribus, quia authoritatem, quam in Moyse fontaliter collocavit, transfudit a Moyse ad reliquos.

14 Eamdem sententiam significavit Nicolaus Primus *epist.* ad Michaelem, applicans Episcopis in Pontificem refractariis, illud Isaiæ 10. *Numquid gloriabitur securis contra eum, qui secat in ea? Aut exaltabitur Serva contra eum, qui trahit eam?* Spectare eodem potest, quod S. Optatus *lib.* 7. ait, solum Sanctum Petrum accepisse Claves Cœlorum, ab eo communicandas aliis. Nec multum abest, quod Gregorius Nyssenus *orat. in ægreferentes reprehend. sub med.* ait, Claves a Domino Episcopis datas esse per Petrum. Referri itidem huc possunt illæ aliæ loquutiones apud Pontifices, & Patres celebres. Unitas Sacerdotalis è Petri Cathedra est exorta, quo pacto loquitur Sanctus Cyprianus *epistol.* 55. *numer.* 90. Denique faciunt ad hanc rem quam maximè, quæ habet Sanctus Leo *epistol.* 89. docens. In Sancto Petro, Apostolorum omnium Summo, principaliter collocatum a Christo esse Divini muneris, hoc est Pontificii, Sacramentum, *ut ab ipso quasi quodam capite dona sua velut in corpus omne diffunderet. Et Serm.* 3. *anniversa. suæ assumpt.* ait de Sancto Petro, *ab ipso omnium Chrismatum Fonte, tàm copiosis est irrigationibus inundatus, ut cùm multa solus acceperit, nihil in quempiam sine illius participatione transierit.* Et inferius: *Magnum, & mirabile, dilectissimi, huic viro consortium potentiæ suæ tribuit divina dignatio. Et si quis cum eo commune cæteris voluit esse Principibus, nunquam, nisi per ipsum dedit quidquid aliis non negavit.* Denique infra, *Dicitur Beatissimo Petro, Tibi dabo Claves Regni Cœlorum, & quæcumque ligaveris super terram, erunt ligata & in Cœlis: Transit quidem in alios Apostolos jus potestatis istius, & ad omnes Ecclesiæ Principes decreti hujus Constitutio commeavit, sed non frustra uni commendatur, quod omnibus intimatur. Petro enim ideò hoc singulariter creditur, quia cunctis Ecclesiæ Rectoribus Petri forma præponitur. Manet ergo Petri privilegium ubicumque ex ipsius fertur æquitate judicium, nec nimia est, vel securitas, vel remissio, ubi nihil erit ligatum, nihil solutum, nisi quod Beatus Petrus aut solverit, aut ligaverit.*

15 Ex hoc porrò, quod Romanus Pontifex sit origo, & initium Hierarchiæ, rectè sequitur, Sedem Romanam esse initium, ac originem Religionis juxta illud Episcoporum Galliæ in Synodica ad S. Leonem: *Ab Apostolica Sede Religionis nostræ fons, & origo manavit.* Et idem voluit Sanctus Cæsarius *Epist. ad Symmachum Papam*, cùm ex eo, quod Romana Sedes sit Hierarchiæ universæ initium, infert eamdem esse fontem doctrinæ Christianæ quaquaversum diffusæ, & ad eam spectare, docere omnes Christianos. Illa quippe doctrina, haud alia est, quàm Religionis plantatio, atque diffusio. Nec aliter Concilium Troslejanum *cap.* 15. cùm dixisset, Ecclesiam esse fundatam super Sancti Petri confessionem, addit omnes Italiæ, Galliæ & Hispaniæ Ecclesias a S. Petro, ejusque successoribus esse constitutas, nempe & Episcopatuum erectione, & prævia fidei disseminatione, quæ est Religionis prima plantatio. Videndus in hanc rem Gaspar Sancius *tract.* 3. *de prædicat. Sancti Jacobi in Hispania cap.* 1. juncto *tractat.* 4. *cap.* 2. Et quia eadem sunt conservationis, & primæ productionis principia, rectè ex eodem fundamento collegit Rex Armeniorum, scribens ad Innocentium Tertium, in omnibus ad Religionem spectantibus, ad Romanum Pontificem esse recurrendum, his illum, præter cætera, affatus: *Cùm constet, vos celeberrime Pater, & Domine, Sanctæ Ecclesiæ, ac Religionis Christianæ curam, & prælationem, dante Domino, gerere, constat utique, nos & ad vestri refugium, tanquam ad tutissimum receptaculum, debere recurrere, in quo tota spes nostra, & fiducia post Dominum dependet, & a Beatitudine vestra in nostris necessitatibus præsidium postulare.*

Hæc autem cùm vera sint, videtur tamen, non pos- 16
se Summum Pontificem assumere Regularem ad Episcopatum. Primò, quia non potest injungere opus consilii. Episcopatus autem est opus consilii, quod etiam oblatum laudabiliùs recusatur. Sic etiam nequit injungere ingressum Religionis. Et quemadmodum non potest Religioso injungere transitum ad strictiorem Religionem, ita nec quod acceptet Episcopatum. Et sicut non potest cogere ad contrahendum Matrimonium corporale, ita nec ad Episcopatum, in quo contrahitur Matrimonium spirituale.

Deinde quia Summus Pontifex, ut supremus Prælatus 17
non potest Regulari præcipere, nisi quæ Prælatus regularis. Dum enim Regularis promisit, vovendo obedientiam, suis Prælatis obedire, consequenter promisit eodem voto obedire etiam Papæ. Atque adeò Regularis tenetur obedire Pontifici in omnibus, ad quæ se extendit suum votum. Votum autem obedientiæ a Regulari emissum non se extendit ad acceptandum Episcopatum. Quia non vovit, nisi quod est in regula. Acceptare autem Episcopatum in nullius Religionis regula impositum reperitur.

Ad hæc, quia tenetur Pontifex majus bonum minori 18
præponere, & communem utilitatem particulari, ut per Innoc. *in cap. licet de regul.* Unde Sanctus Thom. 2. 2. *quæst.* 185. *art.* 1. *ad* 3. ait, votum de non acceptando Episcopatum non excludere, nisi casum imminentis necessitatis. Igitur ubi non imminet necessitas, non poterit Pontifex Regularem promovere ad Episcopatum.

Postremò, quia in casu, quo Regularis existimaret se 19
in statu Episcopali graviter peccaturum, videtur, Pontificem non posse ei præcipere, quod acceptaret Episcopatum. Quia non potest præcipere, quod subditus debet de jure Divino vitare. Occasiones enim peccandi sunt de jure divino vitandæ. Et quidem munus Episcopale ita iis implicitum difficultatibus, pressumque oneribus attentiùs consideranti apparet, ut quantumvis firmos humeros, ne tantæ moli impares fatiscant, terrere posse videatur. Ad Episcopatum enim pertinet illud de Episcopali munere maximè verum, *bonum opus desiderat*, qui talem præfecturam desiderat. Bonum quidem opus, ideòque ærumnosum, & admodum grave. Opus quippe in scripturis non raro idem sonat, quod arduum, & operosum, eoque sensu alicubi dicitur, Virum fidelem, opus invenire. Proindè idem Apostolo est, bonum opus, ac arduum, & grave. Unde Apostolus consequenter ad suum illud pronunciatum de bono opere Episcopatus, subjungit, *oportet ergo Episcopum, irreprehensibilem esse, sobrium &c.* quas, & alias dotes Episcopo necessarias per illativam particulam cum præcedente sententia nectit, ut liqueat verè dictum esse, desiderium Episcopatus, esse desiderium boni operis, ideòque ardui, & operosi negotii.

Tradit hanc vocis illius notionem Franciscus Turria- 20
nus *libr.* 2. *Constitut. Apostol. cap.* 25. *num.* 6. cui præiverat Isidorus Peluseota *lib.* 3. *epistol.* 216. qui benè vocis *opus* significationem ex peritis Ethnicis, & scripturis sacris confirmat. Nec multum abest Alvarus Pelagius *de planctu Ecclesiæ art.* 18. qui post Sanctum Hieronymum *in cap.* 3. *Sophon.* ac Gregorium *part.* 1. *pastor. cap.* 8. bonum opus in eo Apostoli effato exponit Martyrium.

Et sanè ea erat primis illis Ecclesiæ temporibus Epi- 21
scopatuum conditio, ut qui in Episcopum promovebatur, paratus esse deberet, abrepi primus ad Martyrium, ac proinde tunc Episcopatum desiderare, idem planè esse videbatur, quod desiderare Martyrium, cui nemo *boni operis*, ideòque *ardui*, & ut *Jacobi* 1. dicitur, operis perfecti, titulum unquam negavit. Revera non minus in Episcopatum quadrat nomen *Martyrii*, quàm in sanctificationem illam, quæ Principatus insigne erat apud Hebræos, quam septuaginta voce Martyrii expressere, ut notavit Procopius in *lib.* 4. *Reg. cap.* 11.

Hanc bonitatem operis, verè ærumnositatem ma- 22
gnam periculis, ac discriminibus innumeris obseptam in Episcopali munere cerni, extra controversiam est. Videndus præsertim Nazianzenus *in Apolog.* cujus imitatione de eodem argumento conscriptum a se opus Pastorale, profitetur Sanctus Gregorius Magnus *in pastor.* Multum item, ac potens in hac materia est Sanctus Chrysostomus cum aliis plerisque locis, tum maximè in opere de Sacerdotio, cui luculentum, sed non supra merita, elogium pangit Isidorus Peluseota, qui & ipse *lib.* 4. *Epist.* 219. in eodem argumento collocavit ope-

ram, ut & Sanctus Gregorius, non modò in Paſtorali, præſertim *part.* 1. & 2. Sed & alibi quoque *lib.* 6. *regiſt. indict.* 15. *epiſt.* 4. Itemque Sanctus Ambroſius, vel quiſquis apud eum author operis de dignitate Sacerdotali, nec non Petrus Damiani *opuſc.* 19. *cap.* 5. & *opuſc.* 20. *cap.* 7. & *lib.* 1. *epiſt.* 1. ac Laurentius Juſtinianus *lib. de regim. Prælator. cap.* 1. & crebro, ac inſigniter S. Auguſtinus *lib. de Paſtor. cap.* 1. *hom.* 7. & 25. & 50. cujus illa eſt tàm ſubſtricta verbis, quàm diffuſa ſenſu ſententia *ſerm.* 39. & 40. *noviſ. Epiſcopus nomen periculi*, nimirum ob aſſidua in tanta muneris Epiſcopalis arduitate graviter ruendi diſcrimina, & divinis ſæpè oraculis prodita, & viſis cœleſtibus firmata, quale illud, quod redux ad ſuperos divino permiſſu animam fudiſſe proditur apud Hieronymum adſcriptam regulam Monachorum *cap.* 15. & apud Cantipratanum *lib.* 1. *apum cap.* 20. *n.* 4. *Si fuiſſem de numero Epiſcoporum, eſſem de numero damnatorum*. De Gaufrido a Perona Priore Clarævalenſi in Epiſcopum Tarnocenſem electo, ſed inaugurationi præmortuo id produnt Petrus Bleſenſis *epiſt.* 102. & Menologium Ciſtercienſe 15. Januarii. Nomine ſuppreſſo idem referunt Cæſarius *lib.* 2. *cap.* 29. & Adelagus Bremenſis, ſcribens ad Frodoardum *epiſtol.* præfixa hiſtoriæ Rhemenſi.

25 Belli adverſus innumeros, & truculentos hoſtes ductorem, multis æque ac magis diſcriminibus fieri obnoxium, nemo eat inficias. Quam in rem Sanctus Chryſoſtomus *lib.* 6. *de Sacerd. cap.* 12. horrificam belli ſpeciem, & ducis in primo agmine ſiti, cuneoſque hoſtium perumpentis imaginem vivis coloribus exprimit ut demonſtret, non eſſe pauciora, aut minora Epiſcopi in bello contra Spiritualia nequitiæ ducis diſcrimina. Quod ſi paſtores temporales Populorum tot, & tanta obſepiunt pericula æterni exitii, quanta proponunt plerique in eo argumento, & benè Lactantius *lib.* 5. *cap.* 24. Petrus Damiani *opuſc.* ac Robertus Olchot. *lect.* 77. *in Sap.* Quæ enim præterea temporalis regiminis onera urget ex Ariſtotele Julianus Apoſtata, ad Theoriſtum, ſcribens, omitto, dubium eſſe non poteſt, nec debet, quin multò majora, & plura Epiſcopis animarum moderatoribus impendant æternæ ſalutis diſcrimina, cùm & eorum præfectura ſit magis lubrica, & ſpiritualia ſpectet, non temporalia. Ut propterea a Viris Sanctis non ambitus modò Epiſcopalis muneris, ſed etiam ultronea, & non adacta admiſſio ingentis audaciæ, ac penè dementiæ damnetur.

24 Non autem aliam ob cauſam de Sapientium ſententia, gravis eſt, & obnoxius periculis Epiſcopatus, quàm quia circa regendas, & tractandas animas occupatur juxta illud S. Auguſtini *ſerm.* 39. & 40. *noviſ.* in Cathedræ ſuæ natali, oneris, quod ſubibat, magnitudinem exponentis apud plebem ſibi concreditam: *Corripiendi ſunt inquieti, puſillanimos conſolandi, infirmi ſuſcipiendi, contradicentes redarguendi, inſidiantes cavendi, imperiti docendi, deſidioſi excitandi, contentioſi cohibendi, ſuperbientes reprimendi, litigantes pacandi, inopes adjuvandi, oppreſſi liberandi, boni approbandi, mali tolerandi, omnes amandi*. Optimè S. Gregorius 24. *moral. cap. ult. Penſent qui ad ſatisfaciendum diſtricto Judici de ſua tantummodo anima fortaſſe vix ſufficit, quia quot regendis ſubditis præeſt, reddendæ apud eum rationis tempore, ut ita dicam, tot ſolus animas habet. Quæ nimirum cogitatio, ſi aſſiduè mentem excoquit, omnem ſuperbiæ tumorem perimit. Et Rector providus tantò jam neque Rex apoſtata, nèque Dux impius vexabitur, quantò ei cogitatione ſolicita, poteſtas, quam accepta eſt non honor, ſed onus æſtimatur. Nam cui eſſe nunc Jud.cem libet, huic redire tunc Judicem non libet.*

25 Ad eamdem mentem ſic Sanctus Chryſoſtomus *hom.* 34. *ad Heb.* ambitum cujuſvis Eccleſiaſtici muneris hinc coercens: *Papæ quantum eſt periculum! Quid miſeris illis dixeris, qui ſe conjiciunt in tantam abyſſum ſupplicíorum? omnium, quos regis, mulierum, & virorum, & puerorum, a te reddenda eſt ratio: Tanto igni caput tuum ſubiicis? Miror, an fieri poſſit, ut aliquis ex Rectoribus ſit ſalvus, cùm videam poſt minas, & præſentem ſocordiam aliquos adhuc occurrentes, & ſe conjicientes in tantam molem rectionis, & adminiſtrationis. Nam ſi ii, qui neceſſitate trahuntur, non habent quo confugiant, & quo ſe excuſent, ſi rem malè adminiſtrent, & ſi negligenter. Nam & Aaron tractus eſt neceſſitate, & venit in periculum, & Moyſes rurſus venit in periculum, cùm ſupra recuſaſſet, Saul, cui fuerat creditum aliud imperium, poſtquam recuſavit, vocatus eſt in periculum, quoniam ipſum malè adminiſtrarat, quantò magis iis, qui in hoc ſuum ſtudium ponunt, & in id irruunt? Qui eſt autem talis, longe magis ſe privabit omni venia. Timere enim oportet, & contremiſcere, & propter conſcientiam, & propter molem imperit, & neque ſi ſemel trahantur, recuſare, neque ſi non trahantur in ipſum irruere. Immò verè etiam fugere prævidentes magnitudinem dignitatis. Rurſus autem eos, qui fuerint comprehenſi, oportet eſſe cautos, & reverentes. Si priuſquam factus ſis, nullum modum non præſentaris, ſecede, tibi perſuade, te ea re eſſe indignum. Si rurſus fueris comprehenſus, ſimiliter cautionem adhibe, & reverentiam.* Egregiè quoque in hanc ſententiam diſſerit, exponens apprecationes cœleſtium ſuppetiarum ab Apoſtolo factas diſcipulo amantiſſimo Tito in priore ad eum epiſtola.

Vides quam verè de hoc Sacro Principatu dixerit 26
Sanctus Gregorius 1. *part. paſtoral. cap.* 9. *Quid aliud eſt poteſtas culminis, quàm tempeſtas mentis?* Tempeſtas planè non modò agitans, ſed plerumque etiam in ſummum diſcrimen adducens, ac ſubvertens funditus quos percellit. Verè igitur *non honor eſt, ſed onus, ſpecies læſura ferentem*, ut ex Poeta, ait Philippus Abbas *lib. de continent. Cleric. cap.* 94. addens id eſſe allidi ab elevante. Et propterea conteſtatur Sanctus Chryſoſtom. *homil. in epiſtol.* 1. ad Titum, magna ſe teneri admiratione, quod reperiantur, qui hujuſmodi onera captent, non conſiderantes, ſi impares ſint, reddendæ rationi pro ſingulari ipſorum anima, quanto gravius ſit, & importabilius futurum, tot animarum onere gravari, quot ſunt ſubditi curæ eorum concrediti.

Hanc conſiderationem præ oculis habendam Epiſco- 27
pis proponit ſuo aureo monitu Origenes *homil.* 20. *in Num.* ubi conteſtatur liberè ſe eloquuturum, quod nonnemini grave futurum non ambigeret, ſubdens: *Peccavit Iſrael, & dixit Dominus ad Moyſen, ut aſſumat omnes Principes, oſtentet eos Domino contra Solem. Populus peccat, & Principes oſtentantur contra ſolem. Iidem ad examinandum producuntur ut arguantur a luce. Vides quæ ſit conditio Principum Populi. Non ſolùm pro ſuis propriis arguuntur delictis, ſed & pro Populi peccatis coguntur reddere rationem, ne ipſorum ſit culpa, quod Populus deliquit, ne forte non docuerint, ne forte non monuerint, neque ſolliciti fuerint arguere eos, qui initium culpæ dederint, uti ne contagio diſpergeretur in plures. Hæc enim omnia facere Principibus, imminet, ac Doctoribus. Si enim illis hæc non agentibus, nec ſollicitudinem gerentibus circa plebem peccaverit Populus, ipſi oſtentantur, & ipſi ad judicium producuntur. Arguit enim eos Moyſes, id eſt lex Dei, velut negligentes, ac deſides, & in ipſos convertetur iracundia Dei, & ceſſabit a Populo. Hæc ſi cogitarent homines, nunquam caperent, nec ambirent ad Populi Principatum. Sufficit enim mihi pro meis propriis argui delictis. Sufficit mihi pro memetipſo, & peccatis meis reddere rationem. Quid mihi neceſſe eſt etiam pro Populi peccatis oſtentari, & oſtentari contra Solem, ante quem nihil poteſt abſcondi, vel obſcurari.*

Quod autem in Epiſcopatu ſint occaſiones gravi- 28
ter peccandi, exemplo ſit Petrus Damiani è Monacho Cardinalis, & Epiſcopus, qui dignitati ceſſit, etiam Summo Pontifice invito, quia judicabat ſibi expediens eſſe, declinare pericula peccandi, quæ in illo ſtatu pertimeſcebat. Quæ cauſa multis ſane ac magnis in Eccleſia Dei viris fuit, id muneris refugiendi. Nazianzenus ſiquidem è patria diſceſſit, ne ad eum honoris gradum aſcendere cogeretur. S. Ephrem ejuſdem rei gratia inſaniam ſimulavit. S. Ambroſius noctu receſſit, ac ſe occultavit. Sanctus Bernardus ſemel iterum ac tertiò Epiſcopatum ſibi ultrò oblatum, reſpuit. Idem Sanctus quoque Thomas feciſſe perhibetur. Sanctus Cyprianus & ipſe diu recuſavit. Sanctus Auguſtinus ſuſcepit invitus Sanctus Bonaventura ſemel quantum potuit reluctavit, ſed poſtea tandem Romani Pontificis juſſu coactus recepit. Digna eſt & relatione mea, & lectione veſtra epiſtola Cardinalis Ardicini a Porta Novarienſis ſcripta Innocentio Octavo, dum in Cœnobium Olivetanum ſe contulerat, ſive in ea conſideretur efficacitas, ſive prudentia, ſive reverentia in ſummum Pontificem. Ejus hæc ſunt verba.

Beatiſſimo Padre. Ho ricevuto per mano di Maſtro Gra- 29
tiano da Villanova il Breve, che la Santità Voſtra m'ha inviato, con la lezione del quale ſi ſono commoſſe tutte le mie viſcere, intendendo la perturbazione della mente di Voſtra Santità, e del ſacro Senato de' Reverendiſſimi Signori miei Cardinali della Santa Romana Chieſa, e vedendo, che viene ſiniſtramente interpretato quello, che nè temeraria, nè leggiermente è ſtato fatto, nè repentinamente, ma con matura deliberazione circa la mutazione dello ſtato di mia vita.

Si ricorderà la Santità Voſtra, che fin dal primo anno 30
della ſua feliciſſima aſſunzione al Pontificato, feci iſtanza,

che

che ſi degnaſſe di conſentire, che io adempiſſi l' ardente deſiderio, che aveva della vita regolare, e di ritirarmi in qualche Religione, il che eſſendomi negato da lei, non ho mancato negli anni ſeguenti di rinovare l' iſtanza molte volte avuta con lagrime, e queſto avanti che io fuſſi promoſſo al Cardinalato, ſebbene ſempre ne riportai la ripulſa. Fatto poi Cardinale, ardendo tuttavia il mio petto di queſto Santo deſiderio nel meſe di Aprile paſſato, ſupplicai di nuovo per la medeſima licenza, e grazia la Santità Voſtra, la quale dopo d' avere allegate molte ragioni contro la mia domanda, finalmente diede il ſuo conſenſo vivæ vocis oraculo, *e mi concedette licenza d' entrare nella Religione, e di nuovo ſottoſcrivendo due mie ſuppliche da me portate in queſto propoſito, me la confermò. Avvicinandoſi il tempo della mia partenza di nuovo domandai licenza alla Santità Voſtra, raſſegnando inſieme nelle mani ſue il Cappello di Cardinale, e da lei ottenni graziosa licenza, e dandomi la ſua benedizione mi ammiſe al bacio de' ſuoi Santiſſimi piedi.*

31 *Non ſcrivo Beatiſſimo Padre queſte particolarità, perchè io ſtimi neceſſario ricordarle alla Santità Voſtra, che è ſaviiſſima, ma acciocchè intendano quelli, che hanno fatto ſiniſtro giudizio di queſta mia azione, che non è ſtata fatta repentina, e precipitoſamente, nè ſono con leggerezza venuto in queſta riſoluzione. Nè ſi dee maravigliare alcuno, nè ſtimarla coſa nuova, o temeraria, concioſiachè anche fra Pontefici Romani dalla Santa Chieſa Canonizati, ſi ritrova chi ha fatto il medeſimo, cioè Celeſtino V. per altro nome Pietro da Morone, il quale dal Papato ſi riduſſe alla vita privata, e religioſa, come anche S. Girolamo, che dicono eſſer ſtato Cardinale, Pietro Damiano, il quale ancorchè non ſia Canonizato, ſi onora con tutto ciò come Santo, abbiamo da' libri da lui compoſti, e da me letti, che fu Cardinale, e ſe non erro, ancor Veſcovo Oſtienſe, che con licenza del Pontefice ſi fè Monacho, non mi ricordo però, ſe ne otteneſſe licenza anche dal Sacro Collegio de' Cardinali, da' quali io non l' ho domandata, ſtimando di non eſſere tanto limitata la poteſtà del Vicario di Chriſto, che non foſſe ſufficiente a porger la mano in ajuto di chi deſiderava al miglior modo, che gli foſſe poſſibile, di provvedere alla ſalute dell' anima ſua.*

32 *Io non nego, che non debba il Sommo Pontefice ne' negozj ardui ſentire il parere de' Cardinali, ma in un' affare, nel quale non ſi tratta d' altro, che della ſalute dell' anima di una perſona particolare; ſtimo, che baſti di vantaggio l'autorità del Pontefice. Concioſiacoſachè, Beatiſſimo Padre, altro non è l'entrare in Religione, e fare in eſſa profeſſione, ſe non umiliare, e per così dire annichilare ſe ſteſſo, pigliando forma di ſervo, ſoggettandoſi all' obedienza inſino alla morte ad imitazione del Noſtro Salvatore, il quale facendo quello ſteſſo, a noi ha dato eſempio. Così S. Gregorio Nazianzeno laſciò il Veſcovato per attender allo ſtudio, ed alla contemplativa. Quelli adunque, che riprendono me, perchè mi ritiro alla Religione, accuſino ancora i nominati, che hanno fatto il medeſimo. Se eſſi errarono ho io ancora fallato, ma può bene, credo io, l' autorità de' Padri tanto gravi, e l' iſteſſa ragione rendermi ſcuſabile.*

33 *Quanto poi all'avermi io poſto in viaggio ſenza l' abito da Cardinale, non penſo, che ſarò tacciato, e ripreſo dalle perſone gravi, e prudenti, imperocchè volendo io, che il negozio foſſe ſegretiſſimo, tanto che, nè anche ne aveva io dato notizia al mio proprio fratello, giudicai di eſſer meglio mutar l'abito fra quelli, che non mi conoſcevano, che andar con l' uſato, che perciò ſtimo di eſsere in queſta parte ſenza colpa, e non meritare per queſto fatto pena, o nota alcuna. Con tutto ciò, quando io abbia, come uomo errato, ſupplico la Santità Voſtra che mi ha perdonato colpe maggiori, voglia anche perdonarmi queſta, ed io pronta, ed umilmente farò la penitenza, che ſi degnerà d' impormi.*

34 *Beatiſſimo Padre, la Santità Voſtra, che mi ha ſempre tanto teneramente amato, ed in varie maniere tanto mi ha onorato, degniſi favorire queſt' opera, e fattura ſua, mantenendomi nel Santo propoſito, ricordevole, che niuna coſa è più propria del Vicario di Criſto, che l'eſser ſollecito della ſalute dell' anime. Quì ſi tratta della ſalute dell' anima mia, che è l' unica coſa, alla quale ho avuto la mira in queſta riſoluzione, perchè ſebbene sò, che lo ſtato di Cardinale, e di Veſcovo è più perfetto di qualſivoglia ſtato Religioſo, ho con tutto ciò giudicato di eſser coſa più ſicura alla fragilità mia il paſsare allo ſtato inferiore della Religione. La Santità Voſtra sà beniſſimo, che dovrà render conto nello ſtretto giudizio di Dio dell' anima mia, qual conto molto più facilmente potrà render, ſe concederà alla mia debolezza queſto paſsaggio, che ſe mi impediſce l' eſecuzione di queſto mio antico, e ſanto propoſito.*

Conceda, ſupplico la Santità Voſtra, queſta grazia alle 35
mie lagrime, ed alle umiliſſime preghiere, che le porgo, e non voglia permettere, che quello, che mi reſta di vita, mi ſi renda più amaro della morte. E certo è, che è tanto grande l' afflizione, e la turbazione del cuor mio, che appena sò quello, che mi ſcriva in queſta lettera. Abbia miſericordia dell' anima mia la Santità Voſtra, che mi è Padre pietoſiſſimo, e che in tutte le occaſioni mi ſi è moſtrata affabile, benigna, e miſericordievole, tolerando con indicibil clemenza le mie inezie, e ſi compiaccia di condeſcendere a queſte mie umili, ed importune pregbiere, che offeriſco avanti agl' occhj della ſua pietà. Convertere Domine aliquantulum, & vide afflictionem meam, *e degniſi di conſiderare, come ſi poſſa provvedere all' onor mio. Se adeſſo, che ho poſto la mano all' aratro guarderò indietro, non ſarò io notato da tutti, come uomo leggiero ſono andato, così con la medeſima leggerezza ſii ritornato a dietro? Degniſi la Santità Voſtra di conſiderare con la ſua ſolita ſapienza queſte ragioni, e conſolarmi con la deſideratiſſima ſua riſpoſta, confermandomi la licenza, e la grazia prima benignamente conceſſami, e poi rivocata, reſtituendomi nello ſtato di prima, ſicura, che non può concedermi al preſente più prezioſo, ne più caro dono. E ſebbene io ſono peccatore, ed indegno, che le mie preghiere ſiano eſaudite da Dio, mi ſforzerò con tutto ciò ſe impetro la grazia di corriſpondere abbondantemente al favore di Voſtra Santità con le mie orazioni appreſſo di ſua Divina Maeſtà. Starò aſpettando riſpoſta di Voſtra Santità, al volere della quale ſoggetterò ſempre la volontà mia, e dovunque ella vorrà, che io ſia, e qualunque coſa comanderà, che io facci, ubbidirò ſempre, come a Vicario di Criſto, e come a Criſto, e non mi partirò punto dal ſuo cenno. Viva felice la Santità Voſtra, di cui bacio umilmente i Santiſſimi piedi. Di Ronciglione a' 12. di Giugno del* 1492. Ita Cardinalis a Porta, qui ob denegatam gratiam ex mœrore animi vitam hanc mortalem brevi cum æterna commutavit.

Verùm quia cùm Pontifex habeat in omnes abſolu- 36
tam juriſdictionem, quam præ cæteris confirmat teſtimoniis Sacræ Scripturæ, Sacrorum Canonum, Patrumque ſententiis, Turrecrem. *de Eccleſ. lib. 2. cap. 44. & ſeqq.* ideò Regulares debent obedire, acceptando Epiſcopatum ab illo injunctum. Videndus Suarez *de Relig. tom. 3. lib. 10. cap. 11. num. 9. & ſeqq.*

Hinc reſpondetur ad primum, poſſe a Summo Pon- 37
tifice Regularem promoveri ad Epiſcopatum ex ejus ſuprema in omni Eccleſiaſtico munere deſignando poteſtate, quam luculenter expreſſit Nicolaus II. & habetur *in can. omnes d. 22.* de qua etiam Bernard. *Epiſt.* ad Mediolanenſes, quæ eſt 131. ita loquitur: *Plenitudo ſiquidem poteſtatis ſuper univerſas Orbis Eccleſias ſingulari prærogativa Apoſtolicæ Sedi donata eſt. Poteſt, ſi utile judicaverit, novos ordinare Epiſcopatus, ubi hactenus non fuerint, poteſt eos, qui ſunt, alios deprimere, alios ſubſtituere, prout ratio ſibi dictaverit.* Quod ait Bernardus de Epiſcopatibus, diceret proculdubio etiam de Epiſcopis, ſine quibus Epiſcopatus non ſubſiſtunt.

Eoque præſertim, quia Summi Pontificis authoritas 38
major eſt illa, quam aliis communicavit ex regula 79. juris Canonici conceſſit autem, quod Regulares eligerentur in Epiſcopos, ut probavimus ſupra. Ergo multò magis poteſt ipſe Regularis ad Epiſcopatum aſſumere.

Unde Pontifex poteſt Regularem cogere ad accipien- 39
dum Epiſcopatum, ut communiter tradunt Theologi, quos adducit Cardinalis de Lugo *lib. 3. reſponſ. moral. dub. 5. num. 7.* cum S. Thom. 2. 2. *quæſt. 185. art. 2. & in 4. diſt. 29. quæſt. 1. ar. 4. ad quartum*, ubi ait: *Quidam dicunt, quod Papa non poteſt præcipere alicui, quod accipiat Epiſcopatum, quia conſenſus debet eſſe liber. Sed hoc poſito, periret Eccleſiaſticus Ordo. Niſi enim aliquis poſſet cogi ad ſuſcipiendum regimen Eccleſiæ, Eccleſia conſervari non poſſet, cùm quandoque illi, qui ſunt idonei, hoc nolint ſuſcipere, niſi coacti.*

Quod in ſpecie probatur exemplo plurium Sanctorum, 40
qui inviti a Religioſa profeſſione, ad Epiſcopalem ſtatum tranſierunt, juſſi a Summo Pontifice, uti neceſſarium ad ſalutem judicarunt, dum id imponit, eſſe obtemperandum. Ex Ordine enim Prædicatorum inter cæteros B. Albertus Magnus, S. Antoninus, ille Ratiſponenſis, hic Florentinus Archiepiſcopus injunctum Præſulatum, recuſarunt, donec Summo Pontifici reſiſtere ulterius non debere judicaverint, cujus facti innumera ſunt exempla Sanctorum Regularium ex Græcis, & Latinis, quorum plures recenſent ex quacumque Religione, Platus *de bono ſtatu Relig. lib. 1. cap. 38. & lib. 2. cap. 29.* Suarez *de Relig. tom. 4. tract. 10. lib. 6. cap. 8. num. 12.* Sanchez *in decalog. tom. 2. lib. 6. cap. 18. num. 33.* ac de Lug. *loc. cit.* aliique non pauci.

41 Ea quidem ratione, quia Summus Pontifex ſi expedire judicaverit, poteſt imponere opus conſilii. Nam poterit etiam eſſe materia præcepti. Quia quod eſt opus ſolius conſilii, non poteſt injungi ſub præcepto, ſicut ingreſſus Religionis, vel tranſitus ad ſtrictiorem. Atque adeò poteſt imponere Regulari, quod accipiat Epiſcopatum. Quia Epiſcopatus eſt opus conſilii. Eſt enim opus bonum juxta illud Apoſtoli ad Timot. 3. *Qui Epiſcopatum deſiderat bonum opus deſiderat*. Eſt etiam materia præcepti. Nam aliàs, ut ait Sanctus Thomas *loc. cit. periret Eccleſiaſticus ordo, ſi opus Epiſcopatus præcipi non poſſet*.

42 Quinimmò, præciſa etiam quacumque neceſſitate, & utilitate majori Eccleſiæ, poteſt Pontifex juſtis de cauſis, ſibi tantùm notis, Regularem ad Epiſcopatum promovere. Nam Summo Pontifici non præſcripſit Sacrum Concilium Tridentinum *ſeſſ. 24. cap. 1. de reformat.* formam illam, quam juxta Sacros Canones ab Azorio *par. 2. inſtit. moral. lib. 6. cap. 15. §. In hoc igitur*, collectos, a cæteris, qui aliquod jus a Sede Apoſtolica habent præficiendi Epiſcopos, vel ad hoc operam ſuam præſtant, obſervandam ſtatuit, quod ſcilicet eligerent digniores, & Eccleſiæ magis utiles. Quia Summus Pontifex Canonicis Conciliorum Decretis non coerceretur. Dicitur enim in *cap. Significaſti de election. Quaſi Romanæ Eccleſiæ legem Concilia ulla præfixerint, cùm omnia Concilia per Romanæ Eccleſiæ authoritatem, & facta ſint, & robur acceperint, & in eorum Statutis Romani Pontificis patenter excipiatur authoritas*.

43 Nec idcircò putandum eſt, quod Summus Pontifex ſine ulla neceſſitate eligat aliquando minus dignos, minuſque utiles. Nam cùm ejus finis ſit univerſalis Eccleſiæ bonum, cenſendum eſt, ipſum judicare id, quod apparet huic Eccleſiæ particulari eſſe minus utile, eſſe univerſali Eccleſiæ magis expediens. Quare non licet in praxi talem ejus electionem impugnare, ſed ea poſita, eſt illi a Regulari electo penitus obtemperandum. Quod deducitur ex S. Thoma 2. 2. *quæſt. 63. art. 2. & qu. 185. artic. item 2.* quem præ aliis ſequitur Suarez *de Religion. tom. 3. lib. 10. cap. 10. num. 20.*

44 Hæc autem Summi Pontificis ſuprema poteſtas cogendi Regularem ad accipiendum Epiſcopatum non competit ei ex vi voti obedientiæ, quod Regulares emittunt, ſed ex vi juriſdictionis, quam habet in omnes. Nam ex vi voti obedientiæ regularis tenetur tantùm ad ea, quæ in regula continetur. Unde Prælatus, cujus poteſtas eſt limitata ad ea, quæ ſunt ſecundùm regulam, non poteſt illi præcipere, niſi quæ in regula continentur, ut per S. Thomam, *quodlib. 10. art. 10.* In regula autem non continetur, quod accipiat Epiſcopatum, atque adeò ex vi voti obedientiæ Prælatus non habet hanc poteſtatem illi præcipiendi, ac proinde nec Summus Pontifex, qui ex vi voti emiſſi habet ſolùm illam poteſtatem in Regularem, quam habet illius Prælatus, ſed tantùm ex ejus ſumma in omnes juriſdictione.

45 Id aſſerunt Doctores, dum tradunt obediendum eſſe Pontifici, injungenti Epiſcopatum, nominatim S. Thom. *in 3. diſt. 39. quæſt. 1. art. 3.* loquens enim de juramento non accipiendi Epiſcopatum, ait: *Hujuſmodi juramentum incautum reputatur, quia quantum in ſe eſt, Providentiæ divinæ præjudicat, & obedientiam ad Superiores excludit, quibus in hoc obedire tenentur*, docetque Suarez *loc. cit. num. 19. & ſeqq.*

46 Ad primum reſpondetur, quod licèt Epiſcopatus ſit opus conſilii, tamen includitur etiam intra limites præcepti. Unde S. Thomas 2. 2. *quæſt. 185. art. 2. ad 8.* ait: *Accipere Epiſcopatum non eſſe de ſe neceſſarium ad ſalutem, ſed fieri neceſſarium ex Superioris præcepto*.

47 Ad ſecundum jam diximus, Pontificem injungere Epiſcopatum Regulari, non ex vi voti obedientiæ, ſed ex ſua ſuprema juriſdictione.

48 Ad tertium, etiam diximus, non licere Regulari ſe excuſare, prætextu, quod non adſit neceſſitas, ut in Epiſcopum eligatur, ſed debet Summo Pontifici obedire, dummodò ſit idoneus, nec credatur futurus Eccleſiæ noxius. Nec juramenti, aut voti emiſſi de non accipiendo Epiſcopatum eſt tranſgreſſor, qui authoritate Apoſtolica ad id aſtringitur, juxta *cap. non eſt de voto*, cum implicitè, vel explicitè in juramento, & voto excipiatur caſus, in quo a Summo Pontifice, ad accipiendum quis cogeretur.

49 Ad quartum, hunc caſum videtur expreſſiſſe Sanctum Gregorium *l. 32. Moral.* & refertur in *can. nervi diſt. 13.* dum inquit: *Alius obedire trepidat, & non obedire formidat ne, aut obediens, Deum in ſuis præceptis deſerat, aut rurſus non obediens, Deum in electo Priore contemnat*. Hinc reſpondetur, quod Regularis exiſtimare non debet, quod ſe exponat probabili periculo, Deum graviter offendendi, ſi Summo Pontifice imponente, Epiſcopatum accipiat, ſed potius debet ſibi perſuadere, quod humiliter obedienti Deus dabit gratiam, quia vitare poterit in illo ſtatu, qui per ſe bonus eſt, omne peccatum. Si verò nollet, cùm poſſit, ac teneatur, hanc exiſtimationem deponere, quicquid fecerit, peccabit, ut tradit Navar. *in cap. ſi quis autem num. 95. de pœnit.* Unde peccabit acceptando Epiſcopatum, & non acceptando. Nam juxta veriorem, ac ſecuriorem ſententiam peccat, qui ſe, etjam oppreſſum, exponit periculo Deum offendendi. Nam contra conſcientiam, quæ dictat oppoſitum, facit. Peccat item non acceptando. Quia cùm poſſit, ac deberet deponere illam exiſtimationem, tenetur deponere, ac obedire. Impedimentum enim, quod nos prohibet obedire Superiori præcipienti rem bonam, & rationabilem, ut eſt Epiſcopatus, ſi non removeatur, dum a nobis removeri poteſt, non excuſat a mortali culpa inobedientiæ, ut per S. Thom. 2. 2. *quæſt. 183. art. 2. ad 2.* ibique Sylvium *§. Quæri etiam*.

Confirmatur ex eo, quod legitur in *Epiſt. 1.* Clementis Papæ I. ubi narratur S. Petrum ipſi recuſanti Epiſcopatum dixiſſe: *Si periculum peccati timens, ſuſcipere refugis Eccleſiæ gubernacula, certus eſto, quod amplius peccas, qui Populum Dei, velut in fluctibus poſitum, & periclitantem, cùm juvare poſſis, ſubterfugis, tui tantummodo habens conſiderationem, & non quod in commune omnibus expedit, providens*. 50

Recuſavit quidem Canonicus ille regularis Epiſcopatum, ſed ſine culpa, quia non contra præceptum Superioris, qui obligare poterat, ſed contra majorum conſilium, vel ex humilitate, & cum merito. Quiſquis autem Regularis tàm in humili ſuo ſtatu, quàm ad Epiſcopatum aſſumptus timere debet pericula, quæ ubique ſibi imminent. At ne timeat exemplo ei ſint quamplures Regulares Epiſcopi in Sanctorum ordinem adſcripti. An iſti, ait Auguſtinus *lib. 8. confeſſ. cap. 11. in ſemetipſis potuerunt, & non in Domino Deo ſuo? Quid in te ſtas, & non ſtas: Projice te in eum, noli metuere, non ſe ſubtrahet, ut cadas. Projice te ſecurus, & excipiet te, & ſalvabit te*. 51

De Petro Damiani falſum eſt, eum invito Summo Pontifice Epiſcopatui ceſſiſſe. Conſtat ex illius Epiſtola Apologetica in ſui facti defenſionem, cujus titulus eſt hujuſmodi. *Dilectiſſimis Apoſtolicæ Sedis electo, & virgæ Aſſur Hildebrando Petrus Peccator Monachus ſervitutem*. Cùm enim inſtantiſſimè petiiſſet a Summo Pontifice, ut abjecto Epiſcopali regimine ſibi liceret dilectam ſibi ſolitudinem repetere, contradicebat acriter Cardinalis Hildebrandus, poſtea Gregorius VII. unde illum virgam Aſſur appellavit, ſed obtinuit tandem a Summo Pontifice Alexandro II. quem Apoſtolicæ Sedis *electum*, dicit facultatem, quam petebat, teſte Baronio ad annum 100. Evinciturque ex his verbis Epiſtolæ: *Benedictio Omnipotentis diſpenſatio Conditoris, quia ad vos nuper aſcendens, duorum Epiſcopatuum unius regendi, alterius viſitandi mole depreſſus, prærupta alpium juga tranſmiſi, mox Sarcina tribulationis abjecta exoneratus, & liber ad dilectam ſolitudinem, tanquam fugitivus poſtliminio repedavi &c. Noſtis, planè, certumque tenetis, hæc in me projecta fuiſſe onera non ſuſcepta. Quapropter occaſione nacta pondus libenter abjeci, quod ultroneus ante non ſubii &c. unde ego cùm Eccleſiaſticum vobis regimen renunciare diſpoſui, non erravi, quia Romanæ, quæ vos eſtis, Eccleſiæ, quod ſuum erat, dignè reſtitui, & ut vobis me confeſſum eſſe confitear, pro hac refutatione centum annorum Pœnitentia mihi eſt conſequenter injuncta, per illa nimirum remedia, quæ Monaſticis ſunt regulis inſtituta*. Et poſt alia ita ſuam concluſit Epiſtolam: *Propterea dilectiſſimi &c. nolite mihi de cætero eſſe moleſti, ut quietis portum, in quem a Chriſto, per vos gubernante, relapſus ſum, deferam*. Ex quibus verbis perſpicuè liquet, hunc ſanctum virum, poſtquam diu in Epiſcopatu, ad quem ex ſuo Monaſterio invitus fuerat aſſumptus, vixiſſet, deſideraſſe, & obtinuiſſe ex benignitate Apoſtolica reverti, unde exiverat, ut liberius poſſet, ſe ad mortem, quam vicinam credebat, præparare. 52

Porrò Regularis poteſt etiam eligi, poſtulari, ſeu præſentari, ut Epiſcopus fiat ab aliis, Summo Pontifice inferioribus, qui tale jus habent a Sede Apoſtolica, ut ait Concilium Tridentinum *ſeſſ. 24. de reform. cap. 1.* de qua re ſuo loco. 53

CONSULTATIO XCVIII.

An expediat Regularem ad Episcopatum promovere?

1 VIdetur, non expedire, Pontificem assumere Regulares ad Episcopatum, nec si fuerint electi, postulati, seu præsentati, eos admittere. Nam Religiosi utiliores esse possunt Ecclesiæ in suo statu, quàm illum in Episcopatum commutando, cùm possint pluribus in locis concionari, docere, fidem, ac morum disciplinam propagare, Episcopi autem uni tantùm Populo sunt profecui. Nec debent assumi propter Ecclesiæ necessitatem. Nam potest illi æquè benè provideri de Sacerdotibus sæcularibus, quorum multi sunt præclarissimi Theologi, juris utriusque periti.

2 Minus id expedit, quoad Religiones, ex quibus assumuntur. Nam privantur doctioribus viris. Quapropter Sanctus Gregorius *in can. hinc est 16. quæst. 1.* concessit cuidam Monasterio Privilegium, quod illius Abbas nunquam in Episcopum eligeretur. Ex quo suspicari possumus, Summum Pontificem perpendisse, hanc electionem noxiam esse Monasteriis, cùm ejus occasione melioribus privetur. Sancti Religionum Fundatores Dominicus, & Franciscus cuidam Cardinali optanti eorum Religiosos Episcopos fieri, contradixere, ejusque judicium gravissimis rationibus improbarunt. Sanctus Ignatius Loyola, ut huic malo efficacius prospiceret, decrevit, suos Religiosos arctare ad respuendas dignitates extra Societatem, a se in militantis Ecclesiæ subsidium, ac robur erectum, donec eas respuere culpa non esset, nec ullum immotum lapidem reliquit, ut impediret, ne dignissimus ejus Religiosus a Pontifice promoveretur. Quod in ejus vita refert Rabaidinera *lib. 3. cap. 14.* Exinde in eadem Societate, Sancto Ignatio Defuncto, & postea in pluribus Religionibus votum de non accipiendis dignitatibus reperitur introductum, & a Sede Apostolica comprobatum, Extatque in Chronicis Dominicanis *part. 1. lib. 3. cap. 46.* Epistola quædam Umberti Generalis ad Beatum Albertum Magnum, in qua Religionis suæ detrimenta exponit, quæ illi ex ipsius assumptione ad Metropolim Ratisponensem imminere metuebat. Et *lib. 2. cap. 20.* narratur, Fratrem Joannem Theutonicum, Umberti in Generalatu prædecessorem, petiisse precibus instantissimis a Summo Pontifice, ne unquam aliquem de ordine suo ad Episcopatum promoveret ex hac certè ratione, quia Ordini suo id non expedire judicabat.

3 Nec quidem expedit Religiosis ad Episcopatum assumi. Delererent enim statum illum quietum, & tranquillum, quem elegerunt, ut perfectionis viam, & securiorem ad salutem consequendam, & transirent ad statum Episcopalem, ex se quidem perfectum, sed curis innumeris fluctuantem, animæ periculis plenum, laborum pelagus, omniumque ærumnarum abyssum, ut ait Chrysostomus *lib. 3. & 6. de Sacerdotio.* Hinc Sancti Viri Religiosi de sua salute soliciti, ne ad Episcopatum assumi cogerentur, se occultarunt. S. Thomas Aquinas, S. Bernardus oblatos sibi Episcopatus constantissimè recusarunt, quia sibi id expedire non judicabant. Vide Suarez *de Relig. tom. 4. tract. 10. lib. 6. cap. 8. numer. 11. ac sequentibus.* Ipseque Regularis vix potest accipere Episcopatum sine culpa. Nam dum illum accipit, vel existimat se cæteris digniorem, vel æqualem, vel inferiorem. Si digniorem, est superbus, ac temerarius. Si æqualem, adhuc temeritatem non effugit. Si inferiorem, est præsumptuosus, cùm consentit se melioribus præferri.

4 At verò in Ecclesia Catholica consuetum semper fuisse Regulares ad Episcopatum promovere, latè probat Platus *de bon. stat. Religion. lib. 2. cap. 29.* Et olim demonstravit Drachontio Monacho Episcopatum renuenti S. Athanasius *in Epist. ad eundem* scripta, quod ita viget in Ecclesia Græca, ut soli Monachi ad Episcopatum assumantur, adeòut si ille, qui dum assumitur, Monachus non esset, prius Monachus fiat, quàm Episcopatus characterem suscipiat. Præterea Summi Pontifices, ut antea dictum est, consueverunt è Monasteriis Regulares ad Episcopatum assumere, eosque eligi, postulari, & præsentari posse ad hanc dignitatem Canonicis legibus decreverunt, ac etiam invitos aliquando ad consentiendum coegisse. Quod quidem nunquam fuisset, si non expediret assumenti, assumpto, Religioni. Id, quod extendi etiam potest ad Summi Pontificatus dignitatem, servata illa limitatione, quod Pontifex a Cardinalibus eligitur, statimque ac electus est, omnes habet inferiores, nec indiget confirmatione. Ejus enim electio est sui ipsius confirmatio.

Quare asserendum est. Expedit Summo Pontifici, cæterisque, qui ad id jus habent, eligere, postulare, seu præsentare Regulares ad Episcopatum. Expedit quidem, si assumantur, non qui ambitione, vel honoris appetitu, aut Religiosæ vitæ fastidio ad Episcopatum ducuntur, sed qui futuri sunt Populis scientia, & exemplo conspicui, si speretur, quod pauperum inopiæ prospicient, Clerici mores Sacrorum Canonum institutis informabunt, cæteraque facient, quibus Sanctos Episcopos Regulares æmulentur, de quibus dixit Sulpitius in vita S. Martini: *Quæ esset Civitas, aut Ecclesia, quæ non sibi de Martini Monasterio cuperet Sacerdotem?* 5

Hinc Summus Pontifex suo motu proprio, ex sua 6
scientia, & voluntate promoveat Regularem ad Episcopatum, aut iste eligatur, seu præsentetur, aut urgeat præceptum charitatis, expedit Religioni, ut ejus Religiosus ad Episcopatum asciscatur. Ex hac enim promotione Religio decus acquirit, & finem, propter quem instituta fuit, adæquatè consequitur. Nam, ut inquit S. Bernardus, *Epist. 142.* ad Monachos Alphenses, quorum Abbas assumptus fuerat ad Episcopatum: *Beatus Pater vester, atque noster, authore Deo, ad altiorem gradum assumptus est &c. Sol est ipse Pater, per quem Alphensis Congregatio illustris ubique redditur, tanquam Luna per Solem.* Nec Religiones, ex quibus quotidie plures Religiosi ad Episcopatum assumuntur, piis, doctisque viris destituuntur. Nam uno sublato, non deficit alter, qui Religionis munia æquali cum laude exerceat. Quod si aliquid detrimenti patiatur, perferendum est, cùm cadat in bonum Ecclesiæ universalis. Præterea finis adæquatus Religionis cujuscumque est instituere viros, qui Ecclesiæ sint utiles doctrina, & exemplo. Atqui id plenius, & perfectius fit ab Episcopo, quàm a Regulari.

Si autem Regularis vocetur ad munus Episcopale ex 7
mera illius voluntate, qui hoc ei potest injungere, vel si ad id obliget charitatis necessitas, cùm ipse dignitatem non quæsiverit, expedit ei, ut Episcopus fiat. Expedit namque Religioso, ut accipiat opus sibi injunctum, quod laudabiliter exerceri potest in Ecclesiæ utilitatem. Episcopatus verò appetitus, & procuratus rarò exercetur laudabiliter. Quia procuratio, & appetitus hujusmodi infert desiderium honoris, dignitatis, divitiarum, quibus excludit Episcopus nedum proprium opus, sed etiam ipsum nomen, ut docet S. Thomas *1. ad Timoth. 3. lect. 1.* Quamvis enim imperium eisdem artibus retineatur, quibus initio partem est, difficileque sit, ut bono peragantur exitu, quæ malo sunt inchoata principio *can. miramur dist. 61.* potest tamen fieri, etsi rarò, quod qui ad Episcopatum temporalia respiciendo pervenerit, deposita priori intentione, totum se occupet in opere, quod maximè admodum bonum est, neglectis temporalibus, unde Bernardus *Epist. 27.* ad Ardationem, qui ex Curia electus fuerat ad Episcopatum Gebennensem sic ait: *Dicemus nempè, quod a Domino factum est illud, & est mirabile in oculis nostris. Sic Paulus ex persequutore Doctor Gentium factus est. Sic Matthæus de telonio vocatus. Sic Ambrosius de Palatio assumptus est. Iste ad Episcopatum, ille ad Apostolatum, sic alios quamplures novimus de vita, & habitu sæculari, utiliter extitisse promotos. Denique nonne multoties ubi superabundavit delictum, videtur superabundare & gratia?* Et in Epistola 8. sic iterùm: *Sed si occurrat de Ambrosio, quod de Tribunalibus ad Sacerdotium raptus fuerit, non me valdè conturbat, cùm a puero mundam in mundo duxerit vitam:* Et post pauca, *quamquam si tale quidpiam, quandoque benè, & utiliter factum fuisse agnoscitur, de quo dici veraciter possit: Hæc est mutatio dexteræ excelsi, non tàm exemplum, quàm miraculum asserri debet.*

Nec abnuimus, quin possit Summus Pontifex præfi- 8
cere Ecclesiis sæculares Sacerdotes moribus, & doctrina insignes, ad forenses lites terminandas, doctrinæ tamen potissimum, & Religionis curam Summo Pastori Moysi commissam video, litium verò, & causarum sæculi contentiones, veluti tantò indignas Præsule, ad inferiorum judicia relegatas.

Ex eo autem Privilegio, quod Sanctus Gregorius con- 9
cessit illi Monasterio, ut ejus Abbas assumi non possit ad Episcopatum, non rectè infertur, id omni Monasterio judicasse proficuum. Siquidem lege constitutum est, quod Regulares possint assumi ad Episcopatum. Ex Privilegio autem Abbas illius Monasterii non poterat assumi ad Episcopatum. Quia ex aliqua speciali ratione, Abbate illius Monasterii creato Episcopo, tollebatur bonum commune, quod lex intendit, dum statuit, Regulares assumi posse ad Episcopatum. At hoc erat singulare illi Monasterio, non autem omnibus commune.

Idque

Idque colligitur etiam ex Gloſſa *in dict. canon. huic eſt 16. quæſt. 1.* ubi rationem reddit, cur Sanctus Gregorius illi Monaſterio Privilegium præfatum conceſſerit, *ſolent*, ait, *Abbates electi in Epiſcopos diſpergere res Eccleſiæ ſuæ cùm ſe receſſuros ſperant, quia non parcit Populis regimen breve*. Abbates igitur, de quibus poteſt eſſe iſta ſuſpicio, non eligantur. Hinc idem Gregorius, qui Abbatem illius Monaſterii arcere voluit ab Epiſcopatu, coegit Marianum Monachum renuentem Epiſcopatum accipere, ut colligitur ex ejus *Epiſt. 45. lib. 4.* conſtatque, ipſum aſſumpſiſſe ad Epiſcopatum plures Abbates, nominatim eos, quos miſit in Angliam ad prædicandam fidem.

10 Fundatores verò Religionum, ut tollerent a ſuis Religioſis omnem ambiendi dignitatis motum, optarunt, eos nonniſi a Papa coactos, poſſe Epiſcopatum accipere. Hoc intendebat Generalis ille Dominicanus in adducta Epiſtola. Eſtque perpendendum, quod Summus Pontifex Joanni Theutonico reſpondiſſe narratur, cùm peteret ſuos Religioſos ad Epiſcopatum non promoveri, hoc nimirum: *Voi ſapete bene, Padre Generale, quello che dice Criſto nel Vangelo, che non ſi dee occultare la Lucerna, ma porla ſopra il candeliere, acciocchè mandi il lume a tutti. E che in un altro luogo ripreſe quel pigro ſervo, che aveva naſcoſo il talento ricevuto dal ſuo Padrone, ſenza trafficarlo altrimente. Avendo adunque Iddio dato a molti dell' ordine voſtro luce di dottrina, e di predicazione, e talenti di molte altre virtù, dovete contentarvi, che le ſpendano per ſuo ſervizio in tutti quei carichi, che o da lui, o dal ſuo Vicario ſaranno loro impoſti.*

11 Cæterùm Religioſi in ſtatu Epiſcopali remanent eſſentialiter Religioſi, poſſuntque perfectiores evadere, quàm in Religione, ſicuti perfectior eſt forma, quàm diſpoſitio illam introducens: Quod proſequitur S. Thom. 2. 2. *quæſt.* 85. *art.* 8. Humilitas autem, paupertas, obedientia, cæteræque virtutes Religioſæ, ita ſunt Epiſcopali ſtatui annexæ, ut ab eo in ſua perfectione conſiderato, vix divelli poſſint. Unde, quamvis Epiſcopus non fuerit Regularis, ſi tamen eis præfulgeat, Epiſcopali dignitati ſingulare augebit ornamentum, ut patet ex *canon. Epiſcopus vilem diſtinct.* 41. & *cap. contra morem diſt.* 100. ubi ex Gregorio *Epiſt.* 54. *lib.* 2. ſic habetur: *Nihil in Epiſcopali cervice ſplendidius fulget, quàm humilitas.*

12 Ideòque dum dicitur plures ſanctos viros Regulares, coactos Epiſcopatum accepiſſe, alios oblatum conſtantiſſimè recuſaſſe hanc in primis denotat Religioſam humilitatem, optabiliorem eſſe Epiſcopali dignitate, ut eruditè Platus *de bono ſtatu Relig. lib.* 2. *cap.* 38. Ex qua ratione Sanctus Gregorius *Epiſt.* 4. *lib.* 11. noluit concedere Urbicium Abbatem, ad Epiſcopatum electum, ac dignum habitum, ſic ajens: *Sed quia cæteris ſic eſt aliquis Præponendus, ut dum ipſe exterius proficit, interius non decreſcat, quietem ipſius turbare non poſſumus, nec cùm eum ad altiora producimus, minorem illum ſeipſo fieri miſſum in fluctibus compellamus:* Humilitas quippè Regularium heroicas patefacit, atque illuſtrat virtutes.

13 Neque ex parte ejus, qui aſſumatur, ait S. Thomas *dict. quæſt.* 185. *art.* 3. *in corp. requiritur, quod reputet ſe aliis meliorem, hoc enim eſſet ſuperbum, & præſumptuoſum, ſed ſufficit, quod nihil in ſe inveniat, per quod ei illicitum reddatur aſſumere Prælationis officium. Unde licet Petrus interrogatus eſſet, an Dominum plus cæteris diligeret in ſua reſponſione, non ſe prætulit cæteris, ſed ſimpliciter reſpondit, quod Chriſtum amaret.* Ad quem locum Cajetanus inquit: *Is, qui eligitur non tenetur ad non comparativam. Non enim tenetur ad hoc, quod licitè acceptet, reputare ſe aliis magis idoneum ad Eccleſiæ regimen, ſed tantùm ad poſitivam, quod nullum in ſe impedimentum inveniat ad Prælationis officium aſſumendum.* Impedimenta verò, ſi quæ fuerint, ſunt Pontifici aperienda. Quæ ſi ipſe tollat, vel diſſimulet, vel talia non eſſe judicet, certum eſt, Regulari tunc expedire a Summo Pontifice injunctum Epiſcopatum accipere ſine ulla ſuperbia, vel præſumptionis ſuſpicione, immò cum ſpe magnos fructus de ipſo, ac de aliis percipiendi.

CONSULTATIO XCIX.

In qua generatim, ac prolixè diſcutitur, an liceat Eccleſiaſticas appetere dignitates, vel refugere? Patrum Græcorum, ac latinorum ſententia. Quid revera de hoc ſentiendum?

CUM Epiſcopatus omnium Ordinum, ac dignitatum apex ſit, ad quem attigendum major utique, quàm ad aliquos Ordines inferiores, vel dignitates Eccleſiaſticas perfectionis excellentia requiritur, ideò qui de appetitu iſto, & ambitu diſſeruerunt Patres, de Epiſcopatu præſertim verba fecerunt. Arripuerunt autem ferè omnes occaſionem ex D. Pauli ſententia: *Qui Epiſcopatum deſiderat, bonum opus deſiderat, 1. ad Timoth. cap.* 4. Verum ea, quæ eodem rationis filo ſubjungit Apoſtolus verba: *Oportet enim Epiſcopum irreprehenſibilem eſſe &c.* quibus mox Diaconorum creandorum conditiones ſubdit, dum ait; *Diaconos ſimiliter pudicos &c.* conſentiunt vulgò iidem Patres, ut Hieronym. *Epiſt.* 85. *ad Evag.* Chryſoſt. Theodor. Prim. Bruno, Lyran. aliique paſſim in dictum locum Pauli de Presbyteris æquè, ac Epiſcopis intelligenda eſſe. 1

Patrum igitur exemplo quæſtio de Epiſcopatu præſertim movenda eſt, ex cujus deciſione de cæteris dignitatibus Eccleſiaſticis, vel appetendis vel fugiendis judicium ferendum erit, primumque ſi Scripturæ Sacræ locos in utramque partem proferre liceat, hinc pro appetitu Epiſcopatus prædicta Pauli verba adduci poſſunt: *Qui Epiſcopatum deſiderat, bonum opus deſiderat.* Illinc contra ambitum, & appetitum ejuſdem Pauli *ad Hebræos* 5. ſententia: *Nemo ſumit ſibi honorem, ſed qui vocatur a Deo, tanquam Aaron. Tum Eccleſiaſtici verba cap. 7. noli quærere a Rege Ducatum, neque a Rege Cathedram honoris*, & paulò poſt ibidem: *Noli quærere fieri Judex, niſi valeas virtute irrumpere iniquitates.* Quæ omnia, ut immoderatam, & temerariam Epiſcopatus appetentiam excludunt, ita rationabile, ac diſcretum Epiſcopalis operis, atque ſollicitudinis deſiderium admittunt. Patrum quoque in hos locos ſententia univerſim ea eſſe videtur, Epiſcopatum (quod idem ſervata proportione de Pontificatu, Cardinalatu, cæteriſque Eccleſiaſticis dignitatibus dicere poteris) ordinariè loquendo, nec minimè oblatum appetendum, aut propria voluntate ambiendum eſſe, nec oblatum, atque impoſitum recuſandum, non vacare peccato, qui inordinatè ambiunt, nec a crimine immunes eſſe, qui impoſitum pertinaciter reſpuunt, appeti tamen, & quæri poſſe a dignis, ab indignis verò, atque ineptis recuſari ſemper debere. 2

Et quidem Epiſcopatum, cæteraſque Eccleſiaſticas dignitates ordinariè, nec appetendas eſſe, nec fugiendas, periculoſius tamen appeti, quàm recuſari, docere videtur Origenes, qui Iſaiæ Deo ſe offerentis, & Moyſis recuſantis comparatione quodnam ſatius ſit Eccleſiaſticas dignitates appetere non oblatas, vel oblatas refugere, his verbis inquirit *homil. 6. in cap. 6. Iſaiæ: Neſcio enim, ſi poteſt quis eam contrarietatem negotiorum, quæ in utroque videtur intendens, dicere, quia id ipſum fecerit Moyſes, quod Iſaias. Ego audacter feci comparans duos Sanctos, & Beatos Viros, ac decernens, & dicens, Moyſem verecundius feciſſe, quàm Iſaiam, Moyſes quippè Exodi* 4. *magnitudinem conſiderabat præeſſe Populo ad educendum eum de terra Ægypti, & repugnare Ægyptiorum incantationibus, propter hoc ait, providè alium, quem mittas. Iſte autem cap. 6. Iſaiæ non expectans audire, quid ei juberetur, ut diceret, ac ſi electus fuiſſet: Ecce, inquit, ſum ego, mitte me, &c.* Tum ſubdit comparationem Iſaiæ, & Jonæ: *Ille*, inquit, *mittitur prædicare everſionem Ninivitis poſt tres dies, & piget eum proficiſci nolentem cauſam malorum Civitatis. Iſte verò non expectans, quid ei impetraretur, ut diceret, ait, ecce ego, &c.* Ex quibus hoc concludit: *Bonum eſt non proſilire ad eas, quæ a Deo ſunt dignitates, & Principatus, & myſteria Eccleſiæ, ſed imitare Moyſem, & dicere cum eo, provide alium, quem mittas, neque ad Principatum Eccleſiæ venit qui ſalvari vult, ſed ad ſervitutem Eccleſiæ.* 3

Baſilius ſimiliter *in eth. reg.* 70. *cap.* 3. primò aſſerit eum, qui idcircò deſignatus eſt, ut Evangelium prædicet, nullo modo *ex ſua animi libidine*, aggredi ad hujuſmodi munus debere, ſed maturam temporis opportunitatem operiri, cùm id videlicet viſum Deo fuerit, ac tùm demum prædicationem aggredi, cùm ei permiſſum ſit, & apud illos, ad quos miſſus ſit, probatque pluribus Scripturæ Sacræ teſtimoniis, tùm maximè ex eo Chriſti Domini oraculo Jo: 8. *Ego enim ex Deo proceſſi, & veni, neque enim a me ipſo veni, ſed ille me miſit.* Ex quo nempè deducitur neminem ſeipſum Eccleſiaſti- 4

cis

cis debere dignitatibus ingerere, a Deo non vocatum, ab hominibus non electum, neque miſſum. Secundo ſequenti ipſe capite oſtendit, *quod qui ad prædicationem Evangelii vocatus eſt, is obedire confeſtim debet, neque ullam rei moram interponere*, probatque ex illo Chriſti, quo eum reprehendit *Lucæ 9.* qui ab ipſo vocatus ad ſepeliendum patrem ſe proficiſci dicebat, ut in ſequendo Chriſto moram necteret. Itemque ex illo Apoſtoli ad Galat. 1. *cùm autem placuit Deo, qui me ſegregavit ex utero matris meæ, & vocavit per gratiam ſuam, ut revelaret filium ſuum per me, ut evangelizem illum in Gentibus, continuò non acquievi carni, & ſanguini, &c.*

5 Fuſius verò, & clarius Sacerdotii dignitatem, nec appetendam eſſe, nec fugiendam, docet Gregorius Nazianzenus *orat. 1. apologet.* qua cauſas exponit, ob quas in Pontum fugerit, poſteà quam Presbyter creatus fuiſſet, ac poſteà Nazianzum redivit. Ubi enim fusè exemplo Jonæ Prophetæ quem ſcriptura reprehendit, quod prædicandi officium a Deo impoſitum renuiſſet, & a facie Domini fugiſſet, Sacerdotium contumaciter non eſſe reſpuendum docuit, mox pluribus oſtendit, ipſum nec temerè apprehendendum, nec impoſitum reſpuendum eſſe, cujus verba, paucis quidem truncatis iis, quæ minus ad rem faciunt, proferemus; *Mihi*, inquit, *quænam tandem oratio, aut quis defenſionis locus reliquus foret, ſi diutius ad frænum contumax forem, atque hoc miniſterii jugum, leve an grave dicere oporteat, neſcio, mihi quidem certè impoſitum recuſarem. Si enim quod unum in his rebus firmum, & validum proferri poteſt, hoc quiſpiam conceſſerit, nos multò inferiùs ſitos eſſe, quam ut Sacerdotio apud Deum fungamur, alter fortaſsè nos inobedientiæ crimine minimè liberabit. Graves porro minæ, graveſque pœnæ adverſus inobedientiam intenduntur, quemadmodum ſcilicet in alteram quoque partem, hoc eſt eorum, qui nihil refugiunt, ac recuſant, nec ut Saul ille ſub paternis vaſis Paulum ſaltem ſe occultant, cùm ad præfecturam vocantur, quam me deponere quidem tutum eſt, nec poſteriori conſilio priori medicinam afferre. Ac proinde ipſe variis cogitationibus laborabam, quid facto opus eſſet exquirens, mediuſque inter duos timores hærens, quorum alter me deprimebat, alter erigebat, ac videte quàm rectè, quamque juſtè inter utrumque timorem negotium tranſigam, nimirum, ut minimè oblatam præfecturam appetam, nec oblatam repudiem. Illud enim temerariorum hominum eſt, hoc inobedientium, utrumque autem imperitorum, atque ipſe inter nimis audaces, & nimis timidos quodammodò interjectus ſum, nempè, & his qui ad præfecturam omnes proſiliunt, timidior, & iis rurſus, qui omnes fugiunt audacior.* Tum ſubdit periculoſius eſſe contra obedientiæ legem onus impoſitum refugere, quàm ex imprudentia acceptare: *Nam timori quidem ſuſcipiendæ præfecturæ lex quoque obedientiæ fortaſsè opem ferre queat, Deo videlicet pro ſua benignitate fidem remunerante, eumque in perfectum, ac numeris omnibus abſolutum Antiſtitem componente, qui fiduciam in ipſo, ac ſpes omnes ſuas poſitas habuerit. At inobedientiæ periculo haud ſcio quiſnam opitulari, aut quænam ratio ad fiduciam hortari poſſit. Verendum enim eſt, ne de iis, qui fidei noſtræ commiſſi ſunt, hoc audiamus, animas eorum de manibus veſtris exquiram*, Ezech. 34. *& quemadmodum repuliſti me, ne Populi mei Duces, & Principes eſſetis, ita & ego repellam vos ne ſim vobis in Regem. Ac rurſus quemadmodum non audiviſtis vocem meam, ſed dediſtis tergum durum, & inobedientes fuiſtis, ſic erit cùm invocaveritis me; ego autem non reſpiciam ad orationem veſtram, nec exaudiam. Abſit, ut hæ voces nobis a juſto Judice veniant.* Probat deinde ſententiam ſuam exemplis: *Eos omnes*, inquit, *quos divina gratia, vel ad gubernandam plebem, vel ad prophetiæ munus unquam elegit, partim alacri animo vocationi paruiſſe, partim oblatæ gratiæ moram injeciſſe, nec vel eorum, qui pedem ſubduxerunt, culpandam timiditatem, vel eorum, qui ad impoſitum ſibi munus obeundum impigrè ſe accinxerunt, reprehendendam alacritatem. Illi quippè miniſterii magnitudinem extimuerunt, hi contra vocantis ope confiſi, paruerunt. Aaron promptus erat, Moyſes autem repugnabat. Eſajas impigrè obedivit, at Hyeremias juvenilem ætatem metuebat, &c.*

6 Idipſum pluribus in locis oſtendit Chryſoſtomus, ſed maximè in ſuis de Sacerdotio libris, in quibus hæc duo ex profeſſo oſtendit. Primum Sacerdotium quidem ab indignis refugi, a dignis ex charitate, & dilectione erga proximum appeti poſſe. Alterum operis Epiſcopalis juxta B. Pauli doctrinam, appetitionem licitam eſſe, primatus deſiderium illicitum. Primum quidem, confecto inter ipſum, & Baſilium dialogo, ita oſtendit, cùm enim ipſe paſtoris ſtudium erga gregem, charitatis erga Deum ſymbolum eſſe dixiſſet, ſubinfert Baſilius apud Chryſoſt. *lib. 2. de Sacerdot. cap. 4. Tu verò Chriſtum non amas.* Reſpondit Chryſoſtomus. Et amo, *& amare certè nunquam deſiſtam. Cæterùm vereor, ne quem amo, eum irritem. Hoc verò*, inquit Baſilius, *ænigmate quodnam aliud obſcurius eſſe queat, ſi Chriſtum illum, a quo ametur, oves ſuas paſcere juſſit; tu autem hoc nomine nolle paſcere affirmes, quod eumdem illum, qui hoc juſſerit, ames. Non eſt*, reſpondet Chryſoſtomus, *ſermo hic ænigma, quinimmò apertus, & ſimplex. Nam ſi par atque idoneus, adminiſtrando muneri iſti, juxta id; quod Chriſto placitum eſt, nihilo ſecus tamen munus ipſum detrectaſſem, hæſitare quidem ad verba mea conveniret; poſteà verò, quam me ad functionis iſtius præſtationem animi hujus imbecillitas minus idoneum reddidit, quis huic quæſtioni, dubitationive locus?*

Poſterius quoque iiſdem libris docet. Cùm enim pe- 7
ſtilens juſtius honoris appetendi virus eſſe dixiſſet, mox quoque petitæ ex D. Paulo objectioni, ita occurrit *lib. 3. cap. 11. Neque id dico, cum Beato Paulo pugnare volens, quinimmò, ut maximè cum illius verbis conſentiam. Ea verò cujuſmodi ſunt? Si quis Epiſcopi munus appetit, honeſtum munus deſiderat. At ego non operis ipſius, ſed dominationis, ac potentiæ deſiderium peſtilens eſſe dixi, atque hoc deſiderium ſic toto ſtudio ab animo abjiciendum eſſe cenſeo, ut ne animum quidem ipſum permittas ab illo occupari, ut is rerum omnium liberè agendarum poteſtatem habeat.*

Similia habet, prædicta Pauli verba commentans *ho-* 8
mil. 10. in cap. 3. prior ad Timot. ubi opus quidem Epiſcopale appeti poſſe, dignitatem, & potentiam non debere exponit: *Si quis Epiſcopatum deſiderat, non culpo, non improbo, opus quippè regiminis eſt. Si quis hunc idcircò appetit, non principatus, ac dominationis faſtu, verum cura regiminis, & charitatis affectu, non improbo*, inquit. *Bonum quippè deſiderat opus, quippè & Moyſes eam rem appetere cognoſcitur; verum ille hujuſmodi potentiam, ambitumque dominandi nequaquam quæſivit, ſed eam rem ita cupivit, ut illi diceretur, quis te conſtituit Principem, & Judicem ſuper nos? Si quis igitur ita deſiderat benè. Epiſcopus enim ex eo dicitur, quod inſpiciat, cunctaque ſpeculetur.*

Idem quoque omninò Theodoretus ad eundem Apo- 9
ſtoli locum. *Non accuſat*, inquit, *ſimpliciter cupiditatem, ſed ambitionem, & magiſtratus gerendi deſiderium, & donec non honorem, ſed virtutem appetere, non deſiderare dignitatem, ſed dignitatis officium inquirere.*

Eadem quoque Iſidoro Peluſiotæ placere viſa eſt ſen- 10
tentia. Primum enim viros probatæ eruditionis, ac pietatis Epiſcopatum appetere poſſe, alios non poſſe affirmat *epiſt. ad Leontium 104. lib. 1.* his ſcilicet verbis: *Non eſt quorumlibet virorum præclarè Epiſcopatum appetere, verum eorum, quorum vita ex Pauli legibus dirigitur. Quamobrem ſi illam in te ipſo ſinceritatem perſpicis, libenti atque alacri animo ad tanti faſtigii aſcenſum pergis. Sin autem ea tibi deeſt quoad ipſam adeptus ſis, ea, quæ attingere nefas eſt, minimè attinge. Cave, ne ad ignem, qui materiam abſumit, accedas.* Secundò *epiſt. 216. lib. 3.* ad Palladium Diaconum fusè oſtendit, non omnium eſſe Epiſcopatum appetere, ſed paucorum, qui non minus populis, quibus præfecturi ſint, præcellant, quàm Paſtores ovibus; oportere ſiquidem Epiſcopum irreprehenſibilem eſſe, &c. Unde invehitur in eos, *qui cùm præclarè ſecum actum eſſe putare debeant, quod in ſubditorum claſſe cenſetur, ipſi contra, ea appetunt, quæ conſequi nequeant, atque Epiſcopatus amorem in ſeipſis alunt, Apoſtolumque, qui exitialem eorum morbum profligare ſtuduit, tanquam morbo ſuo patrocinantem, teſtem citant.*

Oſtendit poſteà, Apoſtolum hujuſmodi non ſuffraga- 11
ri, tum quod non juſſerit, ut unuſquiſque Epiſcopatum deſideret, nec amorem Epiſcopalis operis, cujus ibidem difficultates oſtendit, laudarit, ſed ejuſdem operis excellentiam. Tum quod juxta communem modum loquendi *opus*, quo nomine utitur Apoſtolus, vulgò dici ſoleat, *arduum, & quod ægrè confici poſſit, negotium.* Ex quibus juxta mentem Pauli ita concludit: *Ego Epiſcopatus opus mirificè laudo; Divinum enim eſt, ipſius autem amorem minimè laudo. Periculoſus enim eſt, non dico benè facit, &c.* Hinc varia Epiſcopatus pericula recenſet, variaſque difficultates, quæ nos ab Epiſcopatu expetendo deterreant. Idem quoque eadem Epiſtola ad eumdem Palladium fere habet, hocque præſertim notatu dignum, Divum Paulum, *in medio relinquere ſuſpenſum Sacerdotii deſiderium, neque inſtigare ad id quemquam, ne indignos excitet ad capeſſendam rem perdifficilem, quæque omnem ſuperat Reipublicæ adminiſtrationem,*

neque

neque ab eo arcere quemquam, ne id, quod omni Regno majus est, fugiendum esse proponat. Subditque, *ipsi unumquemque sui ingenii æstimatorem, ac judicem constituisse, neque expetere, neque fugere præcepisse.*

12 Eadem latinorum Patrum mens fuit. Verum in hac quæstione dissolvenda excelluit Augustinus duobus præsertim in locis, primumque suo, & fratrum cum ipso degentium nomine scripta ad Eudoxium Presbyterum, & aliis cum ipso fratribus regulam vitam agentibus *epist.* 81. quæ ex parte refertur *in can. vos autem 16. quæst.* 1. ipsis nec appetendum ex superbia, nec ex desidia refugiendum Sacerdotium iis verbis egregiè persuadet: *Vos autem fratres exhortamur in Domino, ut propositum vestrum custodiatis, & usque in finem perseveretis, ac si quam operam vestram mater Ecclesia desideraverit, nec elatione avida suscipiatis, nec blandiente desidia respuatis, sed mitti corde obtemperetis Deo, cum mansuetudine portantes eum, qui vos regit, qui dirigit mites in judicio, qui docet mansuetos vias suas, Psalm.* 14. *nec vestrum otium necessitatibus Ecclesia præponatis, cui parturienti, si nulli boni ministrare vellent, quomodo nascerentur, non inveniretis. Sicut autem inter ignem, & aquam tenenda est via, ut nec exuratur homo, nec demergatur, sic inter apicem superbiæ, & voraginem desidiæ iter nostrum temperare debemus, sicut scriptum est Deuter.* 17. *non declinantes neque ad dexteram, neque ad sinistram. Sunt enim qui dum nimis timent, ne quasi in dexteram rapti extollantur, in sinistram lapsi demerguntur. Ex altera parte jactantiæ fastu corrupti, atque consumpti, in favillam, fumumque vanescunt. Sic ergo dilectissimi, diligite otium, ut vos ab omni terrena delectatione refrænetis.*

13 Secundò, docet Augustinus, idem opus Episcopale appeti posse, dignitatem non posse, impositum Episcopatum recipere licere, ambire nefas esse, habitum siquidem, moresque Christiani populi depingens tria vitæ genera statuit, moxque hæc subdit *lib.* 9. *de Civ. cap.* 19. *Ex tribus verò illis vitæ generibus, otioso, actuoso, & ex utroque composito, quamvis, salva fide quisque possit in quolibet eorum vitam ducere, & ad sempiterna præmia pervenire: interest tamen quid amore teneat veritatis, quid officio charitatis impendant, nec sic quisque debet esse otiosus, ut in eodem otio utilitatem non cogitet proximi, nec sic actuosus, ut contemplationem non requirat Dei. In otio enim non iners vacatio delectare debet, sed aut inquisitio, aut inventio veritatis, ut in ea quisque proficiat, & quod invenerit, teneat, & alteri non invideat. In actione verò non amandus est honor in hac vita, sive potentia. Quoniam omnia vana sub sole, sed ipsum opus, quod per eundem honorem, vel potentiam fit, si rectè, atque utiliter fit, ideſt, ut valeat ad eam salutem subditorum, quæ secundùm Deum est. Unde jam superius disputavimus, propter quod ait Apostolus, qui Episcopatum desiderat, bonum opus desiderat, exponere voluit, quid sit Episcopatus, quia nomen est operis, non honoris. Itaque a studio cognoscendæ veritatis nemo prohibetur, quod ad laudabile pertinet otium, locus verò superior, sine quo regi non potest, etsi ita teneatur, atque administretur, ut decet, tamen, indecenter appetitur. Quamobrem otium sanctum quærit charitas veritatis, negotium istud suscipit necessitas charitatis, quam sarcinam, si nullus imponit, percipiendæ, atque intuendæ vacandum est veritati; si autem imponitur, suscipienda est propter charitatis necessitatem.*

14 Augustinum præceptorem suum S. Prosper Aquitanicus studiosè expressit *lib.* 3. *de vita contemplat. cap.* 28. Ubi enim eos reprehendit, qui communi bono prodesse nolunt, cùm possint, ut contemplationi vacarent, mox, & eos coarguit, qui Ecclesiasticas dignitates digni respuunt, vel indigni admittunt, dignitatemque Ecclesiasticam ex se, nec fugiendam scribit, nec appetendam: *Ac per hoc ait, contra justitiam faciunt hi, qui merito suæ conversationis, vel eruditionis electi otiosum studium fructuosæ utilitati regendæ multitudinis anteponunt, & cùm possint laboranti Ecclesiæ subvenire, operosæ administrationis labore; fruendæ quietis contemplatione, refugiunt. Sed quoniam sunt multi, qui se impares tantæ sarcinæ norunt, tales justè se etiam quæsiti non offerunt, ne videantur non Ecclesiasticos labores velle suscipere, sed honores ambire, cùm dignitas Ecclesiastica, nec ambienda sit, nec vitanda. Qui verò præesse, ac prodesse populis possunt, si quæsiti non fuerint, justè seipsos percipiendæ sapientiæ studiis tradunt. Verumtamen si & illi, qui lucris per se proficientium crescunt, & isti, quin in seipsis sub Deo suo sapientiæ spirituali perceptione proficiunt, in proposito permaneant, itineribus quidem diversis incedunt, sed ad unam patriam tendunt, & ad unum Regnum disparibus militantes officiis, Christo rege omnium vacante pervcniunt.*

Paulò aliter Gaudentius Brixianus *in schol. ad locum Apost.* qui tempore persequutionis Episcopatum appeti posse docet, non similiter aliis temporibus, *Cùm*, inquit, *Episcopatum cogitas, ne referas animum ad hæc tempora, quibus Episcopi nihilominus norunt, quàm eas partes, quæ illis a Paulo assignantur. Neque quicquam aliud nunc intelligitur appellatione Episcopi, quàm fructus & vectigalia, & immanes honores, sed tempora illa ante oculos propone, cùm Paulus ipse, qui alios instituebat Episcopos, præsagebat Orbem omnium terrarum in fame, & siti, in frigore, & nuditate, in verberibus, & plagiis, in carceribus, atque quotidianis mortibus. Eo igitur tempore optare Episcopatum nihil omninò erat aliud, quàm optare quotidie milies pro Christo mori. Quod sanè optare nulla religio prohibet.* 15

Annuit Gregorius Magnus, qui fusè pariter idem argumentum tractavit, tum pluribus in locis, tum maximè in libro pastoralis curæ *cap.* 8. Ut enim omittam quæ ipse tum adversus eos, qui Episcopatus vocati respuunt, tum adversus illos, qui e contra inflati eosdem ambiunt, ibi fusè edisserit *cap.* 7. & 17. prædicationis officium laudabiliter, & quæri ex charitate, & ex humilitate recusari posse, his verbis ostendit: Isaiæ nempè, & Hieremiæ exemplum prosequutus: *Quamvis nonnunquam prædicationis officium, & nonnulli laudabiliter appetunt, & adhoc nonnulli laudabiliter coacti pertrahuntur, quod liquidò cognoscimus, si duorum Prophetarum facta pensamus, quorum unus, ut ad prædicandum mitti debuisset, sponte se præbuit: quo tamen aliter pergere cum pavore recusavit. Esaias quippè Domino quærenti, quem mitteret, ultrò se obtulit, dicens: Ecce ego, mitte me. Jeremias autem mittitur, & tamen ne mitti debeat, humiliter reluctatur, dicens a, a, a, Domine Deus, ecce nescio loqui, quia puer ego sum. Et ab utrisque exterius diversa vox prodiit, sed non a diverso fonte dilectionis emanavit. Duo quippè sunt præcepta charitatis, Dei, videlicet, amor, & proximi. Per activam igitur vitam prodesse proximus cupiens Esaias, officium prædicationis appetit. Per contemplationem verò Jeremias amori conditoris sedulò inhærere desiderans, ne mitti ad prædicandum debeat, contradicit. Quod ergo laudabiliter alter appetit, hoc laudabiliter alter expavit. Ille ne tacitæ contemplationis lucra loquendo perderet, iste, ne damna studiosi operis tacendo sentiret, sed hoc in utrisque est subtiliter intuendum, quia & is, qui recusavit, plenè non restitit, & is, qui mitti voluit, ante per altaris calculum se purgatum vidit, ne aut non purgatus adire quisque ministeria sacra audeat, aut quem superna gratia eligit, sub humilitatis specie superbè contradicat. Quia igitur valde difficile est purgatum se quemlibet posse cognoscere, prædicationis officium tutius declinatur, nec declinari, ut diximus, pertinaciter debet, cùm ad suscipiendum hoc supera voluntas agnoscitur, &c.* 16

Cæteri omnes Patres a prædictis nequaquam dissentiunt, ex quorum proindè doctrina hæc colligimus, Episcopatum exse indifferenter appeti posse, & recusari dummodò ex charitate appetatur, ex humilitate vitetur, non ex desidia eum recusandum, non ex superbia appetendum esse, propter opus appeti posse, propter celsitudinem, & dominationem appeti non posse; ab iis tantùm, qui oneri pares fuerint, vixque, nisi ab iis, qui ad illud legitimè vocanti sint, assumendum; ab indignis, & iis, qui oneri impares sunt, nunquam concupiscendum esse, periculosius expeti, quàm vitari, præsertim eo tempore, quò redditus, & honores dignitati adnexi sunt; tunc verò æquius appetitum fuisse, cùm laboris ipsi plurimum inesset, & operis, voluptatis parum, vel nihil; peccare, & qui temerè appetunt, & qui vocati pertinaciter renuunt. Quia tamen duplex hic quæstio videtur proponi, quarum prima est, utrum Episcopatus appeti, altera utrum recusari possit, utraque sigillatim discutienda est. 17

Quod igitur ad primam pluribus certè Patres Episcopatus ambitum excogitarunt. Origenes *hom.* 6. in Isaiam, *bonum esse docet, non prosilire ad eas, quæ a Deo sunt, dignitates, & principatus, & mysteria Ecclesiæ, sed imitari Moysen, & dicere cum eo, provide alium, quem mittas. Neque enim,* subdit, *ad Principatum Ecclesiæ venit, qui salvari vult.* Fusèque postea ostendit, eum ipsum, qui præest, cogitare debere, sed non ad dominationem, sed ad servitutem esse constitutum. 18

Basilius *in Constit. Monast. c.* 14. in Monacho præsertim Sacerdoti, & præfecturæ cujusvis appetentiam damnat, 19

damnat, oblatoſque etiam honores ipſis recuſare neceſſum eſſe, docet. Idem quoque cùm Collegis ſuis Epiſcopis Italiæ, & Galliæ ſcribens *epiſt. 69.* ex ambitu Epiſcopatus hæc mala profecta enumerat, periiſſe gravitatem Sacerdotum, diſtributiones pauperum in proprios uſus, donaque inſumptas, canonum exactam obſervationem peſſum iviſſe, multam peccandi libertatem patuiſſe. Nam qui favore humano ad imperium devenerunt, id agunt, ut gratias iis rependant, quorum opera ſunt promoti. Hinc fieri, ut populi ſint immorigeri, præfecti non liberè loquantur.

20 Ejuſdem ſententiæ fuiſſe conſtat Sanctum Ephrem Diaconum, ſive, ut aliis placet, Presbyterum Edeſſenum *de vit. ſpirit. cap. 35. tom. 1. ejus oper. Curam*, inquit, *animarum ne appetieris. Nam cùm ad eam metam nondum perveneris, ut cunctis animi tui paſſionibus imperes, & tibi ipſi, & illis, qui te ſequerentur noceres. Quod ſi invitus ad curam ejuſmodi traheris, in ea adminiſtranda maximam diligentiam adhibe.*

21 Gregorius Nyſſenus *orat. catech. cap. 23.* Baſilii frater dominandi illud ſtudium damnat, aitque, *eſſe initium, & fundamentum ad deteriora propenſionis*, nec dubitat, *matrem omnium vitiorum* vocare. Idem quoque in vita Moyſes eos reprehendit, qui illoti, & amictu ſordido vitæ utentes Sacerdotium raperent pluribus in locis.

22 Nazianzenus *orat. 1. 8. 19. & orat. 8.* in eos invehitur, qui temerè, ac feſtinanter, ad Sacerdotium promoveri contenderent, & qui Epiſcopatum, *rem amplam, & tyrannicam, & mirificam quamdam voluptatem habentem judicarent.*

23 Chryſoſtomus *lib. 3. de Sacerdotio* paſſim, *hom. 3. in Acta, hom. 35. in Matth. hom. 29. ad Roman. hom. 1. ad Tit. hom. ult. ad Hebr. hom. 6. de Pauli laudibus*, vitium iſtud in Eccleſia inſectatur, adeòque exitialem principatus Sacri, ſeu Sacerdotii cupiditatem eſſe putat, ut ne ejus tenuem quidem *ſcintillam* cupiditatis eſſe retinendam aſſeruit *lib. 3. de Sacerdot. cap. 10.* eoſque, qui Epiſcopalem dignitatem ambiant, *contumaciæ, & temeritatis* damnet, atque hominem hujuſmodi ambitione incautum, *infœliciſſimum hominem, atque miſerrimum* appellet *ibidem cap. 7. & hom. 1. ad Tit.*

24 Nec prætermittendus Cyrillus Alexandrinus in *Abac. num. 25.* qui, quantum Eccleſiæ detrimentum illa dignitatum Eccleſiaſticarum ambitio attulerit, nobis innuit, dum hæreſeon primos omnes authores *amore dominandi ſuperatos, proſtratoſque* fuiſſe pronunciat. Nec exempla plurima deſunt, quibus iſtam probare potuiſſet propoſitionem. Nam de Thebuli, & Montano Euſebius *lib. 4. cap. 21.* de Valentino Tertullianus *in Valent. cap. 4.* de Marcione Epiphanius, & Auguſtinus adverſus hæreſes *in hæreſ. Marcionitarum*, de Novatiano Ambroſius *lib. 1. de pœnit. cap. 15.* de Ario Theodoretus *lib. 1. cap. 2.* de Florino, & Blaſto, Aſterio Sophiſta, & aliis paſſim referunt, eos ab Eccleſia Catholica defeciſſe, quod in Sacerdotiis petitione repulſam paſſi fuiſſent. Denique adjungi poteſt Græcis Patribus S. Ephrem, qui præclarè temerariam Sacerdotii cupiditatem damnat, *ego verò*, inquit *lib. de Sacerdot. obſtupeſco, fratres dilecti, ad ea, quæ ſoliti ſunt quidam inſipientium audere, qui impudenter, ac temerè ſeſe conantur ingerere ad munus Sacerdotis aſſumendum, licèt non adſcit a gratia Chriſti, ignorantes miſeri, quod ignem, & mortem ſibi accumulent.*

25 Hoc ipſum patet ex latinis Patribus. Certè Ambroſius ambitionem dignitatum conciliatricem exagitat, eaque in eam ſcribit, quæ in hunc locum optimè referri poſſunt, experimento conſtat, quàm verum ſit illud tanti Doctoris *lib. 4.* in Lucam: *Hoc ipſo perniciosus eſt ambitio, quod blanda quædam eſt conciliatricula dignitatum, & ſæpè quos nulla vitia deflectunt, quos nulla potuit movere luxuria, nulla avaritia ſubruere, facit ambitio criminoſos. Habet enim forenſem gratiam, domeſticum periculum, & ut dominetur aliis ſervit, curvatur obſequio, ut honore donetur, & dum vult eſſe ſublimior, ſit remiſſior, cùm in ipſa poteſtate quod præcellit, alienum ſit.*

26 Idem quoque verba iſta Apoſtoli diſcutiens ad Hebr. 5. *nec ſumit quiſquam ſibi honorem, ſed qui vocatur a Deo tanquam Aaron*, hic etiam, inquit, *percutit Sacerdotes honoris cupidos, & Sacerdotii avidos, non pro ſalute populi, ſed propter ambitionem ſæculi.*

27 Hieronymus ſimiliter eandem cupiditatem, tanquam noxiam reſtincturus *lib. 2. com. in Hierem. cap. 12. audiant*, ait, *qui principes voluxt eſſe populorum, quod non ſolùm pro ſe, ſed & pro commiſſis ſibi gregibus reddituri ſunt rationem in die Judicii.* Idemque obſervandum illud præceptum monet *Eccleſ. 7. ne quæras Judex fieri, ne forte non poſſis auferre iniquitates.* Fusè quoque *in epiſt. 1.* ad Heliodorum, ſed latenter Sacerdoti deſiderium, quaſi periculoſum incuſat.

Nec ab iis diſſentit Auguſtinus, cujus & præclara iſta 28
ſententia *hom. 13. ex §. 50. Honor te quærere debet, non ipſum tu. Debes enim in loco humiliori diſcumbere, ut qui te invitavit, faciat te ad honoratiorem locum aſcendere.* Cui favet Euſebius Emiſſenus, ſeu potius ille eſt Eucherius Lugdunenſis in laudatione S. Maximi, cujus celebre illud dictum: *Meriti prærogativa eſt honoris repulſa.* Cui non abſimile illud Pontii Diaconi in Vita S. Cypriani; *magis dignus efficitur, qui quod meretur, excuſat.*

Verum Sacerdotii cupiditatem, quæ ſuo tempore jam 29
in Eccleſiæ perniciem magis ſeſe prodebat, egregiè redarguit Summus Pontifex Gregorius, quem dum loquentem audiamus, vix fieri poterit, quin ſuperbiæ noſtræ nos pudeat: *Hinc ergo*, ait *part. 1. paſtor. cap. 7. quique præcipites colligant, non quanta culpa ex appetitu proprio cæteris præferri non metuunt, ſi Sancti viri plebium ducatum ſuſcipere, Deo etiam jubente, timuerunt. Moyſes, ſuadente Domino, trepidat, & infirmus quiſque, ut honoris onus ſuſcipiat, anhelat, & qui ad cauſam valdè urgetur ex propriis, humerum libenter opprimendum ponderibus, ſubmittit alienis. Quæ egit, ferre non valet, & auget, quæ portet.* Sed & Apoſtolicæ nobis ſententiæ excuſationem præripit, dum ſubdit *ibidem cap. 8. Plerumque verò, qui præeſſe concupiſcunt, ad uſum ſuæ libidinis inſtrumentum Apoſtolici ſermonis arripiunt*, quo ait: *Si quis Epiſcopatum deſiderat, bonum opus deſiderat. Qui tamen laudans deſiderium, in favorem vertit protinus, quod laudavit, cùm repentè ſubjungit, oportet autem Epiſcopum irreprehenſibilem eſſe; Cumque virtutum neceſſaria ſubſequenter enumerat, quæ ſic irreprehenſibilitas ipſa manifeſtat, & favet ergo deſiderio, & terret ex præcepto, ac ſi aperte diçat, laudo quod quæritis, ſed prius diſcite quod quæratis, ne, dum voſmetipſos metiri negligitis, tanto fœdior veſtra reprehenſibilitas appareat, quanto, & a cunctis conſpici in honoris arte feſtinatis.* Plura ipſe alibi *part. 1. paſt. capit. 1. 2. 8. 9. & 10.* Item *lib. 1. regiſtr. indict. 12. epiſtol. vigeſima* ad Maximianum, & *lib. 7. epiſtol. 110.* Synagrio, & alibi in eumdem ſenſum effudit, cujus ideò ſententias in eam rem aliquas Concilii Aquiſgranenſis primi ſub Ludovico Pio habiti *capit. 14. & 15.* Patres ad Eccleſiaſticæ diſciplinæ reſtaurationem collegerunt. Huic attexere poſſumus Bernardum *de converſ. ad Cleric. epiſtola ad Henricum Senon.* paſſimque alibi, qui graviter quoque eos inſectatus eſt, qui honorum Eccleſiaſticorum deſiderio flagarent, & inverecundè ad Sacros Ordines proſilirent.

At verò, ut accurata hujus quæſtionis explicatio tra- 30
datur, utrum nempè Epiſcopatum, ſive alias Eccleſiaſticas dignitates expetere liceat, in Epiſcopatu præſertim hæc tria cum Divo Thoma 2. 2. *quæſt. 185. artic. 1. in corp.* & ſcholaſticis Theologis conſiderari poſſunt Officium, gradus Epiſcopalis celſitudo, temporalia bona iſtis adjuncta. Officium, cujus cauſa Epiſcopatus inſtitutus, & quod ad utilitatem proximorum, Deique cultum impenditur. Celſitudo gradus, qui maximam perfectionem exigit, & principatum infert in ſubditos, dignitatem invehit, authoritatem conciliat. Temporalia bona, redditus Epiſcopatus annuatim aſſignati. Officium cujus meminit Chriſtus *Joan. 12.* dum paſcendi officium Petro commiſit, dum Apoſtolus *Joan. 20.* ad Evangelii diſſeminationem miſit, ſicut ipſe a Patre miſſus fuerat. Celſitudo gradus ſupra reliquam Domini familiam juxta illud Chriſti apud Matth. 24. *fidelis ſervus, & prudens, quem conſtituit Dominus ſuper familiam ſuam.* Temporalia denique bona, quæ & officium, tanquam præmium laboris, & gradum, tanquam inſtrumenta virtutis, & honeſtamenta dignitatis conſectantur, de quibus Apoſtolus 1. *ad Timoth. capit. 5. Qui benè præſunt Præsbyteri, duplici honore digni habeantur.*

Hoc autem ſuppoſito, ita cenſendum eſt; Officium 31
quidem Epiſcopale per ſe laudabiliter appeti, licèt ab ineptis quidem abſolutè, efficaciter, ſine temeritate nunquam, a non indignis verò aliquando periculosè expetatur. Celſitudinem verò gradus ex ſe appetere, præſumptionis honorem, divitias, cæteraque ejuſmodi annexa, vel inordinatæ electionis, vel avaritiæ crimen eſſe, hæc nunquam, ut finem, intendi debere. Eadem in Epiſcopatus ſuſceptione, ſi ut motiva adfuerint, puritati intentionis officere, ſi neglecta fuerint, non obeſſe, quominus vel neceſſitate urgente, vel utilitate ſuadente, onus, quod honori conjungitur, officium, quod dignitati annectitur ex charitate ſuſcipiatur, appetatur, inquiratur.

Pri-

32 Primò, quod officium Episcopale per se appeti possit, nem o negaverit, qui eminentissimæ ipsum esse charitatis, ac perfectæ virtutis actum cognoverit. Itaque si abstractè consideretur, si in seipso, & secundùm se attendatur, nemo, nisi vel tepidus, vel omninò frigidus, nemo, nisi ignarus, vel impius alienum a se esse volet, quod Deo charissimum, proximò utilissimum, Ecclesiæ honorificentissimum est. Quis ergo non expetat talia opera facere, qualia Episcopum decent, si ipsum contingeret ad Episcopatus dignitatem sublimari? Quis non se Episcopali officio dignum esse cupiat? Quis non eniti debeat, ut quamvis Sacerdos non sit, vel Episcopus, Episcopalis tamen sit, vel Sacerdotalis, & licèt se officio hujusmodi indignum credat, non tamen expetat se dignum fieri, qui ejusmodi officium subeat? Si nos Apostolus charismata meliora æmulari præcipit 1. *Corint.* 12. Si Christus ad perfectionis divinæ imitationem pro viribus unumquemque admitti exhortatur, cui non officii Sacerdotalis Sanctitatem æmulari licebit? Cui non Sacerdotalis functionis exhibendæ dignitatem expetere fas erit. Nec vitium licet appetere, nec virtutis actus fugere. Porrò Episcopalis functio, opus Episcopale, charitatis actio est, religionis, justitiæ, aliarumque virtutum est. Ideòque per se nec odio haberi, nec recusari, proindeque appeti potest. Circa hæc vide D. Thomam supra, & in 1. *ad Timoth. cap. 3. lect.* 1. Cajet. *in D. Thom.* Sylvest. & Armil. *v. Episcopus*, Sot. *lib.* 1. *de justit.* Valent. *tom. 3. disp.* 10. *quæst. 3.* D. Anton. *3. part. tit.* 10. passimque alios.

33 Idipsum docent Sancti Patres, quorum plurimos superius protulimus. Chrysostomus supracitatus id clarè ostendit *lib. 3. de Sacerdotio cap.* 8. dum *non operis ipsius, sed dominationis, ac potentiæ desiderium pestilens* se dixisse memorat, dum se ea ratione non improbare docuit Episcopatus desiderium *homil.* 10. *in quæst. ad Timoth. Si quis hunc idcircò appetit, non Principatus, ac dominationis fastu, verum cura regiminis.* Theodoretus *in cap. 3. primæ ad Timoth.* dum ab Apostolo nos instrui docet, *non honorem, sed virtutem appetere, non desiderare dignitatem, sed dignitatis officium inquirere.* Theophylactus *ibid.* iis per omnia consentit, necnon Ambrosius, qui & rationem duxit, subdit, vir, qui Episcopatum desiderat, bonum opus desiderat, *hoc enim*, inquit, *cupiens bonam vitam appetere videtur. Si tamen non ab iis declinet, quæ in subjectis habeatur, ne ambitione, aut desiderio pecuniæ hoc egisse videatur.*

34 Nec minus apertè Hieronymus multis in locis, tùm *Epist. ad Oceanum* 83. *ad tom.* 2. *Si quis*, ait, *Episcopatum desiderat, bonum opus desiderat; opus, non dignitatem; laborem, non delitias, opus per quod humilitate decrescat, non intumescat fastigio.* Tum commentariis in Sophoniam *cap. 3. Qui Episcopatum desiderat. Videte, quod dixerit, bonum opus desiderat, non dignitatem; si autem despecto opere, solam adspexerit dignitatem, citò corruit turris in Solo, & excelsæ cedri fulmine feriuntur, & erecta cervix frangitur, & cygnus extenso collo, & in sublime se tendens, inter immundos volucres computatur.* Ibi enim eos vituperat, qui Episcopatum propter divitias, vel honorem consectantur, eos verò non vituperandos apertè innuit, qui opus solùm Episcopatus, officiumque intendunt.

35 Favet Augustinus *libr.* 19. *de Civitat. capit.* 19. & *cap. 3. Sophon. ubi a studio cognoscendæ veritatis Episcopalis*, neminem deterreri affirmat, celsitudinem verò gradus, quàm *locum Superiorem* appellat, indecenter appeti dicit, etsi ita teneatur, atque administretur ut decet.

36 Assentitur quoque Gregorius a nobis adductus *part.* 1. *pastor. cap.* 8. dum ait, *tunc laudabile fuisse Episcopatum quærere, quando per hunc quemque dubium non erat ad supplicia graviora pervenire.* Hoc enim indicat officium Episcopale per se laudabiliter expeti posse, quamvis periculosè ob adjacentia bona apetatur. *Quia nempè*, ut ait idem Sanctus loco citato *cap. 9. sunt nonnulli, qui in subeundo pastorali ministerio bona opera animo sibi proponere videntur, quamvis hoc elationis intentione appetant, aliudque intendant, quàm quod sibi ipsis videntur intendere.* Unde unumquemque conscientiam suam convenire jubet ibidem *cap.* 8. & 9. in Episcopatum appetendo boni operis ministerium vel honoris gloriam quærat, probans scilicet tutos esse eos, qui Episcopale opus solùm appetant, si a cæteris appetendis, quæ ipsi annexa sunt, sese contineant.

37 Secundò, quod ab imperitis, vel ipsum Episcopale officium absoluto, & efficaci desiderio nunquam sine crimine expeti possit, patet quia sicut opus virtutum secundùm se laudabile est exercere velle, ita temerarium, est, non proportionatum viribus suis sibi velle assumere, & hujusmodi operis sibi obligationem accersere velle, cui adimplendo impares simus. Qui enim amat periculum, in ipso peribit, *Eccl.* 3. nec temeritatis notam effugit, *Luc.* 14. qui turrim cœpit ædificare, quam non potuit consummare, nec legis sanctitatem, legislatoris authoritatem veretur, qui, quam adimplere non potest, sibi legem servandam imponit, atque de Ecclesiastica dignitate loquens Hieronymus *Epist.* 1. ad Heliodorum, *probet*, inquit, *se unusquisque, & sic accedat. Non facit Ecclesiastica dignitas Christianum. Nec sibi quisquam de corporis tantùm castitate supplaudat. Non est facile stare loco Pauli, tenere gradum Petri, jam cum Christo regnantium. Ædificaturus turrim, futuri operis sumptus computa.* Quibus verbis ineptos a Sacerdotii appetitu, & susceptione deterrere vult Hieronymus, ne opus viribus suis impar assumant. Fusè quoque Isidorus Pelusiota supra laudatus, cui assentitur alter Isidorus Hispalensis Episcopus iis verbis *lib. 3. sentent. cap. 34. Qui regimen Sacerdotii contendit appetere, ante se discutiat, si vita honori sit congrua. Quod si non discrepat, humiliter ad id, ad quod vocatur, accedat.*

Tertiò, quod periculosum pariter videatur, quemcum- 38
que quamvis ad hoc opus valdè aptum, absoluto, atque efficaci operis Episcopalis desiderio, aliis inconsultis, teneri, facilè deducitur. Tùm quia dispositio, ad opus Episcopale rectè exequendum, ea necessariò requiritur, quam vix ullus sibi inesse absque præsumptione potest suspicari. Ideòque qui absolutè, & efficaciter opus Episcopale desiderat, vel illotis, ut ajunt, manibus ad perfectissimum opus sese accingere paratus est, & divinum officium non dignè tractare sibi proponit, quod absque sacrilegii, vel irreverentiæ crimine nemo in animum suum inducit, vel sibi inesse eam, quæ necessaria est, nec adeò facilè in quovis reperitur ad Sacerdotii functiones dispositionem persuadet, quod sine præsumptione vix quisquam de se ex propria animi sententia suspicatur: *Quia igitur*, ut habet Gregorius *part.* 1. *past. cap. 7. valde difficile est purgatum se quemlibet posse cognoscere, prædicationis officium tutius declinatur:* præsertim quia sæpiùs, ut idem etiam Gregorius ostendit *d. cap. 9. de se mens ipsa mentitur, & fingit se de bono opere amare, quod non amat, de mundi autem gloria non amat, quod amat, quæ principari appetens, fit ad hoc pavida, cùm quærit, audax cùm pervenerit.*

Ideòque cum Episcopatum propter divitias, honorem, 39
principatum appeteret ex inferiùs dicendis, crimen sit, puriculosum autem sit, ne in Episcopali opere appetendo, faciliter sibi mens nostra illudat, & potius ea, ad quæ sensuum titillatione ferimur, mentis oculos, animique desideria convertamus, quàm ad ipsius Episcopalis operis difficultates, & perplexitates, a quibus expetendis iners naturæ nostræ corruptæ conditio abhorret, propterea periculosum omninò est Episcopalis officii cupiditati inservire, ne in opum, honoris, & dominationis desideria simulata appetitione incidamus. Unde propter illam privatus, seu celsitudinis gradus cum Episcopali officio conjunctionem rectè concludit Augustinus periculosè ipsum appeti Episcopatus officium *lib.* 19. *de Civit. cap.* 19. *locus verò superior*, inquit, *sine quo regi non potest, & si ita teneatur, atque administretur, ut decet, tamen indecenter appetitur.* Nam vel ipsius operis difficultas timenda est, ne, ut ait idem Gregorius, *in occupatione regiminis, ipse quoque boni operis usus perdatur, qui in tranquillitate tenebatur.*

Dixi autem vix appeti posse Sacerdotium ex propria 40
animi sententia. Nam ea, quæ jam urget urgente Ecclesiæ necessitate, non dubium mihi videtur, quin boni viri, ac pii, prudentum, & proborum consilio acquiescere possint, ut quandoquidem Episcopatus nemini jam, nisi volenti, ac petenti imponitur, possit quis Episcopatum expetere, quo judicatus fuerit non indignus. Quod infra confirmabimus.

Quartò, quod nec celsitudo gradus Episcopalis, seu 41
Ecclesiasticæ Hierarchiæ apex, ac fastigium, & perfectionis aliis communicandæ divinitus accepta authoritas, per se, tanquam finis absque aliquo scelere appeti possit, docent Patres superiùs allati, præsertim verò Chrysostomus, & Isidorus Pelusiota supra, iique, quos modò retulimus Theodoretus, Theophylactus, Ambrosius, Hieronymus, Augustinus, Gregorius, operis Episcopalis appetitionem permittentes, dignitatis verò, ac dominationis cupiditatem vituperantes. Nec abs re id censent. Est enim quodam inordinatæ elationis genus, celsissimum istum statum appetere, altissimum scilicet eorum omnium, ad quos assurgere potest humana cupiditas, ad quem nemo ex creationis suæ, vel salvationis fine destinatur, de quo vix aliquis probabiliter conjicere potest, an sibi ex Divinæ providentiæ ordine paratus

ratus sit, periculum est, ne cum Lucifero in terram dejiciantur, qui cum eodem in corde suo dicunt, *In Cœlum ascendam, super astra Cœli extendam solium meum, sedebo in monte Testamenti, in latere Aquilonis*, Isaiæ 14. Qui vel reliquis nihilo melioris cæteris præesse concupiscunt, vel de se adeò præsumunt, ut in excelsissimo gradu putent se collocandos.

42 Neque tamen tantam ex hoc desiderio perversionem inesse existimo, quanta in appetendo Episcopatu propter honorem vel redditus temporales reperitur, vel quanta ad mortalis peccati reatum requiritur, nisi ex eo desiderio, vel ad illicita accendenda animus moveatur. Etenim magis utique Ecclesiæ bono repugnat. Episcopatum propter honores, vel redditus temporales concupiscere, quàm gradus ipsius celsitudinem expetere. Ex posteriori verò non item. Quinimmò perfectionis studio accidit sæpè, ut inflammetur, qui perfectionis statum cogitat, eumque sibi obtinendum proponit, ac cæteris morum sanctitate præcellere in animum suum inducat, qui cæteris ampliorem gradum, & perfectiorem suorum votorum magnitudinem sibi destinat, tantumque abest, ut perfectissimi gradus meditatione studia nostra in officio pastorali remittantur. quin potius augeantur; tum quod redditus temporales, honor nobis exhibendus, cæteraque ejusmodi longè sint infrà Episcopatum; Celsitudo verò gradus Episcopatus non sit infra Episcopatum, sed sit ipsa Episcopatus dignitas. Ideòque longè minor est inordinatio voluntatis, dum Episcopatum propter celsitudinem istam appetit, quàm cùm propter redditus temporales, vel honores mundanos concupiscit. Unde nec mortalem in eo culpam admittere æquum judicamus, qui cùm sibi nulla injusta via ad Episcopalem dignitatem grassandum proponat; celsitudinis tamen desiderio incalescit. Neque enim adeò rerum ordinem pervertit, ut hujus pravitas desiderii mortalis criminis necessariam inordinationem attingat.

43 Quintò, gravius proindè, &, ni fallor, exitiale scelus est, propter redditus temporales, vel honores mundanos, tanquam propter finem Episcopatus desiderio voluntariè inhærere. Tum quia in eo desiderio inordinatio maxima, & perversitas voluntatis apparet, præferente scilicet naturalia supernaturalibus, cœlestia terrenis, inferioris longè ordinis bona superioribus, donumque quo nullum hominibus majus dari potuit, in hominum utilitatem institutum, exterius commodis, & blandimentis fortunæ. Tum, quod in damnum totius Reipublicæ Christianæ hæc intentionis perversitas cedere videatur, cùm sæpissimè accidat, ut qui divitiarum, vel honoris solùm causa, Episcopatum appetunt, de salute animarum, sibi commissarum, nequaquam cogitent, iique, qui ejusmodi desiderio ducti Episcopatum consequantur, officium suum negligant, cujus minimam ante rationem habuerunt, plurima Ecclesiæ utilia honori, ac divitiis postponant, salutis proximi minus avidi sint, sint, quàm pecuniæ, vel gratiæ, & Ecclesiæ Christianæ bonis minus invigilent, quàm privatis commodis. Tum denique, quia cùm Episcopatus natura sua officium sit, spiritualis potestas, & agendi in alios divina authoritas, natura utique sua ad opus, actionemque refertur, ut supra docent Patres.

44 Episcopatu itaque abutuntur, qui ad alios fines extraneos ipsum referunt, & institutam a Cristo ad agendum dignitatem suo fine privant. Verùm qui redditus temporales, honores, aliaque ejusmodi Episcopatui annexa, tanquam motiva ad illum appetendum respiciunt, non videntur ullo se crimine ex eo præcisè constringere, quamvis imperfecti videantur, nec intentio eorum omninò pura censeatur. Accidit autem naturæ nostræ corruptæ vitio, ut vix reperiri possint, qui divina propter se solùm expetant, & irreflexis ad terrestria oculis, cœlestia solùm intueantur. Quinimmò omnis ferè nostra intentio terrestrium commodorum aliqua admixtione fœdatur. Sed hæc admixtio imperfectio quidem est, non tamen culpa semper est.

45 Sextò, ex prædictis quidem infertur, Episcopatum rarò appeti posse, nec passim ab omnibus, ut Chrysostomus, Isidorus Peluſiota, Gregorius Nazianzenus, & alii passim Patres ostendunt. Aliquando tamen, & a quibusdam, puta ab iis, qui & digni sunt, & passim tales habentur, urgente Ecclesiæ necessitate, vel utilitate evidentia appeti licere, iis præsertim temporibus, quibus, tantùm abest, ut inviti ad Episcopale munus cogi soleant, ut potius nemo Episcopatum consequatur, nisi non solùm appetierit, sed petierit, nec petierit tantùm, sed flagitarit, & quæsierit. Si enim viris bonis, quos nulla gravia scelera coarguunt, probatorum autem virorum testimonia de aptitudine ad Episcopale ministerium gerendum tutos faciunt, Episcopatum appetere non licet. Sola ergo iis ad Episcopatum via jam patebit, qui suæ conscientiæ nullam habeant rationem, ut Episcopi fiant. Cæteris, qui innocentiam servare malint, quàm consequi dignitatem, ditus obstruetur, sequiturque vix ullum jam in Ecclesia Episcopum esse, qui non peccato sibi ad eam dignitatem vim fecerit. Iis igitur temporibus sicut non licèt unicuique suis juribus ita fidere, ut aptum se tanto munere existimet, ita nec iis, quos *ad eundem ordinem*, ut ait Hieronymus *epist.* 1. ad Heliodor. *pia fratrum* blandimenta, malim ego dicere testimonia, *& vota solicitant*, quos malè acta vita non reprehendit, non omnis nempè, urgente Ecclesiæ utilitate, vel necessitate, appetendi Episcopatum libertas adimenda est. Non enim in ejusmodi desiderio præsumptio reprehenderetur, cui non bona de se ex privato sensu existimatio, sed humilis ex aliorum laudatione, ac persuasione probabili exorta audientia ortum dederit, quod non ambitio, sed charitas excitarit, non propriæ gloriæ cupiditas, sed animarum procurandæ salutis zelus provocarit, nec temerariæ in pericula præcipitantiæ insimulabitur ejusmodi cupiditas, si non præpropere, vel cæcato judicio, sed maturè ex ardenti in bonum publicum affectu, cui privatam unusquisque quietem, & tranquillitatem tenetur postponere, Episcopatus appetatur. Si propter fratres, pro quibus anathema esse a Christo cupiebat D. Paulus *Galat.* 3. periclitari non dubitemus, pro quibus etiam Christus mori dignatus est, & factus est maledictum, tunc certè cùm Ecclesia, quos noverat ministerio dignos, etiam invitos eligebat nemini Ecclesiæ judicium desiderio suo prævenire, aut ei contradicere licebat, sed jam Ecclesiæ silentis, ac tacentis voces bonorum, qui bonos quosque, & eruditos ad Episcopatum invitant, vota, testimonia, & consilia esse videntur, quibus consentire, neque nefarium, neque præsumptuosum existimarim.

Quæ verò diximus, confirmat Zosimus Papa, qui *epist.* 46
1. ad Isichium Salonitanum Episcopum, *jam verò ad Presbyterii*, inquit, *fastigium talis accedat, ut nomen ætas impleat, & meritum probitatis stipendia ante acta testetur. Jure igitur Summi Pontificis locum sperare debebit.* Vides Summi Pontificis locum ex mente Zosimi Papæ sperari posse. Assentitur Gregorius Primus *p.* 1. *pastor. c.* 7. dum *nonnunquam prædicationis officium, & nonnullos laudabiliter appetere, & ad hoc nonnullos laudabiliter coactos protrahi*, docet, quod & exemplo probat Isaiæ 6. *qui Domino quærenti, quem mitteret, ultrò se obtulit*; eoque præterea tempore Episcopatum laudabiliter appeti potuisse, asserit ibidem *cap.* 8. quo qui plebibus præerat ad martyrii tormenta primus trahebatur, quamvis tamen isto tempore non minus præsumptionis periculum in Episcopatus desiderio esset, quàm hodierno. Quippè cùm eædem conditiones, immò forte plures tunc desiderarentur in Episcopo, quàm nunc requirantur, tota verò ratio discriminis hodierni, ac primi illius temporis est, quod hodierno quidem tempore cavendum sit maximè, nedum videtur officium expeti, honor, & redditus temporales potius expetantur, qui certè periculo pro viribus est providendum, ne nos in appetitu tàm excelsi culminis imago cogitatæ dignitatis arripiat. Primis verò Ecclesiæ temporibus aberat quidem illud periculum, sed aliud non minus fortè aderat, ne videlicet qui Episcopatum desiderabat, in totius Ecclesiæ perniciem præ cæteris ad mortem quæsitus, tormentorum atrocitate victus, tandem succumberet. Verum pericula illa omnia charitas superat, qua qui verè incenditur ob commune Ecclesiæ bonum pericula nulla renuit, ut & majoris meriti sibi gloriam, & proximo utilitatem impendat. Sicut enim periculo se exponere absque necessitate peccatum est, ita urgente boni publici utilitate, vel necessitate, ex charitate pericula subire meritorium est.

Septimò, hæc cùm ita sint, nemo tamen sibi blandia- 47
tur, nemo sibi aduletur; facilis siquidem hic casus non in appetendo solùm Episcopatu, sed in obeundo. Plurimos, ut jam docuimus, avaritia trahit, plurimos ambitio obcæcat, plurimorum temeritas, ac præsumptio studia accendit, qui tamen charitatis zelum prætendant, qui Ecclesiæ utilitatem solùm sibi præ oculis habere videntur, & proximorum salutem. Facilè vitia virtutum speciem induunt, easque præsertim virtutes, quæ communem virtutis rationem excedunt, vitia, sæpius, simulata boni specie, mentiuntur. Plurimi quoque sibi facilè applaudunt, & de se magnificentius cogitant, quàm veritas patiatur. Pauci vires suas ex æquitate & Episcopatus magnitudinem ex veritate metiuntur. Quod de Galba aliquando dictum est, eum imperio dignum fuisse visum, nisi imperasset, id de pluribus dici non minus verè poterit, quàm multos Episcopatu, & Pontificatu dignos habendos, nisi Episcopi, vel Pontifices facti fuissent.

48 Sic ergo Ecclesiæ consulendum est, ut propria salus non negligatur. Non vitupero charitatis excellentissimæ ad Episcopatus officium admittentis fervorem; sed timeo ne vel zelus non sit, vel non secundùm scientiam, ne vel majora viribus audeamus, vel ad maximum, & divinum opus infima nos, & sordida avaritiæ, vel ambitionis motiva inducant. Nam & cautè perspiciendum est, ne vel desiderium temerarium sit, vel impurum, ne vel rem viribus imparem desiderando, voluntas excedat, vel ex indigno motivo rem divinam appetendo deficiat, sicque & in excessu temerè, & in defectu imprudenter eligat. Terrent me tot Sanctissimi Patres, qui Episcopatus desiderium vituperant. Terret me Augustinus *lib. 19. de Civitat. cap. 19.* qui Episcopalem Sarcinam, si nullus imponit, non ambiendam, non appetendam, non quærendam esse docuit, sed intuendæ tunc temporis vacandum esse veritati. Terret Gregorius *p. 1. past. cap. 9.* qui inter Episcopatus difficultates, & bona quid sequendum, quid tenendum sit, exponit, *nisi ut virtutibus pollens coactus ad regimen veniat, virtutibus vacuus, ne coactus accedat.* Qui dignos ipsos culmen, fastigiumque Ecclesiasticæ potestatis, *& ex corde debere fugere, & invitos obedire* docuit. Terret Isidorus Hispalensis *lib. 3. sent. c. 34.* qui verò Ecclesiastico præcipit, *ut ad dispensationem Ecclesiastici Ordinis, si ex Dei voluntate pervenerit, nolens quidem, sed humilis gubernandam suscipiat.* Terret Nazianzenus *orat. 1. apolog.* qui nec oblatam præfecturam expetendam voluit, nec minimè oblatam expetere cuiquam permisit. Terrent me plures alii, qui universim appetere Episcopatum periculosum esse censuerunt; sed & periculosum esse censeo, nec nisi ob Ecclesiæ necessitatem, vel utilitatem, quæ hoc tempore maxima est, quo contra Ecclesiæ veteris morem nemo invitus ad Ecclesiasticas dignitates eligitur, Episcopatus desiderium cuiquam permitto.

49 Hactenus verò de appetitu, ac desiderio Episcopatus supereſt, ut de ejus fuga, sive recusatione quædam subjiciamus. Primum siquidem pro certo habendum est, eum, qui se certis testimoniis ineptum, & Episcopali muneri, vel alteri cuivis ordini, dignitatique gerendis imparem esse compertum vel habuerit, tuta conscientia posse Episcopalem dignitatem, vel aliam injunctam recusare, immò & debere, idque supra authoritate Chrysostomi *lib. 4. de Sacerdot. cap. 1.* exemplisque ab eo adductis ostendimus, cui etiam ratio aperta suffragatur. Naturali siquidem jure vetitum est, ne indignus ad sacras dignitates conscendat. Cùm ergo naturalis juris violatio nulla Superiorum voluntate, nulla vel ratione, vel excusatione permittatur, justumque sit in conspectu Dei, Deum potius, ordinationes indignorum, promotionesque prohibentem *Act. 4.* quàm homines vocantes audire, nemo in dubium revocare potest, quin satius omninò sit Superiorum jussis obluctari, Episcopatum recusando, quàm divinas, naturalesque leges acceptando violare.

50 Rectè tamen notat D. Thom. 2. 2. *qu. 185. art. 2. ad 2.* impedimentum, quo quis irretitum se novit, quominus voluntati Superiorum obtemperet, triplex esse. Unum, quod removeri potest ab ipso, cui pastoralis cura imponitur, & injungitur, ut si peccandi habeat propositum, cui nempè renunciare potest, quale impedimentum ad Episcopalem dignitatem declinandam allegabat Synesius *epist. 105.* fratri, qui se & ludo deditum, & rei uxoriæ addictum, & philosophiæ ethnicæ placitis nimis adstrictum publicè testabatur, cùm tamen in ipsius potestate situm esset, quod & ipse factis ostendit, ut & ludis, & uxoriæ rei voluptatibus vale diceret, & philosophiæ errores Catholicæ fidei minimè consentaneos damnaret, tunc ergo ille, cui authoritate Superioris pastoralis solicitudo imponitur, & ob rationabilem causam præcipitur, tenetur obtemperare, obicemque voluntarium a se removere.

51 Alterum est, quod per eum quidem, cui injungitur pastorale munus, removeri non potest, cùm tamen per Superiorem imperantem removeri possit, tuncque tenetur inferior, cui onus istud imponitur, defectum patefacere Superiori, cui dispensanti debet obedire. Quod exemplo Moysis ostendit Divus Thomas, quem cùm Dominus ad Pharaonem mittere voluisset, defectum ipse eloquentiæ, & linguæ tarditatem, impedimentumque objecit. Sed præcipienti Domino, ut pergeret, promittentique se in ipsius ore futurum dicturumque quid loqueretur, protinus obtemperavit, *Exod. 4.*

52 Tertium, quod nec a Superiore jubente, nec ab eo, cui injungitur, removeri potest. Quo casu nemo onus imponenti obtemperare obligatur, ut, si jubeat Archiepiscopus, ut Episcopatus onus suscipiat, qui irregularitate obstringitur, in qua solus Papa dispensare possit, poterit is Episcopatum recusare, quem nempè Archiepiscopi jubentis præceptum sibi licitum non facit. Jubeat Summus Pontifex, ut stupidus, & gerendæ rei ineptus Episcopatum suscipiat, non tenebitur obedire, qui se imparem oneri apertè recognoscit, immò nec debebit morem gerere. Nam naturalis, divinæque legis obligatio, Pontificis imperio præponderat, & jussio, quantumvis Summi Pontificis, ab eorum violatione non excusat; quamvis tamen hujus jussionis authoritas, eum, qui de sua capacitate dubitaret, in conscientia tutum efficere possit, nec plus suo, quàm tantæ suæ authoritatis judicio credere debeat, quia sibi de virium suarum imbecillitate dubius metuit.

53 Secundò, certum est, nec Episcopatum injunctum omninò debere recusari, nec cæteras dignitates oblatas ab iis, qui non se oneri impares apertè recognoscunt, refutari debere. Idque primò Scripturæ Sacræ testimoniis possumus confirmare. Primò enim in ea legimus; Jonam a Deo punitum, quod concionandi Ninivitis officium detrectasset, *Jonæ 1.* Moysem reprehensum, in eumque iratum Deum, quod educendi populum Judaicum è Pharaonis servitute munus rejiceret, *Exod. 4.* Legimus, Apostolos, impigrè Christo ad Apostolatus dignitatem eos vocanti, obediviſſe, *Matth. 4. & Marc. 1.* ac *Luc. 5.* Matthæumque è telonio vocatum continuò voci Domini paruisse, *Act. 9.* Saulum de peccatore Apostolum factum, illicò sese obtulisse, dicendo, *Domine, quid me vis facere?*

54 Secundò, damnantur in Scripturis, *Matth. 25.* qui talenta abscondunt, *Luc. 19.* qui mnam in sudario ligant, *Matth. 5. Marc. 4. Luc. 11.* qui lucernam sub modio ponunt, quibus quidem parabolis hi reprehendi videntur, qui divina dona in aliorum usum impendere renuunt, nec ad proximorum salutem, quamvis vocati, præesse volunt. Quibus parabolis affinis est ista Proverbiorum sententia: *Qui abscondit frumenta, maledicetur in populis: benedictio autem super caput vendentium Proverb. 11.* Ex qua rectè inferimus, cùm Episcopi, aliique Sacri Mystæ, ac Pastores sint ministri Christi, & dispensatores mysteriorum Dei *1. Corinth. 4.* eos malè agere, qui, spiritalem alimoniam impertiri, verbique divini, ac Sacramentorum dispensationem sibi commissam, obire renuunt, proindeque qui vel Episcopatus, vel alias Ecclesiasticas dignitates impositas suscipere detrectant.

55 Tertiò, cùm, *ut Ecclesiastici liber cap. 17.* ostendit, *unicuique mandaverit Deus de proximo suo*, præceptum sit, ut, *qui misericordiam habet, doceat, & erudiat, quasi pastor gregem suum*, quis inficiari poterit, quin necessitate proximi exigente, & Superiore imperante, ad Sacras populorum præfecturas divina lege unusquisque tanti muneris capax adstringatur? Alia testimonia Scripturæ Sacræ urgent Athanasius *epist. ad Dragontium*, Gregorius Nazianzenus *orat. 1.* Basilius *in ethic. reg. 70. cap. 3.* Gregorius Magnus *par. 1. pastor. cap. 5.* & alii Patres.

56 Rationes verò duas hujus rei assignat D. Thomas *loc. cit.* Primum, quia charitati erga proximos repugnat, Episcopatum injunctum recusare, pro quorum nempè utilitatibus nemo est, qui non se teneatur exponere. Quod ex Augustino *lib. 9. de Civitat. cap. 19.* confirmat, aberente, quod *negotium justum suscipit necessitas charitatis.* Alterum quia idipsum humilitati opponitur, probatque ex his Gregorii verbis *par. 1. pastor. cap. 6. Tunc ante Dei oculos vera est humilitas, cùm ad respuendum hoc, quod utiliter subire præcipitur, pertinax non est.* Nazianzenus pariter *orat. 1.* inobedientiæ eos coarguit, qui sacræ præfecturæ onus impactum rejiciunt, ex eoque proindè capite voluntatis inordinationem quoque petendam esse demonstrat. Prosper Aquitanicus insuper *lib. 3. cap. 28.* eosdem instituæ accusat, quod & vitæ socialis vincula dissolvant, & utilem, debitumque Ecclesiæ laborem subtrahentes, suffurari videantur. Certè cùm quævis pars utilitatibus totius inservire debeat, suaque etiam commoda postponere, non dubium est, quin unusquisque privatus utilitate Ecclesiæ cogi possit ad sacram præfecturam subeundam, etiam cum jactura propriæ quietis. Item cùm non nobis tantùm, sed toti Communitati fovendæ nati simus, iniquè agimus, si debita, necessariaque Reipublicæ Christianæ officia subtrahamus.

57 Neque verò in ea re demonstranda pluribus rationibus opus est, cùm consentientes in ea propositione docenda Patrum sententias teneamus; varias superius Patrum authoritates, huic proposito faventes, adduximus, ex quibus hoc elicere licet. Ex Nazianzeno quidem suprà, neque appetendam *minimè oblatam præfecturam, neque fugiendam eamdem oblatam. Illud enim temerario-*

rum

rum hominum eſſe, hoc inobedientium, utrumque autem imperitorum. Ex Chryſoſtomo *lib. 2. de Sacerdot. cap. 4.* non licere munus Epiſcopale, cui pares ſummus impoſitum detrectare. Ex Auguſtino *epiſt. 81.* ad Eudoxium, neceſſarium eſſe, *ut ſi quam operam noſtram Mater Eccleſia deſideravit, nec elatione avida ſuſcipiamus, nec blandiente deſidia reſpuamus, ſed miti corde obtemperemus Deo.* Itemque *lib. 9. de Civit. cap. 18. neminem*, ait, *ſic debere eſſe otioſum, ut in eodem otio utilitatem non cogitet proximi.* Ex quo infert, *Epiſcopalem Sarcinam ſi nullus imponit percipiendæ, atque intuendæ vacandum eſſe veritati. Si autem imponitur, ſuſcipiendam eſſe propter charitatis neceſſitatem.* Ex Proſpero Aquitanico *de vita contempl. cap. 20. Contra juſtitiam facere eos, qui meritò ſuæ converſationis, vel eruditionis electi otioſum ſtudium fructuoſæ utilitati regendæ multitudinis anteponunt, & cùm poſſint laboranti Eccleſiæ ſubvenire, operoſæ admniſtrationis laborem fruendæ quietis contemplatione refugiunt.* Itemque *Dignitatem Eccleſiaſticam nec ambiendam eſſe, nec vitandam.* Ex Gregorio Magno *p. 1. paſt. cap. 7.* prædicationis officium licèt tutius declinetur, attamen *declinari pertinaciter non debere, cùm ad ſuſcipiendum hoc ſuperna voluntas agnoſcatur.*

58 Iis verò plura alia Patrum teſtimonia addi poſſunt. Primum enim extat egregia D. Petri ad Clementem exhortatoria oratio in Epiſcopatu capeſſendo in epiſtola, quæ fertur ejuſdem Clementis ad Jacobum fratrem Domini, in qua plurima ad præſentem quæſtionem ſolvendam eruuntur. Cùm enim ad pedes Divi Petri procidiſſe ſe excuſantem, & declinantem honorem Cathedræ, ac poteſtatem narraſſet, mox Divum Petrum in hæc verba reſpondiſſe, refert: *Pro hoc ne me rogaveris. Hoc enim fieri ſtatutum eſt mihi, & eò magis, quod excuſas. Quia hæc Cathedra, eum, qui cupit eam, & audacter expetit, non requirit, ſed ornatum moribus, & in verbis eruditum. Quod ſi eſſet alius melior, ſi quis mihi alius adjutor, tàm ſedulus adſtitiſſet, ſi quis tam plenè doctrinæ meæ rationem cepiſſet, ſed & Eccleſiaſticas diſpoſitiones tàm plenè didiciſſet, habens alium talem, non te cogerem, opus bonum ſuſcipere nolentem. Superfluum eſt ergo alium quærere, cùm primitias eorum, qui ex gentibus per me ſalvantur, & præcipuè hujus Urbis, te primum obtulerim Deo, ſe & illud intuere, quia ſi periculum peccati timens ſuſcipere refugis Eccleſiæ gubernacula, certus eſto, quia amplius peccas, qui populum Dei velut in fluctibus poſitum, & periclitantem cùm juvare poſſis, ſubterfugis, tui tantummodò habens conſiderationem, & non quod in commune omnibus expedit, providens, ſed certus eſto, quod neceſſe eſt, te ſuſcipere omne periculum. Quia nec ego pro ſalute omnium ab obſervando ceſſabo, &c. ſed & illud cupio, te mecum juſta ratione perſpicere, quando maximè tua opera indiget Chriſtus, nunc cùm inimicus adverſus ſponſam commovet bellum, an in futuro tempore, quando jam Chriſtus poſt victoriam triumphabit, nec ultra ullius opera indigebit? Quis non etiam parvi ſenſus intelligat, quod iſtud eſt tempus, in quo operam tuam Chriſtus requirit? Tota igitur mente in præſenti neceſſitate præbe operam, &c. libenter ergo ſuſcipe Epiſcopatus officium, &c.*

59 Ex iis ſiquidem verbis diſcimus primò, neceſſitatem acceptandi Epiſcopatum inferioribus a Superiori imponi poſſe. Secundò, eam tamen, Eccleſiæ utilitate urgente, nec unquam, niſi Epiſcopali muneri aptiſſimis imponi debere. Tertiò, peccare, qui cùm hujus muneris capax ſit imponenti pertinaciter reſiſtit. Quartò, periculoſiſſimis Eccleſiæ temporibus, & tumultuoſis, tunc maximè legem iſtam urgere, & imminere obtemperandi neceſſitatem, Epiſcopalemque operam perſequutionis tempore ab iis, qui digni ſunt, præſertim exigi poſſe, ac præſtari oportere.

60 Athanaſius integram ſcripſit epiſtolam ad Dracontium, qua eum ad Epiſcopale munus gerendum vocat, & Epiſcopatum minimè fugiendum, aut Monaſticæ ſolitudinis prætextu recuſandum eſſe demonſtrat, eoque præſertim tempore, quo Eccleſiæ perſequutio ingruerit, nefas eſſe dictitans, eum, qui gratiam acceperit, ipſam occultare, & quos denarios acceperit, in occulto habere, Epiſcopalem dignitatem, non contemnendam prædicans, quam Chriſtus inſtituit, per quam Eccleſiæ ſubſiſtunt, & Chriſtiani facti ſumus, admonens omnibus, ſi fugiendi mens ineſſet, Eccleſias deſertas iri; Apoſtolos ideò Chriſto vocanti alacriter paruiſſe, addens juramentis, quo ſe ad fugiendam iſtam Dracontius dignitatem obſtrinxerat, nullam ei habendam eſſe rationem; ex ſcripturis quoque fugiendi conſilium reprobans, cùm & Jeremias, & Moyſes, qui ab initio recuſabant, mittenti tandem Deo paruerint, cùm Jonas, qui ab initio fugerat, poſteà denuò prophetarit, rationem etiam iſtam ſubjungens, quod Deus noſtra melius noverit, quàm nos ipſi noſcamus; Monachorum quoque exempla ſubdens, qui Epiſcopatus Sarcinam impoſitam ſubierint, objectioni pariter occurrens de Epiſcopatu, laboriſque periculis, & peccandi exinde occaſionibus. Quibus omnibus ubi reſpondit, tandem concludit periculum ipſi imminere, *ex iſta detrectatione Eccleſiaſtici Ordinis.*

Similiter ſentit Nazianzenus. Nam non ſolùm præ- 61
dicta, quam citavimus apologetica oratione, verum etiam alia ad patrem ſuum habita, cùm ei curam Eccleſiæ Nazianzenæ commiſiſſet, eamdem ſententiam docuit. Ubi enim timorem ſuum expreſſit, animique ſui infirmitatem allegavit, quæ ei montes, & ſolitudines, ad vacandum contemplationi, conſcientiamque purgandam, petere ſuadebant, mox utilitatis publicæ cauſa ſibi neceſſariam fuiſſe curam paſtoralem aſſumere, allatam comparatione oſtendit. *Quia*, inquit, *ut hortus præſtantior eſt, quàm ſtirps una, & Cœlum univerſum cum ſuis ornamentis, quàm unica ſtella, & corpus, quàm unicum membrum, ita præſtabilior eſt tota Eccleſia rectè compoſita uno homine officio ſuo probè fungente. Neque etiam oportet ſua quemque dumtaxat commoda ſpectare, ſed & aliorum rationem habere. Nam ipſe quoque Chriſtus, cui in ſuo honore, ac deitate manere liceret, non ſolùm uſque ad ſervi formam ſeipſum exinanivit, ſed etiam contempta ignominia Crucis ſupplicium ſubiit.* Unde & concludit, ſibi optimum viſum, mediam quamdam ſequi viam inter cupiditatem, & timorem. Id autem ſic fieri poſſe, ſi nec ſacrum munus omninò defugeret, ne quod periculoſum eſt, gratiam rejiceret, nec rurſus quod moleſtum, & acerbum eſt, graviorem, quam vires ferant, Sarcinam humeris tolleret. *Pii autem viri, ſimulque tranquillitati ſuæ conſulentis eſſe functionem Sacram viribus metiri, ut ſcilicet, tanquam in cibis, eam admittamus, cui pares eſſe poſſumus, eam autem, quæ vires noſtras ſuperat, repudiemus, &c.*

Ex quibus colligas publicis utilitatibus unumquemque 62
ſeipſum, non tantùm ſuam operam debere Chriſti exemplo ad id nos incitari, periculoſum eſſe Dei gratiæ reſiſtere, pernicioſum impar humeris ſuis onus ſubire, ſubeundum, ſi utilitas poſtulet Eccleſiæ, & vires noſtræ ferant, neque privatis noſtris incommodis in publica commoda peccandum eſſe, & iniquam futuram ſuperioris juſſionem, quæ ad illicita, vel ſupra vires poſita tentanda neceſſitatem nobis imponeret. Syneſius quoque *epiſt. 103.* ad fratrem varia ſe allegaſſe Theophilo ſcribit, quibus ſe Epiſcopali muneri imparem eſſe oſtenderet: paratum tamen, ſi has ipſe exceptiones non admitteret, onus ſubire, & ita apud ſe exiſtimaſſe, cùm nec Imperatoris, nec Auguſtalis Præfecti mandatis abſque pœna reſiſti poſſit, multò minus pœnam evaſiſſe, qui Deo vocanti minimè obtemperarent.

Auguſtinus præter ea, quæ ſuperius ex ipſo protuli- 63
mus libro quoque de fide, & operibus *c. 17. tom. 4.* eos redarguit, *qui nolunt in Eccleſia ſuſcipere diſpenſationis officium, deſidioſam prætendentes excuſationem, nolle ſe rationem reddere de peccatis alienis, qui audiunt, & non faciunt, ideſt accipiunt, & non reddunt*; cùm è contrario, ut ibidem innuit diſpenſator fidelis, ac diligens in erogando ſit paratiſſimus, & lucrorum dominicorum avidiſſimus. Eleganter in hac materia diſſeruit Proſper Aquitanicus *lib. 3. de vit. contemplat. 2. cap. 28. Videndum eſt*, inquit, *utrum juſtè faciant illi, qui ſe removentes ab occupationibus cunctis, ac ſtudiis ſpiritualibus offerentes, nihil humanæ ſocietati proficiunt, & deſideria ſua commodis omnium præferentes, utilitatem communem deſideratæ vacationis electione contemnunt, cùm profectò laborantibus opem ferre nolle, cùm poſſis, & communi bono poſthabito, otioſa quiete frui velle, nihil habeat æquitatis, cui æquitati, qui ſerviunt omnes omnium bono vivunt, ac velut ſibi invicem nati, ſalutem mutuam tuentur, ac diligunt, ac per hoc contra juſtitiam faciunt hi, qui meritò ſuæ converſationis, vel eruditionis electi, otioſum ſtudium fructuoſæ utilitati regendæ multitudinis anteponunt.* Nonnè verò iſta evidenter convincunt impoſiti Epiſcopatus recuſationem iniquam eſſe, & injuſtam, nec ſolùm charitati, & dilectioni proximi repugnantem.

Palmam verò in hac quæſtione dirimenda, & expli- 64
canda, meo quidem judicio, omnibus præripuit Sanctus Gregorius *lib. Paſtoral. par. 1. cap. 5. & 6.* qui de ea materia non ſemel diſputavit. Et quidem in libro paſtoralis curæ ubi ex inſtituto magis hanc quæſtionem tractat, duo genera ſtatuit eorum, qui paſtoralem curam reſpuunt. Primum eorum, qui quietem propriam ſectantes, opus illud refugiunt. Alterum eorum, qui pondus regiminis per humilitatem ſubire detrectant. Priores ita carpit, quia nimirum, *hi culmen regiminum ſi vocati*

ſuſcipere renuant, ipſa ſibi plerumque dona adimunt; quæ non pro ſe tantummodo, ſed etiam pro aliis acceperunt, cumque ſua, & non aliorum lucra cogitant, ipſi ſe, quæ privata habere appetunt, bonis privant. Quod quidem Scripturæ Sacræ authoritatibus ſic demonſtrat. *Hinc itaque ad diſcipulos veritas dicit Matth. 5. Non poteſt Civitas abſcondi ſupra montem poſita, & nemo accendit lucernam, & ponit eam ſub modio, ſed ſuper candelabrum, ut luceat omnibus, qui in domo ſunt. Hinc Petro ait, Simon Joannis amas me? qui cùm amare ſe protinus reſpondiſſet, audivit Joan. 21. ſi diligis me paſce oves meas. Si ergo dilectionis eſt teſtimonium cura paſtionis, quiſquis virtutibus pollens gregem Dei paſcere renuit, Paſtorem ſummum convincitur, non amare. Hinc Paulus dicit 1. Cor. 5. Si Chriſtus pro omnibus mortuus eſt: Ergo omnes mortui ſunt. Et ſi pro omnibus mortuus eſt, ſupereſt, ut, qui vivunt jam non ſibi vivant, ſed ei, qui pro ipſis mortuus eſt, & reſurrexit.*

65 Fuſiùs id oſtendit ex antiquæ legis præcepto *Deuter.* 5. quo frater ſuperſtes filio ſuo mortuo ſemen ſuſcitare jubebatur, tandemque ita concludit: *Sunt itaque nonnulli, qui magnis, ut diximus, muneribus ditati, dum ſolus contemplationis ſtudiis inardeſcunt, parere utilitati proximorum in prædicatione refugiunt, ſecretum quietis diligunt, receſſum ſpeculationis petunt, de quo ſi diſtrictè judicentur, ex tantis proculdubiò rei ſunt, quantis venientes ad publicum prodeſſe potuerunt. Qua enim mente is, qui proximis profuturis eniteſceret, utilitati cæterorum ſecretum præponit ſuum, quando ipſe Summi Patris unigenitus, ut multis prodeſſet, de ſinu patris egreſſus eſt ad publicum?*

66 Poſteriores autem, eos nempè, qui ex humilitate paſtorale officium rejiciunt, ne eis, quibus impares ſe æſtimant, præferantur, hoc argumento egregiè repellit *cap. 6. cit. Quia eorum profectò humilitas, ſi cæteris quoque utilitatibus cingitur, tunc ante Dei oculos vera eſt, cùm ad reſpuendum hoc, quod utiliter ſubire præcipitur, pertinax non eſt. Neque enim verè humilis eſt, qui ſuperni nutus arbitrio, ut debeat præeſſe intelligit, & tamen præeſſe contemnit, ſed divinis diſpoſitionibus ſubditus, atque a vitio obſtinationis alienus, cùm ſibi regiminis culmen imperatur, ſi jam donis præventus eſt quibus & aliis proſit, & ex corde debet fugere, & invitus obedire.*

67 Idem quoque Sanctus Gregorius *lib. 5. moral. cap. 4.* moraliter exponens illud *Job. cap. 3. Qui expectant mortem, & non venit,* eos interpretatur, *qui deſiderat mortificare ſe funditus, atque ab omni vita gloriam temporalem extinguere, ſed occultis ſæpè Dei judiciis, vel præeſſe in regimine, vel occupari injunctis honoribus compelluntur, atque inter hæc mortificationem pleniſſimam indeſinenter expectant, ſicque ſe gerunt, quatenus nec a perfectione per intentionem recedant, nec diſpoſitioni conditoris per ſuperbiam contradicant.* Quorum perfectionis incrementa, & gloriæ, quem ſibi coacervant cumulum ibidem oſtendit. Ex quibus inferre jure poſſumus, eos, qui Epiſcopatui ritè gerendo pares ſunt, & Deo vocanti obedire debere, ſuperbiæ potiùs, quàm humilitatis notam, ſi ſuæ electioni pertinaciter obluctentur, contrahere.

68 In eandem conſpirat ſententiam Iſidorus Hiſpalenſis *lib. 3. ſentent. cap. 34. multis,* inquit, *intercipit Sathanas fraudibus eos, qui vitæ, & ſenſus utilitate præſtantes, præeſſe, ac prodeſſe aliis nolunt, & dum eis regimen animarum imponitur, renuunt, conſultius arbitrantes, otioſam vitam agere, quam lucris animarum inſiſtere. Quod tamen decepti agunt per argumentum diaboli fallentes eos per ſpeciem boni, ut dum illos a paſtorali officio retrahit, nequaquam proficiant, qui eorum verbis, atque exemplis inſtrui poterant.* Item: *Sancti viri nequaquam occupationem ſæcularium curas appetunt, ſed occulto ordine ſibi impoſitas gerunt. Et quamvis illa per meliorem intentionem fugiant, tamen per ſubditam mentem portant, quas quidem ſummoperè ſi liceat vitare, feſtinant, ſed timentes occultam Dei diſpenſationem, ſuſcipiunt, quod refugiunt, exercent, quod vitare noſcuntur. Intrant enim ad cor, & ibi conſulunt, quid velit occulta voluntas Dei ſeſeque ſubditos debere eſſe ſummis ordinationibus cognoſcentes humiliant cervicem cordis jugo divinæ diſpenſationis.*

69 Ex his ergo patet, indultum eſſe, tum ex Scriptura Sacra, tum ex communi Patrum doctrina, Epiſcopatum injunctum nemini capaci, & idoneo licere omninò recuſare; peccare qui tanto muneri pares illud pertinaciter ſuſcipere renuunt. Ex quo infert D. Thomas 2. 2. *qu. 185. art. 2. ad 3. Eum, qui votum emittit de non ſuſcipiendo Epiſcopatum ſi per hoc intendat ſe obligare ad hoc, quod nec per obedientiam Superioris Prælati accipiat, illiciè vovere. Si autem intendit ſe obligare, ut quantum eſt de ſe Epiſcopatum non quærat, nec ſuſcipiat, niſi imminente neceſſitate, licitum eſſe votum, quia vovet ſe facturum id, quod hominem facere decet.*

Corollarium Divi Thomæ evidens eſt. Cùm enim votum ſit ſolùm promiſſio majoris boni, optimum autem ſit Epiſcopatus deſiderium continere, & primatus cupiditatem frænare, ad eumque, niſi volentem accedere; rationabiliter quidem Deo vovere quis poteſt, ſe Epiſcopatum, nec appeteturum, nec libenter ſuſcepturum. Quia tamen tum ex naturali dictamine rationis, tum ex divino jure unuſquiſque, neceſſitate Eccleſiæ urgente, Epiſcopatum tenetur ſuſcipere, nemo rationabiliter Epiſcopatum in eo caſu ſe recuſaturum vovet. Immò nec ſine ſacrilegii crimine id vovere poteſt, ne lethalem omiſſionem voti ſanctitate confirmet. Addo etiam nec ullum vovere poſſe ſe, Eccleſiæ utilitate exigente, præcepto Superioris in Epiſcopatu ſuſcipiendo, ſi dignus evadat, minimè pariturum. Neque enim melius eſt in eo caſu, Epiſcopatum renuere, quàm acceptare. Nam, ut Patres ſuperius citati oſtendunt, magis meritorium eſt in eo caſu, quod volentes nolentes ad Epiſcopatum ſuſcipiendum feramur, quàm ut pertinaciter renuamus. Cùm ergo non poſſit voveri, niſi quod melius eſt, profectò nec iſto caſu Epiſcopatus fuga voveri poteſt. Unde apparet rectè in libro modeſtæ diſcuſſionis aſſertionem Kelliſoni, qui Nicolao Siacthæo tribuit propoſitionem iſtam, *quod votum non acceptandi Epiſcopatum ſit validum & Sanctum, tanquam ambiguam reprehenſam. Et quatenus extenditur ad recuſationem Epiſcopatus tàm impoſiti, quàm oblati, tàm urgente, quàm ceſſante neceſſitate, falſam, temerariam, & ſtatui Epiſcopali contumelioſam,* a Pariſienſibus Doctoribus judicatam fuiſſe anno 1630.

CONSULTATIO C.

Quàm ſit pervetuſtum, ne in Cœnobia Monachorum mulieres eant, & in id pœnæ. E contra, ne ad Monaſteria puellarum viri accedant.

QUoad primum Gregorius Magnus mulieres Cœnobia Monachorum ſubire in univerſum vetuit *in epiſt.* ad Valentium Abbatem relata *in can. pervenit* 18. *qu.* 2. Quod etiam referunt Sabellic. *enn. 8. lib. 5.* Chronicon Chronicorum, & Robertus Barus. Ob eamque cauſam ſancivit etiam in quadam Lateranenſi, *Miſſas publicas non celebrandas in Monaſteriis ab Epiſcopis*, ne ſcilicet concurſus illuc fiat populi, & præſertim mulierum. In Synodo Turonica ſecunda celebrata anno 570. *cap. 17.* in eadem ſententia decernitur, *ne mulier ſola Monaſterium aliquod ingrediatur. Quod ſi quis eam viderit, nec ſtatim ejecerit, excommunicari jubetur.* Repetitur, & confirmatur in Antiſiodorenſi Synodo anno 614. habita *cap. 26.* In Concilio Generali 6. Conſtantinopolitano *cap. 47.* præcipitur, *ne mulier in virorum Monaſterio dormiat.* Et in Nicæna Synodo ſecunda anno 788. habita *cap. 18.* ſancitum fuit: *Si quis mulierem in Monaſterio habeat, ad Monaſterium aliquod obeundum puniatur: Et ſi in ſuburbanis mulieres eſſe contigerit, ac Monaſterii Præfectus illic iter facere voluerit præſente illo mulier nullum Monaſterium obeat, ſed alio in loco ſeorſim agat.* 1

Excommunicationem incurrunt Papæ reſervatam, etiamſi ſint Comitiſſæ, Marchioniſſæ, Duciſſæ, ſi audeant ingredi Monaſteria Religioſorum ex Bulla Beati Pii V. quæ incipit *Regularium*, & revocat omnes licentias conceſſas. Idem Beatus Pius alia Bulla, quæ incipit, *Decet Romanum* declaravit, ut procedat etiamſi mulieres intra prima clauſtra Regularium, quando in eis Miſſæ, & Divina officia celebrantur, vel proceſſiones, aut ſepulturæ fiunt. Item quando magnus eſt Populi concurſus ita, ut commodè per portam Eccleſiæ ingredi, vel egredi non poſſint, modò recta via procedant. Hæc Bulla declaratoria non fuit publicata, ut patet in fine illius, cùm deſit relatio Curſorum. 2

Eadem excommunicatio fertur, Papæ reſervata, contra mulieres, ut ſupra ingredi audientes clauſtra, ſive clauſuram Religioſorum in Bulla Gregorii XIII. incipit, *Ubi gratiæ*, & continet ſimiliter etiam Comitiſſas, Marchioniſſas, & Duciſſas, & revocat omnes licentias. 3

Id limita primò, quod non continentur in dicta prohibitione Reginæ, & Imperatrix, earumque filiæ, quia non ſunt ibi expreſſæ, niſi inferiores eiſdem, & ipſæ ſunt ſpeciali nota dignæ, ut per Sanchez *in decalog. lib. lib. 6. cap. 17. n. 5.* Laym. *lib. 4. tr. 5. cap. 12. num. 5.* ac Suarez *tom. 4. de Relig. lib. 1. cap. 7. n. 4.* 4

Secundò, limitant alii, ut non procedant dictæ Bullæ, & excommunicatio, niſi contra mulieres intrantes prætextu licentiarum in dictis Bullis revocatarum. Ita tenent Rodriquez *tom. 1. quæſt. regul. 47. art. 1.* Philiarc. 5

lib.

lib. 3. de offic. Sacerd. cap. 30. n. 51. Sayr. *lib. 3. de cenſur. cap. 31. n. 11.* Emman. Sà *v. excommunicatio Papæ reſervata n. 15.* Suarez *de cenſur. diſp. 22. ſect. 7. n. 11. & de relig. loc. cit. n. 9.* ac Filiuc. *tr. 15. n. 119.* & valdè probabilem ait Laym. *ibidem cap. 5. n. 12.* Ad declarationem Beati Pii V. reſpondent, quod non publicata declaratoria, non ligat, Salas *de legib. diſp. 21. ſect. 13. n. 31.* Sà *v. lex n. 23.* Suar. *de legib. lib. 6. cap. 1. n. 3.* & ita reſpondent Rodriq. & Laym. *loc. cit.*

6 Ad ſtylum verò Curiæ, & Pœnitentiariæ reſpondent, non ligare extra Curiam, quia eſt tanquam jus Prætorium, quod non ligat niſi in ſuo Tribunali, Bellug. *in ſpecul. rubr. 11. num. 8. & 9.* ibique Borell. *littera F.* Capell. Toloſan. *deciſ. 115. num. 3.* & Ceval. *quæſt. 737. num. 20.*

7 Contraria tamen ſententia eſt magis communis, & praxi recepta, etiam extra Curiam, ut contineantur etiam mulieres, non prætextu licentiarum intrantes. Eam tenent Navarr. *in man. cap. 27. num. 150. §. 61.* Quaranta *in ſumm. Bullar. v. Monaſteria* poſt Bullam Pii V. Cherub. *ſuper. dict. Bulla Gregorii XIII. ſchol. 1.* Gordon. *lib. 6. qu. 5. num. 130.* & Sanchez *d. lib. 6. cap. 16. num. 79. & cap. 17. num. 35.* qui ſe fundat in Bulla Beati Pii V. non autem in Bulla Gregorii, Bonac. *de clauſur. qu. 5. punct. 2. & 3.* & facit quod ſtylus Curiæ, qui eſt interpretativus Conſtitutionis Papæ, ubique ſervandus eſt, Rota *deciſ. 196. n. 2. par. 1. recent.* Et ita videmus paſſim recurri ad Sedem Apoſtolicam pro tali abſolutione.

8 Ex Bulla ſuperius allegata Beati Pii V. incipiente, *Regularium*, fertur ſententia ſuſpenſionis a divinis ipſo facto incurrendæ, contra Superiores locorum eorumdem, & alios particulares Religioſos, ſive eorum ſubditos, præſumentes admittere fœminas, vel introducere in Monaſterium, ſive Conventum.

9 Hæc ſuſpenſio non eſt reſervata, Sanchez *loc. cit. cap. 17. n. 41.* Procedit autem, ut patet, non ſolùm contra Superiores, ſed & alios quoſcumque, ut notant Sanch. *ibid. n. 35. in fin.* Requirit tamen dolum, ſive ſcientiam, Sanchez *n. 35.* Et procedit etiam de introductione non prætextu licentiarum ſecundùm veriorem ſententiam. Et ita declaravit B. Pius V. dicta Bulla, *Decet Romanum*, quæ tamen, ut dixi, non fuit publicata in locis Urbis conſuetis; fuit tamen ad praxim deducta.

10 Ex Bulla Gregorii XIII. ſuperius allegata, fertur excommunicatio Papæ reſervata contra Abbates Conventus, & alios Monaſteriorum Superiores, ac perſonas quocumque nomine vocentur in Monaſterium, domus, & loca ſua mulieres quaſcumque prætextu facultatum, ibi revocatarum, ingredi facientes, aut permittentes.

11 Et quamvis hæc Bulla videatur loqui de emiſſione mulierum prætextu facultatum, magis tamen communiter, & in praxi obſervatur, etiamſi non eo prætextu inducantur. Atque ita de praxi totius Italiæ teſtatur Beya *par. 1. reſp. caſ. 30.* & ita reſpondiſſe ipſum Gregorium XIII. ait Villagut. *tract. de uſur. qu. 35. num. ult.* ac tenet Azor. *lib. 3. cap. 8. qu. ultim. tom. 1.* Filliuc. *tract. 15. num. 118.* Et ſi contrarium dicant Sayr. *lib. 3. de cenſur. cap. 31. num. 13.* Sanchez *dict. lib. 6. cap. 16. num. 79.* & Suarez *de cenſur. diſput. 22. ſect. 6. num. 11.*

12 Neque hìc requiritur dolus, ſed ſufficit culpa lata, limitant tamen aliqui in hac Bulla non contineri Religioſos ſubditos, ſed ſuperiores, ut Sanchez *dict. cap. 16. n. 84.* Cherubin. ſuper eadem Bulla, & Rodriquez *qu. 47. art. 1. tom. 1.* Quod eſt contra Suarez *de cenſur. diſput. 22. ſect. 6. n. 14.* Filliuc. *d. tr. 15. n. 118. & ſequent.* Quarant. *loc. cit.* ſuper hac Bulla.

13 Ex Bulla prædicta Beati Pii V. & Gregorii XIII. Regulares omnes introducentes, ut ſupra, incurrunt pœnam privationis officiorum, & inhabilitatem ad illa ſine alia declaratione, ſcilicet pœnæ commiſſæ.

14 Ex citata Bulla Gregorii XIII. præfati Superiores locorum Regularium, & ſecundùm probabilem, etiam alii particulares Religioſi incurrunt eo ipſo privationem beneficiorum ſuorum, & inhabilitatem ad hujuſmodi. Vide Sanchez *dict. c. 17. num. 35.* ubi notat hanc differentiam.

15 An autem omnes iſtæ pœnæ ligent ante ſententiam declaratoriam? Aliqui dicunt ſolas cenſuras ante ſententiam ligare, non autem alias, ut Suarez de magis communi teſtatur *dict. tom. 4. de Relig. lib. 1. c. 7. in fine*. Alii verò inquiunt, pœnam inhabilitatis obligare ante declaratoriam criminis commiſſi, & hæc eſt magis communis.

16 Advertendum autem eſt, quod Sacra Pœnitentiaria, quando abſolutionem, vel diſpenſationem concedit Regularibus ſuper introductione mulierum intra clauſtra ad malum finem, ſcilicet luxuriæ, ſolet decernere, ut remaneant privati officiis, ac dignitatibus ſui Ordinis, & inhabiles in futurum ad ſimilia. Quia non intendit cum talibus diſpenſare in totum, ſed ſuper ſola irregularitate, ſi celebrarunt in talibus cenſuris. Quando autem introductio non fuit ad malum finem, tunc ſolet in totum eos rehabilitare.

Quod verò ad ſecundum. Prohibitum fuit, ne ad Mo- 17
naſteria Sanctimonialium viri cujuſcumque conditionis, vel ſtatus accedant, & ne vel loquantur cum eis. Ita enim ſancivit Synodus Matiſconenſis prima anno Domini 583. habita ſecundùm Panvinium *cap. 2.* his verbis: *Nullus Epiſcopus, Præsbyter, Diaconus, Clericus, vel quicumque ſæcularis in Monaſteriis puellarum, niſi probatæ vitæ, & ætatis provectæ, præter utilitatem, aut pro quacumque reparatione Monaſterii in quacumque earum neceſſitate habitare, aut ſecretas colloquutiones habere præſumant, neque intra ſalutatorium, aut oratorium ingredi permittantur, præcipuè Judæi, nec pro quocumque negotiorum occaſione puellis intra Monaſterium Deo dicatis aliquid ſecretius alloqui, aut familiaritatem, vel moras ibidem habere conentur.*

In Hiſpalenſi etiam Synodo prima, vel juxta alios ſe- 18
cunda, anno 634. habita, *cap. 10.* Etſi Monaſteria Virginum Sacrarum Monachorum curæ committantur, quorum adminiſtratione gubernentur, tamen hæc cautio adhibetur: *ut Monachi remoti a Virginum familiaritate maneant.* Sic enim ſancitur: *Abbati, vel ei, qui præficitur, extra eam quæ præeſt, loqui Virginibus Chriſti aliquid, quod ad inſtitutionem non pertineat, non licebit, nec cum ea ſola, quæ præeſt frequenter eis loqui oportet, ſed ſub teſtimonio duarum, vel trium ſororum, itaut rara ſit acceſſio, & brevis omnis loquutio. Abſit enim, ut Monachos Chriſti Virginibus familiares eſſe velimus, ſed eos tantùm earumdem gubernaculis deputamus, conſtituentes, ut unus Monachorum probatiſſimus eligatur, cujus curæ ſit, prædiis earum ruſticis, vel Urbanis intendere, fabricas extruere, etſi quid aliud eſt ad neceſſitatem Monaſterii providere, ut Chriſti famulæ pro animæ ſuæ tantùm utilitate ſolicitæ, ſolis divinis cultibus vivant, operibuſque ſuis inſerviant. Veſtes autem illæ iiſdem faciant, a quibus tuitionem expectant, ab iiſdem denuò laborum fructus, & procurationis ſuffragium recepturę. Si qui Monachorum contrafecerint, ſciat quod eorum temeritas excommunicationis ſit plectenda cenſura.*

Unde intelligitur habuiſſe Abbatiſſam quoque ſuum 19
inſpectorem, & quaſi Cœnobii curatorem, videlicet ex Monachis aliquem, qui tamen ſeorſim habitarit, & cui nec cum alia virgine ſola, niſi cum Abbatiſſa loqui licuerit.

Conſtantinopolitana ſexta Synodus univerſalis *c. 47.* 20
ſtatuit etiam, *ne vir in Monaſterio mulierum dormiat.* Et Nicæna ſecunda Synodus *c. 20.* ita ſtatuit: *Non Monachus libere cum Monacha loquatur, vel Monacha cum Monacho ſeorſum confabuletur, nec cubet Monachus in fœminarum Monaſterio, nec Monacha ſeorſum comedat. Et quando quę ſunt vitę neceſſaria parte virorum ad regulares fœminas deferuntur, extra portam hęc accipiat Monaſterii muliebris Prefecta cum aliqua anu Monacha. Si autem eveniat, ut aliquam cognatam velit Monachus aſpicere, preſente Prefecta, cum ea colloquatur exiguo, & brevi ſermone, & mox ab ea recedat,* hæc referuntur *in can. definimus 18. q. 2.* Citat hunc Canonem Gratianus ex Synodo octava, ſed eſt ſeptima.

In Forolivienſi verò Synodo *cap. 12. præcipitur, ut* 21
Monaſteria Virginum nulli fas ſit adire, neque Epiſcopis, neque Presbyteris, & Diaconis, vel viſitationis, vel predicationis gratia ſine licentia Epiſcopi, & ut tunc ſecum habeat teſtes.

Et Moguntina Synodus ſub Carolo Magno anno 813. 22
habita, *cap. 26.* decrevit: *Presbyteris tantùm ad Miſſarum ſolemnia puellarum Monaſteria ingredi licere, quibus finitis, ſtatim egrediantur.* Idem etiam ſancitur in Arelatenſi Synodo quarta, ubi & Clerici, & Monachi juvenes a puellarum congregationibus prorſus arcentur, niſi aut paterna, aut germana neceſſitudo id poſtulet; probatæ autem vitæ, & ætatis provectæ, viri ad quaſcumque Virginum Sacrarum neceſſitates, vel miniſtrationes permittuntur intrare.

Et cap. 1. de Stat. Regular. in 6. nulli aliquatenus in- 23
honeſtæ perſonæ, nec etiam honeſtæ, niſi rationabilis, & manifeſta cauſa exiſtat, ac de illius, ad quem pertinuerit ſpeciali licentia, ingreſſus, vel acceſſus pateat ad eaſdem. Et Sacrum Concilium Tridentinum *ſeſſ. 25. cap. 5. de Regular.* ingredi intra ſepta Monaſterii neminiliceat cujuſcumque generis, conditionis, ſexus, vel ætatis fuerit, ſine Epiſcopi, vel Superioris licentia in ſcriptis obtinenda ſub excommunicationis pœna, ipſo facto incur-

incurrenda. Dare autem tantùm Episcopus, vel Superior licentiam debet in casibus necessariis, neque alius ullo modo possit, etiam vigore cujuscumque facultatis, vel indulti hactenus concessi, vel in posterum concedendi.

24 Hæc autem excommunicatio, quatenus ex vi hujus decreti, non est reservata, Sanch. *d. lib. 6. cap. 16. num.* 71. Tolet. *lib.* 1. *c.* 41. *§.* 8. Si tamen violatio fiat clausuræ per ingressum ad malum finem, id est luxuriæ, extra Urbem Romam per totam Italiam est reservata Papæ, ut neque privilegiati possint absolvere ex decreto Sacræ Congregationis, seu Clementis VIII. de quinque casibus reservatis, de quo alibi diximus, & ita notat Filiuc. *tr.* 15. *n.* 119.

25 Secundùm item opinionem multorum, quam sequitur stylus Curiæ, in omni casu, etiam ingressus fiat non ad malum finem, excommunicatio est Papæ reservata ex aliis Constitutionibus, ut mox dicetur, itaut neque Episcopus possit absolvere, nisi tamen casus sit occultus juxta Concilium Tridentinum *sess.* 24. *cap. 6. de reformat.* Sanch. *d. lib. 6. cap.* 15. *num.* 76. & Bonac. *de clausur. qu.* 1. *punct.* 5. *num.* 1. Incurrunt autem hanc excommunicationem Concilii Tridentini etiam intrantes cum licentia, sed subreptitia ex falsis narratis, Sanch. *loc. cit. cap. 16. num.* 73.

26 An autem incurrant ingredientes cum licentia, sed non in scriptis obtenta, multi affirmant ut Sanchez *ibid. num.* 31. Confect. *de privil. mendic. tit.* 20. *cap.* 6. Suarez *dict. tom.* 4. *de Relig. lib.* 1. *capit.* 10. *numer.* 15. Alii negant, ut Homobonus, & Bellochius apud Dianam *part.* 2. *tract.* 2. *resol.* 129. Primam sententiam puto veriorem, ac tutiorem. Datur enim forma concedendi hujusmodi licentiam. Forma autem est necessariò observanda, cùm sit de substantialibus. An etiam ex eodem Concilio prohibeantur ingredi infantes, ideſt, ante usum rationis, itaut saltem introducentes incurrant excommunicationem, communior negat, Sanch. *d. cap.* 16. *n.* 5. Diana *d. tract.* 2. *resol.* 67. Layman. *lib.* 4. *tr.* 5. *cap.* 12. *n.* 2. At contrarium alibi probavi, etiam ex declarationibus Sacrarum Congregationum.

27 Id tamen advertendum, quod facultas generalis concessa, verbi gratia Abbatissæ ad concedendas licentias, non requiritur, ut sit in scriptis. Neque licentia concessa pro ingressu in necessariis casibus debet esse toties, quoties, sed potest esse generalis pro casibus specificatis ex *dict. cap.* 1. *de Stat. Regular. in* 6. Diana *d. resolut.* 129. cum aliis Doctoribus.

28 Alia excommunicatio Papæ reservata, lata est ex Bulla Gregorii XIII. quæ incipit: *Ubi gratiæ* contra quascumque personas, etiam Comitissas, Marchionissas, Ducissas, aut Comites, Marchiones, Duces, ingredi audentes prætextu facultatum, ibi revocatarum, clausuram Monialium.

29 Excommunicatio simili tenore etiam lata est a Paulo V. Bulla, quæ incipit. *Monialium*. Advertendum autem est, quod licèt hæ Constitutiones videantur loqui de ingredientibus prætextu dictarum facultatum, ex stylo tamen Curiæ, intelliguntur generaliter, etiam de intrantibus sine tali prætextu, quod iterum adnotamus, ac ita etiam tenent Navarrus, Beja, Villagut. Azor. Zechius, & Graffius apud Sanchez *dict. cap.* 16. *num.* 77. *in fine*, Cherubin. *in comp.* super Bulla 28. Gregorii XIII. Bonacin. *tract. de suspens. punct.* 5. *num.* 35. Etsi contrarium teneant Suarez *de censur. disput.* 22. *sect.* 6. *num.* 14. Sayr. *eodem tract. lib.* 3. *cap.* 31. *num.* 10. Sanchez *ibidem num.* 78. *& seqq.* Diana *part.* 1. *tr.* 4. *resolut.* 23. *& par.* 1. *resolut.* 32. *miscell.* 2. & Barbos. *alleg.* 102. *num.* 37.

30 Ex alia item Bulla Pauli V. quæ incipit *facultatem* declaratur, quod quoties facultas a Sede Apostolica conceditur alicui, verbi gratia, mulieri, etiam Commitissæ, Marchionissæ, Ducissæ, ingrediendi aliqua Monasteria Monialium certis vicibus, verbi gratia secundò, aut tertiò, intelligitur illa particula secundò, aut bis, aut similis collectivè, ideſt de omnibus Monasteriis concessis, non autem distributivè, seu de singulis. Et additur, ut mulieres aliter tales licentias interpretantes, aut aliis utentes, sive abutentes incurrant ipso facto pœnas ex Concilio Tridentino, & Constitutionibus Apostolicis inflictas intrantibus sine licentia.

31 Id autem, quod ibi dicitur de interpretantibus, Cherubin. *loc. cit.* videtur intelligere, ut incurrant dictas censuras ob meram interpretationem speculativam. Sed contra dicendum est, quia accipi debet de interpretatione practica, sive non separata ab ipso usu. Nam dictio alternativa *aut*, vel *seu*, *&c.* posita post genus, resolvitur in expositivam, sive declarativam, Rota *decis.* 300. *num.* 26. *part.* 1. *recent.* Et idem est quando aliàs recederetur a jure communi, & fieret dispositio exorbitans, cùm debeat sic intelligi, ut juri communi magis adaptetur, & de tali interpretatione, quæ sufficiat ad incurrendas pœnas violationis clausuræ, ut in simili Seraph. *decis.* 393. *num.* 7. *& seqq.* ubi quod in tali casu dictio alternativa potest stare expositivè. Vide quæ de hac re fusiùs alibi scripsimus.

CONSULTATIO CI.

De visitatione Monasteriorum, eorum etiam, quæ in commendam reperiuntur, ac de restituendis in dictis Monasteriis Prioribus. Quibus Monasteria commendanda.

AD primum. In Concilio Tridentino *sess.* 25. *capit.* 1
2c. *de Regular.* ita decernitur; *Abbates, qui sunt Ordinum capita, ac cæteri prædictorum Ordinum Superiores, Episcopis non subjecti, quibus est in alia inferiora Monasteria, Prioratusve legitima jurisdictio, eadem illa sibi subdita Monasteria, & Prioratus suo quisque loco, atque ordine ex officio visitent, etiamsi commendata existant. Quæ cùm Ordinum suorum Capitibus subsint, declarat Sancta Synodus, in iis, quæ aliàs de visitatione Monasteriorum commendatorum definita sunt, non esse comprehensa, teneanturque quicumque prædictorum Ordinum Monasteriis præsunt prædictos visitatores recipere, & illorum Ordinationes exequi: ipsa quoque Monasteria, quæ sunt Ordinum capita juxta Sanctæ Sedis Apostolicæ, & cujusque Ordinis Constitutiones visitent. Et quamdiu durabunt hujusmodi commendæ, Priores claustrales, aut in Prioratibus, Conventum habentibus, Subpriores, qui correctiones, & spirituale regimen exercent, a Capitulis Generalibus, vel ipsorum Ordinum Visitatoribus instituantur. In cæteris omnibus præfatorum Ordinum privilegia, & facultates, quæ ipsorum personas, loca, & jura concernunt firma sint, & illæsa.*

Ex verbis illis: *Etiamsi commendata existant*, quæro, 2
An ubi Monasteria commendata habent certum numerum professorum, & novitiorum, quibus decedentibus in loca præmorientium ad portiones perpetuas vacantes, alii subrogantur, jus admittendi novitios ac loca præfata, & ad illas portiones perpetuas instituendi pertineat ad Priorem, & Monachos ex hoc decreto, an verò ad Commendatarios, quibus talium Monasteriorum regimen, & administratio in spiritualibus, & temporalibus plenariè committi solet?

Sacra Congregatio censuit, tale jus ita demum perti- 3
nere ad Commendatarios, si Monasteria non existant sub aliqua Congregatione habentes suos Regulares Superiores, & consuetudo Commendatarios non excludat.

Ad secundum ex citata *sess.* 25. *cap.* 21. *de Regular.* 4
Monasteria Regularibus conferenda sunt. Ordinum capita nemini in posterum commendanda. Hæc autem Monasteria conferri debent Regularibus spectatæ virtutis, & sanctitatis, ut tradit Sanctus Gregorius *lib.* 2. *indict.* 11. *epist.* 13. & pro necessitate Ecclesiæ asserit, habenti unam Ecclesiam, alia commendatur. Redditus verò Ecclesiæ commendatæ debere expendi pro illius reparatione, & subventione Cleri, correctionem, & jurisdictionem tamen illius commendavit *lib.* 7. *epist.* 73.

Concilium verò Lateranense sub Leone X. *sess.* 9. pro- 5
hibet de cætero mandari in commendam Monasteria, nisi Cardinalibus duntaxat, personis qualificatis, & benemeritis cum assignatione quartæ partis pro instauratione fabricæ, & ornamentis, & aliis ad cultum divinum necessariis, aut sustentatione pauperum, si tamen mensa fuerit separata, si verò communis, tertiæ partis omnium fructuum pro supradictis oneribus.

Subditque Concilium Tridentinum; *Quæ verò in po-* 6
sterum vacabunt, nonnisi Regularibus conferantur? Ex quibus etiam quæro, an Sacrum Concilium prohibeat, ne dentur Monasteria in Commendam Cameralem. Et non prohibere, dixit Sacra Congregatio, cùm utatur verbo illo *confidit*, quod verbum comprehendit etiam hunc versiculum, *Quæ verò in posterum*, *&c.* Et quando Concilium voluit prohibere, utitur, ut in sequenti verbo, *teneatur*.

CON-

CONSULTATIO CII.

De Sanctimonialibus. De nominibus Virginum Sacrarum Sacerdotiſſarum, Nonnarum, Monialium, Monacharum. De Sanctimonialibus Judæorum. De earum exercitiis, ac inſtitutis, tonſura, conſecratione, ſeu velaminis impoſitione, quoto anno impoſitum, progreſſu, Abbatiſſis, Diaconiſſis, rebuſque aliis.

1 MUlieres Monachiſmum profitentes variè appellantur. In primitiva Eccleſia ante Conſtantini Magni tempora, Virgines ſimpliciter vocatas fuiſſe, certum eſt, nec facilè aliud nomen eis tributum reperies,

2 Sanctus Baſilius verò in libello *de Virginit. Sacerdotes* eas appellat: *Nullus* inquit, *adeò furioſus ſit ſacrilegus, qui impollutam Sacerdotem petulantibus manibus contingat*: Sacerdotum autem eſt, populum docere, baptizare, Sacram Cœnam adminiſtrare, &c. Unde & nomen *Sacerdotis* habent, quod *Sacrum dent*, ſicut ait Beda, & Gregorius *in paſtor. lib. 2. capit. 18.* Et Plato quoque in eo, qui civilis, vel de regno inſcribitur dialogo, *Sacerdotum*, inquit, *eſſe, ut intelligant, doceantque quo pacto donaria Diis, & Sacra ſint offerenda; Item qua ratione vovendum ſit, quidve a Diis petendum.*

3 Dum igitur hoc nomen Virginibus Sacris imponit Baſilius, videtur adverſari Paulo, qui jubet, ut mulier in ſilentio diſcat, neque authoritatem in virum exerceat, utque in Eccleſia ſileat, nec doceat 1. *Cor.* 14. & 1. *Timoth.* 2. Inſervierunt quidem Viduæ, & Virgines primæ Eccleſiæ, & Paulus eas in Diaconatum allegavit, verum non propterea erant Sacerdotes, aut Presbyteridæ; neque ita vel a Paulo, vel ab alio nominatas fuiſſe demonſtrari poteſt. Nam nudum ipſæ manuum miniſterium præbebant, & Diaconis parebant. Parabant enim menſas, quæ in Eccleſiis eo tempore agapos inſtruebantur, curabant ægrotos, debiles, & infirmos, excipiebant peregrinos, illorumque pedes lavabant. Quæ omnia non ſolùm commodiùs a fœminis, quàm a viris, ſed etiam honeſtius fiebant, & gerebantur, præſertim verò cura ægrotantium. Si enim ægrotaſſet Chriſtiana mulier morbis occultis, & quæ honeſtè a maſculis tractari non poſſunt, laboraſſet, ad eas multò honeſtius mulieres intromiſſæ fuerunt, quàm viri. Docendi verò, baptizandi, aut ſimile officium Sacerdotum proprium, illis, aut aliis demandatum non fuit. Hoc adeò verum, ut Epiphanius hæreſi Collyridianorum *q. 79.* ſcripſerit: *Præsbyteriſſæ, aut Sacerdotiſſæ non ſunt in Eccleſia. Celebrare enim ſacra in Eccleſia non poſſunt.*

4 Nec obſtat, quod Euſebius *lib. 1.* de vita Conſtantini refert, mulieres è ſuo ſexu eligere ſolitas fuiſſe aliquas quæ eas docerent, ne in publicis congreſſibus convenirent cum viris: Licinius enim Imperator, homo profanus contra morem Eccleſiæ & mandata Dei, edicto ac lege vetuerat, ne in Syria ſimul cum viris congregarentur, & convenirent mulieres.

5 Supereſt igitur, ut Baſilius, & qui eum in hoc ſequuti ſunt Patres ab Ethnicis id hauſerint, apud quos mulierculæ quædam Sacerdotes ſunt appellatæ, quod Sacra eis commiſſa fuerint. Sic Cicero *action. 7.* in Verrem, *Sacerdotes*, inquit, *Cereris, atque illius fani Antiſtitæ, majores natu, probatæ, ac nobiles mulieres ad Magiſtratus ſuos deferunt.* Et pro Marco Fontejo *nolite pati*, ait, *Judices, aras Deorum immortalium, Veſtæque matris quotidianis Virginis lamentationibus de veſtro judicio commoveri. Proſpicite, ne ignis ille æternus, nocturnis Fontejæ laboribus, vigiliiſque ſervatus ſacerdotis Veſtæ lacrymis extinctus eſſe dicatur.* Pro Cor. *Sacra*, inquit, *Cereris per Precas ſemper curatæ ſunt Sacerdotes*, & ibidem: *Sacerdos illa, quæ græcum illud ſacrum miniſtraret, & faceret.* Et Virgilius *lib. 6. Ænead.* de Sibylla loquens, ait; *Hæc ubi dicta dedit Phœbi longæva Sacerdos.* Tales Gelius Sacerdotiſſas apellat. Nam *lib. 10. cap. 15.* inquit *Eadem fermè cæremoniæ ſunt, quas Flaminicas Sacerdotiſſas Dialis ſeorſum ajunt obſervaſſe.* Ad hæc in veteri Eccleſia Pepuzani hæretici voluerunt, *mulieres eſſe poſſe, & Presbyteridas, & docere, & Sacramenta adminiſtrare*: Verum propterea ab omnibus Orthodoxis, ac præſertim in Carthaginenſi Synodo quarta ſunt damnati.

6 Extat apud S. Hieronymum Nonnæ vocabulum, quo id genus hominum inſignitur in epiſtola ad Euſtochium Virginem. *Quia Maritorum*, inquit, *expertæ dominatum, viduitatis preferunt libertatem, caſtæ vocantur, & Nonnæ, & poſt cœnam dubiam Apoſtolos ſomniant.* Apparet autem hoc verbum ab Ægyptiis in vulgi ſermonem veniſſe. Solent enim aliquoties res ejus gentis ſortiri vocabula, in qua præcipuè fuerint, aut unde natæ ſunt. Ægyptus autem, præter cæteras Provincias, Monachorum gregibus abundavit ab initio, & Hieronymi adhuc ætate. Quorum lingua puto, Monachos, & Sanctos Nonnos fuiſſe vocatos, Monachas, & Virgines Nonnas. Nam in eadem *epiſtol. ad Euſtoch.* cùm de Monacorum Ægypti agit generibus, Ægyptiis utitur vocabulis. *Tria ſunt*, inquit, *in Ægypto genera Monachorum. Primùm Cœnobitæ, quod illi cauſes gentili lingua vocant. Tertium eſt, quod Remboth dicunt.* Deinde meminit Suidas Nonni cujuſdam Ægyptii, qui Parthenum Theologum verſibus ſit interpretatus. Et Athanaſius *Apologia* 2 mentionem facit Nonni Epiſcopi Ægyptii patrocinatoris Sancti Athanaſii in Synodo Tyri. Mater etiam Sancti Gregorii Nazianzeni Nonna appellata fuit, quemadmodum in vita Gregorii Nazianzeni Gregorius Nyſſenus refet. Sanctus Benedictus Nurſinus Abbas in ſua regula *c. 63.* *Nonni* vocabulum interpretatur *Paternam reverentiam*, & jubet, *ut juniores Monachi. Priores ſuos Nonnos vocent.* Quod etiam præcipitur in Aquiſgranenſi Synodo anno 816. celebrata.

Dicuntur etiam noſtra ætate Moniales, & Sanctimoniales, a græco, ut opinor nomine *monios*, quod ſolitudinem captantem, ſolitarium, & ſoli vagum ſignificat. Denique Monachæ quoque vocatæ ſunt, ac virgines. 7

Divus Ambroſius in libro de Virginibus ſcribit: In Templo Hieroſolymitano apud Judæos, aſſuetas fuiſſe puellas Virgines. Quod licèt apud Joſephun alicubi non fiat earum mentio, & ad Judæorum inſtituta accommodari non poſſit; Teſtatur enim Auguſtinus de Virginitate *cap.* 4. mores Judæorum votum perpetuæ Virginitatis non tuliſſe, quod etiam Rabbi Salomon *in cap. 9. Geneſ.* & Rabbi kimchi in *cap. 5. 56. Iſai.* teſtantur. Habuit tamen, ut arbitror, Ambroſius id ex *lib. 2. Machab. cap. 3.* ubi mentio fit concluſarum virginum. 8

Profitebantur autem ab initio hoc inſtitutum, ſeu vitæ genus ſua ſpontè, ac liberè a nullo vel juſſæ, aut coactæ. Deus enim id cuique liberum reliquit. Chriſtus Servator noſter ajebat diſcipulis, cùm ſermo incidiſſet de non contrahendo Matrimonio. *Non omnes capiunt verbum iſtud. Qui poteſt capere capiat.* Hanc doctrinam filii Dei conſtanter etiam Divus Paulus tradidit: *De Virginibus*, inquit; *præceptum Domini non habeo.* Item: *non hoc dico, ut cuipiam laqueum injiciam.* Quibus utique verbis oſtendit Virginitatem liberam eſſe ſervandam, nec aliquam ad eam cogendam ultra quam poſſit. 9

In quam ſententiam etiam Divus Cyprianus *in ſerm. de Nativit. Chriſti* clarè dicit. *Quod ad continentiam, & virginitatem neque neceſſitas, neque mandatum aliquod impellat.* Caſſiodorus quoque *in pſal. 75.* docet, *omninò eſſe liberum, Virginitatem vovere, vel non.* Et Baſilius Magnus ait: *non præcepit Dominus ullibi Virginitatem.* Dumque ante Cyprianum jam tum Tertulliani tempore ab aliquibus ad Virginitatem cogerentur nonnullæ, reprehendit id vir ille, & graviſſimè conqueritur, obſervatione ejus cœlibatus innumera patrari infanticidia *Non enim*, inquit, *confitebuntur, niſi ſuorum ipſorum infantium vagitibus proditæ. Quantum autem plures, non etiam de pluribus ſceleribus ſuſpectas habebis? Dicam, licèt nolim, difficilè mulier fit, quæ timet fieri, quæque jam facta, poteſt virginem mentiri ſub Deo. Quanta enim circa uterum ſuum audebit, ne etiam mater detegatur? Scit Deus quot jam infantes & perfici, & produci ad partum integros duxerit, debellatos aliquandiù a Matribus. Facillimè ſemper concipiunt, & fœliciſſimè pariunt hujuſmodi virgines, & quidem ſimillimos patribus. Hæc admittit flagitiæ coacta, & invita virginitas.* Et Epiphanius contra Montaniſtas *hæreſ. 48. lib. 2. tom. 1.* de eodem ita ſcribit: *Nos non neceſſitatem imponimus, verùm cum bono conſilio admonemus, exhortantes eum, qui poteſt. Non autem neceſſitatem imponimus non potenti, neque rejicimus ipſum a vita, ſanctum enim verbum omnibus prædicavit, ut debilium infirmitatem portemus, velut etiam ipſe ſanctus Apoſtolus dicere comperitur, & tales redarguere, qui non ſunt ejuſdem doni.* Addit: *Bonos Paſtores cohortari eos, qui poſſunt, non autem imponere neceſſitatem non potenti. Paulum etiam*, inquit, *redarguere eos qui non ſunt ejuſdem doni.* Et Ambroſius *lib. 1. de virginitat.* inquit; *Sola virginitas ſuaderi, & optari, non imperari poteſt. Nam quæ ſupra nos ſunt, in voto magis, quam in magiſterio ſunt.* 10

Quod tamen Beatiſſima Maria Mater Chriſti voverit perpetuam virginitatem probant Bellarminus *lib. de* 11

Mon. cap. 12. & Baronius ex Sacris Scripturis, & ex Patribus tum Græcis, tum Latinis, eamque asserunt Theologi, qui citantur apud Magistrum *in* 4. *lib. sent. dist.* 30. Fuisse autem mox post Apostolorum tempora in primitiva Ecclesia mulieres quoque Virgines continentiam, & castitatem perpetuam profitentes, negari non potest. Tertullianus enim *in lib. ad uxorem* clarè indicat, *inter Christianos esse perpetuam continentiam servantes*. Et Ciprianus *lib.* 1. *epist.* 11. indicat, *fuisse suo tempore inter Christianos virgines Deo dicatas, quæ continentiam præstare voluerint, nec tamen omnes potuerint*. Meminerunt etiam historiæ Virginum Cæciliæ, Agnetis, & aliarum. Pius quoque Primus, Romanus Pontifex in decretalibus virginum Sacrarum, earumdemque consecrationis mentionem facit circa annum Domini 150. Et Eusebius *lib.* 4. *de vita Constantini* refert, fuisse ante Constantinum etiam hujusmodi Virgines continentes, ubi & magnoperè approbasse disciplinam ejusmodi Imperatorem Constantinum affirmat, adeòut & frequenter earum contubernium adierit. Helenam etiam, Constantini Matrem, Hierosolymis virgines Deo sacras reperisse, Socrates testatur *lib.* 1. *cap.* 17. Quarum professionem, usque adeò probavit, ut ministram sese illis præbuerit, sicut Theodoretus indicat *lib.* 1. *cap.* 18. & Socrates *lib.* 4. *cap.* 24. ex Evagrio tradit in Ægypti solitudinibus mulieres æquè ac viros Monasticam vitam professas fuisse. Quod etiam Epiphanius, testatur in narratione illa de formula, Statutis, & traditionibus Ecclesiæ Catholicæ. Meminit, & Ambrosius Mauritanarum Puellarum, quas Mediolani ipse velarit *lib.* 1. *de virginibus ad Marcellinam*.

12 In Europa verò Virginitatis votum apud muliebrem sexum commune suo tempore fuisse, testatur Ambrosius eodem libro. Romæ certè Marcella, nobilissima vidua, prima omnium fœminarum ausa est Monachæ institutum profiteri, cùm id vocabuli vehementer invisum esset Romanis auribus. Conceperat autem mulier hæc ardorem hunc ex Athanasio, ac cæteris Ægyptiis Sacerdotibus, qui tum Arrianæ factionis persequutionem declinantes Romam confugerant. His enim referentibus Antonii vitam, cujus etiamnum viventis mira fuit nominis celebritas, & Monachorum in Thebaide versantium; virginum item, ac viduarum didicerat institutum. Eadem autem ad emulationem propositi sui complures allexit, tum matronas, tum virgines, cùm primis autem Sophroniam, Principiam, Paulam & Eustochium, & brevi tantus accrevit numerus, mundi contemptum profitentium fœminarum, ut quod prius ob novitatem invidiosum erat, postea cœperit esse gloriosum. Hoc ipsum testatur Hieronymus in Epitaphio Marcellæ Viduæ ad Principiam, ubi inquit; *nulla eo tempore*, quo Marcella nimirum hoc vitæ genus instituit; *Nobilium fœminarum noverant Romæ propositum Monachorum, nec audebat propter rei novitatem ignominiosum, ut tunc putabatur, & vile in populis assumere nomen. Hæc ab Alexandrinis Sacerdotibus, Papaque Athanasio, & post a Petro, qui persequutionem Arrianæ hæreseos declinantes, quasi ad tutissimum communionis suæ portum Romæ confugerant, vitam Beati Antonii adhuc tunc viventis, Monasteriorumque in Thebaide Pachomii, & Virginum, ac viduarum, didicit disciplinam, nec erubuit profiteri, quod Christo placere cognoverat*, &c. Et quoniam eo tempore florebat in pluribus sanctis matronis monastica disciplina in Romanis suburbiis, ita de illis scripsit Hieronymus: *Suburbanus ager nobis pro monasterio fuit, multoque ita vixistis tempore, ut ex imitatione vestri panderemus, Romam sactam Hierosolymam. Crebra Virginum Monasteria Monachorum innumerabilis multitudo, ut quod prius ignominiæ fuerat, esset posteà gloriæ*.

13 Miratur tamen Polydorus eos, qui tradunt Marcellam hanc primam fœminarum ausam esse hoc institutum profiteri Romæ, cùm diu ante illam Pius Primus consecrationem Virginum puellarum instituerit, & Soter Papa, qui secundo loco successit Pio, constituerit, *ne Monacha ulla pallam attrectaret*.

14 Porrò etsi in veteri Ecclesia Tonsura Clericis, & Monachis mandata fuerit, ut nos suo loco dicemus, a fœminis tamen, quas Moniales vocamus, nunquam est requisita. Pugnare enim videtur non solùm cum verbo Dei, sed etiam cum ipsa natura. Nam Divus Paulus ait 1. Corinth. 11. *Omnis Mulier orans, aut Prophetans non operto capite, deturpat caput suum. Unum enim est ac si decalvetur. Nam si non velatur mulier, tondeatur. Quod si turpe est mulieri tonderi, aut decalvari, velet caput suum*. Quod per inde est ac si diceret: Communi sensu perturpe est fœmina rasa. Unde Plinius scribit *lib.* 11. *cap.* 37. *capillorum defluvium in muliere rarum esse*. Et Zonaras exponens Canonem 17. Gangrensis Synodi, ait: *Tàm proprium novit Natura fœminis esse comam, ut ipsi calvitium non fiat naturale*.

Verum quia paulus loco citato in genere de omnibus 15
mulieribus loquitur, ideò excipi debent illæ, quæ Religionis ergo tonsuram assumunt, ut reliquis humiliores videantur. Divus quidem Hieronymus in Epistola ad Sabinianum testatur, morem fuisse suo tempore in Ægypti, & Syriæ Monasteriis, ut tàm virgo, quàm vidua, quæ se Deo vovissent, & sæculo renunciantes, omnes delicias sæculi conculcasset, crinem Monasteriorum matribus offerrent desecandum, non intecto postea contra Apostoli voluntatem incessuræ capite, sed ligato pariter, ac velato, neque hoc quemquam, præter tondentes, & tonsas noviſse. Factum autem hoc esse ab ipsis nulla superstitione, sed necessitate solùm cogente, idem Hieronymus eodem loco testatur. *Hoc* inquit, *duplicem ob causam de consuetudine versum est in naturam, vel quia lavacrum non adeunt, vel quia oleum nec capite, nec ore norunt, ne a parvis animalibus, quæ inter cutem, & crinem gigni solent, & concretis sordibus, opprimantur*.

Morem autem hunc cirros capillorum detondendi, pe- 16
culiaribusque divis vovendi ab Ethnicis, ut pleraque alia in Christianam Religionem transiisse, Adrianus Junius in libro de Coma *cap.* 4. fatetur. Apud Romanos enim Vestales Virgines tondebantur etiam, earumque crinis ad Loton arborem, Romæ vetustissimam, cognomento *capillatam* consecrandus deferebatur, ut a Plinio memoriæ est proditum.

Quando autem voto Virginitatis, aut cœlibatus publi- 17
co ac solemni cum aliqua Episcoporum consecratione cœperint Moniales obligari, ita conjicere licèt. Putant aliqui id sub Constantino Magno factum. Refert enim Eusebius *lib.* 4. *de vita ejus*, Imperatorem hanc legem severam correxisse, qua cavebatur apud priscos, *ne sterilis, quique liberis careret, hæres esset fœcundi*. Sciebat enim prudentissimus Imperator, aliquos esse qui optarent quidem liberos, verùm ob naturæ imbecillitatem illis non succedere. Indignum igitur judicavit, ut tanquam delinquentes punirentur. Et alios esse intellexit, qui abstinerent quidem a conjugiis, non quod liberorum procreationem horrerent, vel odissent, sed ob nimium philosophiæ Christianæ amorem. Ne hos quidem puniendos illa lege putavit Imperator, ut hæreditate excluderentur propinquorum suorum. Hoc ubi narravit Eusebius de Constantino, mox subjicit: *Mulieres ad perpetuam virginitatem se Deo consecrasse, necnon ad Sacerdotium Dei*. Quibus utique verbis haud obscurè dicere voluisse videtur Puellas, & Mulieres publicè in Ecclesiis ab eo tempore receptas, quæ virginitatem, sive Cœlibatum profiteri constituissent. Sed hæc conjectura tantum est, cui lectores, quantum visum fuerit, tribuant.

Sunt qui Divum Basilium Magnum hujus instituti, si- 18
ve consuetudinis authorem faciant, Ambrosii, & Hieronymi demum ætate sacratas Virgines, & Velatas ab Episcopo habere cœpisse. Unde etiam Ambrosius *lib.* 1. *de Virginibus* ad Marcellinam refert de Placentino sacrandas Virgines. Item de Bononienſi, & Mauritania Mediolanum venire, ut ibi scilicet ab Ambrosio, ejus Urbis Episcopo velentur. Hoc autem institutum ipsum velandi sacras Virgines, quod in Mediolanensi Ecclesia tunc, ut novum, & peregrinum reprehendebatur, conatur Ambrosius ex Tecla, tanquam traditionem Apostolicam probare, ac tueri.

Polidorus Virgilius *de invent. rer. lib.* 4. *cap.* 13. conse- 19
crationes Virginum sacrarum, quibus nimirum vota continentiæ facientes Religioni addicuntur, Pii Primi Romani Pontificis institutum esse autumat. Habetur Pii decretum *in can. Virgines* 20. *q.* 1. in quo hæc leguntur: *Non consecrandas Sacras Virgines, nec Velamen eis imponendum, nisi in Epiphaniam, in Sabbato Paschæ, & in Apostolorum natalitiis, nisi mortis causa urgente*.

Tertullianus librum scripsit de velandis virginibus, ex 20
quo titulo nonnulli colligunt ejus tempore Virgines sacras dedicatas, & velatas esse. At certum est, librum hunc Tertulliani nihil minus spectare, quàm virgines ab Episcopis consecratas, sed hoc est libri ejus argumentum. Virgines Carthaginenſium veniebant in Templa operto capite. Id factum cùm a quibusdam reprehenderetur ex Pauli verbis ad Corinthios, Carthaginenses responderunt locum illum Pauli tantùm de nuptiis mulieribus, non de Virginibus intelligendum esse. Tertullianus itaque probat, verba illa Pauli pertinere ad omnes, & tàm Virgines, quàm nuptas in cœtu sacro velari oportere.

Ab initio autem hujus ritus sive consuetudinis, tàm 21
a Sacerdotibus, & Præsbyteris, quàm ab Episcopis consecrabantur, ut ex Ambrosio intelligitur, qui *lib.* 3. *de Virginibus* ad Marcellinam ita scribit: *Ajunt plerique matu-*

maturioris ætatis virgines eſſe velandas. Neque ego abnuo, Sacerdotalis cautionis eſſe debere, ut non temere puella veletur. Idem ad virginem lapſam, *ante veli*, inquit, *impoſitionem Sacerdos dicit, &c.* Innocentius etiam primus in Epiſtola ad Victicium *c.* 12. *Quæ Chriſto*, inquit, *ſpiritualiter nubunt, & a ſacerdote velantur*, *can.* 10. 27. *q.* 1.

22 In Concilio autem Carthaginenſi 2. *can.* 3. prohibitum fuit, ne conſecratio puellarum, ſeu Virginum a presbyteris fieret, *can. ſi jubet ſanctitas* 26. *q.* 6. Factum æra 428. circa tempora Syricii Papæ. Et in Carthaginenſi tertia Synodo *cap.* 36. ſancitum fuit, *ne Preſbyter hoc faceret, inconſulto Epiſcopo*. Et Eutychianus Papa conſtituit, *ut Abbatiſſa præſumens velare Virginem, vel viduam, excommunicetur*, *can. ſtatuimus* 20. *qu.* 2.

23 Quoto autem ætatis anno virgines conſecrari, ſeu velari debeant, variè traditur. Divus Paulus vult ordinari viduas Diaconiſſas, in quarum locum poſtea ſanctimoniales ſubſtitutæ ſunt, ſexagenarias. In his enim vigor ille naturæ, & prolificus prorſus interiiſſe, ac defeciſſe videtur. Nulla enim eſt, quæ poſt ſexageſimum annum concepiſſe referatur, niſi miraculo id factum ſit, ac præter naturæ ordinem, quod Saræ, Abrahami Uxori accidit *Geneſ.* 18. At Apoſtolum loqui de viduis, quas Eccleſia eo tempore aluerat, probat Bellarm. *de Monac. cap.* 35. & quæ a Paulo hoc loco de viduis dicuntur, ea *cap.* 24. ad Moniales refert, indeque probat, matrimonia poſt votum editum illicita eſſe, quia damnationem habeant quæ primam fidem irritam faciant. Gregorius Magnus etiam *libr.* 3. *epiſt.* 11. *nullum Epiſcoporum*, inquit, *fraternitas tua, niſi ſexagenariam virginem, cujs ætas hoc, atque mores exegerint, velare permittat.*

24 In Concilio Romano, ſub Sylveſtro habito *cap.* 10. Sancitum eſt, *ut nullus Epiſcoporum Virginem Sacratam benedicere attentet, niſi eam probaverit ſeptuaginta duorum annorum eſſe, ubi probari poſſit judicium veræ pudicitiæ, & ut deinde unctio vertice, introducatur ad nuptias Chriſti, velamen capitis ferens.*

25 Imminutum eſt autem hoc annorum tempus. Nam in Cæſarauguſtano Concilio *cap.* 8. decernitur, *non velandas Virgines, quæ ſe Deo voverunt, niſi quadraginta annorum probata ætate, quam Sacerdos comprobaverit.* Sic etiam in Agathenſi Synodo ſancitum fuit *can.* 19. *ut Sanctimoniales, licèt vita, & mores earum probati ſint, tamen ante annum ætatis quadrageſimum non velentur*, Gratianus 20. *q.* 1. citat hunc Canonem ex Cartaginenſi Concilio, ſed falſa eſt inſcriptio. Leo Primus etiam conſtituit, *ut Monacha non acciperet velaminis capitis benedictionem, niſi probata fuerit in virginitate ſexaginta, alii legunt quadraginta annos*, *tom.* 1. *Concil. fol.* 716. Sabellicus *ennead.* 8. *lib.* 2. Meminit etiam Platina, & Valer. Anſelm. Idem etiam ſancitum fuit in Calcedonenſi Concilio *can. Diaconiſſam* 27. *q.* 1. ne videlicet, *Diaconiſſa ordinetur ante quadraginta annos*, & ut hoc cum diligenti *probatione fiat.* Ubi notandum, quod Gloſſa apud Gratianum hoc loco contrahit hanc legem Chalcedonenſis Concilii de Diaconiſſa, ſive ut hodie vulgò appellantur, de Moniali, ad Abbatiſſam. Quod ſanè commentum eſt. Nam Cæſarauguſtana Synodus de Virginibus hæc ſtatuit, & in neutro iſtorum Conciliorum mentio ulla fit Abbatiſſæ. Ad hanc ætatem abſque dubio reſpexit etiam Baſilius, quando *quæſtione* 15. juvenes in Virginitatis profeſſione maturam ætatem, & judicii confirmationem expectare jubet.

26 Sed & hoc tempus, tanquam nimis longum eſſet, reſtrictum eſt, & conſtitutum, ut ſtatim poſt vigeſimum quintum ætatis annum poſſet virgo quælibet votum monaſticum ſuſcipere, & a Prælato conſecrari. Ita enim decreviſſe Pium Primum Romanum Pontificem Gratianus refert 20. *q.* 1. *can. Virgines non velentur ante vigintiquinque annos, niſi fortè neceſſitate periclitantis pudicitiæ virginalis.* Sed falsò adſcribitur Pio. Nam in decretalibus ejus epiſtolis prorſus non invenitur. Teſtatur hoc etiam Gloſſa correcti Gregoriani juris 20. *qu.* 1. *can.* 15. *Caput hoc*, inquit, *inter decreta Pii non eſt inventum, & abeſt a tribus vetuſtis Gratiani exemplaribus*, ſed eſt Gelaſii Primi decretum 10. *epiſt.* 1. ad Epiſcopos Lucaniæ *cap.* 14. & 15. Idem Gratianus 20. *q.* 1. Carthaginenſe quartum Concilium ſanciviſſe, *ut ante annos vigintiquinque nec Diaconi ordinentur, nec virgines conſecrentur, nec lectores populum ſalutent.* Eadem verba extant *diſt.* 77. & ſimpliciter ibi dicitur, eſſe ex Africano Concilio. In tomis autem Conciliorum, qui a Laurentio Surio editi ſunt, hic Canon non in quarto, ſed tertio Carthaginenſi Concilio habetur, ubi etiam adnotat Surius, hoc Capitulum in quibuſdam vetuſtis codicibus ſic habere: *Placuit ut lectores populum non ſalutent, & ut ante annos viginti quinque nec Clerici ordinentur, niſi primum divinis ſcripturis inſtructi, vel ab infantia eruditi propter fidei profeſſionem*, ut conſecrationis virginum mentio nulla hic fiat. Reperitur tamen in Milevitana Synodo ſub Arcadio, & Honorio Auguſtis celebrata *can.* 26. ubi etiam *conceditur intra annos viginti quinque virgines conſecrare, ſi neceſſitas poſtulet.* Et quid per neceſſitatem intelligatur explicat; ſic enim habent verba Canonis: *Placuit, ut quicunque Epiſcoporum neceſſitate periclitantis pudicitiæ virginalis, cùm vel petitor potens, vel raptor aliquis formidatur, vel aliquo etiam minori ſcrupulo periculoſo compuncta fuerit, ne non velata moriatur, aut exigentibus parentibus, aut his, ad quorum curam pertinet, velaverit virginem, ſeu velavit intra vigintiquinque annos ætatis, non ei obſit Concilium, quod de iſto annorum numero conſtitutum eſt.* Idem etiam ſancivit Synodus Arelatenſis *cap.* 27. Turonenſis etiam Synodus *c.* 20. conſtituit, *ne ante annum ætatis vigeſimumquintum Virgines velentur.* Et Baſilius Magnus *interrogatione* 15. in Regulis docuit, *eam, quæ ſe ſua ſponte Deo offerat, & virginitatem amplectatur, ſi annum decimum octavum compleverit, in virginum ordinem referendam eſſe.*

Veruntamen, & hoc tempus reſtrictum fuit progreſ- 27
ſu temporis, & conſtitutum, ut ſtatim poſt annos pubertatis, hoc eſt poſt duodecimum ætatis poſſet, quæ votum ordinis, & vitæ Monaſticæ ſuſcepiſſet, etiam a Prælato conſecrari. Ante duodecimum autem ætatis annum, ne ex parentum quidem juſſu, & confirmatione votum ab iis factum ratum fuit. Unde & Carolus Magnus cavit in Conſtitutionibus ſuis Aquiſgrani, *ut infantulæ ætatis puellæ non velentur antequam illæ eligere ſciant, quid velint.* Mox tamen Triburenſis Synodus anno 895. *c.* 24. decrevit; *Si virgo, etiam ante annum duodecimum ſponte, ac propria voluntate velamen ſacrum ſibi impoſuerit, ut velata permaneat, licèt patronus ejus eam repetere velit.* Atque ita paulatim hæc res a veteris Eccleſiæ ſententia receſſit.

Divus Ambroſius, cùm a quibuſdam reprehenderetur, quod Virgines admodum puellas Deo pateretur conſecrari, tali excuſatione uſus fuit: Dei Sacerdotem oportere quidem in hoc negotio rationem ætatis habere. Verum, inquit, non annorum, aut caſtitatis, gravitatis, conſtantiæ, educationis, & conſimilium. Quod verò ad annos attinet, eorum cauſa nullas excludendas a virginitatis profeſſione. Ambroſii verba hæc ſunt: *Ajunt plerique maturioris ætatis Virgines eſſe velandas. Neque ego abnuo, Sacerdotalis eſſe cautionis debere, ut non temerè puella veletur. Spectet planè, ſpectet ætatem Sacerdos, ſed fidei, vel pudoris; ſpectet maturitatem verecundiæ; examinet gravitatis canitiem, morum ſenectam, pudicitiæ annos, animos caſtitatis. Tum deinde, ſi matris tuta cuſtodia, comitum ſobria ſedulitas. Si hæc præſtò ſunt, non deeſt Virgini longeva canities. Si deſunt, differatur puella, moribus quam annis adoleſcentior. Non ergo ætas rejicitur florentior, ſed animus examinatur. Et certè Teclam non ſenectus, ſed virtus probavit. Et hinc quia plura contexam? Cum omnis ætas habilis Deo perfecta ſit Chriſto, &c.* Et mox duo ſubdit teſtimonia; *Ex ore infantium, & lactentium perfeciſti laudem.* Et, *Sinite parvulos venire ad me.* 28

Reliquum eſt, ut dicamus quæ fuerit ratio hoc tem- 29
pore velandi, & conſecrandi virgines iſtas. In Carthaginenſi igitur Synodo quarta, quæ habita eſt juxta Proſperum anno 401. Vel juxta Marianum Scotum 418. ſancitum fuit *cap.* 11. *ut Sanctimonialis Virgo, cùm ad conſecrationem ſuo Epiſcopo offeratur, in talibus veſtibus producatur, quibus ſemper uſura ſit, profeſſioni, & Sanctimoniæ aptis*, *can.* 24. *diſt.* 25. Deinde adducebatur ad Altare ſolemni Conventu, accenſiſque candelis, cui tum Sacerdos ante veli impoſitionem dicebat; *Aſpice filia, & intuere, & oblivíſcere populum tuum, & domum patris tui, ut concupiſcat Rex decorem tuum.* Ad quæ verba ſimul tegebatur velo, tanquam caſtitatis, & verecundiæ teſtimonio, & omnis populus acclamabat, *Amen.*

Optatus Milevitanus *lib.* 2. ad Parmenianum indicat, 30
virginibus mithras impoſitas fuiſſe. Videtur autem per mithras nihil aliud intelligere, quàm velum. Preces tum ſuper Virginem velatam dicebantur ex inſtitutione D. Ambroſii *de Virginis inſtitut. cap.* 7. Accurrebant denique ad velatam certatim matronæ Religioſæ, & nobiles oſcula ejus petentes. Sunt hæc deſumpta ex libro Ambroſii ad Virginem lapſam, quæ propemodum extant apud Hieronymum ſub titulo Epiſtolæ ad Matrem, & filiam. Ex Alcimo Avito apparet, pluribus in locis Moniales chriſmate quoque inunctas fuiſſe.

Poſt plura ſæcula habuit hoc Monaſticæ vitæ genus cœ- 31
tus Virginum, ſive monialium, aut Sanctimonialium.

Ac

Ac teſtatur Gregorius Magnus *lib. 6. epiſt. 23.* ſuo tempore tria millia ancillarum Dei Romæ fuiſſe, Monialium autem in Benedictinorum familia Scholaſtica, Soror Benedicti, fundatrix fuiſſe prohibetur. Quemadmodum enim Benedictus virorum primus, ita Scholaſtica Virginum prima Congregationes ſuo tempore inſtituit, earumque regularem vitam certis legibus, & ordinibus adhibitis, inchoavit, Panthaleon. *in Chron.* Obligavit etiam Sanctimoniales ejus temporis ad Regulam Benedicti Synodus quædam Francica *tom. 2. Concil.*

32 De exercitiis autem, inſtitutis, & conſuetudinibus Sanctimonialium illius temporis conſtitutum invenio a D. Gregorio Magno *ne Baptizatorum commatres fiant.* Quo decreto nimiam familiaritatem cum laicis, tàm viris, quàm mulieribus eis prohibere voluit. Deinde in Cabillonenſi Synodo *cap. 59. præcipitur, ut Sanctimoniales in Monaſterio conſtitutæ, habeant ſtudium in legendo, & in cantando, & in Pſalmorum celebratione, ſive oratione. Et horas canonicas, Matutinam videlicet, Primam, Tertiam, Sextam, Nonam, Veſpertinam, Completoriam pariter celebrent. Et omnes, excepta, quam infirmitas tenet, in dormitorio dormiant, & omnibus diebus ad collationem veniant.*

33 Adelhelmus Durotellus, Malmesburgenſis Cœnobii Abbas, laudat hoc nomine Sanctimoniales, *quod ſacris literis incumbant, quod hiſtorias evolvant, variaſque Patrum expoſitiones, chronologias legant.* In libro de virginitate *capit. 61.* Capillonenſis Synodi ſancitur *non debere Sanctimoniales in propriis manſionibus, ſeu Cellis ſuis cum aliquibus maſculis Clericis, ſive laicis conſanguineis, ſive extraneis bibere, ſive comedere. Sed ſi quando id agendum ſit, in auditorio agatur; & ubi auditorium deſit, non fiat. Et cum nullo maſculo eis colloquium habere liceat, niſi in auditorio, & ibi coram teſtibus.* Et *capit. 62.* ſtatuitur: *Ut Sanctimoniales, niſi fortè Abbatiſſa pro aliqua ſua neceſſitate incumbente, illas mittente, nequaquam de monaſterio egrediantur. Hæ verò quæ famulos, aut famulas non habent, ad exercenda negotia ad portam Monaſterii perveniat, & ibi coram Teſtibus negotia ſua conficiant.* Similiter conſtitutum fuit in Concilio univerſali Conſtantinopolitano *6. cap. 46. Sanctimoniales extra Monaſterium, ne progrediantur. Quod ſi neceſſitas hoc eas facere cogat, id faciant cum benedictione ejus, quæ præeſt eis, tuncque non ſolæ per ſe, ſed cum aliquibus vetulis, & quæ in Monaſterio primæ ſunt, exeant. Extra verò cubandi venia non datur.*

34 In Synodo Aurelianenſi quinta anno 552. habita *cap. 19.* ſancitur, *ut illæ puellæ, quæ vel propria voluntate Monaſterium expetunt, vel a parentibus offeruntur, annum in ipſa veſte, qua intraverunt, permaneant. In iis verò Monaſteriis, ubi non perpetuò tenentur incluſæ triennium in ea, qua intraverunt, veſte permaneant, & poſteà ſecundùm ſtatuta Monaſterii ipſius in loco, quo elegerint, permanere, veſtimenta religionis accipiant.*

35 Sanctimoniales fornicantes poſt tertiam verberationem in carcerem conjiciebantur, ibique cum pane, & aqua per annum pœnitentiam agebant, juxta Bonifacii Germanorum Apoſtoli, Decretum in Synodo factum Anno 742.

36 In Concilio Sexto generali Conſtantinopolitano *cap. 4.* ſancitur. *Si quis Epiſcopus, vel Presbyter, vel ſubdiaconus, vel lector, vel cantor, vel oſtiarius Monacham vitiarit, deponatur, Laicus verò ſegregetur.* In eodem Concilio *c. 45.* præcipitur, *ne futuræ Monachæ induantur ſericis, aut aliis ſumptuoſis veſtibus eo die, quo ingreſſuræ ſint Monaſterium.*

37 Conſecrabantur autem, ſeu velo ornabantur ab Epiſcopo, in cujus erant Diœceſi, non ab Abbatiſſa. Hoc enim fieri prohibet Pariſina Synodus ſub Ludovico, & Lothario celebrata *c. 41. & 43.* Ritus autem conſecrandi, velandi, & initiandi Moniales indicatur in veteri quadam Agenda circa annos Domini 900. ſcripta Primum veſtimenta quibus deinceps nova nupta ordinanda erat, conſecrabantur in Altari ab Epiſcopo. Poſt iis induebatur, ſolùm velum Epiſcopus reſervabat. Ipſa verò conſecratis jam induta veſtibus, duos utraque manu cereos tenens ardentes, ad altare accedebat, ibique ſeſe proſternebat. Poſt lectum verò Evangelium Epiſcopus ipſe hac orationis forma benedicebat.

38 *Deus plaſmator corporum, afflator animarum, qui nullam ſpernis ætatem, non ſexum reprobas non ullam conditionem gratia tua ducis indignam, ſed omnium creator æqualis, & redemptor, tu hanc famulam tuam, quam ex omni numero gregis bonus paſtor eligere ad ſervandam coronam perpetuæ Virginitatis, & caſtimoniam dignatus es animæ, tuo protectionis ſcuto circumtege, & ad omne opus virtutis, & gloriæ magis ornante ſapientia præparato, ut vincens carnis illecebras, & illicita connubia recuſans, inſolubilem filii tui Domini noſtri Jeſu Chriſti copulam mereatur. Huic petimus, Domine, arma ſuggeras, non carnalia, ſed ſpiritus virtute potentiam tribuas, ut te muniente illius ſenſum, & membra, in ejus corpore non poſſit dominari peccatum, atque ſub tua gratia vivere cupiens, nihil ſibi malorum defenſor, & inimicus bonorum de hoc vaſe, jam tuo nomini conſecrato, prævaleat vindicare. Omne etiam genuinum calorem imber gratiæ cœleſtis extinguat. Lumen verò perpetuæ caſtitatis accendat, facies ſcandalis pudica non pateat, nec incautis occaſionem tribuat negligentia delinquendi, ſitque in ea cauta Virginitas, & ornata pariter, & armata fide integra, ſpe certa, charitate ſincera, ut præparato animo ad continentiam virtus tanta præſtetur, quæ ſuperet diabolica univerſa figmenta, atque contemnens præſentia, futura ſectetur. Jejunia carnalibus epulis præferat, & lectiones ſacras conviviis, & potationibus anteponat, ut orationibus paſta, & eruditionibus expiata, luminata vigiliis opus gratiæ virginalis exerceat. His virtutum armis hanc tuam famulam interius, exteriuſque communiens, præſta ei inoffenſum curſum virginitatis implere per ipſum Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, qui tecum, & cum Spiritu Sancto vivit, & regnat in æterna ſæcula ſæculorum Amen.*

Et accepto velo conſecrato, virginis capiti illud im- 39
ponebat: *Accipe*, inquiens, *velum Puella, quod perferas ſine macula ante Tribunal Domini Noſtri Jeſu Chriſti, ipſo auxiliante, cui eſt honor, & gloria in ſæcula ſæculorum.*

Eamque his conſecrabat verbis: *Domine Deus, qui hu-* 40
manam ſubſtantiam in primis hominibus diabolica fraude contaminatam, ita verbo tuo, per quod omnia facta ſunt, reparas, ut eam non ſolùm ad primæ originis innocentiam revocas, ſed etiam ad experientiam quorumdam bonorum, quæ in novo ſæculo ſunt habenda perducas, & obſtrictos adhuc conditione mortalium, tàm ad ſimilitudinem provehas Angelorum, reſpice, Domine, ſuper hanc famulam tuam, quæ in manu tua continentiæ ſuæ propoſitum collocans, tibi devotionem ſuam offert, a quo ipſa vota ſumpſit. Quando enim animus mortali carne circumdatus legem naturæ libertatem licentiæ, vim conſuetudinis, & ſtimulos ætatis evinceret niſi tu per liberum arbitrium hunc amorem virginitatis clementer accenderes: Tu hanc cupiditatem in ejus corde benignus aleres? Tu fortitudinem miniſtrares? Effuſa namque ſuper omnes gentes gratia tua ex omni natione, quæ eſt ſub Cœlo, in ſtellarum innumerabilem numerum novi Teſtam. hæredibus adoptatis, inter cæteras virtutes, quas filiis tuis, non ex ſanguinibus, neque ad voluntatem carnis, ſed de tuo ſpiritu gentis indidiſti, etiam hoc donum in quaſdam mentes de largitatis tuæ fonte defluxit, ut cùm honorem nuptiarum nulla interdicta minuiſſent, ac ſi per ſanctum conjugium initialis benedictio permaneret, exiſterent tamen ſublimia, res animæ, quæ in viri, ac mulieris copula faſtidirent connubium, concupiſcerent ſacramentum, nec imitarentur, quod in nuptiis agitur, ſed diligerent, quod nuptiis prænotatur. Agnovit Authorem ſuum Beata Virginitas, & æmula integritatis Angelicæ, illius thalamo, illius cubiculo ſe donavit, qui ſic perpetuæ Virginitatis eſt ſponſus, quemadmodum perpetuæ Virginis eſt filius. Implorantibus ergo auxilium tuum, Domine, præſta benedictionis tuæ munimen, & regimen, ne hoſtis antiquus, qui excellentiora ſtudia ſubtilioribus infeſtat inſidiis, ad obſcurandam perfectæ continentiæ palmam, per aliquam mentis ſerpat incuriam, & rapiat de propoſito virginum, quod etiam moribus non eſſe nuptarum. Sit in ea, Domine, per donum ſpiritus tui prudens modeſtia, ſapiens, benignitas, gravis lenitas, caſta libertas. In charitate ferveat; & nihil extrâ diligat. Laudabiliter vivat, laudari non appetat. Te in ſanctitate corporis. Te in animæ ſuæ puritate glorificet. Amore te timeat, amore tibi ſerviat. Tu ei honor ſis, Tu gaudium, Tu voluntas, Tu in mœrore ſolatium, Tu in ambiguitate conſilium. Tu in injuria defenſio, in tribulatione patientia, in paupertate abundantia, in jejunio cibus, in infirmitate medicus. In te habeat omnia, quem diligere appetit ſupra omnia, & quod eſt profeſſa, cuſtodiat, ſcrutatori pectorum non corpore placitura, ſed mente. Tranſeat in numerum ſapientum puellarum, ut cœleſtem ſponſum, accenſis lampadibus, cum oleo præparationis expectet, ne turbata improviſo Regis adventu, ſed ſecura cum lumine, & præcedentium choro lætanter occurat, ne excludatur cum ſtultis, regalem januam cum ſapientibus virginibus introeat, & in Agni tui perpetuo comitatu probabilis manſura caſtitate permaneat.

Huic conſecrationi tandem preces ſubjiciebantur ad 41
Deum pro perſeverantia. Porrò quemadmodum Monachi Abbates, ſic Monachæ, vel Sanctimoniales Abbatiſſas habuerunt. De harum verò negligentia Turonenſis tertia Synodus anno Domini 813. juxta Sigibertum habita

habita ita conqueritur *cap. 26. In Monasteriis Puellarum multa inveniri possunt, quæ emendatione indigent. Nam quædam Abbatissarum negligentius, quàm oporteat, vivere dicuntur, & ab hac earum vita, & conversatio a multis diffamatur. Sed & talium actus subditam familiam imitari velle, credendum est: Victus etiam, ac vestimenta, aliaque nonnulla necessaria, quæ jure ab Abbatissis præparari debuerat, abstracta sibi eadem conqueritur familia.*

42 Unde in Cabillonensi Synodo anno 813. celebrata, ob reformationem Abbatissarum hujusmodi canones editi sunt de officio illarum *cap. 52. Monasteriis Puellarum tales præfici debent fœminæ, & Abbatissæ creari, quæ & se, & subditum gregem cum magna religione, & sanctitate custodire norint, & his, quibus præsunt, prodesse non desinant. Sed & se, & illas ita observent, utpotè vasa Sancta in ministerio Domini præparata. Talem enim se debet Abbatissa exhibere subditis in habitu, in veste, in omni convictu, ut eis ad cœlestia regna pergentibus ducatum præbeat. Sciat etiam, se pro his, quas in regimine accipit, in conspectu Domini rationem reddituram.*

43 De eisdem *cap. 14.* sic habet: *Abbatissa diligentem habeat curam de Congregatione sibi commissa, & provideat, ut in lectione, & in officio & in psalmorum modulatione ipsæ sanctimoniales strenuæ sint, & in omnibus operibus bonis illa eis ducatum præbeat, utpotè pro animabus earum in conspectu Domini redditura rationem, & stipendia sanctimonialibus præbeat necessaria, ne fortè per indigentiam cibi, aut potus peccare compellantur.*

44 Et cap. 54. *Abbatissa cum viris Clericis, sive laicis horis incompetentibus non loquatur, sed quicquid cum masculis Clericis sive laicis de rebus necessariis peragere debet, a prima hora usque ad Vespertinam peragat, & hac non cum singulis, sed coram pluribus.*

45 Et rursus in cap. 56. præcipitur, *ut a Vespera usque ad primam, neque Abbatissa, neque aliqua sanctimonialis cum quibuslibet masculis ullum colloquium habeant, nisi fortè talis fuerit occasio, quam evitare non possint, utque si necessitas incubuerit id coram Testibus faciant. Abbatissam quoque ædificare ea debere, aut restaurare, quæ ad Sanctimonialium necessitatem pertinent.*

46 De Abbatissis decrevit etiam Synodus apud Palatium Vernis habita anno 766. cap. 6. *Ut nulla duo Monasteria habeat, nec extra Monasterium exeat, nisi necessitate cogente.* Qua de re in Cabillonensi iterum Synodo hujusmodi quoque Canon extat: *Abbatissa, quæ in Civitate Monasterium habeat, nequaquam de Monasterio egredíatur, nisi per licentiam Episcopi sui, aut qui ejus vicem obtinet. Et quando foras pergit, de Sanctimonialibus, quas secum ducit, curam, & vigilantiam habeat, ut nulla eis detur peccandi licentia, sive occasio. Sed & cùm pergit, in Monasterio talem vice sua constituere debet, quę de Sanctimonialium animabus curam, & vigilantiam habeat.* Eadem habet canon. 30. Turonensis Synodus.

47 In Synodo Forojulienſi cap. 12. sancitum fuit, *ut nullo unquam tempore licentia sit Abbatissę, vel cuilibet Monachæ Romam orationis gratia adire.* Et Lullus, Episcopus Osuitames, Abbatissam excommunicavit, quod Virgines velatas sine suo consensu peregrinationes suscipere passa fuisset.

48 Non licebat autem Abbatissis manus imponere, ordinare sacerdotes, & velare Virgines. Cumque nonnullæ Caroli Magni ætate hanc potestatem sibi arrogarent, prohibentur a Carolo in Constitutionibus suis, ubi etiam indicat, id contra morem Ecclesiæ fieri, & monet Episcopos, ut interdicant. In Parisiensi quoque Synodo sub Ludovico, & Lothario habita, præcipitur *can. 41. & 43. ne Abbatissæ, vel cæteræ Sanctimoniales, vel viduas, vel virgines velent.*

49 Divus Gregorius Magnus in Regiſtro nullam omninò juvenculam, sed sexagenariam tantùm virginem ordinandam Abbatissam voluit, sicut etiam videre est *in can. juvenculas 20. quæst. 2.*

50 Præter hæc a nobis hactenus dicta, legenda sunt, quæ de monialibus Sacrum Concilium Tridentinum, & Constitutiones Apostolicæ observari præcipiunt, de quibus nos etiam alibi sparsim.

CONSULTATIO CIII.

De Confraternitatibus laicorum, earum origo, progressus. De Canonissis. Quas functiones Capellani Confraternitatum in earum Ecclesiis peragere possint? Deque juribus parochialibus in earum Ecclesiis.

COnfraternitates, sive fraternitates, societates, vel 1
sodalitates, & Fratriæ sunt mixtum quid ex Monachis, & laicis. Nam ut Laurentius Surius *tom. 4. de vitis Sanctorum* indicat, multi devoti sæculares habitum, & regulam per omnia Religionum, sive ordinum Monachorum assumere sæpe non valentes, & tamen societatem, sive participationem, & communionem orationis, & meriti Ordinis alicujus habere summoperè expetentes, tunc sodalitates, sive Confraternitates instituunt, in quibus sub certis, non tamen rigidis observationibus, ac si in ipso ordine essent, in misericordiæ, aliarumque virtutum, ut sibi quidem persuasum habent, operibus, proficientes, Christo, & membris ejus pia exhibent obsequia. Magistri, qui his sodalitatibus præficiuntur, statis diebus omnes laicos convocant ad cœremonias nonnullas concelebrandas, ad orandum, pauperes alendos, ac similia peragenda. In supplicationibus publicis procedunt ordine, ut plurimum, saccis, linoque ora contecti, teste flagello converberant in veræ pœnitentiæ signum.

Originem harum fraternitatum Polydorus *lib. 7. cap.* 2
6. ad Apostolos usque refert, atque extendit. *Apostoli*, inquit, *statim ac Christus est morte affectus, officii memores Conventus facere, prout in actis patet, cœperunt, ubi orando, consulendo, agendo, rem christianam propagandam mirum in modum curabant, non secus atque illi, qui eorum opera Religionem amplexi sunt posteà facere, Teste Tertulliano in Apologet. qui cap. 39. ita scribit: Coimus in Cœtum, & aggregationem, ut ad Deum quasi manu facta, precationibus ambiamus orantes. Hæc vis Deo grata est. Oramus etiam pro potestatibus, pro statu sæculi, pro rerum quiete. Coimus ad literarum divinarum commemorationem, si quid præsentium temporum qualitas, aut præmonere cogit, aut recognoscere, &c.* Hoc Tertullianus. Addit Polydorus: *unde usus facilè ad Posteros manasse videtur, ut profani quoque homines ceperint Apostolorum more divini cultus causa instituere societates, sive ut ita dicam, fraternæ charitatis Collegia, illisque magistros dare, qui statutis diebus reliquos socios convocarent ad cœremonias nonnullas concelebrandas. Inde tot militum Ordines prodiere. Duravit institutum, abiitque in varias societates, quæ vulgò Confraternitates vocantur.*

Ac institutum hoc multum distare videtur ab Apo- 3
stolorum facto. Collegerunt illi cœtus fidelium, quibus Evangelium annunciarunt, cum quibus publicè orarunt, sacramentis usi sunt, & pauperum rationem habuerunt. Ad hæc fraternitate ea, quæ inter omnes Christianos esse debet contenti fuerunt, de qua in carmine Graduum: *Ecce quàm bonum, & quàm jucundum habitare fratres in unum.*

Rectius igitur illi sensisse videntur, qui fraternitates 4
has a sodalitiis Romanorum originem sumpsisse volunt. Cornelius Tacitus enim *Sodales Sacerdotes Romulum inita cum Titio Societate, fecisse*, scribit, unde *Titii Sodales*. Et Svetonius *sodales Augustales* vocat, sicut apud Julium Capitolinum. *Antonianos Sodales* legimus, Plinius refert, *Romulum instituisse Arvalium Collegium, seque duodecimum appellari voluisse fratrem.*

Originem verò apud Christianos harum fraternitatum 5
ad Sanctum Bonifacium natione Anglum, & Germanorum Apostolum multi referunt, qui vixit circa annos Christi 730. Ab eo autem tempore, quo sodalitates istæ esse cœperunt, longè, latèque sunt propagatæ, inque varias societates, seu familias distinctæ. Instituit etiam sodalitatem talem Cœlestinus, qui posteà creatus fuit Pontifex Maximus, Surio Teste *tom. 3. de vit. Sanct.* Est Confraternitas, quam vocant Disciplinarum Beatæ Mariæ Virginis, quæ est Senis in domo hospitali de Scala. In hanc nulli admittuntur, nisi quorum fama integra, & bona existimatio, aut saltem esse censetur, ex hoc loco omnes ferè Italiæ benè moratorum, sive disciplinatorum laicorum exercitationes, vel devotionis studia manasse volunt. Prodierunt inde Joannes Columbini Jesuatorum Institutor primus, & ejus Socius Franciscus Vincenti, itemque ordinis Montis Oliveti fundatores, Petronius de Petroniis, posteà Carthusianus effectus, Andreas Gallerani, Bernardinus Senensis Albizeschi Instituti de observantia juxta aliquos in Minorum Ordine author, alijque permulti, ut indicat Surius *loc. cit.*

De

6 De canoniſſis verò hæc habeo. Cùm Ludovicus Pius, Caroli Magni filius, imperaret, in Concilio Provinciali Aquiſgranenſi anno tertio Imperii hujus habito, Ordo Canonicarum ſæcularium conſtitutus eſt primum, teſte Gobelino Perſona in vita Meinulphi apud Surium *to. 5. de vit. Sanct.* Sunt autem quæ continentiæ quidem ſtudium ſectantur, abſque tamen voti profeſſione, & in Collegiis degunt, quibus etiam inde prodire, ac nubere licet.

7 Inter prima Monaſteria pro Congregatione talium id numeratur, quod Meinulphus hic tempore Ludovici Primi Imperatoris extinxit. Tale etiam Collegium fuit Coxienſe, quod pro duodecim nobilibus puellis extructum eſt. Tale etiam fuit Lindovinenſe Collegium.

8 In Comitiis ſub Carolo V. & Ferdinando Primo Imperatoribus de harum Canoniſſarum reformatione promulgata quoque inter alia multa Conſtitutio his verbis circumfertur. *Etiamſi non habeant Canoniſſæ, quam tamen decentiſſimum eſſet habere, menſam communem, ſed ſuam quæque peculiarem, debent tamen commune habere dormitorium, ne pudicitiæ inſidiatori Sathanæ detur occaſio ad incontinentiam tentandam. Debent quoque a nimis exquiſito, & procaci habitu abſtinere, nec ſæcularibus comptis incedere veſtibus, exculte, ſed in habitu modeſto, mundo, & caſto ut ſint earum Monaſteria ſcholæ pudicitiæ, & virtutis, in quibus filiæ nobilium diſcant non laſcivire, non ſuperbire, ſed Deum timere, & orare. Piis aſſueſcant exercitiis, ac moribus bonis, ubi voluerint nuptura in Domino. Talia autem Collegia, ſicubi in his virgines ad liberiorem vitam, famam ſuam in periculum adducant, per ſuperiores, & Epiſcopos reformentur.*

9 Canoniſſarum etiam frequens in Canonico jure fit mentio, per ſingulos annos viſitari jubentur. Summi tamen Pontifices proteſtantur, earum ſe Regulam non approbare de eiſdem *lib. 3. Clementin. tit. 10. cap. 2.* ad hunc modum etiam præcipitur: *Illas mulieres, quæ vulgò dicuntur Canoniſſæ ſæculares, & ſæculares Canonicam vitam ducunt, non renunciantes proprio, nec profeſſionem aliquam facientes, per locorum Ordinarios, ſi exemptæ non fuerint, ſua, ſi verò exemptæ fuerint, Apoſtolica authoritate præcipimus viſitari, per hoc tamen non intendentes earum, ſtatum, Regulam, ſive ordinem approbare.*

10 De ſodalitatibus multa nos pluribus in locis ſcripſimus, nunc ſubjicimus hanc recentiſſimam Sacræ Rotæ Romanæ deciſionem.

11 Taurinenſis Jurium Parochialium. Veneris 28. Julii 1688.

12 Cùm Confratres Beatæ Mariæ Gratiarum, & Sancti Antonii Abbatis Oppidi Paduarini agnoverint, non poſſe, ſervato juris ordine, & in judicio ſubſiſtere exercitia aliquarum functionum in ſuis Oratoriis, ſeu Eccleſiis per ſuos Capellanos, ut miſſas, & Veſperas ſolemnes celebrare, confeſſiones audire, mortuos ſepelire, Sacramenta miniſtrare, publicas ducere proceſſiones per Parochiæ limites, ac Novenas occaſione Sanctiſſimi Sacramenti peragere, illiuſque expoſitiones publicæ fidelium adorationi cum benedictione in prædictis novenis, ac aliis feſtivitatibus in præjudicium Parochi Coradi Ceregiæ, prætendentis ad ipſum hæc omnia in ſua Parochia privativè ſpectare, dum ſemper contrarias reportaverunt ſententias tàm ab Archiepiſcopo Taurinenſi de anno 1665. & 1688. quàm de anno 1654. ab Illuſtriſſimo Nuncio Apoſtolico Taurinenſi, in qua fuit denegata remiſſio cauſæ ad dictum Archiepiſcopum, & confirmata inhibitio, ne Confratres exerceant controverſas functiones.

13 Mutato idcircò conſilio, obtinuerunt a Sanctiſſimo Breve Apoſtolicum, quo ipſis concedebatur facultas, ut Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum in eorum Eccleſia, debitis tamen cum honore, & reverentia aſſiduè, ac perpetuò aſſervare, illudque per Presbyteros ipſius Eccleſiæ, miniſtrare facere liberè, & licitè poſſent Summ. Parochi *n.* 8. quod ab Archiepiſcopo Taurinenſi Judice delegato fuit exequutioni demandatum, non citato, neque audito Parocho, a quo ipſe appellavit, & commiſſa cauſa per Breve Auditori Generali Nunciaturæ reportavit ſententiam revocatoriam alterius Archiepiſcopi cum mandato de manutenendo in exercitio functionum peragendarum per ipſum, vel alium de ejus licentia Sacerdotem in Eccleſia Confraternitatis, item cum declaratione, quod Confraternitas non poſſit aſſervare Sanctiſſimum Sacramentum, non obſtante dicto Breve dicto Summario *n.* 10.

14 Provocavit iterum ab hac ſententia Auditoris Confraternitas, & cauſa mihi commiſſa, dubium propoſui, cui eſſet dandum mandatum de manutenendo, & reſponſum dederunt Domini, mandandam manutentionem Parocho in exercitio controverſarum functionum, ipſo tantùm informante.

Et ſic decidendi fuit ratio, quia Parochus habet fundatam intentionem ex aſſiſtentia juris tàm in Eccleſia Parochiali, quàm intra fines totius Parochiæ privativè quoad omnes alios circa adminiſtrationem Sacramentorum, & actionem oblationum funeralium, & exercitium omnium actuum, & jurium parochialium, *c. dilectus de Capell. Monach. cap. 1. & 3. de ſepult. cap. 2. de Paroch. Clemen. Dudum, §. Verum de ſepult. cap. ſtatuimus ut ſedes 1. queſt. 1.* Barboſ. *de offic. Parochi par. 1. cap. 12. numer. 2.* Panimol. *deciſ. 1. annot. 8. numer. 2. deciſ. 2. numer. 5.* Rota *dec. 124. a num. 1. dec. 214. num. 6. & 7. par. 12. & deciſ. 231. num. 2. par. 13. dec. 225. nu. 1. par. 19.* per quam rectè datur manutentio *dec. 214. num. 6. & 7. par. 12.* Panimol. *deciſ. 1. annot. 9. num. 7.* 15

Idcircò ratione ſui officii, & ad conſervanda jura ſua poteſt prohiberi Clericis, aliiſque Capellanis, ne in Oratoriis, ſive Eccleſiis ſitis intra limites Parochiæ quacumque de cauſa præſumant ſine ſua præſentia, vel ſaltem conſenſu miſſas, ſive votivas, ſive alias privatim, vel in cantu celebrare, Innoc. *in cap. fin. de cenſ.* Zabarell. *conſ. 8.* Baixo *in prax. Eccleſ. part. 3. quæſt. 66.* Lezan. *tom. 2. quæſt. regul. cap. 15. n. 22. & 29.* Bordon. *tom. 3. oper. moral. part. 2. reſol. 72. n. 23.* & Mantic. *deciſ. 294.* 16

Similiter interdicere valet Confraternitatum Capellanis, ne in illarum Eccleſiis ſolemniter celebrent, confeſſiones audiant, Sacramenta miniſtrent, mortuos ſepeliant, nec ſolemnes pro illis miſſas, vel alia officia, præſentibus cadaveribus, ibidem fortaſſe tumulandis, ſine expreſſa Ordinarii, & Parochi licentia, Laur. de Franch. *controv. inter Epiſc. & Regular. quæſt. 1. de erect. Confrat. in addit. num. 222. & 226.* Barboſ. *de jur. Eccleſ. lib. 2. cap. 2. num. 105. & in collect. apoſt. deciſ. v. Confraternitas num. 17.* Capon. *diſcept. forenſ. tom. 4. diſcept. 276. num. 32.* Jul. Lavor. *var. elucubrat. tom. 2. cap. 20.* Pellizar. *in man. Regul. tom. 2. tract. 8. cap. 20. ſect. 6. n. 288.* Bordon. *ubi ſupra reſol. 72. num. 23.* quibus adſtipulatur Synodus Taurinenſis *tit. 12. de Sacrament. pœnitent. §. 2. fol. 49. & de Confraternitatibus, ſeu ſodalit. laicor. §. 2. fol. 116.* dicto Summario *num. 10.* 17

Sicuti Parochus rectè cogit Capellanos Confraternitatum, ut in ſuis Eccleſiis, ſeu Oratoriis diebus feſtis miſſam celebrent horis aſſignatis, & poſt miſſam Parochialem *Nicol. canon. elucubrat. lib. 3. tit. 41. num. 7. tom. 2.* Gavant. *in manual. Epiſcop. v. miſſa n. 21. & n. 5.* Panimoll. *dec. 5. annot. 1. num. 25.* cum quibus pariter concordat Synodus Taurinenſis dicto Summario *n. 10.*

Ac etiam licet Parocho prohibere, ne proceſſiones Confraternitatum extendantur, & incedant per vias Parochiæ, ſed tantùm muros Oratorii ſive Eccleſiæ circumire, niſi de licentia, conſenſu, aut cum Cruce Parochi, ut in Regularium Confraternitatibus pluries declaraſſe Sacram Congregationem, docent Gallus *poſt tract. de reſtitut. in integr. in Comm. ad Conſtitut. Urbani Octavi de præjudic. Eccleſ. n. 172.* Barboſ. *de poteſt. Paroch. par. 1. cap. 12. num. 13.* Frances *de Eccleſ. Cathedr. cap. 25. num. 353.* Novar. *in Summ. Bullar. par. 1. com. 104. num. 2. & in lucern. Regular. v. Proceſſiones num. 24. & 25.* Nicol. *canon. elucubr. lib. 1. tit. 31. de proceſſion. num. 14. tom. 2.* & neque ſuper hoc deficit ſimiliter Synodi Taurinenſis diſpoſitio *d. ſumm. num. 11.* 19

Inſuper in Oratoriis Confratrum non poteſt retineri, nec exponi Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum, ut monet Sacra Congregatio Epiſcoporum interrogata, Gavant. *in rubric. v. Confraternitas num. 21.* Pignatell. *tom. 4. conſult. 84.* neque Epiſcopi talem licentiam concedere poſſunt pro Eccleſiis non parochialibus, ſed requiritur Sedis Apoſtolicæ authoritas, Barboſ. *in Concil. Trident. ſeſſ. 13. cap. 6. num. 3. & in collect. cap. 110.* & dato quod Archiepiſcopus Taurinenſis in prædictis Oratoriis ex aliqua publica, & juſta cauſa expoſitionem concedat, fieri debet benedictio a Parocho, vel alio Sacerdote de ejus licentia, ut cavetur in Synodo *ſeſſ. 13. §. 2.* 20

Ultra juris aſſiſtentiam, qua gaudet Parochus, reperitur etiam in quaſi poſſeſſione exercendi omnes functiones controverſas in Eccleſia Confraternitatis per ſe, vel per alium de eius licentia, ut probant Teſtes formiter examinati dicto Summario *num. 13.* de quo etiam teſtantur tres Sacerdotes ad inſtantiam Confraternitatis in partibus producti, qui contra contradicentem, & producentem plenè probant, Rota *dec. 73. num. 15. & 315. num. 10. & 409. num. 4. p. 19.* Præſertim quia ſunt informati, & deponunt, & in Judicio manutentionis ſuperabundant *dec. 279. num. 3. & 5. poſt Poſth. de manuten. & d. 356. num. 5. p. 9. to. 2.* 21

Concurrit pariter obſervantia elicita ex licentiis Archiepiſcopi concedentis ſub explicita conditione aſſenſus 22

sus Parochi, & hæc subsequenti ejusdem consensu, d. Summario *num.* 3. & 14. per duos actus, nedum Parochi jus læsum non fuit, verum sua jurisdictio confirmata remansit, Lotter. *de re benef. lib.* 1. *q.* 33. *num.* 74. Rota *dec.* 124. *num.* 5. *p.* 12. *dec.* 231. *num.* 3. & 4. *par.* 13. quique tribuunt sufficiens jus pro manutentione, & *dec.* 214. *num.* 2. 3. 4. *p.* 12. & *dec.* 231. *n.* 3. & 4. *p.* 13.

23 Non obstat indultum Apostolicum impetratum a Confraternitate, quo ut supra dictum est, conceditur facultas servandi, & ministrandi sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum. Tum quia fuit obtentum, nulla facta de lite mentione, nec de sententiis contrariis. Ideoque uti subreptitium, exequutionem non meretur, *c.* 1. *ne lit. pend. c. olim de re judic.* Rota *dec.* 362. *num.* 4. *p.* 5. Rosa *de exequut. lit. Apostolic. p.* 1. *c.* 1. *n.* 14. *p.* 2. *cap.* 2. *n.* 11. & 12. Rota *dec.* 2. *n.* 17. coram Gregorio. Tum quia Archiepiscopus malè processit ad illius exequutionem sine ulla causæ cognitione, & sine Parochi citatione, omninò necessaria, stante clausula, *Constito tibi de narratis*, quæ facit exequutorem mixtum, Rosa *ubi supra p.* 1. *cap.* 4. *num.* 145. Ridulf. *p.* 2. *c.* 5. *num.* 124. & 133. Eoque magis quia colligitur ex tenore Brevis, Papam noluisse Parochum in nihilo præjudicare, dum apposuit clausulam, *sine ullo suorum jurium Parochialium præjudicio*, quæ conservat in totum jura Parochi, Rot. *dec.* 124. *num.* 7. & 8. *p.* 12. & *dec.* 231. *num.* 14. *p.* 13.

CONSULTATIO CIV.

An, & quatenus dimissio habitus regularis censenda sit temeraria? Quid de dimissione habitus ante sententiam nullitatis professionis? Argumentum a contrario sensu quando valeat? Quando Regularis audiri possit, non resumpto habitu? Quidve si sententia nullitatis professionis prætendatur nulla, tanquam lata non a Superiore loci emissæ professionis? Quando sententia dicatur nulla? Temeritas dimissionis habitus in quo consistat? Testium Sacerdotum fides. Fratrum, conjunctorum, amicorum testimonium an, quatenus, & quibus in causis admittatur? Dimissio habitus regularis quando licita, etiam ante sententiam nullitatis professionis? Quando permittendum Regulari, ut, resumpto habitu, & extra Monasterium causam nullitatis suæ professionis coram suis Judicibus deducat? Decretis Sacræ Congregationis Concilii quando fides sit adhibenda?

1 ET quidem dimissio habitus regularis post sententiam nullitatis professionis non censetur temeraria, sed tunc solùm, si facta sit sine justa causa. Ita tradunt communiter Doctores, innixi decreto Sacri Concilii Trident. *c.* 15. *sess.* 25. *de regul.* ibi: *Quod si antea habitum sponte dimiserit*; Unde si dimissio fiat post deductam causam nullitatis, ac post sententiam definitivam superioris Regularis, & Ordinarii non est temeraria. Cùm enim Sacrum Concilium prohibeat, temerariamque decernat dimissionem habitus spontè factam antea, non prohibet, nec temerariam judicat, sed potius permittit dimissionem, quæ facta est postea, suscepto argumento a contrario sensu quod valet in verbis legis per Text. *in l.* 1. *§. hujus rei*, ubi DD. *ff. de offic. ejus*, ac Rotam *dec.* 184. *num.* 7. *p.* 1. *rec.* & in similibus terminis Navarr. *cons.* 26. *num.* 13. & *cons.* 73. *n.* 1. *de reg.*

2 Concurrente præcipuè certioratione, & assensu Generalis Ordinis, etiam extra Capitulum, totam Religionem repræsentantis, ut in specie tradit Rota in Toletana professionis 14. Novembris 1594. coram Pamphilio seniori per hæc verba: Domini fuerunt in resolutis coram R. P. D. meo Arrigono, quod Joannes sit audiendus, etiam non reassumpto habitu. Quia cùm illum dimiserit, prius discussa causa invaliditatis professionis, & prævia sententia lata per ordinarium Toletanum cum interventu sui Superioris juxta formam Concilii Tridentini, *sess.* 25. *c.* 19. *de regular.* cui sententiæ Religio acquievit, non potest hodie cogi ad illum reassumendum &c.

3 Non obstat appellatio &c. Quod quidem est separatum a dimissione habitus, cujus respectu sufficit, quod Religio acquieverit sententiæ, agnoscendo nullitatem professionis, & dederit ei licentiam dimittendi habitum &c. Sic Rota.

4 Et in fortioribus quod sustineatur dimissio habitus facta ante sententiam de licentia Provincialis, quodque Regularis audiendus sit absque illius resumptione, declaravit Sacra Congregatio super Episcopis, & Regularibus in Tullensi nullitatis professionis. Cùm enim Sacræ Congregationi expositum esset, quod *Pater Provincialis fratrum Prædicatorum Provinciæ Lotharingiæ, capta informatione super nullitate prætensæ cujusdam professionis Catharinæ Darnecourt, eadem communicata Episcopo Tullensi Ordinario, cum illius consensu, eamdem Catharinam extra locum claustralem; Monasterium nuncupatum, in quo reperiebatur, multis ab hinc annis dimiserit, cum autem nuper ipsa admitti vellet ad hæreditatem sui Patris, illius consanguinei eam admittere recusarunt, & in judicio nullitatis hujusmodi prætensæ professionis eam audiri in juribus suis non posse opposuerunt, nisi constitutam in dicto claustrali loco sub obedientia illius Superiorum in habitu regulari. Verum cùm hujusmodi oppositio esset frivola, quandoquidem Religio non sit in causa, sed ab illius superioribus ipsa fuit dimissa, supplicat ab hac Sacra Congregatione declarari, eam posse in juribus suis audiri absque eo, quod revertatur ad dictum claustralem locum, Monasterium, ut præfertur, nuncupatum.*

Sacra Congregatio, negotii Episcoporum, & Regularium præposita, attentis narratis, censuit, si SS. Dominus Noster annuerit, permittendum esse Oratrici, ut super præmissis audiatur, etiamsi ad Monasterium hujusmodi non redierit. Romæ die 14. *Martii* 1631. Quod confirmavit Summus Pontifex, & approbavit Sacra Rota *dec.* 455. *in fine*, & *dec.* 523. *num.* 2. & 3. coram Merlino. 5

Et in alio casu urgentiori dimissi habitus ipsa die prolatæ sententiæ nulliter, & attentatè post inhibitionem, ac remissionem causæ ad Sacram Congregationem, ac intra decennium a jure datum ad appellandum, & post interpositam appellationem in Avenionensi sub anno 1658. pro D. Marchionissa Castellana, filia Marchionis de Ampus post maturam causæ discussionem. 6

Ac ita, ut non obstaret, si dicta sententia prætendatur nulla, tamquam lata ab aliis, quàm a Superiori loci emissæ professionis, & ab ejus Ordinario. 7

Nam in jure ista nullitas nullam habet subsistentiam. Quia Sacrum Concilium Tridentinum in *cit. cap.* 19. non statuit, quod causa nullitatis sit proponenda coram Superiore Regulari, & Ordinario loci emissæ professionis, sed simpliciter *coram Superiore suo, & Ordinario*, quod optimè potest intelligi de Superiore, & Ordinario domicilii, in quo degit nulliter professus tempore propositæ nullitatis ex latè probatis a Barbosa *in collectan. ad cap.* 8. *Sacri Concilii sess.* 23. *de reformat.* ibi: *Unusquisque autem a proprio Episcopo ordinetur*, firmans ibidem *num.* 28. ea intelligi de Episcopo loci, ubi Regularis ordinandus degit, quod repetit more suo in *tract. de offic. & potest Episc. p.* 2. *alleg.* 4. *num.* 60. 8

Quare licèt Sacra Congregatio Concilii deinde declaraverit verba *d. c.* 19. intelligi de Superiore, & Ordinario loci emissæ professionis, nihilominus sententia lata ab alio Superiore, & Ordinario, non propterea redargui potest de nullitate. Quia non est lata contra literam legis, sed contra id, quod in lege scriptum non est, ut per Butr. *cons.* 27. *num.* 1. Et ad summum prætendi posset contra dictæ Congregationis, ac Doctorum opinionem, qui cum dicta declaratione sentiunt. Quo in casu non inducitur nullitas ad notata in *cap.* 1. *de Constit.* ad quod Barbat. *numer.* 142. & firmat Grat. *consil.* 77. *num.* 14. *lib.* 2. ac Rota *dec.* 12. *num.* 5. *p.* 2. *divers.* ubi speciatim asseritur quod defectus jurisdictionis tunc inducit nullitatem, quando provenit ex certa, & clara juris dispositione, secus verò quando ex communi opinione. 9

Præsertim autem, si sententia obtenta fuerit a Religioso qui non est jurisperitus, adeòut scire debuerit omnes declarationes Sacræ Congregationis, quemadmodum in simili considerat Navarr. *cons.* 23. *n.* 4. *de Regul.* 10

Quinimmò, etiamsi fuisset juris peritissimus, & declaratio, prout enunciatur a Doctoribus, fuisset in Judicio producta, adhuc tamen potuisset de illa juridicè dubitari, donec non esset producta in forma authentica cum subscriptione, ac sigillo Cardinalis Præfecti Sacræ Congregationis, juxta decretum ejusdem Sacræ Congregationis, quod hujusmodi est: *Cùm Sacra Congregatio Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum sæpius, ac novissimè sub die* 29. *Aprilis* 1621. *inhærendo Constitutioni fel. recordat. Pii Quarti, quæ incipit; Benedictus Deus, decreverit Indici librorum prohibitorum addendas esse omnes, & quascumque declarationes, interpretationes, seu decisiones sub nomine ejusdem Congregationis Concilii absque illius authoritate impressas, & imprimendas, cumque ad illius notitiam pervenerit quamplures ex declarationibus, interpretationibus, seu decisionibus juxta contingentiam casuum, illorumque qualitates, & circumstantias a se diversis temporibus factis secundùm ea, quæ proponebantur, fuisse alteratas, immutatas, diminutas, ac forsan aliis mentito Sacræ Congregationis nomine confectas, nulloque propterea authentico sigillo munitas, istasque per Tribunalia tàm in urbe, quàm per orbem circumferri, ac imprimi, consideransque quantum detrimenti recipi possit, si aliqua fides illis adhiberetur, ex speciali Sanctissimi Domini Nostri Urbani Divina Providentia Papæ Octavi jussu mandat, præcipit, hujus-* 11

hujuſmodi declarationibus tàm impreſſis, & imprimendis, quàm manuſcriptis nullam fidem eſſe in Judicio, vel extra a quoquam adhibendam, ſed tantùm illis, quæ in authentica forma ſolito ſigillo, & ſubſcriptione Eminentiſſimi Cardinalis Præfecti, ac Secretarii ejuſdem Congregationis pro tempore exiſtentium, munitæ fuerint. In quorum fidem hæc propria manu ſubſcripſimus, & ſigilli noſtri impreſſione communiri, ac typis mandari juſſimus. Datum Romæ die 2. Auguſti 1631. R. Cardinalis Ubaldinus, loco ✠ ſigilli, Franciſcus Paulutius Sacræ Congregationis Secretarius. Occaſionem edendi hoc decretum Barboſa præbuit, tum in Collectaneis ad Sacrum Concilium Tridentinum, tum alibi, ubi multa apocrypha congeſſit, in quibus licèt inveniatur aliqua veritas, propter tamen multa falſa, nulla eſt eis canonica veritas.

12 Neque ad id applicatur declaratio ejuſdem Sacræ Congregationis Concilii in Taurinenſi nullitatis profeſſionis ſub anno 1655. nam in illo caſu ſententia verè nulla fuit, nec ſubſiſtebat, tanquam lata a ſolo Ordinario, & ſic contra expreſſam mentem Sacri Concilii, requirentis copulativè Superiorem Regularem, & Ordinarium. In hoc autem caſu mens Sacri Concilii non repugnat, dum non decernit expreſsè, quod Superior, & Ordinarius debeant eſſe loci emiſſæ profeſſionis. Ideòque non ſumus in terminis dictæ declarationis, atque adeo nec proinde ſententia nulla eſt.

13 Idque comprobatur ex alia certa concluſione, quod licèt ſententia ſit nulla, quando lata eſt contra expreſſam juris diſpoſitionem, id tamen non procedit, quando lata eſt contra Extravagantem, ut probat Bartol. *in l. Cum prolatis 32. num. 1. ff. de re judicat.* Fulgoſ. *in l. 2. C. quando provoc. non eſt neceſs.* Felin. *in c. 1. num. 12. de re judic.* ibique Abb. *num. item 12.* Gemin. *in proœm. Sexti decretal. §. ſanè num. 4.* & Fagnan. *in c. Quoniam num. 3. de Conſtit.*

14 Maximè autem, ſi non agatur de confirmanda, nec de revocanda dicta ſententia, ſed tantùm incidenter deducatur unà cum licentia, & permiſſione Patris Generalis ad effectum oſtendendi, habitus dimiſſionem non fuiſſe temerariam. Dum enim illam præceſſit factum Superioris, qui diſcuſſo decreto Sacri Concilii, ſententiam protulerat, nullam declarando profeſſionem, ac liberando Regularem a jugo Religionis, eumque ſæculo reſtituendo, neque ipſi obſtitit juriſdictionis defectus, præceſſitque monitio ipſius Generalis, ejuſque aſſenſus, nulla penitus excitata difficultate circa juriſdictionis defectum, utique dimittendo poſtea ipſe Regularis habitum, temeritatem nullatenus incurrit, nec dolo id egit, ſed bona fide, & juſta credulitate, quod dimiſſio ſibi liceret, dum etiam ita judicarunt viri peritiſſimi. Ad effectum enim excludendi temeritatem, ad dolum quælibet cauſa, etiam injuſta, ſufficit, *l. Igitur, §. Qui poteſt ff. de liberal. cauſ.* & tradunt Honded. *conſ. 42. lib. 2.* ad Buratt. *dec. 182. num. 25.*

15 Ponderando præcipuè, quod totum temeritatis fundamentum conſtituitur ſuper ſpolio Religionis de facto exinde commiſſo. Hoc autem non intervenit, ſtante Patris Generalis aſſenſu. Ceſſat enim, ac remittitur ſpolium ex conſenſu, nedum expreſſo, ſed etiam tacito, ut per Poſth. *de ſubhaſtat. inſpect. 58. numer. 121. cum ſeqq.* & ſufficit conſenſus habentis legitimam adminiſtrationem. Seraph. *deciſ. 135. num. 1.* ac Rota *diverſ. p. 2. deciſ. 93.* & in Ravennatenſi bonorum 7. Junii *1666.* coram Eminentiſſimo Carpineo, *§. Idque procedere.*

16 Ac ita etiam, ut non obſtaret, quod hujuſmodi aſſenſus probetur ex jurata atteſtatione duorum Teſtium, quorum alter eſt frater germanus ipſius Regularis, ſi uterque ſit Sacerdos integræ famæ, quo in caſu alteruter ſufficit. Quia ratione Sacerdotii habet vim Teſtimonii duorum, Menoch. *conſ. 92. num. 89.* Capyc. Latr. *deciſ. 12. num. 14. lib. 1.* Barz. *dec. 50. num. 3.* Præcipuè, ſi alter de facto proprio teſtetur, Mantic. *dec. 352. num. 4.* Merlin. *dec. 867. num. 3.* & in fortioribus, etiamſi Sacerdos fuiſſet procurator in cauſa, Rota *deciſ. 276. n. 19. p. 10. rec.*

17 Et frater de jure admittitur ad teſtandum pro fratre in cauſa civili, Gloſ. *in l. Parentes. v. nec volentes C. de teſtib.* ac de communi tradit Bartol. *ibidem numer. 4.* Alberic. *num. 2.* Lanfranc. de Oriano *in cap. Quoniam num. 348. de probation.* Maſcard. *eodem tit. concluſ. 811. num. 1.* Boſs. *de oppoſit. contra Teſtes num. 109.* & Farinac. *de Teſtib. quæſt. 54. num. 112.* Præcipuè verò, ſi hæc depoſitio tendat ad innocentiam fratris, injuſtè notati de apoſtaſia, quo in caſu teſtimonium fratris admittitur, etiam in cauſa criminali, Salic. *in l. Parentes num. 2. C. de teſtib.* Lanfranc. *loc. citat. num. 348.* Et ſpeciale inſuper eſt, quod in hac materia admittantur atteſtationes amicorum, affinium, & quorumcunque Conſanguineorum, Ricc. *deciſ. Cur. Neapol. p. 1. deciſ. 182. num. 3. & ſeqq.*

Cæterum ceſſat quælibet hæſitatio, ex quo licita eſt, 18
ac permiſſa, non autem prohibita, nec temeraria dimiſſio habitus, facta, etiam ante propoſitam nullitatem profeſſionis, & ante obtentam ſententiam, quando fit ex aliqua juſta cauſa, & præſertim quando nulliter profeſſus, volens nullitatem deducere, nequit eam proponere coram ſuo Superiore, & Ordinario loci emiſſæ profeſſionis, ex quo alibi aſſignatus eſt. In hoc enim caſu, ſi habitum dimittit, temeraria non dicitur ejus dimiſſio, ut in hac ſpecie probant Sanchez *de matrim. lib. 7. diſput. 37. num. 3.* Ricc. *loc. cit. p. 4. deciſ. 48. n. 8. & 9. & in prax. quotid. rer. for. Eccleſ. p. 3. reſolut. 320. num. 2.* Gratian. *diſcept. 413. num. 4. & 5.* Pelliz. *in man. Regul. tom. 1. tract. 3. cap. 5. ſect. 2. num. 40.* qui cum aliis, poſita concluſione, quod ex Tridentino dimittens habitum nullatenus audiri debet, duas eidem adducunt limitationes. Alteram in locis allegatis quoties habitum dimittit ex aliqua juſta cauſa, & ſic abſque temeritate, quæ tantummodo punitur a Concilio. Alteram, quando temerè habitum dimittit, ſed illum vult reſumere, requirendo proinde habitus reſumptionem in ſola temeraria dimiſſione, ut per Sanchez *d. diſput. 37. n. 4.* Ricc. ea *dec. 48. n. 10. & 11.* accitata *reſolutione 320. n. 3.* Gratian. *ibidem n. 6. & ſeqq.* Pelliz. *eodem n. 40.*

Dum igitur temeraria non eſt habitus dimiſſio, 19
quamvis facta ante ſententiam, quando ſubeſt aliqua juſta cauſa, utique tantò magis firmandum eſt, non eſſe temerariam, quando non ſolùm ſubeſt juſta cauſa aſſignationis in aliquo Monaſterio, a quo Regularis non poteſt diſcedere, neque adire ſuum Superiorem, & Ordinarium loci emiſſæ profeſſionis, cùm nec poſſit præmiſſis pluribus inſtantiis obtinere licentiam accedendi ad faciendas ſuas probationes, ſed etiam præceſſerit ſententia, & aſſenſus ſui Generalis. Præcipuè verò ſi acceſſerint vexationes, quas ipſe injuſtè paſſus fuerit in Religione, ut proinde Sacra Congregatio in hac re cum ſumma pietate, ac mitiſſimè procedere ſolet. Quod ſervavit in ſuperius allegatis Tullenſi, & Avenionenſi.

CONSULTATIO CV.

Ex quibus præcipuè ſecundum Capitulum Regularium reddatur invalidum, & electio in eo facta ſit irrita?

EX pluribus, præſertim autem, ſi introducta fuerit 1
cauſa nullitatis primi Capituli coram Sacra Congregatione, vel in Sacra Rota, vel in Tribunali Auditoris Cameræ, a cujus ſententia fuit appellatum; unde non poterit procedi ad aliam electionem, donec terminetur ſecunda inſtantia, ut cautum eſt in *c. Conſideravimus de elect.* Et attentatum de facto præſumptum dicitur, quicquid fit poſt appellationem a ſententia ſuper electione, *c. ſi poſtquam de elect. in 6.* Seraph. *dec. 598. num. 3. & ſeqq.*

Si res deducta fuerit coram Judice delegato ad co- 2
gnoſcendum cauſam nullitatis primæ electionis, non autem ad novam electionem faciendam. Judex enim delegatus, etiam quando ſua ſententia tranſivit in judicatum, & eſt exequibilis, non obſtante appellatione, poteſt quidem eam exequi in quantum loquitur, ſed ſi aliquid de novo debet fieri, non poteſt ab eo fieri, ſed ad Judicem ſuperiorem, cujus eſt cauſa appellationis, eſt committendum, Achil. *dec. 4. num. 7. & ſeqq. de ſent. excommunic.* ac Put. *dec. 270. lib. 3.*

Si celebretur extra tempora a Conſtitutionibus Re- 3
ligionis ſtatuta, in quo caſu electio eſt nulla, ut per Avend. *de exec. mand. Reg. p. 1. c. 19. n. 14.* & nos alibi.

Si eligentes tempore electionis erant excommunicati, 4
c. fin. de Cler. excomm. miniſtr. & cap. Conſtitutus de appel. ubi Gloſs. *verb. excommunicationis*, aliique Canoniſtæ, Rot. *deciſ. 5. poſt med. de conceſ. prœben. in nov.* ac Dec. *conſ. 522. num. 1.*

Neque excuſantur, ſi allegarent ignorantiam. Nam 5
pœna iſta nullitatis electionis eis non præjudicat, ſed electo, ut explicant Gloſ. *in d. c. fin. v. ſcienter*, Oſtienſ. *num. 5.* Butr. *num. 16.* aliique communiter, & tradunt Biaſ. *de elect. p. 2. c. 1. n. 1.* Covar. *in c. alma mater p. 1. §. 7. num. 3.* Suarez *de cenſur. diſp. 13. n. 3.* Avila *p. 2. c. 6. diſp. 5. dubit. 1. concluſ. 1. notab. 1.* Alter. *eodem argum. lib. 2. diſp. 6. c. 2.* Sayr. *eodem tit. lib. 2. c. 16. n. 8.* & Garzia *de benef. p. 7. c. 13. n. 28. & ſeq.*

Quod procedit, non ſolùm in beneficiis, ſed etiam in 6
officiis, vel dignitatibus Eccleſiaſticis temporalibus, habentibus exercitium juriſdictionis, ut poſt alios tradit

Garz.

Garz. *loc. cit. num.* 22. *ac* 23. & de electione Regularis in Superiorem loquitur Dec. *d. conſ.* 522. *num.* 1.

7 Reſpectu electorum eſt nulla electio, ſi adfuerint electores notoriè excommunicati, Mardagor. *de elect. p.* 1. *cap.* 20. *ſub init.* ac Dec. *ibidem num.* 1. paſſimque alii. Ac ita, ut eis non ſuffrageretur abſolutio Patris Generalis, confirmans electionem. Quia non ſuffragatur abſolutio ſuperveniens, ſed requiritur ſpecifica tempore electionis, vel ante electionem; unde ſuperveniens non poteſt electionem nullam convalidare, ut in his terminis docent Navarr. *in man. cap.* 27. *num.* 11. Avila *d. dub.* 1. *concl.* 1. Covarr. *d.* §. 7. *num.* 2. *in* 7. *notab.* Suarez *ea diſp.* 13. *num.* 2. ac Rota coram Caſſador. *deciſ.* 1. *num.* 8. *de præb.* & in Calaguritana beneficii coram Sacrato poſt Marcheſ. *p.* 1. *num.* 5. *fol.* 101.

8 Nam attenditur tempus electionis, non autem tempus confirmationis, *c. Dudum de elect.* ibique Abb. *num.* 8. Calder. *conſ.* 1. *num.* 3. *de elect.* Præterea non poteſt Pater Generalis abſolvere a cenſura lata ob non paritionem ab Auditore Cameræ Apoſtolicæ, qui eſt adeundus pro abſolutione, juxta diſtinctionem, quod a ſententia generali, lata a jure, quilibet poteſt abſolvere, ſi non eſt reſervata, a ſententia verò particulari, lata a Judice, nemo abſolvere poteſt, niſi ipſe Judex, vel ejus ſuperior, ut per Theologos communiter cum Sancto Thoma *in ſupplem. q.* 24. *art.* 1. *in corp.* & per Canoniſtas. Feder. de Sen. *conſ.* 16. *num.* 12. Covar. *in d. cap. alma mater p.* 6. §. 12. *numer.* 2. *& ſeqq.* Sayr. *de cenſur. lib.* 1. *cap.* 7. *num.* 14. *& ſeqq.* Actumque erit de juriſdictione Eccleſiaſtica, ſi hujuſmodi inobedientiæ, & contumaciæ tolerarentur, ut advertit *can. relegantes* 28. *q.* 5. & Rota *dec.* 404. *num.* 8. *& 9. p.* 5. *rec.*

CONSULTATIO CVI.

An vigore decreti Clementis Octavi, in quo mandatur erectio Baldachini, quando Epiſcopi in Eccleſiis Regularium, etiam exemptis, Pontificalia exercent, vel Pontificalibus functionibus aſſiſtunt, in quo etiam eiſdem Epiſcopis conceditur facultas puniendi Regulares inobedientes cenſuris, ac pœnis Eccleſiaſticis, quod decretum integrè adducitur, poſſint Epiſcopi cogere Regulares ad ſedendum in ſcamno parato, & dimittendum Sedes ligneas, & in caſu contraventionis eos punire cenſuris?

1 NEgativè cenſeo reſpondendum. Conſtat id ex ipſo decreto, in cujus proœmio ſolùm narratur, quod Epiſcopis fuerat controverſa erectio baldachini in locis exemptis. Unde clariſſimè patet, quod huic ſoli erectioni Summus Pontifex & Sacr. Congregatio intendebant providere. Proœmium enim declarat mentem, & voluntatem diſponentis, Rota coram Gregorio XV. *dec.* 531. *num.* 5. & coram Buratt. *dec.* 377. *num.* 3. *& dec.* 658. *num.* 6.

2 Ubi verò in diſpoſitiva circa modum ſedendi de ſolis Epiſcopis loquitur, ſic ait: *liceat eiſdem Epiſcopis &c. erigi facere, atque ſub eo ſedere, & ſtare, quemadmodum in propriis & Cathedralibus eorum Eccleſiis ſtare, & ſedere ſolent.* Ex hoc autem diſcretivo loquendi modo planiſſimè ſequitur, quod ſi aliquid circa Sedes Miniſtrorum, & celebrantium Regularium in eorum Eccleſiis S. Congregatio diſponere voluiſſet, pari modo dixiſſet per regulam *l. un.* §. *Sin autem C. de caducit. tollen.*

3 Ut autem luculentius id demonſtretur, liceat rem altius repetere. De jure communi in materia Epiſcoporum, quoad loca exempta, duæ conſtituuntur regulæ. Prima, quod Epiſcopi in locis exemptis ſuæ Diœceſis poſſunt ſine licentia exemptorum uti inſignibus Pontificalibus, & exercere ea, quæ ſunt honoris, & præeminentiæ Epiſcopalis, & alia quæ non habent mixturam juriſdictionis, vel officii. Secunda, quod Epiſcopi in hujuſmodi locis exemptis non poſſunt exercere ſine licentia exemptorum ea, quæ ſunt juriſdictionis contentioſæ, vel etiam voluntariæ, nec ea, quæ ſapiunt Superioritatem habentque mixturam juriſdictionis per Text. *in Clement. Archiepiſcopo*, quæ eſt decretum Concilii Viennenſis *de privil.* ubi Gloſs. & Doctores communiter, & proſequitur Gratian. *diſcept.* 467. *num.* 25. & *in addit. ad deciſ. March.* 113. *num.* 3. *& ſeqq.*

4 In vim primæ regulæ poſſunt Epiſcopi celebrare cum Pontificalibus, ac erigere Cathedram, ſive ſolium cum Baldachino. Quia hæc concernunt merum honorem, & reverentiam dignitatis, Gambar. *de author. legati lib.* 2. §. *Illud noſſe num.* 249. Ricc. *in prax. reſol.* 313. Gratian. *in citat. addit. num.* 7. *& in d. diſcept. num.* 54.

5 In vim ſecundæ non poſſunt Epiſcopi celebrare facere ab aliis in ſua præſentia cum Pontificalibus. Quia hoc eſſet exercere juriſdictionem authoritativam, ſed ſolùm ſine illis, Gratian. *in d. addit. num. ult.*

Prout generaliter non poſſunt juriſdictionem aliquam 6
exercere, perſonis exemptis, vel privilegiatis moleſtiam inferre, aliquod earum exemptioni, vel privilegio præjudicium irrogare, nec jus aliquod quomodolibet ſibi acquirere, ut ait text. *in d. Clem. Archiepiſcopo in fin. de privil.*

Hæc res erat in his terminis ſatis de jure deciſa. Ve- 7
rum quia nonnulli Regulares vano quarumdam immunitatum, ac privilegiorum prætextu, ſunt verba ipſa decreti Clementis, Epiſcopis in eorum Eccleſiis in Pontificalibus intereſſentibus, non modò renuebant in eis ſupra locum Epiſcopalis ſolii Baldachinum erigere, verum id etiam juſſu ipſorum Epiſcoporum curantes prohibere, & arcere auſi fuerant. Supervenit Clemens Octavus, & ſpeciali decreto diligenter proſpexit, poſſe Epiſcopos erigere Baldachinum, & impedientes Eccleſiaſticis cenſuris, ac pœnis coerceri, ut per Ric. *d. reſ.* 313. *num.* 1.

Ex his autem apertè reſultat, quod Clemens VIII. 8
in præfato decreto innovavit quidem id, quod erat Epiſcopis in materia honoris antea conceſſum, ſed nihil de novo eis tribuere voluit in materia juriſdictionis, in quo caſu prætextus immunitatis, & privilegiorum non fuiſſet vanus, qualem illum vocat ſuo decreto Summus Pontifex, ſed verus, & renovando actum honoris dicebatur conceſſiſſe actum juriſdictionis, quæ ſanè inter ſe ſunt omninò diſtincta, tanquam ea, quæ a diverſis principiis dimanant.

Unde in ſpecie, quod ex hoc decreto Clementis non 9
poſſit dici conceſſa facultas inſtituendi proceſſiones in dictis Eccleſiis, concedendi indulgentias, ac cætera hujuſmodi, docet Lezana *in ſum. q. regul. tom.* 3. *v. Baldachinum num.* 4. ubi in fine ſubdit hanc rationem. Nam exemptis, & privilegiatis non præjudicatur in ſuo privilegio, niſi quatenus in illo exprimitur, & privilegiatus in aliquo non poteſt extendere ſuum privilegium ad aliud.

Quamvis igitur in hoc caſu admittamus erectionem 10
baldachini, & coactionem adverſus recuſantes poſſe per Epiſcopos exerceri, quatenus Regulares non obtemperarent, ex hoc tamen inferri non poteſt, quod Epiſcopus eos cogere valeat ad ſervandum Cæremoniale Epiſcoporum, non obſtantibus privilegiis, & conſuetudinibus in Regularium favorem militantibus. Nam id eſſet exercere juriſdictionem, quod Epiſcopis in locis exemptis, & contra exemptos non eſt permiſſum, & expreſsè contraveniunt decreto Concilii Viennenſis *in d. Clem. Archiepiſcopo*, verbis ſuperius relatis.

At demus aliquando, ſine tamen veritatis præjudicio, 11
quod Epiſcopi aliquo modo prætendere poſſint a Regularibus obſervationem Cæremonialis Epiſcopalis, id tamen agere debent, conveniendo illos coram eorum Judicibus per regulam, de qua Grat. *in d. diſcept.* 467. *num.* 40. Ubi quod ſi Epiſcopus prohiberet de facto aliquid agere in locis exemptis, quod aliàs eſt ei permiſſum, non poteſt contra exemptos procedere, ſed agere debet coram eorum ſuperiore.

Nec obſtat, quod Epiſcopi ſint deputati exequutores 12
Cæremonialis. Quia nec in Conſtitutione 69. Clementis Octavi, neque in Conſtitutione Innocentii Decimi, quæ præmittitur eidem Cæremoniali, hoc legitur, nec quatenus legeretur permiſſum iis eſt, id agere per cenſuras. Cenſuræ enim ferri nequeunt in Regulares, niſi in caſibus expreſſis a Conſtitutionibus Apoſtolicis, & Sacris Canonibus. Quia ſunt exempti a juriſdictione Ordinariorum.

Porrò exemptionem Regularium ac juriſdictionem Or- 13
dinariorum conſtat habuiſſe initium ex decreto Gregorii Magni, quod appellatur *Conſtitutum S. Gregorii*, edito in Concilio Romano ſub anno 601. nonis Aprilis, in quo interfuerunt viginti Epiſcopi, præter Presbyteros, & Diaconos Cardinales. Illud ex Bibliotheca Vaticana recenſet Binius inter alia Concilia ejuſque integrum decretum refert Paſſerin. *tom.* 3. *de ſtat. hom. q.* 189. *num.* 10. *inſpect.* 10. *num.* 974.

In illo autem hæc habentur: *Neque audeat ibi*, ſcilicet 14
in Monachorum Cœnobio, *cathedram collocare*, ſcilicet Epiſcopus, *vel quantumlibet poteſtatem habere imperandi, nec aliquam ordinationem, quamvis leviſſimam, faciendi, niſi ab Abbate loci fuerit rogatus, quatenus Monachi ſemper maneant in Abbatum ſuorum poteſtate, nullumque Monachum ſine teſtimonio, vel conceſſione Abbatis in aliqua Eccleſia teneat, vel ad aliquem promoveat honorem.* Quod autem per hujuſmodi formam verborum concedatur plena exemptio a juriſdictione ordinaria Epiſcoporum, habetur expreſsè declaratum a Bonifacio Octavo, *in cap. ſi Papa*

de

de privil. in 6. & ex eo id adnotarunt Sylveſt. *v. exemptio num.* 5. Tabiena *num.* 3. Antonin. *part.* 3. *tit.* 16. *cap.* 9. §. 2. Sanchez *lib.* 6. *conſ. cap.* 9. *num.* 4. Lezana *d. v. exemptiò num.* 6. Barboſ. *de offic.* & *poteſt. Epiſcop. alleg.* 123. *num* 12. Tambur. *de jur. Abb. tom.* 1. *diſp.* 15. *quæſt.* 5. *num.* 13. & Paſter. *loc. cit. num.* 692.

15 Hinc Gratianus hac in re multipliciter erravit 18. *q.* 2. Primò, quia non expreſſit ex quo loco ſumpſerit *can. quam neceſſarium*, immò judicavit illum deſumptum fuiſſe ex aliqua Divi Gregorii Epiſtola ad omnes Epiſcopos, cùm tamen recenſita in illo canone, habeantur in decreto illo Conciliari. Deinde quia non retulit ea omnia, quæ in dicto decreto continentur, & quæ maximè faciebant ad quæſtionem, ibidem ab eo diſcuſſam. Et præcipuè omiſit vel ſuperius relata, quæ plenam exemptionem continent. Poſtremò, quia nonnulla ex verbis relatis poſuit in *can. Luminoſo*, quem refert deſumptum ex Epiſtola D. Gregorii ad Caſtorium Arimineníem, quæ habetur *lib.* 4. *regiſtr. ep.* 43. in qua tamen epiſtola verba hæc *nec audeat &c.* minimè continentur, ſed leguntur in dicto Conciliari decreto.

16 Authoritate Gratiani plures decepti ſunt, ut Barboſ. *de offic. Epiſc. alleg.* 105. *num.* 5. Tambur. *loc. cit. quæſt.* 1. *num.* 5. Pax Jord. *lib.* 6. *tit.* 14. dicentes, *can. quam neceſſarium*, deſumptum fuiſſe ex Epiſtola Divi Gregorii ad Epiſcopum Ravennatenſem *lib.* 7. *regiſtri indict.* 1. *ep.* 18. & continere privilegium particulare, conceſſum Monaſterio ſanctorum Joannis, & Stephani, cùm tamen Canon ille habeatur in citati Sacri Concilii *Conſtituto*. Ex titulo autem Gratiani dicitur deſumptum ex Epiſtola D. Gregorii ad omnes Epiſcopos; univerſaliter etiam loquitur, quemadmodum Conſtitutum illud, unde in fine illius Univerſi Epiſcopi congregati dixerunt: *libertati Monachorum congaudemus*, & *quæ nunc ſtatuit Beatitudo veſtra, firmamus*.

17 Deceptus fuit etiam Suarez *tom.* 4. *de relig. tr.* 8. *lib.* 2. *cap.* 1. *num. ult.* tradens *in d. can. quam ſit neceſſarium* non concedi exemptionem a juriſdictione, negatque ex hoc exemptionem Regularium habuiſſe originem a ſancto Gregorio. Aliter ſanè dixiſſet ſi vidiſſet Concilium illud Romanum, continens formam plenæ exemptionis a juriſdictione in verbis ſupra relatis juxta declarationem Bonifacii Octavi *in cap. ſi Papa de privilegiis in 6.* & Doctores citatos.

18 Quare excuſandi ſunt Doctores, qui ſcribentes ſuper *cap. Dilectus de offic. ordin.* dixerunt, Regulares de jure communi exemptos eſſe a lege Diœceſana, non autem a lege juriſdictionis. Prætermiſſo enim, quod diſtinctio iſta non eſt doctrinalis, ea non ſubſiſtit. Quia non datur lex Diœceſana, quæ non ſit juriſdictionis, neque lex juriſdictionis, quæ non ſit Diœceſana, de quo videantur ad *d. cap.* Butrius, Panormitanus, & Fagnanus. Excuſandi inquam, quia in errorem inducti a Gratiano, & ex iis plures ſcripſerunt ante Bonifacium Octavum, declarantem verba illa: *nec audeat &c.* continere plenam exemptionem a juriſdictione. De hac re vide quæ alibi multis in locis ſcripſimus.

19 De jure itaque communi Epiſcopi poſſunt aliquando erigere baldachinum in Eccleſiis Regularium. Per decretum autem Apoſtolicum editum die decima Junii 1603. a Clemente Octavo, nihil de novo conceditur Epiſcopis, ſed ſolùm declaratur, quod poſſint cenſuris compellère Regulares, alioſque exemptos, nolentes aſſentiri, quos Epiſcopi utantur baldachino in eorum Eccleſiis. Tenor autem decreti eſt hujuſmodi.

20 *Decet, Epiſcopis pro eo, quo in Eccleſia Dei excellunt, Dignitatis gradu, in quocunque ſuarum Diœceſium loco, quoties eos ibi Pontificalia exercere, aut in Pontificalibus adeſſe, & aſſiſtere contingit eam, quam par eſt, reverentiam, & honorem, decoro cultu, & ornatu exhiberi. Quare non ſine gravi animi dolore auditum eſt, nonnullos Regulares vano quarumdam immunitatum, & privilegiorum prætextu, Epiſcopis in eorum Eccleſiis Pontificalibus intereſſentibus, non modo renuiſſe in eis ſupra locum Epiſcopalis Solii baldachinum erigere, verum etiam id juſſu ipſorummet Epiſcoporum curantes, prohibere, & arcere auſos fuiſſe. Atque ideò S. Congregatio Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium, negotiis & conſultationibus Epiſcoporum, & Regularium præpoſita, facto verbo cum SS. D. Noſtro Clemente Papa VIII. ac de Sanctitatis ſuæ ſpeciali, & expreſſo mandato, hoc præſenti decreto perpetuis futuris temporibus valituro, declarat, ſtatuit, decernit, & mandat, ut de cætero Epiſcopi, ubi tàm ex conſuetudine, & privilegio, quàm ex Sacrorum Canonum Conſtitutionibus, & Pontificalis Romani præſcripto, aut alio jure Pontificalia exercere, aut Pontificalibus paramentis cum mithra, vel etiam ſola Cappa induti in quibuſvis Regularium tàm mendicantium, quàm non mendicantium, & Monachorum etiam Caſinenſium, Clericorum, Presbyterorum, & cujuſvis alterius ordinis, Religionis, militiæ, ſocietatis, aut Congregationis Eccleſiis intereſſe poſſunt, ipſi Regulares, quoties opus fuerit, teneantur ibi, & debeant in loco ad ſolum Epiſcopi conſtituendum opportuno, & congruo baldachinum attolere. Eis autem id facere negligentibus, aut nolentibus, liceat eiſdem Epiſcopis illud aſportari, & in quacunque earumdem Regularium, aut alia quantumvis exempta Eccleſia, ſupra Epiſcopale Solium, ſeu Pontificale faldiſtorium erigi, facere, atque ſub eo ſedere, & ſtare quemadmodum in propriis, & Cathedralibus eorum Eccleſiis ſtare, & ſedere ſolent, eo tamen dumtaxat tempore, quo Pontificales hujuſmodi functiones exercebunt, vel dum actus ipſe, cui in Pontificalibus aderunt, peragetur. Si qui verò Regularium huic declarationi, ſtatuto, decreto, & mandato inobedientes, & contumaces fuerint, ſciant ſe ab eiſdem Epiſcopis ad id per cenſuras, & pœnas Eccleſiaſticas hujus decreti virtute cogi, & compelli poſſe, aliiſque pœnis tàm ſpiritualibus, quàm temporalibus arbitrio ſummi Romani Pontificis ſubjacere, & obnoxios fore, non obſtantibus &c. Romæ* 10. *Junii* 1603. Ita decreto ſuo S. Congregatio.

Non poſſunt tamen Epiſcopi in dictis Regularium Eccleſiis eas Pontificales functiones, quæ juriſdictionem mixtam habent, iſtis invitis, exercere, ut ordines conferre, degradare, &c. Immò nec fortaſſe prædicare, Diana *part.* 3. *tr.* 2. *reſ.* 109. ſecus autem eſt in Eccleſiis Regularium, etiam exemptorum, ſi ſint Parochiales. Unde cùm quæreretur in Sacra Congregatione Concilii, an Eminentiſſimus Epiſcopus Brixienſis in Eccleſia Parochiali Monachorum exemptorum, poſſit adminiſtrare Sacramentum confirmationis, invitis ipſis Regularibus. Et quatenus poſſit, an contra eoſdem Regulares impedientes dictam adminiſtrationem valeat cenſuris procedere? 21

S. Congregatio, re pluries propoſita, & maturè examinata, utraque Parte informante, affirmativè ad utramque dubitationem reſpondit 9. Junii 1657. *argum. cap. reſponſo* 43. *de ſent. excom.* Ubi ex conceſſione Baptiſmi tempore interdicti Papa interpretatus eſt, intelligi conceſſum etiam chriſma, quod ex Gloſ. eſt quaſi quoddam complementum Baptiſmi. Sicut autem Epiſcopus, tanquam primus Parochus, poſſet proculdubio baptizare in Eccleſiis Parochialibus Regularium, ita etiam & chriſma conficere, illudque miniſtrare *arg. cap. Quoniam de ſent. excomm. in 6.* 22

Id autem non debet extendi ad Vicarios Epiſcoporum, etiam abſente Epiſcopo, ex declaratione Congregationis Sacrorum Rituum die 10. Julii 1621. quæ declaravit, non poſſe hujuſmodi Vicarios, invitis Regularibus, erigere baldachinum in eorum Eccleſiis. 23

CONSULTATIO CVII.

An, & quatenus per Conſtitutiones Pontificias cenſeatur aliquando derogatum exemptioni Regularium, qui immediatè Sedi Apoſtolicæ ſubjecti ſunt?

Aſſerendum eſt, privilegio exemptionis, aliiſque Regularium privilegiis non derogari, niſi facta eorum expreſſa mentione. Unde licèt per clauſulas quantumlibet univerſales, & efficaces, tàm in jure, quàm in aliis Conſtitutionibus Apoſtolicis detur alicui, etiam Epiſcopo pleniſſima adminiſtratio gubernandi Diœceſim, tàm in ſpiritualibus, quàm in temporalibus, & committatur exactiſſima cura Divini Cultus, eiſdemque imponatur cura paſtoralis, tàm Cleri, quàm Populi, hæc tamen intelliguntur, ſalvo jure exemptionis eorum, qui Sedi Apoſtolicæ immediatè ſubjecti ſunt. 1

Cùm enim interſit exempti, non amittere ſuam immediatam juriſdictionem, & quod ſibi immediatè ſubditus alii non ſubjiciatur, Rota *dec.* 456. *num.* 13. *part.* 5. & *dec.* 416. *num.* 23. ejuſdem par. *dec.* 50. *num.* 5. *part.* 10. *rec.* Mandoſ. *de ſign. Grat.* §. *Exemptiones ab Epiſcopo, v. exemptus a juriſdictione*, Sanchez *lib.* 4. *moral. cap.* 39. Rodriq. *tom.* 3. *q. regul.* 36. *num.* 5. ex hoc planè ſequitur primò, non poſſe Regulares huic privilegio renunciare, ut decernitur apertè *in cap. cum tempore de arbitr.* ubi Panor. *num.* 2. qui hoc ipſum docet in *cap. ſignificaſti num.* 8. & 9 *de for. compet.* & *in cap.* 1. *n.* 19. *de re judic.* Caſtr. *conſ.* 431. *num.* 3. Roman. *conſ.* 300. *n.* 18. Surd. *conſ.* 46. *n.* 25. Mantic. *dec.* 237. *n.* 4. Ludovil. *dec.* 325. *n.* 23. Rota *loc. cit.* Et licèt Gloſſ. *fin. in d.c. cum tempore* putaverit, exemptum poſſe renunciare exemptioni in ſui præjudicium, id tamen meritò rejicit Panormitanus *eo loco.* Quia jus exempti non poteſt ſeparari a jure eximentis, Rota *d. dec.* 456. *n.* 11. & *ſeqq.* & *dec.* 467. *n.* 42. *p.* 5. & *dec.* 50. *n.* 7. *p.* 10. *rec.* Quod maximè procedit in exempto, immediatè ſubjecto Sedi Apoſtolicæ *cap. ad audientiam* 2

tiam de præscript. ubi Panorm. *num.* 12. Felin. *num.* 13. ac Rota coram Seraphino *dec.* 1024. *num.* 22. & 23.

3 Hinc est, quod huic Privilegio exemptionis non derogatur per specialia rescripta, aut Privilegia, quæ ad favorem cujuscumque emanant, nisi facta ejus speciali mentione. Et quidem nedum rescriptum rescripto, aut Privilegium Privilegio, sed neque lex Privilegio derogat, non facta ejus mentione, Glos. *in cap.* 1. *v. facti de Const. in 6.* ibique Archid. & Anchar. Gemin. *num.* 16. Franch. *num.* 5. aliique.

4 Nec obstat, quod id non procedat in Privilegiis Notoriis, ac insertis in corpore juris, quibus facilius derogatur. Unde illis derogatur, si Pontifex disponit contrarium Privilegio, etiam nulla facta ejus mentione, quia non potest præsumi involuntarium in Pontifice ex ignorantia, aut inconsideratione ejus, quod est insertum in corpore juris, estque in jure notorium, sicut in eodem *cap.* 1. *de Constit. in 6.* docent Gloss. *d. v. facti*, Gemin. *num.* 12. Anchar. Archid. & Franch. *num.* 5. Felin. *in cap.* 1. *num.* 12. *de rescript.* & Fagnan. *in cap. nonnulli*, ubi alii *num.* 18. & *seqq. eod. tit.*

5 Nam id diluitur. Primò, quia non comprobatur, ubi Pontifex non disponit contra Privilegium per viam legis, sed solùm per viam rescripti, aut Privilegii. Hoc enim modo, etiamsi Pontifex rescribens apponat clausulam: *non obstantibus Privilegiis* insertis in corpore juris. Quia præsumitur, quod Pontifex sub nomine Privilegiorum intelligat, non inserta in corpore juris, quæ propriè sunt Privilegia. Nam aliàs inserta in corpore juris, jus commune faciunt; ideò cùm derogatio sit strictæ interpretationis, clausula: *non obstantibus Privilegiis*, strictam accipit interpretationem, ut de solis Privilegiis non insertis in corpore juris intelligatur, Felin. *in d. c. nonnulli num.* 12. Gonzal. *ad reg.* 8. *Cancell. glos.* 36. *num.* 34. Suarez *de legib. lib.* 8. *cap.* 14. *num.* 8. Poncius *lib.* 8. *de matr. cap.* 10. *num.* 6. pluresque alii apud istos. Cæterum, quod rescriptum, aut Privilegium non deroget juri communi, atque adeo nec Privilegiis insertis in corpore juris, quæ jus commune constituunt, est sententia communis, ut per Gloss. in *c.* 1. *v. noscatur de Const. in 6.* ubi Anchar. *num.* 8. Jo: Monach. *num.* 1. Archid. *num.* 2. Panorm. *in d. c. nonnulli num.* 10. ibique Felin. *num.* 9. Fagnan. *num.* 29. & *seqq.* Rota *dec.* 347. *num.* 3. & *dec.* 4. *num.* 3. *tom.* 2. *part.* 4. *rec.* & *dec.* 1. *num.* 1. & 2. coram Cæsar de Grass. & *dec.* 308. *num.* 4. *lib.* 3. coram Puteo, & *dec.* 122. *num.* 11. *part.* 1. *divers.* & *dec.* 761. *num.* 1. & 2. *part.* 2. *recent.*

6 Præcipuè verò ubi Privilegium est munitum derogatoriis ad futuras dispositiones, ei non derogatur, nisi facta ejus speciali mentione, ut communiter tradunt Doctores, quod etiam comprobatur, ubi Pontifex de novo disponit per modum legis, ut nec priori lege deroget habenti derogatorias ad futura, nisi ejusdem legis fiat mentio *d. c. nonnulli de rescript.* ubi Panorm. *num.* 10. Felin. *in c. ex parte de Cappellan. Monach.* & *c. un. de excess. Prælat. in 6.* Franch. *in cap.* 1. *num.* 12. *de Const. in 6.* Nam aliter postea, quod rescriptum non valeat contra legem habentem derogatorias ad futura, probat diffusè Felin. *in d. c. nonnulli num.* 2. Et quod per rescriptum non derogetur Privilegio habenti derogatorias ad futura rescripta, nisi fiat ejus mentio, immò, quod non sufficiat clausula generalis: *non obstantibus Privilegiis*, tradiderunt Panorm. *in c. Cum instantia num.* 5. *de cens.* Felin. *in d. c. nonnulli n.* 4. Card. *in Clem.* 1. *de sepult.* & *cons.* 53. Feder. de Sen. *cons.* 239. Castr. *cons.* 53. Palaus *disp.* 4. *ar.* 3. *punct.* 21. §. 4. *n.* 4. Bonac. *de leg. disp.* 1. *qu.* 3. *punct.* 8. *n.* 11.

7 Privilegia autem Regularium continent amplissimas derogatorias ad futuras dispositiones. Manifestum enim est *ex c. cum ordine de rescript.* Cistercienses Monachos hoc jus obtinere, ut nullo rescripto Papali contra eos impetrato teneantur, nisi in eo fiat specialis mentio illius Ordinis. Consimile, immò in ampliori forma, Privilegium habent Monachi Casinenses ab Eugenio IV. *Constit.* 58. §. 21. *in Bullar. Casinens.* & *Constit.* 61. per totam, & *Constit.* 64. §. 22. & *Constit.* 68. per totam, & *Constit.* 75. *num.* 2. & a Leone X. *Constit.* 129. §. 3. & 25. & a Paulo III. *Constit.* 156. §. 8. & a Paulo V. *Constit.* 266. *in eodem Bullario*. In Bullario item Ordinis Prædicatorum jussu Pauli IV. in authenticam formam redacto per Franciscum de Albericis, Auditorem Cameræ, habetur *fol.* 107. Constitutio specialis Eugenii IV. quæ incipit: *Sacræ Religionis sinceritas*, data 5. Idus Aprilis anno 1439. in qua eidem Ordini conceditur, ne Privilegiis, indultis, gratiis, eidem Ordini concessis, aut concedendis per Sedis Apostolicæ literas præjudicetur, aut præjudicari possit, nisi literis, Privilegiis, facultatibus, & indultis ejusdem Ordinis, ejusque fratrum, domorum, &c. fiat expressa mentio. Hujus Privilegii mentionem facit Casarub. *v. Privilegia fratrum §. 6. lib.* 4. *controv.* 8. *cap.* 1. *num.* 22.

Pariter Paulus III. *in Constit.* 48. *Decet debitum* in Bul- 8
lario Romano, data 15. Kalend. Novembris anno 1540. §. 42. decernit, quod concessa per eum illa Constitutione ad favorem Societatis Jesu, præsertim exemptio a jurisdictione Episcopali §. 13. sub nulla revocatione, aut derogatione, limitatione, aut contraria dispositione comprehendantur. Præmonstratenses quoque Monachi, & Religio S. Antonii Viennensis haud dissimili gaudet Privilegio, quod habetur in Constitutione Urbani VIII. mox citanda. Aliis etiam Ordinibus id ipsum concessum fuisse legitur apud Casarub. *v. Privilegium*, & Mirandam *part.* 2. *quæst.* 45. *num.* 6. Lezanam *eod. v. num.* 21. & *seq.* Hujusmodi autem Privilegia virtute Privilegii communicationis Privilegiorum communia sunt omnia regularibus, quia est concessum per verba generalissima, & ampliss imas clausulas, ideoque comprehendit etiam, quæ difficilè conceduntur, etiam præjudicialia, Rota *dec.* 3. *num.* 3. 4. & 5. *part.* 4. *tom.* 2. *rec.* & *dec.* 337. *num.* 13. & 14. & coram Royas *dec.* 327. *num.* 3. Estque notandum, quod præfata Privilegia, quæ inducunt formam servandam in futuris dispositionibus, ac derogationibus comprehendunt expresè futuras dispositiones, etiam ex certa scientia, & motu proprio emanatas.

Secundò, quia non procedit, quando Privilegium con- 9
tentum in corpore juris extra illud sæpissimè per specialia rescripta emanatum, sæpius, ac sæpius confirmatum fuit. Tale enim Privilegium, licèt insertum in corpore juris, non revocatur. Geminatio namque, ac multò magis multiplicatio rescriptorum Papæ super eadem re, operatur, ut confirmatio, licèt data in forma communi, censeatur data motu proprio, Tusc. *tom.* 4. *concl.* 28. *num.* 55. Et rescriptum geminatum ex hoc continet virtutem clausulæ derogatoriæ, *non obstantibus*, & *ex certa scientia*, &c. ut per Felin. *in d. c. nonnulli num.* 4. Unde præcipuè considerandum est, quod multiplex ejusdem rei concessio, ac reiterata ejusdem Privilegii confirmatio est signum evidens, nedum certæ scientiæ in concedente, sed etiam deliberationis plenæ, ac firmæ voluntatis, *l. si mulier, C. ad Vellejan. C. si quis iratus* 2. *quæst.* 3. ubi Glos. *v. iterare*. Et ideò actus geminatus, multòque magis sæpiùs, ac sæpius multiplicatus est fortior, Felin. *d. numer.* 14. Cùm igitur Summi Pontifices Privilegia Regularium, & præcipuè Privilegium exemptionis tot tantisque iteratis rescriptis concesserint, & concessum confirmaverint, non est verisimile, nec præsumi potest, quod illi velint derogari, si nullam illius mentionem faciant.

Et quidem hac in re cessabit omnis quæstio, si anim- 10
advertatur, quod ubi nova dispositio non habet clausulas derogatorias, attendi debet, an nova dispositio sit antiquiori contraria. Nam, ut nova dispositio deroget priori, necessarium omninò est, quod sit illi contraria, *l. Sed & posteriores*, & *l. non est novum*, §. *de leg. c.* 1. *de Const. in 6.* ubi Glos. *v. priorem*, Jo: Monach. *num.* 2. Archid. *n. item* 2. Anchar. *num.* 7. Gemin. *n.* 5. Franch. *n. etiam* 5. Prob. ad Monach. *num. pariter* 5. Bartol. *in l. Omnis in 3. qu. ff. de just.* & *jur.* Martinez *part.* 2. *qu.* 97. *dub.* 1. *concluf.* 1. Suarez *de legib. lib.* 5. *cap.* 25. Aut igitur nova dispositio, per quam asseritur derogari Privilegio exemptionis, est manifestè contraria eidem Privilegio, & tunc locum respectivè habere debent superius dicta. Aut contrarietas non est manifesta, sed dubia, & tunc certum esse debet, quod Privilegio non derogetur. Primò, quia quoad fieri potest, contrarietas in dispositionibus, ac legibus vitanda est, *l. ubi repugn. ff. de reg. jur. c. cum expediat*, ibique Doctores *de elect. in 6.* Unde omnis rationabilis interpretatio fieri debet, ut concilietur legum contrarietas. Sic enim juris regula est, quod derogatio est stricti juris, strictæque interpretationis, Rota *dec.* 23. *n.* 19. & *dec.* 384. *n.* 39. *p.* 5. *rec.* & *dec.* 1582. *n.* 10. coram Pegna, & *dec.* 48. *n.* 18. coram Durano. Quare non censetur derogatum, nisi quod expresè deducitur vel quod ex necessitate infertur, Pegna *loc. cit. n.* 11.

Deinde quia Privilegiatus virtute Privilegii acquirit 11
jus, & materia exemptionis acquirit libertatem a jurisdictione, ac subjectione Episcopali, & sic libertas hujusmodi est propria exempti, qui super illam habet, quasi dominium. At verò certi juris est, quod ita nova dispositio, ac præcipuè novum rescriptum, aut Privilegium interpretationem accipere debeat, ut non præjudicet Tertio. Princeps autem nunquam censetur derogare juri Tertii, Seraphin. *dec.* 351. *num.* 7. Gratian. *cons.* 158. *num.* 28. Maximè ubi præjudicium non est leve, Soccin. jun. *cons.* 76. *n.* 105. *lib.* 1. quo stante, Privilegium nullum dicitur, Panorm. *in cap. penult. num.* 8. *de Cler. non resident.* Anchar. *num.* 3. Cardinal. *in* 3. *quæst.* Propterea

Doctores asserunt improprianda esse verba dispositionis Principis, nec contineant Tertii præjudicium, Felin. *in cap. causam quæ num. 19. de rescript.* Jason. *in l. fin. num. 21. ff. de Const.* Rub. *ad decis. 666. num. 70. part. 4. tom. 3. recent.* Quæ interpretatio sumenda est, etiamsi Princeps procedat motu proprio. Quia non censetur adimere jus Tertii, sed illud præservare, ut post Parisium, Hondedeum, Ruinum, & alios firmat Rota in Romana Dotis 4. Februarii 1642. coram Dunozetto. Immò potius præsumenda est in Principe oblivio, vel quod rescriptum sit falsum, quàm quod voluerit tollere jus Tertio quæsitum, Panorm. *in cap. ex part. 2. num. 7. & fin. de offic. delegat.* Menoch. *de præsumpt. lib. 2. præsumpt. 9. num. 9.* Gonzal. *ad reg. 8. Cancel. Glos. 28. numero 10.* Gratian. *discept. 730. num. 32.* Idque maximè si revocatio Privilegii inferat præjudicium immediatè subjectioni ad Sedem Apostolicam.

3 Ubi igitur in nova dispositione deficiunt contrarietas manifesta ad Privilegium, & clausulæ derogatoriæ, manifesti juris est, quod illa non derogat priori dispositioni in corpore juris contentæ, ac pluries per literas Apostolicas comprobatæ.

CONSULTATIO CVIII.

An Episcopus eligere possit Regularem in suum Vicarium Generalem sine licentia ejus Superioris?

An Regulares in audiendis Sacris Confessionibus dependeant omninò a suis superioribus?

Anve prædicare possint absque licentia suorum superiorum?

1 AD primum negativè. Nam Regularis non potest assumi in Vicarium, etiam ab Episcopo, sine licentia sui Superioris, ut habetur expressè definitum a Sancto Gregorio in suo Constituto, ibi: *nullumque Monachum sine testimonio, vel concessione Abbatis in aliqua Ecclesia teneat, vel ad aliquem promoveat honorem.* Nec hodie Sacra Congregatio super Episcopis, & Regularibus permittit, Regulares esse Episcoporum Vicarios, ut testantur Lauret. de Franch. *quæst. 122. num. 1.* Peyrin. *ad Constit. 4. Sixti V. §. 10. num. 34.* Præsertim Religionis mendicantis, sive strictioris non mendicantis. Alii verò secundùm aliquos possunt creari Vicarii, dummodò adsit consensus suorum Superiorum, natalium defectu non laborent, habeantque cætera requisita. At dicta Sacra Congregatio id non probat. Tum quia non decet, eos extra Claustra degere, nec possunt ex Constitutione 60. Clementis VIII. §. 19. Tum quia justitiam a Jurisconsultis potius, quàm a Theologis administrari convenit. Ita scripsit Episcopo Caputaquensi 17. Decemb. 1691. Nisi cum aliis requisitis habeant etiam licentiam Apostolicam degendi extra Claustra, ut in eadem Caputaquensi 17. Novembris 1593. Vel nisi sit Abbas, qui habeat jurisdictionem quasi Episcopalem in personas sæculares. Hic namque potest deputare Vicarium Monachum Jurisperitum. Quod si talem non habeat, debet tenere Vicarium Clericum sæcularem, Doctorem. Sique id minus fieri possit, poterit assumere Vicarium Monachum non Doctorem, dando ei Doctorem pro Assessore, sine cujus consilio nihil agere possit, quod requirat altiorem indaginem. Eadem Sacra Congregatio 23. Decemb. 1603. & in nullius Tramutola 21. Novembris 1605. quæ aliquando concessit licentiam assumendi Regulares in Vicarios Episcopales Monachos Cœlestinos, & Dominicanos, ut in Puteolana 3. Februarii 1593. & Vestana 15. Novembris 1606. Et Vicarius Patriarchæ Latini Constantinopolitani solet esse Regularis ex minoribus Observantibus ex eadem Sacra Congregatione 22. Decembris 1618.

2 Ad secundum. Affirmativè. Quod adeò verum est, ut Regularis approbatus ab Episcopo ad audiendum Sacras Confessiones, nulla præcedente licentia, sive approbatione sui Superioris, nulliter Confessiones audiat. Nam Ordinarii non habent facultatem approbandi Regulares ad Sacras Confessiones, nisi servata forma Clementinæ dudum, *§. statuimus de sepultur.* & tradunt Suarez *tom. 3. de relig. tract. 10. lib. 9. cap. 2.* Pasqualig. ad Lauret. de Franch. *par. 1. num. 1442. & 1447.* Coton. *lib. 2. controvers. 7. num. 83.* Passerin. *tom. 2. de stat. hom. qu. 187. num. 1. cap. 121. & seqq.* qui *num. 223.* advertit, quod Regularis, invito Prælato suo, est incapax recipiendi jurisdictionem pro audiendis Sacris Confessionibus. Unde, si Prælatus Regularis sit invitus, nulla est Episcopi approbatio, Fagundez *ad præcept. Eccles. lib. 7. cap. 3. numer. 32.* Necessaria enim solùm est Regulari ad sæcularium Sacras Confessiones audiendum Episcopi approbatio in terminis *dict. Clem. dudum*, & Sacri Concilii Tridentini *sess. 23. cap. 15. de reform.* Qua quidem habita, Regulares ab alio non dependent, cùm ex jure non teneantur habere, nisi approbationem sui superioris, & Episcopi.

Ad tertium. Prohibentur Regulares concionari absque licentia suorum superiorum ex Concilio Tridentino *sess. 5. cap. 2.* & tradunt Navar. *in summ. cap. 25. num. 141. & 143.* Lezana *in sum. tom. 1. cap. 20. num. 1.* Barbos. *de offic. Episcop. allegat. 76. num. 8.* Pax Jordan. *lib. 6. tit. 1. num. 87.* Anton. a Spiritu Sancto *part. 1. tract. 2. disp. 3. num. 141.* Bassæus *v. Prædicator num. 4.* Passer. *loc. cit. art. 1. num. 1034.* Ac præter hujusmodi licentiam requiritur in Regulari pro prædicatione habenda in propria Ecclesia benedictio Episcopi, & pro aliena Ecclesia licentia Episcopi ex eodem S. Concil. Trident. *loc. cit. & sess. 24. cap. 4. de ref.* De qua re nos alibi fusiùs. 3

CONSULTATIO CIX.

Iterum. Quomodo probetur, præsertim a Regularibus, fuisse paritum Brevibus, aut Decretis Apostolicis?

POterit id probari ex attestationibus gravium virorum, præsertim in Curia existentium. Et quamvis ex Regula fides non faciat fidem, id tamen procedere non videtur, quando attestationes sunt subscriptæ a viris egregiis, quibus credendum est per textum *in can. nobilissimus d. 97.* Lap. *alleg. 32. numer. 3.* Roman. *consil. 59. num. 6.* Ut de attestatione Præpositi Theatinorum firmavit Rota *dec. 325. num. 1.* coram Mantica. De attestatione extrajudiciali Rectoris Societatis Jesu in Avenionensi simulationis 9. Januarii 1635. coram Panzirolo, *& decis. 594. num. 17. part. 5. tom. 2. rec.* Præsertim, si attestatio est ejusdem personæ, cui aliàs in re graviori fides adhibita fuit, juxta ea, quæ tradit Bald. *in l. Si quis testibus num. 1.* Sitque plurium Virorum. Nam attestationes inter se coadjuvantur, & una ex altera robur accipit, ut tradit Rota in Melevitana Commendæ 3. Julii 1645. *§. Sed his non obstantibus*, coram Bichio. Ac præcipuè si Viri, qui id testantur degant in Curia. Ab iis enim facilius, clariusque veritas haberi poterit, & operatur, ut libentius hujusmodi attestationibus credatur, Rota in Aretina Commendæ coram Seraphino *dec. 755. num. 3.* & in Caurienſi præstimonii coram Pegna *decis. 230. num. 2.* typis Lugdunensibus. 4

Item nec videtur habere locum in Tribunali, quod procedit, inspecta æquitate naturali, & quod potest judicare secundùm conscientiam suam, Farinac. *de testib. quæst. 72. num. 59. ac seqq.* Nec quando contenta in dictis attestationibus sunt verisimilia apud idem Tribunal, Farinac. *loc. cit. num. 70.* & Add. ad Gregor. *decis. 204. lit. B.* Neque in Sacra Congregatione super Episcopis, & Regularibus, quæ procedit extra Ordinem, ac sine processu, ut ait Lezana *in Summ. v. Congregatio num. 15.* ubi quod vigore Bullæ Sixti V. datur illi facultas decidendi controversias inter Regulares exortas sine forma judiciali, solumque in illa attenditur veritas, & æquitas, nec proceditur per apices juris. Quinimmò, non existente lite, ac processu, Testes nulliter examinati sustinentur ex Rota *decis. 827. numero 4.* coram Buratto. 5

Eoque præsertim, si Judex, a quo tanquam suspectus denegaverit acta causæ, ne transportari possent ad Sacram Congregationem. Quod probari pariter poterit ex attestatione, & præsumitur id feciſſe ad instantiam partis adversæ, interesse habentis. Ex quo sequitur, quod eadem acta originalia habeantur pro productis, & non requiratur transportatio illorum, adhibeaturque fides cuicumque scripturæ informi, quæ aliàs non probaret, ut in specie tradit Rota coram Buratto *decis. 416. num. 3. & seqq.* 6

Quinimmò ex eo solùm, quod Judex noluerit dare copiam actorum, ut haberi posset recursus ad Sedem Apostolicam, sufficit ad faciendum probationem concludentem juramentum procuratoris instantis sine aliis attestationibus. Nam quoties aliquis non exhibet illud, quod exhibere tenetur, statur juramento instantis, per text. *in §. Si ad exhibendum*, ubi Glos. & Doctores *Inst. de offic. Jud.* & in hac specie scripturarum non exhibitarum probant adducta per Ridolph. *in prax. par. 3. cap. 2. num. 166. & seqq.* 7

Atque, itaut non obstet, si dicatur, non fuisse paritum Brevibus, aut Decretis voluntariè, sed coactè. Quia voluntaria paritio non requiritur, maximè in foro fori, & quando Judex illa exequutioni demandaverit. Immò in hoc casu potest haberi recursus ad superiores pro justitiæ complemento. Et quia paritio, etiam coacta, sufficit, cùm voluntas, etiam coacta, voluntas sit, per

text.

text. *in §. per traditionem Inſt. de rer. diviſ.* Azor. *in ſum. C. lib.* 2. *tit.* 20. *num.* 7.

6 Quod ſi aliqui fuerint excommunicati, ex quo parere noluerint, antequam deveniretur ad exequutionem ob contumaciam in non obediendo, id dici non poterit, niſi contra illos, quos in ſpecie probaretur fuiſſe perſonaliter, ac legitimè citatos, ut per Rotam *dec.* 17. *num.* 2. *& dec.* 109. *num.* 12. coram Buratto, quorum reſpectu dari debet abſolutio ad cautelam, cum reincidentia, ut audiantur. Reſpectu verò aliorum, qui vel non fuerunt citati, vel ſe non oppoſuerunt exequutioni, non eſt neceſſaria abſolutio aliqua. Nam delictum unius alteri imputari non debet, & culpa ſuos debet tenere authores, & non alios ex vulgari *l. Quemadmodum, ff. de noxal. act.* Nec ulterius contra eos progreditur, qui procul ſunt a calumnia, Farinac. *de delict. & pœn. qu.* 24. *num.* 1. *& ſeqq.* ubi ampliat etiam in Patre, qui non tenetur pro delicto filii; minuſque delictum perſonæ poteſt præjudicare Eccleſiæ, vel Provinciæ, quominus juſtitiam ſuam exquirere, ac proſequi poſſit, *cap. pervenit de arbitr. & cap. quia de teſtam.* & utrobique Gloſſa, & Doctores.

CONSULTATIO CX.

An, & ex quibus, maximè Provincialis, aliuſve Superior Regularis ſuſpendi poſſit ab officio, aut eo redintegrari? Quid ſi ei renuntiaverit? Quidve de caſſatione ejus electionis, & de celebratione novi Capituli, & nova in eo miniſtrorum electione?

1 PRimò, ex ſimonia, ſi de ea contra Provincialem ſit inquirendum, quæ cùm cadat ſuper ipſo officio Provincialatus, nempè ad illius confirmationem aſſequendam, interim debet ab eo ſuſpendi, ad text. *in cap. licèt Hely §. qui verò de ſimon. in can. quia* 3. *quæſt.* 2. *& l.* 2. *C. de decur.* Luc. de Penna *in l. Judicem Cod. de dign.* Pariſ. de Put. *de ſyndic. tit. de offic. ſynd.* Etenim ſatis eſt ſuſpicio criminis, ut ab adminiſtratione ſuſpendi poſſit, Abb. *in d. c. licèt Hely n.* 9. *&* 18. *in fine, & in c. inter n.* 1. *de purg. & in c. ſi Clerici n.* 31. *&* 33. *de jud.* Jo: Andr. *in c.* 1. *de accuſat. in* 6. Foller. *in pr. crim. can. c.* 34. *n.* 17. *&* 25. & Farin. *conſ. crim.* 25. *num.* 58. *lib.* 1.

2 Immò ex hoc ſolùm, quod eſt conficiendus proceſſus contra exercentem juriſdictionem, & ſubditos habentem, debet omninò ſuſpendi, ut liberè abſque metu procedat, ut ex pluribus probat Grammat. *conſ.* 10. *num.* 2. *& ſeqq.* quem ſequitur Lancellott. *de attent. part.* 2. *cap.* 5. *numer.* 17. Unde ſi Prælatus, & Officialis cùm pleno jure ſuſpendi poteſt ante formationem proceſſus, multò magis poterit ſuſpendi qui nondum eſt confirmatus. Nam jus ex ſola electione eſt tenue, revocabile, & imperfectum, *cap. nihil eſt de elect. & cap. qualiter, & cap. cum duobus eod. tit.*

3 Præſertim ſi ab hac ſuſpenſione ſibi notificata non appellaverit, prout nec appellare poterit, ſaltem ad effectum ſuſpenſivum juxta peculiarem facultatem quorumdam Generalium, ut Generalis Sancti Auguſtini conceſſam a Sixto IV. ac relatum a Sorbo *in compend. privil. v. Generalis num.* 11. *&* 12. & Barboſ. *in cap. ad noſtram num.* 3. *& vot.* 3. *num.* 68. *lib.* 1. qui etiam ex juris communis diſpoſitione *num.* 61. *& ſeqq.* oſtendit, quod a ſimilibus ſuſpenſionibus ab officio Provincialatus non datur appellatio ſuſpenſiva.

4 Nec hujuſmodi ſuſpenſio poterit prætendi attentata ex appellatione, ſi appellatio fuerit interpoſita a perſona non habente mandatum procuræ, nec concurrerit aliqua ratificatio, quo caſu perindè eſt, ac ſi non fuiſſet interpoſita per text. *in l. Quoties ff. qui ſatisdar. cog. l.* 1. *§. de appell.* Rota *dec.* 267. *num.* 15. *part.* 2. *rec.* & plenè in Peruſina bonorum 23. Julii 1651. coram Celſo *§. facilius verò*. Vel ſi fuerit interpoſita poſt decem dies. Poſt eos enim non poteſt amplius appellari *auth. hodie C. de appell. l.* 1. *§. Quod in ſententia ff. quando appell.* ac Rota *dec.* 61. *num.* 1. *& dec.* 289. *num.* 47. *part.* 6. *rec.*

5 Vel ſi appellatio nunquam fuerit deducta ad notitiam Superioris Regularis. Unde rectè procedi poterit ad ſuſpenſionem abſque ullo ſcrupulo attentatorum, per text. *in cap. ſi duobus de appellat.* Specul. *de appell. §. noviſſimè num.* 2. Card. *in Clem.* 1. *v. ſextus caſus de ſeqq. poſſeſſ.* & alios, quos refert, ac ſequitur Lancellot. *de attent. part.* 2. *cap.* 12. *limit.* 36.

6 Suſpenſio igitur ab officio facta, donec cauſa terminetur, excludit Provincialem, aliumve a redintegratione, quando cauſa criminalis nondum eſt terminata, immò nec inſtructa.

7 Præſertim ſi Provincialis ſpontè, ac liberè renunciaverit Provincialatui, licèt ejus renunciatio non fuerit accepta a Superiore, ſi tamen facta fuerit ante confirmationem electionis juxta communem Doctorum diſtinctionem, ſecus ſi facta fuerit poſt confirmationem. Tunc enim ſine Superioris acceptatione non valeret, atque ita procedunt Doctores contrarii. Facta autem ante confirmationem ſine acceptatione ſuperioris ſubſiſtit, ut per Gloſ. *in capit. ſi electio, vel renunciatio de elect. in* 6. ubi Gemin. *numero* 5. Franch. *numero* 3. Pariſ. *de reſignat. lib.* 2. *quæſt.* 1. *numero* 78. Rota *deciſ.* 6. *numero* 1. *de elect. & dec.* 8. *num.* 3. *de jurepatr.* ubi Doctores Communiter.

Et non oſtendatur, Provincialem receſſiſſe a renun- 8
ciatione. Quo caſu, etiamſi renunciatio indigeret acceptatione Superioris, adhuc tamen neceſſe eſt, oſtendere renunciantem pœnituiſſe, & renunciationem revocaſſe; Unde nemo poteſt ſuper hoc abſque ſpeciali mandato audiri, cùm a ſolo animo renunciantis hæc mutatio voluntatis habenda ſit, per Gloſſ. *in l. Idem Pomponius §. fin.* ubi Bart. & Angel. *de rei vindic.* Alex. *conſ.* 78. *num.* 14. *lib.* 5. Bald. *conſ.* 27. *lib.* 2. Surd. *conſ.* 281. *num.* 32. ac Rota *dec.* 145. *num.* 8. *& 9.*

Nec ſuffragaretur, ſi poſt renunciationem procedere- 9
tur ad ulteriora in inquiſitione, ac ipſemet ſuſpenſus appellaret a deputatione Regularis in Rectorem Provinciæ. Quoniam hæc ſunt res penitus diſtinctæ, nempè renunciatio ſpontanea, & inquiſitio ex officio facienda a Judice confirmatore, adeòut etiamſi renunciatio eſſet valida, non tamen impediret, quin ipſe Judex poſſit, ac debeat inquirere veritatem, & ad ulteriora procedere, ut in his terminis firmat Sigiſmund. a Bonon. *de elect. part.* 1. *dub.* 39. *num.* 8. *&* 10. & Barboſ. *de jur. Eccleſ. lib.* 1. *cap.* 19. *num.* 240. Et notandum eſt cum Mirand. *in prax. crimin. can. qu.* 3. *art.* 1. *in fin.* & cum Barboſ. *d. vot.* 4. *num.* 63. quod modò minor cauſa requiritur, immò quod quæcumque ſufficit, ubi agitur de officiis Regularibus, præſertim dum ante confirmationem non agitur de tollendo jure quæſito, ut ad rem ponderat Donat. *tom.* 2. *tract.* 7. *de confirm. elect. quæſt.* 14. *num.* 5.

Non poterit ergo prætendi aliqua redintegratio ex 10
ſpolio, ſi renunciatio eſt valida. Immò & per eam renuncians ſponte cecidit a ſua poſſeſſione, ſi quam habebat, Pont. *de ſpol. lib.* 3. *cap.* 2. *num.* 9. Rota *dec.* 4. *num.* 1. *de renunc. in nov.* & Caſſad. *dec.* 4. *num.* 10.

Sententia pariter caſſationis electionis Provincialis ex- 11
cludit ejus prætenſam redintegrationem, ſi valida ſit. Eritque valida ſi Judex confirmator, antequam ad illam deveniat, ſolùm ex officio inquirat extrajudicialiter. Nam in cauſa confirmationis proceditur ſine figura Judicii, ut decernitur expreſsè *in cap. indemnitatis §. ſanè de elect. in* 6. per hæc verba: *Sine ſtrepitu Judicii, & figura per Superiorem inquiratur primitus, antequam confirmetur, vel etiam infirmetur. Et in Clem. ex jure de verb. ſignificat. §. Demum*, ubi Gloſs. *in* 5. *not.* advertit, in confirmatione Provincialis non procedi judicialiter; Unde quod ſufficiat etiam habere cauſam extrajudicialem, ex eo, quia non agitur ad puniendum, ſed ad excludendum, tradunt communiter Doctores *in cap. poſtquam de elect. & in cap.* 1. *de poſtul. Prælat.* Lavor. *tom.* 1. *var. tit.* 4. *cap.* 25. *num.* 59. Bagnes *de juſt. & jur. quæſt.* 67. *art.* 2. *in reſp. ad reſp. ad* 2. *arg.* Barboſ. *de jur. Eccleſ. lib.* 1. *cap.* 19. *num.* 255. qui ita in praxi ſervari teſtatur Donat. *in prax. tom.* 2. *part.* 3. *tract.* 9. *quæſt.* 6. *num.* 2. *& quæſt.* 9. *num.* 8. *&* 10. ac Rodriquez *tom.* 2. *quæſt. regul.* 52. quem defendit Sigiſmund. *loc. cit. dub.* 44. *n.* 12. ubi invehitur in Mirandam, qui contrarium oſtendit.

Idque præcipuè, ſi extet Conſtitutio particularis Or- 12
dinis, quæ ſtatuat tempus decem dierum tantùm a die petitionis confirmationis ad confirmandam, vel infirmandam electionem. Hoc enim caſu non poteſt procedi, niſi per inquiſitionem extrajudicialem, cùm in tàm brevi termino ſit impoſſibile in partibus habere probationes judiciales, ac proceſſum formalem conficere, electum examinare, aliaque facere ad terminum, &c. & ſervatis ſervandis de jure in judicio formali.

Ac ita, ut ne poſſit quidem controverti validitas caſ- 13
ſationis electionis ex eo, quod forſitan ſervata non fuerit forma præſcripta a Sacra Congregatione, ut ſcilicet Pater Generalis Proceſſum conficeret, ac procederet ad pœnas, prout de jure. Nam caſſatio electionis non eſt pœna, ſed ſimplex excluſio. Satis eſt ergo, quod in caſſatione procedatur, prout de jure. Quia reſcriptum, etiamſi non haberet clauſulam, *prout de jure*, adhuc tamen intelligitur, ut proceſſus fieret ſuper quibus de jure proceſſus eſt faciendus, & quatenus de jure requiritur, ad text. *in cap. cauſam quæ*, ibique Abb. & Dec. *in notab. de reſcript.* Gloſſ. *in can. paratus v. Si verò* 23. *quæſt.* 1. & egregiè Rota *dec.* 25. *num.* 2. *part.* 1. *recent.*

Nec modus procedendi ſuper caſſatione impedit modum procedendi ſuper punitione. Ideòque nihil ageretur contra reſcriptum, cùm unus modus procedendi alium non impediat, ex traditis a Fagnan. *in cap. qualiter & quando num. 39. de accuſ.*

14 Secundò, ex irregularitate propter homicidium commiſſum, etiam ante pubertatem, & abſque dubio in undecimo, vel duodecimo ætatis anno, ut per Abb. *in cap. exhibita num. 2. homic.* Gloſſ. *in Clem. unic. v. infans eod. tit.* Majol. *de irregular. lib. 7. cap. 43. num. 1.* Perez *lib. 1, gloſſ. 1. part. 3. tit. 1. lib. 5. ord.* Gavant. *in aphor. Epiſc. v. Irregularitas*, Præpoſ. *in 3. part. quæſt. 5. de irreguar. dub. 10. numer. 76.* malè reclamante Joanne Sanchez *in ſelect. dub. 3. alleg. 1.* Nam loquitur contra communem, ac tutiorem ſententiam, nec rectè allegat Avilam, & Henriquez, qui id non aſſerunt, & opinio contraria videtur erronea, & communiter rejecta, cùm ſolùm infans, & minor ſeptennio, qui non eſt doli capax irregularitatem ex delicto non incurrat, ſicque aliquem occidat, ut *in Clement. unic. de homicid. volunt.* Et quod pueri grandiuſculi, etiam ante pubertatem, cùm ſint doli capaces, ſint propter homicidium irregulares, niſi penitus vacent culpa, firmant communiter Doctores *in cap. exhibita eodem titul.* nominatim Abbas *numer. 2.* dicens, quod tenentes contrarium, loquuntur de infantili ætate, quæ quidquid videt, ignorat, idemque tradunt *ibidem* Felin. *in princip.* ac Butr. *num. 5.* & habetur *in cap. 10. de delict. puer.* ibique Oſtienſ. *num. 5.* ponens exemplum de puero cultrum projiciente, quo aliquis occiditur, dicitque de hoc effici irregularis, etſi animum occidendi non habuerit. Quod repetit *in cap. 2. num. 2. in fine*: Adducitque exemplum in puero decennii, qui eſt doli capax. Et de veriori ſententia teſtantur Majol. *de irregularit. lib. 5. cap. 48. num. 11.* Inquiens verius, ac tutius eſſe, quod major ſeptennio propter homicidium fiat irregularis, licèt facilius obtineri ſoleat diſpenſatio propter imperfectionem conſilii. Et poſt alios idem tenet Pelizzar. *in manual. regul. tom. 2. tract. 7. cap. 5. ſect. 1. quæſt. 8. num. 11.*

15 Irregularitas autem ex homicidio ita eſt impedimentum Canonicum, ut electio ſubſequuta irrita ſit, nec ſit confirmanda, ut latè Navarr. *in manual. cap. 27. numero 251.* Caſtellin. *de elect. cap. 11. num. 19.* Paſſerin. *eod. tract. cap. 25. num. 315.* ubi fusè probat, electionem de irregulari factam non eſſe ipſo jure irritam, ſed tamen caſſandam.

16 Certumque eſt, irregularitatem, quæ ex delicto provenit, nullatenus per profeſſionem in Religione emiſſam tolli, *cap. 2. de apoſt.* ubi Gloſs. *v. Religioſus*, Oſt. *num. 6.* Butr. *num. 13.* Cardin. *numer. 2. in 5. oppoſ.* Anchar. *num. 4. in 1. oppoſ.* Abb. *numer. 6.* Anan. *in fin.* & tradunt Sylveſt. *v. Irregularitas quæſt. ult.* Navarr. *com. 2. de Regular. num. 60.* Covarr. *in Clem. ſi furioſus par. 1. §. 2. de homic.* aliique communiter. Quinimmò hæc irregularitas adeò regularem reddit inhabilem, ut ejus electio ſit nulla ipſo jure per *cap. Si eo tempore de reſcript. lib. 6. cap. 15. qui de ſentent. excommun. pariter in 6.* Peyrin. *de Prælat. quæſt. 5. §. 3. num. 44. & ſeqq.* & Barboſ. *de jur. Eccleſ. lib. 1. cap. 19. num. 24. & 29.*

17 Neque mors occiſi excuſari poterit, quod non fuerit ſequuta ex vulnere, ſed ex defectu medicaminis, & culpa medici, niſi quando vulnus illatum non eſſet lethale, ſed adeò leve, ut nullo, aut modico medicamine vulneratus poſſet liberè ſanus evadere, ut declarat Henriquez *in ſumm. lib. 14. de irregular. cap. 3. num. 4.* Covarr. *eodem tit. part. 2. §. 2. num. 9.* dicens, quod aliàs conſiderabilis non eſt negligentia in medicamine, cùm ipſum vulnus directè, ac per ſe mortem intulerit, & ad id optimè expendit textum *in cap. exhibita de homicid. vo'unt.* in quo fuit conſiderata medicantis imperitia, & nihilominus omnes ibi concludunt, quod ſolus culpæ defectus in vulnerante aptus eſt excuſare ab irregularitate. Et licèt Caſtropal. *de cenſur. diſp. 6. punct. 15. §. 5.* videatur de hac opinione dubitare, ſe tamen declarat, quod illa tutò procedit, quoties vulnus fuit tale, ut proximam morti cauſam præbuerit. Et in dubio concludit, quod mors ſubſequuta ſit tribuenda vulneri, non autem intemperantiæ vulnerati, vel negligentiæ medici, maximè dum intra breve tempus contingit. Unde quod vulneratus obierit defectu medicaminis probari debet, alioquin ex præſumptione juris præſumitur, illum deceſſiſſe ex vulnere, ſi intra paucos dies deceſſerit, Farinac. *in prax. part. 5. quæſt. 127. num. 24.* ac Boer. *deciſ. 323. num. 11.*

18 Minuſque excuſari poterit irregularitas, quod homicidium dicatur fuiſſe commiſſum ad propriam defenſionem, vel quod per longi temporis ſpatium fuerit præſcriptum, aut in eo fuerit diſpenſatum. Nam quod homicidium faerit patratum ad propriam defenſionem probari etiam debet, alioquin contrarium præſumitur, ſi non conſtiterit occiſum offendiſſe, aut voluiſſe offendere occiſorem, aut ſi mortiferum vulnus dorſo inflixerit: Ad irregularitatem autem incurrendam ſatis eſt excedi moderamen inculpatæ tutelæ, *cap. ſignificaſti*, ubi Gloſſ. & Doctores *de homicid.* Farinac. *quæſt. 125. numer. 418.* & vulgò alii.

Præſertim autem ſi quis ob levem cauſam, ob temporalium ſcilicet rerum conſervationem, aliquem interfecerit, aut occaſionem mortis præbuerit, irregularis efficitur per notata *in c. ſuſcepimus de homic.* Navar. *in manual. cap. 10. num. 30.* Sylveſt. *v. excommunicatio 16. qu. 1.* Doctores verò tenentes contrarium, loquuntur in furе nocturno, aut latrone. Unde verior, ac tutior opinio eſt, quod ſola bonorum defenſio nullatenus excuſet ab irregularitate, ut mordicus defendit Fagnan. *in cap. Interfeciſti num. 17.* & latius *in cap. ſuſcepimus num. 12. de homicid.* 19

Nec ulla poteſt allegari præſcriptio, ſi noviſſimè pervenerit ad notitiam. Nam præſcriptio incipit a die notitiæ, præſertim in delicto patrato in loco campeſtri, quod eſt difficilis probationis, juxta diſtinctionem relatam a Farinac. *quæſt. 10. num. 12.* 20

Minus etiam ſuffragaretur diſpenſatio Sacræ Pœnitentiariæ. Nam illa reſtringitur ad forum internum tantùm ex his verbis, quæ in ea ſolent apponi: *Ita quod hujuſmodi abſolutio, ac diſpenſatio in foro judiciali nullatenus ſuffragetur.* Unde quoad forum externum hujuſmodi diſpenſatio inefficax eſt ex defectu voluntatis Pontificis, ut in ſpecie Navarr. *de judicio conſ. 4. num. 7.* Et multò minus ſuffragaretur diſpenſatio Superioris Regularis, ut per Navar. *conſil. 5. de privil. tom. 2. art. 7.* Sanchez *de matrimon. lib. 3. diſp. 26. num. 17. & lib. 8. diſp. 34. num. 4. & ſeqq.* Donat. *in prax. tom. 2. tr. 5. de elig. quæſt. 19. num. 3.* Minuſque ſuffragari poteſt diſpenſatio, quæ ſit a Superioribus ante electionem, ut probat Donat. *loc. cit. & tract. 4. quæſt. 45.* 21

Quod ſi dicatur allegari poſſe aliam diſpenſationem præſumptam, quæ ſuffragetur etiam quoad forum exteriorem, reſpondetur, hanc præſumptionem ceſſare, ſi reus ſe reſtrinxerit ad diſpenſationem Sacræ Pœnitentiariæ, ut præclarè quidem Rota in Gerundenſi beneficii 30. Aprilis 1640. *§. nec poteſt* coram Tarraconenſi, & in Romana ſubhaſtationis de Alexiis 15. Maji 1648. *§. Quia enunciativa* coram Decano. 22

Nec requiritur ſententia ſuper crimine, ſine qua irregularitas nullius conſiderationis eſt in foro exteriori; Nam id procedit ad effectum puniendi, ſecus autem ad incapacitatem ob irregularitatem, ut per Bonac. *de legib. diſp. 3. quæſt. 8. punct. fin.* Ricc. *in prax. part. 1. reſol. 81.* Theuſaur. *de pœnis Eccleſ. part. 1. cap. 29.* Merol. *tom. 1. de leg. diſp. 4. cap. 5. dub. 4.* Doctores verò, qui contra ſentiunt loquuntur de aliis criminibus, & ad alios effectus, non autem de homicidio reſpectu irregularitatis, Diana *part. 2. reſol. 69.* & in hoc caſu, in quo non proceditur judicialiter ſuper confirmatione, ſatis eſt habere cauſam etiam non probatam ordine judiciali. Et quod etiam irregularitas occulta impediat confirmationem electionis, docet Anan. *in cap. innotuit num. 2.* ubi ſic ait; *Nota, quod electus non debet tacere irregularitatem occultam, de elect.* & poſt eum Caſtellin. *eod. tit. c. 21. numer. 19.* aſſerens, quod etiamſi aliis irregularitas non innoteſcat, tenetur irregularis omninò recuſare confirmationem; Et quod irregularitas præbeat impedimentum, etiamſi fuiſſet ab ipſo impedito ignorata, probat Donat. *d. tom. 2. de elig. tract. 5. qu. 19. num. 2.* 23

Tertiò, caſſatio electionis comprobari poterit ex tranſmiſſione magnæ pecuniarum ſummæ pro obtinenda confirmatione. Ex hoc enim plura inſurgunt. Primum quod ipſe paupertatem profeſſus, non poterat peculium habere, nec de eo liberè diſponere, cùm reſpectu Religioſi includat proprietatem, quæ opponitur eſſentialiter voto paupertatis, per text. *in canon. dicatis 12. quæſt. 2. in cap. quando de offic. Ordin. & in cap. Monachi de ſtat. Monach.* ubi Fagnan. *num. 19. ac ſequentibus.* Non obiter tantùm, ſed ex profeſſo rem hanc pertractat, & tàm de jure communi, quàm ex Concilio Tridentino, ac Decreto Clementis VIII. & Sacræ Congregationis ſuper Epiſcopis, & Regularibus probat hujuſmodi peculium eſſe illicitum, etiam ex licentia Superiorum Regularium. 24

Secundum, ſi hanc pecuniarum ſummam tranſmiſerit propter confirmationem obtinendam, ideòque intellexit etiam confirmationem extorquere per ſimoniam, quæ ſatis probatur præſumptionibus, & conjecturis, *cap. per tuas*, ibique Abb. & alii *de ſimon.* quod ſemper ſequuta eſt Sacra Rota, ut teſtatur Spada *conſ. 111. numero 1.* 25

ubi

ubi plures adducit decisiones; idque, etiamsi non fuerit effectum sortita, solumque esset mentalis. Nam satis est, quod devenerit ad actum exteriorem, *cap. Tua*, & *cap. ult. de simon.* Barbos. *in collect. num.* 4. & *in d. cap. Tua num.* 5. Paris. *de resignat. lib.* 14. *quæst.* 7. *num.* 35. Et ex sola transmissione pecuniarum negari non potest, quin deliquerit contra Constitutiones Bonifacii VIII. Gregorii XIII. Clementis VIIII. *de dat. & promiss. pro just. & gratia*, sive *de largit. munerum*, quas refert Donat. *in prax. tom.* 1. *tract.* 16. Ricc. etiam *in prax. par.* 4. *res.* 81. Suarez *de leg. lib.* 5. *cap.* 9. *num.* 2. Item contra Constitutionem Alexandri VII. quam edidit super eodem argumento, in quibus præcisè præter alias pœnas §. 8. Constitutionis Clementis decernitur, quod contraveniens incapax in futurum ad quæcumque munia obtinenda existat, & privationem vocis activæ, & passivæ sine ullo Superioris Decreto, aut ministerio ipso facto incurrat, sicuti optimè præ aliis hanc inhabilitatem absque alia sententia firmant Ricc. *in prax. loc. cit.* Sayr. *lib.* 3. *clav. Reg. cap.* 9. *num.* 24. *cum plurib. seqq.* Bonac. *tom.* 2. *de leg. disput.* 1. *quæst.* 1. *punct.* 7. §. 2. *num.* 9. & Suarez *loc. cit.*

26 Non obstaret, si non probaretur exactio pecuniarum. Nam id potest quidem excusare ab incursu pœnarum Constitutionum eum, cui pecuniæ missæ sunt, non autem mittentem, qui quoad se Constitutionibus contravenit, & ipso facto inhabilitatem contraxit, præsertim ad effectum confirmationis obtinendæ, quam pecunia emere intenderat.

27 Quartò. Justitia cassationis electionis probaretur ex recursibus habitis ad Curiam sæcularem, de quibus pariter constare debet, saltem per sumptum extractum a Notario ex suis originalibus, & copiis authenticis, Cavaler. *decis.* 329. *num.* 2. ex quibus ipso jure incurritur in excommunicationem, *c. noverit*, *c. gravem de sentent. excommun. & in can.* 16. Bullæ, quæ legitur publicè quotannis feria quinta in Cœna Domini, ac itaut non suffragetur, quod recursus habuerit pro defendenda possessione. Ad hoc enim plenè, ac rectè respondet Rota in Jundensi beneficii 5. Aprilis 1604. coram Pegna apud Marches. *de commiss. part.* 3. *post* §. 2. *decis.* 14. *num.* 6. & 8. quæ est decisio magistralis in hac materia, & respondet ad omnes decisiones, quæ contra nonnunquam allegantur; Unde non obstat, quod talis recursus fuerit habitus pro tuenda justitia possessionis, & pro removendis violentiis. Quoniam hoc prætextu nullatenus comprobare poterit hujusmodi recursus, ut per Lezana *in Summ. v. exemptio Regularium num.* 15.

28 Notandum autem est, quod licèt recursus ad Judices laicos inducat privationem ipso jure: Certum tamen est ad hujusmodi effectum requiri, quod præcedat sententia declaratoria super facto ipso recursus, ut probant Sanchez, Castropalaus, & alii, quos in specie simili recursus refert, ac sequitur Rota *decis.* 83. *part.* 7. *recent.* quæ est decisio 908. *num.* 6. & 7. coram Merlino; Unde ad hujusmodi effectum requiruntur probationes certæ, & concludentes, ut firmat Rota *decis.* 309. *num.* 9. *part.* 7. *recent.* Comprobaretur ex facto ipso, si recursus pluries habiti fuerint non pro simplici auxilio, sed super ipsa cognitione suspensionis ab officio Provincialatus ex Decreto item Curiæ sæcularis, atque ex aliis, & sic absque dubio violatur Ecclesiastica libertas, ut tradit Rota *dict. decis.* coram Pegna, præsertim si non appellaverit, nec recursum habuerit ad Sedem Apostolicam, nisi postquam non potuerit aliquid obtinere a laico Tribunali. Et in specie quod sic recurrentes sint ipso jure excommunicati, latè probat Bellet. *disquisit. Cleric. part.* 1. *de favor. Cler. person.* §. 2. *num.* 21. ac plenissimè Farinac. *cons.* 78. *num.* 6. firmavitque Rota *decis.* 181. *num.* 1. & *decis.* 281. *post* 2. *volum. cons.* Farinac. & coram Caval. *decis.* 372. & 529. utrobique *num.* 1. & *decis.* 172. *num.* 3. *part.* 6. *rec.*

29 Celebratio quoque novi Capituli, & electio novi Provincialis, qui reperitur in legitima possessione, obstarent prætensæ redintegrationi, itaut depositus agere non possit, nisi illo vocato, & audito, ut ad partes disputando probat Donat. *de elect. tract.* 7. *quæst.* 14. qui loquitur in electione a Judice confirmatore facta intra tempus, pro quo primus erat electus. Ergo multò magis si tempus, pro quo Provincialis depositus erat electus, expiravit, & illo expleto, fuerit habitum Capitulum Provinciale, ac electiones omnium officialium juxta Constitutiones Religionum, illæque fuerint approbatæ a Patre Generali. Unde non poterit tractari, ut dixi, de novi Provincialis amotione, nisi legitimè citetur, atque audiatur. Si enim hæc citatio est absolutè necessaria ad hoc, ut validè ferri possit sententia pro primo electo, etiamsi secundus fuerit subrogatus in locum alterius, ac habeat jus dependenter a cassatione primæ electionis ex Donato *loco citato*, utique longè major necessitas citandi possessorem insurgit, quando ipse non fuit electus ob cassationem primi, sed elapso tempore, quo præcedens Capitulum durabat, fuit unanimiter electus a Provincia juxta suas Constitutiones, legitimè congregata, & confirmata a Patre Generali, ex quo plenissimum jus fuerit assequutus, & pacificam possessionem, in qua meritò est manutenendus.

Et cùm hodie Provincia maneat in summa quiete, 30
prout præclarum testimonium de hoc præbere potest concordis electio novi Provincialis, hæc pax summoperè turbaretur, si contingeret, Provincialem depositum redintegrationem obtinere cum spolio novi Provincialis legitimi possessoris. Quo in casu restitutio, etiam injustè spoliato, non conceditur, ut dixit Speculat. *part.* 6. *de petit. & possess. & spol.* §. *Quoniam*, ubi inter plures casus, in quibus denegatur restitutio, primo loco recenset scandalum, & habetur *in c. literas de restit. spol.* ac probat Federic. de Sen. *cons.* 283. *num.* 2. & post alios Pontan. *de spol. d. lib.* 3. *cap.* 2. *num.* 82.

Nec poterit dubitari de validitate novi Capituli, si 31
nullum prorsus adfuerit impedimentum, quominus suo tempore celebrari potuerit, ut si non adfuerit pendentia litis, minusque aliqua inhibitio, quemadmodum necessarium fuisset, sed potius doceretur, quod lis cessaverit per liberam Provincialis renunciationem, ut ad rem hanc tradit Rota apud Cassador. *dec.* 4. *num.* 3. *de restit. spol.* & coram Buratto *decis.* 852. *num.* 1. nihil obstante defectu acceptationis Superioris. Nam ejus necessitas, ut supra dixi, potest quidem procedere in obtinente beneficium. Cùm enim sit legitimus Ecclesiæ sponsus, non potest ei renunciare sine Superioris authoritate, ut *in cap. si admonet, & in cap. quod in dubiis de renunciat.* & in his terminis Rota in Anglonensi Archipresbyteratus 28. Junii 1654. §. *Quia cùm non sit in facultate beneficiati* coram Albergato, secus autem est, ubi nondum præcesserat Superioris confirmatio, quæ sola efficit, ut Prælatus dicatur Ecclesiæ sponsus, ut rectè distinguit Donat. *in prax. tom.* 2. *tract.* 7. *de confirm. elect. quæst.* 17. *num.* 7.

Obstaret etiam defectus mandati procuræ. Cùm enim 32
per liberam renunciationem amiserit omne jus, & possessionem, quæ priùs ei competere potuisset, perperam deindè absque ipsius mandato speciali peteretur redintegratio, prout requiri mandatum speciale ad effectum acquirendæ, seu recuperandæ possessionis, per text. *in leg. Quemadmodum, ff. de acquir. possess.* fusè probat Posth. *de manuten. obser.* §5. *num.* 120. Obstaret item prætensæ redintegrationi libera litis renunciatio, per quam quis cadit a possessione facto proprio. Quo casu non competit remedium possessorium, ut firmat Rota *decis.* 4. *num.* 1. *de renunciat. in nov.* & apud Cassad. *decis. pariter* 4. *numero* 10. *de rest. spol.* & plenissimè in dicta Anglonensi 23. Martii 1650. §. *ac proinde* coram Corrado, in qua id ampliatur, etiamsi renunciatio non processisset ex puro consensu, maturaque deliberatione, sed ex timore.

CONSULTATIO CXI.

An Capitulum Regularium, cui præest notorie excommunicatus, sit validum? Quid si esset absolutus in forma Cancellariæ Apostolicæ? Et quibus officiis ejusmodi excommunicatus sit privatus aut privandus?

AD primum, Capitulum ejusmodi esse nullum. Nam 1
notoriè excommunicatus per trinas sententias ob non paritionem scilicet rei judicatæ, aut recursum ad Judices laicos, nullo modo esse potest Judex, nec aliquam jurisdictionem exercere, *cap. ad probandum de re judic. can. audivimus* 24. *quæst.* 1. Innoc. *in cap. adversus de immunit. Eccles.* Vant. *de nullit. tit. de nullit. ex defectu jurisdict. deneg. num.* 61. Mirand. *in manual. Prælat. quæst.* 35. *art.* 8. *concl.* 4. *tom.* 2. Sayr. *de cens. lib.* 1. *cap.* 5. *num.* 31.

Idque, non obstante forma Cancellariæ Apostolicæ 2
per clausulam, *Te absolventes*, &c. Quia hujusmodi clausula nullo modo suffragatur insordescentibus, aut contumacibus rei judicatæ, ut expressè disponit *regula* 66. *Cancellariæ, tit. de insordescentibus*, & firmavit Rota *decis.* 1099. *num.* 12. coram Pegna, & *decis.* 136. *numer.* 42. coram Merlino.

Cæterùm certi juris est, quod excommunicatus non 3
privatur beneficiis antea obtentis, neque ad illa retinenda redditur incapax, sed tantùm privari potest, si postea in excommunicatione perseveret in contemptum

clavium, ut reſcripſit Cœleſtinus III. *in cap. cùm bonæ de ætat. & qualit. cap. Paſtoralis §. Verùm de appellat.* & tradunt Butr. *in cap. poſtulaſtis*, ibique Zabarell. *num.* 5. Abb. *num.* 7. *de Cleric. excommunic. miniſtr.* cum aliis per Rotam *deciſ.* 906. *num.* 3. coram Merlino.

CONSULTATIO CXII.

An ſit permiſſum Superioribus Regularium, etiam Generalibus, Provincias ſuæ Religionis dividere, & unam alteri ſubjicere? Quid ſi adeſſet beneplacitum Apoſtolicum, ejuſque exceſſus? Circumſtantia rei, an debeat Pontifici innoteſcere? Quando pro exequutione Brevis Apoſtolici requiratur citatio Partis?

1 NEgativè. Ita Rodriquez *tom.* 1. *quæſt. regul.* 23. *art.* 8. ubi refert Decretum Nicolai IV. pro directione Ordinis Minorum Sancti Franciſci per hæc verba: *Statuit, & ordinavit, ac diſtrictè prohibuit, ne in Ordine Fratrum Minorum fiat diviſio alicujus Provinciæ, vel novarum Provinciarum multiplicatio abſque Romani Pontificis licentia ſpeciali per ejus patentes literas concedenda, faciente plenam, & expreſſam de hujuſmodi ſtatuto, & ordinatione, ac inhibitione mentionem, decrevitque irritum, & inane, ſi ſecus in hac parte contigerit attentari.* Idipſum repetit *tom.* 3. *quæſt.* 43. *art.* 1. ſub initio, eſſeque hoc Decretum conforme diſpoſitioni juris monet *art.* 8. *in fine*, firmatque Donat. *tom.* 4. *tract.* 12. *quæſt.* 47. nullatenus a Patre Generali hujuſmodi translationem fieri poſſe. Quod probat ex text. *in c. ſicut unire* 8. *de exceſſ. Prælat. & c. Quoad translationem* 4. *de offic. legat.* citatque pro hac ſententia plures alios.

2 Quod ſi Pater Generalis aſſerat, fuiſſe ſibi commiſſam hanc facultatem per ſpeciale Breve Apoſtolicum, debet id docere per text. *in cap. cùm jure de offic. & poteſt. Jud. deleg. & in Extravag. Injunctæ de elect. ac l. unic. de mand. Princip.* & ita in terminis tradit Donat. *loc. cit. qu.* 58. præſertim ubi agitur de re, quæ merè non dependet ex ejus voluntate, & arbitrio.

3 Ac ita, ut non ſuffragaretur beneplacitum Apoſtolicum reſtrictum ad duos, vel tres Conventus, & Generalis excederet limites facultatis ſibi tributæ, augendo numerum. Quia tenetur ſub pœna nullitatis actus ſervare omninò, ac diligentiſſimè formam ſuæ commiſſionis, *c. dilecta de reſcript.* Abb. *conſ.* 41. *in princip. par.* 1. & tradit Rota *deciſ.* 614. *num.* 2. *part.* 1. *recent. ac deciſ.* 676. *num.* 5. *part.* 2. & 261. *num.* 12. *part.* 7. & coram Merlino *deciſ.* 701. *num.* 42. adeòut exceſſus quidem minimè rei ratione individuitatis Decreti cauſet nullitatem in omnibus, per text. *in l. in hoc judicio*, ibique Gloſſ. *v. non valere, ff. famil. erciſc.* ac firmavit Rota coram Puteo *dec.* 315. *num.* 2. & *ſeqq. lib.* 3. in correctis, ac *dec.* 221. *num.* 1. & *dec.* 315. *num.* 4. *par.* 2. *diverſ.* & coram Buratto *dec.* 169. *num.* 7. & *dec.* 286. *num.* 5. & *dec.* 337. *num.* 22. & in Romana diviſionis 10. Junii 1641. & in Viterbienſi fideicommiſſi, ſeu attentatorum 13. Maji 1644. coram Decano.

4 Etenim forma conſiſtit in indiviſibili *l. ſi veritas C. de fideicomm.* & notant communiter Doctores, ac Rota *dec.* 30. *num.* 3. *par.* 1. *rec.* Ac proindè dat eſſe proprium rei, quam conſtituit, non ſolùm in rebus phyſicis, ſed etiam in moralibus, & in omni actu *l. Divus ff. de in integr. reſt. & l. Mævius, ff. de cond. & demonſtr. & Clem.* 1. *de reb. Eccleſ. non alienand.* Ideòque non recipit aliquam variationem, ſed debet in totum, etiam ſecundùm minimas partes, ſervari, etiam in civilibus *l. Cùm hi §. Si Prætor ff. de tranſact. & l. Qui Romæ §. Flavius ff. de verb. oblig.*

5 Eòque minus beneplacitum Apoſtolicum ſuffragari poterit, ſi Pontifici non innotuerit circumſtantia notabilis, quod ſcilicet iidem Conventus ſint adeò diſtantes, ut nequeant ſaltem quotannis viſitari. Id enim ſi fuiſſet ei ſignificatum, vel non conceſſiſſet hanc facultatem, vel ſe reddidiſſet difficiliorem ad illam concedendum, ut in ſpecie probat Garz. *de benef. part.* 12. *cap.* 2. *num.* 18. Subreptionem autem vitiare ipſo jure unionem Apoſtolicam poſt Abbatem, Felinum, & alios tradit idem Garz. *loc. cit. num.* 117.

6 Præſertim autem ſi concurrerit defectus citationis Patrum Provinciæ, ſine qua non poterit ullo modo deveniri ad exequutionem Brevis Apoſtolici, ut diſtinguendo inter exequutorem datum ad actum, qui non poteſt eſſe præjudicialis, & eum, qui poteſt eſſe, docet Abb. *conſ.* 34. *num.* 6. *lib.* 2. firmans in ſecundo caſu eſſe omninò vocandam partem, quæ poteſt lædi, & audiendas ejus exceptiones. Unde hanc citationem intereſſe habentium eſſe abſolutè neceſſariam in terminis diviſionis, firmat Rota in Comenſi diſmembrationis 22. Junii 1648. *§. Præterea deficit*, coram Corrado, *ubi §. ſeqq.* ait, id procedere, quamvis agatur de exequutione Brevis, cùm non idcircò potuit delegatus prætermittere debitam cauſæ cognitionem, ac citationes intereſſe habentium. Quare Pius II. in quodam Privilegio conceſſo Priori, & Conventui Sancti Benedicti Valliſoletani uniendi aliqua Monaſteria voluit, quod expreſſus eorumdem Monaſteriorum ad id interveniret aſſenſus, ut patet ex tenore dicti Privilegii relati a Rodriquez *tom.* 3. *quæſt.* 80. *art.* 1. Eòque magis eſt neceſſaria citatio, ſi interveniat contradictio Patris Provincialis cum proteſtatione, & inſtantia pro recurſu, quemadmodum fuit benè conſideratum in d. Comenſi *cit. §. Præterea*, ſique non deficiat juſta contradicendi cauſa ob graviſſima præjudicia, quæ non ſolùm Provinciæ, ſed aliquando etiam toti Religioni ob hujuſmodi uniones inferuntur.

CONSULTATIO CXIII.

Vigore ſequentis indulti: Sacra Congregatio Cardinalium negotiis Regularium præpoſita, attentis narratis, benigne induſſit, ut Orator, ubi ſaltem per quadraginta dies in dicta Religione, & præfato Conventu, licèt non deſignato, ſeſe probaverit, ad profeſſionem emittendam, admitti valeat, ſervata in reliquis forma Apoſtolicarum, & Ordinis prædicti Conſtitutionum. Romæ die 10. *Decembris* 1695.

ORator habitum Regularem Romæ die 17. Novembris ejuſdem anni jam ſumpſerat, inde Neapolim petiit, & poſtea ſupplicavit Sacræ Congregationi, & obtinuit, ut ſupra, ac ſubindè gratiam accepit Neapoli die 22. Decembris, ibique emiſit profeſſionem die 28. ejuſdem. Quæritur, *an hujuſmodi profeſſio ſit valida?* 1

Negativè reſpondendum cenſeo. Patet enim Oratorem emiſiſſe profeſſionem non expectato tyrocinii tempore per multos dies, ſive inſpiciamus tempus datæ, quæ fuit dicta die 10. Decembris, ſive receptæ gratiæ, quæ fuit die 22. Et nihilominus ad nullitatem ſufficit momentum, ut tradunt Doctores, quos alibi adduxi, ac refert Barboſ. *capit.* 15. *jeff.* 25. *Concil. Tridentin. de Regular.* 2

Nec puto verum, quod dies quadraginta ſint computandi a primo die ſuſceptionis habitus, nempè 17. Novembris. Tum quia reſcriptum intelligitur juxta petita. In petitione autem, ne verbum quidem habetur de habitu Romæ ſuſcepto, neque de tempore, quinimmò excluditur, dum omiſit narrare tempus, & habitum, & petiit ex integro licentiam peragendi Novitiatum in Conventu Neapolitano per quadraginta dies. Tum quia lex providet in futurum, & nunquam trahitur ad præterita, niſi expreſsè caveat *l. leges, Cod. de legib.* Buratto *deciſ.* 367. *num.* 11. Immò non currunt, niſi a die habitæ notitiæ dictæ gratiæ, quemadmodum dicitur de Patronis reſpectu quadrimeſtri, Rota *dec.* 15. *num.* 12. & *dec.* 221. *par.* 7. *rec.* Et quod attendatur tempus præſentatæ, non autem obtentæ gratiæ, docet Seraph. *dec.* 844. *num.* 2. & tempus præſentatæ, non autem obtentæ commiſſionis, ait Barboſ. *clauſ.* 46. *num.* 5. ſubductis tamen diebus itineris, ut per Adden. ad Ludoviſ. *deciſ.* 127. *verſ. declara tertiò.* 3

Idque confirmatur. Nam gratia erat facultativa, & exequutio non pendebat a ſola voluntate Oratoris, ſed etiam aliorum contrahentium, ac proindè dies non poterant currere, donec non perveniebant ad notitiam Patrum Conventus Neapolitani, in quo cupiebat ad profeſſionem admitti, ad hoc, ut prius oſtenderentur Oratori in quadraginta diebus jura Religionis, quibus in anni circulo ſubjiciuntur Novitii, ſicut dicimus de Decreto, & dilatione Judicis, quæ non currit ante intimationem. 4

Quod in hoc caſu potiori jure admittendum eſt. Quia gratia Sacræ Congregationis eſt exorbitans a jure, illudque reſtringit. Et propterea omnis interpretatio facienda eſt contra ſe fundantem in illa, Buratt. *dec.* 325. *num.* 2. 5

Non item puto verum, quod copula & poſita in Indulto, ſcilicèt per quadraginta dies in dicta Religione, & præfato Conventu ſit alternativa. Primò, quia non tollit objectum, nempè dies computandos a die datæ, vel habitæ notitiæ. Deinde quia dictio & appoſita præſertim inter genus Religionis, & ſpeciem Conventus copulat, & requirit adimplementum utriuſque termini, *l. ſi quis ita ſtipulatus, ff. de verb. oblig.* Rota *dec.* 167. *n.* 12. *p.* 5. & *dec.* 600. *n.* 3. *p.* 2. *rec.* Poſtremò, quia ex lectione Decreti diluitur objectio. Nam unico verbo uterque 6

terminus regitur, & pari modo terminatur, ibi : *In dicta Religione, & in præfato Conventu se probaverit.*

7 Et quidem ponderando verba Indulti, Constitutiones Pontificias, facultates, & morem Sacræ Congregationis, ita rem hanc debemus interpretari. Verba, quia & copulat Constitutiones Clementis VIII. 60. §. 20. & Urbani VIII. *Constitutione* 5. quæ jubent, Novitiatum fieri in locis destinatis, & reprobant factum per Regulares in aliis locis. Facultates Sacræ Congregationis, quæ non se extendunt ad abrogationem dictarum Constitutionum propter clausulam sublatam, & Decretum irritans. Morem Sac. Congregationis, quia dum ex indulgentia interdum designat loca, semper intelligit, ut totus Novitiatus peragatur, ibi, *ad formam dictarum Constitutionum*, aliàs esset facto ipso derogare Constitutionibus, quod non facit, *l. non dubium, Cod. de legibus*. Eòque minus dum semel derogavit Concilio *in d. cap.* 15. quòd mandat fieri per annum Novitiatum.

8 Quæ verò afferri possunt de tacita professione per delationem habitus, per officia in Religione administrata, non obstant, si nondum elapsum fuerit quinquennium. Et quatenus esset elapsum, irrita etiam esset hujusmodi professio uti carens quinque requisitis, de quibus Sanchez *in decal. lib.* 5. *cap.* 3. *num.* 14. *& seqq.* qui *num.* 13. monet post Sacrum Concilium Tridentinum rarissimè contingere, ut validè quis tacitè profiteatur. Idemque post multas decisiones, ac declarationes Sacræ Congregationis Concilii, tradit Tambur. *de jur. Abbat. disp. 6. quæst.* 13. *num.* 6. *& seqq.*

CONSULTATIO CXIV.

De justa Provinciarum Regularium divisione, earumque confusione evitanda. Quomodo dividendæ? Injustitia divisionis, ex quibus erui possit? Divisio Provinciarum, de quibus Provinciis intelligatur? Ex traditione proprii sigilli censentur distinctæ. Portiones quomodo assignandæ? Confusio ratione Conventuum evitanda. De divisione reali, & intellectuali. De Conventibus in una Provincia, vel Civitate pro Patribus ejusdem Religionis, sed diversæ nationis. Absurda, quæ ex hujusmodi confusione suboriuntur. Confirmatio in forma communi. Provinciarum divisio cur inducta? Ut una Provincia faciat unum corpus cum alia, quid requiratur. Quid si una Provincia haberet plura loca, quam alia? Quidve si Commissarius ad dividendum Provincias deputatus excederet fines suæ commissionis? Forma commissionis quomodo observanda? Ubi multa. Quid de concordia super divisione Provinciarum? Quæ requirantur, ut sit valida? Ad quam rem etiam multa.

1 INjustitia divisionis colligi potest ex confusione tàm ratione Provinciarum in genere, & transitus de loco ad locum, quàm [etiam] ratione Conventuum ejusdem loci. Confusio autem Provinciarum in genere est omninò irrationabilis. Quia cùm agatur de divisione Provinciarum, non debent adjudicari Conventuus in una Provincia positi alteri Provinciæ. Ita enim statuunt *canon. quicumque* 16. *sub initio quæst.* 3. & Concilium Tridentinum *sess.* 14. *cap.* 9. *de reform.* & tradunt Barbos. *de potest. Episcop. alleg.* 131. *num.* 3. Hieronym. de Monte *de finib. regund. cap.* 75. *&* 76. ipsaque suadet ratio servandæ æqualitatis, de qua textus *in l. Inter filios* 11. *C. famil. erciscæ.* Menoch. *cons.* 1087. *num.* 16. Paul. de Montepico *cons.* 15. *num.* 7. 15. *& seqq.* Bardellon. *cons.* 58. *num.* 91.

2 Et quia divisio Provinciarum, vel intelligitur de Provinciis sæcularibus, quæ nationes constituunt, & vicissim ab aliis separantur, prout nomen Provinciæ usurpari tradunt Cyn. *in l. Cùm in longi temporis numer.* 1. ibique Bald. *num.* 11. *Cod. de præscript. long. temp.* Bart. *in Extravag. Qui sint rebelles v. Lombardiæ*, Angel. *in l. unic. numer.* 5. *Cod. de Metropolit. Berit. lib.* 11. Hieronym. de Monte *loco citato cap.* 4. *numero* 3. Vel saltem Provinciæ pro ratione Archiepiscopatuum debent disponi, ut proinde non possint Conventus positi intra limites unius Provinciæ, & Archiepiscopatus alteri assignari.

3 Idque præcipuè, si jam fuerint distinctæ Provinciæ, & unicuique traditum proprium sigillum, quod est signum distinctæ jurisdictionis, quæ sine distractu, non secus, ac forma sine materia, considerari non potest, Glos. & Doctores *in cap.* 2. *de fid. instrum.* Maschard. *de prob. concl.* 1302. *num.* 44. *&* 45. Menoch. *de præsumpt. lib.* 3. *præsumpt.* 57. *num.* 3. *&* 4. Gratian. *disceptat.* 893. *num.* 48. *& seqq.* Hoping. *de sigil. jur. cap.* 4. *num.* 52. & unaquæque uti inter se distincta, semper receperit Regulares Conventuum sitorum in sua Provincia, per Gl. *in cap. Quamvis v. uberiorem*, ubi Jo: Andr. & Butr. *de præbend. in* 6. Quod si nomen Provinciæ stat collectivè ad omnes Civitates ipsius Provinciæ, multò magis includit propriam Civitatem, a qua denominatur ipsa Provincia per d. Glos. Jo: Andr. & Butr. *loc. cit.* & annuit Concilium Tridentinum *sess.* 25. *cap.* 11. *vers. exceptis do Regul. & Monial.* Unde Provinciales non debent inviti propriam Sedem, & suæ Provinciæ principalem Conventum exteris concedere, ut in simili tradunt Curt. jun. *cons.* 129. *num.* 1. Cravet. *cons.* 201. *num.* 14. *&* 15. ac Menoch. *cons.* 1060. *num.* 101.

Confusio autem ratione transitus de loco ad locum 4
pariter improbatur. Ut enim commodius membra subalterna cujusque Provinciæ possint habere communicationem cum principali, & quasi Metropolitano Conventu, in quo Provincialis residet, non debet fieri divisio per saltum, & intersectiones, sed Conventus contigui debent cuique Provinciæ assignari, alioquin divisio esset contra æquitatem, *l. ad officium* 3. *Cod. commun. divid. §. si familiæ instit. de offic. Judic. l. Venditor, & l. penult. §. fin. de act. empt.* Petr. de Ubald. *de duob. fratr. part.* 11. *num.* 80. Michalor. *de fratribus cap.* 38. *num.* 26. Barz. *dec.* 100. Adeòut si unus habeat fundum proprium propè fundum dividendum, ipsi in illa parte debeat assignari portio, ad text. *in l. Quicunque* 2. *C. com. agr. defer.* Petr. de Ubald. & Michalor. *loc. cit.* Boer. *dec.* 46. *num.* 1. Baez *in tract. de decim. tut. cap.* 32. *num.* 6. Agora *de part.* 1. *cap.* 1. *num.* 11. Morquech. *de divis. bonorum lib.* 4. *cap.* 4. *num.* 16.

Nec confusio ratione Conventuum ejusdem loci po- 5
test sustineri. Quia non solùm de jure in faciendis partitionibus res in uno, eodemque loco sitæ non pluribus, sed uni tantùm sunt adjudicandæ, *l. hac edictali, Cod. de sec. nupt. l. si qua* 7. *Cod. famil. erciscæ.* prout passim observatur in bonorum assignatione pro legitima, quæ licèt debeatur de substantia, tamen non de omnibus corporibus, sed in una re arbitrio boni viri solet præstari, ut benè perpendit Valasch. *de partition. cap.* 22. *numero* 4. 20. *ac sequentibus*. Ipsique Summi Pontifices decernunt, quod Provinciæ separentur, absque tamen ulla Conventuum, vel Domorum Regularium confusione.

Non enim congruit, quod in una, eademque Provin- 6
cia, immò in eadem Civitate reperiantur, duo Conventus ejusdem Religionis pro Patribus diversæ nationis. Id enim repugnat causæ finali divisionis Provinciarum, quæ eo tendit, ut duo Provinciales possint suis Conventibus unitis, & magis contiguis facilius præesse, illisque invigilare. Alioquin Regularis disciplina susdeque everteretur. Quia confusis domibus, oritur dubietas circa jurisdictionem in Religiosos Novitios unius nationis, qui in aliena Provincia, tanquam in sua, professionem emittunt, agnita Provinciarum distinctione vix possunt se continere, quin ea de causa tentent a Religione egredi ambitus occasio præberetur iisdem Religiosis, qui ultra suos fines in aliena Provincia Conventus persequuntur. Excitatur temporalium quæstuum usurpatio; discoli, & inobedientes habent quo refugiant, aliaque innumera nascuntur absurda, quæ cùm fuerint considerata in causa simili. Sacra Congregatio super Episcopis, & Regularibus prohibuit Patribus Minimis Calabriæ, ne in Civitate Neapolitana Conventuum ædificarent in præjudicium Neapolitanorum.

Idque, etiamsi nondum completus sit cujusque Pro- 7
vinciæ numerus Conventuum, & jurisdictionis exercitium ad actum non sit deductum. Quia non propterea minus distinctæ sunt Provinciæ. Non enim solùm de jure datur divisio realis in corporalibus, & intellectualis in incorporalibus, prout est jurisdictio, sed intellectualis etiam divisio potest fieri in rebus corporalibus, re inter plures manente indivisa, ut advertit Valasch. *loc. cit. cap.* 27. *num.* 6.

Eoque magis, si in statutis Religionis legatur Provin- 8
ciarum distinctio, etiamsi illa confirmata sint in forma communi. Hoc enim sufficeret, quia sunt juri consentanea, ut per Rot. *dec.* 510. *num.* 9. *par.* 4. *divers.* Duran. *dec.* 36. *num.* 42. & coram Merlin. *dec.* 745. *num.* 23.

Quod autem sint juri consentanea ex eo deducitur, 9
quod Provinciarum divisio inducta est ad evitandas confusiones, ut proinde a Dionysio Papa facta fuerit Parochiarum divisio ex Sacro Concilio Tridentino *sess.* 14. *cap.* 9. *de reform.* & in hac specie quod justissimum sit statutum dividendi Provincias in Religionibus, quæ habent plures Conventus, latè comprobat Rodriquez *tom.* 3. *quæst. regul.* 43. *art.* 1. *ad fin.* Ut autem una Provincia faciat idem corpus cum alia, necesse est, ut unio fiat per suppressionem tituli, ac Provinciæ unitæ, Gonzal. *ad*

reg. 8. *gloss.* 5. §. 7. *num.* 26. qui ab articulo beneficiali infert ad causam profanam, & citat dictum Bartoli *in l. Si convenerit §. si nudam* 20. *ff. de pignor. act.* dicentis Provinciam quandoque adjici Regno, vel Castrum, aut Villam accessoriè adjici Comitatui, itaut unum sit Regnum cum primo, & unus Comitatus, & tunc disponi secundùm Regulas Regni, aut Comitatus, cui accedit, eisdemque legibus, ac Privilegiis gubernari. Quandoque unionem non fieri accessoriè, sed per viam subjectionis, ut si Regno detur Comitatus, & tunc talem Comitatum disponi secundùm leges suas, tradit Felin. *in cap. translata num.* 6. *de Constit.* licèt non loquatur ita clarè, ut Bartolus, & Gonzalez.

10 Nec obstaret, si una Provincia haberet plura loca, si id proveniret ex eo, quod omnia essent intra suos fines. Melius enim est, quod una Provincia plures habeat Conventus, quàm quod confundantur locorum fines, cùm juxta eos, sicut antiquitus disponebantur divisiones Diœcesum, ita hodie Provinciarum Regularium partitiones disponi debent, Rodriquez *loc. cit.* & *tom.* 1. *qu.* 23. *art.* 8. Tholosan. *de benefic. lib.* 1. *cap.* 4. *num.* 3. ac Lotther. *de re benef. lib.* 1. *qu.* 10. *num.* 7. & 8.

11 Maximè autem si Commissarius ad dividendum Provincias deputatus excesserit fines suæ delegationis, quam diligenter tenebatur observare, *cap. Cùm dilecta de resçr. cap. Pisanis de restit. spoliat.* Bart. *in l. lecta num.* 16. *cum seqq. ff. si cert. petat.* Surd. *decis.* 144. *num.* 17. *diversæ dec.* 189. *num.* 1. *part.* 4. apud Fenzon. *ad Statut. Urb. decis.* 172. Gregor. *decis.* 1. *num.* 1. Merlin. *decis.* 702. *num.* 42. & *in rec. decis.* 614. *num.* 2. *part.* 1. & *decis.* 679. *num.* 5. *part.* 2. & *dec.* 261. *num.* 12. *part.* 7. Et in similibus terminis divisionis factæ contra formam erectionis, firmavit Rota in Gerundensi administrationis 10. Martii 1638. coram Ghislerio.

12 Forma enim commissionis debet præcisè observari, quia est substantialis, ac subindè sanari nequit per confirmationem, *cap. Venerabili de offic. Judic. deleg.* Bart. *in l. Cùm hi, §. Si Prætor in princip. ff. de transact.* Aret. *in l.* 2. *num.* 7. *ff. de vulg. & pupil.* ubi notat, quod quamvis cesset ratio, ob quam fuit inducta hujusmodi forma, non tamen cessat ejusdem observationis necessitas, Dec. *in cap. de appellat. num.* 15. *ac seqq. de appellat.* & probavit Rota in Valentina Baroniæ de Cortes 10. Martii, & 19. Aprilis 1603. coram Ortembergo, & coram Gregorio XV. *decis.* 395. *num.* 7. & *decis.* 518. *num.* 2. coram Cavalerio, & *dec.* 612. *num.* 6. *ac seqq.* coram Urgellensi, & *decis.* 225. *num.* 16. & *seqq.* & *in rec. decis.* 167. *num.* 9. *part.* 2.

13 Quod sanè comprobaretur, si divisio non sit facta cum reservatione licentiæ, vel confirmationis Apostolicæ obtinendæ, ac ejus contemplatione, in quo casu tanquam conditionalis, quandocunque obtineretur confirmatio, esset purificata, & perfecta, & ex confirmatione vires assumeret, ut advertit Gratian. *discept.* 514. *num.* 3. ac Rota in Auximana bonorum 2. Junii 1525. coram Millino apud Marchesi. *de commiss. tom.* 1. *fol.* 867. sed fieret divisio post obtentam licentiam, non quidem simpliciter, sed per viam Commissionis, & sub certa forma deveniendi ad illam, quæ cùm in ipsa divisione non servetur, ex subsequuta confirmatione robur assumere minimè potest, obstante defectu præscriptæ formæ. Quia ubi potestas conceditur alicui, eam non habenti, sub certa forma, ea non servata, non tenet a principio, quod agitur, neque exinde sanari potest, quando dicta forma respicit ordinem, cùm sit substantialis, atque adeò præcisè servanda, ut censuit Rota in dicta Valentina Baroniæ, & coram Urgellensi *dec.* 250. *num.* 14. & *in rec decis.* 167. *num.* 9. *part.* 2. & *d. decis.* 261. *num.* 11. & *seqq. part.* 7.

14 Atque adeò qui dictam formam adamussim servari non curaverint, nequaquam divisionis, & gratiæ confirmatoriæ beneficio gaudere possunt, *leg. Cùm hi §. Si Prætor, ff. de transact.* Doctores *in l. fin. §. fin verò post quam adverint*, ibi: *Nec legis nostræ beneficio perfruantur, quam contemnendam esse censuerunt, Cod. de jur. delib. Clement.* 1. ubi Doctores *de reb. Eccles. non alienand.* Rota coram Urgellensi *d. decis.* 225. *num.* 4. & *dec.* 261. *num.* 6. & *decis.* 773. *num.* 9. *part.* 3. *recent.* & in Bononiensi fideicommissi de Raudinis 9. Maji 1638. coram Decano, & *decis.* 131. *num.* 6. & 7. & 14. Decembris 1637. coram Ghislerio, & *d. decis.* 261. *num.* 7. *part.* 7. *rec.* sæpèque alibi.

15 Aut si Conventus aliquis ex sua fundatione fuerit assignatus suæ Provinciæ; Unde non poterit alteri assignari contra voluntatem fundatoris, cùm id sit commutatio legatorum piorum, soli Summo Pontifici reservata, *Clem. quia contingit de relig. domib.* Redoan. *de reb. Eccles. non alienand. rubr.* 18. *numer.* 78. *cum seqq.* Bero. *conf.* 49. *num.* 8. *vol.* 2. Genuens. *in praxi Archiep. cap.* 19. *num.* 1. Monet. *de commut. ult. volunt. cap.* 5. *col.* 223. *num.* 206. quæ ne legatis quidem a latere solet impertiri, ut notant communiter Doctores *in dict. Clem.* Genuensis, & Monet. *loc. cit.*

Et ita profectò, ut nec etiam suffragaretur aliqua concordia, qua Superiores Religionis de hujusmodi divisione consenserint. Provinciarum enim, & Conventuum Regularium divisio ad solum Summum Pontificem pertinet, ejusque est privativæ jurisdictionis, *can. Felix* 16. *quæst.* 1. *canon. de loco de consecr. d.* 1. & in specie tradit Rodriquez *dict. tom.* 1. *quæst.* 24. *art.* 8. & *dict. tom.* 3. *quæst.* 24. *art.* 1. 16

Si careat beneplacito Apostolico; cujus defectus irritat quamcumque transactionem de re Ecclesiastica initam, Federic. de Sen. *conf.* 94. *num.* 3. Cravet. *conf.* 323. *num.* 1. Redoan. *loc. cit. cap.* 10. *num.* 12. & 18. Caputaq. *decis.* 106. *part.* 1. Rot. *decis.* 241. *num.* 10. *part.* 4. *tom.* 2. *rec.* coram Urgellensi *decis.* 459. *in princip.* & in Acernensi Vicarii 30. Maji 1650. §. *Quia Domini* coram Alexandro VIII. etiamsi agatur de transactione facienda inter personas Ecclesiasticas, Gratian. *discept.* 674. *num.* 3. & 4. Rota *decis.* 277. *num.* 8. *part.* 4. *tom.* 2. *rec.* & in Cracovien si decimarum 21. Maji 1644. coram Cardinali Cerro, & in Leodiensi decimarum 25. Junii 1649. §. *Quoniam*, coram Cardinali Corrado, & in dicta Acernensi Vicarii. 17

Si non fuerint vocati ii Patres, de quorum præjudicio agebatur, ut propterea non possit res inter alios acta, illis præjudicium inferre, *l.* 1. & *tot. tit. Cod. res inter alios act.* Tiraquell. *eod. tract. in princ.* Berous *conf.* 76. *num.* 18. *lib.* 1. Panzirol. *conf.* 112. *num.* 34. & *conf.* 173. *num.* 19. Surd. *conf.* 209. *num.* 9. ac Rota *decis.* 430. *num.* 1. *part.* 4. *rec.* 18

Si inita fuerit in causa propria, & ad propriam utilitatem, *l.* 1. *ff. de auth. tut.* Addens ad Gregor. *dec.* 473. *num.* 23. Millin. *decis.* 359. *num.* 1. Rota *decis.* 710. *num.* 2. *part.* 5. *rec.* & in Perusina bonorum de Baptistis 12. Decembris 1625. coram Pirovano, & in Romana Cambii, seu pecuniarum 22. Junii 1639. §. *non obstat*, coram Dunozetto. 19

Si Patres per vim, & metum concordiam iniverint. Nam metus, immò sola metus suspicio, liberum consensum tollit, Dec. *conf.* 490. *numer.* 10. Bald. *conf.* 165. *num.* 6. Maschard. *de probat. concl.* 1075. *num.* 17. Sanch. *de matrimon. lib.* 4. *disp.* 1. *num.* 17. Rota in Melevitana nullitatis professionis 13. Januarii 1653. §. *Ulterius*, coram Tarraconensi, in Romana translactionis 21. Junii 1655. coram Celso, & in Romana nullitatis professionis 14. Januarii 1656. coram Dunozetto. Unde hujusmodi transactiones per metum factæ irritantur a Rota juxta responsum Prætoris, *Metus causa gestum, ratum non habeo*, de quo J. C. *in l.* 1. *ff. quod met. caus. l. Interpositas, Cod. de transact.* Roland. *conf.* 100. *num.* 129. *vol.* 4. Mandell. *conf.* 745. *numer.* 2. Cæphal. *conf.* 225. *numer.* 9. Boer. *decis.* 100. *num.* 1. Rota *decis.* 172. *num.* 42. *par.* 7. & *decis.* 315. *num.* 10. *part.* 5. & *dec.* 115. *num.* 16. *par.* 6. *rec.* prævia *decis.* 60. *num.* 6. & fusè pluribus relatis in dicta Melevitana nullitatis professionis, & in dicta Romana transactionis, passimque alibi. 20

Quod autem concurrerit verus metus, sufficiens ad irritandum concordiam, probari poterit ex minis incussis a persona, quæ timeri debet. Nam minæ regulariter solent inducere justum metum, Aretin. *conf.* 24. *num.* 9. Grammat. *decis.* 5. *num.* 4. Rota *decis.* 405. *num.* 12. coram Buratto, multò magis quando proveniunt a persona, quæ solet illas exequi, & quæ habet potestatem exequendi. Tunc enim in subditis semper præsumitur metus, Natt. *conf.* 106. *num.* 11. & 12. Surd. *conf.* 127. *num.* 25. Rota *decis.* 616. *num.* 3. *par.* 3. *rec.* Et quod factum in exequutionem regiæ provisionis, ac metu Regii consilii dicatur justo metu factum, firmat Rota *dec.* 371. *num.* 15. coram Buratto. 21

Si accesserint plures, ac reiteratæ protestationes, quod nullo pacto intenderent sibi præjudicium inferre per quoscumque actus, quodque ad concordiam non deveniebant, nisi metu minarum. Ejusmodi enim protestationes ostendunt protestantium intentionem sibi præjudicium non inferendi, atque idcircò eorum jura remanent illæsa, *l.* 4. §. 1. *ff. quib. mod. pign. vel hypot. solv.* Bart. *in l. non solùm §. morte num.* 23. *ff. de oper. nov. nunc.* Surd. *conf.* 385. *num.* 20. Rot. *decis.* 387. *num.* 3. *part.* 7. *rec.* & in Senogallien si Salviani 3. Junii 1647. §. *Quia*, coram Corrado, & in dicta Romana nullitatis matrimonii §. *Nec potest*, coram Dunozetto. 22

Multò magis si priùs fuerit protestatum, quod transactio extorquebatur per vim, & metum. Hoc enim casu protestatio fundatur in veritate præsumpta, excludit calu- 23

calumniam ex parte protestantis, simulque metum includit, Maschard. *de prob. dict. concl.* 1055. *num.* 11. Ubi quod protestatio antecedens subsequentis actus effectum impediat, Rota *decis.* 105. *num.* 15. coram Buratto, & *decis.* 859. *decis.* 385. *num.* 22. & 27. coram Pegna & *decis.* 859. *num.* 8. coram Seraph. ubi quod protestatio consensum excludat, Gregor. *decis.* 326. *num.* 9. & *decis.* 374. *numer.* 4. & 5. *post* 2. *vol. consil. Farinac.* & *decis.* 242. *numer.* 2. & *decis.* 500. *num.* 1. *part.* 3. *recent.* & in Melevitana antianitatis 1. Martii 1631. §. *Quoad narrata* coram Pirovano, & in Barensi, seu nullius pecuniaria 26. Maji 1645. §. *decisio* coram Cerro, & in Melevitana Præposituræ 5. Junii 1649. sub initio coram Bichio, & in dicta Romana transactionis coram Celso.

24 Siquæ protestationes fuerint post actum reiteratæ. Nam ex subsequenti protestatione elicitur, actum fuisse coactum, Menoch. *lib.* 3. *præsumpt.* 4. *num.* 15. & *præsumpt.* 126. *num.* 23. & ubi protestationes sunt factæ tàm ante, quàm post actum, nullatenus potest dubitari, quin verum, justumque metum præseferant, ut in terminis Rota *dict. decis.* 205. coram Buratto *num.* 16. & in dicta Romana transactionis coram Celso, & in dicta Romana nullitatis matrimonii §. *Nec potest* coram Dunozetto.

25 Posita autem nullitate concordiæ, certum est nullius esse roboris Breve Apostolicum, quo illa confirmaretur, quia cùm Pontifici facta nulla fuerit mentio de nullitate, confirmatio corruit defectu intentionis, etiamsi facta fuerit ex certa scientia, cùm regulariter confirmari non possit, quod ab initio non subsistit, ut pluribus relatis tradit Soccin. Jun. *consil.* 32. *num.* 40. & *seqq. lib.* 3. & Alexand. *consil.* 123. *num.* 18. Præsertim si non intervenerit mandatum speciale totius Religionis, quoad obtinendam confirmationem requiritur, *cap. Nonnulli*, §. *Cùm autem*, ubi Gloss. *v. sine speciali mandato de rescript.* Monet. *de commut. ultim. volunt. cap.* 6. *num.* 399. & 407. Rota in Ferrariensi bonorum *decis.* 624. *num.* 5. *part.* 1. *recent.*

26 Nam si Pontifex sciviſſet, divisionem subsequutam fuisse contra formam Commissionis cum confusione Conventuum, ac permutatione Provinciarum, vel non concessisset confirmationem, vel difficilius concessisset; Unde manifestum est subreptionis vitium, quod inficit ipsam gratiam, *cap. Constitutus*, *cap. super literis*, *cap. postulanti*, & *cap. ad audientiam* 2. *de rescript. l. Universi*, *Cod. de diver. rescript.* Seraph. *decis.* 601. *num.* 2. & *dec.* 496. *num.* 1. *part.* 5. & *decis.* 718. *num.* 6. *part.* 2. *recent.* & *decis.* 621. *n.* 3. & *seqq. part.* 3. & *dict. decis.* 261. *num.* 8. *part.* 7. Confirmatio autem nihil de novo tribuit, neque a confirmante aliquid datur, sed corroboratur dumtaxat jus antea quæsitum, *leg. si donata*, §. 1. *ff. de donat.* Bald. *in leg. ex placito num.* 13. *Cod. de rer. permut.* Jas. *in l. more major. num.* 26. qui de privilegio loquitur *sub num.* 20. *ff. de jurisd. omn. Judic.* Paris. *consil.* 19. *num.* 45. *vol.* 1.

27 Et licèt novum jus tribui possit ex confirmatione actus nulli, ac invalidi, facta ex certa scientia, & cum causæ cognitione juxta notata *in cap.* 1. *de confirmat. util. vel inutil.* & *in cap. veniens de rescript.* attamen explorati juris est, quod sive roboret solum jus antiquum, sive novum inducat, neutro casu mutat indolem prioris concessionis, cùm actus humanus non debeat trahi extra suam naturam, ut in terminis confirmationis actus, ait Bald. *in leg. nominatione num.* 3. *Cod. de appell.* ipsaque confirmatio dicatur convalescentia prioris entis, ut subdit Bald. *loco cit.*

28 Ideòque, si subreptitiè obtineatur, nec exequutori, neque supplicanti jus tribuit, sed omni debet carere effectu, *cap. Cùm literis*, ubi Felin. *de rescript.* Menoch. *de arbitr. lib.* 1. *def.* 201. *num.* 24. Gregor. *decis.* 150. *in princip.* Merlin. *decis.* 906. *n.* 24. Rota *decis.* 423. *n.* 7. *part.* 1. *recent.* & in terminis subreptitiæ confirmationis tradit Gloss. *in cap.* 1. *v. exorta in fin. de confirmat. util. vel inutil.* Butr. *in cap.* 2. *in* 1. *oppos. de pact.* Soccin. jun. *consil.* 32. *num.* 40. *lib.* 5. Rota *decis.* 370. *num.* 4. *cum seqq. part.* 5. & *decis.* 351. *num. ultim. part.* 6. *recent.* & in Gerundensi jurisdictionis 12. Maji 1645. §. *Nihil obstat* coram Tarraconensi. Ac ita, ut nihil operari possint clausulæ Brevi adjectæ, nempè, *sublata*, *decretum irritans*, & *quod de subreptione dici non possit*. Quia tunc a principali gratia subreptitia dependentes, Rota *dict. decis.* 370. *num.* 7. *part.* 5. *recent.* & ubi Breve emanavit ad postulationem Partis, nullatenus impediunt, quominus dari possit de subreptione, Marches. *de commiss. aperit. oris part.* 2. §. *unic. num.* 17. & 18. Put. *decis.* 208. *lib.* 2. & Rota *decis.* 228. *numer.* 4. *part.* 1. *recent.*

29 Minusque evitari poterit subreptio, si in Brevi confirmatorio sub generalibus verbis, & clausulis legatur, *quorum tenores*, *&c. Et pro expressis*, *&c.* quibus colligi potest, cuncta fuisse nota Pontifici confirmanti. Nam suppositis causis, nunquam id admittitur in his, atque hujusmodi gratiis tertio præjudicialibus, nisi ex dictis clausulis, ac tenore gratiæ perneceſſe inferri possint ea, quæ speciatim non fuerunt expressa, ut declarat Felin. *in cap. in nostra num.* 15. ibique Abb. *num.* 4. *de rescript.* Alex. *consil.* 94. *num.* 3. & *seqq. lib.* 2. Osasch. *decis.* 142. *num.* 16. & Grammat. *decis.* 66. *num.* 18.

Idemque dicendum est, si Breve confirmatorium fuerit concessum a Pontifice ad relationem alicujus Congregationis: Si enim Pontifex fundasset suum Breve in dicta relatione, quam ex qualitate, ac numero deputatorum credidisset, vel credere debuisset, esse veram, Barz. *decis. Bonon.* 150. *num.* 3. non autem ex seipso hujusmodi causæ cognitionem adhibuisset. Aliud enim est, quod Pontifex aliquid simpliciter disponat, vel declaret, aliud verò, quod ad aliorum relationem, cui expressè profiteatur inhærere. Tunc enim apparet, eum noluisse simpliciter, & absolutè actum facere, sed voluisse illum dirigere a relatione sibi facta, quæ si detegatur erronea, patens est intentionis defectus, ut tradit Gemin. *cons.* 53. *num.* 4. quem sequitur Rota in Tullensi Monasterii 9. Januarii 1609. coram Sacrato, confirmata die 22. Maji ejusdem anni, quæ inter recentiores est *decis.* 224. *part.* 1. 30

Quin etiam tunc a dicta relatione potest provocari, non uti a determinatione Pontificis, etiam quod Pontifex ipse confirmaverit, sed tanquam a declaratione eorum, quibus factum minus fideliter expositum, minus etiam verè iidem retulerunt Pontifici, Barz. *dict. decis.* 150. Scacc. *de appell. quæst.* 16. *limit.* 1. *num.* 130. ubi in specie quod videtur magis appellari adversus errorem relatoris, quàm a determinatione Principis, & *num.* 44. dicens, gravamen, quod infertur per mendacem relationem posse per appellationem reparari. Regulariter enim potius præsumitur, falsum Principis rescriptum, quàm quod injustè, ac indebitè voluerit præjudicium alterius juribus inferre, Abb. *in cap. ex parte* 2. *de offic. deleg.* Curt. jun. *cons.* 170. *num.* 40. Surd. *cons.* 203. *num.* 30. Gonzal. *ad regul.* 8. *Cancel. gloss.* 28. *num.* 10. 31

Et quamquam etiam Pontifex mandaret, quod opponi non posset de defectu intentionis, nihilominus fieri poterit, ut firmavit Rota coram Seraph. *decis.* 965. *n.* 11. & *seqq.* Hujusmodi enim defectus locum obtineret, si constiterit per probationes extrinsecas, Pontificem malè fuisse informatum, & appareret ex sua dispositione, Rota *decis.* 664. *in princ. part.* 2. *recent.* Seraph. *decis.* 398. & 965. *num.* 11. & *seqq.* Intelligendo siquidem non de defectu illius intentionis, quæ apparet extrinsecè, in ejus confirmatione, fundata in falsis narrationibus, sed de illa sancta, & recta intentione, qua Pontifex non vult, nisi justum, nec unquam intendit tollere jus alteri quæsitum. Quod si sciviſſet, nullatenus talem confirmationem concessisset. Quo in casu ignota Papæ facti veritas fuit causa confirmationis, ac ideò nuncupatur defectus notitiæ antecedentis operæ. Unde fit, ut opera ipsa sit involuntaria, ut concludit D. Thom. 1. 2. *quæst.* 6. *art. ult.* & Azor. *instit. moral. lib.* 1. *cap.* 12. 32

Consonantque verba Text. *in cap. si quando de rescript.* ubi Alexander III. Archiepiscopo Ravennati hæc scribit, auro digna: *Si quando aliqua tuæ fraternitati dirigimus, quæ animum tuum exasperare videntur, turbari non debes. Qualitatem negotii, pro quo tibi scribitur, diligenter considerans, aut mandatum nostrum reverenter adimpleas, aut per literas tuas, quare adimplere non possis, rationabilem causam prætendas, quia patienter sustinebimus, si non feceris quod prava nobis fuerit insinuatione suggestum.* Ex quibus verbis exprimentibus moderationem animi, quæ Principem maximè decet, concludunt Doctores communiter; quod dum agitur de præjudicio tertii inauditi, debet expectari secunda jussio Principis non edocti de meritis causæ, Bald. *consil.* 44. *lib.* 1. ibi. *Quandoque Princeps mandat, aliquid præcipit ante causæ cognitionem, & tunc antequam fiat præceptum, debet cognosci de causa, & si contineretur in literis Principis, quod non cognosceretur de causa, præsumeretur, quod literæ non emanassent de Principis conscientia.* Et Zabarell. *consil.* 742. prælertim *num.* 4. *ac seqq.* invehitur contra Prælatos, qui non audent replicare Summo Pontifici, ac eum benè de veritate informare, ac interim supersedere in exequutione jussionum, Sola *ad Constitut. Sabaudiæ*, *tit. de internat. gloss.* 2. *num.* 21. & *seqq.* 33

Extatque ad id regula 18. Cancellariæ a Summis Pontificibus promulgata his verbis: *Nec per varias, quæ pro commissionibus, seu mandatis, & declarationibus habendis* 34

habendis in cauſis, plerumque fiunt, ſuggeſtiones, juſtitia poſtponatur, idemque Sanctiſſimus Dominus decrevit, & declaravit ſuæ intentionis fore, quod deinceps per quamcumque ſignaturam, ſive conceſſionem, aut gratiam, vel literas Apoſtolicas pro Commiſſionibus, ſeu mandatis, aut declarationibus hujuſmodi, etiamſi motu proprio ex certa ſcientia, aut ejus ante motam litem a ſanctitate ſua manaverint, vel de ejus mandato faciendas, nulli jus ſibi quæſitum quomodolibet tollatur.

35 Quam ſanè regulam procedere, nedum in Beneficialibus, ſed etiam in prophanis, firmat Gozadin. *conſ.* 41. *num.* 14. Farinac. *conſ.* 202. *in fine part.* 3. Seraph. *deciſ.* 351. *num.* 10. *& ſeqq. & deciſ.* 398. *&* 1294. *n.* 2. Mohedan. *deciſ.* 7. *num.* 2. *de reſtit. ſpoliat.* ac Rota *deciſ.* 664. *num.* 3. *& ſeqq. part.* 2. *recent.* Ac inſuper locum ſibi vindicare, ſive jus procedat a diſpoſitione juris communis, ſive ex privilegio, ſive ex contractu, itaut ſufficiat, adeſſe quodvis præjudicium, etiam minimum, declaravit Rota *deciſ.* 1. *num.* 6. *&* 7. *de verbor. ſignificat.* coram Cæſare de Graſſis, & coram Seraph. *deciſ.* 1271. *num.* 5. ibique Apoſtil. *& deciſ.* 1082. & in eadem cauſa coram Orano relata per Rubeum *ad deciſ. Orani* 289. *lib.* 2. Necnon requirere ſpecificam, & individuam derogationem, cùm ſit fundata in defectu intentionis Pontificis, Rota *d. deciſ.* 1. *num.* 11. Rub. *in d. addit.* ubi refert alias deciſiones, ac præcipuè Seraphini Adden. ad Burat. *deciſ.* 576. ubi ait nec ſufficere clauſulam. *Quorum tenores, &c.*

36 Et minus etiam obſtaret, ſi Breve confirmatorium diviſionis contineret clauſulam, *quod ſuos plenarios effectus fortiri debeat, non obſtantibus quibuſcumque appellationibus.* Nam hæc clauſula, illiuſque efficacia referi poteſt tantummodò ad appellationes frivolas, non tamen excludit appellationes legitimas, Bart. *in leg.* 1. *§. pauci ſub num.* 13. *ff. Quod vi, aut clam*, Scacc. *de appellat. quæſt.* 17. *limit.* 1. *num.* 93. ubi de communi. Nec operatur, quando appellans ob metum non potuit comparere, & cauſam ſuam defendere, *cap. ex part.* 47. *de appell.*

CONSULTATIO CXV.

Clarius, atque uberius de notorio, publico, manifeſto, famoſo, occulto? Ubi qualis notorietas requiratur ad obligationem vitandi percuſſores Clericorum juxta ſecundam illam exceptionem Concilii Conſtantienſis.

1 SCripſi alibi de hac re quid dixerint Canoniſtæ, nunc quid dicant etiam Theologi. De ſignificatione harum vocum agunt Panormitanus *in cap. verba de cohab. Cleric. & mul.* & Sylveſt. *in ſumma v. notorium q.* 1. quorum opiniones diligenter aliàs examinavi. Et quamquam non deſint magni nominis Theologi, rem hanc ſedulò pertractantes, præſertim in ordine ad vitandum percuſſores notorios Clericorum, & licitam narrationem criminum, ſive ex notorietate, ſive ex fama publicorum, quique non pauca etiam docent ad forum exteriorem judicialem pertinentia, nobis tamen in præſentia curandum eſt, ut quoad fieri poteſt, prædictæ illæ voces, clariùs, ac expeditiùs explicentur.

2 Notorium igitur eſt duplex, juris, & facti. Notorium juris, etiam eſt duplex, impropriè, ac propriè. Notorium juris impropriè eſt id, quod dicit notorium ex præſumptione juris, hoc eſt, quod faciat ſolùm evidentiam ex ordinatione juris, ſeu quod jus evidenter præſumit ex conjecturis ab ipſo jure inductis. Notorium juris propriè eſt triplex. Vel per ſententiam Judicis. Vel per confeſſionem Rei in judicio. Vel per Teſtium depoſitionem in judicio.

3 Notorium facti, vel eſt facti permanentis, ut quod Baſilica S. Petri ſit in Vaticano, quaſi res nota omnibus volentibus illam videre. Vel eſt facti tranſeuntis, & non redeuntis, ut ſi in foro, vel celebri platea eo tempore, quo multis innoteſcere potuit, cùm ſit notorium pro tunc, non autem pro nunc. Vel facti interpolati, ut cùm quis paratus eſt mutuare ad uſuram.

4 Hoc itaque notorium facti ſive permanentis, ſive tranſeuntis, & non redeuntis, ſive interpolati, dicitur notorium materialiter, ideſt ex parte ipſius facti præcisè, quod deindè redditur notorium formaliter, per numerum perſonarum, quæ factum evidenter norunt. Unde ſi factum ſciatur evidenter a quatuor, vel quinque ſolùm, etiam in Congregatione decem perſonarum, non dicetur notorium formaliter ſed ſolùm materialiter.

5 Rurſus loquendo de notorio facti formaliter, ideſt ratione numeri perſonarum, quæ norunt evidenter. Primum eſt notorium ſimpliciter, & abſolutè, quod tunc eſt, ut inferius dicam, quando decem evidenter factum ſciunt in aliqua Civitate, ſive iſti decem ſint ejuſdem Paræciæ, Viciniæ, Collegii, ac domus, ſive diverſorum hujuſmodi locorum.

Secundum eſt notorium ſecundùm quid, ac reſpectivè, ideſt, quod evidenter ſcit major pars alicujus Congregat. perſonarum, quæ tamen pars ſit intra decem, ſed non ſit infra decem Congregatio ipſa. Unde fit, ut ſex uſque ad novem incluſivè, ſint major pars Congregationis conſtantis ex decem, aut undecim, & ſic de aliis partibus majoribus non pertingentibus ad decem reſpectu Congregationum ſuarum propriarum, reſpectu quarum ipſæ ſunt partes majores, verbi gratia, ſeptem reſpectu Congregationis conſtantis ex tredecim, octo reſpectu conſtantis ex quatuordecim, aut quindecim, denique novem reſpectu conſtantis ex ſexcedim, aut ex decem, & ſeptem. 6

Si novem perſonæ ſciant evidenter delictum commiſſum in Civitate, poterit quidem illud dici penè notorium, penè publicum, & etiam penè manifeſtum, non tamen notorium publicum, & manifeſtum ſimpliciter, neque ſecundùm quid. Non ſimpliciter: Quia non ſunt decem, qui ſciunt evidenter. Non ſecundùm quid, quia cùm ſint ſparſim ex illa Civitate, non verò omnes ejuſdem Paræciæ, aut viciniæ, ut ſupponitur, conſequenter non ſunt major pars propriæ ſuæ Congregationis, ac populi. Si itaque delictum notum ſit evidenter novem tantùm perſonis diverſorum locorum in Civitate aliqua, poterit illud dici penè notorium, penè publicum, penè manifeſtum, non verò notorium, publicum, manifeſtum ſimpliciter, aut ſecundùm quid, ut dictum eſt. 7

Publicum idem eſt, quod notorium juris, quod notorium facti formaliter, & quod famoſum, fama nimirum vulgata ad multos, ſaltem apud decem. 8

Manifeſtum idem eſt, quod publicum, ſed magis propriè eſt id, quod eſt famoſum propriè, non verò famoſum ex vanis populi vocibus. 9

Famoſum propriè idem eſt, ac manifeſtum propriè, ut dictum eſt, quod famoſum ita Panormitanus definit, ubi ſupra, cùm dicit, famam, propriè eſſe communem loquutionem ex veriſimilibus conjecturis ſurgentem. Et Leſſius, eſſe id, cujus fama ex ſufficientibus indiciis orta ad multos pervenit, itaut major pars Civitatis, vel Paræciæ, vel viciniæ illud norit. Adde etiamſi ſolùm ad decem talis fama pervenerit. Quia decem conſtituunt multitudinem, ac populum, ut conſtat ex jam dictis. 10

Denique occultum eſt, id, quod neque eſt notorium juris, neque notorium facti formaliter, ſive tale notorium ſumatur ſimpliciter, & abſolutè, ſive ſecundùm quid, ac reſpectivè, neque eſt id, quod eſt publicum, vel manifeſtum, vel famoſum. Breviter occultum, latè ſumptum, negat omnia iſta, nempè notorium juris, notorium facti, formaliter quodcumque publicum, manifeſtum, famoſum. Aliquando tamen occultum ſumitur determinatè in uno aliquo genere occulti, verbi gratia pro occulto, quod opponitur contradictoriè notorio facti, &c. 11

Quoniam verò nos hic agimus præcipuè de notorio, & occulto in ordine ad ſecundam illam exceptionem Concilii Conſtantienſis de notorio Clerici percuſſore, de quo etiam alibi, ideò explicatius adhuc dicendum eſt de notorio facti, formaliter ſumpto, ideſt in ratione numeri perſonarum, quæ illud evidenter ſciant, & ſimiliter de occulto, notorio hujuſmodi contradictoriè oppoſito. 12

Notorium igitur hujuſmodi formaliter ſumptum non quidem ratione facti præcisè, ſive permanentis, ſive tranſeuntis, & non redeuntis, ſive interpolati, ſed ut dictum eſt, ratione numeri perſonarum, eſt duplex. Unum eſt notorium ſimpliciter, & abſolutè. Alterum notorium ſecundùm quid, ac reſpectivè. Quæ duo ſatis nota ſunt ex dictis. 13

Occultum, his notoriis contradictoriè oppoſitum, eſt etiam duplex, ideſt occultum ſimpliciter, & occultum ſecundùm quid. Occultum ſimpliciter eſt id, quod negat utrumque notorium prædictum, cùm neque ſit notorium ſimpliciter, & abſolutè, neque notorium ſecundùm quid, ac reſpectivè, atque ita occultum hujuſmodi ſimpliciter, dicetur, eſſe id, quod vel quinque, vel paucioribus, vel nulli evidenter notum eſt. 14

Occultum verò ſecundùm quid, illud erit, quod negat notorium ſimpliciter, & abſolutum, non tamen negat notorium ſecundùm quid, ac reſpectivum, ideſt quando Teſtes, qui ſciunt evidenter, non ſunt decem, ſed ſolùm ſunt major pars Congregationis, vel conſtantis ex decem, vel ex pluribus, dummodò hæc major pars non ſint decem. 15

Videa-

16 Videamus jam ex professo, quot personæ sufficiant, ut factum dicatur notorium simpliciter, & absolutè, & non solùm in adunatione hominum non valdè magna, ut in Vicinia, parochia, Pago, &c. Sed etiam in multo majori, ut in Civitate, Provincia, &c.

17 Sylvester *in summ. verb. notorium quæst.* 4. quærit, utrum ad notorium facti requiratur notitia totius populi, aut majoris partis, aut certè notitia decem virorum? Deindè respondet, de hoc fuisse opiniones, quarum una requirit scientiam totius, vel majoris partis. Altera verò scientiam decem personarum.

18 Angelus pariter *in summ. eod. v. Notorium quæst.* 1. quærit, similiter quot hominum scientia requiratur ad faciendum notorium facti? Deindè eodem modo testatur, unam esse opinionem Glossæ 2. *qu.* 1. *de manifesto*, quod sufficiat scientia decem hominum ad minus. Quam opinionem ita intelligit, ut nimirum, si vicinia non habet decem homines, seu personas, non possit oriri notorium. Si habeat decem personas solùm, debeant omnes scire. Si denique habeat plures, debeant omnes scire, vel major pars, quæ non debeat esse minor decem personis.

19 Hæc opinio non ita facilè explicatur, dum ponit Angelus duos tantùm illos casus. Primò, quando vicinia constat ex decem solùm, & omnes sciunt. Secundò, quando constat ex pluribus, hoc est ex undecim, duodecim, &c. usque ad decem & novem inclusivè, & omnes sciunt, vel major pars non minor decem. De tertio verò casu nihil dicit, quando scilicet vicinia constat ex pluribus, quàm ex decem & novem, verbi gratia, ex centum. In quo casu, si decem solùm sciant evidenter, cùm non sciant omnes, neque major pars, videri posset, non esse notorium juxta intelligentiam ipsius. Quod nihilominus esset contra ipsum, qui ait, in illa opinione scientiam decem hominum sufficere ad esse notorium.

20 Sic itaque explicandus erit hic author in declaratione prædictæ opinionis. Primò, dicendo, quod posuerit tantùm duos illos casus, quia hac ratione meliùs probaret intentum, nempè ad notorium scientiam decem personarum sufficere. Sic enim procedebat in casibus certioribus, ac facilioribus. Nam certius videbatur in illis reperiri notorium simpliciter, & absolutè, in quibus vel totus populus scit, idest decem, ex quibus solùm constat tota vicinia, vel sit saltem major pars populi, quæ pars similiter sit decem personarum ad minus. Et hoc intendebat probare Angelus juxta illam opinionem, quam declarabat, quod scilicet sufficeret ad notorium scientiam decem personarum, ut propterea etiam affirmarit, novem non facere notorium.

21 Secundò, explicari potest Angelus alio modo, dicendo scilicet, quod ideò posuerit solùm duos illos casus, quia in his propter varietatem opinionum posset aliqua major dubitatio oriri, an decem sufficiant ad notorium simpliciter, & absolutè. Siquidem in vicinia pauciorum, quàm viginti, idest decem & novem personarum, aut pauciorum usque ad decem inclusivè, si solùm decem sciant, non apparet tàm clarè absoluta notorietas facti, sicut quando in Civitate decem personæ sciunt, quæ cùm sint sæpè ex diversis viciniis, facilius divulgant factum per totam Urbem, quàm illæ aliæ decem ejusdem viciniæ, quæ quasi quibusdam loci privati terminis coercentur, ne ita facilè factum aliis remotioribus narrent.

22 Rosella autem *dict. vers. notorium*, ait, decem homines facere populum *Gloss.* 10. *quæst.* 11. *& secundùm Gloss. Ray. dicentem, quod si Parochia habeat mille Parochianos, & solùm decem ex illis graves, & honestæ personæ de focaria Sacerdotis scandalizantur, dici possit, quod populus scandalizetur. Quia decem homines populum faciunt.*

23 Quamvis autem in hoc casu non ita expressè videatur probari notorietas facti, sed solùm publicitas, nihilominus non parum confirmatur id, quod dicebamus, nempè decem homines, qui sciant evidenter factum, sufficere ad notorium facti simpliciter. Id, quod etiam confirmari poterit ex Molina infra, quamvis ipse etiam loquatur potius de publicitate facti in ordine ad infâmiam, sive ad licitam relationem criminum publicorum, quàm de propria notorietate facti, de qua nunc est sermo in ordine ad sciendum, quando percussor Clerici sit notorius, & juxta decretum Concilii Constantiensis vitandus.

24 Adrianus *in* 4. *de Eucharist. ante ult. dub. §. Oritur quæstio*, quærit similiter quot hominum scientia requiratur, ut aliquid dicatur notorium per facti evidentiam? Et respondet, requiri scientiam evidentem totius viciniæ, vel ferè. Quia testimonium unius Parochiæ facit crimen notorium esse, sed ad minus, inquit, requiritur scientia decem. Quia ubi tot non fuerint, non faciunt Parochiam.

Ni fallor, opinio Adriani talis est. Quærit, quot hominum scientia requiratur, ut aliquid dicatur notorium per facti evidentiam, idest, notorium simpliciter, & absolutè. Deindè respondet, requiri scientiam evidentem totius viciniæ, vel ferè, idest viciniæ cujuscumque, seu viciniæ constantis ex quocumque numero vel decem, vel plurium personarum. Quia, inquit, *testimonium unius Parochiæ facit crimen notorium esse*, idest facit esse notorium simpliciter, & absolutè, & non solùm in illa Parochia, seu vicinia, *sed ad minus requiritur scientia decem, quia ubi tot non fuerint, non faciunt Parochiam*, idest, ita requiritur scientia evidens totius viciniæ, vel ferè totius, quocumque numero constantis, ut ad minus sint decem, ut dictum est, qui sciant evidenter, quocumque, inquam, numero constantis, scilicet supra numerum novenarium, qui quidem numerus novenarius non constituit Parochiam, & per consequens, si solùm novem sciant, non poterit tunc dici, quod testimonium unius Parochiæ faciat crimen esse notorium simpliciter, & absolutè. 25

Factum igitur ex Adriano, tunc dicetur esse simpliciter, & absolutè notorium, quando illud noverint evidenter in una aliqua vicinia, seu Parochia, decem personæ contradistinctæ a delinquente, ut Testes delicti ipsius. 26

Similiter dicit Fagundez *part.* 2. *lib.* 5. *cap.* 3. *a n.* 2. notorium facti esse id, quod in præsentia multorum fit, ut in loco publico, verbi gratia, foro, in celebri Platea eo tempore, quo multis innotescere potuit, & nulla tergiversatione celari, vel quod majori parti viciniæ passim ob oculos versatur, ut si quis in platea pugnet, vel jurgia misceat cum clamore, vel publicè concubinam domi habeat, & domi filios alat. Existimo tamen hoc, quod est factum nulla posse tergiversatione, sive probabili ratione celari, esse quid consequens ad notorium simpliciter; hujusmodi autem notorium consistere præcisè in hoc, quod decem evidenter noverit, ut Testes distincti ab ipso delinquente. Addit deindè ibidem Fagundez, *ut aliquid dicatur notorium non opus esse, ut sumatur in ordine ad totam Urbem, & ut majori parti illius notum sit, sed sufficere, ut majori parti viciniæ, aut plateæ, aut vici notum sit. Quod enim in Urbe fit, in vicinia, platea, aut vico fit.* 27

Suarez tamen *tom.* 5. *de censur. disp.* 9. *sect.* 2. *num.* 11. docet, nullam certiorem regulam assignari posse, quam prudens arbitrium, itaut certus numerus definiri non possit, qui semper sit necessarius, sed modò majorem, modò minorem sufficere juxta adstantium qualitatem, authoritatem, & alias circumstantias. Existimo, ut paulò ante notavi, qualitates, & circumstantias hujusmodi conferre quidem ad hoc, ut factum aliquod evidenter notum decem personis, nulla possit tergiversatione celari, sed non pertinere propriè, ac formaliter ad constituendum illud in ratione notorii. 28

Cum Suarez, & aliis sentit Bonacina *de excommun. in com. disput.* 2. *quæst.* 2. *§.* 1. *num.* 5. ubi similiter respondet, id esse relinquendum judicio viri prudentis, cùm non idem numerus requiratur respectu omnium. Unde, inquit, *delictum commissum coram decem non esset notorium respectu magnæ Civitatis, quamvis respectu Collegii, aut viciniæ notorium sit.* 29

Sayrus *in thesaur. cap.* 12. *num.* 19. *notorium*, ait, *dicitur, quod majori parti viciniæ, aut Collegii, aut Oppiduli per Testes oculatos notum est. Unde scientia pauciorum, quàm sex, rem notoriam non reddit, sed neque sex, aut octo Testes vidisse in Civitate, satis erit, ut factum dicatur notorium*, & citat Henriquez.

Ex dictis habemus, quàm sint obscuræ, ac diversæ authorum opiniones de notorio facti, formaliter sumpto, in ratione numeri personarum. Ex quibus assero primò, opinionem Suarez, & aliorum, cum ipso sentientium, quod hoc relinquendum sit arbitrio prudentis, parum utile esse, saltem in pluribus casibus, in quibus opus est statim operari cum recto dictamine rationis, verbi gratia in vitatione percussorum notoriorum Clerici, posito, quod ad obligationem eos vitandi non requiratur definitio Judicis. Nec loquor, quando definiendum esset in judicio ad aliquos effectus, an hoc, vel illud factum esset notorium simpliciter. Quia tunc data majoris temporis opportunitate, maturè adhiberi potest diligentis necessaria inquirendi veritatem. 30

Loquendo verò de casibus frequenter accidentibus, in quibus opus est subita definitione, quomodo poterit aliquis facilè sibi persuadere hic, & nunc sufficientem adesse numerum personarum talium, vel talium qualitatum ad constituendum notorium in hoc, vel illo loco, nisi 31

prius saltem sciat numerum habitantium in tali Urbe, aut loco, &c. Quod certè, quàm difficilè, ac operosum sit, nemo non videt. Hæc ergo opinio præbet occasionem non levem scrupulorum, anxietatis, ac perturbationis conscientiæ timoratorum, præsertim contra intentum Concil. Constantiensis sub Martino V. & ideò nullo modo placet.

33 Assero secundò, eisdem rationibus refutandam esse illam aliam opinionem requirentem totius, aut majoris partis populi scientiam.

34 Assero tertiò, veram esse opinionem asserentem, sufficere scientiam majoris partis cujuscumque Congregationis personarum non pauciorum, quàm decem. Hanc assertionem sic explico. Quando Congregatio est decem personarum, vel plurium, tunc major pars sufficit ad notorium, præscindendo a notorio simpliciter, & a notorio secundùm quid. Si pars major non est decem personarum in aliqua ex dictis Congregationibus, sufficit tantùm ad notorium secundùm quid, ac respectivum. Si verò pars major est decem personarum, tunc distinguendum est, vel delictum, verbi gratia, commissum est ab una ex illis decem coram reliquis novem, vel commissum est ab aliqua alia persona coram omnibus illis decem. Si primum tunc erit notorium secundùm quid. Si secundum, erit notorium simpliciter, & absolutè. Quia populus, qui in rigore est populus, & non solùm pars populi, evidenter novit, cùm in primo casu solùm Testis sit pars populi.

35 Assero quartò. Ad notorium simpliciter, & absolutè requiri saltem decem Testes, qui evidenter factum sciant, & hoc sufficere. Probatur primò, ex opinionibus supra relatis. Deinde, ex confutatione opinionum contrariarum, præsertim Suarez, dicentis, nullam certiorem regulam assignari posse, præter prudens arbitrium, cùm potius hæc regula incertissima sit, ac difficillima. Contra verò in nostra opinione facilius, ac expeditius assignatur quidam numerus personarum certior & rationabilior, hoc est populus decem personarum, qui sit testis per evidentiam facti. Postremò, quia sic magis abest periculum peccandi, scrupulorum, ac perturbationis conscientiæ timoratorum.

36 Dixi in assertione, requiri saltem decem; &c. Quia nonnulli ajunt, non semper talem numerum denarium esse ad notorium sufficientem. Verùm possunt nihilominus ita explicari, ut in ordine ad aliquem specialem effectum requiratur notorium magis perfectum, seu quod sit notum evidenter pluribus, quàm decem. Et tamen adhuc verum est, quod notorium simpliciter, & absolutè sumptum constituatur per evidentem scientiam decem personarum, ut constat ex jam dictis, probando conclusionem.

37 Qualis autem notorietas requiratur ad obligationem vitandi percussores Clericorum juxta secundam illam exceptionem Concilii Constantiensis, prima opinio est Suarez loco citato, quam breviter explicat Filliucius *tract. 2. & 3. de censur. cap. 4. quæst. 5. num. 66.* ubi cum eodem Suarez quærit, quis dicendus sit notorius percussor Clerici? Deinde, respondet. Primò, requiri, ut sit notorius notorietate facti, non juris, idest, non per sententiam, sed per evidentiam facti. Secundò, ut sit talis evidentia, ut non possit ulla tergiversatione celari, nec satis est, inquit, quod probari possit per duos Testes, quia id tantùm efficit probabilitatem, non autem notorietatem, nec etiam satis est publica infamia, qui hoc dicitur famosum tantùm, non verò notorium, cùm ad hoc requiratur, ut delictum sit commissum coram multis testibus, & deinde eorum testimonio ita factum sit publicum, ut non possit ulla tergiversatione celari. Tertiò, eum testium numerum requiri, & satis esse, qui prudentis arbitrio, circumstantiis loci, & temporis consideratis, possit efficere factum notorium.

38 Hoc tertium requisitum adhuc explicat magis Suarez *ibidem num. 12.* quærens, an illi, qui vident delictum, teneantur vitare percussorem, antequàm delictum magis publicum, sive notorium fiat; Deinde ait, posse probabiliter responderi, quod si taliter committatur delictum coram aliquibus, ut nihilominus moraliter censeatur secretum, & occultum, quia nimirum qui testes fuerunt, taciti creduntur, & sub secreto servaturi delictum, in eo casu non teneantur ad vitandum hujusmodi delinquentem, etiam ii, qui delictum viderunt. Quia nondum delictum notorium est, quod Extravagans illa requirit. At verò si delictum ita fiat coram aliquibus, ut ex modo, ac circumstantiis, quibus fit, moraliter censeatur publicè fieri, & statim, ac sine ulla mora divulgandum esse, etiam possit statim censeri moraliter notorium, & consequenter sic deliquens excommunicatus statim sit vitandus ab iis, qui delictum viderunt. Quia quod parum distat, moraliter jam adesse censetur.

Secunda opinio est Fagundez *part. 1. lib. 2. cap. 5. numer. 11.* ubi advertit, non sufficere constantem famam, 39
quæ publicet, aliquem fuisse publicum percussorem Clerici, cùm adhuc excusari possit remedio juris, dicendo, quod non cognoverit, illum esse Clericum, quod fuerit ebrius, aut quod percusserit justè, se defendendo, & possit tergiversatione celare, allegando in judicio rumoris falsitatem. Et ita concludit, non esse notorium Clerici percussorem, quamdiu non constat per Judicis sententiam, illum juris remedio non posse excusari.

Primò, itaque requirit hic Author, quod percussio sit 40
notoria notorietate juris, ut nullo juris remedio possit excusari. Notorium autem juris dicit esse illud, de quo constat per juridicam sententiam, latam in legitimo judicio, vel per confessionem rei in judicio, vel per legitimam Testium depositionem in eodem judicio.

Secundò, requiritur, quod ea percussio nulla possit ter- 41
giversatione celari: *Unde*, inquit, *quamvis illa notoria sit, & patens multis, si tamen non sit notorium iis, qui illam viderunt, percussorem nullam habuisse legitimam excusationem, qua in eo facto a peccato excusaretur, adhuc non censetur vitandus*, citatque Sayrus *lib. 2. de censur. cap. 12. num. 18.* Et cùm dicit hoc loco Fagundez, percussorem hujusmodi non esse vitandum, quando non est notorium iis, qui viderunt, quod nulla adfuit legitima causa excusandi a peccato, videtur consequenter asserere, eum esse vitandum, quando notorium est iis, qui viderunt, nullam talem legitimam causam excusandi a peccato defuisse.

His positis, non video, qua ratione superiùs dixerit, 42
non sufficere constantem famam, quæ publicet, fuisse publicum percussorem Clerici, cùm adhuc excusari possit remedio juris, dicendo quod non cognoverit, illum esse Clericum. Quare dicendo, quod non cognoverit, illum esse Clericum, non est evitandus, quamvis ita dicendo non excusetur a peccato commisso, cùm etiamsi non cognoverit, illum esse Clericum, adhuc peccarit. Ac proindè non videtur cohærenter posteà asserere, eum percussorem esse vitandum, quando constat nullam legitimam causam excusandi a peccato adfuisse. Potest enim tunc constare nullam talem legitimam causam adfuisse, quando se excusaret, dicendo, quod non cognoverit esse Clericum. Ergo tunc esset, & non esset vitandus. Esset quidem vitandus, quia etiamsi diceret, quod non cognoverit esse Clericum, adhuc non excusaretur a peccato, cùm injustè, ut suppono, percusserit hominem. Item non esset vitandus, quia talem causam legitimam, ut Fagundez existimat, afferret, dicendo videlicet, quod non cognoverit esse Clericum.

Deindè ita ipse concludit, *opus esse, ut constat per-* 43
cussorem nullam habuisse causam percutiendi, ut evitetur. Nam si potest, inquit, *probabilitate aliqua allegare veram causam, qua a peccato excusetur, quamdiu non constiterit, non ita esse, non erit vitandus. Hoc autem constare non poterit, nisi post Judicis sententiam*, & citat eundem Sayrum, ubi suprà, Suarez *de censur. disp. 1. sect. 2. numer. 13.* Avilam *eod. tract. part. 6. dub. 4. §. Tertiò, sequitur*. Denique *numer. 15.* ait, *quandiu percussio non est notoria notorietate facti, & juris simul, percussorem non esse vitandum. Nam quamvis sit notoria facto, itaut factum illud nulla tergiversatione celari possit, adhuc poterit remedio juris excusari. Oportet ergo, ut utraque notorietas concurrat, quia rarò continget, percussorem Clerici ita esse notorium facto, ut non possit aliquo juris remedio probabilitate aliqua excusari.*

Sayrus autem eo *lib. 2. cap. 12. numer. 18. §. Quartò,* 44
infertur, ait, solum excommunicatum notorium ob Clerici percussionem, ante denunciationem tum privatim, tum publicè vitandum esse, duobus concurrentibus. Primum est, si adeò manifestè constet, aliquem in eam excommunicationem incidisse, ut nullo modo celari possit. Secundum est, ut notorium etiam sit, percutientem nullo juris remedio, aut ratione excusare se posse, quominus in excommunicationem inciderit.

At ipse non intelligo duo hæc requisita a Sayro. Si 45
enim, ut dicitur in primo requisito, adeò manifestè constet, aliquem in eam excommunicationem incidisse, ut nullo modo celari possit, hoc ipso notorium est ei, qui obligari videretur ad vitandum percussorem, nullo juris remedio, aut ratione excusare se posse, quominus in excommunicationem inciderit. Nam si posset se aliquo juris remedio, aut ratione excusare, non constaret ipsi manifestè percussorem in excummunicationem incidisse. Ergo superfluum est secundum requisitum.

Puto

46 Puto tamen ita intelligendum eſſe, quod ibi dicit, ut nimirum primò requirat, debere adeò manifeſtè conſtare, percuſſorem in excommunicationem incidiſſe, ut nullo modo celare poſſit, ideſt ex parte ipſius facti, ſeu percuſſionis Clerici, ut ſic præcisè, non verò ſimpliciter, & abſolutè, niſi addatur ſecundum requiſitum, quod ſcilicet talis percuſſor nullo juris remedio, aut ratione poſſit ſe excuſare. Et ideò fortaſsè Sayrus poſuit tale exemplum dicens: *Unde licèt notorium ſit Petrum percuſſiſſe Clericum, ſi tamen notorium etiam non ſit, Petrum nullam excuſationem pro ſe habere, vitari non debet, antequam citatus denuncietur excommunicatus.* Quia verò hæc duo rarò concurrunt, ſiquidem, ut ait Gabr. *in 4. diſtinct. 18. art. 3. quæſt. 1. notab. 3.* vix in aliquo tanta poterit eſſe facti evidentia, ideò rarò ſic excommunicatum ante denunciationem vitare tenemur.

47 Antequam definiamus, quid in hac quæſtione dicendum ſit, ponderanda ſunt verba Concil. dum ab illo indulto in favorem animarum edito excipit notorium Clerici percuſſorem: *Salvo ſi quem*, ait Concilium Conſtantienſe, *pro ſacrilega manuum injectione in Clericum, ſententiam latam a Canone adeò notoriè conſtiterit incurriſſe, quod factum non poſſit aliqua tergiverſatione celari, neç aliquo ſuffragio excuſari*, Suarez *ubi ſupra num.* 12. aliqualiter diverſis verbis recitat hanc eamdem exceptionem Concil. ubi ſic: *Aut ſi aliquam ita notoriè in ſententiam Canonis conſtiterit incidiſſe, quod factum non poſſit aliqua tergiverſatione celari, ideſt ſi quem adeò notoriè conſtiterit in ſententiam canonis incidiſſe*, jungendum verbum *notoriè* cum verbo *conſtiterit*. Sed ego exiſtimo non eſſe veram opinionem Suarez & Concil. eſſe ita explicandum, ut verbum, *notoriè* jungatur cum verbis, *ſententiam latam a Canone incurriſſe*, ideſt, *ſalvo, ſi quem adeò notoriè*, ſententiam Canonis incurriſſe *conſtiterit*.

48 Aitque ibi Suarez verba illa Extravagantis non requirere, ut delictum abſolutè ſit notorium, ſed ut notoriè conſtet, delinquentem incidiſſe in ſententiam Canonis. Et ideò proponens hanc dubitationem, an ſcilicet videntes Clerici percuſſorem, teneantur percuſſorem vitare, antequam fiat magis notorium? Reſpondet, quamvis delictum illud non ſit notorium ſimpliciter, & reſpectu omnium, eſſe tamen notorium iis, qui viderunt, ac per conſequens id eſſe ſatis, ut reſpectu aliorum excommunicatus ille vitandus ſit.

49 Contrarium puto eſſe verius, hoc eſt hujuſmodi videntes percuſſionem Clerici, niſi ſint ſaltem decem contradiſtincti a delinquente, non teneri ad vitandum. Quod igitur ſpectat ad ſententiam, ac interpretationem Suarez ſic arguo. Et primò, ſuppono Suarez per verbum, *notoriè*, intelligere notorium immediatè, vel mediatè, ut patet ex dubitatione, quam propoſuit. An videntes teneantur vitare, antequam fiat magis notorium. Propterea in reſponſione ait, *quamvis delictum illud*, non ſit notorium ſimpliciter, & reſpectu omnium, eſt tamen notorium iis, qui viderunt. Igitur per notorium intelligit id, quod eſt notum alicui per ſenſum, ſive immediatè, ſive mediante fideli relatione, vel ſcilicet prudenter dubitari de veritate non poſſit, quamvis id delictum non ſit notorium immediatè multis.

50 His poſitis ſic arguo. Noſtra interpretatio magis convenit cum intentione Concilii, quàm illa Suarez. Quod ſic probo. Si enim *notoriè* jungatur cum verbo *conſtiterit*, videtur eſſe potius contra intentum Concilii excipientis ab illo indulto, in favorem animarum edito, percuſſorem Clerici notorium. Intendit enim Concilium, hoc ſuum indultum eſſe ampliſſimum, itaut exceptio hujuſmodi percuſſionis accipiatur adeò limitatè, ut valdè parum diminuat amplitudinem indulti illius generalis, quod probè ſit, *ſi notoriè* jungatur non cum verbo *conſtiterit*, ſed cum verbis *in ſententiam Canonis inciderit*.

51 Et patet. Quia ſi cum his verbis jungatur, limitatur exceptio, itaut non dicatur tàm amplè, quod ſcilicet vitandus ſit percuſſor Clerici, quandocumque notoriè conſtiterit, ſive notum fuerit immediatè, vel mediatè, eum in ſententiam Canonis incidiſſe, ſed dicatur cum tali limitatione, ideſt quando notum fuerit certò moraliter percuſſorem notoriè incidiſſe in ſententiam Canonis, hoc eſt coram multis.

52 Jam verò ad propoſitam quæſtionem reſpondeamus, qualis ſcilicet notorietas requiratur ad obligationem vitandi percuſſores Clericorum juxta exceptionem Concilii. Et dico primò, requiri ſaltem decem Teſtes, ſcientes per evidentiam facti, & contradiſtinctos ab ipſo delinquente. Probatur. Nam etſi lex de vitando tali percuſſore, edita ſit in favorem Ordinis Eccleſiaſtici, eſt nihilominus exceptio ab indulto maximè favorabili animabus. Atque adeò quam minimè poteſt, derogare debet tali indulto, cùm præſertim ſit lex pœnalis, & quidem non ſolùm reſpectu delinquentium, ſed etiam aliorum innocentium, qui tàm ſeverè obligantur ad abſtinendum a communicatione cum hujuſmodi notoriis Clericorum percuſſoribus. Ac proinde lex iſta quoad fieri commodè poteſt, reſtringenda eſt potius, quàm amplianda. Hoc autem fit, ſi dicamus, fideles obligari ad vitandum, quando adeſt notorietas delicti, quæ ſit notorietas ſimpliciter, & abſolutè, ſeu quæ ſit propriè, ſecundùm quid, ac reſpectivè.

Unde Bonacina *de excommun. in comm. diſput. 2. quæſt.* 53
2. §. 1. *numer.* 5. ait, delictum commiſſum coram decem non eſſe notorium reſpectu magnæ Civitatis, quamvis reſpectu Collegii, aut viciniæ notorium ſit. Et Avila plus addit *part. 2. cap. 7. dub. 2.* quod nimirum non ſit notorius plus Clerici percuſſor in magna Civitate ille, qui percuſſit coram decem, vel duodecim, benè tamen in Oppido parvo, & in vicinia illius magnæ Civitatis.

Rogabis, an decem iſtæ perſonæ, ad hoc, ut percuſ- 54
ſio ſit notoria ſimpliciter, debeant eſſe ex diverſis domibus, viciniis, &c. an verò ſatis ſit, ſi ſint ex vicinia eadem omnes, aut ex eadem domo, &c.

Reſpondeo, ſive ſint ex eadem, ſive ex diverſis, ſuf- 55
ficere ad notorium ſimpliciter, & requiſitum ad obligationem vitandi percuſſorem Clerici. Nam Authores requirentes decem perſonas, loquuntur abſque illa diſtinctione, & abſolutè requirunt ſaltem decem, ut ex dictis colligitur. Et confirmatur. Quia ſi alio modo requirerentur hujuſmodi decem teſtes, ſæpè eſſet impoſſibilis notitia circa Teſtes requiſitos, ac ſufficientes ad hoc, ut dicerentur obligati ad tales percuſſores vitandos, ut ex ſe patet, & ex his, quæ contra Suarez jam diximus.

Dices fortaſsè, ſi hoc modo debeat ſumi notorietas 56
ſimpliciter, & abſolutè, ſequitur, quod ſi ſupponatur, ut probabilis opinio, quæ dicit aliquando in aliqua Civitate requiri plures, quàm decem ad notorium, debeat etiam dici tunc non obligari fideles ad vitandum percuſſorem Clerici notum tantùm decem teſtibus per evidentiam facti. Reſpondeo, concedendo ſequelam propter rationem hactenus aſſignatam.

Reſtat, ut dicamus de alio requiſito a Concilio, nem- 57
pè, ut nulla tergiverſatione celari poſſit, nec aliquo juris ſuffragio excuſari. Deinde de notitia hujuſmodi delicti, quam debeat habere is, qui obligandus ſit ad talem notorium percuſſorem vitandum.

Dico ſecundò. Ultra notorietatem prædictam, requi- 58
ritur, ut factum non poſſit aliqua tergiverſatione celari, nec aliquo juris ſuffragio excuſari, ut retulimus ex verbis Concilii, ideſt, ut percuſſio hominis, atque hominis Clerici, nulla tergiverſatione celari poſſit, quatenus percuſſor benè novit, illum eſſe Clericum. Rurſus, ut nullo poſſit remedio juris excuſari, ideſt non poſſit excuſari ab Excommunicatione Canonis incurſa. Si ergo verba Concilii ita intelligantur, benè apparet qua ratione hæc duo non ſignificent omninò idem, ſed diverſa, nempe certitudinem percuſſionis injurioſæ in hominem Clericum, & certitudinem incurſæ excommunicationis.

Ideòque rectè Suarez illo *tom. 5. de cenſur. diſputat. 9.* 59
ſect. 2. numer. 3. inquit, illa verba, *neque aliquo juris ſuffragio excuſari*, intelligenda eſſe de probabili ſuffragio, & ita apparente, ut conſtituat rem dubiam, ut ſi alleget, ſe via defenſionis percuſſiſſe, quod ait, præſumi potius debet, quamdiu oppoſitum non conſtat. Deinde addit, *ſimiliter, ſi conſtanter neget percuſſum eſſe Clericum, & ex circumſtantiis, & qualitate perſonarum id reddatur veriſimile, aut ſaltem oppoſitum reddatur incertum, & probatur ex fine Concilii intendentis tollere dubia, ideoque feciſſe illam exceptionem de percuſſore in caſu certo, non verò dubio. Quandiu ergo non eſt certum, & indubitatum, percuſſor non eſt talis, qualis eſſe debet, ut vitetur.* Poſtea concludit: *Quacumque ratione excuſatio probabilis ſit, aut probabile ingerat dubium, non erit caſus, in quo vitandus ſit.*

Maximè placet hæc doctrina Suarez, niſi quod illud 60
additum, *Similiter ſi conſtanter neget percuſſum eſſe Clericum*, pertinet potius ad priorem illam certitudinem, quàm certum eſſe debet, quod percuſſor ſciens, ac volens percuſerit, non tantùm hominem, ſed etiam hominem Clericum.

Nunc de notitia, quam habere quis debet, ut obligetur vitare Clerici percuſſorem, Suarez ubi ſupra *num.* 11. 61
ait, *neceſſarium eſſe, quod tale delictum factum ſit coram mul-*

multis, & deinde, ut ex eorum teſtimonio ita factum ſit publicum, ut nulla tergiverſatione poſſit celari.

62 Deinde quærens, quantus teſtium numerus ad hujuſmodi notorietatem facti requiratur, ait, ut ſupra etiam notavimus, nullam certiorem regulam aſſignari poſſe, quàm prudentis arbitrio, nullumque certum numerum. Teſtium deſignari poſſe, qui ſemper neceſſarius ſit, ſed juxta eorum qualitatem, & authoritatem, & alias circumſtantias interdum majorem, interdum minorem ſufficere. Idemque dicendum eſſe de publica notitia talis facti ex hujuſmodi Teſtium relatione. Non enim oportet, ut res ubique divulgata ſit, aut in tota Civitate, vel Oppido, ſed in magna ejus parte juxta prudentum arbitrium. Quaſi dicat Suarez, ſi attendamus ad ejus verba præcisè, ultra notorietatem facti, requiri etiam ejuſdem publicationem, & quidem talem, ut nullus tergiverſationi locus ſit.

63 Idemque habet Filliucius *tract. 13. & 3. de cenſur. cap. illo 4. quæſt. 5. num. 6.* in epilogo ejuſdem *cap. 4.* ubi ait, eum dici notorium percuſſorem Clerici, qui per evidentiam facti ita percuſſit, ut nulla tergiverſatione celari poſſit, ideoque requiri, ut delictum coram multis Teſtibus factum ſit, ac deinde ex eorum teſtimonio factum ſit publicum. Similiter dixerat idem Filliucius *num. 7.* ejuſdem *quæſt. 5.* de notitia denunciationis ad hoc, ut obliget ad vitandum excommunicatum: *Debet enim, inquit, notitia eſſe talis, ut ex parte Judicis ſit actione aliqua publicè uſitata ad res juridicè promulgandas manifeſtata. Ex parte verò aliorum debet, vel per teſtimonia digna fide, vel per publicam famam in eorum notitiam venire, denunciationem eſſe factam. Non debet autem notitia ex fama eſſe dubia, ſed moraliter certa.*

64 Cæterum ſi velint ambo, adhoc, ut adſit obligatio vitandi reſpectu omnium requiri publicationem, ſive denunciationis excommunicati, ſive in noſtro caſu excommunicationis incurſæ ob notoriam Clerici percuſſionem, ſi hoc, inquam, velint, non repugno. Si verò velint publicationem hujuſmodi requiri, ut aliquis obligetur, itaut is non maneat obligatus ad vitandum, niſi facta ſit communis ea publicatio, & non ſufficiat notitia moraliter certa, quam ipſe habeat, quantumvis non ſit facta communis publicatio reſpectu aliorum, ſi inquam, hoc ſecundum velint, ipſis non aſſentior, cùm non ſit negandum, quod teneatur quis vitare percuſſorem Clerici notorium, quem nulla probabilis tergiverſatio facti, vel juris celare, aut excuſare poteſt, ſi ſolus totum id novit per relationem habitam ab aliquo, vel aliquibus fide dignis, ſtaut dubitare de veritate non poſſit, quamvis rarò id poſſit contingere, ut certò adeò conſtet moraliter ſine ſententia Judicis.

65 Dico igitur tertiò. Si detur aliquando iſte caſus, ut alicui conſtet per teſtimonium fide omninò dignum, itaut nulla probabili ratione dubitare queat, tum de percuſſione hominis Clerici, tum de incurſa excommunicatione, debitur obligatio in illo ad vitandum. Quod tamen ut dictum eſt, rarò continget.

66 Unde dico quartò, regulariter loquendo, requiri ſententiam Judicis, declarantem, ſivè denunciantem excommunicationem incurſam, ut ſic conſtare poſſit iis, qui talem percuſſorem vitare tenentur, vel immediatè per ipſam denunciationem, vel mediatè per certam relationem. Quando enim non concurrunt omnia requiſita adhoc, ut percuſſor Clerici ſit vitandus, remanet iſte comprehenſus in illo generali, ac favorabili indulto Concilii, & per conſequens non vitandus: Quare ait Fagundez, quem ſupra citavimus, quamdiu percuſſio non eſt notoria notorietate facti, & juris ſimul, percuſſorem non eſſe vitandum. Sayrus ſimiliter, ubi ſupra, inquit, quamvis notorium ſit, Petrum percuſſiſſe Clericum, ſi tamen notorium etiam non ſit, Petrum nullam excuſationem pro ſe habere, vitari non debet, antequam citatus denuncietur excommunicatus.

67 Plura alia, quæ nos hìc examinare non poſſumus, docet loco citato Sayrus, qui *num. 21.* infert ea, quæ de vitando, aut non vitando excommunicato dixit, locum etiam habere in aliis cenſuris, ac ſententiis a jure, vel ab homine latis. Primò, ut ſuſpenſus, & interdictus vitandus ſit in his, quæ per cenſuram eis prohibita ſunt, ubi is pro tali denunciatus fuerit, & talem non vitans in officiis divinis, aut in actibus deputatis ſuis ordinibus, aut in Sacramentis, peccat mortaliter, ſi talis ſuſpenſus fuerit ab officiis divinis, aut Sacramentorum adminiſtratione, vel receptione, & ſic ſuſpenſus denunciatus, & citat Navar. *in man. cap. 27. num. 163.*

68 Quamobrem non approbat Sayrus id, quod ait Henriq. *lib. 13. de excommun. cap. 5. §. 5. quod ſcilicet* ſcandalo ſecluſo, non peccat mortaliter is, qui a denunciato ſuſpenſo audit Miſſam, aut ſimul cum illo miſſæ, & aliis divinis officiis intereſt, ſi illum nullo modo induxit, cùm nullo jure probetur præceptum; hoc inquam, non approbat Sayrus cum Navarr. *in cap. 1. §. Laboresgn. 17. Quia Extravagans ad evitanda* eodem modo diſponit de excommunicatis, ſuſpenſis, & interdictis vitandis poſt denunciationem, Bonacina etiam *de excommun. in comm. 1. quæſt. 2. §. 1. num. 8.* loquens de ſuſpenſo, vel interdicto, vel irregulari vitando, ſimiliter ait, illum dici, qui denunciatus eſt ſuſpenſus, vel interdictus vel irregularis.

Addit Sayrus ibidem, cùm ſic ſuſpenſo a divinis licitè participari in humanis, cùm humana illi non ſint 69
prohibita. Immò eum, qui cum illo participat in divinis, non incurrere cenſuram aliquam, cùm nullo jure id exprimatur.

Secundò, infert Sayrus, quod ſicut excommunicatus 70
denunciatus caret uſu juriſdictionis, ita etiam ſuſpenſus a Sacramentorum adminiſtratione, & denunciatus validè abſolvere non poteſt.

Tertiò, infert, quod ſicut excommunicatus notorius, 71
excepto Clerici percuſſore, non privatur juriſdictione, nec in humanis, aut divinis vitandus eſt ante denunciationem ab eo, qui ſcit illum excommunicatum, ita neque ſuſpenſus, aut interdictus, etiam notorius in humanis, aut divinis vitandus eſt, antequam denuncietur.

Et quartò, quod ſicut excommunicatus, etiam nomi- 72
natim, & ſpecialiter ante denunciationem Parochiano petenti Sacramenta miniſtrare poteſt, & validè abſolvere, etiam abſque peccato, dummodò conteratur, ita etiam ſuſpenſus, aut interdictus, ſi denunciatus publicè, & nominatus non ſit, ſubditis petentibus Sacramenta, licitè, ac validè miniſtrare poteſt, nec miniſtrando peccat, aut irregularitatem incurrit.

CONSULTATIO CXVI.

An, & quatenus juriſdictio, ac jura, etiam Epiſcopalia præſcribi poſſint? Et quid de juriſdictione Epiſcopi viſitandi ſuos ſubditos?

JUriſdictionem, ac jura etiam Epiſcopalia poſſe conſuetudine legitimè præſcripta a non Epiſcopis acquiri, manifeſtum eſt ex *cap. auditis de præſcript.* ibi: *Ut videantur in eis Epiſcopale jus legitime præſcripſiſſe*, & ex *cap. Cùm olim eod. tit.* ac utrobique Gloſſ. & DD. & ex *cap. Cùm perſonæ*, ubi Doctores *de privil. in 6.* & nominatim Innocent. *num. 2.* traduntque Panorm. *in d. cap. auditis*, & *in cap. Cæterum num. 3. de judiciis*, & *cap. ſuper eo, num. 6. de paroch.* Gemin. *in cap. ſtatutum §. Cùm verò num. 3. de reſcript. in 6.* ac Rota *deciſ. 2. num. 1. de præſcript.* & *deciſ. 207. num. 6. part. 2. diverſ.* & *deciſ. 394. num. 2. part. 1. recent.* Seraph. *deciſ. 455. num. 1. & 2.* Gregor. XV. *deciſ. 289. num. 7.* Gratian. *diſcept. 212. num. 13.* Bellet. *diſquiſit. Clericor. part. 1. tit. Juriſdictio Abbat. S. Michaelis de Cluſ. §. unic.* ubi latè probat, inferiores Epiſcopis poſſe præſcribere contra Epiſcopos exemptionem, ac omnia jura ad utramque legem ſive juriſdictionis, ſive diœceſanam pertinentia, & quidem non tantùm cumulativè, ſed etiam privativè. 1

Et ſanè duo ſunt, quæ juriſdictionem tribuere poſſunt, privilegium, & conſuetudo, Rota *deciſ. 577. num. 10.* & *deciſ. 384. num. 34. part. 5. rec.* Et propterea quod conſuetudo poſſit præſcribere juriſdictionem Epiſcopi, etiam in Eccleſiis Cathedralibus regularibus, docet Corn. *conſ. 93. num. 5.* & firmat Rota *deciſ. 69. num. 2. part. 1. rec.* Quod multò magis verum eſt de conſuetudine immemorabili, pluribus ſæculis præſcripta, qualis eſt, quod inferiores habeant juriſdictionem in ſuos ſubditos privativè ad Epiſcopos. Hujuſmodi enim conſuetudo hanc juriſdictionem eis tribuere potuit, *can. conqueſtus 9. quæſt. 3. cap. Irrefragabili §. 1. cap. dilectus in princip. de offic. Ordin. cap. Cùm contingat de for. compet.* Rota *d. dec. 577. num. 9.* Eo magis, quod immemorabilis, & privilegium pari paſſu incedunt, Rota *deciſ. 604. num. 2. p. 2.* & *dec. 379. num. 5. p. 5. rec.* Pegna *deciſ. 138. num. 5.* Habetque vim cujuſcumque tituli, ac juſtæ cauſæ, Seraph. *deciſ. 303. num. 4.* & *dec. 707. num. 3.* Unde per eam acquiritur juriſdictio, etiam in loco exiſtente intra Diœceſim Epiſcopalem, Rota *dec. 24. num. 26. part. 10.* Et ſimilis conſuetudo cognoſcendi cauſas in præjudicium Epiſcopi non fuit abrogata per S. Concilium Tridentinum *ſeſſ. 24. cap. 20. de reform.* ut ex decreto ejus S. Congregationis in Palentina Archidiaconatus 10. Martii 1575. adnotavit Seraph. *deciſ. 585.* Immemorabilis enim præbet titulum, ac jus. Pegna *deciſ. 63. num. 2.* & *deciſ. 128. n. 2.* 2

Non

3 Non obstant Textus in *cap. Irrefragabili de offic. Ordin.* & *in cap. Cùm ex officio de præscript.* Caputaquens. *decis.* 306. *part.* 1. *num.* 5. & 6. ac Posth. *de manut. observat.* 44. *num.* 36. Nam loquuntur de præscriptione correctionis, seu visitationis, sive reformationis, sive etiam procurationis, Episcopo visitanti debitæ, sive de exercitio jurisdictionis, jurisdictione manente, ac suppositâ, ut patet ex illis verbis *d. cap. irrefragabili. Decernimus, ut exequutionem ipsorum, scilicet correctionis, & reformationis, nulla consuetudo, vel appellatio valeat impedire.* Aliud enim est correctio, ac reformatio; aliud jus corrigendi, & reformandi. Primum supponit jurisdictionem permanentem, si legitimè fit, & non potest præscribi consuetudine, quia non potest impediri, quominus superior habens jus corrigendi, ac reformandi non corrigat, neque reformet. Id enim est contra jus naturale, ac divinum, contra quod non valet consuetudo, & idcircò a subditis adversus Prælatum suum obedientiam non exibere nunquam præscribitur, *cap. licèt de præscript.* At jus corrigendi contra Episcopum præscribi potest, & alteri acquiri. Sic subditi, licèt non possint præscribere, ut a nullo corrigantur, vel quod nullus habeat jus illos corrigendi, possunt tamen præscribere, ut jus illos corrigendi alteri competat.

4 Id probatur ex eodem *cap. Irrefragabili*, ubi hæc habentur: *Excessus tamen Canonicorum Cathedralis Ecclesiæ, qui consueverunt corrigi per Capitulum, per ipsum in illis Ecclesiis, quæ talem hactenus consuetudinem habuerunt, ad commonitionem, seu jussionem Episcopi corrigantur.* Ex his clarissimè liquet, quod Capitulum contra Episcopum potuit consuetudine acquirere jus corrigendi Canonicos. Non absimile habetur ex *dict. cap. cùm officii* per hæc verba: *Cùm contra procurationem, quæ ratione visitationis debetur, præscribi nequiverit, quemadmodum nec contra visitationem ipsam, & si alius contra eum præscribere posset utramque.* Ex quibus licèt procuratio non possit præscribi, jus tamen visitandi, & sic habendi procurationem, potest auferri ab Archiepiscopo, & ab alio præscribi.

5 Certum igitur est, quod jura Episcopalia præscribi possunt etiam a subditis, qui licèt consuetudine non possint obtinere, ne ulli subsint, vel subsunt Episcopo, ne ab Episcopo corrigantur, aut reformentur, aut visitentur, possunt tamen consuetudine assequi, ut subsint alii, non autem Episcopo, vel ut sint immediatè sub cura Sedis Apostolicæ, ut probat Oldrad. *cons.* 172. *num.* 5. & *cons.* 254. *num.* 1. Et hæc consuetudo est rationabilis. Nam est approbata a jure, ut diximus, immò de qua est lex. Quia cùm consuetudo sit lex non scripta, illa consuetudo est rationabilis, quæ habet conditiones justæ legis, Gemin. *in cap.* 1. *de consuetud. in* 6. Butr. *in capit. final. de consuetud.* Sylvest. *v. consuetudo quæst.* 1. *num.* 2. Tabien. *eodem v. num.* 5. Sot. *de justit. lib.* 1. *quæst.* 7. *art.* 2. Sanchez *de matrimon. lib.* 7. *disp.* 4. *num.* 41. Suarez *de legib. lib.* 7. *cap.* 6. *n.* 17. Gabr. Martinez *part.* 2. *quæst.* 97. *num.* 3. *dub.* 2. Martinez de Prado *capit.* 3. *quæst.* 14. *numer.* 12. & Fermosin. *in rubric. de consuet. quæst.* 1. *num.* 7. Vide quæ alibi pluribus in locis hac de re diximus.

CONSULTATIO CXVII.

An, quatenus, & quam Eminentissimi Cardinales in Ecclesiis suis Titularibus habeant jurisdictionem Episcopalem, vel quasi Episcopalem? Quam in rem animadversio.

1 EDidit hac de re disceptationem Eminentissimus Cardinalis Albitius, sæculi nostri alter Scevola, typis Romanis excusam sub anno 1668. in qua paucis ferè omnia, quæ ad hanc jurisdictionem pertinent, complectitur. Quoniam autem illa non est omnibus obvia, idcò huc eam adducere operæ pretium censuimus, ac restrinximus. Ea hæc est. Domus fidelium in Sacrorum usum conversæ, quas nos Ecclesias dicimus a majoribus nostris Tituli appellabantur, sive quia in earum consecratione, & erectione Crux ponebatur in Titulum, ut censet Baronius *tom.* 2. *ad annum* 112. *num.* 5. & 6. & in notis ad Martyrologium die 16. Julii *v. Titulus*. Bimius in vita Evaristi *vers. Hic titulus*, quo ex more emanarunt Constitutiones, ne quis ædificaret Ecclesiam, nisi prius Civitatis Episcopus veniat, & ibi Crucem figat, ut patet ex Concilio Aurelianensi registrato *in can. nemo* 9. *de consecr. dist.* 1. & *in leg. Decernimus Cod. de Sacros. Eccl.* & *in auth. Ut nullus tit.* 17. *in cap. franc. lib.* 5. *cap.* 239. & in Rituali Romano *de divin. offic. cap. de ædific. Eccles.* Sive quia ad fores Ecclesiarum in honorem Martyrum erectarum Vela quædam suspendebantur, in quibus depingebantur ipsius Martyris imago, aut nomen, quæ Tituli dicebantur, ut ex Gregorio Turonensi *lib.* 4. *mirac. B. Martini*, & ex S. Paulino *Natal.* 6. qui sic canit.

. . . . Qui plura tegentis
Vela ferant foribus, seu pura splendida lino
Sive coloratis textum fucata figuris.
Hi leves Titulos lento poliant argento
Sanctaque præfixis obducant limina lamnis.

Quæ vela Divus Ambrosius Cortinas Regias appellat *lib.* 5. *epist.* 33. Sive quia in ædibus in honorem sanctorum erectis affigebantur Tabellæ quædam cum inscriptione nominis illius Sancti, quo ædes Deo erat dedicata, quæ tituli vocabantur, desumpta nomenclatura a fiscalibus Titulis, de quibus in *l. si quando* 2. *Cod. de bon. vac. lib.* 10. Cùm enim bona vacantia fisco incorporanda essent, hujusmodi incorporatio per Tabellæ, sive Tituli impositionem fiebat, quæ nonnisi a fisco poterat apponi, ut in *Cod. ut nemo privatus Titulos*, & *in leg.* 1. *Cod. de navib. non excus. lib.* 10. ex Cassiodoro *lib.* 4. *epistol.* 14. & *lib.* 5. *epist.* 6. & *lib.* 9. *epist.* 18. ex Symmacho *lib.* 2. *epist.* 27. & *lib.* 5. *epist.* 54.

Ideò Imperator Justinianus *in Novel.* 28. *cap.* 5. ve- 2
tuit, *ne aliquis Titulum imponat prædiis, vel alienis ædibus; Siquidem hoc solummodo Fisci proprium est, & Regiarum domorum tàm nostrarum, quàm Pientissimæ Augustæ. Si verò sub alterius appellatione Tabulas, sive Titulos impositos deprehendet tàm ipsas protinus detrahet, quàm eum, qui illas affixerit pervestigabit &c.* Quod repetit in *Nov.* 39. seu *Auth. de Prætore Paphlagoniæ cap.* 4. *§. Certè*, & *Novel.* 30. sive de Prætore Capadociæ *cap.* 8. *in fine*. Concordant Textus *in l.* 2. *Cod. ut nemo privatus Titulos*, & *in leg. fin. ff. quod vim, aut clam.* In illo enim statuitur, ne quis Vela Regia suspendere vel Titulum audeat. In isto autem habetur, si ad januam meam Tabulas affixeris.

Sive denique quia cùm domus fidelium in Sanctorum 3
hominum memoriam ædificarentur, memoria illa Titulus vocabatur, desumpto argumento a Sacris literis. Nam *lib.* 2. *Reg. cap.* 18. habetur: *Porrò Absalon erexit sibi, cùm adhuc viveret, Titulum, qui est in valle Regis: Dixerat enim non habeo filium, & hoc est monumentum nominis mei, vocavitque Titulum nomine suo.* Sic etiam Jacob *Genes. capit.* 18. lapidem, quem suppositi capiti suo, cùm in somnis vidit scalam, erexit in Titulum.

Utcumque sit Ecclesiæ in honorem Sanctorum ædifi- 4
catæ ab initio nascentis Ecclesiæ Tituli vocati sunt. Sic ex Prudentio *hymno* 5. de S. Vincentio.

Jam nunc & ossa extinsero,
Ne sit sepulchrum funeris,
Quod plebs gregalis excolat,
Titulumque figat Martyris.
Ex Hymno 12. *Parte alia Titulum Pauli via servat Ostiensis.*

Et istius sunt sententiæ, ultra Baronium *loco citato*, 5
Honuphrius Panvinius *de septem urbis Eccles. cap.* 2. *in princip.* Azor. *instit. moral. tom.* 2. *lib.* 4. *cap.* 1. Naucler. *de Monach. divin. Ecclesiast. & secular. tom.* 1. *part.* 2. *lib.* 4. Martin. Roa *lib. singul. cap.* 10. *in finem* & de die natali *c.* 22. Juret. *ad Symmach. epist.* 23. Amaya *ad leg. si vacantia a num.* 3. *Cod. de bon. unic. lib.* 10. Jo: Ferrand. Anicien. *in disquisit. Reliquiaria lib.* 1. *cap.* 6. *art.* . Et hoc nomen Tituli a tutando derivasse, eo quod ubi essent affixæ Tabulæ pro suo vindicarent, atque tuerentur, voluit Cujacius, Juretus, & alii citati ab Amaya *dict. leg. si vacantia num.* 6. Quod tamen non placet Julio Cæsari Scaligero *lib.* 1. *poet. cap.* 9. quem referunt Ludovic. a Cerda *lib.* 3. *Æneid. vers.* 545. Theodor. Hœping. *in tract. de insigniis cap.* 22. *§.* 1. *num.* 15. Nam credidit Scaliger verbum Tituli derivare a verbo græco *Timi*, quod honorem significat, ut idem sit honor, ac Titulus.

Et ex his assentire non possum Ciacconio in vita San- 6
cti Higinii Papæ in discursu *de origin. Cardin.* quem sequutus est Casalius *de veter. Sacr. Christian. ritib. c.* 83. & novissimè Passerin. *de statib. & offic. homin. tom.* 1. *q.* 185. *n.* 20. existimantibus, Titulos nihil aliud esse, quam redditus, vel proventus ex villis, prædiis, feudis, aut agris a piis, sive viris, sive fœminis ad alendos Ecclesiæ ministros relicti, & hinc ortos esse Titulos Equitii, Vestinæ, Pammachii, Lucinæ, Julii, Calisti, Damasi, Pastoris, Eudoxiæ, Emilianæ, Crescentiæ, Fasciolæ, Tygridæ.

Nam

7 Nam nomen Tituli non bonis, & redditibus applicatum fuit, ſed ædibus, & Eccleſiis ad divinum Cultum deſtinatis, ut colligitur ex Baronio *in notis ad Martyrolog. die 19 Junii*, ubi de titulo Veſtinæ, & *die 26. Junii*, ubi de titulo Paſtoris, & *die 1. Auguſti*, ubi de titulo Eudoxiæ, & de titulo Equitii. Damaſius in Sylveſtro hæc habet: *Hic fecit in Urbe Roma Eccleſiam in prædio cujuſdam Presbyteri ſui, qui vocabatur Equitius, quam Titulum Romanum conſtituit juxta Thermas Dioclet ianas, qui uſque in hodiernum diem appellatur Titulus Equitii*. Et de Titulo Veſtinæ Anaſtaſ. in Innoc. primo, *eodem tempore dedicavit Baſilicam Sanctorum Gervaſii, & Protaſii*. Et infra: *Titulum Romanum conſtituit*. Et opinionem Ciacconii reprobat Victorellius ad eumdem Ciaccon. *loco cit. verb. Tituli autem pag.* 46. dum ait, *Evariſtus Pontifex, dum Titulos in urbe diviſit, nullam de redditibus mentionem fecit*.

8 Verum eſt, quod ſucceſſivis temporibus prædia Clericis aſſignata ad victum, & Eccleſiis relicta Tituli nomine vocata ſunt, ut apparet ex *lib. 1. feud. tit. 6. §. 1*, ibi: *Si Epiſcopus, vel Abbas, vel Abbatiſſa, vel Dominus Plebis feudum dederit de rebus Eccleſiarum, quæ eis ſubjecta ſunt, & Tituli vocantur*. Quod nomen transfuſum eſt ab Eccleſiis ad bona, ut ex noſtris notat Calvin. *in lexicon. jur. v. Tituli*, ubi quod Tituli primum erant certæ ſedes Clericis attributæ, in quibus munus ſuum exercerent; poſtea verò eo nomine prædia iis ad victum, cultumque aſſignata.

9 Et hoc etiam prius tradidit Quintanadvegnas *lib. 3. Eccleſiaſt. in Explicat. Canon. 4. Concilii Chalcedon. num. 13. Nam hoc tituli Verbum ponimus in certo quodam loco, & ſede certa, quæ in Eccleſia Clericis attributa erat, ut munus ſuum exercerent, quo nomine prædia etiam his ad victum cultumque aſſignabantur*.

10 Hinc orti ſunt poſtea Tituli ordinationum, de quibus in *d. cap. 4. Concilii Chalcedon. regiſtr. in can. neminem 70. diſt.* Non enim antiquitus admittebatur quis in Clerum, niſi qui certæ Eccleſiæ eſſet adſcriptus, Petr. Gregor. *in inſtit. rei benef. cap. 8. num. 3.* Tondut. *quæſt. Canon, p. 2. cap. 1. §. 11. num. 2.* Unde ejus Eccleſiæ, & tituli dicebatur, in cujus albo erat deſcriptus, Baronius *ad annum 112. num. 4. 5. & 6.* Bimius *ad vit. Evariſti verſ. Hic Titulos*.

11 Nec cum Caſalio poſſum ſentire, qui loco ſuperius citato exiſtimat, quod ſi redditus Eccleſiarum eſſent opulenti, non unus, ſed duo, ac plures ſingulis Titulis præficiebantur. Licèt enim verum ſit, plures Presbyteros uni Titulo fuiſſe addictos, & ex eodem Titulo plures denominari, ut conſtat ex ſubſcriptionibus Concilii Romani primi ſub Symmacho, cui ſubſcripſere plures Presbyteri ejuſdem Tituli, & Synodi Romanæ ſub Gregorio Magno, de qua *lib. 4.* epiſtolarum ejuſdem Gregorii *in dict. 13. cap. 88.* cui ſubſcripſere Presbyteri S. Balbinæ tres, S. Damaſi duo, ſanctorum Apoſtolorum tres. Non tamen hoc evenit propter reddituum opulentiam, ſed quia fidelium creſcente numero, oportuit creſcere miniſtros in Titulis, qui Sacramenta miniſtrarent, ut ait Cardin. Turrecrem. *in ſumm. de Eccleſ. lib. 1. cap. 83. verſ. Quod verò*.

12 Porrò hujuſmodi Tituli ab Evariſto fuerunt in Urbe Presbyteris aſſignati, ut ex libro Pontificali Damaſi Papæ ex Anaſtaſio Bibliothecario in ejus vita, & Baronio *ad annum 112. num. 6.* Sed quia in urbe fidelium numerus creſcebat in dies, Fabianus Pontifex conſtituit in ea ſeptem Diaconos per ſeptem Urbis Regiones, qui Regionarii ſunt dicti, & ex Michaele Medina *lib. de continent.* Aſſerit Vaſquez *in 3. part. diſp. 326. num. 79.* Quod innuit Sixtus V. in Bulla, qua præfinivit Titulos Cardinalium, quæ incipit: *Religioſa in 2. tom. Bullarii novi Conſtit. 55. in princip.* Et propterea in Conciliis, & decretis Pontificum ſubſcribebant Diaconi cum nomine Regionum, ut patet in decretis Symmachi, quibus ita ſubſcripti reperiuntur, nempe

13 *Cyprianus Diaconus Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Regionis ſeptimæ his ſubſcripſi, & conſenſi.*
Anaſtaſius Diaconus Regionis primæ ſubſcripſi.
Joannes Diaconus Regionis ſecundæ ſubſcripſi.
Tortulius Regionis quartæ ſubſcripſi.

14 Porrò officium Presbyterorum, qui dictis Titulis adſcripti erant, fuit adminiſtrare Chriſti fidelibus Sacramenta, & ad inſtar Parochorum, animarum curam gerere, Panvinus *de ſeptem urbis Eccl. cap. 2.* Baron. *ad an. 112. num. 5. & 6.* Azor. *inſtit. moral. tom. 2. lib. 4. cap. 1. quæſt. 4.* Petrus Andr. Gamma *in repet. Extravag. Julii II. de Simoniaca Papæ electione num. 127.*

15 Officium verò Diaconorum Regionum non erat, ut aſſiſterent Pontifici, ut ſtatuit Evariſtus, ſed ut Chriſtianam Religionem propagarent, & conſervarent, Vaſq. *dict. diſp. 236. num. 79.* & expreſsè Sixtus V. præcitata *Conſtitut. in principio*. Aſſignatis poſtea tractu temporis Diaconis Eccleſiis Regionum, non cum nomine Regionis decretis, ſeu Conciliis Summorum Pontificum ſubſcripſere, ſed cum nomine Eccleſiæ ſibi aſſignatæ, non tanquam Titulis, qui ſolùm Eccleſiis presbyteralibus datus erat, ſed tanquam Diaconia. Qui mox uſque ad hæc tempora ſervatur. Talis enim eſt Diaconorum ſubſcriptio.

Ego N. Sanctæ Mariæ in via lata Diaconus Cardinalis.

Ego N. S. Euſtachii Diaconus Cardinalis.

Creſcente verò dignitate Cardinalium, quia functionibus Papæ aſſiſtebant, crevit & in Titulis authoritas. Ideò non ut ſimplices Parochi, ſeu Plebani, ſed pinguiori jure adminiſtrarunt, ut notat Felin. in *cap. his, quæ de major. & obed. in princip.* Joan. Andr. *in cap. Dilectus num. 9.* & ibi Hoſt. *num. 3.* Abb. *num. 12. de Cappell. Monach.* non ſublata illis obligatione reſidendi in dictis Titulis, itaut Leo IV. & non III. ut in decretali, Anaſtaſium Presbyterum Cardinalem S. Marcelli, cùm ſuum Titulum deſeruiſſet, & monitus reſidere neglexiſſet, a dignitate depoſuit, ut conſtat ex *cap. ex geſtis de Cleric. non reſident.* ubi Abb. & cæteri Fagnan. *ibid. num. 10.* cujus depoſitionis hiſtoriam latè proſequitur Cardinalis Baronius *ad annum 853. num. 45.* ubi *numer. 55.* ſententiam depoſitionis appoſuit, & ex noſtris Lotther. *de re benef. lib. 3. quæſt. 27. & 53.* Macedo *in tract. de clavib. lib. 4. tract. 5. cap. 8.* qui eamdem Leonis IV. hiſtoriam refert. 16

Hoc autem pinguius jus, quod habent Cardinales in ſuis Titulis declaravit Bonifacius VIII. Joanni Monacho Cardinali, & ejus Vicecancellario, ut ipſe teſtatur *in cap. unic. de major. & obed. in 6.* Dicit enim Joan. Monach. quod Papa ſibi reſpondit, quod Cardinales in ſuis Eccleſiis habent jus Epiſcopale, quod dictum referunt, & ſequuntur plerique ex Doctoribus infra citandis, & præſertim Joan. Andr. in *dict. cap. unic. numer. 3.* Martin. Lauden. *de Cardinal. quæſt. 60. in princip.* Caſſan. *ad conſuetud. Burgund. tit. de Juſtices rubric. 1. §. 4. pag. 136.* Redina *in prompt. recept. ſentent. titul. 18. de Card. num. 5.* 17

Et quamvis hujuſmodi dictum, tanquam incertum, non approbetur a Suarez *de relig. tom. 2. tract. de vot. lib. 6. cap. 10. num. 10.* & a Sanchez *in ſumm. lib. 4. cap. 38. num. 2.* nihilominus, tanquam certiſſimum habendum eſt, non ſolùm quia ſic ſentiunt quotquot ſuper hac materia ſcripſerunt, ſed quia Paulus IV. in ſua Conſtitutione, quæ incipit. *Cùm venerabiles* in Bullario novo *tom. 1. Conſtitut. 5.* ſic declaravit, & ſtatuit: ibi: *Ac diverſæ Almæ urbis noſtræ Parochialibus Eccleſiis pro eorum Cardinalatus Titulo ſive denominatione præficiuntur, & in eis Epiſcopalem juriſdictionem habeant*. Quam juriſdictionem agnoverunt etiam ipſemet Suarez, & Sanchez locis infra citandis. 18

Statuenda eſt igitur, tanquam certiſſima, & indubitata concluſio, quod Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales in Eccleſiis ſuorum Titulorum juriſdictionem Epiſcopalem habent, quæ deſumitur a ſententia Honorii III. regiſtrata *in cap. his, quæ de major. & obed.* ubi Abb. *numer. 1.* dicit, *& tene menti, quod Cardinales habent in titulo ſuo, & in Eccleſiis ſubjectis Titulo juriſdictionem Epiſcopalem*, Felin. *ibidem in princip.* dicit ex mente Imolæ *in Clemen. ne Romani de elect. quod Cardinalis in ſuis Titulis habentur loco Epiſcoporum quoad juriſdictionalia, & quoad Epiſcopalia, ſi ſunt Epiſcopi* Joannes Andreas *ibid. num. 11.* ait: *in ſuis Eccleſiis habent Cardinales jus Epiſcopale*. His conſentiunt Bellamer. *num. 11. in fin.* Card. *in 5. oppoſ.* & R. P. D. Fagnanus *num. 15.* ibi: *Quintò nota Cardinales in ſuo Titulo, & in Eccleſiis Titulo ſubjectis habere Epiſcopalem juriſdictionem*. Et ſubjungit: *Hic eſt textus, qui ad hoc conſuevit quotidie allegari & non reperitur alibi, quem omnes extollunt*. 19

Et hanc ſententiam ſequuntur Doctores tàm antiqui, quàm moderni, nempe Cardin. *in Clement. ne Romani §. Irritum num. 4. de elect.* Abb. *in cap. dilectus de Capellan. Monach.* Roman. *in Jerm. habito in Concilio Baſil. regiſtr. in fine ſuor. Conſil. num. 19.* Jacobat. *de Concil. lib. 6. artic. 12. num. 11.* Falcon. *de reſervat. quæſt. 2. princip. num. 10.* Villadieg. *de origin. Cardinal. num. 7.* Manſred. *de Cardinal. deciſ. 106.* Pariſ. *de reſignat. lib. 2. quæſt. 12. num. 10.* Alban. *de Cardin. quæſt. 46.* Mandoſ. *ad regul. 7. Cancell. quæſt. 2.* Grillenzon *conſ. 63. num. 1.* Germon. *de Indult. Card. §. Tam ratione num. 10.* Leo *in theſaur. for. Eccleſ. part. 2. cap. 1. num. 17.* Azor. *Inſtit. moral. tom. 2. lib. 4. c. 3. q. 3.* Squill. *de privil. Cleric. c. 2. n. 2.* Rubr. *in aphor. Epiſcop. v. Cardinalis*, Tuſchus *lit. C. concl. 100. num. 49.* qui ſubjungit. Immò Cardinales, etiam non Epiſcopi in Ec- 20

cleſiis

cleſiis ſui Tituli utuntur pleno jure Epiſcopali, Alter. *de cenſur. diſp.* 17. *lib.* 5. *cap.* 1. Lotther. *de re benef. lib.* 1. *quæſt.* 8. *num.* 50. *& lib.* 6. *quæſt.* 2. *num.* 7. & eodem *lib. quæſt.* 35. *num.* 11. Barboſ. *in tr. jur. univ. Eccleſ. lib.* 1. *cap.* 4. *num.* 33. *& in cap. his quæ de major. & obed.* Monet. *de commut. ultim. volunt. cap.* 5. *num.* 440. Diana *part.* 5. *tract.* 2. *reſolut.* 12. Pilaja *deciſ.* 5. *num.* 9. *lib.* 1. Didac. Franceſ. *in Paſtorali interno tr.* 3. *qu.* 2. *num.* 11. Gabriel a Sancto Vicentio *de cenſur. diſp.* 9. *qu.* 7. *num.* 117. Scipio Redina *in prompt. jur. tom.* 1. *tit.* 11. *numer.* 5. ubi latè Petr. Andr. Gamma *in d. Extravag. Julii II. num.* 126. Franc. Marcheſ. *deciſ.* 1286. *num.* 4. *tom.* 2. Abinferens ex hoc, quod debent poſtulari ſecundùm Abbatem in *cap. fin. de poſtul. Prælat.* Victorel. *in vit. S. Higinii de orig. S. Rom. Eccleſ. Cardinalium*, Bottiglier. *de ſucceſſ. ab inteſt. tit. de renunc. ſucceſſ. cap.* 2. *num.* 2. Merol. *in theol moral. diſp.* 1. *de volunt. & involunt. diſſic.* 5. *num.* 525.

21 Et quamvis nonnulli ex prædictis Doctoribus dicant, Cardinales in Eccleſiis ſuorum Titulorum habere juriſdictionem non Epiſcopalem, ſed quaſi Epiſcopalem, quod etiam aſſerit Sixtus Quintus *in cit. Conſtit.* 55. *in princip.* Hoc tamen intelligendum eſt, non habere ex ſua natura juriſdictionem Epiſcopalem, qui non ſunt Epiſcopi. Non enim habent iſti ea, quæ ſunt ordinis, ut conferre Sacramentum confirmationis, & Ordines ſacros, habent tamen ea, quæ ſunt juriſdictionis, ut benè diſtinguit Moneta *de conſer. capit.* 5. *numer.* 34.

22 Hinc declaranda eſt opinio Cardinalis Bellarmini, dum *in tom.* 2. *Controver. lib.* 1. *cap.* 16. *de Cleric. verſ. pari ratione* dicit, quod Presbyteri, & Diaconi Cardinales in Eccleſiis ſuorum Titulorum ſunt veluti Parochi, Epiſcopo ſubjecti, & nihil poſſunt, niſi quantum eis Epiſcopus permiſerit, cujus opinionem ſequuntur Gironda *de Epiſcop. lib.* 1. *diſp.* 2. *cap.* 5. *num.* 3. Sebaſtian. Cæſar. *de Eccleſiaſt. hierarch. part.* 1. *diſp.* 2. *numer.* 9. Zachar. Bover. *tom.* 2. *de monſtr. Symbol. ver. & falſ. Relig. art.* 4. *Symb.* 6. *de Card. ſucceſſ.* Vaſquez *in* 3. *part. diſp.* 242. *quæſt.* 2.

23 Ut ſcilicèt intelligatur de antiquo ſtatu, & juriſdictione ante tempora Bonifacii VIII. & ſententiam Honorii III. *in d. cap. his, quæ de major. & obed.* Aliàs ſi eorum opinio ad noſtra tempora mandaretur, eſſet non ſolùm contra juris communis diſpoſitionem, ſed etiam contra Conſtitutiones Summorum Pontificum Pauli IV. & Sixti V. & diplomata eorumdem Titularium. Nam de jure communi Cardinales in Eccleſiis ſuorum Titulorum poſſunt exercere ea, quæ non poſſunt Parochi, nempe excommunicare, ſuſpendere, inſtituere, & deſtituere, ut dicunt ſupracitati DD. & præſertim Zabarell. *in d. cap. his, quæ in fin.* & Felin. *in princ.* Nam Plebani in ſuis Eccleſiis non habent ita pingue jus, ſicut habent Cardinales in ſuis titulis, Archidiac. *in can. nullus* 16. *qu.* 7. *n.* 5. Præpoſit. *in can.* 1. *diſt.* 21. *num.* 6. Et opinionem hanc Boverii, & aliorum benè reprobat Victor. *in addit. ad Ciaccon. in vita S. Higinii de origine S. R. E. Cardinalium, verſ. Zacharias.*

24 Et hoc jus Epiſcopale, ſeu quaſi, non ſolùm habent Cardinales Presbyteri in dictis Eccleſiis ſuorum Titulorum, ſed etiam Cardinales Diaconi ſuis Diaconiis, Pariſ. *de reſign. d. lib.* 2. *qu.* 12. *num.* 10. Barboſ. *d. tr. jur. univ. c.* 4. *num.* 33. Quod etiam ſtatuit Sixtus V. dicta ſua *Conſtit.* 55. & ex ea R. P. D. Fagnanus *d. c. his, quæ num.* 18. *& 19.*

25 Et hoc procedit ſive Tituli, vel Diaconiæ ſint Clericorum ſæcularium, ſive Regularium, Sixtus V. in d. ſua Conſtitutione pariformiter loquatur de Eccleſis ſæcularibus, & Regularibus, & Summi Pontifices in diplomatibus Titulorum Eccleſias Regulares plenariè ſubjiciant Cardinalibus, ut cuique legenti patet, & videmus infra.

26 Hiſce ſic firmatis. Primò, infertur, Cardinales in Eccleſiis ſuorum Titulorum poſſe promulgare, & ferre leges obligantes in conſcientia, Caſtropal. *tom.* 1. *tract.* 3. *diſp.* 1. *punct.* 23. *num.* 12. Acugna *in c.* 1. *diſt.* 2. *num.* 4. Alii a Diana *d. part.* 5. *tr.* 2. *reſolut.* 7. Baldel. *tom.* 1. *Theol. de poteſt. legislat. qu.* 50. *ſect.* 9. Suarez *de legib. lib.* 4. *c.* 5. *num.* 4. Cotton. *contr. celebr. lib.* 3. *de Cler. contr.* 8. *c.* 3. *num.* 55.

27 Secundò, infertur, Cardinales in prædictis Eccleſiis habere jus corrigendi, excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti ſententiam ferendi, *d. c. his, quæ de major. & obed.* & ibi Canoniſtæ R. P. D. Fagnanus *ibidem num.* 19. *& in c. ne pro dilatione num.* 42. *de pœnit. & rem. ff.* ubi quod habent authoritatem cætera faciendi, quæ ſunt juriſdictionis Epiſcopalis, Germon. *de indult. Cardinal. §. Tàm ratione num.* 18. Barboſ. *diſt. cap.* 4. *num.* 38. Alios adducit Diana *d. part.* 3. *tr.* 2. *reſol.* 12. Cotton. *loc. cit. num.* 35.

Tertiò, infertur, Cardinales in præfatis Eccleſiis habere jus viſitandi, ſicut habent Epiſcopi in ſuis Diœceſibus. Felin. *dict. capit. his, quæ in princip.* Panvin. *de viſitat. part.* 2. *quæſt.* 2. *numer.* 26. Fagnan. *loc. cit. num.* 20. Sunt enim dictæ Eccleſiæ quaſi eorum parvæ Diœceſes intra fines Epiſcopatus Romani, Monet. *de commutat. ultim. volunt. cap.* 5. *num.* 452. Cotton. *loc. cit. num.* 55. 28

Quod expreſsè conceſſum fuit, immò mandatum a Concil. Baſilienſe *ſeſſ.* 23. & repetitum in Concil. Lateranenſi ſub Leone X. ut apparet ex ſua *Conſtit.* 7. in ordine *in* 1. *tom. Bullar. nov.* in qua cavetur, quod, Cardinales, ſi præſentes ſint in Curia perſonaliter, ſi verò abſentes per Vicarium idoneum ſemel ſaltem ſingulis annis viſitent Clericos, & populos Eccleſiarum Titulo ſuo ſubjectarum, cùm diligentia inquirant circa cultum Divinum, & bona dictarum Eccleſiarum, moreſque in primis, & vitam Clericorum, & Parochianorum ſolerter explorent. Quod refert Fuſchus *de viſit. lib.* 1. *c.* 2. *num.* 5. Viſitatio autem ſit per Cardinalem, adhibito ad minus uno ex Regularibus dicto Titulo inſervientibus juxta Text. *in c. debent Superioribus ſuis in Extravag.* inter *commun. de offic. Judic. Ordin.* & ibi Barboſ. *in Sum.* idem *de Canon. & dignit. cap.* 1. *num.* 17. 29

Quartò, infertur, Cardinales in Eccleſiis ſuorum Titulorum habere jus inſtituendi, & deſtituendi *cap. querelam de elect.* ibi: *A Cardinalis Sanctæ Suſannæ, cui dicta Eccleſia, tanquam Capella ſuo Titulo in ſpiritualibus eſt ſubjecta, canonicè fuerat inſtitutus.* Et ſic docet Innocent. *in cap. dilectus num.* 4. *de Capel. Monach.* dicens inſtitutionem, & deſtitutionem ſpectare ad Cardinales in ſuis Titulis, Felin. *in d. cap. his, quæ in princ.* Mandoſ. *d. reg.* 7. *qu.* 3. *num.* 5. Germon. *de Indult. Card. §. Tàm ratione num.* 19. Barboſ. *d. cap.* 4. *num.* 36. Fagnan. *d. cap. his, quæ num.* 21. 30

Ideò poſſunt conferre Beneficia ſita in dictis Eccleſiis, Felin. *d. cap. his, quæ num.* 1. Sarnen. *reg. de trien. qu.* 31. *num.* 16. Barboſ. *d. cap.* 4. *num.* 37. & ex Panvino Fagnan. *loc. cit. num.* 22. Grillenzon. *conſ.* 63. *per tot.* Sive ſint Canonicatus, ſive Præbendæ, ſive Beneficia, curam animarum habentia, ſive non, Azor. *inſtit. moral. d. c.* 3. *qu.* 2. Nam Sixtus IV. Teſtibus Felino, Azorio, Fagnano, & Barboſa locis ſuperiùs citatis, conceſſit privilegium Cardinalibus, ut conferre poſſint omnia beneficia ſita in Eccleſiis, quas ratione Tituli, vel Commendationis, vel adminiſtrationis habent, non obſtantibus expectativis, & reſervationibus, niſi vacant in Curia, & Summus Pontifex dicta beneficia, niſi de expreſſo Ordinarii, vel Commendatarii conſenſu conferre non debeat. 31

Quæ facultas non cadit ſub revocatione Indultorum Cardinalium circa collationem beneficiorum facta a Gregorio XIV. & Paulo V. In eorum enim decretis prædicti Pontifices declarant nihil velle innovare circa collationes beneficiorum, quæ ad Cardinales ſpectant ratione Eccleſiarum Titularium, ut patet ex decreto, ſive Conſtitutione Gregorii Decimi quarti *in* 2. *volum.* Bullarii novi *ſub numer.* 19. & in Conſtitutione Pauli Quinti *Bullar. nov. tom.* 3. *Conſtitution.* 58. 32

Advertendum tamen eſt, quod hujuſmodi facultate poſſunt uti Cardinales, dummodo ſint præſentes in Curia, Gonzal. *ad reg.* 8. *Cancellariæ gloſ.* 13. *num.* 20. Tondut. *quæſt. benef. part.* 2. *cap.* 3. *§.* 8. *num.* 8. 33

An autem poſſint dici Cardinales præſentes in Curia ad hunc effectum, ſi moram trahant in diſtrictu Urbis, non tamen ultra duas dietas, ſcio in materia optionis Decanatus Sacri Collegii fuiſſe reſolutum, competere optionem Cardinali abſenti ab Urbe per duas dietas, ut tempore Clementis VII. die 26. Septembris 1533. accidit in perſona Cardinalis Senenſis, qui cùm abeſſet ab urbe per duas dietas, admiſſus fuit ad optionem Decanatus vacantis per obitum Cardinalis de Monte, non obſtante contradictione Cardinalis Tranenſis, qui cùm eſſet præſens in Curia, prætendebat optionem ad ſe ſpectare. 34

Ita etiam fuit obſervatum ſub Paulo V. in perſona Cardinalis Giojoſæ, qui cùm moraretur in Abbatia Sublacenſi, optavit nihilominus Decanatum vacatum per obitum Cardinalis Pinelli, quos caſus refert Cherubinus *in addit. ad Conſtitutionem* Pauli Quarti in ordine 5. *in tom.* 2. *Bullarii.* 35

Advertendum ſecundò, quod licèt Cardinalis Titularis habeat juris aſſiſtentiam in collatione Beneficiorum exiſtentium in Eccleſia ſui Tituli vel Commendæ, illa tamen non ſufficit, ut ei poſſit concedi mandatum de manutenendo, ſi probetur alium eſſe in quaſ- 36

poſſeſſione conferendi eadem beneficia, ut reſolvit Rota *dec.* 432. *num.* 3. *part.* 1. *recent.* & poſt eam Diana *dict. tract.* 2. *reſolut.* 97. *num.* 27.

37 Advertendum tertiò, quod facultas conferendi hujuſmodi beneficia, intelligitur ſecundùm qualitates beneficiorum. Quia ſi beneficia ſint liberæ collationis, liberè potuerunt conferre. Si verò ſint ſubjecta Juripatrotus, & Juri præſentandi, habebunt tantùm inſtitutionem, ſeu confirmationem, *can. decernimus*, *can. piæ mentis* 18. *qu.* 7. Gloſſ. *in cap. quamquam de elect. in 6.* & *in cap. querelam eod. tit.* Grillenzon. *d. conſ.* 63. *num.* 7. & 8. qui *num.* 9. ſubjungit, quod ſi patroni diſcordent in præſentando, Cardinales, ſicut Epiſcopi provident Eccleſiis, *cap. ſi verò*, &c. *in quibuſdam de Jurepatr.*

30 E contrario potuerunt beneficiatos deſtituere, hoc eſt deponere, ut ex Mandoſio, Gomez, & Pariſio, tenet Barboſ. *d. c.* 4. *num.* 36. Grillenzon. *d. conſ.* 63. *num.* 2. Pariſ. *de reſign. benef. lib.* 7. *quæſt.* 10. *num.* 11. & *qu.* 14. *num.* 5. Immò in deſtituendo minor ſolemnitas requiritur, quàm in inſtituendo, Gonzal. *ad regul.* 8. *gloſ.* 7. *n.* 12. Barboſ. *in cap.* 1. *de Capel. Monach. num.* 6.

39 Quintò, infertur ad Cardinales Titulares cura animarum Parochianorum ſuis Titulis ſubjectorum ſpectare. Sunt enim ſuæ oves, & de eis in diſtricto Dei judicio rationem reddituri ſunt, ut benè loquitur Concilium Baſilienſe *ſeſſ.* 23. & aſſerit Gratian. *diſcept.* 298. *num.* 76. Averſa *quæſt.* 16. *de miniſtro Sacram. Pœnit. ſect.* 7. *pag.* 789. ubi quod Cardinales ratione tituli ſuarum Eccleſiarum, in Urbe habent curam, & regimen animarum, ſuntque ſuperiores Parochis. Et propterea ſi ſint Sacerdotes, poſſunt audire confeſſiones ſubditorum, Averſa *loc. cit.*

40 Poſſunt intereſſe Matrimoniis, & aliis intereſſendi licentiam concedere, Azor. *lib.* 4. *cap.* 3. *num.* 7. Sanch. *lib.* 3. *de Matrim. qu.* 28. *num.* 7. Baſil. Ponce *eodem tract. lib.* 5. *cap.* 10. Guttier. *eodem tr. cap.* 66. *num.* 9. Boſſ. *eod. tr. cap.* 4. §. 23. *num.* 61.

41 Et denique omnia, quæ ad Parochum ſpectant, potuerunt per ſe, vel per Vicarium exercere, Gratian. *d. diſcept.* 268. *num.* 77. Cotton. *loc. cit. num.* 55.

42 Sextò, infertur, poſſe Cardinales in præfatis Eccleſiis uti inſignibus Pontificalibus, & ſolemnem benedictionem impartiri more Epiſcoporum; licèt Epiſcopi non ſint, Hoſtien. & Jo: Andr. *in cap.* 1. *de ſupplend. neglig. Prælat.* Felin. *in cap. inter Monaſterium num.* 2. *de re judic.* Monet. *de conſerv. cap.* 5. *num.* 34. Barboſ. *d. cap.* 4. *num.* 35. Cotton. *loc. cit.* Fagnan. *in d. cap. ne pro dilatione num.* 42. ubi allegat Extravagantem Clementis VII. quæ incipit: *Sanctiſſimus in Chriſto Pater*, Bottiglier. *loc. cit. num.* 8.

43 Sed quia Doctores in hoc numero allegati, loquuntur de Presbyteris Cardinalibus, meritò dubitari poteſt, an hujuſmodi benedicendi ſolemniter privilegium competat Cardinali Diacono in ſua Diaconia?

44 Et quod non competat, ſuaderi poteſt ex eo, quod inter officia, quæ Diaconis aſſignata ſunt, non connumeratur ſolemnis benedictio. Si enim ad Eccleſiam Apoſtolorum aſpiciamus, munus eorum erat, oblationes colligere, etiam opes Eccleſiæ adminiſtrare, ut colligitur ex *Act. Apoſtolor. cap.* 6. *ex ferm.* Sancti Leonis Papæ de Sancto Laurentio. Sequentibus verò temporibus, officium eorum fuit, Sacerdoti ſacrificanti aſſiſtere, ac miniſtrare populo, Euchariſtiam diſtribuere, Evangelium legere, baptizare, prædicare, publicos pœnitentes reconciliare, de quibus latè Cardinalis Bellarm. *lib.* 1. *de Cler. cap.* 13. *verſ. Sextus ordo Diaconorum*, uſque ad finem, Marchin. *de Sacram. ordin. tr.* 2. *part.* 7. *de Diaconatu cap.* 3. *per tot.* Fermoſin. *ad rubr. de offic. Archid. queſt.* 1. *a num.* 6.

45 Hodie verò nonnulla ex iis abrogata ſunt. Nam a Concilio Nicæno *regiſtrat. in can. pervenit* 1. *diſt.* 93. poteſtas diſtribuendi Sacram Euchariſtiam ſublata eſt Diaconis.

46 Similiter ſublato uſu, & poteſtate a fidelibus communicandi ſub utraque ſpecie, etiam facultas diſpenſandi Populo Sanguinem Chriſti a Diaconis ſublata eſt. Quamvis aliquis uſus ejus in Pontificio Sacello perſiſtat, quia dum Pontifex ſolemniter celebrat poſt datam Pacem, ad ſedem ſuam pergit, & tunc Diaconus poſt ſumptionem corporis, conſecratum Calicem ei propinandum porrigit.

47 Pariter etſi Diaconi in Eccleſiæ primordiis ob Sacerdotum inopiam, & credentium copiam ſolemniter ſæpè baptizare ſolebant, nunc autem ob Sacerdotum numerum uſus iſte in Eccleſia Dei ſublatus fuit, in tantum, quod ſi hodie Diaconus ſolemniter baptizaret, irregularitatem non effugeret, Navarr. *lib.* 5. *conſ.* 1. & 2. *de Cler. orain. miniſtr.* Henriq. *de Sacramen. Baptiſm. lib.* 2. *cap.* 29. *num.* 2. Ugolin. *de offic. Epiſc. cap.* 15. §. 6. *n.* 6. & alii, quos refert Marchin. *loc. cit. num.* 15. Quamvis ille *num.* 16. dicat, tunc effici irregularem, ſi baptizet ſolemniter ſine juſſu Sacerdotis, ſecus ſi ex Sacerdotis delegatione, opinionem tamen Navarri, & aliorum tenet Fermoſin. *loc. cit. num.* 16.

Sublata eſt etiam Diaconis poteſtas præeſſendi opi- 48
bus Eccleſiæ, & eleemoſynis fidelium, eaſque a fidelibus colligendi, & collectas inter pauperes diſtribuendi. Quia cùm tanto officio intumeſcerent adverſus Presbyteros, & iniquè inſoleſcerent, & ob id reprehenſi a Cypriano *lib.* 3. *epiſt.* 9. a S. Hieronym *epiſt.* 35. ad Evagrium, & a Sancto Bernardo *lib.* 5. *de conſid.* ad Eugen. & prius a S. Auguſtino *qu.* 101. *in lib. quæſt. utriuſque Teſtam.* ideò ſublata fuit illis hæc poteſtas, Marchin. *loc. cit. num.* 26. Bimius ad Vitam Anaſtaſii I. *verſ. Conſtit.* Cùm ergo inter officia, & munia Diaconorum non legatur poteſtas benedicendi ſolemniter, non eſt cur ea Cardinalibus Diaconis concedatur.

Secundò, quia poteſtas benedicendi ſolemniter com- 49
petit ratione Ordinis, ut vult Gloſſ. *in can. Ecce v. benedicere d.* 95. Archid. *in can. Denique d.* 21. & *ibid.* etiam Turrecremat. Et quidem ordinis Sacerdotalis, ut notat Iſaac. Habertus in *Pontifical. Græcor. ad part.* 11. *Liturgiæ ordinum in diſſertat. de ritu benedicendi cap.* 6. *in fin.* Et propterea *in cap.* 28. *lib.* 8. *Conſtit. Apoſtol.* dicitur, Diaconus non benedicit, neque benedictionem dat, accipit verò ab Epiſcopo, & Presbytero, quem locum interpretatur Gretſerus de benedictione *lib.* 1. *cap.* 7.

Tertiò, quia quicquid ſit de benedictione, quæ datur 50
a Sacerdotibus in fine Miſſæ, quam privatam appellat ex noſtris Præpoſ. *in d. can. Ecce diſt.* 95. & minorem collector Apoſtolicarum Conſtitutionum *lib.* 3. *cap.* 10. Certè quod attinet ad ſolemnem benedictionem, quæ datur, incipiendo ab illis verbis: *Sit nomen Domini benedictum* &c. ſolus Epiſcopus illam dat, non Sacerdos, neque Diaconus, Gloſ. in *d. can. Ecce v. benedicere*, & ibi Præpoſ. *verſ. Alia eſt benedictio non privata, ſed ſolemnis*, cui videtur favere Concilium Agathenſe celebratum anno 506. *can.* 30. ibi: *Benedictionem in Eccleſia ſuper plebem fundere Presbytero penitus non licebit*, ſolemnem ſcilicet benedictionem interpretatur Iſaac Habertus *loc. cit. pag. mihi* 290.

Et quod ſolis Epiſcopis competat jus benedicendi ſo- 51
lemniter, non autem Sacerdotibus, vel Diaconis, tenet Gloſſ. *in cap. Abbates v. ſi Abbas de privil. in 6.* Sylveſt. *in ſumm. v. benedictio in princ.* & alii Summiſtæ *in d. v.* Doctores *in d. cap. Abbates*, Ugolin. *de offic. Epiſc. cap.* 32. §. 2. Barboſ. *eod. tr. alleg.* 72. *num.* 63. & 56. Ferdinand. Paez. *in repetit. Can. Miſſas de conſecr. diſt.* 1. *n.* 124. Sanchez *lib.* 7. *conſil. moral. cap.* 1. *dub.* 17. *num.* 10. Quart. *de benedict. Eccleſ. tit.* 1. *dub.* 5. Quocirca ſi Sacerdos, & Diaconus ſolemniter benedicerent cum illis verbis: *Sit nomen Domini benedictum*, irregularitatem non effugeret, ut ex *canon. miniſtrare*, juncta Gloſſ. *26. quæſt.* 6. notat Majol. *de irregular. lib.* 4. *cap.* 13. *num.* 4.

Quartò, quia ſic uſus invaluit in Urbe, ut Cardinales 52
Diaconi, dum aſſiſtunt Miſſæ decantatæ in ſuis Diaconiis, non fundunt ſolemnem benedictionem, ut teſtati ſunt mihi Magiſtri Cœremoniarum.

Cæterum, his non obſtantibus, intrepidè ſentio, 53
Cardinales Diaconos habere poteſtatem ſolemniter benedicendi populo in ſuis Diaconiis, non quidem jure proprio, ſed ex Apoſtolico privilegio. Cùm enim Cardinales Diaconi in ſuis Diaconiis habeant jura Epiſcopalia, vel quaſi, ut latè firmavi ſupra, non eſt dubitandum, quin ſtante hujuſmodi privilegio, poſſint ſolemniter benedicere, ut præter allegatos tenent Fagnan. *in c. ne pro dilatione de pœnit.* & *remiſſ. num.* 42. ubi nulla facta diſtinctione inter Presbyteros, & Diaconos, ait, quod cùm Cardinales in Eccleſiis ſuorum Titulorum habeant facultatem corrigendi, cenſuras Eccleſiaſticas fulminandi, & cætera faciendi, quæ ſunt juriſdictionis Epiſcopalis, conferunt minores Ordines, utuntur Epiſcopalibus inſigniis, & benedicunt ſolemniter, licèt non habeant conſecrationem aliquam, ſed nudos ordines ſacros, Jacobat. *de Concil. lib.* 10. *n.* 204. *verſ. item aliud privilegium*, dicit, quod Cardinalis, etiamſi non ſit Epiſcopus, poteſt facere ſolemnem benedictionem.

Idem voluit Pater Diana *p.* 5. *tr.* 2. *reſol.* 12. ibi: *Poſ-* 54
ſunt Pontificis inſignibus uti, & *benedictionis ſolemnem ritum more Epiſcoporum exercere, etiamſi Epiſcopi non ſint*, Azor. *inſtitut. moral. p.* 2. *lib.* 4. *cap.* 3. *qu.* 2. *in fine*, ibi, & *benedicendi ſolemnem ritum more Epiſcoporum*, Fragoſ. *de regim. Reipub. p.* 2. *lib.* 6. *diſp.* 15. §. 2. *num.* 2. ubi dicit, *quod poſſunt ſolemniter benedicere inſtar Epiſcoporum*,

porum, quamvis Episcopi non sint, Sebast. Cælar. *de Eccles. Hierarch. p.* 1. *disp.* 2. *de Cardin. §.* 5. *num.* 8. ubi ait, *possunt etiam non Episcopi solemniter benedicere*. Plures autem possent adduci ex allegatis supra, sed in puncto quod Cardinales Diaconi solemnem benedictionem largiri possunt, tenet S. Anton. *in summ. 3. part. titul.* 14. *cap.* 16. *§.* 9. & post eum Hieron. Manfred. *de Cardinal. tit. de Sacr. Collegio dec.* 88. ubi habet hæc verba: *Cardinalis non Episcopus solemnem benedictionem largiri potest, quia Presbyter Cardinalis, vel Diaconus etiamsi, nullum Sacerdotis Ordinem receperit, tamen solemniter benedicit*, & *notant Canonistæ in cap. licet de elect.* & *in cap. in nomine Domini* 23. *d.* cum aliis ibi per eum allegatis, & Manfredum sequitur Cohelius *de notit. Cardin. c.* 7. *de Cardin. Diacon.* ibi: *Et Cardinalem Diaconum.*

55 Ratio autem potissima est, quia qui jura Episcopalia, vel quasi Episcopalia habet solemnem benedictionem impartiri potest, ut constat ex *cap. Abbates de privileg. in* 6. ubi Canonistæ Rodriq. *quæst. regul. quæst.* 18. *art.* 1. Azor. *instit. moral. part.* 1. *lib.* 12. *cap.* 20. *qu.* 7. Tambur. *de jur. Abb. tom.* 2. *disp.* 2. *qu.* 7. cum aliis per Barbos. *ad d. cap. Abbates num.* 3. & *de potest. Episc. alleg.* 3. *num.* 3.

56 Qui Textus licèt loquatur de Abbatibus, habet tamen locum in aliis Prælatis, etiam inferioribus, habentibus jura Episcopalia ex privilegio, ut notat Gloss. *in d. c. Abbates*, *v. Abbates*, & ibi Archid. *vers. eis Abbatibus*, ut dicit, quod non est vis, quod Textus loquatur de Abbatibus, nam idem dicendum est de his, qui super hoc privilegiati sunt, sicut sunt plures inferiores, quia eadem est ratio Anchar. *ibid. num.* 1. ubi dicit, quod Glossa intelligit de Præpositis, & aliis inferioribus Prælatis, Præpositus *in can. licèt* 95. *dist.* ubi dicit, quod licèt benedictio solemnis in forma, *Sit nomen Domini benedictum &c.* non possit dari, nisi ab Episcopo, nihilominus potest dari ab inferiori Episcopo, si habeat ex privilegio, Pax Jordan. *tom.* 1. *lib.* 5. *tit.* 15. *num.* 18. Et de Archipresbytero Carpi dicit Ciarlin. *controv. for. cap.* 67. *num.* 13. & 14. Et si hoc privilegium competit inferiori Prælato ab Abbate, habenti jura Episcopalia, vel quasi, multò magis competere debet Cardinali Diacono, qui major est Episcopo.

57 Non obstant modò in contrarium adducta. Non primum, quod inter officia, & ministeria Diaconatus non connumeretur facultas benedicendi solemniter. Quia cùm Cardinalis Diaconus non habet istud jus benedicendi ex natura & officio ipsius Diaconatus, sed ex privilegio, mirum non est, si inter ejus ordinaria ministeria, & officia non connumeretur, quemadmodum dicitur de Sacerdote, inter cujus ministeria, & officia non connumeratur ministratio chrismatis, quæ ad solum Episcopum jure ordinario spectat, ut statuit Concilium Florentinum sub Eugenio IV. & Tridentinum *in can.* . *de Sacram. Confirmat.* Et tamen ex privilegio Summi Pontificis potest chrisma ministrare, ut de magis communi tenent innumeri relati a Barbos. *ibid. d. can.* 3. *de Sacram. confirmat.* quibus addo Basilium Pontium *de confirm. p.* 4. *cap.* 3. *per tot.* Verticel. *de Apostol. mission. tit.* 7. *qu.* 129. *num.* 2. ubi infiniti, novissimè Fermosin. qui & multos alios allegat *de offic.* & *Sacr. Eccles. tom.* 2. *de Sacram. confirmat. quæst.* 7. *num.* 12.

58 Non obstat secundum, quod scilicet facultas benedicendi solemniter competat ratione Ordinis Episcopalis vel Sacerdotalis. Quia hæc facultas ab ordine non dependet, sed a jurisdictione, ut notat egregiè Præpos. *in can. Ecce* 95. *dist.* ubi dicit, quod talis benedictio solemnis non est ordinis, sed jurisdictionis Episcopalis, & reddit rationem, quia si esset Ordinis Episcopalis, non concederetur inferiori. Et per eamdem rationem idem tenet Villadiego *de legato qu.* 6. *num.* 8. Gratianus post Abbat. & Cardinal. *disceptat.* 467. *num.* 66. Ciarlin. *d. cap.* 67. *num.* 13. Fagnan. *in cap. ne pro dilatione num.* 42. *de pœnit.* & *remiss.* Sed quamvis esset Ordinis, ejus tamen exercitium est jurisdictionis, ut notat Præpos. *in can. denique* 21. *dist.* & non est taliter annexa Ordini Episcopali, ut non possit inferiori Episcopo concedi, ut constat *ex can. Abbates de privileg. in* 6.

59 Præterea aliqua benedictio etiam solemnis in Ecclesia non denegatur Ordini Diaconali, cùm benedictio Cerei Paschalis publicè Diacono concedatur, ut notant Gavant. in *Rubr. Missal. part.* 4. *tit.* 19. *sect.* 7. & post eum Hallier. *de ordin. hierarch. lib.* 3. *sect.* 2. *cap.* 2. *art.* 3. *§.* 3. Saltem de mandato Sacerdotis. ipsoque præsente, ut notat Andr. de Saussay *in panoplia Sacerdot. part.* 2. *lib.* 2. *de muner. benedicendi art.* 9.

60 Conceditur etiam ei, quod est commune Episcopo, & Sacerdoti, ut in recitatione Horarum canonicarum dicat verba ista: *Dominus vobiscum*, quæ salutationis populi, & benedictionis rationem obtinent, ut notat idem Hallier. *loc. cit.* Et ratio esse potest, quia ut inquit D. Thomas 3. *part. quæst.* 82. *art.* 3. *ad primum*, Diaconus, tanquam propinquus Ordini Sacerdotali participat aliquid de ejus officio & Div. Thomam sequitur Aversa *quæst.* 10. *de minist. Eucharist. sect.* 3. *vers.* 4. & Cardin. de Lugo *de Sacram. Euchar. disp.* 18. *num.* 7.

Ad locum Constitutionum Apostolicarum respondet 61
Hallier. *loc. cit.* ut debeat intelligi, quod Diaconus non benedicat propria authoritate, sed ministeriali accepta ab Episcopo, vel Presbytero. Nam sicuti Diaconi ab aliis consecrata ministrare possunt, ita & benedictionem Episcopi, vel Sacerdotis nunciare, & tanquam ministri Superiorum Ordinum proferre possunt.

Ex his tollitur tertium objectum, quod facultas be- 62
nedicendi solemniter, sit solius ordinis Episcopalis, quia non solùm privilegio, sed consuetudine etiam ab inferioribus acquiri potest, ut notat Isaac Habertus in *Pontifical. Eccles. Græcæ ad p.* 11. *Liturgiæ Ordinis*; *de ritu benedictionis*, ubi habet, quod in Ecclesia Parisiensi Presbyteri, etiam Parochiales solemni benedictione post Missarum celebrationem iisdem omninò verbis, quibus Episcopus, triplicique consignatione populo benedicunt, ubi subdit, quod in Ecclesia Græca nullum discrimen est inter benedictionem solemnem, quam dat Episcopus, & illam, quam dat Sacerdos. Nam in Liturgia Sanctorum Basilii, & Chrysostomi Presbyter iisdem verbis populo benedicit, quibus Episcopus.

Non obstat quod sic usus in Urbe incaluerit. Quia 63
hoc evenire potuerit ex eo, quia non consideratum fuit privilegium a Summis Pontificibus concessum Cardinalibus Diaconis, qui tamen usus non per hoc potest illud auferre, sicuti videmus, quod Cardinalibus Diaconis conceditur a jure privilegium deferendi compages, hoc est Sandalia, & mappulas, ut notant Canonistæ in *can. nonnulli §. Compages*, & *in can. illud* 93. *dist.* & præsertim Præpos. & Turrecremat. Joann. Dartis *dist.* 96. *decr. Gratian.* Quæ Sandalia omninò restitui debent, ut tàm in ministrando Summo Pontifici, quàm in funere iis uti possint, quia illis competunt ratione dignitatis ampliss imæ Cardinalatus, de quibus latè idem Saussay *in panopl. Episc. lib.* 7. *cap.* 9.

Septimò, infertur, posse Cardinales in dictis Eccle- 64
siis suis subditis, & familiaribus primam tonsuram, & minores ordines conferre, Hostien. & Joan. Andr. *in d. cap.* 1. *de suppl. neglig. Prælat.* idem Jo. Andr. *in cap. Cùm contingat. de ætat.* & *qualit.* & *in d. c. ne pro dilatione num.* 42. Marta *observ.* 12. *num.* 40. post Majol. *de irregul. lib.* 4. *cap.* 20. *num.* 3. Lezana *in sum. v. Cardinalis num.* 5. Bottiglier. *loc. cit.* Jacobat. *de Concil. lib.* 1. *art.* 12. Laudens. *de Cardinal. qu.* 20. Rota *dec.* 751. *num.* 10. *p.* 1. *divers.* multos alios refert Barbos. *d. cap.* 4. *num.* 40. ubi reprobat Azor. & Germon. de hujusmodi facultate dubitantes, Fagnan. *in d. cap. his, quæ num.* 25. & in *cap. Cùm contingat de æt.* & *qual.* Monet. *de conservat. d. cap.* 5. *num.* 34. dummodo tamen sint Sacerdotes, alias secus per ea, quæ notarunt *in can. quoniam dist.* 69. Fagnan *d.* [illegible] *num.* 35.

Et quamvis Sanch[illegible] *consil. moral. lib.* 7. *cap.* 1. 65
dub. 19. *num.* 21. dicat Concilium Tridentinum *c.* 10. *sess.* 23. *de reform.* sustuliss e hujusmodi privilegium Cardinalibus, quia illud habent ex consuetudine, ut ait idem Sanchez *ibid. num.* 4. Marchin. *de Sacram. Ordin. part* 2. *de legit. Ordin. minist. cap.* 10. *num.* 1. Consuetudinem verò etiam immemorabilem fuisse super hoc a Concilio sublatam.

Ejus tamen opinio non est amplectenda. Quia nec 66
Concilium *d. cap.* 10. loquitur de Cardinalibus, sed de Abbatibus. Et quatenus comprehenderet Cardinales, præservat facultatem conferendi primam tonsuram, & quod Doctores, ordines minores suis subditis. Hinc [illegible]os longa serie enuqui post Concilium scripserunt, [illegible]ol. 5. de hujusmodi primerat Diana *d. part.* 5. *tr.* 2. de revocatione verò nulvilegio mentionem faciu[illegible] hoc privilegium Cardinalilum verbum. Fr[illegible] non esse revocatum a Concil. tenet Bobus [illegible]ac. *de suspens. in partic. disp.* 3. *q.* 1. *punct.* 11. *n.* 4. novissimè Fermosin. *ad Rubr.* & *titul. de tempor. ordin. qu.* 5. *n.* 19. & 20. ubi plures allegat., Lezana *loc. cit. n.* 4. ubi dicit contraria consuetudine hoc esse introductum, quæ dat potestatem, vel arguit illam habere a Papa, Bottiglier. *loc. cit.* qui plures DD. allegat, & dicit in Cardinalibus Præsbyteris contrarium procedere.

Rursùs quæstionem hanc, an scilicet Cardinalis in 67
Ecclesia sui Tituli possit conferre primam tonsuram, & ordines minores suis subditis, examinat Diana *in p.* 8. *tract.* 1. *resol.* 33. adversus Adrian. *in* 4. *de Sacram. Con-*

firmat. art. 3. §. 2. princ. & concludit ad favorem Cardinalium, quem sequitur Fermosin. *loc. cit. qu. 4. num. 5.* ubi respondet ad contraria.

68 Octavò, infertur, posse Cardinales cum suorum Titulorum subditis dispensare in omnibus casibus, in quibus possunt Episcopi dispensare de jure, ut vult Didacus Antonius Frances *in pastoral. interno tr. 3. quæst. 2. num. 11.*

69 Et licèt Sanchez *in summ. lib. 4. cap. 38. num. 2.* & ante eum Suarez *de relig. tom. 2. lib. 6. cap. 10. numer. 10.* dicant, Cardinales in suis Titulis non posse dispensare in voto, eorum tamen opinio minimè vera est. Quia illis in locis negant, vel saltem dubitant de jurisdictione Episcopali, seu quasi Cardinalium in dictis Titulis, quam tamen alibi fatentur, nempe Sanchez *lib. 3. de matrim. disp. 28. num. 7.* & Suarez *de leg. lib. 3. c. 5. num. 4.* Vel intelligenda est, ut non possint dispensare in his, quæ conceduntur Episcopo contemplatione propriæ Diœcesis, secus tamen in his quæ possunt Episcopi in vim jurisdictionis Episcopalis, ut benè distinguit Moneta *de commut. d. cap. 5. num. 452.* & *453.* & post eum Diana *d. tr. 2. resol. 58.* Didacus Frances *loc. cit. num. 13.* Et posse relaxare juramenta, dicit Meroll. *disp. 1. de volunt.* & *involunt. diffic. 5. num. 525.* licèt Billot. *de absolut. a juram. lib. 1. cap. 7.* asserat, quod ex communi observantia in Romana Curia non dispensant, quia a præsentia majoris Prælati, nempe Summi Pontificis, & Majoris Pœnitentiarii impediuntur. Sed hæc ratio nihil valet, quia de honestate Cardinales cessant a dispensatione, & relaxatione a juramento, non autem ex necessitate.

70 Hinc deducitur, non posse Cardinales in Ecclesiis suorum titulorum uti facultate concessa Episcopis a Concilio Tridentino *sess. 24. cap. 6. de refor.* dispensandi in irregularitatibus occultis, præterquam homicidii voluntarii, licèt enim Henriq. *in summ. lib. 6. cap. 26. §. 1.* & alii plures, quos citat Barbos. *ad d. cap. 6. vers. Contra*, teneant, illam facultatem competere etiam Prælatis habentibus jurisdictionem, quasi Episcopalem, contrarium tamen putant verius Arag. *2. 2. qu. 88. art. 21.* & alii citati ab eodem Barbosa adducto loco *nu. 7.* Et ita fuisse decisum a Sacra Congregatione Concilii refert Garz. *de benef. p. 7. c. 11. num. 13.* & *17.* & eam declarationem refert Armendar. *ad leg. Navar. lib. 1. tit. 18. leg 7. de irregul. num. 10.* & Fagnan. *in d. cap. his quæ num. 16.* ubi ait, quod Gregorius XIII. dixit, se nolle, ut ea, quæ concessa sunt Episcopis a Concilio Tridentino, competant Cardinalibus in suis Titulis, & latiùs *in d. cap. ne pro dilatione num. 42.* ubi refert, sic declaratum fuisse a Sacr. Congregatione Concilii quam declarationem Gregorius XIII. approbavit, & in *cap. dilectus num. 27. de temp. ordin.* ubi quod in reliquis salva manet jurisdictio Cardinalium in suis Titulis.

71 Et ratio esse potest, quia cùm hæc facultas sit jure speciali, & exorbitante a jure communi, concessa Episcopis, intelligi debet de verè Episcopis, & non de illis, qui non sunt Episcopi, Fagnan. *in d. cap. his quæ minis, Cardinales [illegible] pro dilatione num. 42.* & in terminis tenet Didacus Frances [illegible] *pastoral. interno loc. cit. n. 13.* Tolet. *in summ. lib. 1. cap. 89. n. 5.* Baldel. *de fid.* & *in fidel. lib. 1. disp. 48. num. 24.* Monet. *de commutat. d. cap. 5. num. 453.* quamvis dicat contrariam opinionem in favorem Cardinalium defendi posse, quod etiam tenet Diana *d. t. 2. resol. 59. vers. verum liceat mihi.* Quæ opinio non est ceræ improbabilis, cùm hæc facultas concessa sit Episcopi contemplatione Diœcesis, ut volunt Sanch. & Henriq. ab eodem Diana citati. At ut supra diximus, Ecclesiæ Cardinalium Romæ sunt veluti eorum Diœcesis. Ergo non videtur deneganda Cardinalibus in suis Titulis hujusm. li facultas.

72 Nonò, infertur, posse Cardinales in Ecclesiis prædictis Indulgentias ce[illegible]m dierum concedere, cùm id habeant a consuetudine, [illegible]am quod non sint Episcopi, Navar. *de Jubil. not. 21.* [illegible]allius *de indulg. part. 2. qu. unic. art. 9.* Cotton. *d. controv.* [illegible] *cap. 3. num. 55.* Lavor. *de Indulg. p. 2. cap. 11. num. 15.*

73 Decimò, infertur, secluſa Summi Pontificis prohibitione, seu reservatione, posse Cardinales in prædictis Ecclesiis ultimas commutare voluntates, Monet. *d. c. 5. num. 440.* Diana *d. tr. 2. resol. 57.* Cotton. *loc. cit.* Et derogare fideicommissis ad eam Ecclesiam spectantibus, Monet. *d. tr. cap. 9. concluſ. 22. num. 634.* Diana *loc. cit. resol. 61.* Cotton. *loc. cit. num. 55.* Lezana in *summ. tom. 3. v. Cardinalis num. 8. in fine.*

74 Multò magis posse disponere de legatis relictis Ecclesiæ suî Tituli, quia tàm vigore Bullæ Sixti V. quàm diplomatum Titularium concessa est illis cura, & regimen bonorum tàm spiritualium, quàm temporalium dicti Tituli, quorum appellatione veniunt prædicta legata, Pasqualig. *in select. qu. moral. jurid. qu. 127. num. 10.* qui tamen malè distinguit inter Titulos antiquos, & noviter erectos a Sixto V. Nam in antiquis dicit curam, & administrationem legatorum spectare ad Titularem, in novis verò ad eos, ad quos ante erectionem cura, & administratio dictorum legatorum spectabat, ex quo erectio novorum Titulorum facta fuit cum clausula *sine alicujus præjudicio.* Quia non benè advertit, vir alioqui doctus, clausulam illam intelligi de præjudicio non expresso, Oldrad. *conſ. 330.* Paris. *conſ. 70. num 12. lib. 1.* Rota *dec. 192. p. 1. rec.* & melius ad propositum *dec. 720. num. 6. p. 3. rec.* Ideò cùm cura, & regimen rerum spiritualium, & temporalium Titulorum noviter erectorum fuerit demandata Cardinalibus Titularibus, illa clausula, *sine præjudicio*, non præservat hoc præjudicium expressum. Non enim cura, & regimen dictarum rerum potest esse penes Cardinales, si remanere debet penes alium. Debet ergo verificari in casu nostro expresso, v. gr. si in dicta Ecclesia essent Capellæ de Jurepatronatus, quarum patronis non censetur factum præjudicium, ut benè Grillenzon. *d. conſ. 63. per tot.*

Undecimò, infertur, Cardinales a subditis suorum Titulorum posse exigere charitativum subsidium, Remig. Gond. *de charit. subsid. qu. 21.* Diana, qui alios refert *d. tr. 2. resol. 55.* Cotton. *loc. cit.* Lezana *loc. cit.* Ventriglia *in prax. lib. 2. annot. 25. §. 1. num. 20.* Cassan. *loc. cit. pag. 136. vers. Item etiam dic, quod Cardinales.* 75

Duodecimò, infertur; posse Cardinalem Titularem Ecclesiæ Collegiatæ saltem unum Canonicum ad sui servitium, sive obsequium tenere, ut puta pro Capellano, Secretario &c. ut consuluit Navarr. *conſ. 2. de Cler. non reſiden. per tot.* quem sequitur Lotter. *de re benef. lib. 3. qu. 27. num. 184.* qui extendit etiam ad duos Canonicos, qui Canonicus lucrabitur fructus suæ præbendæ, non autem distributiones quotidianas, ut consuluit idem Navar. *d. conſ. 2.* 76

Hæc omnia cùm possint Cardinales exercere per se ipsos, potuerunt etiam exercere per eorum Vicarios. Nam certum est, posse in eorum Titulis Vicarium deputare, ut colligitur ex dicta *Conſtit.* Leonis X. *in ordin. 7. in 1. tom. Bullar. novi.* Quo dixit Abbas *in d. cap. his, quæ num. 1.* Bursat. *cons. 107. num. 7. vol. 1.* Fusc. *de visit. c. 2. num. 5. lib. 1.* Sbroz. *de offic. Vicar. lib. 1. qu. 3. numer. 23.* Barb. *d. cap. 4. num. 39.* novissimè Carolus Pellegrin. *in prax. vicar. part. 1. sect. 1. subsect. 1. num. 8. vers. Quarto loco.* 77

An autem in titulis Regularium possint deputare in Vicarium unum ex prædictis Regularibus videbimus infra. 78

Et cùm jurisdictio, quam habent Cardinales in prædictis Ecclesiis suorum Titulorum, sit ordinaria, ut notat Innoc. *in cap. dilectus v. de jure communi de Capell. Monach.* Zabarell. *in Clem. ne Romani §. Irritum qu. 3. de elect.* Felin. *in d. cap. his quæ in princ.* Rota *dec. 28. num. 20. p. 6. recent.* Fragos. *de regimin. Reipub. tom. 1. qu. 5. disp. 13. numer. 67.* & in jure fundata, latè est interpretanda, ad tradita Cassad. *dec. 8. num. 6. de præb.* Caputaq. *deciſ. 88. num. 6. part. 2.* in terminis Moneta *d. cap. 5. num. 442.* Et propterea non expirare, sede vacante, dixit Cardin. *in Clem. ne Romani §. Irritum qu. 3. de elect.* Fagnan. *in c. cùm olim n. 68. de major.* & *obed.* qui subjungit *n. 84.* quam tamen, Jurisdictionem, non per se ipsos, dum manent in Conclavi, sed per suos Vicarios, & ministros exercere possunt. 79

Non obstat, quod si hæc omnia de jure procedant, contrarium tamen de consuetudine servari. Huic enim motivo plures adaptantur responsiones. Et primò, cùm jurisdictio Cardinalis Titularis sit jurisdictio Episcopalis, nulla consuetudo introduci potest, quæ præstet impedimentum exercitio prædictæ jurisdictionis, *cap. Irrefragabili de offic. ordin. cap. cùm ex officiis de præscript.* Caputaq. *deciſ. 306. part. 1. num. 5* & *6.* Posth. *de manut. obſer. 44. num. 36.* 80

Secundò, quod cùm asserta consuetudo sit contra utilitatem Ecclesiæ, valere non debet, *cap. 1. de consuet.* & ibi Glos. & Abbas, Rota *dec. 265. num. 14. p. 1. rec. tom. 1.* Immò contra nervum Ecclesiasticæ disciplinæ, tanquam irrationabilis est rejicienda, utpotè a jure improbata, Rota *d. dec. 265. num. 23.* Et præsertim cùm jurisdictio Cardinalis Titularis pendeat ferè ab authoritate visitandi Ecclesiam sui Tituli, cùm jus visitandi sit publicum authoritate, & utilitate nunquam præscribi potest *d. cap. cùm ex officiis de præscrip.* Fagnan. *in cap. Venerabili num. 23. de cenſib.* Nec consuetudo in hoc est toleranda, *can. nos consuetudinem dist. 12.* Innoc. *in d. cap. Venerabili num. 6.* Fagnan. *ibidem num. 23. in fine.* 81

Tertiò,

82 Tertiò, cùm plures ex actibus jurisdictionalibus supra narratis sint facultativi, adversus eos consuetudo aliqua introduci non potest, Verall. *dec.* 306. *n.* 7. *p.* 1. Rota coram Pegna *dec.* 734. *n.* 6.

83 Quartò, negatur, adesse hujusmodi consuetudinem, quia in dies Cardinales in suis Titulis exercent actus jurisdictionales. Nam, & conferunt beneficia vacantia, & solemnem benedictionem impertiuntur, ut notum est. Certum est autem exercitium unius actus jurisdictionalis conservare jurisdictionem in omnibus aliis actibus, Doctores *in d. cap. dilectus de Cappel. Monach.* & præsertim Innocent. *n.* 3. Joann. Andr. *n.* 8. Butr. *n.* 15. Boich. *n.* 11. Felin. *in cap. auditis n.* 19. *in* 3. *declarat de præscript.* Menoch. *de retinen. remed.* 3. *n.* 158. & pluries resolvit Rota, ut in decisionibus allegatis a Barbosa *in d. c. dilectus n.* 6. & rursus *dec.* 24. *n.* 35. *p.* 10. *rec.* ubi dicitur, quod pro conservatione universalis jurisdictionis sufficit Episcopo etiam minimum illius actum exercuisse, & ibi plures aliæ allegantur decisiones. Ad retinendum enim usum privilegii sufficit illius usus respectu alicujus rei, vel actus, Seraph. *dec.* 1043. *num.* 4. Adden. *ad dec.* 557. Gregorii XV. *num.* 9. Pegna *dec.* 734. *num.* 12. & 13. & prius *dec.* 11. *num.* 8.

84 Hinc propterea cautè legendus est Mandosius in *regul.* 7. *Cancell. q.* 12. *n.* 7. qui cùm ex Speculatore, & Alvarotto dixisset, Cardinales ratione suorum Titulorum posse audire causas concernentes suam Ecclesiam Titularem, & Ecclesias suo Titulo subjectas, quod etiam, voluit Manfred. *de Cardinal. c.* 9. *vers. Habent enim*, ubi quod Cardinales in suis Titulis habent absolutam jurisdicendi potestatem civilium contractuum, actionum atque obligationum, jurium, possessionum suorum Titulorum, ac cæterorum, quæ ab hujusmodi Ecclesiis pendent, sequuntur Paris. *de resig. d. lib.* 7. *q.* 12. *n.* 11. Barbos. *d. c.* 4. *n.* 37. *d. c. his, quæ n.* 7.

85 Subjungit, quod talis jurisdictio non est usu recepta, vel tempore succedente evanuit. Quia si conservata fuit per exercitium aliorum actuum jurisdictionalium, evanescere non potuit, saltem de jure. Immò modernis temporibus hanc Cardinalium jurisdictionem agnovisse Summum san. mem. Pontificem Urbanum VIII. ex eo apparet, cùm in sua Constitutione moderatoria facultatum S. R. E. Cardinalium Archipresbyterorum, ac Protectorum & Titularium Ecclesiarum & locorum piorum Urbis, quæ Constitutio, ut in appendice novissima ad Bullarium Romanum Viterbii impressum anno 1659. est in ordine 158. limitando facultates Cardinalium Archipresbyterorum S. Joan. in Laterano, S. Petri, & S. Mariæ Majoris, ac Cardinalium Protectorum Monasteriorum, ac aliorum locorum piorum, easdem limitationes voluit servari a Cardinalibus Titularibus. Ex quo datur intelligi, non obstante prætensa consuetudine, Summum Pontificem agnovisse etiam his temporibus Cardinales habere jurisdictionem in causis Ecclesiarum suorum Titulorum, & illis subditorum.

86 Sed quatenus adesset consuetudo illa, sublata fuit non solùm per Constitutionem Sixti V. sed in specie per diplomata collationis Titulorum, in quibus habentur hæc verba: *Ac eamdem Ecclesiam regere, & gubernare, prout alii Presbyteri Cardinales, qui illi pro tempore præfuerunt, regere, & gubernare potuerunt, sive etiam debuerunt.* Ex quibus verbis clarè patet Summos Pontifices voluisse tollere ea omnia, quæ ex negligentia antecessorum emanare potuerunt, Rota *dec.* 240. *n.* 4. *p.* 4. *diversi. & dec.* 332. *n.* 26. *p.* 10. *rec.* Ubi quod per novam concessionem omnia præcedentia reviviscunt, & in pristinum statum reducuntur, a quibuslvis anteactis præjudiciis vindicata. Cui Constitutioni, & diplomatibus annexum est decretum irritans, quod tollit omnem præscriptionem, & consuetudinem, & omnem usum, vel contrarium usum, Gabr. *de clauf. concl.* 3. *n.* 40. Gonzal. *ad reg.* 8. *glos.* 67. *num.* 50. cum aliis per Barb. *clauf.* 40. *n.* 30. & 35. Rot. in pluribus decisionibus relatis *in dec.* 20. *n.* 24. *p.* 9. & *dec.* 337. *n.* 22. *p.* 10. *rec.* & alibi sæpè.

87 Nullum ergo fundamentum fieri potest in asserta consuetudine, sed dicendum est, omnia privilegia Cardinalium in Ecclesiis suorum Titulorum inconcussa, & illibata manere, quibus si ipsi non utantur, cùm ferè omnia tendant ad divinum cultum reparandum, & augendum, & in utilitatem Ecclesiarum sint concessa, vereor, ne strictam de omissis rationem Deo omnipotenti reddere teneantur.

88 Firmata sic jurisdictione Eminentissimorum Dominorum Cardinalium in Ecclesiis suorum Titulorum, videndum est, quam jurisdictionem habeant in Monachos, & alios Regulares degentes in Monasteriis, dictis Titulis annexis, & inservientes eisdem Ecclesiis Titularibus,

Mandosius *in d. reg.* 7. *Cancellariæ q.* 2. *num.* 10. *in fine*, dicit, advertendum esse, quod cum aliqui ex Titulis Cardinalium sint Monasteria, satis dubitabile videtur decidere, quam potestatem in his Titulis, Monasteriis, & Monachis habeant, & ut ipse dicebat Titularem Sancti Eusebii Ordinis Cœlestinorum, quorum ille erat Advocatus, non habere jurisdictionem super Monachos Sancti Eusebii, & Religionis hujusmodi, aliàs essent plura capita, videlicet P. Abbas Generalis, & Cardinalis Titularis, quorum uterque in solidum, & principaliter haberet jurisdictionem, quod non est dicendum. Mandosii doctrinam referunt Azor. *d. c.* 3. *q.* 3. *vers. Quæret aliquis*, Moneta *de commut. ultim. volunt. d. c.* 5. *n.* 443. Diana *d. tr.* 2. *resol.* 60. novissimè eam sequitur Cotton. *controv. celebr. lib.* 3. *de Cleric. controv.* 8. *c.* 3. *n.* 56. Lezana *in sum. t.* 3. *v. Cardinalis n.* 2. qui ait, non videre, quod in Ecclesiis Titularibus, quales sunt Sanctorum Sylvestri, & Martini in Montibus, S. Chrisogoni, & S. Mariæ Transpontinæ Cardinales exerceant aliquod jus, quod idem credit de aliis Monasteriis. 89

Augetur difficultas ex *d. cap. dilectus de Capell. Monach.* ibi: *Cum autem Monasterium Monialium fuerit, & generaliter in urbe servetur, ut nullum Monasterium sit Titulo subjectum.* Ex quo Textu infert Nicolius *lucubrat. utriusque juris tom.* 2. *lib.* 1. *tit.* 33. *pag.* 76. quod Cardinalis Titularis non habeat authoritatem super Regulares, licèt habeat domicilium in Ecclesia sui Tituli. 90

Sed si hæc res metienda sit a jure communi non incongruè dici potest, quod cùm sint Monachi, & Regulares, qui morantur, & deserviunt Ecclesiis Titularibus Cardinalium, & instar se habeant Canonicorum Ecclesiæ Cathedralis, & Collegiatæ, ut tradunt Doctores in *cap. causam* 1. *de judic.* & ibi Hostien. *n.* 1. Jo. Andr. *n.* 3. Abb. antiq. *n.* 2. Bellam. *n.* 11. Butr. *n.* 4. & 8. Dec. *n.* 38. Panorm. *n.* 8. Gratian. *discept.* 270. *n.* 19. Saravia *de adjunct. q.* 12. *n.* 18. Michael Frances *de Eccles. Cathedr. c.* 31. *n.* 17. Omnem jurisdictionem Cardinalis Titularis habebit in eos, exceptis iis quæ regularem observantiam concernunt *c.* 1. *ne sede vacante*, Gloss. *in c. nullus ver. Regularis de elect in* 6. & ibi Anchar. *n.* 3. Jo. Andr. *n.* 3. *in Glos. ult.* Gemin. *n.* 7. *in Glos. fin.* & ita resolvit Rota in Montis Regalis jurisdictionis coram bonæ memoriæ Coccino, quæ est *dec.* 157. in ejus impressis, & *dec.* 69. *p.* 1. *rec.* Barbos. *de Canonic. & dignit. cap.* 1. *n.* 12. 91

Quæ jurisdictio competit Cardinali privativè quoad Superiorem Religionis, & non cumulativè, Abb. *in d. c. causam de judic. n.* 10. Franch. *in d. c. nullus n.* 3. *de elect. in* 6. Mich. Frances *d. c.* 31. *n.* 56. Lotter. *de re benef. lib.* 1. *q.* 18. *n.* 18. & plures resolvisse Rotam dicit Gratian. *d. c.* 170. *n.* 11. & *præsertim in Montis Regalis jurisdictionis*, quæ est *decis.* 121. *p.* 1. *rec.* Valenz. *conf.* 43. *n.* 5. & 12. *vol.* Barbos. *loc. cit. n.* 27. 92

Neque obstat authoritas Mandosii *d. regul.* 7. *q.* 2. *in fine*; quia ejus authoritas non est tanti facienda, quanti eam æstimant Domini de Severolis in suis allegationibus. Nam Rota *decis.* 43. *v.* 9. *par.* 1. *recent.* eum vocat Doctorem, qui nimium se involvit, nec considerat ea, quæ faciunt ad rem, sicuti in casu nostro non consideravit. Voluit enim nimium indulgere Monachis S. Eusebii suis Clientibus. Non enim ratio per eum adducta subsistit, cùm non sit monstrum, quod in una Ecclesia duo sint capita diversis tamen respectibus, ut consideravit Rota in dictis decisionibus Montis Regalis Jurisdictionis 69. & 121. *p.* 1. *recent.* & ex Textu *in l. fin. ff. de jurisdict. omn. Judic.* voluit Saravia *de adjunct. q.* 12. *n.* 29. Et propterea illius opinio declaranda est, ut Cardinalis Titularis nullam habeat jurisdictionem in Monachos in iis, quæ respiciunt regularem observantiam, secus tamen in aliis concernentibus servitium Ecclesiæ Titularis, ut voluit Azor. *d. lib.* 4. *c.* 3. *vers. quæret aliquis in fine*, & Mandosium reprobat Cohel. *in notit. Cardinalat. c.* 6. *privil.* 4. *lit. A. vers. verum pace tanti viri.* 93

Neque obstat text. *in d. c. Dilectus de Cappel. Monach.* Quia huic Textui plures applicantur responsiones. Primò, ut non habeat locum in Cardinali Titulari, sicut non habet locum in Episcopo, ut notat Glos. *in d.* *dilectus in v. Titulis*, sed tantummodo procedit in Titulo simplicis Plebani. 94

Secundò, respondetur, Textum loqui de Monasteriis Monialium, ut apertè habetur, ibi: *Cùm enim Monasterium Monialium fuerit*, in quibus jus instituendi non pertinet ad simplicem Plebanum, ut notat ibi Anchar. *numer.* 24. *vers. vel dic.* Anan. *num.* 13. *vers. est speciale*, Abb. *numer.* 12. *vers. nec obstat*, sed melius omnium Butrius *num.* 2. 95

Neque obstat verbum *nullum* quod est universale, & 96

aptum comprehendere omne Monaſterium tàm virorum, quàm mulierum. Quia hujuſmodi dictio non eſt ſemper univerſalis negativa, ut patet ex Textu, juncta Gloſſa *in cap. 1. de capit. Conrad.* & in *can. Abb.*, ibi *nullæ Eccleſiæ ſubjiciantur* 18. *qu.* 2. & tradunt Abb. *in c. fin. num.* 35. *de præſcript.* Cened. *ſingul.* 76. *num.* 2. relatus per Barboſ. *d.* 229. *num.* 5. ſufficit enim quod illa dictio poſſit verificari in aliquo, ut ſentit Abb. *loc. cit.*

97 Tertiò reſpondetur, illum Textum debere intelligi circa, quæ concernunt regularem obſervantiam, *arg. Textus in can. nullam* 18. *quæſt.* 2. Summus Pontifex omnimodam juriſdictionem tribuat Abbati, non egreditur tamen ea, quæ reſpiciunt regularem obſervantiam, ut tenet Valenzuola *conſ.* 43. *a num.* 17. uſque ad 30. Rota *dec.* 15. *num.* 11. *part.* 1. *rec.*

98 Ulterius non obſtat, quod ea, quæ dicta ſunt de Regularibus inſervientibus Eccleſiæ ſæculari non procedant, niſi, quando Eccleſiæ ſunt Cathedrales, vel Collegiatæ. Nam limitatio a nullo authore legitur probata. Etenim ratio, quare ſubſunt Monachi Epiſcopo in Eccleſia Cathedrali, vel Collegiata eſt, quia Epiſcopus in illis Eccleſiis eſt loco Abbatis, ut in illa Montis Regalis juriſdictionis *deciſion.* 157. *numer.* 1. coram Coccino. Quæ ratio militat in Cardinal Titulari, quia in Eccleſia ſui Tituli eſt loco ſuperioris Religioſorum, ei inſervientium.

99 Non enim eſt differentia inter Epiſcopum, & Cardinalem Titularem, ſed ſufficit, quod Religioſi ſint Cardinali plene jure ſubjecti, ut notat Gloſſa *in cap. volentes, verb. niſi illi Monachi de privil. in* 6. Campanil. *in diverſ. jur. rubr.* 12. *cap.* 13. *num.* 116.

100 Non enim Cathedralitas, vel Collegium faciunt, ut Monachi, qui inſerviunt, tanquam Canonici in Eccleſiis Cathedralibus, vel Collegiatis diſtinguantur ab aliis, qui inſerviunt Eccleſiis inferioribus, Ordinario ſubjectis, Trullus *de Canonic. regular. lib.* 5. *cap.* 2. relatus a Rodriq. *quæſt. regul. tom.* 1. *quæſt.* 1. *art.* 3. *verſ. magnum autem.*

101 Sed idem in omnibus Eccleſiis ſervari debet, cùm in materia juriſdictionis Epiſcopi nulla detur differentia inter Canonicos Eccleſiarum Cathedralium, & Collegiatarum, & Religioſos inſervientes aliis Eccleſiis, ut patet ex Textu in *cap. ſanè de Regular.* Et ita notarunt in terminis Saravia *de adjunct. qu.* 12. *numer.* 19. Frances *de Eccleſ. Cathedr. cap.* 31. *num.* 52. & hæc ſecundùm diſpoſitionem juris communis. Sed quia in caſu, de quo agitur res definienda eſt juxta Conſtitutiones Apoſtolicas indubitanter tenendum eſt, Cardinales Titulares omnimodam juriſdictionem habere in Monachos, ſive Regulares, qui inſerviunt Eccleſiis ſuorum Titulorum.

102 Nam omiſſo privilegio Joannis Octavi, de quo meminit Baronius *ad annum* 882. quod refert etiam Cobel. in *not. Cardinalat. cap. 6. privileg.* 14. clara ſunt verba Conſtitutionis Sixti V. de qua ſupra. Nam, poſtquam ille Summus Pontifex erexit, ac præfinivit Eccleſias Titulares Cardinalium, nulla, ut dictum eſt, facta diſtinctione inter Eccleſias Sæculares, & Regulares *in §. Sic igitur*, ait. *Sic igitur ipſi Cardinales, quibus hujuſmodi Eccleſiarum regimen, cura, & adminiſtratio pro tempore commiſſæ erunt, eas in ſpiritualibus, & temporalibus ſollicitè, fideliter, & prudenter regant, & gubernent, ac juxta Conſtitutionem piæ memoriæ Leonis X. Prædeceſſoris noſtri in Concilio Lateranenſi noviſſimè celebrato editam, frequenter viſitent, circa cultum divinum invigilent, mores, & vitam Cleri, & populi eis ſubjecti diligenter explorent, eoſque ad rectè, & honeſtè vivendum paterno moneant affectu, bonorum, ac temporalium, redditiuum curam gerant.*

103 Et non eſt dubium, quin appellatione Cleri veniant etiam Regulares *can. Cleros* 21. *diſt. can. duo ſunt genera* 12. *q.* 1. Paul. de Eleazar. *in Clem.* 1. *de elect.* Abb. *in c.* 1. *de juram. calumn. in ult. notab.* Joan. Baptiſta Caccialup. *inter Conſil. Zabarell. conſ.* 4. *num.* 20. Mar. Anton. *lib.* 1. *reſolut. fin. caſ.* 50. *verſ.* 1. Tambur. *de jur. Abb. diſp.* 25. *qu.* 1. *num.* 225. & 226.

104 Sed clariſſima ſunt verba inſerta diplomatibus Titulorum, in quibus habetur: *Tibi pro tuo Cardinalatus Titulo concedimus, & aſſignamus, &c. Teque illi in Presbyterum Cardinalem præficimus, curam, & regimen, & adminiſtrationem ipſius Eccleſiæ Tibi in ſpiritualibus, & temporalibus plenariè committendo, ita quod liceat tibi reguminis, & adminiſtrationis ejuſdem Eccleſiæ, ac membrorum jurium, & pertinentiarum hujuſmodi poſſeſſionem, ſive quaſi per te, vel per alium, ſive alios propria authoritate liberè apprehendere, & de illorum fructibus, redditibus, & proventibus, & emolumentis univerſis diſponere, & ordinare, ac eamdem Eccleſiam regere, & gubernare, prout alii Presbyteri Cardinales, qui illi protempore præfuerunt, de illis diſponere, & ordinare, ac eamdem Eccleſiam regere, & gubernare potuerunt, ſeu etiam debuerunt. Quocirca circumſpectioni tuæ per Apoſtolicas ſcripta mandamus, quatenus curam, & adminiſtrationem prædictas ſic exercere ſtudeas ſollicitè, fideliter, & prudenter; quod dicta Eccleſia Gubernatori provido, & fructuoſo adminiſtratori gaudeat ſe commiſſam, Tuque valeas exinde apud nos non immeritò commendari. Ac ſuperiori, & Conventui dictæ Eccleſiæ, aliiſque illius ratione Tibi ſubditis perſonis, ut Tibi pareant, & obediant, alioquin ſententiam, ſive pœnam, quam ritè tuleris, ſeu ſtatueris in rebellis, ratam habebimus, & faciemus, authore, Domino, uſque ad condignam ſatisfactionem inviolabiliter obſervari.*

Ex quibus verbis apparet luce meridiana clarius, Cardinales non ſolùm in Eccleſiam regularem Titularem, ſed etiam in Conventum, & illius Superiorem, omnem authoritatem habere. Cui enim commiſſum eſt regimen, merum, & mixtum imperium tributum eſſe cenſetur argum. Text. *in l. unic. in princ.* ibi: *Regimentis Reipublicæ in Imperatorem translatis ff. de offic. Prætor.* Paul. de Caſtr. *conſ.* 187. *num.* 2. *vol.* 2. Borell. *de magiſtrat. lib.* 1. *cap.* 1. *num.* 155. & 156. 105

Præſertim quia Summus Pontifex utitur verbo *plenarie*, quod omnem juriſdictionem, & in quoſcunque comprehendit, Innoc. *in cap. Præterea* ſuper *verb. plenarie de offic. deleg.* Paul. de Caſtr. *d. conſ.* 187. *num.* 1. *verſ. maximè.* 106

Et Superiorem, & Conventum ſubditos facit Cardinali Titulari, æquiparando eos aliis ſubditis. Nam dictio, *aliis*, relata ad perſonas, facit illas ejuſdem qualitatis, Roman. *conſ.* 485. *num.* 5. Barbat. *conſ.* 33. *num.* 26. *vol.* 2. cum aliis per Barboſ. *d.* 26. *num.* 1. & 3. 107

Datque illi expreſſam facultatem in Conventum, & Superiorem, ſi ei non pareant, tanquam in rebelles procedendi, eoſque puniendi, quæ facultas ex juriſdictione dimanat, Doctores in *l. Omnes populi ff. de juſt. & jur. & in l.* 1. *ff. ſi quis, & juſdicenti non obtemper.* & ibi Cagnol. *num.* 46. Jaſ. *num.* 17. Dec. *in c. quæ in Eccleſiarum num.* 12. *de Conſtit.* Roland. *conſil.* 99. *num.* 3. *vol.* 4. 108

Quæ tantò magis locum habere debent, cùm ex iſta ſubjectione res reducatur ad terminos juris communis, ſecundùm quod Monachi, & Regulares erant ſubjecti Epiſcopis, *cap. cum perſonæ de privileg. in* 6. *cap. cùm contingat*, & ibi Doctores *de for. compet. can.* 1. 17. *quæſt.* 2. cum aliis per Rotam *deciſ.* 15. *numer.* 2. *uſque ad* 8. *part.* 1. *rec.* Tambur. *de jur. Abb. diſp.* 16. *quæſt.* 2. *per tot.* 109

Et propterea hujuſmodi privilegium latè eſt interpretandum, Rota *deciſ.* 400. *num.* 33. *part.* 9. *recent. tom.* 2. Nec poſſunt conqueri Monachi, vel Regulares, etiamſi ab eo ſentiant damnum Gloſſ. *in l. unius §. pactum nec peteret ff. de pact. can. ab exordio* 35. *diſt.* Rot. cit. *deciſ.* 400. *num.* 42. 110

Sed quia ſupra dictum eſt, quod ea, quæ poteſt exercere Cardinalis Titularis per ſeipſum, poteſt etiam exercere per Vicarium, quæri poteſt, an Cardinalis poſſit deputare in Vicarium unum ex Religioſis Conventus, qui deſerviunt Eccleſiæ Titulari. 111

Et proculdubio dicendum eſt, poſſe. Quia Regularis non prohibetur eſſe Vicarius Epiſcopi, cùm id nullo jure contradicatur, Abb. *in cap. fin. de Cleric. egrot.* Cardinal. in *Clem.* 2. *num.* 17. *qu.* 16. *de reſcript.* & ibi Imol. *num.* 25. Anchar. *num.* 9. Rebuff. *in prax. benef. tit. de Vicar. Epiſc. num.* 30. Navarrus, & alii relati a Sbroz. *de Vicar. Epiſc. lib.* 1. *quæſt.* 38. *num.* 4. Sanchez *ad præcept. decalog. lib.* 6. *cap.* 13. *num.* 8. Pelliz. *de regular. tr.* 8. *cap.* 6. *ſect.* 4. *num.* 247. Tambur. *de jur. Abb. tom.* 3. 17. *quæſt.* 5. *num.* 7. cum aliis per eum allegatis. 112

Et quamvis nonnulli limitent in Regulari ex ordine Mendicantium, ducti ex *Clem.* 1. *§. Ad Prioratus de Regul.* limitatio tamen non eſt admittenda. Quia Clementina ſolùm prohibet, ne Mendicantes, quia ad non Mendicantes tranſierint, poſſint aſſumi ad Dignignitates, non autem loquitur de prius Mendicantibus, ut benè Sanchez *loco citato num.* 88. *in fine*, & Pelliz. *loc. citato*. Acuna *in can. ſi quis alterius diſtinct.* 58. *num.* 17. ubi reprobat contrarium tenentes. 113

Nec iſto caſu erit neceſſarius conſenſus, ſive licentia Superioris Religionis. Quia cùm Cardinalis Titularis habeat ſuperioritatem in Regulares, qui inſerviunt titulo, ut ſupradictum eſt, ſufficit illius deputatio, cùm circa hoc non ſint exempti, Gloſſ. *in can. Cùm Paſtoris* 2. *q.* 1. Dominic. in *c. ſi Religioſi in fin. de elect. in* 6. & ibi Franch. *num.* 3. Sanch. *ad præcept. d. lib.* 6. *c.* 13. *n.* 91. *in fin.* & 114

fin. & num. 99. præsertim quia Regularis iste non avocatur a Claustro, nec ei judicia forensia committuntur.

115 Quæ est causa, quare Mendicantes non assumuntur in Vicarium, ut dicit Rebuff. *loc. cit. num. 32.* sed solùm committuntur ea, quæ spectant ad cultum divinum, & præficiuntur ad alia spiritualia in Ecclesia Titulari, & Conventuali peragenda, Barbos. *in cap. 1. de Capell. Monach. num. 2.*

116 Immò debet Cardinalis Vicarium Regularem in dicta Ecclesia sui Tituli deputare, cùm Ecclesia sit Regularis, cùm non debeant homines diversæ professionis in eodem officio sociari *can. in nova 16. quæst. 7.* ne ex dispari observantia in eodem loco scandalum generetur, *cap. Deus, qui de vit. & honest. Cleric. cap. cùm Causam, & cap. Cùm in magistrum de elect. cap. intelleximus de ætat. & qualit. Clem. 1. de elect.* Calderin. *cons. 28. de regular.* Dec. *cons. 640.* ubi quod habens beneficium regulare, posito, quod possit deservire per substitutum, talis substitutus debet esse Regularis, & eum sequitur Cravett. *cons. 96. num. ult.* latè Rota, quæ loquitur in Sacrista *dec. 238.* coram Coccino.

117 Successivè poterit Cardinalis Titularis deputare Parochum in dicta Ecclesia. Cùm enim cura animarum penes ipsum resideat, illam per Vicarium amovibilem exercere poterit, Oldrad. *cons. 67. in princip.* Gonzal. *ad regul. 8. glos. 6. num. 67.* ubi Episcopo Calagurritano, apud quem cùm cura totius Diœcesis resideat, per Clericos deputatos curam exerceri mandat, Cassadorus *dec. 11. de præb.* Seraph. *dec. 943. in princ.* Rot. *dec. 17. num. 1. part. 1. div.*

118 Et talis deputatus non appellatur Parochus, sed Coadjutor Episcopi in officio curæ, *cap. fin. de offic. Archidiac.* Imol. *in Clem. fin. n. 14. de privileg.* Caputaq. *decis. 240. p. 3.* cum aliis per Gonzal. *d. glos. 6. n. 68.*

119 Et ratio est, quia una Ecclesia non potest habere duos sponsos, *c. Quoniam de offic. ordinar. cap. Cùm non ignores de præb.* Rota *in pluribus dec. relatis* a Tondut. *resolut. benefic. cap. 1. num. 1.*

120 Neque intrat dispositio Textus *in can. sanè 16. qu. 2.* & in *cap. 1. de Capell. Monach.* quibus statuitur, quod in Ecclesiis curatis regularibus Episcopus deputet Parochum de consilio Superioris Regularis. Quia illi Textus procedunt vel quando Ecclesia est de jurepatronatus Regularium, ut notat Abb. *in d. cap. 1. num. 6.* Vel quando Ecclesia est unita Monasterio, vel quando spectat pleno jure ad Monasterium, ut declaravit Rota coram Durano *dec. 92. num. 19.* Barbos. *vot. decisiv. lib. 2. vot. 50. num. 27.* Secus autem si spectet pleno jure ad Cardinalem Titularem.

121 Sed quatenus observanda esset dispositio dictorum Textuum nihilominus Cardinalis Titularis habet liberam deputationem dicti Vicarii: Quia etsi debeat requirere consilium Superioris Regularis, non tamen tenetur illud sequi, *l. Cùm pater 79. ff. Quando*, & ibi Bartol. *ff. de legat. 2. cap. cùm olim de arbitr.* Et ideò deputatio spectat ad solum Cardinalem, Rota *dec. 79. de rescript.* Put. *dec. 494. lib. 2. in correction.* Anan. & Butrius *in d. cap. 1. num. 5.* & Abb. *num. 3. de Capell. Monach.* Gonzal. *ad reg. 8. glos. 96. num. 23.* & 24. Barbos. *d. vot. num. 24.* & 25.

122 Itaut talis Regularis sic deputatus non poterit amoveri a Superiori Regulari. Quia cùm institutio spectet ad Cardinalem, ita etiam destitutio, ut dicit expressè idem Textus *in d. cap. 1.* ibi: *Ut ex solius Episcopi arbitrio tàm ordinario, quàm depositio, & totius vitæ pendeat conversatio*, & ibi Gloss. *in v. solius*, & omnes Canonistæ, Barbos. *loc. cit. num. 25.*

123 Poterit etiam Sacristam, Concionatorem, Confessarios, & alios Ecclesiæ ministros deputare, cùm ad Cardinalem Titularem ea omnia spectent, quæ tendunt ad Cultum divinum, & ad salutem animarum procurandam *c. Cùm inter cætera ff. præcipimus de offic. Ordinar.* Sylvest. *in summ. v. Episcopus num. 11.* Tabien. *eod. v. num. 17.* Merlin. *dec. 743. num. 1.*

124 An autem Vicarius, Parochus, & alii supradicti Ministri sint exempti ab obedientia sui Prælati, Doctores omnes transeunt cum distinctione. Aut Ecclesia nullatenus subjicitur Prælatis Monasterii, tunc illi Religiosi eximuntur ab obedientia Prælati, & remanent subjecti Episcopo, qui deinceps erit eorum Abbas.

125 Aut Ecclesia subjicitur Prælatis Religionis quoad sola temporalia, & tunc eximuntur ab obedientia quoad spiritualia.

126 Si verò eis erit subjecta quoad spiritualia, erunt exempti quoad temporalia.

127 Si verò sit subjecta Prælato regulari, quoad omnia, pariter Ministri erunt in omnibus Prælato Regulari subjecti. Sic habetur in *can. In Parochia 16. q. 1. & can. sanè ead. caus. qu. 2.* Henric. Boic. *in cap. quod Dei honorem num. 8. de stat. Monach.* & ibi Hostiens. *num. 9.* Joan. Andr. *num. 14.* Cardin. *num. 5. qu. 2.* Summistæ ferè omnes, quos adducit Sanch. *ad præcept. lib. 6. cap. 6. n. 56.* Pelliz. *de regular. tr. 8. cap. 4. sect. 4. num. 115.*

Finito tamen officio, tenentur redire ad obedientiam 129
Prælati, si sint in Monasterio, & ad Monasterium, si ea exerceant extra Monasterium. Sic Sanchez *loc. cit. num. 36. in fine.*

Superest ultima, & non quidem levis difficultas, an 130
Summi Pontifices in collatione Titulorum eximant Ecclesias prædictorum Titulorum a jurisdictione Prælatorum regularium?

Sciendum est exemptiones nullis esse alligatas formu- 131
lis, sed quovis verborum modo, & genere concedi posse, *c. si Papa ff. licèt autem de privil. in 6. cap. 1. ff. declarationem de verbor. signific. in 6.* Cocchier. *de jurisd. in exempt. p. 1. qu. 9. in princip.*

Inter alias formulas concedendi exemptionem illa est 132
quando concessa est pleno jure Abb. *in d. c. Cùm inter cætera num. 3.* Gloss. *in cap. Cùm & plantare v. pleno jure*, ubi Abb. *num. 5. de privileg.* Host. *in c. Quoniam eod.* & ibi Abb. *num. 3.* Cocchier. latè *d. p. 1. qu. 9. numer. 6. 7. & 8.* pluries Barbos. *d. c. quoniam n. 1. de offic. ordin.*

Tunc dicitur facta exemptio pleno jure, quando Pa- 133
pa concedit facultatem in spiritualibus, & temporalibus, Gloss. *in d. cap. Quoniam v. utroque jure, & in d. c. cùm & plantare ff. In Ecclesiis ff. pleno jure*, ubi Zabarell. *num. 1.* Butr. *num. 26.* Dec. *num. 12. & 16.* Barbos. *in d. c. Quoniam num. 2. & de potest. Episc. alleg. 88. num. 15.* Fagnan. *in c. tuæ num. 7. de Cler. non resid.*

Cardinalibus autem non solùm Papa concessit autho- 134
ritatem in spiritualibus, & temporalibus in eorum Ecclesiis Titularibus, verum & ipsas plenariè illis subjecit. Quare de exemptione a superioritate Monachorum, & Regularium non est dubitandum. Sed quia nulla est adeò ampla potestas, quæ onera admixta non habeat, addam hìc obligationes, & onera, quæ habent Cardinales erga Ecclesias suorum Titulorum.

Et primò offert se Concilium Basilienſe, quod in *sess.* 135
23. hæc habet: *Pro conservandis Cardinalium Titulis, quorum aliqui tàm in divino cultu, quàm in ædificiis, nimirum, proh dolor, in opprobrium Sedis Apostolicæ, & in ipsorum Cardinalium, collapsi sunt, statuit hæc S. Synodus, ut de redditibus, & proventibus Terrarum Romanæ Ecclesiæ, quorum medietas juxta Constitutionem Nicolai Papæ ad Cardinales, ut prædictum est, pertineat, decima pars ejus, quod spectat ad quemlibet Cardinalium proprio titulo singulis annis applicetur, & nihilominus vel in vita, vel in morte tantùm proprio Titulo quilibet Cardinalis relinquat, unde communiter*, (aliàs commodè) *una persona sustentari possit: Quod si non fuerit tàm pro hoc, quàm pro dicta decima parte, bona omnia ipsius Cardinalis obligata sint usque ad debitam satisfactionem, & ad exequutionem hujus oneramus primum Cardinalem illius Ordinis, de quo ille defunctus erat. Visitet per se quilibet Cardinalis, præsens in Curia, absens verò per Vicarium idoneum singulis annis Titulum suum, Clericosque, & Populum Ecclesiarum subjectarum, & cum diligentia inquirat, & salubriter provideat super Cultu divino, bonisque ipsarum Ecclesiarum, ac vita, & moribus Clericorum & Parochianorum, de quibus cùm suæ sint oves, in districto Dei judicio, rationem redditurus est, & tàm quoad tempus visitandi, quàm quoad alia servet, quæ instituta sunt in decreto nostro de Conciliis Synodalibus.*

Addamus & Concil. Lateranense sub Leone X. *sess. 9.* 136
quod aliqua in parte reformavit decretum Concil. Basilienſis. *Tituli sui loca, si præsentes in Curia fuerint, personaliter, si verò absentes per Vicarium idoneum semel saltem singulis annis visitent Clericos, & populos Ecclesiarum Titulo suo subjectarum, cum diligentia inquirant, vigilentque circa divinum cultum, & bona dictarum Ecclesiarum, moresque in primis, & vitam Clericorum, & Parochianorum solerter explorent, eosque omnes, & singulos ad rectè, & honestè vivendum paterno moneant affectu. Pro augumento autem Divini Cultus, & salute animæ suæ quilibet Cardinalis vel in vita donet, vel in mortis articulo relinquat suo Titulo quantum sit satis ad Presbyterum unum commodè ibi sustentandum, vel si Ecclesia indigeat reparatione, vel alia subventione tantùm illi relinquat, vel donet, quantum conscientiæ suæ videbitur.*

Tertio loco accedit Constitutio Sixti V. de præfinitio- 137
ne Titulorum, & Diaconiarum pro S. R. E. Presbyteris, & Diaconis Cardinalibus, in qua *ff. 12.* hæc habentur. *Sic igitur ipsi Cardinales, quibus hujusmodi Ecclesiarum regimen, cura, & administratio pro tempore commissa erunt, eas in spiritualibus, & temporalibus*

allicitè, & fideliter, & prudenter regant, & gubernent, ac juxta Constitutionem piæ memoriæ Leonis Papæ X. Prædecessoris nostri in Concilio Lateranensi novissimè celebrato, editam, frequenter visitent, circa Cultum divinum invigilent, mores, ac vitam Cleri, & Populi eis subjecti diligenter explorent, eosque ad rectè, & honestè vivendum paterno moneant affectu, bonorum, ac temporalium redditum curam gerant. Sic ad Dei gloriam, & fidelis populi ædificationem pia, & magnifica structura, & fabrica suas quisque Ecclesias instaurare studeant, & exornare, & tam in vita, quàm in mortis articulo pro Divini cultus augumento, & salute animarum suarum ad congruè sustentandum aliquem Presbyterum, qui ibi in Divinis inserviat, seu aliàs erga ipsas Ecclesias, si reparatione indigeant, vel alia subventione de bonis a Deo collatis, prout cuique pro modo facultatum conscientia dictaverit, munificos se exhibeant, & liberales, ut earundem Ecclesiarum decora, & ornamenta tantorum Præsulum respondeant dignitati, ac ipsæ Ecclesiæ tàm sublimibus personis gaudeant se commissas, & eorum amplitudine illustratas. Iidemque Cardinales exinde ipsius Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, cujus nobilissima membra sunt, majestatem, sua pietate, sollicitudine, & prudentia in dies magis extollant, & reverentiam omnium gentium erga illam exemplis bonorum operum insigniter augeant, ac denique præter æternæ retributionis præmia, digna quoque laudum præconia a nobis, & Apostolica Sede valeant promereri.

138 Denique inferam hìc exemplar diplomatis, quo a Summis Pontificibus conferuntur tituli Presbyteris Cardinalibus, ut omnibus patet, qua authoritate sint suffulti.

139 *Innocentius Episcopus, servus servorum Dei Dilecto filio Francisco Tituli, Sanctæ Mariæ in via nuncupatæ, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Præsbytero Cardinali Albizi nuncupato, salutem, & Apostolicam benedictionem. Decet Romanum Pontificem, quem Pastor ille Cœlestis potestatis plenitudine sibi tradita Ecclesiis prætulit universis, de singularum præsertim Almæ Urbis Ecclesiarum statu sollicitè recogitare, & fidem tuam, quam ad Cardinalatus honorem, & una secum universalis Ecclesiæ onera partiantur pro tempore assumit, eorumque personas condignis honoribus sublimare. Quapropter earum regimen pro eorum Cardinalatuum Titulis eis interdum committit, ut per illorum prudentiam circumspectam Ecclesiæ ipsæ præserventur auxiliis, ac fœlicibus in spiritualibus, & temporalibus, adjuvante Deo, proficiant incrementis. Cum itaque nos aliàs Te ob grandium virtutum merita, quibus personam tuam illarum largitor Altissimus insignivit de Venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium consilio, & assensu, atque de Apostolicæ potestatis plenitudine in ejusdem S. R. E. Presbyterum Cardinalem ad assistendum nobis in regimine ejusdem universalis Ecclesiæ Apostolica authoritate duxerimus assumendum, & Ecclesia S. Mariæ in Via, quæ Titulus Presbyteri Cardinalis existit, certo, quem præsentibus haberi volumus pro expresso, modo vacaverit, & vacet ad præsens Nos cupientes Te prout juris, & rationis existit proprio Cardinalatus Titulo decorare, Ecclesiam prædictam, ut præfertur vacantem, cum omnibus, & singulis illius membris, juribus, & pertinentiis universis Tibi pro tui Cardinalatus Titulo de simili consilio dicta authoritate concedimus, & assignamus, Teque illi in Presbyterum Cardinalem præficimus, curam, regimen, & administrationem ipsius Ecclesiæ Tibi in spiritualibus, & Temporalibus plenariè committendo. Itaque liceat Tibi regiminis, & administrationis ejusdem Ecclesiæ, ac membrorum, jurium, & pertinentiarum hujusmodi possessionem, seu quasi per Te, vel alium, seu alios propria authoritate liberè apprehendere, & de illorum fructibus, redditibus, & proventibus, ac emolumentis universis disponere, & ordinare, ac eamdem Ecclesiam regere, & gubernare, prout alii Presbyteri Cardinales, qui illi pro tempore præfuerunt, de illis disponere, ac eamdem Ecclesiam regere, & gubernare potuerunt, seu etiam debuerunt. Quocirca circumspectioni tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenus curam, & administrationem prædictas sic exercere studeas sollicitè, fideliter, & prudenter, quæ dicta Ecclesia Gubernatori provido, & fructuoso Administratori gaudeat se commissam, Tuque valeas deinde apud nos non immeritò commendari, ac Superiori, & Conventui dictæ Ecclesiæ aliisque illius ratione Tibi subditis personis, ut Tibi pareant, & obediant, alioquin sententiam, sive pœnam quam ritè tuleris, seu statueris in rebelles, ratam habebimus, & faciemus, authore Domino, usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari. Et insuper ut statum tuum juxta Cardinalatus sublimitatem decentius tenere, & expensarum onera quæ Te jurgiter de necessitate subire oportet, facilius perferre valeas motu proprio, non ad tuam, vel alterius per se nobis super hoc oblatæ petitionis instantiam, sed de nostræ meræ liberalitate Tecum, ut etiam postquam in vim præfectionis prædictæ pacificam possessionem, seu quasi regiminis, & administrationis dictæ Ecclesiæ, ac illius bonorum, seu majoris partis eorum assequutus fueris, omnia, & singula monasteria, etiamsi Consistorialia, Prioratus, & Conventuales Præceptoria, Præpositatus, Præposituras, cæteraque beneficia Ecclesiastica cum cura, & sine cura sæcularia, & quorumvis ordinum militarium, & Hospitalium, etiam S. Joannis Jerosolymitani regularia quælibet de quibusvis concessionibus, & dispensationibus Apostolicis in Titulum, Commendam, administrationem, ut aliàs quomodolibet obtinens, ac in quibus, & ad quæ jus Tibi quomodolibet competit, quæcunque, quomodocunque, & qualiacunque sint, ut prius, quoad vixerit, retinere, ac quascunque pensiones annuas Tibi super quibusvis fructibus, redditibus, & proventibus Ecclesiasticis, ac eorum loco fructum ipsorum Apostolica Tibi authoritate reservatum, & assignatum reservatas, & assignatas, ac una cum illos, & illas transferendi, ac de rebus, & bonis tuis testandi, necnon beneficia, & officia quæcunque conferendi, aliisque facultatibus, & indultis Tibi concessis, ut prius, quoad vixeris, percipere, exigere, & levare, ac in tuos usus, & utilitatem convertere liberè, & licitè valeas, nostra quatenus opus sit de exprimendo verò annuo valore beneficiorum per promotos ad Ecclesiarum regimina obtentorum in dispensationibus tibi concedendis super illorum retentione, alioquin illæ non valeant, aliisque Constitutionibus, & ordinationibus, ac etiam quatenus opus sit, dictæ Ecclesiæ etiam juramento confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, cæterisque contrariis nequaquam obstantibus, Apostolica authoritate earundem tenore præsentium de speciali dono gratiæ dispensamus, decernentes propterea, Monasteria, Prioratus, Præceptorias, aliaque beneficia per Te obtenta hujusmodi non vacare, pensionesque, & fructuum reservationes prædictas non cessare, ac transferendi, testandi, conferendi, aliasque facultates, & indulta hujusmodi non expirare. Irritum quoque, ac inane, si secus super his a quoquam quavis authoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Volumus autem, quod propterea in Monasteriis, & Prioratibus Conventualibus hujusmodi divinus cultus, ac solitus Monachorum, seu Canonicorum, ac etiam ministrorum numerus nullatenus minuatur, aliaque beneficia hujusmodi debitis propterea non fraudentur obsequiis, & animarum cura, si qua illis immineat, nullatenus negligatur, sed eorum, & dilectorum filiorum conventuum, Monasteriorum, & Prioratuum Conventualium hujusmodi congrua supportentur onera consueta. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem anno Incarnationis Dominicæ millesimo sexcentesimo quinquagesimo tertio, decimo Kalendas Aprilis Pontificatus nostri anno decimo.*

Hæc Pontifex Innocentius, & Cardinalis Albitius, 140
cui jus disceptatio, doctrina, eruditione, argumentis, ordine, claritate talis est, ut non cedat Summorum Canonistarum, & legistarum consiliis, & nihilominus contra Albitium quoad jurisdictionem Cardinalium in Monachos, aliosque Regulares, degentes in Monasteriis, quæ titulis sunt annexa, & inservientes Ecclesiis Titularibus, pugnarunt clarissimi viri Nicolaus Severolus, & Marcellus ejus filius, Julius Fagnanus, magni quidem Jurisconsulti, quorum maxima est apud Romana Tribunalia judicandis causis authoritas ac etiam Pater Generalis, & Procurator Generalis Ordinis fratrum Servorum, quorum argumenta plenè, ac aptè idem Cardinalis suo peculiari scripto, typis edito luculenter diluit, extatque in hac causa res judicata pro Monachis, & Regularibus. Nos autem jurisdictionem quasi Episcopalem, quam Eminentissimi Cardinales habent in suis Ecclesiis Titularibus, ita etiam cum Albitio declaramus.

Certum siquidem est, Gregorium XIII. declarasse, 141
nolle se ut ea, quæ in sacro Concilio Tridentino concessa sunt Episcopis, competant Eminentissimis Titularibus. Quia licèt habeant in multis jurisdictionem Episcopalem, non tamen sunt Episcopi. Hujus declarationis testes sunt Cardinales Toletus *in sum. lib. 1. cap. 89. num. 5.* Baldell. *theol. moral. tom. 2. lib. 2. disp. 48. num. 24.* Fagnan. *in cap. his, quæ num. 16. de major. & obed. & in cap. ne pro dilatione num. 42. de pœnit. & remiss.* ac Nicol. *elucubrat. jur. lib. 1. tit. 33. num. 5.*

Rationes multæ sunt, eæque graves, præcipue verò 142
hæ sunt. Primò, quia ex jurisdictione quasi Episcopali non infertur ad ea, quæ speciali jure, maximè verò ad ea, quæ solùm ex delegatione etiam generali concessa sunt. Regula enim general is est, quod, qui succedunt Episco-

po in

po in jurisdictione ordinaria, etiam plenissima, non idcirco succedunt in Episcopali jurisdictione quoad ea, quæ speciatim sunt Episcopo concessa, ut Episcopo, vel ei sunt delegata, vel quatenus electa est industria personæ, aut spectata fuit Episcopalis dignitas. Atque hinc est, ut, quoad hæc, Capitulum, sede vacante, non succedat in Episcopali jurisdictione, quamvis aliàs certum sit, illud succedere, sede vacante, in jurisdictione Episcopi, ut per Panormit. *in cap. scriptum de elect.* & in *cap. verum de for. compet.* & in *cap. his, quæ de major & obed.* Prob. ad Monach. *de suppiend. neglig. Prælat. num.* 7. Fagnan. *in cap. Cum olim num.* 43. & 46. *de major. & obed.* ubi *num.* 54. quod non succedat in jurisdictione delegata, etiam ex generali jurisdictione sedis Apostolicæ, & *num.* 55. quod in Capitulum, sede vacante, non transeunt quæ pertinent ad Episcopum, tanquam sedis Apostolicæ delegatum ex vi Concilii Tridentini. Hæc eadem docent Sylvest. *verf. Capitulum §.* 2. Selv. *de benef. lib. 3. cap. 66. num. 3.* Paris. *de resignat. lib. 7. quæst. 23. num.* 24. Suar. *de censur, disput. 7. sect. 2. num.* 4. Passerin. *tom. 2. de stat. homin. q. 187, artic. 1. num.* 301. & *sequent.* Multò minus igitur hæc transire ad Eminentissimos Titulares declaravit Gregorius XIII.

143 Deinde quia in concessione generali non comprehenduntur specialia, quæ superior non est verisimile concessurus, *cap. cum in generali de offic. Vicar. num. 6. & cap. si Episcopus de pœnit. & remiss. cap. in generali de reg. jur.* pariter *in 6.* ut proinde Gemin. *ad d. cap. cum in generali num.* 2. dicat, quod genus non comprehendit speciem, quando adduci potest aliqua causa, ob quam species aliqua non comprehendatur. Quod etiam notant Glos. *in cap. pia de exception. in 6.* Et propterea Vicario Episcopi ex mandato generali nec cognoscere causas criminales, nec conferre beneficia, nec alia plura competunt, *cap. 2. & 3. de Offic. Vicar. in 6.* ubi hoc ipsum tradunt Archid. Jo: Andr. Anchar. Butr. Gemin. & Franch. Ex hac igitur generali ratione, quod Eminentissimi Titulares habeant jurisdictionem quasi Episcopalem, non potest colligi, quod iis competunt ea specialia, quæ sacrum Concilium Tridentinum speciatim concessit Episcopis, & quidem nec propriè, ut Ordinariis, neque ut sedis Apostolicæ delegatis, qualis est omnis illa jurisdictio, quæ quoad curam animarum a Concilio, & a novis Constitutionibus Apostolicis concessa est Episcopis in Regulares exemptos.

144 His accedit, quod licèt Prælati non Episcopi, habentes jurisdictionem Episcopalem, si simul habeant Territorium proprium, quod nullius sit Diœcesis, & Episcopo non subjectum, sed ab ejus jurisdictione plenè exemptum, aliquando veniant nomine Episcopi, & in specie comprehendantur sub decreto Sacri Concilii Tridentini *sess. 15. cap. 11. de regular.* per quod Monasteria, quæ habent annexam curam animarum sæcularium, quoad hanc curam, subduntur visitationi, & correctioni Episcopi, in cujus Diœcesi sunt sita, ut per Rotam in Piscen. jurisdictionis coram Gyptio 5. Maji 1589. & in eadem 10. Octobris 1593. coram Pegna, & 15. Junii 1590. coram Plato, tradit; Pais. *tom. 3. de stat. hom. quæst. 186. num.* 10. *inspect.* 10. *num. 693.* Quod tamen neque id universaliter verum est, quia hujusmodi Prælati non veniunt sub eo nomine Episcopi in Constitutione Gregorii XV. quæ incipit, *Inscrutabili de exempt. privileg.* nec illis competit facultas in tributa, & delegata Episcopis, corrigendi Regulares delinquentes in administratione Sacramentorum personis sæcularibus, ut declaravit Sac. Congregatio Concilii in declarationibus post præfatam Constitutionem Gregorianam.

145 Nihilominus Prælati non Episcopi, quamvis in multis habeant quasi Episcopalem jurisdictionem, si tamen non habeant Territorium proprium ab Episcopi jurisdictione plenè exemptum, nec habeant subditos ab eadem Episcopi jurisdictione plenè exemptos, in Concilio, in jure communi, in Constitutionibus Apostolicis non veniunt nomine Episcopi, vel Ordinarii, præsertim in illis casibus, in quibus a Concilio Tridentino datur Episcopis facultas in Regulares, quoad ea, quæ concernunt curam animarum sæcularium. Ut enim aliquis dicatur habere Territorium proprium, quod sit nullius Diœcesis, ac sibi plenè subjectum, ac ipse dici possit illius Territorii Ordinarius, necesse omninò est, ut habeat jurisdictionem, & Clerum, & populum, excluso Episcopo, Glos. *in Clem. 1. §. Volumus verf. Diœcesani de for. compet.* Gemin. *in cap. 2. de Constit. in 6.* ibique Anchar. *num.* 10. Fagnan. *in cap. significasti num. 17. de offic. Ordin.* Ubi igitur Territorium est de Diœcesi Episcopi, ejus Ordinarius non est Prælatus inferior, sed Episcopus, qui est, totius suæ Diœcesis Ordinarius, *cap. cum Episcopus de offic. Ordin. in 6.* & sic jurisdictio concessa Ordinario a Concilio Tridentino competit Episcopis, qui simpliciter sunt Ordinarii, & habent jurisdictionem in populum in hujusmodi Territoriis, ac locis, ab Episcopo non exemptis.

Facitque ad id, quod ait Fagnanus *in cap. Sacro num.* 146
60. *de sentent. excommun.* quod scilicet Prælato inferiori potest dupliciter competere jurisdictio, quasi Episcopalis. Primò, ut nulla Episcopo remaneat jurisdictio neque actu, neque habitu, ut si ipse, ejusque Territorium sit omninò exemptum, & immediatè Sedi Apostolicæ subjectum. Secundò, ut inferior solùm ex privilegio, aut præscriptione habeat in aliqua parte Diœcesis jurisdictionem actu, Episcopus habitu. Et hoc modo hujusmodi Superior non est illius partis Ordinarius, cùm una Diœcesis non possit habere duo capita, sive duos Ordinarios. In quo casu Episcopus potest agere omnia illa, quæ sunt jurisdictionis ordinariæ, & sunt denegata illi inferiori, quasi jurisdictionem Episcopalem in eo loco habenti.

CONSULTATIO CXVIII.

TOrquatus, vir nobilis, destinaverat Religioni Hie- 1
rosolymitanæ duos suos filios, quos in libro Baptizatorum, quem vocant Natalium, tanquam plures annos anteà natos describi fecit, ut citiùs commendam consequi possent. Patre defuncto, Sempronius ejus Primogenitus, paternæ conscius fraudis alterum fratrem Coadjutorem Episcopalem a Principe nominari obtinuit, novo confecto Natalium libro, sub prætextu eum redigendi in meliorem formam, novi Coadjutoris ætati aliquot menses adjunxit, ut eo faciliùs in Romana Curia Coadjutoriæ obtineret confirmationem, quominus a legitima ætate coadjutor abesset, qui fraudis hujusmodi nec actor, nec approbator suasus a Doctoribus, quod nihil inesset mali, ex quo nemini fiebat injuria, ad Sacerdotium bona fide promotus, irregularitatem timens, minimè celebravit. Testes super coadjutoris vita, moribus, & ætate examinati, sive in Primogeniti obsequium, sive creduli, vitiatis, & corruptis Natalium libris fidem habentes, Coadjutorem ætatis esse legitimæ deposuerunt, licèt revera tertium supra vigesimum annum adhuc non attigerit. Hisque malis artibus sub falsi expositione nominatus a Principe, & a Sede Apostolica confirmatus coadjutor, instante suæ consecrationis die, supplicat pro convalidatione subreptitiæ confirmationis pro facultate celebrandi, ac consecrationis, & coadjutoriæ munus obeundi, prævia dispensatione super ætatis defectu, cùm aliàs immineant toti Regno scandala, sibi infamia, Episcopo coadjuto, senio confecto, & ad pastoralia munia inhabilia afflictatio, Diœcesi ingens detrimentum. Ex quibus quæritur, *an, & quomodò in his omnibus cum Oratore sit dispensandum?*

Respondeo. Licèt Episcopus debeat esse ætatis trigin- 2
ta annorum, *cap. cùm in cunctis de elect.* ibi, *statuimus, ut nullus in Episcopum eligatur, nisi qui jam trigesimum ætatis annum exegerit.* Dignitates verò infra Episcopatum, *quæ curam animarum habent annexam, nullus omninò suscipiat, nisi qui jam vigesimum quintum annum ætatis attigerit*, ibidem *§. Inferiora*, quin & Sacerdos sine prædicta ætate quis esse non possit, Tridentini, *sess. 25. cap. 4. de reform.*

In hoc tamen casu distinguendum est. Aut enim quæ- 3
ritur, an Summus Pontifex possit in prædictis dispensare, eaque convalidare? Et certum est, eum posse. Nam Papa valide ordinare potest etiam infantem in Episcopum, ut docent Authores, quos congerit Diana *de potest. Pontific. resol. 32.* ergo faciliùs in hoc casu. Aut quæritur, an id expediat? Et stantibus prædictis, ut scandali, infamiæ, ac Diœcesis necessitatibus occurratur, quatenus tamen præfata omnia sint occulta, censeo dispensandum.

CONSULTATIO CXIX.

An, & quatenus constare possit de sufficienti causa renunciandi libere Episcopatum in manibus Summi Pontificis?

PLures ad id afferri solent causæ, quas prudenti judi- 1
cio Sacræ Congregationis examinandas relinquo, generatim verò nunc assero, Cœli gravitatem, sive aeris inclementiam, quæ valetudini, ac corporis constitutioni Episcopi notabilem in modum officiat, illumque in diem pastorali officio minus habilem reddat, sufficientem renunciandi causam habitam semper fuisse, tum ex benigna, rationabili consuetudine Sacræ Congregationis,

nis, quæ sæpè Episcoporum renunciatione hac de causa factas admitti posse, rescripsit; tum ex Sacrorum Canonum dispositione, ut ex *can. quorundam 6. dist.* 24. relato a Glossa *in cap. ad supplicationem verſ. morari de renunc.* ibique Ostiens. *in princip.* Bald. *num.* 5. & tradit Felin. *in cap. accedens num.* 2. *ut lite non conteſt.* Paris. *de reſignat. lib.* 5. *quæſt.* 3. *num.* 245. *& ſeqq.* ubi testatur de communi, quando Cœli gravitas est corporis Episcopi Constitutioni obnoxia, latè Sperell. *in ſuo tract. de Epiſcopo*, italicè scripto *par.* 1. *cap.* 44. & B. Petrus Damiani *epiſt.* 9. *lib.* 1. refert B. Sylvanum Episcopum Phylopolitanum post tres annos meritò renunciasse eandem Ecclesiam, cùm Thraciæ frigidi aeris inclementiam sine sanitatis incommodo ferre non posset.

2 Quod autem Episcopus graves morbos ab aere diœcesano patiatur liquidò constare debet ex depositione plurium Testium, qui formiter examinari debent, cùm simplices fides non juratæ satis non sint, necnon ex relatione, & judicio Medici, & Chirurgi de partibus, qui secundùm artem, nedum de existentia, & gravitate morbi præcisè deponant, sed etiam morbi causam in pernoxium aerem Diœcesanum referant. Atque ex his probationibus eruitur justa causa admittendi renunciationem, sive resignationem requisita per Text. *in d. cap. ad ſupplicationem*, ubi dicitur adesse justam causam, quando non potest in loco securè morari, ubi Gloss. *v. morari*, inquit, *forsitan propter aeris intemperiem*, licèt ad hunc effectum sufficere verisimilis suspicio periculi vitæ, sive timeant periculum mortis, ut in *d. cap. ad ſupplicationem*, advertunt Butrius, Imola, & Abbas *numer.* 2. ibique Barbos. *in collect.* ubi ait, quod hæc dispositio locum habet, etiamsi Episcopus per aliquot menses anni sanus viveret, itaut posset tunc muneribus fungi corporis. Nam si peritorum judicio Episcopus identidem intra annum subiret periculum mortis, hoc sufficeret, ut juxta *d. cap. ad ſupplicationem* dimitteret Ecclesiam. Nec tenemur iterùm experiri, quia sufficit timor justus, & experientia. Experiri enim faciliùs suadetur, quàm fit. Nam periculosum esse, ait Felin. *in d. cap. accedens num.* 9. cùm non tractetur de periculo amissionis bonorum, sed de occurrendo morti absque discrimine. Quo casu omnes Doctores physici admonent Celum noxium fugiendum nominatim Hypocrates *lib. de nat. tom.* 4. *in fine Text.* his verbis; *providendum, ut ſpiritus quàm minimum in corpus intret, ſitque maximè peregrinus, & penes facultates mutanda ſunt loca regionum, in quibus ſanè morbus fuerat auſpicatus.* Peritorum autem depositionibus standum esse, tradunt Doctores cum Rota *decis.* 353. *num.* 2. *par.* 2. *recentior.* Alia de hac re alibi adduxi, præcipuè *tom.* 4. *conſult.* 137. *a num.* 90.

CONSULTATIO CXX.

An Canonicus, aliusvè graviter percutiens Clericum in aula Capitulari, in qua interveniunt decem, vel duodecim perſonæ Capitulares, ita incidat in can. Si quis ſuadente diabolo, ut non ſit neceſſaria declaratoria incurſus in excommunicationem juxta Conſtitutionem Concilii Conſtantienſis, quæ incipit, Ad evitanda? An ad id poſſint eſſe Teſtes ſufficientes Canonici, aliivè ejuſdem Capituli? Quid de teſtibus ejuſdem Communitatis, Societatis, etiam ſæcularis? Quatenus ejuſmodi Teſtes plenè probent? Abſolutio a Sacra Pœnitentiaria obtenta, quatenus ſuffragetur?

1 CUm agatur de percussione Clerici non occulta, sed notoria, percussor illicò remanet majori excommunicatione irretitus, etiam ante declaratoriam, a qua nonnisi a Summo Pontifice, & quidem cum partis offensæ satisfactione poterit absolvi, & interim efficitur inhabilis ad quemcunque actum, & in specie ad præsentandum, sive nominandum ad beneficia Ecclesiastica, ut ex communi sententia probat Ugolin. *de cenſur. tab.* 1. *cap.* 13. *§.* 7. *num.* 4. *in fine*, dicens, quod ubi hæc duo concurrunt, delictum scilicet percussionis Clerici fuisse publicum, & ab omnibus sciri, esse delictum, inevitabilis est notorietas, nulla egens denunciatione, ad hoc, ut juxta Extravagantem *Ad evitanda*, non sit tolerandus. Idipsum docent Laym. *theol. moral. tract.* 5. *par.* 2. *cap.* 5. propè fin. Navar. *in manual. cap.* 27. *num.* 92. aliique passim.

2 Notorietas autem non excluditur ex circumstantia, quod aula capitularis sit clausa, dum locus est publicus, & in ea Capitulum Congregatum cum interventu quamplurium. Ex quibus circumstantiis satis resultat notorium, ut post Gloss. *in can. de manifeſta* 1. *qu.* 2. probant in hac specie Avila *de cenſur. par.* 2. *cap.* 6. *diſp.* 2. *dub.* 4. *§. hinc tamen*, Alter. *eod tract. tom.* 1. *diſp.* 6. *lib.* 1. *cap.* 2. *col.* 6. & Bonac. *tom.* 1. *de excommun. diſput.* 2. *quæſt.* 2. *punct.* 1. *§.* 1. *num.* 3. Idque solùm a Doctoribus ponderatur pro excludendo notorio, quod factum contigerit in loco secreto, & paucis scientibus, ut declarat Abb. *in cap. veſtra num.* 16. *de cohab. Cler. & mul.*

Quin, etiamsi factum dici posset occultum respectu 3
aliorum, sat esset, quod esset notum ipsimet Capitulo, a quo dabet fabricari processus, ex traditis per Covarr. *in cap. alma mater §.* 2. *primæ par. num.* 9. *de ſentent. excommunicat. in* 6. ubi ait, opinionem Abbatis, & Felini, qui tenent non requiri declaratoriam, esse veram, quando ipsemet, qui est Judex exequutionis, est etiam Judex competens ad cognitionem ipsius causæ. Unde sine declaratoria hujusmodi excommunicatus est evitandus, Avil. *loc. cit.* dicens cum Abbate *in d. cap. veſtra num.* 16. Quod discretus Judex ex variis circumstantiis, & ex qualitate actus, loci, ac temporis arbitrabitur, factum esse notorium, vel non. Et vers. *Hinc ſequitur*, addit, notoriam utique dici percussionem Clerici, factam a Collegio Religiosorum. Hoc idem asserunt Alterius, & Bonacina locis allegatis, & statuitur *in c. cùm non ab homine de ſentent. excommunic.* ibi, *a communione illius, qui pro ſacrilega manuum injectione in Clericum in edictum excommunicationis incidit, licèt denunciatus non ſit*, ibique Gloss. *v. denunciatus in Concil. Conſtant.* relato a Guttier. *lib.* 1. *canon. quæſt. cap.* 1. *num.* 1. & 7. ubi, quod usus Ecclesiæ Catholicæ illud recepit, & *num.* 13. ostendit differentiam inter notorium percussorem Clerici, & alios, qui in excommunicationem incidunt, Sayr. *de cenſur lib.* 6, *cap.* 3. *numer.* 4. *& ſeqq.*

Idque, donec obtinuerit legitimam absolutionem; *cap.* 4
cùm deſideres de ſentent. excommun. Quæ esse debet pro foro exteriori, Alter. *de cenſ. lib.* 4. *toto cap.* 2. Filliuc. *tract.* 15. *cap.* 1. *quæſt.* 10. *num.* 45. ubi exhibet praxim Sacræ Pœnitentiariæ absolvendi percussores Clericorum, & ait, quod si delictum fuerit publicum, absolutio non suffragatur, adeòut, quis in actionibus publicis se gerere possit pro absoluto, subditque. Nam absolutio Sacræ Pœnitentiariæ ferri non solet pro foro externo. Eum sequitur Bonac. *de excommun. in partic. diſput.* 2. *quæſt.* 3. *punct.* 6. *num.* 23. & nos alibi. Unde non sufficit hæc absolutio, quando factum est notorium, & deductum ad forum contentiosum. Ita enim, & non aliter vindicatur injuria publica, & satisfit Ecclesiæ offensæ, ac parti læsæ.

Et in hac re iis Testibus omninò deferendum est, 5
qui fuerunt præsentes, & totam facti seriem perspexerunt, minimè obstante, quod sint de gremio Capituli. Quamvis enim fuerit ipsummet Capitulum offensum, attenta qualitate delicti commissi in aula Capitulari, & in personam sui Canonici, dum omnes erant congregati pro servitio Ecclesiæ, non tamen Capitulares dici possunt Testes minus idonei, dum non agitur de ipsorum particulari commodo, ut in specie de beneficiatis, quod non rejiciantur a testimonio ferendo pro sua Ecclesia, tradit Rota pluribus allegatis in Ampurien., seu Civitatens. convocationis ad Synodum 23. Junii 1642. *§. Quia quoad primum* coram Meltio his verbis. Quia quoad primùm Testem beneficiatum, ille non rejiciatur a testimonio pro Ecclesia, in qua est beneficiatus, dummodò principaliter de ejus commodo non agatur, licèt secundariò commodum aliquod honoris ipse sentire posset, Dec. *conſ.* 342. Alex. *conſ.* 68. *lib.* 2. Ruin. *conſ.* 111. *num.* 6. *lib.* 5. Honded. *conſ.* 59. *num.* 40. *lib.* 1. Rota *dec.* 340. *num.* 2. & 3. coram Gregorio Decimoquinto.

Et de confratribus, quod pariter sint Testes idonei 6
pro confraternitate, dum ex actu, de quo deponunt, ipsius non resultet particulare commodum, firmat Rota in Albinganens. præcedentiæ 20. Junii 1653. *§. non obſtat* coram Bichio, hisce pariter verbis: Non obstat, quod de prædictis deponant Testes, qui sunt Confratres ipsius Confraternitatis, ac proindè ad ejus favorem non mereantur fidem, præsertim in re magni honoris, Bald. *in cap. cùm nuncius num.* 1. *ad fin. de teſtib.* Felin. *in cap. inſuper num.* 6. *eod. tit.* Rota *deciſ.* 136. *num.* 1. *par.* 1. *recent.*

Quia objectum procederet, si exindè emolumentum 7
aliquod, vel honorem, ut singuli reportarent. Cùm autem minimè reportent, quia ut singulis non debetur honor debitus, ut universis, Præpos. *in can. Concilia §. Epiſcopum num.* 3. *diſt.* 17. Gratian. *diſcept.* 296. *num.* 46. *& ſeqq.* aliosque refert modernus Matritens. *in ſumm. qu. regul. vol.* 1. *tom.* 2. *cap.* 15. *num.* 23. plenè probant pro confraternitate, Bald. *in d. cap. cùm nuncius n.* 3. *de teſt.*

Hoc

Honded. *conſ.* 79. *num.* 39. & 40. *lib.* 1. Et in ſpecie de Confratribus, Rota *dec.* 290. *num.* 13. *par.* 5. *recent.* in Anconitana bonorum 13. Januarii 1645. §. *Quia etiam* coram R. P. D. meo Meltio, & magis in puncto in Taurinen. delationis Baldachini 4. Julii 1646. §. *Et licèt* coram Eminentiſſimo D. Cardinali Corrado. Maximè quia ſupplentur ex numero, & adminiculantur ab inſtrumento antiquitatis, ac in aliquibus etiam a teſtibus ex adverſo inductis plenè probantibus contra inducentem *l. Si quis Teſtibus*, *C. de teſtib.* Surd. *conſ.* 390. *n.* 18. Mantic. *dec.* 274. *num.* 1. *v. Et quod amplius*, Ita S. Rota Romana.

8 Præſertim verò dum agitur de facinore patrato in ipſomet Capitulo clauſo, ſicque alii, quàm Capitulares nequeunt haberi, qui præſentes fuerant. Unde fit, quod etiamſi paterentur exceptiones aliquas, quod negatur, adhuc benè probarent per Text. *l. conſenſu* §. *ſuper Cod. de repud.* & *in cap. fin. de teſtib. cogen.* & tradunt Gomez *var. tom. tom.* 3. *cap.* 12. *num.* 21. & Farinac. *de teſtib. qu.* 62. *num.* 55. ac Rota *dec.* 598. *num.* 6. *par.* 2. *recent.*

9 Neque ſuffragari poteſt limitatio, quod id patratum fuerit ob ſubitam, atque improviſam animi paſſionem. Nam ſolùm id admittitur, quando percuſſio eſſet tàm ſubita, ut ex defectu plenè deliberationis actus dici poſſet imperfectus, neque ad lethalem culpam pertingens, ut declarant Cajetan. *in ſumm. verb. excommunic. cap.* 10. Navar. *in man. cap.* 27. *num.* 85. Avila *de cenſur. par.* 2. *cap.* 5. *diſput.* 3. *dub.* 13. Laym. *in Theolog. moral. tract.* 5. *par.* 2. *cap.* 5. *num.* 8. *v. altera excuſatio eſt imperfectio actus non pertingentis ad culpam mortalem, puta ob ſubitam paſſionem iræ*, Bonac. *de excomm. in partic. diſp.* 1. *qu.* 3. *punct.* 6. *ſect.* 4. *num.* 3. Caſtropal. *eod. tit. diſp.* 3. *pun.* 23. §. 3. *num.* 31. Non autem ſi ab actu prætenſæ provocationis interceſſerit aliquod temporis intervallum, quod excludit primum motum, & inadvertentiam per Textum *in cap. Si verò* 3. *de ſentent. excommun.* ubi eatenus Alexander III. excuſari poſſe putavit percuſſorem Clerici ab incurſu in excommunicationem, quatenus eſſet facta non ex deliberatione, ſed incontinenti vim vi repellendo, ubi Gloſſ. *v. turpiter*, ait, *alias ex intervallo non liceret*. Quod autem intervallum excludat inadvertentiam, probant Doctores communiter, ac præ aliis Sayr. *loc. cit. lib.* 3. *cap.* 27. *num.* 25. & poſt alios Caſtropal. *ibid. num.* 14.

10 In caſu autem, quo Canonicus percuſſor debeat conferre aliquod beneficium Eccleſiaſticum, ſive ad illud aliquem præſentare, & prætendatur expectari lapſus ſex menſium, qui per Concilium Lateranenſe ſunt præfixi ad conferendum, ſive præſentandum, ac interim poſſe iſtum obtinere abſolutionem. Reſpondetur, quod id procedere poſſet, ſi ipſe percuſſor eſſet collator independenter a Capitulo, ſecus autem dum jus conferendi omninò reſidet apud Capitulum. Quia non idcircò collatio definit ſpectare omninò ad Capitulum, quod Canonicus Turnarius repræſentat, ut eximiè tradit Gloſſ. *in capit. ult. de præbend. in* 6. ac ibi Doctores communiter. Quo in caſu expectandus non eſt lapſus ſex menſium, ſed Capitulum poteſt, ut ſibi libuerit, conferre ad nominationem capacis, & habilis, qui tempore vacationis exiſtit in turno.

CONSULTATIO CXXI.

An Vicarius Capitularis poſſit indicere proceſſiones publicas ſine conſenſu Capituli, & minari cenſuras, & pœnas Canonicis, proceſſionibus non intereſſentibus?

Et quatenus negativè, An ſaltem poſſit eas indicere ſine conſilio Capituli, ac minari cenſuras, & pœnas, ut ſupra?

1 AD primum, quoad utramque partem affirmativè puto reſpondendum. Habet enim Vicarius Capitularis fundatam intentionem in exercitio ordinariæ juriſdictionis, eadem prorſus ſibi ratione, qua ipſi Epiſcopo competeret, Gloſſ. *in cap. Romana v. generaliter*, ibique Doctores *de appell. in* 6. *in cap. tua verſ. Vicarii de offic. Vic.* Covar. *pract. qu. cap.* 4. *num.* 87. & *variar. qu. lib.* 3. *cap.* 20. *num.* 4. Sanchez *de matrim. lib.* 3. *diſp.* 29. *qu.* 29. *num.* 1. Sbroz. *de offic. & poteſt. Vicar. qu.* 55. *num.* 9. ubi alii quamplures, & Garz. *de benefic. par.* 5. *cap.* 8. *num.* 21. Quod procedit etiam in Vicario ſimpliciter Capitulari, Sede vacante, Garz. *loc. cit. num.* 22. ibique alii.

2 Unde in terminis primæ partis dubii, an ſcilicet poſſit Vicarius Capitularis indicere proceſſiones publicas, & præſcribere quò, ac quomodo ſint dirigendæ, cùm hoc jus privativè quoad alios reſideat apud Ordinarium ex mente Sacræ Congregationis Concilii in Elborenſi 14. Januari 1617. teſte Barboſa *de univer. jur. Eccl. cap.* 43. *num.* 161. & *ſeqq.* Non obſtante, quod Capitulum, vel alii eſſent in quaſi poſſeſſione contraria, & non obſtante etiam immemorabili conſuetudine, & Congregatione Sacrorum Rituum in Camertina 24. Auguſti 1619. quam refert idem Barboſ. *loc. cit. num.* 163.

Eademque prorſus juriſdictio indicendi publicas proceſ- 3
ſiones, illaſque ad evitanda ſcandala potius per hanc, quàm per aliam viam dirigendi, reſidet, abſente Epiſcopo in Vicario Generali, cum conſilio tamen Capituli, non autem conſenſu, ac eodem modo, quo poſſet Epiſcopus, ſi præſens eſſet, teſtatur idem Barboſ. ex eadem Congregatione in Vigilienſi 28. Septembris 1630.

Quod verò ad ſecundam dubii partem perſpicua ſunt 4
verba Sacri Concilii Tridentini *ſeſſ.* 25. *cap.* 13. *de Regular.* ſcilicet, *Exempti autem omnes tam Clerici ſæculares, quàm Regulares quicunque, etiam Monachi, ad publicas proceſſiones vocati accedere compellantur*. Ideòque Vicarius poteſt nedum minari cenſuras, & pœnas, etiam extraordinarias Canonicis ad publicam proceſſionem accedere recuſantibus, verum & illas exequi, Ricc. *in collect. dec.* 882. *ad med.* Barboſ. *in collect. ad Concil. loc. cit.* Sbroz. *ibidem qu.* 182. *num.* 1. & *ſeqq.* aliàs Ordinarius haberet juriſdictionem abſque coercitione Eccleſiaſtica, qualis eſt cenſura.

Ad ſecundum non poteſt Vicarius Capitularis proceſ- 5
ſiones publicas, ſive generales indicere, Capitulo non requiſito, ac ſine ejus conſilio, atque adeò nec præcipere, ut Canonici eis interſint ſub pœna pecuniaria, & cenſurarum. Nam in Sac. Concilii Tridentini *cap.* 16. *ſeſſ.* 24. *de reformat.* ſtatuitur, quod Epiſcopus habeat primam Sedem, & locum, quem ſibi elegerit in proceſſionibus, ejuſque ſit præcipere omnium rerum agendarum authoritas, conſuetudine immemorabili etiam non obſtante.

Et quidquid ſit, an poſſit in totum Capitulum præ- 6
ſcribere jus indicendi proceſſiones, prout poſſe, conſuluit Valenzuol. *conſ.* 134. *a num.* 3. *tom.* 2. Id planè certum eſt, quod neque Epiſcopus, neque Vicarius poteſt illas indicere ſine conſilio Capituli. Quia facultas indicendi illis competit cum eodem conſilio, non autem liberè juxta plures declarationes Sacræ Congregationis, relatas a Valenzuola *loc. cit. a num.* 22. ac Ricc. *dec. Cur. Neapolit.* 379. *a num.* 3. *par.* 4. & a Barboſa ſuper Concil. *ead. ſeſſ.* 24. *cap.* 13. *a n.* 41. & *in ſumm. Apoſt. dec. collect.* 605. *a num.* 3. *ac de offic. & poteſt. Epiſcop. allegat.* 23. *a num.* 4.

Ac proindè præceptum hujuſmodi revocandum eſt. 7
Quia indictio ipſa ſine conſilio Capituli, irrita eſt, habeturque ac ſi non eſſet facta, ut probat idem Valenzuol. *ibid. n.* 45. *cum ſeqq.* qui *a num.* 59. declarat idem eſſe ad hunc effectum conſilium, & conſenſum, cum unum, aut alter debeat antecedenter peti, ac intervenire, & ſine eo Vicarius non debet, neque poteſt præcipere ſub pœna excommunicationis, & pecuniaria, ut proſequitur *a num.* 69.

Porrò conſilium Capituli intelligi de privatis, non 8
autem de publicis proceſſionibus, declaravit Sacra Congregatio Concilii, quæ etiam declaravit intelligi de proceſſionibus, quæ fiunt in Civitate. Quia Epiſcopus non tenetur requirere conſilium Capituli Cathedralis in decernendis, ac dirigendis proceſſionibus Oppidi ſuæ Diœceſis, ut in Elnenſi pro Oppido Perpiniani ſub anno 1596.

CONSULTATIO CXXII.

Iterum, *An excommunicatio ſit actus irrationabilis?*

NEgativè alibi reſpondi, ac probavi, actum irretra- 1
ctabilem, dici ſolummodò illum, qui poſt exequutionem factam ad primævum ſtatum reduci non poteſt, qualis eſt abſciſſio membri, tortura, carceratio, ac cætera hujuſmodi, ut per Alexand. *in leg.* 4. §. *Condemnatum numer.* 10. ac Jaſ. *numer.* 24. *ff. de re judic.* Cùm autem per abſolutionem præſertim in gradu appellationis, ſive alio modo obtentam, quis injuſtè excommunicatus, reſtituatur in ſtatum priſtinum, ſequitur, ut excommunicatio appellari non poſſit actus irretractabilis.

Nec obſtat, quod interim excommunicatus privetur 2
ſuffragiis Eccleſiæ, quæ per abſolutionem non recuperat. Etenim, aut juſtè excommunicatur, & tunc conqueri non poteſt de amiſſione ſuffragiorum, quia juſtè patitur, & mens Sacrorum Canonum eſt providere injuſtitiæ, non autem impedire juſtitiam.

Aut

2 Aut excommunicatur injustè, & interim non amittit suffragia generalia Ecclesiæ, neque interiorem Sanctorum communionem, Navarr. *in man. cap.* 27. *numer.* 3. ibi, *nisi in foro exteriori, quia non adimit communionem, quæ omninò est interior, neque suffragia generalia, quæ Ecclesia, & ejus Ministri faciunt.* Quod sequitur Valer. *de differ. utriusque for. v. sententia differ.* 3. *num.* 2. Quia excommunicatio injusta non privat apud Deum, neque in foro interiori, sed solummodò in exteriori ad tollendum scandala, quæ ex publico contemptu censurarum possent oriri, Gloss. *in cap. Romana v. irretiti de sentent. excommun. in* 6. & latiùs per Navarr. *loc. cit.* & Valer. ibidem, *ac verb. Excommunicatio num.* 1. & 7. ubi addit, quod ex illius observatione in foro exteriori nullum damnum anima patitur, quia perceptio Sacramentorum, & communio fidelium, qua excommunicatus interim gaudere potuisset, compensatur merito patientiæ, ac obedientiæ.

3 At nihilominus, re diligenter etiam, atque etiam perpensa, nunc assero, excommunicationem esse actum irretractabilem, quia continet gravamen irreparabile, ut in specie loquuntur Barbosa, qui plures constipat *in collect. lib.* 2. *tit.* 28. *capit.* 60. *numer.* 19. Quaranta *in Summ. Bullar. v. Archiepiscopi authoritas lit. R.* apud quem extat declaratio Sacræ Congregationis super Episcopis per hæc verba, *Cùm a gravamine quod per definitivam reparari nequit, ut indebitæ carcerationis, vel torturæ, aut excommunicationis, etiam comminatæ appellatur.*

4 Non obstat, quod sententia excommunicationis possit quandocunque retractari, atque adeò quod sit actus retractabilis ex Alter. *de censur. tom.* 1. *disput.* 6. *de causis excommunic. lib.* 3. *cap.* 1. *litt. C.* Nam inde non sequitur, nec fieri potest, quod pars gravata per sententiam excommunicationis, exequutioni demandatam, non patiatur illud præjudicium, & cruciatum, a quibus per absolutionem sublevare minimè potest, ut in his terminis firmat Rodriquez *q. regul. in prax. crimin. cap.* 4. *tit.* 27. *de appel. n.* 3.

5 Doctores autem, qui contra solent allegari, non ajunt, quod excommunicatio non sit actus irretractabilis, sed quod sit vinculum dissolubile, & quod possit tolli quandocumque. Immò Alter. *loc. cit.* firmat, quod excommunicatio est pœna, quæ secum trahit complurima damna, & incommoda spiritualia. & temporalia, quibus non tantùm anima, sed etiam corpus vexatur, ac torquetur; Unde meritò vocatur pœna maxima, & summa inter omnes pœnas.

6 Nec locum habere potest in foro Ecclesiastico, quod actus irretractabilis tunc dicatur, quando agitur de morte hominis vel de alicujus membri mutilatione. Nam Judex Ecclesiasticus non exequitur pœnam mortis, aut mutilationis. Quare sicuti in foro Ecclesiastico nulla major pœna dari potest excommunicatione, *can. corripiantur* 24. *quæst.* 3. ita omnis interpretatio facienda est, ut excommunicatio recenseatur inter actus irretractabiles.

7 Eòque præcipuè, si a Sacra Congregatione super Episcopis prohiberetur Episcopo, ne contra Canonicos, vel Beneficiatos, & eorum quemlibet ad actus irretractabiles, etiam carcerationis procedat, ponderando, quod nullus actus irretractabilis, præter excommunicationem, assignari potest, nisi præcedente carceratione.

8 Unde, dum Sacra Congregatio prohiberet etiam carcerationem, & sine ista non potest dari alius actus irretractabilis, nisi excommunicationis, necessariò dicendum est, in dicta prohibitione, eam comprehendi, eo præsertim si emanaret ad instantiam Canonicorum, aut Beneficiatorum, & ad consulendum eorum securitati, ob carcerationes, & censuras, ad quas Episcopus contra illos procedebat, & sic accipi debet interpretatio juxta supplicationem, Rota coram Crescentio *decis.* 8. *de præbend.* & coram Buratt. *d.* 226. *num.* 8. Quod quidem in interpretatione decretorum maximè attenditur, Rota coram Caputaq. *decis.* 75. *num.* 6. *part.* 1. coram Gregorio *decis.* 108. *num.* 11. coram Cavalerio *decis.* 255. *num.* 8. & coram Alexandro VIII. *decis.* 155. *num.* 5. passimque alibi.

9 Quare si post ejusmodi prohibitionem Episcopus proferret sententiam excommunicationis, illa est attentata, atque irrita ex defectu jurisdictionis, tanquam prolata contra formam decreti Sacræ Congregationis, Felin. *in cap. Cùm dilecta col.* 1. *de rescript.* Gratian. *discept.* 100. *num.* 42. *ac seqq.* & Rota *in Forolivien. pecuniaria* 20. *Maji* 1596. coram Litta apud Marches. *de commiss. part.* 3. *fol.* 44. Quo in casu, ut deinceps provideatur indemnitati Canonicorum, aut Beneficiatorum prohiberi poterit, etiam sub censuris Episcopo, vel ejus Vicario, ne tàm in causis motis, quàm movendis contrà ipsos procedat, nisi cum Adjuncto. Quod si exequutioni non demandaretur, nullatenus excusari poterunt ab attentatis, *cap. tibi, qui de rescript. in* 6. Cassador. *decis.* 2. *num.* 6. *de restitut. spol.* alioquin sequerentur absurda pernicioſi exempli, quod scilicet authoritas Sacræ Congregationis, ejusque decreta contemnantur, & accipiant interpretationem ad nutum Judicis inferioris. Quod sanè non est permittendum.

CONSULTATIO CXXIII.

An jus visitandi Diœcesim competat Capitulo, Sede Episcopali vacante?

ET affirmativè respondeo. Ita omnes, excepto Fu- 1
scho *de visit. lib.* 1. *capit.* 2. *num.* 20. Hanc opinionem affirmativam præ aliis sequuntur Quaranta in suo Bullario *v. Capitulum, Sede vacante*, Azor. *institut. mor. lib.* 3. *cap.* 37. *quæst.* 14. & *seqq.* Barbosa *de potest. Episc. alleg.* 73. *num.* 24. Panvin. *de potest. Capitul. Sede vacante quæst.* 1. *num.* 41. Simanch. *de Catholic. institut. tit.* 25. *num.* 6. ac Ricc. *in praxi rerum for. Eccles. decis.* 609. Sequuta etiam est Sacra Congregatio Concilii, ut in pluribus declarationibus apud Barbos. *de canon. & dignit. cap.* 42. *num.* 68. & ad Concilium *sess.* 24. *cap.* 3. *num.* 6. *de reform.* & Sacra Rota, ut in Pampilonensi juris visitandi coram Merlino, & in Burgensi juris visitandi 1. Julii 1598. coram Orano tenoris sequentis.

Pampilonensi. Pro Capitulo Ecclesiæ Cathedralis re- 2
sponsum fuit scilicet ipsum Capitulum, Sede Episcopali vacante, habere intentionem fundatam in jure visitandi universam Diœcesim, ac omnia, & singula membra, ac proindè etiam Clerum de Guipuzeta ea ratione, quia dum Ecclesia Cathedralis sua viduata est sponso, quæ ad jurisdictionem spectant, in ipsum transeunt Capitulum, *cap. Cùm olim*, ubi Abb. *num.* 2. Feder. de Sen. *cons.* 18. *num.* 2. Navarr. *cons.* 49. *num.* 2. *de temp ordin.* & *cons.* 7. *num.* 1. *de fil. Presbyt.* Rebuff. *in prax. tit. de devolut. num.* 58. *part.* 1. Paris. *de resignat. quæst.* 23. *num.* 17. & 28. *lib.* 8. Molin. *de just.* & *jur. tract.* 5. *disp.* 11. *num.* 5. Rota *divers. dec.* 1. *num.* 13. *p.* 2. & *inter recent. dec.* 326. *num.* 2. *part.* 1. & *decis.* 623. *n.* 4. *part.* 2.

Visitatio autem Diœcesis, utpotè quæ versatur, ne- 3
dum ad accessum per unamquamque, si id commodè peragi potest, Ecclesiam, sed etiam in perquisitione rationum, & reformatione morum tàm Cleri, quàm Populi, bonos tuendo, & pravos corrigendo, aliter exercendo, *ut in cap.* 1. *de cens. in* 6. & in Sacro Concilio Tridentino *sess.* 24. *cap.* 3. cum sit actus præcipuè ad jurisdictionem pertinens, *cap. conquerente de offic. ordin. in* 6. *cap.* 1. *§. fin. de cens.* Rota *divers. decis.* 196. *num.* 2. *part.* 2. & apud Cardin. Seraph. *decis.* 475. *num.* 1. & *decis.* 615. *num.* 2. & *decis.* 1004. *num.* 4. & apud Mantic. *decis.* 326. apud Sanctæ memoriæ Gregorium, *decis.* 4. *num.* 4. & *decis.* 304. *num.* 2. & *inter recent. dec.* 168. *num.* 2. & *decis.* 346. *num.* 2. & *dec.* 394. *num.* 4. *part.* 1. sequitur, ut defuncto Episcopo, Capitulum succedat in hoc jure jurisdictionali, & proinde munus visitationis obire possit eodem modo, quo poterat Episcopus. Et in puncto, quod, Episcopali Sede vacante, facultas visitandi Diœcesim resideat penes Capitulum, dixerunt Abb. *cap. cùm olim sub num.* 2. ubi etiam Bald. *num.* 1. *de major.* & *obed.* Franchus post Imolam, & Geminianum *in cap.* 1. *num.* 5. Archid. *in cap. Si Episcopus num.* 2. *de supplen. neglig. Prælat. in* 6. Federic. de Sen. *cons.* 16. *num.* 2. & *cons.* 40 *num.* 1. Rebuff. *in prax. tit. de devolut. num.* 65. Azor. *institut. moral. lib.* 3. *cap.* 37. *quæst.* 14. *part.* 2. Rota *in recent. dec.* 346. *num.* 2. *part.* 1. & aliàs fuit dictum in Burgensi procurationum 10. Martii 1597. coram Orano, & in Tudensi jurisdictionis 28. Novembris 1607. coram Sacrato.

In Burgensi autem coram Orano in Sacra Rota, Do- 4
mini, circumscriptis privilegiis Abbatum Ordinis Sancti Benedicti, censuerunt, Capitulum Ecclesiæ Burgensis, Sede Episcopali vacante, fundatam habere intentionem super jure visitandi, & exigendi procurationes debitas ratione visitationis. Quia, ut inquit Gloss. *in Clem.* 1. *§. Propter quod in v. Capituli de hæret.* Cùm de jure communi Episcopus possit visitare, & procurationes recipere, *tot. tit. de offic. Ordin.* visitatio autem sit actus jurisdictionis, in qua succedit Capitulum, Sede vacante, *cap. bis, quæ de major.* & *obed. cap. Cùm olim eodem tit.* sequitur, quod eo casu, Capitulum visitationis munus exercere possit, & procurationes, quæ in ejus sequelam veniunt, recipere Archidiac. *in capit. Si Episcopus num.* 2. *de supplen. neglig. Prælat. lib.* 2. Abb. *num.* 2. *vers.* & *limita*, Cardin. *in Clem.* 1. *num.* 17. ubi

Vital.

Vital. *num.* 178. *de hæret.* Gemin. *in cap.* 1. *de major. & obed. num.* 4. *&* 5. & post eum Franch. *num.* 5. ubi refert Joan. de Imol. dicere, hanc opinionem veriorem, Federic. de Sen. *conf.* 2. *vers. undecimò quæro* cum allegatis. Hanc verò potestatem visitandi, Sede vacante, nedum Capitulum habet respectu generalis visitationis, qua visitari consuevit Civitas, vel Diœcesis, sed etiam respectu particularis, quæ potest institui contra certas personas, suborta præcedente diffamatione, Bonif. *in Clem.* 1. *num.* 277. *& seqq.* Vel quando datur quasi Sedis Episcopalis vacatio, utpotè Episcopo ab hostibus, Paganis, Schismaticis, vel Hereticis capto, *cap. Si Episcop. de supplem. neglig. Prælat. in* 6. & ita concluſum, &c.

5 Hæc Sacra Rota. Nec obstant, quæ adducit Fuscus *loc. cit.* Nam ad illud, quod Capitulum, Sede vacante, non succedat in voluntaria Episcopi jurisdictione, & quod jus visitandi sit jurisdictionis voluntariæ, respondeo, jus visitandi non ad voluntariam, sed contentiosam jurisdictionem pertinere, quia redditur in invitum, & subditi illam impedire nequeunt, & superior visitare tenetur, *cap. sopitæ* 14. *de cens. can. relata in fin. qu.* 1. & in specie Abb. *in cap. cùm olim num.* 2. *de major. & obed.*

6 Ad illud verò, quod successori notabilem in modum præjudicetur, respondeo, id negando. Quia potius successor ab onere sublevatur. Nec expectandus tardus, ac serus nimis successor, ut mores subditorum corrigantur, sed servandum est tempus pro visitatione a Concilio Tridentino statutum. Reipsa monitus, adhuc recordor carminum nostri Ovidii *lib. de remed. amor.*

Principiis obsta, serò medicina paratur,
Cum mala per longas convaluere moras.
Vidi ego quod fuerat primo sanabile vulnus,
Dilatum longæ damna tulisse moræ.

CONSULTATIO CXXIV.

An, & quatenus exemptio a jurisdictione Ordinarii concedenda sit, etiam toti Capitulo, aliisve? Quænam sint lites affectatæ, calumniosæ, injustæ? Quænam sævitia ad id requiratur? Alia.

1 EXemptionis petendæ causa legitima videtur rationabilis suspicio atrocis sævitiæ tyrannicè adhibitæ contra Capitulum, de qua plures actus deduci debent. Vel causa litium jamdiu acerrimè versantium, præsertim si respiciant jurisdictionem, nullo pretio æstimabilem, juxta *l. Julian. §. non enim, ff. siq. omiss. caus. test.* Gonz. *super reg.* 8. *Cancellar. §.* 4. *procem. num.* 29. Cavaler. *decis.* 612. *num.* 61. Et quidem respectu sævitiæ passim concedi, tradunt Roland. *cons.* 18. *num.* 8. *& cons.* 40. *num.* 32. *lib.* 4. Lotter. *de re benefic. lib.* 1. *quæst.* 24. *num.* 32. Guidopap. *dec.* 62. ubi Adden. *v. atrociter*, Cassad. *dec. ult. num.* 4. *de privil.* Rota *dec.* 280. *num.* 5. *par.* 5. *recent. & dec.* 258. *num.* 29. *par.* 7. Et propter lites animadvertunt Staphil. *de liter. instit. tit. de rescript. infor. Brevis §. Indultum num.* 10. Paris. *de resignat. lib.* 7. *qu.* 11. *num.* 7. Gabr. *de judic. concl.* 4. *num.* 31. Caputaq. *dec.* 62. *num.* 4. *par.* 2. ac Rota *d. dec.* 280. *num.* 3. *&* 6. ubi testatur de stylo Signaturæ, & Sacræ Congregationis. Saltem verò dari poterit Adjunctus, quoad actus irretractabiles, sicut facillimè ob solum fumum suspicionis consuevit hoc indulgeri, ex traditis a Staphil. *loc. cit. in cap. utrum autem valeat num.* 2. Mandos. *de Commiss. super Commiss. deput. Adjunct.* Marches. *cod. tract. par.* 2. §. 2. *tit. de Judic. suspic. num.* 40.

2 Hæc clara sunt, verumtamen, ut clariora reddantur, præter alibi a nobis dicta pro subditis hæc addimus pro superioribus. Aut petitur exemptio a jurisdictione ob lites, quæ adversus Ordinarium a subditis promoventur, aut ex eo, quod Ordinarius in exercenda jurisdictione malè se gerat.

3 Si primum, exemptio non est concedenda. Quia nimis a jure abhorret, subditos a jurisdictione superioris eximere propter lites, & ideò Signaturam, ubi sola proponatur formido sævitiæ propter lites, lacerare preces exemptionem petentis, vel ad summum, si detur aliquis vehemens fumus, consueviſſe rescribere Judici controversiæ civilis, ut constito de sævitia, inhibeat, testatur Lotter *loc. cit. num.* 39. *cum seqq.* & ante eum Mandos. *in tr. de inhibit. qu.* 104. *sub num.* 4.

4 Multòque magis neganda videtur, ubi ratio præteriti temporis admonet plures lites promotas, & quidem magni momenti, Ordinarium æquo animo sustuliſſe, & maximè si lites recentes sint affectatæ, calumniosæ, ac injustæ, Marches *de commiss. in commiss. avoc. caus. a num.* 71. Nam si indefinitè, atque promiscuè ob causam litium daretur exemptio, facilè subditus procuraret lites contra Superiorem, ut exemptionem obtineret, easque diutiùs pro viribus consoveret, ac protraheret. Quod non esse ferendum, firmat Rota *dec.* 6. *de præben. num.* 5. coram Cassadoro.

Suntque lites affectatæ, & clumniosæ, si per plures 5
sententias, sive decisiones Rotales fuerint definitæ, Rota *dec.* 7. *num.* 2. *de dol. & contum.* coram Cassador. Vel si absque ullo fundamento juris excitentur, Lotter. *loc. cit. lib.* 2. *quæst.* 20. *num.* 96. Bisign. *dec.* 2. *de rer. permut.* Quo in casu in nulla prorsus habentur consideratione, ac si non adessent, Rota *d. dec.* 7. *de dol. & contum. & dec.* 2. *num.* 2. *de rer. permut.* ibique Adden. *sub lit. A. v. litis motio*. Et sufficeret, quod ante hac plures calumniosæ lites fuerint excitatæ, Decian. *cons.* 10. *num.* 41. *&* 42. *vol.* 1. Novar. *de gravam. vassal. præl.* 7. *num.* 9. *tom.* 1. Mastrill. *dec.* 263. *num.* 15. *lib.* 3.

Si autem secundum, debet doceri, Ordinarium tyran- 6
nicè se gessisse, & tunc neque deveniendum est ad exemptionem, nisi præcedente monitione, ut Ordinarius se corrigat, vel ut instituat novum Vicarium, qui meliùs se gerat, Roland. *cons.* 40. *num.* 32. *lib.* 4. cum aliis per Lotter. *d. qu.* 24. *num.* 31. Nec docetur sævitia, si probatur ex simplici carceratione, sed requiritur carceratio injusta, & attrox, ut per Guidop. *d. dec.* 62. *num.* 1. ibique Adden. Vivian. *dec.* 447. *num.* 17.

Quare petentes eximi ab Ordinarii jurisdictione nul- 7
lo pacto id debent obtinere, nisi subsistente legitima causa, ut firmatur *in l. unic. C. si quacunque præditus potest. §.* 1. ibique DD. Faber. *in l. offic. ff. de offic. Procons. & legat.* Rossental. *de feud. cap.* 10. *§.* 85. *litera A.* Petr. *de potest. Princip. cap.* 8. *num.* 84. Petr. de Gregor. *de concess. feud. par.* 8. *fol.* 289. *n.* 1. *& seqq.* Scrader. *de feud. tom.* 2. *par.* 9. *cap.* 6. *num.* 61. *& seqq.* & ex causis injustis, Felin. *in cap. Cùm non liceat in princip. de rescript.* Anton. de Pret. *in clyp. Pastor. cap.* 4. *num.* 4. Roman. *cons.* 37. *num.* 1. Giurb. *cons.* 66. *num.* 25. Mastrill. *d. dec.* 263. *num.* 11. *lib.* 2. ac in specie sævitiæ, requiritur sævitia maxima per modum tyrannicum, Lotter. *d. quæst.* 24. *num.* 39. Rota *dec.* 280. *n.* 3. *&* 8. *par.* 5. *recent.*

Unde sævitia non probaretur, si fuerint carceribus 8
mancipati nonnulli Canonici, quia sibi abrogarunt jurisdictionem privandi aliquos Canonicos distributionibus, quam cum non haberent, commiserunt delictum gravissima pœna dignum, Bellug. *in spec. Princip. rubr.* 22. *n.* 15. Guidopap. *qu.* 423. *post num.* 2. Farinacc. *qu.* 114. *n.* 6. *& seqq.* ubi de Magistratu excedente limites suæ jurisdictionis, Mastrill. *de Magistrat. lib.* 3. *cap.* 2. *num.* 20. *cum seqq.* In his enim concursus singulorum, vel majoris partis omninò requiritur ex dispositione juris communis *in l. Item si unus §.* 1. *l. si in tres, l. sicuti ff. de arbitr. l. duo ex tribus, ff. de re judic. l. Cùm Magistratus, C. quando provoc. non est necesse*, Ludovic. a Saravia *de jurisdict. Adjunct. qu.* 31. *num.* 19.

Neque probaretur ex intrusione Canonici in carceres 9
pro sumenda criminis alicujus informatione, si recusaret, tanquam testis crimen deponere. Hoc enim casu poterit arbitrio Judicis in carceribus retineri, Farinac. *qu.* 74. *num.* 41. *& seqq.* Clarumque est, quod Testes, sive Clerici, sive Laici possint compelli, etiam censuris, per Judicem Ecclesiasticum ad perhibendum testimonium veritatis coram eo, juxta *cap.* 1. *cap. super eo, cap. pervenit* 1. *&* 2. *cap. Cæterum, cap. cum contra de testib. cogen.* ubi Pontifex testificari recusantibus beneficii Ecclesiastici privationem, & excommunicationis sententiam minatur, sive in causa civili, sive in criminali juxta veriorem opinionem Ostiens. *in cap. dilectorum eod. tit.* quæ est usu recepta, ut testatur Foller. *in prax. canon. v. testibus*, Clar. *in §. fin. num.* 19. Farinac. *qu.* 78. *num.* 116. Genuens. *in prax. Curiæ Archiepisc. Neapol. cap.* 9. *num.* 1. Guazin. *defens.* 14. *cap.* 11. *num.* 1. *&* 23. Idque, etiamsi quis teneretur juramento non revelandi delictum, cùm certum sit ad crimen detegendum, testem non obstante juramento, compelli posse, *d. cap. pervenit*. Juramentum enim non obligat in illicitis, Oldrad. *cons.* 259. *num.* 9. Guttier. *de juram. par.* 1. *cap.* 38. *n.* 14. Guazin. *loc. cit.* ubi quod non tenet juramentum de non revelando, quando id, quod revelari quæritur, est delictum.

Atque hæc, & hujusmodi alia relinquuntur prudenti 10
Judicis arbitrio ad pendendam sævitiam, ac lites propositas, an attroces, an calumniosæ, an futiles, an injustæ sint. Porrò causa exemptionis remittenda est ad Rotam, si in ea lites pendeant inter partes, ut per Mandos. *in d. tract. de inhibit. q.* 104. *num.* 9. ac ita rescriptum legitur apud Achil. *dec.* 16. *num.* 1. *de privil.* Et consuevit Sacra Congregatio articulum exemptionis ad illam

remit-

remittere, ut ſervatum fuit in Gerundenſi exemptionis *in dec.* 108. *par.* 5. *recent.* & adſtipulantur tradita de obſervatione Signaturæ, per Lotter. *lib.* 1. *quæſt.* 24. *n.* 42. Eòque magis cùm pro ipſius legitima deciciſione requiratur ordo judiciarius, ut ex Conſtitutione 74. Sixti V. ibi: *Cauſas item, & controverſias, &c. præter eas, quæ Concilii Tridentini interpretationem exigunt, vel ordinem judiciarium re ipſa requirunt, examinent.* Et generatim reſpondendum eſt, non eſſe locum petitæ exemptioni, cùm injuſtis de cauſis petatur, Roman. *conſ.* 37. *num.* 1. ibique Adden. *v. rejiciet*, & Felin. *in cap. cùm non liceat in princip. de præſcript.*

CONSULTATIO CXXV.

In Synodo Diœceſana decernitur, quod ille Archipresbyter cum ſuis Capitulo, & Clero, qui eſſet antiquior in poſſeſſione Archipresbyteratus, qualibet contradictione ceſſante, præferatur. Huic Conſtitutioni tam Epiſcopus, quam dicti Archipresbyteri, atque Canonici utriuſque Capituli ſuis propriis, & aliorum Canonicorum abſentium nominibus ſe ſubſcripſerunt, & in acta dictæ Synodi referri voluerunt. Quæro, an hujuſmodi Conſtitutio ſuſtineatur, itaut obliget ſucceſſores ex eo, quod non ſit confirmata a Sede Apoſtolica?

1 Reſpondeo, ſuſtineri, ac obligare ſucceſſores. Siquidem dictus Archipresbyter antiquior habet intentionem fundatam in præfata Conſtitutione Synodali, quæ præſumitur uſu recepta, niſi contrarium probetur, Cardinalis Mantica loquens de Conſtitutione Synodali, præferente antiquiorem *dec.* 115. *num.* 2. Conſtitutiones enim Synodales ligant omnes exiſtentes intra Diœceſim, Seraph. *deciſ.* 813. *num.* 2. prout in durioribus, quod ſimiles Conſtitutiones attendi debeant, non autem jus commune, tradit Gonzal. *ad reg.* 8. *Cancellariæ gloſſ.* 9. §. 1. *num.* 18. Buratt. *dec.* 852. *num.* 3. & 4. Concurrente maximè obſervantia nedum præſumptiva, ſed etiam vera, & poſitiva, reſultante ex præcedentiis obſervatis, & ſubſequutis favorem illius, qui pro tempore erat antiquior.

2 Idque præſertim, ſi non ſolùm a dicta Conſtitutione non fuerit appellatum, nec reclamatum, prout per annum a prima illius publicatione appellari potuiſſet, Rota *dec.* 107. *num.* 23. ſed fuerit de communi Partium conſenſu acceptata, & approbata, necnon demandata exequutioni, ex quo, attenta obſervantia cum curſu annorum triginta a tempore dictæ Conſtitutionis, ſubintrat præſumptio confirmationis Apoſtolicæ, Rota *dec.* 107. *num.* 24. *par.* 7. *recent.*

3 Quinimmò cùm dicta Conſtitutio emanata pro removendis litibus, & controverſiis, ut in illa exprimitur, ſapiat naturam tranſactionis, ſubintrat doctrina, quod Conſtitutio, quæ tranſivit in contractum, non poteſt amplius revocari in præjudicium eorum, quibus eſt ex illa jus quæſitum, ut in hac ſpecie tradit Cardinalis Cavalerius *dec.* 45. *num.* 2.

4 His accedit, quod hæc Conſtitutio non poteſt redargui de injuſtitia. Etenim alternando antiquiorem Archipresbyterum pro tempore exiſtentem unius, vel alterius dictarum Eccleſiarum, neuter poteſt dici læſus, ut in his ferè terminis ait Rota *dec.* 36. *num.* 1. cor. Seraphino, novumque non eſt, quod inter Eccleſias pro evitandis ſcandalis, litibus, & controverſiis admittantur hujuſmodi turni ex Gonzal. *loc. cit.* §. 4. *proœm. num.* 31. & *gloſſ.* 45. *num.* 43. *ac* 56.

5 Nec agitur de ſubjiciendo alteri unam ex dictis Dignitatibus, & Eccleſiis, ſed de modo conveniendi, ac ſedendi in Synodo, quo in caſu ad effectum obligandi ſucceſſores, nequidem requiritur authoritas Superioris, Rota coram Seraph. *d. dec.* 36. & latius in Conſentina præcedentiæ 6. Junii 1618. coram Dunozetto, cujus hæc eſt deciſio.

6 Lite mota ab anno 1550. &c. Hoc poſito viſum fuit Dominis, Rectores, & Parochianos Sancti Gregorii non ſatis juſtificaſſe injuſtitiam concordiæ, aut læſionem, ex eo, quod aſſerunt, tranſactionem inter Partes initam ſuper re purè Eccleſiaſtica ſine confirmatione Sedis Apoſtolicæ, non ſuſtineri ad hoc, ut liget ſucceſſores, *cap. veniens de tranſact.* Caputaq. *deciſ.* 165. *num.* 1. *par.* 5. Idque, eò magis, quia hæc materia præeminentiarum cenſetur magni præjudicii, Put. *dec.* 449. *n.* 4. *lib.* 2. & *dec.* 6. *lib.* 3.

7 Reſponſum enim fuit, non fuiſſe tranſactum ſuper totali ſubjectione unius Eccleſiæ alteri, ſed ſuper modo incedendi, & conveniendi in proceſſionibus, quo caſu non requiritur Superioris authoritas, ut ligentur ſucceſſores per Textum expreſſum *in cap. fin. de pact. in 6.* & ibi Doctores, & præcipuè Franch. *numer.* 2. *verſic. ultimò nota*, ubi deciſum fuit, ſimiles concordias, etiam ſine Sedis Apoſtolicæ, ac ſuperiorum licentia factas, inviolabiliter eſſe ſervandas, dummodò ſint licitæ, & honeſtæ, quia talia pacta non diſponunt de alienatione jurium, aut ſubjectione Eccleſiæ, ſed modum adhibent honeſtæ adminiſtrationis *d. cap. fin.* & in ſimili controverſia reſpondit Rota coram Seraphino *deciſ.* 36. *per tot.* fic Rota.

Præterea cùm dicta Conſtitutio emanaverit inter Archipresbyteros, & eorum Capitula, valida eſt, etiamſi ex ea læderetur altera ex dictis Eccleſiis, Gemin. *conſ.* 129. *num.* 2. Præcipuè verò, ſi concurrat præſcriptio quadragenaria cum titulo dictæ Conſtitutionis, quæ etiam inter Eccleſias omnem removet difficultatem, Cravett. *conſ.* 10. *num.* 10. 8

CONSULTATIO CXXVI.

An, & quatenus congrua Parochialis ſemel aſſignata, ſit augenda?

Et ad quæ onera teneatur Vicarius Parochialis perpetuus?

Ad primum. Regula certa eſt, quod congrua ſemel aſſignata non eſt augenda. Ita Gregor. *dec.* 429. *num.* 2. ibique Additionator cum aliis *deciſ.* 48. *numer.* 2. *part.* 13. & in Barchinonenſi Congruæ *deciſ.* 218. *num.* 6. coram Cardinali Matthæjo *part.* 18. *recentior.* 1

Limitatio autem, quando eſt ita tenuis, ut Vicarius mendicare cogatur, ultra quod comprobari id debet ex probatione reddituum, ſaltem per decennium, computato anno ſterili cum fertili ex Rota *deciſ.* 189. *numer.* 4. *par.* 1. *diverſ.* & coram Bichio *deciſ.* 152. *num.* 21. & ſuper excreſcentia fructuum Abbatiæ *d. dec.* 218. *a num.* 7. 2

Advertendum eſt, congruam ab initio aſſignatam pro dote in ipſo actu erectionis Vicariæ, fuiſſe ſufficientem, & non tenuem, prout in deciſionibus, quæ pro limitatione allegantur 420. *par.* 1. & 449. *par.* 2. *recent.* Quod tempus pro congrua attendendum eſt. 3

Eòque præſertim, ſi prævia authoritate Apoſtolica, non in redditibus, ſed mediante diſmembratione quorumdam bonorum cum translatione pleni dominii in Vicarium, & ablatione a Rectore principali congrua fuerit aſſignata, quo caſu illorum reddituum augmentum, ſeu decrementum ad Vicarium ſpectat, *dict. deciſ.* 48. *num.* 17. Et ſicut in caſu augmenti Vicarius non teneretur ſupplere congruam Rectori principali juxta prædictam deciſionem in Barchinonenſi in ſecunda inſtantia, & alias duas latiſſimas in prima coram Cardinali Taja, quæ ſecunda eſt in eadem *par.* 18. *dec.* 81. in quibus exactiſſimè materia fuit diſcuſſa, ita nec Rector principalis in caſu decrementi tenetur ſupplere Vicario ex regula, quod contrariorum, & relativorum eadem eſt diſpoſitio. 4

Idque certius, concurrere lapſu temporis cum obſervantia quamplurium annorum ex adductis in primo allegatis deciſionibus, & explicita authoritate Apoſtolica, quæ taciturnitas fuit conſiderata in eiſdem Barchinonenſibus deciſionibus. Eſtque de natura diſmembrationis tranferre omnia jura activè, & paſſivè, ne reliqua bona remaneant amplius obligata, quamvis diſmembrata minuerentur exemplo legitimæ aſſignatæ filio, de qua Peregrin. *de fideicommiſſ. artic.* 36. *numer.* 43. 5

Advertendum etiam, quod in re iſta reſpectu diminutionis attendenda eſt conſuetudo locorum *in d. deciſ.* 84. *par.* 13. *num.* 13. ubi augmentum deſumitur ex redditibus aliarum Parochialium, qui debent comprobari, ſi tales ſint in Diœceſi. 6

Ad ſecundum. Eſt juris concluſio, quod Vicarius perpetuus non eſt Rector Eccleſiæ, ſed eſt ſolius Curæ Rector ſecundùm Vitalin. *in Clem. unic. num.* 24. *de offic. Vicar.* & firmat Gonzal. *ad reg.* 8. *Cancellar. gloſſ.* 5. §. 3. *num.* 23. atque adeò Rector principalis ſive Commendatarius, qui eſt Rector Eccleſiæ, ut *in dict. Clem.* inquit idem Vitalinus, tenetur ad omnia onera, quæ incumbunt ipſi Eccleſiæ, & Vicarius perpetuus, qui eſt Rector curæ animarum tenetur ad omnia onera, quæ incumbunt ipſi curæ. 7

Hinc populus inſtare poterit, quod Rector principalis reſarciat Eccleſiam juxta diſpoſitionem Sacrorum Canonum *in canon. quatuor*, *canon. de redditibus*, & *can. cognovimus* 12. *quæſt.* 1. & tradunt Doctores *in cap.* 1. *de Eccleſ. ædific.* Ex quibus Lambert. *de jurepatr. in* 3. *par.* 6. *quæſt. princip.* 1. *lib.* 1. *num.* 8. expreſsè ait, Eccleſia- 8

cleſiarum Rectores teneri ad reficiendum, & reædificandum Eccleſias. Quod videtur ſine difficultate procedere, quando non adeſt conſuetudo in contrarium, vel non ſunt aſſignati aliqui fructus pro fabrica, ut tradit Ugolin. *de poteſt. Epiſcop. cap.* 14. *§.* 1. *num.* 3. ex Sac. Concilio Tridentino *ſeſſ.* 21. *cap.* 7. *de reformat.* & ex aliis juribus, ubi ait, hanc refectionem eſſe faciendam ex fructibus, deductis prius alimentis pro Vicario, habito quidem reſpectu ad Eccleſiam, non autem ad dignitatem Parochi.

Et certè ſicut Epiſcopus ſolus tenetur reſarcire ſuam Eccleſiam Cathedralem ſecundùm Fuſch. *de viſit. lib.* 1. *cap.* 10. *num.* 15. ita Rector principalis Eccleſiæ tenetur ſolus ad illius inſtaurationem.

10 Tenetur item ipſe Rector reſarcire domum habitationis ipſius Vicarii. Nam ſi tenetur ad inſtaurationem Eccleſiæ, videtur etiam teneri ad inſtaurationem Domus, quæ eſt pars Eccleſiæ, argum. *leg. prædii, §. penultimo, ff. de legat.* 3. & notat Bartol. *in leg. Olympico, ff. de ſervit. urban. præd.* Ac ſolvere procurationes debitas Epiſcopo viſitanti. Nam ad eas tenetur viſitatus, ut latè proſequitur Ugolin. *loc. cit. cap.* 49. *§.* 4. *par.* 2. Unde cùm viſitetur Eccleſia, tenetur ejus Rector.

CONSULTATIO CXXVII.

An, & quatenus legatum dotis pro Moniali a Teſtatore relictum, debeatur puellæ extraneæ primum in Teſtamento nominatæ, non autem conſanguineæ Teſtatoris, quæ deindè ab ipſo nominatur?

1 DEberi puellæ extraneæ, ſtatuendum puto. Prædilectio namque puellæ exteræ clariſſimè reſultat ex prælatione nominationis, dum in ea parte Teſtamenti, in qua agitur de eligendis puellis, primùm nominatur puella extranea, & deindè conſanguinea Teſtatoris. Ex hoc enim infertur certiſſima conjectura prædilectionis. Ex ordine quippè literæ charitas, & benevolentia Teſtatoris benè dignoſcitur *l. Quoties, ff. de uſufr. leg. generaliter, ff. de fideicommiſſ. liber. auth. hoc amplius*, ibi; *Prout quiſque eorum prius nominatus eſt, Cod. de fideicommiſſ.* Decian. *conſ.* 46. *n.* 70. *lib.* 2. Tiraq. *de pœn. tempor. cauſ.* 22. *num.* 5. Cravett. *conſ.* 161. *num.* 5. & *conſ.* 297. *num.* 2. & *conſ.* 467. *num.* 19. Carol. de Graſſ. *de effect. amicit. num.* 82. & *ſeqq.* & in hoc teſtator ſequutus eſt ſanctiones legum, in quibus legitur charitatem neceſſitudini, & amicitiam conſanguinitati in ordine ſcripturæ, tanquam potentiorem, eſſe prælatam, ut habetur *in l. Sed ſi plures, §. in arrogato in fine*, ibi, *amicus, vel cognatus, ff. de vulgar. & pupillar. & l. ſi ſervus plurium, §. ultim.* ibi, *legatarii charitas, & neceſſitudo, ff. de leg.* 1. & *l. Theopompus*, ibi, *amici mei, & cognati, ff. de dot. præleg. & l. affectionis*, ibi, *amicos, vel neceſſarios, ff. de donat.* Quod verbum, *neceſſarios*, Gloſſa ibidem exponit conſanguineos juxta *l. fin. ff. de juſt. & jur.* Quod & fecit Eſdras, ille Propheta, & ſcriba hebræus cap. 4. *Non meminerunt*, inquit, *cùm biberunt, charitatem, nec fraternitatem*, & David. pſal. 37. *Amici mei, & proximi mei adverſus me appropinquaverunt.* Ac Tullius in orat. pro Sexto Roſcio Amerino, *quod is ſimul, atque ſenſit de amicorum, cognatorumque ſententia, Romanus confugit.* Et Saluſtius in bello Jugurthino de Micipſa loquens, *cùm ſibi finem vitæ adeſſe intelligeret, coram amicis, & cognatis hujuſmodi verba fertur habuiſſe.*

2 Atque adeò præferenda eſt, tanquam a Teſtatore prædilecta *d. l. ſi ſervus plurium, §. fin. l. Aurelius, §. Titio, ff. de liberat. legat.* Soccin. *conſ.* 23. *num.* 21. *lib.* 1. Simon. de Pret. *de interpret. ult. volunt. lib.* 1. *interpret.* 2. *fol.* 5. *num.* 1. & *ſeqq.* Fuſar *de ſubſtit. qu.* 468. *in princip.* Caſtill. *lib.* 3. *contr. c.* 15. *num.* 23. Nec obſtat, quod ordo literæ non attendatur, quando non intercedunt aliæ conjecturæ, vel quando extant conjecturæ in contrarium ex conſanguinitate, dum probavimus nexum ſanguinis poſtponendum eſſe amicitiæ.

3 Hæc autem prædilectio deſumenda ex conjecturis, ut ſi inter Teſtatorem, & Patrem puellæ exteræ, arctiſſima animorum conjunctio, & pluſquam fraterna amicitia intercedebat, ut propterea non mirum, ſi voluerit anteponi filiam exteram ſui amici ſuæ conſanguineæ. Siquidem amicitia neceſſitudini, ſive conſanguinitati anteponenda eſt, aut certè non poſthabenda ex Platonis, ac Ciceronis ſententia, cujus hæc ſunt verba *lib.* 1. *offic. ſanguinis conjunctio, & benevolentia devincit charitate homines. Magnum eſt enim eadem habere monumenta majorum, eiſdem uti ſacris, ſepulchra habere communia, ſed omnium ſocietatum nulla præſtantior eſt, nulla firmior, quàm cum viri boni, moribus ſimiles, ſunt familiaritate conjuncti.* Idemque in Lælio hanc eamdem ſententiam hac ratione comprobat: *Ex propinquitate benevolentia tolli poteſt, ex amicitia non poteſt. Sublata enim benevolentia, amicitiæ nomen tollitur, propinquitatis remanet. Ergo illud, in quo neceſſariò benevolentia permanet anteponendum eſt ei, a quo benevolentia removeri poteſt.* Valerius autem Maximus *lib.* 4. *cap.* 7. ita exorditur: *Contemplemur nunc amicitiæ vinculum, neque ulla ex parte ſanguinis viribus inferius. Hoc etiam certius, & exploratius, quia illud naſcendi fortuitum opus, hoc uniuſcujuſque ſolido judicio inchoata voluntas contrahit. Itaque celerius ſine reprehenſione propinquus accerſere, quàm amicum, quia altera direptio utique iniquitatis, altera levitatis crimini ſubjecta eſt.* Iſocrates ad Demonicum effert miris, magniſque laudibus Hipponicum ipſius Demonici Patrem, quod magis approbat amicos, quàm propinquitate ulla devictos, exiſtimabatque ad ſocietatem eſſe potentiorem natura legem, mores genere, delictum neceſſitate.

Ex Patribus Sanctus Ambroſius plerum ait, amici ſe 4
potius benevolentiæ quiſque committit, quàm fratris neceſſitudini. Et Sanctus Thomas differens *in* 2. 2. *qu.* 27. de ordine charitatis, cenſet, conjunctos ſanguine in his dumtaxat, quæ naturam ipſam concernunt, amicis anteponendos, in cæteris poſtponendos, quem ſequitur Sanctus Antonin. *in* 4. *par. ſumm. tit.* 6. *cap.* 5. *§.* 6. ac alibi, idem Sanctus Thomas, in eo ſcilicet opuſculo, quod ſcribit de dilectione Dei, & proximi, ſimpliciter aſſerit, amicitia plerumque conſanguinitati præponderare. Audiamus Salomonem Proverb. 18. *Vir*, ait, *amicabilis ad ſocietatem magis amicus erit, quàm frater*, & amicitiam plerumque præferri conſanguinitati, eſt apud Doctores certiſſimum, ut teſtatur Menoch. *conſil.* 683. *num.* 20. *cum trib. ſeqq.* qui pariter loquitur in ſucceſſionibus, exceptis filiis. Præclarè Decian. *conſil.* 51. *num.* 58. *lib.* 4. & *conſ.* 46. *num.* 69. *cum ſeqq. lib.* 2. idem Menoch. *lib.* 3. *præſumpt.* 124. *num.* 29. Mantic. *de conject. lib.* 6. *tit.* 11. *nu.* 25. Tiraquell. *de pœn. tempor. cauſ.* 22. *a num.* 1.

Ex legum latoribus autem ſunt, qui pluris exiſti- 5
mant amicitiam, quàm illam fraternitatem, quæ cæteris neceſſitudinibus præponitur, at qui tanxerunt magis amicitiæ, atque conſortii rationem eſſe habendam, quàm fraternitatis ad metiendam, judicandamque qualitatem rerum a fratre, eodemque Commilitone donatarum *in l. Cùm alleg. C. de Caſtr. pec.* ubi ſi frater ex commilitio amicior factus fratri Commilitoni quippiam donaverit, id in peculio Caſtrenſi habendum eſt conſiderata potius qualitate amicitiæ, quæ ex commilitio proceſſit, quàm fraternitatis. Eſtque in eandem rem Textus ſimilis, niſi quod generaliter de agnatis loquitur, *in l. penul. in princip. ff. eodem tit.* Quarum legum authoritate ſuffultus Alberic. *in leg. Sed & hæ perſonæ, ff. de in jus vocan.* inquit, amicitiam plus habere ponderis, quàm fraternitatem, cui planè concinit Homerus, omnis virtutis parens a Juſtiniano *in proœm. ff. appellatus*, qui cenſet fidum amicum non eſſe fratri poſtponendum. Sunt enim verſus illius hujuſmodi *in fine lib.* 8. *Odyſſeæ.*

Γ'αθλός ἐπί κ' μεύνοι κασιγνήτοιο χερείων
Γίνεται ὅς σεν ἑταῖρος ἰὼν πεπνυμένα εἰδῆ.
Ἦ τις τε καὶ ἑταῖρος ἀνὴρ κεχαρισμένα εἰδώς,

Latinè autem.

Si quis forſan amicus ſit, gratuſque, bonuſque,
Quandoquidem is non inferior vel fratre putandus.

Et hæc quoque ex eo fulciuntur, quod licèt id, quod 6
intereſt ob affectionem conjunctionis ſanguinis, aut alias, non tanti ſit, ut quis pro altero ſtipulari poſſit per id, quod voluit Gloſſ. *in leg. fidejuſſoris, v. neque enim*, ibique Bart. & alii, *ff. de pact.* & idem Bart. *in leg. Quod dicitur ff. eodem, & in leg.* 1. *col.* 7. *Cod. de ſentent.* quæ pro eo, quod inter. Nicol. Neapol. qui eam Gloſſ. dicit ſingularem *in l. ſtipulatio iſta, §. alteri, ff. de verbor. obligat.* eſtque Textus *in l. quod dictum*, ubi Ang. & Raph. Fulg. *ff. de pact. & in leg.* 3. *§. Sed etſi forte, ff. de judic. fol.* Tamen habemus Gloſſam, quæ id negat procedere in eo, quod intereſt ob amicitiam. Id enim ſatis eſſe, ut pro altero ſtipulari poſſit. Ea eſt *in leg. Si unius §.* 1. *v. videamus, ff. de pact.* ibique Bald. Angel. Paulus Caſtrenſis, Alexander, & Jaſon *conſ.* 41. *col. penult. lib.* 3. ex quo, & ipſe Jaſon id animadvertens *in l.* 1. *col.* 2. *ff. de injur.* dicit mirabile id, quod intereſt ratione amicitiæ eſſe fortius eo, quod intereſt ratione conjunctionis ſanguinis.

Quinimmò ſunt, qui tradant, quod amicitia ſuperat 7
paren-

parentum affectionem. Id clarè liquet ex eo, quod scribit Bart. *in leg. alimenta §. 1. ff. de alim. & cib. leg.* per textum ibi, quod licèt appellatione filiorum non veniant filii filiorum, ideſt nepotes, *l. Quod ſi nepotes, ff. de teſtam. tut. & l. filii, & l. juſta, ff. de verbor. ſignif.* Fallit tamen in nepotibus, quos teſtator præ ſingulari amore, ut filios nominabat, atque tractabat, habita ſcilicet potius ratione amicitiæ, quàm ſanguinis. Et hoc ſequuntur Alex. *ibi in addit.* Bartoli, & Roman. *in repet. l. Si verò, §. de viro in 35. fal. ff. ſol. matr.*

8 Ut jam mirum non ſit, quod plerique cenſuerunt, quicquid in jure ſtatuitur inter conjunctos, & neceſſarios ratione affectionis ſanguinis, id quoque obtinere inter amicos, ita enim ait Panorm. *in cap. requiſiſti* per Gloſſ. *ibi de teſtam.* & Alex. *in l. exigendi col. 2.* ibique etiam Jaſ. *col. 2. & 5. C. de proc.* Barbat. *in l. ſciendum col. 31. ff. de verbor. oblig. & in c. cùm M. Ferrarienſis de Conſtit. & in c. ex parte, & in c. nonnulli de reſcript. & in c. coram de offic. deleg. & in repet. c. Raynaldus col. 118. de teſtib. & conſil. 75. col. 4. lib. 4.* Felin. *in c. quoniam col. 3. de offic. deleg.* & Jaſon. *in l. Titia col. 6. ff. de verbor. oblig. & conſ. 70. col. 45. lib. 2. & in l. Si res obligata col. 2. ff. de leg. 1.* Alciat. *in l. latæ, §. amicos, ff. de verbor. ſignif.* Marſil. *in repet. rubr. ff. de fidejuſſ. num. 234.* Jo: Monteſer. *in repet. l. fratres a fratre col. 6. in 4. not. ff. de condit. indeb.* Quod, & probatur ex multis, quæ abundè collegit Tiraquel. *de pœn. temp. cauſ. 22.* ubi & inter cætera omnium abundantiſſimè tractat, utrum amicus pro amico admittatur ſine mandato.

9 Si pater puellæ exteræ aſſiduò converſabatur cum Teſtatore, qui etiam dum ad patriam accedebat in illius propria domo, non autem alicujus conſanguinei morabatur. Unde majoris, & ſtabilioris benevolentiæ fiducia, & dilectio, atque adeò prælatio reſultat *l. legatis, §. ſi unius, ff. de legat. 3.* Decian. *reſp. 46. num. 37. lib. 2.* Simon. de Pret. *loc. cit. fol. 63. num. 24.* & Fuſar. *d. quæſt. 468. num. 26.* Ex uſu enim, & conſuetudine viventis præſumitur voluntas ejuſdem morientis, *l. Titia, §. Qui mar. ff. de ann. leg. l. Sempronio, §. fin. ff. de uſufr. leg.*

10 Teſtator patri ejuſdem puellæ opimum legatum reliquerit, & veſtibus lugubribus indui mandaverit. Ex his enim colligitur dilectio, Natt. *conſ. 402. num. 4. & 5.* cum aliis per Cyriacum, *controv. 8. num. 70.* Et magis dilectus dicitur, qui magis honoratur, & majorem habet utilitatem *auth. hoc amplius*, ibi, *Vel legatario majoris emolumenti, Cod. de fideicommiſſ.* Cravett. *conſ. 161. num. 5. Et conſ. 297. num. 2.* ubi in ſpecie de legato pingui, *Et conſ. 363. num. 18. v. proculdubio eſt, eum impenſius diligi, cui, amplius datur, conſ. 623. num. 12. v. Eò enim dilectio major arguitur, quò ex majori quis portione vocatur, & conſ. 715. num. 16.* cum aliis per Menoch. *lib. 4. præſumpt. 16. num. 4.* Et hoc ſanè emolumentum valdè præponderat commodo vocationis conſanguineorum uſque ad quintum gradum, Simon. de Pret. *ibid. num. 20.* Fuſar. *d. qu. 468. num. 8. & conſ. 42. num. 8.* Cyriac. *contr. 174. num. 45.* Eòque magis ſi nihil, aut parum legaverit conſanguineis. Quæ quidem conjecturæ maximè urgent ex eo, quod nominatio puellæ exteræ dicitur facta contemplatione Patris.

11 Si dicta puella extera fuerit a Teſtatore levata è Sacro fonte baptiſmatis. Ex hoc enim reſultat vinculum cognationis ſpiritualis, & affectio obligans ad plura, ut per Tiraquel. *de pœn. tempor. cauſ. 21. num. 2. ac ſeqq. & 9.* ut meritò ſuperet amorem conſanguineorum ex traditis per Sanch. *de matr. lib. 7. diſp. 54. num. 3.* Et ideò hujuſmodi puellæ vocantur filiolæ *in can. de eo 30. qu. 1.* & cum eis interdicitur matrimonium ratione ſupradictæ affectionis, *c. veniens, & cap. ex literis de cognat. ſpir.* Sanch. *loc. cit.* Et quod præferatur cognatio ſpiritualis conſanguinitati carnali, patet ex ordine titulorum in volumine decretalium. Nam prius ponitur titulus de cognatione ſpirituali, & poſteà titulus de conſanguinitate, & affinitate, idque ex ea ratione, ut advertit Abb. *in ſumm. rubr.* quia cognatio ſpiritualis, tanqam dignior, eſt præferenda.

12 In ſpeciali nominatione dicta puella extra fuerit a Teſtatore vocata, *l. Cùm ita, §. in fideicommiſſ. ff. de legat.* Curt. jun. *conſ. 161. num. 4.* Cravett. *conſ. 77. num. 12. & conſ. 809. num. 15. verſ. dilectio planè, & affectio vehementior ex nominatione ſpeciali arguitur*, Menoch. *d. præſumpt. 16. num. 4.* ac fusè Fuſar. *de ſubhaſt. d. qu. 468. num. 13.* & poſt alios Simon. de Pret. *de interpret. ult. vol. d. lib. 1. fol. 65. num. 19. & lib. 3. fol. 336. num. 4. v. Item magis nominati in ſpecie, quàm in genere*, Caſtill. *lib. 3. cap. 5. p. 25.* Quæ dilectio comprobaretur, ſi Teſtator hujuſmodi legatum dotis voluerit in codicillis illud extendi ad filias naſciturâs ſui amici. Ex hac enim reiteratione, ac geminatione diſpoſitionis reſultat vehemens affectionis præſumptio juxta celebrem Textum *in l. Baliſta, ff. ad Trebell.* Burſatt. *conſ. 180. n. 43.* Surd. *conſ. 73. num. 64.* ac Rota *dec. 568. num. 2. p. 1. & dec. 377. num. 3. par. 4. rec. lib. 2.*

13 Si electores, & exequutores teſtamentarii prætulerint in dicto legato dictam puellam exteram conſanguineis Teſtatoris, tanquam ſpecialiter nominatam, & magis dilectam, quod valdè attendendum eſt, cum ad exequutores ſpectet teſtatoris voluntatem declarare, Bald. *conſil. 468. n. 2. lib. 1. & conſ. 259. lib. 4.* cùm aliis per Mantic. *de conjectur. lib. 3. tit. 1. num. 20.* Simon. de Pret. *lib. 1. fol. 9. num. 16. & ſolut. 7. fol. 9. num. 16. & ſolut. 7. fol. 21.* ac Rota *dec. 365. num. 2. par. 5. recent.*

14 Atque hæc conjecturæ, non quidem ſeorſim, ſed conjunctim conſiderandæ ſunt, itaut una alteram coadjuvet, & viciſſim roboratæ teſtatoris mentem demonſtrent, Rota *deciſ. 6. num. 32. part. 5. & deciſ. 310. num. 48. part. 6. & deciſ. 69. num. 72. & ſeqq. par. 2. recent.*

15 Ac ita, ut non obſtaret, quod iſta procedant ubi res eſſet integra, non autem ſi facta fuerit electio, in qua puella extera fuit poſtpoſita conſanguineis, præſertim ſi dicta puella non haberet legitimam ætatem, ad quam, cùm pervenerit, non poteſt electio retractari, cum conſanguineis jus ſit quæſitum, Spin. *in ſpec. teſtam. gloſſ. 4. n. 70. & ſeqq.* Gonzal. *ad regul. 8. gloſſ. 5. in princip. numer. 127.* Gratian. *ad dec. March. 198. numer. 3. & 4.* cum aliis.

16 Nam, præterquamquod Spinus, Gonzalez, & Gratianus, prout etiam Perez, a Spino allegatus *lib. 1. ordin. tit. 6. lib. 1.* loquuntur expreſsè, quando Capellania fuit aſſignata, ſive ad eam præſentatus fuit inſtitutus, & actus perfectè conſummatus. Unde quod ſufficiat, qualitatem Sacerdotii intervenire tempore collationis, tradunt Ceval. *qu. 693. num. 20.* Guttier. *conſ. 1. num. 15.* Valenzuol. *conſ. 25. num. 53.* dicentes, quod per electionem fuit jus quæſitum, moti ex eo, quod illud tolli non poteſt. Unde requiritur, quod venerit tempus electionis, prout requiritur, quod venerit tempus ſucceſſionis, quando quæritur de habilitate Molin. *de primogenit. lib. 1. cap. 13. num. 37.* Cavaler. *loc. cit. num. 1.* Et proindè ſi ex ipſa electione conſtet ex retractu hæreditatis non extitiſſe pecunias ſufficientes pro dicto legato, ſequitur electionem habere tractum ſucceſſivum, & fuiſſe collatam in tempus futurum, quo introitus ſufficerent, Rota *dec. 213. num. 4. par. 2. diverſ.* Mareſcott. *lib. 1. var. cap. 45. num. 7. & 8.* Rota in Viterbienſi Caſtrorum 23. Maji 1635. coram Coccino, adeòut ſufficiat qualitatem adeſſe ſecundùm tempus verbi, *l. in delictis, §. 2. ff. de noxal.* Cravett. *conſ. 212. num. 7.* Rota cor. Buratt. *dec. 12. num. 4.* Et tempore, quo perſona poteſt, ac debet admitti, *c. ei, cui de præben. in 6.* Guttier. *d. conſ. 1. num. 15.* Ex quo attenditur tempus, quo diſpoſitio ſumit effectum, *l. eum qui ff. de juriſdict. omn. judic.* cum aliis per Menoch. *præſumpt. 201. num. 9. lib. 4.* & Giovagn. *reſp. 78. num. 8. lib. 1.*

17 Quare ſi puella extera compleverit ætatem duodecim annorum, erit habilis ad habitum Monachalem ſuſcipiendum ex diſpoſitione Concilii Tridentini *ſeſſ. 25. de regular. c. 17.* juxta declarationem ejus Sacræ Congregationis, ſolùmque a Concilio exigitur ætas ſexdecim annorum ad profitendum, non autem ad habitus regularis ſuſceptionem, ad quam ſufficit ætas duodecim annorum. Habilitas enim requiritur tempore electionis ex Buratto in allegata *dec. numer. 8. & 9.* atque adeò illa in admiſſione erit præferenda, ex quo teſtator voluit; electionem fieri tempore, quo dos eſſet in promptu, & evenerit caſus eligendi: Unde tempus adjectum electioni dicitur eſſe de forma, & ſpecificè, atque ad literam eſt adimplendum, *auth. quæ ſupplicatio*, ubi Doctores, *Codice, de precibus Imper. offer.* Decianus *reſponſ. 77. numer. 16. lib. quarto*, Caſtill. *de conjectur. ultim. voluntat. capit. 45. nnmer. 37. cum ſequentibus*, ubi *num. 43. & 44.* quod tempus determinato modo prolatum alterius temporis non recipit functionem poſt Baldum, & Seraph. *de privileg. juram. privileg. 74. num. 57.* Altograd. *conſ. 46. num. 43. & ſeqq.* ubi quod tempus formam inducit, quæ mutari non poteſt, aliàs permutationem qualitatis temporis mutaretur ſubſtantia diſpoſitionis.

18 Adeòut ipſa electio ſupplantativa habentium jus eligendi, veniente caſu, non ſit attendenda, vel intelligatur, rebus ſic ſtantibus, non ſuperveniente ante caſum habilitate puellæ exteræ, *leg. Cùm quis in princ. ff. de ſolut. leg. Quod ſervitus, ff. de cond. ob cauſ.* Tiraquell. *in l. unquam in præfat. num. 167.* Honded. *conſ. 111. n. 50. lib. 2.* & Giurb. *dec. 45. n. 17.* Et in ſpecie, quando

nomi-

nominatio fit ante caſum, non tribuere jus nominato, quia dicitur inutiliter, & ante tempus fieri, tradit Surdus *conſ.* 264. *num.* 34. quem ſequitur Rota in Giennen. *conſ.* 264. *num.* 34. quem ſequitur Rota in Giennenſi Capellaniæ 23. Martii 1620. coram Innocentio Deciſi Capellaniæ 23. Martii 1620. coram Innocentio Deciano, quæ fuit confirmata menſe Junii ejuſdem anni como, quæ fuit confirmata menſe Junii ejuſdem anni coram eodem, ubi quod propterea poteſt revocari per Textum *in l. ſi unum ex familia ſub initio, ff. de legat.* 1. Crot. *conſ.* 11. *num.* 36. ubi alii. Ut enim electio ſit valida, debet fieri juxta mentem præſcriptam, nec ſuſtinetur, quando exequutor excedit fines ſui mandati, & abutitur poteſtate ſibi tradita, ut per Mantic. *de conjectur. lib.* 8. *tit.* 5. *num.* 8. & per Rot. in Romana decium de Matthæis 17. Decembris 1584. coram Bubalo, & in Romana electionis coram Burratto *dec.* 129. *num.* 2. Nam in Teſtamentis voluntas Teſtatoris dominatur *l. in conditionibus, ff. de condit. & demonſtrat. §. diſponunt, auth. de nupt. & l. Cùm quæſtio in fin. C. de leg.* Mantic. *de conjectur. lib.* 3. *tit.* 3. *num.* 3. ac Peregr. *de fideicomm. art.* 40. *num.* 45.

19 Quæ quidem voluntas poſt obitum Teſtatoris, neceſſariò elicienda eſt ex conjecturis *l. licèt Imperator, ff. de l.* 1. *l. Cùm jurium, Cod. de fideicomm.* Rota *par.* 2. *recent. dec.* 703. *num.* 1. Et illæ non ſolùm deſumuntur ex ſerie teſtamenti, Rota *deciſ.* 455. *num.* .... *part.* 1. *recent.* ſed etiam ex dictis, & geſtis antea, & poſt teſtamentum, Ruin. *conſ.* 92. *num.* 5. *lib.* 2. Soccin. jun. *conſ.* 32. *num.* 12. *lib.* 4. cum adductis a Surdo *conſ.* 412. *num.* 66.

20 His accedit, quod ſi admittenda eſſet prælatio conſanguineorum Teſtatoris uſque ad quintum gradum, inanis eſſet vocatio puellæ exteræ. Eſt autem ſumenda omnis poſſibilis interpretatio, ne diſpoſitio reddatur inanis, Curt. jun. *conſ.* 2. *num.* 9. & *conſ.* 129. *num.* 37. *lib.* 3. Cravett. *conſ.* 135. *num.* 25. ac Fuſar. *de ſubſtit. q.* 320. *numer.* 18.

CONSULTATIO CXXVIII.

An Sacra Religio Hieroſolymitana privilegium habeat, ne cauſæ ab Inſula Melitenſi avocentur? Quid ſi ageretur de Regalibus, ac de bonis piratarum captis a Chriſtianis? Quidve ſi Magiſtratus, ut ajunt, dell' Armamento, nolit cognoſcere cauſas, eaſque remittat ad Judices, ut vocant Caſtellaniæ? Poteſtas Tribunalis Armamenti. A remiſſione cauſæ, an detur appellatio? Caſtellaniæ Tribunal quale? Cauſæ fiſcales ubi agitandæ?

1 REſpondeo. Cauſæ omnes activæ, & paſſivæ inter Clericos ſæculares, ſive Regulares, aut inter ipſos, & laicos, debent in quacumque inſtantia cognoſci, ac terminari uſque ad tertiam ſententiam definitivam per Judices Melitæ, a Magno Magiſtro deputatos, atque adeò remittendæ ſunt ad Curiam Melitenſem, rejectis commiſſionibus Partium. Nam Religio Hieroſolytana gaudet privilegio, ne cauſæ ab Inſula Melitenſi avocentur. Illud conceſſit Martinus Quintus, aliique Romani Pontifices, præcipuè Pius Quartus in ſua Conſtitutione nona §. 1. 8. & 56. & refertur a Creſcentio *dec.* 16. propè medium *tit. de privilegiis*. Cumque hujuſmodi privilegium ſit à Sede Apoſtolica conceſſum ex cauſa oneroſa belli ſacri contra hoſtes chriſtianæ fidei, obſervandum eſt, nec Pontifices ſolent ei derogare, ut latiſſimè firmat Decian. *conſ.* 51. *n.* 45. & *ſeqq. lib.* 3.

2 Præſertim autem, ſi agatur de regalibus, ut ſi bona ſint piratarum, capta a chriſtianis ſine conflictu bellico, quo in caſu bona ſpectant ad Principem, non ad milites, Franch. *dec.* 268. *num.* 3. Caſtill. *dec.* 107. *num.* 60. & fuiſſe deciſum, itaut amplius non dubitetur in Regno Neapolitano, tradit Fulvius Conſtant. *in l.* 1. *num.* 135. *C. de clauſſic. lib.* 11.

3 Ac ita, ut non obſtet, ſi Magiſtratus Armamenti nolit cognoſcere hujuſmodi cauſas, ſed eas remittat ad Judices Caſtellaniæ. Nam a remiſſione cauſæ non datur appellatio, Rota *dec.* 1. *de offic. deleg. in novis.*

4 Et remiſſio eſſet juſtiſſima. Quia licèt Tribunal Armamenti habeat facultatem cognoſcendi cauſas inter privatos ratione artis piraticæ, ſecus autem eſt in caſu, quo prætenditur a fiſco Magni Magiſtri non potuiſſe chriſtianos bona piratarum prædari, ſed ad ipſum pertinere navigia, ſive exploratoria, ſive ab hoſtibus relicta, & ſine ulla pugna occupata. Hoc enim caſu ob intereſſe fiſci coram Judicibus fiſcalibus cauſa tractanda eſt, ſive is reus ſit, ſive actor *l.* 2. *C. ſi adverſus fiſcum, l.* 2. & *l. fin. Cod. ubi cauſæ fiſcales*, Bald. *in l. cum eorum num.* 7. *Cod. de ſent.* & *intel.* aliique communiter. Etiam in tertia inſtantia, nec poteſt ad Curiam trahi, *dict. l.* 2. & *dict. l. fin. ac l.* 3. *Cod. de bon. vacan.* Farinac. *par.* 1. *fragm. v. Fiſcus num.* 180. & *ſeqq.* ac ita diſponitur etiam in dicta Conſtitutione Pii IV. §. 1. & 56. & regulariter nec cauſæ fiſcales alterius Principis ad Curiam trahi, & committi in Rota, quæ ſolùm cauſas civiles cognoſcit inter privatas perſonas, non autem principaliter de crimine, ſicut nec de cauſis fiſcalibus, quæ habent ſuos particulares Judices, coram quibus debent terminari.

Neque ii poſſunt allegari ſuſpecti ratione commodi, ſive intereſſe Religionis. Nam hujuſmodi prætextus contra Judices fiſcales nil penitus relevare docet quotidiana praxis, ac etiam theorica, quæ ſancitur *in l. Si quis adverſus, Cod. ubi cauſæ fiſcales*, ibique Doctores. 5

Ac ita etiam, ut non obſtaret, quod Caſtellania ſit Tribunal laicum, ſi agatur de intereſſe fiſci, & lis ſit introducta contra laicos. Quo in caſu debet ſive Clericus, ſive eques Hieroſolymitanus adire Tribunal competens reo, atque adeò Tribunal laicum, ut diſponitur *in cap. ſi Clericus laicum de foro comp.* 6

Ac prætereà ſi agatur de crimine ex ſpolio vi armata ſequuto contra primum occupatorem, & ſic de pœna *l. ſi quis in tantum, Cod. unde vi.* Farinac. *de furt. q.* 175. *n.* 2. & 45. quæ pœna habet locum, etiamſi ſploliator credat id jure proprio facere potuiſſe, Abb. *conſ.* 100. *num.* 4. *p.* 1. Farinac. *d. qu.* 175. *num.* 54. & *ſeqq.* 7

CONSULTATIO CXXIX.

An, & quatenus Vicario Apoſtolico debeatur integrum ſalarium, quamvis inſerviat per ſubſtitutum?

AFfirmativè cenſeo reſpondendum. Nam ut ei debeatur integrum ſalarium ſatis eſt, quod inſerviverit per ſubſtitutum, dum interim alius Vicarius non fuerit deputatus, nec Epiſcopus duplici onere ſalarii prægravatus, etiamſi nulliter facta fuiſſet ſubſtitutio juxta notata *in l. Titio* 36. ubi Bartol. *num.* 2. *ff. ad municip.* Bald. *in l. non dubium* 5. *num.* 25. *ff. de legib.* & alibi. Et tunc Vicarius ſubſtitutus non dicitur verus Vicarius, ſed viceſgerens, aut Locumtenens, Azor. *inſtit. moral. p.* 2. *lib.* 3. *c.* 43. *q.* 3. 1

Quinimmò, etiamſi nullo modo alium ſubſtituiſſet, ſi tamen abfuerit ex licentia, aut juſſu vocatus a Superiore, adhuc pariter ei debetur integrum ſalarium dum abeſt licito commeatu, Cæphal. *conſ.* 71. *num.* 12. *lib.* 1. Ronchag. *in l. nemo eſt num.* 29. & *ſeqq. ff. de duobus reis*, Gratian. *dec. March.* 200. & *diſcept.* 166. *num.* 1. Amat. *dec.* 52. Novar. *de elect.* & *variat. for. ſect.* 2. *q.* 35. *numer.* 13. 2

Ceſſatque difficultas, ſi ſubſtitutio validè facta fuerit vigore Brevis Apoſtolici Vicario, concedentis facultatem ſubſtituendi in caſu neceſſitatis, quem caſum eveniſſe, licèt conditionali non cogitur probare, prout cogeretur perſona privata, fundans ſe in eventu conditionis, in quibus terminis loquuntur plures Authores. Quandoquidem ſtandum eſt Judicis aſſertioni, quod venerit caſus neceſſitatis ſubdelegandi abſque alia probatione, ut ex veriori, & magis communi ſententia, rejectis contrariis, teſtatur Menoch. *conſ.* 17. *num.* 11. *lib.* 1. & *de arbitr. lib.* 1. *q.* 76. *num.* 16. Et in terminis de ſubdelegante ob cauſam abſentiæ tradit Barboſ. *in collect. jur. canon. c.* 3. *num.* 3. *de offic. deleg.* 3

Et quatenus cogeretur neceſſariam abſentiam probare, liquidiſſimè illa probaretur ex Superioris juſſu, Juſſa enim Principis, & Superioris neceſſariam inducunt abſentiam, Gratian. *diſcept.* 868. *numer.* 14. prout etiam munus datum a Principe pro Republica *l.* 1. *C. quibus ex cauſ. major.* Ronchag. *in d. l. nemo eſt num.* 3. ubi multos conſtipat. 4

Nec refragatur, quod neceſſitas non poſſit dici magna, & præciſa, ſi alius æquè idoneus poterat a Superiore deputari. Nam licèt hoc verum ſit, quoad Superiorem, qui utique multos alios poterat æquè idoneos invenire, non id comprobatur quoad Vicarium præcipuè vocatum. Nam quoad ipſum neceſſitas dicitur urgens, ac præciſa eo ipſo, quod a Superiore fuit vocatus, prout eſt in Canonico, qui factus fuit a ſuo Epiſcopo Vicarius. Nam licèt ad id munus obeundum plures alios æquè idoneos potuiſſet invenire, nihilominus quoad ipſum legitimè a ſervitio Eccleſiæ dicitur abeſſe, ac durante officio etiam in abſentia fructus lucratur, Garz. *de benef. p.* 3. *c.* 2. *n.* 357. Rota *dec.* 133. *n.* 16. cor. Durano. Idemque eſt ſi Canonicus inſerviret Epiſcopo, & ſi aliorum Canonicorum ſervitio æquè benè uti poſſet, Garz. *d. c.* 2. *n.* 345. & *ſeqq.* 5

Minus refragatur, quod neceſſitas ad hunc effectum conſideratur tantùm in caſu infirmitatis, vel rationabilis abſentiæ ad modicum tempus, ut per Seraph. *dec.*

dec. 1033. *num.* 2. & alios apud Garz. *loc. cit. p.* 5. *c.* 8. *num.* 150. Nam ii loquuntur in Vicario electo ab Episcopo, habente, vel non habente facultatem substituendi, non autem in Vicario Apostolico, habente in suo Brevi hujusmodi facultatem. Vicarius enim Apostolicus, qui habet substituendi facultatem, longè majorem, & ampliorem habet in substituendo facultatem, quàm Vicarius ab Episcopo constitutus, cùm ille dicatur a Summo Pontifice delegatus ad universitatem causarum, hic verò ab inferiore, ut rectè Paris. *cons.* 80. *num.* 22. *lib.* 4. & Sanchez *de matrim. lib.* 3. *disp.* 31. *num.* 1. & 5. Gratian. *discept.* 106. *num.* 29. *ac* 30. & *discept.* 111. *num.* 56. ubi quod Vicarius Episcopi, a Papa constitutus, habet omnes qualitates, quæ ipsi Episcopo insunt, & propterea sit æqualiter honorandus, & *n. seqq.* differentiam inter unum, & alterum latissimè prosequitur.

7 Cum autem ex jure communi in absentia necessaria, & privilegiata non respiciatur ad longum, vel modicum tempus, sed ad durationem officii, & legitimam absentiæ causam, ut ait Textus *in l. Si cui* 38. *§. tandiù, ff. ex quib. caus. major.* Ideò substituendi facultas a Papa concessa, regulari non debet a modico tempore, sicuti in illa ab Episcopo concessa, sed a duratione causæ substituendi, & absentiæ juxta terminos juris communis.

CONSULTATIO CXXX.

Quonam pacto Episcopi olim eligebantur? An sit juris divini, ut Populus in Episcopo eligendo suffragium ferat?

Quomodo aliqua Civitas cognoscatur esse Germanica, atque adeò quod illius Capitulum Ecclesiasticum gaudeat privilegio eligendi suum Episcopum? Electio Episcopi ex jure antiquo, ad quos pertinebat, & nunc pertineat? Ubi aliqua de investituris Episcopatuum.

1 AD primum. Certum omninò est, Apostolos authoritate accepta a Christo Domino in sui locum Episcopos elegisse, & creasse. Nam singuli eorum idoneos præfecerunt Ecclesiarum Pastores, qui ex Urbano II. *in can. quorum vices dist.* 68. dicuntur Apostolorum locum tenere. Deindè verò primis illis Episcopis, quos creaverunt Apostoli, vita functis, totum jus eligendi, & creandi Episcopos ad Romanum Pontificem pertinuit, tanquam ad Successorem Petri, cui data est a Christo summa potestas in totam Ecclesiam. Et hoc est, quod ait Nicolaus II. scribens Mediolanensibus per Petrum Damianum Legatum suum *in can. omnes d.* 22. *Omnes sive Patriarchii cujuslibet apices, sive Metropoleon primatus, aut Episcopatuum Cathedras, vel Ecclesiarum cujuslibet Ordinis dignitates instituit Romana Ecclesia.*

2 At verò primis illis Ecclesiæ temporibus post Apostolos, expresso, vel tacito Romanorum Pontificum consensu electiones Episcoporum fiebant. Nam scientibus, & non repugnantibus, nec aliud statuentibus Romanis Pontificibus, cùm jure possent, Clerici cujusque Ecclesiæ Cathedralis in unum simul convenientes unum quemdam in Episcopum nominabant, designabant, eligebant.

3 In hac porrò nominatione, designatione, & electione non semper idem mos & usus est retentus. Aliquando enim Clerus simul, & Populus nominabant, designabant, eligebant, & offerebant ex Cypriano *epist.* 2. *ad Antonianum lib.* 4. *in can. factus* 7. *q.* 1. ex Gelasio Papa ad Philippum, & Geruntinum Episcopos *in can. plebs Diorrentis*, ex Stephano Papa ad Romanum, ex Nicolao Papa ad Joannem Ravennates Archiepiscopos, ex Pelagio Papa ad Julianum Episcopum Grumentinum *dist.* 65. Aliquando populus quidem petebat, ac postulabat Episcopum, Clerus verò eligebat ex Leone Papa ad Rusticum Narbonensem Episcopum *epistol.* 90. aliàs 92. *cap.* 1. *in can. Nulla d.* 62. Aliquando & ipse populus non solùm petebat, sed etiam nominabat, & designabat, Clerus verò eligebat *d. can. nulla.* Aliquando etiam Episcopus sibi adjutorem adscivit, quem posteà successorem nominavit, vel morti vicinus Episcopum in sui locum successurum designavit ex Joanne III. ad Episcopos Germaniæ, & Galliæ epistola unica *cap.* 2. *in can. Si Petrus* 8. *q.* 1. & ex S. Augustino *epist.* 111. Aliquando Clerici eligebant, populus verò nominabat, & Principis requirebatur assensus ex D. Gregorio ad Joannem Episcopum primæ Justinianæ Illyricæ *lib.* 4. *epist.* 15. sive *cap.* 59. *in can. Quia igitur*, ex eodem ad Joannem Subdiaconum *epist.* 30. sive *cap.* 69. *lib.* 2. *indict.* 11. *in can. Quanto*. Ex Pelagio Papa ad Laurentium Episcopum Centumcellensem *in cam principali*, ex Leone IV. ad Lotharium, & Ludovicum Augustos *in can. Reatina*, & ad Ritam Comitissam *in can. Nobis*, & ex Stephano Papa ad Guidonem Comitem *in can. lectis dist.* 63. ex Innocentio III. *in cap. Quod sicut de elect.*

Tandem canonica est sanctione decretum, ut soli 4
Clerici Episcopum eligerent, laicis penitus exclusis ex Hadriano Secundo in octava Synodo Constantinopolitana sub ipso celebrata *in can. Nullus*, ex eodem in eadem Synodo *act.* 1. *in can. Hadrianus*, ex Concilio Laodicensi *cap.* 13. *in cap. non est*, ex Concilio Martini Papæ *cap.* 1. *in cap. non licet distinct.* 63. ex Gregorio Septimo in generali Synodo *cap.* 1. & 2. & *lib.* 6. *regesti* ejusdem *in can. Si quis deinceps* 16. *quæst.* 7.

Ad extremum tota Episcopum eligendi facultas ad 5
Canonicorum Collegium redacta, & devoluta est, itaut soli Canonici, exclusis non solùm laicis, sed etiam cæteris Ecclesiæ Clericis, quamvis beneficiariis, Episcopum eligerent, quæ lex, & consuetudo diù in Ecclesia duravit per Germaniam, Galliam, Angliam, Poloniam, Italiam, & Hispaniam, quæ posteà lex, Romanorum Pontificum authoritate est abrogata, & jus nominandi, designandi, offerendi, ac præsentandi Episcopos datum est Imperatoribus, Regibus, atque Principibus eorumdem Romanorum, Pontificum nutu, & assensu. Unde nunc Hispaniæ Reges Episcopos nominant, designant, eligunt, & offerunt Romano Pontifici, ut eos in Ecclesiis instituant. Idem jus habent Reges Galliæ, ac Poloniæ, solum per Germaniam vetus consuetudo in Ecclesiis servatur, in quibus Canonicorum Collegium Episcopum nominat, designat, & eligit, electus verò Romani Pontificis authoritate confirmatur.

Nec itaque inficiamur veterem ritum, ac morem 6
Episcopos eligendi, quo plebe præsente, immò & ipsius suffragiis aliquando eligebantur. Nam in Africa illum morem esse observatum constat ex electione Eradii successoris S. Augustini de quo extat epistola ejus 150. In Græcia ætate S. Chrysostomi ex libro ejus 3. *de Sacerdotio*. In Hispaniis *in epist.* S. Cypriani ad Clerum, ac Plebes in Hispania consistentes, de Basilide, & Martiale, quæ est *epist.* 68. & ex S. Isidoro *lib.* 2. *de offic. Ecclesiast.* In Gallis ex *epistola Cœlestini Papæ*. Romæ quoque ex *epist.* 87. S. Leonis.

Quæ quidem eligendi Episcopi ratio usque ad San- 7
ctum Gregorium Magnum, ut constat ex ejus epistolis, immò & ad Caroli Magni, & Ludovici Pii Imperatorum usque tempora perduravit. Hi enim cùm novis Regnum, atque Imperium legibus stabilirent, & confirmarent, in hunc modum de Episcoporum electione sanxerunt, teste Signio *lib.* 4. *de Regno Italiæ; Sacrorum Canonum non ignari, ut Dei nomini Sancta Dei Ecclesia suo liberius potiatur honore, assensum Ecclesiastico Ordini præbemus, ut Episcopi per electionem Cleri, & Populi secundùm statuta Canonum de propria diœcesi, remota personarum, & munerum acceptione, ob vitæ meritum, & sapientiæ donum eligantur, ut exemplo, & verbo sibi subjectis usquequaque prodesse valeant.* Ex quibus perspicitur, Carolum Magnum, aut non habuisse unquam jus eligendi Episcopos, aut si habuit, id juris habuisse privilegio Romani Pontificis, & eo privilegio posteà sua spontè cessisse.

Extat canon Concilii Toletani *in can. qui in aliquo* 8
dist. 51. in hæc verba: *Sed nec ille deinceps Sacerdos erit, quem nec Clerus, nec populus propriæ Civitatis eligit, & can. nulla dist.* 72. ex decreto Leonis Papæ dicitur: *Nulla ratio finit, ut inter Episcopos habeantur, qui nec a Clericis sunt electi, nec a plebibus expetiti, can. Hadrianus dist.* 63. habetur, Hadrianum Pontificem Carolo Regi tradidisse jus, & potestatem eligendi Episcopos, & Archiepiscopos per singulas provincias, ipsi subjectas, itaut nisi ab eo laudarentur, & instituerentur; a nemine sacrarentur, quam Episcopi institutionem, investituram vocarunt, eamque annulo dato, & porrecto baculo perfici voluerunt. Idem jus concessit Leo VIII. Othoni I. Imperatori, ut habetur in *can. in Synodo d. dist.* 63. An autem hæc duo decreta, ut Gratianus citavit, veritatem habeant, sunt qui dubitant. Meo tamen judicio cùm ea decreta sumpserit ex Sigiberto Monacho, qui in hac re deceptus est, hìc Gratianum decepit.

Porrò concessum est jus nominandi, vel petendi Epi- 9
scopum plebi, ne, invitis ovibus pastor traderetur, & ut probaretur eorum testimonio, quibus dabatur, & ut magis amaretur, & coleretur ab his, quorum precibus, & votis fuerat postulatus, Carolo, & Ludovico, ac Othoni primo Regibus tributum est jus Episcopos nominandi, ad lites, & dissidia Clericorum, & populorum tollenda.

Præ-

10 Præterea constat ex Gratiano *dist. 63.* per aliquot Canones, & ex Concilio Laodicensi *can.* 12. & 13. & ex græcis Synodis a Martino Bracharensi Præsule collectis *can.* 1. & 2. & ex citata S. Leonis epistola, electionem Episcoporum ad plebem minimè pertinere. Leo enim singulorum in electione officia distinguit, requirit vota civium, testimonia populorum, electionem Clericorum, electio per subscriptionem, nominatio verò, postulatio, vel designatio voce tantummodò fieri solebat, & Henricus IV. Imperator sibi usurpaverat jus eligendi Episcopos, & Archiepiscopos; At Leo Nonus, & Gregorius Septimus ejusmodi jus Ecclesiæ restituerunt, ut scilicet Clerus, & Populus Episcopos nominarent, & eligerent legibus sanxere. Idem constituerunt Alexander Secundus ante Gregorium Septimum, & Paschalis Secundus post eundem Gregorium, teste Sigonio *lib.* 7. *de Regno Italiæ.*

11 Tandem electio Episcoporum a tempore Gregorii Septimi devoluta est, aut revocata ad Clerum, & deindè ad Collegia Canonicorum, eaque consuetudo, ut constat ex decretis Innocentii Quarti, Gregorii Decimi, Nicolai Tertii, & Bonifacii Octavi *de elect. in 6.* duravit multis sæculis, immò usque ad Clementem Quintum, ut patet ex ejus Constitutionibus in Concilio Viennensi editis *de elect. in Clementinis*. Posteà verò datum est Romanorum Pontificum authoritate Regibus, tanquam Ecclesiarum patronis, jus nominandi, designandi, & offerendi Episcopos, ab ipso Romano Episcopo instituendos. Ex quo factum est, ut Episcopi Regum, & Principum aulam, & Curiam sequantur. Testibus item Innocentio *in d. cap. quod sicut de elect. cap. super his de accusat.* & Abbate *in cap.* 1. *de elect. & cap. cùm inter eodem tit.* Princeps debet certior fieri de morte Prælati, antequam ad electionem procedatur.

12 Ad secundum. Hæretici contendunt, juris esse divini, idque colligere conantur ex quibusdam sacrarum litterarum locis, & ex Sancti Cypriani, & quorumdam aliorum Patrum testimoniis. Sed constans, & vera est omnium Catholicorum sententia, jus eligendi Episcopum nequaquam esse a Christo Domino Plebi datum, liberum tamen Ecclesiæ reliquisse, ut ipsa quod magis expedire judicaret, in hac parte decerneret. Quare Ecclesia in hac re posteà pro varietate temporum, personarum, & rerum varium morem servavit. Quibusdam enim Principibus, benè de Republica Christiana meritis, privilegium dedit, ut ipsi Episcopos nominarent, designarent, & eligerent, quo quia illi paulatim abuti cœperunt, meritò illud amiserunt. Sic etiam aliquando permisit, ut populus unà cum Clero Episcopum nominaret, & eligeret, quod tamen jus deindè ob varia incommoda jure est abrogatum. Non igitur divini juris est, ut populus, vel nominet, vel postulet, vel designet, vel eligat, vel offerat, sed totum hoc est in libera Ecclesiæ potestate, & arbitratu relictum.

13 Nec refragatur Sanctus Cyprianus *epist.* 68. inquiens; *Diligenter de traditione divina, & Apostolica observatione observandum esse, & tenendum, quod apud nos quoque, & ferè per Provincias universas tenetur, ut ad ordinationes ritè celebrandas ad eam plebem, cui Præpositus ordinatur, Episcopi eidem Provinciæ proximi quique conveniant, & Episcopus eligatur, plebe præsente, quæ singulorum vitam plenissimè novit, & uniuscujusque actum de ejus conversatione prospexit.* Idque colligit Cyprianus tum electionibus in veteri testamento factis, tum etiam ex his, quæ in novo memorantur. Nam *Act.* 1. sic est Matthias in Judæ locum Apostoli substitutus, & Paulus, ac Barnabas in Evangelium Dei segregati, immò etiam septem Diaconi electi, *Act.* 6.

14 Nam ex his omnibus colligi tantummodò id factum fuisse, non tamen jure divino sic fieri oportere. Nec enim quidquid Christus, vel Apostoli fecerunt, id fieri ab aliis jusserunt. Et cùm ait Cyprianus, id traditione divina esse servandum, nomine traditionis non jus intelligit, sed ritum, & morem, qui facto ipso ad tempus servatus est, tum in veteri Hebræorum populo, tum etiam initio Apostolicæ Ecclesiæ surgentis.

15 Ad tertium. Ante Regulas Cancellariæ Apostolicæ spectasse electionem Episcopi ad Canonicos constat *ex cap. bonæ memoriæ* 23. *cap. Cum Wintonensis* 25. *cap. dilectus* 32. *cap. ne pro defectu* 41. *& cap. in veteri* 52. *de elect. & cap. cupientes* 16. *cap. Si eo tempore* 45. *eodem tit. in 6.* Et in Germania, ut diximus, adhuc perdurat hujusmodi dispositio, & de Ecclesia Bisuntina testatur Cardinalis Tuschus *v. Bisuntina Civitas concl.* 99.

16 Regula igitur Cancellariæ, reservans omnes Ecclesias Cathedrales, videtur non habere locum in hujusmodi Ecclesiis, cùm concordatum fuerit cum Imperatore, ac Principibus inclytæ Nationis Germanicæ, & Nicolao Quinto ex ejus Constitutione prima §. 3. ut in Metropolitanis, & Cathedralibus fiant electiones Canonicæ, & sic ubi vigent concordata, cessat virtus dictæ Regulæ. Brander. ad eadem concordata *q. 6. n.* 2. Cochier. *ad d. reg. num.* 2. ac Rot. *decis.* 250. *num.* 5. *part.* 7.

17 Quod autem aliqua Civitas, saltem quoad Episcopatum, subsit Concordatis, liquere potest ex eo, si Episcopus habeat jus sedendi in Comitiis Imperialibus, uti Princeps Imperii, ceù tradunt non pauci, & ex descriptione Germaniæ, ac Rumelino ad auream Bullam, ubi de Civitate Bisuntina, prout etiam Dux Burgundiæ intervenit, uti Princeps imperii ex Gail. *de arest. cap. 6. num.* 11. & Bisuntium ex hoc esse Civitatem Imperialem, ait Borell. *de præstant. Regis Catholici cap.* 46. *num.* 383.

18 Atque, itaut non relevet, quod beneficia alicujus Civitatis prætendantur subjecta reservationibus. Nam, quidquid sit de hac re, id non videtur obstare. Quia cùm Episcopus sit Imperii Princeps, & in Comitiis Imperialibus locum habeat, uti pars Germanicæ Nationis, poterit gaudere hujusmodi prærogativa, licèt loca, quæ non sunt subjecta Imperio, non gaudeant, ut scitè ratiocinatur Joannes Vvamotius *consil.* 255. *numer.* 10. *post init.* & in una, eademque diœcesi potest esse, quod serventur concordata quoad loca Imperio subjecta, & quod ea, quæ sunt extra Germaniam non serventur, ut fusè tradit Zypeus *lib. 3. tit. de præben. consult. 6.* ubi signatè *col. pen. post. med.* advertit, non esse inconveniens, ut concordata serventur in capite, non autem in membris ex differentia ista, quatenus sint de corpore Imperii Germanici, vel extra illud.

19 Probatque observatio, an & in quantum accepta fuerint concordata, ut optimè admonet idem Zypeus *lib. 3. jur. Pontific. tit. de instit. numer.* 11. & Paulus Christineus *decis.* 358. *numer.* 16. *lib.* 1. Esset que observatio clarissima, si Episcopus a principio concordatorum semper fuerit electus a Canonicis.

Nec obstaret, quod aliquæ provisiones factæ sint a Summis Pontificibus, nisi probetur, quod factæ non sint in casibus exceptis a concordatis, ut per mortem Cardinalium, qui est casus exceptus in dicta Constitutione Nicolai §. 2. in casu nullitatis electionis, ut fuit provisio de Ecclesia Bisuntina tempore Urbani VIII. qui pariter est casus exceptus §. 3. necnon per viam coadjutoriæ cum consensu Capituli, quo casu non mutatur status, etiamsi esset simpliciter facta provisio. Quia semper intelligitur sub tacita conditione, quatenus non dissentiat Capitulum, Dec. *cons.* 126. *numer.* 4. Rota coram Verallo *decis.* 189. *numer.* 2. *par.* 3. Est enim trita conclusio, quod provisiones Pontificis statum non mutant, Seraph. *dec.* 799 *numer.* 3. cum aliis apud Merlin. *decis.* 61. *num.* 7. *& decis.* 421. *num.* 2. *par.* 4. *recent.*

CONSULTATIO CXXXI.

An Episcopo excommunicato, vel Archipresbytero, qui habet jura Episcopalia, possit aliquis eligi in Vicarium Capitularem?

HÆc quæstio videtur decidi a Glossa *in c.* 1. *v. ipsius de offic. Vicarii in 6.* ubi expressè tradit, Episcopo excommunicato, jurisdictionem devolvi ad Summum Pontificem. Hanc opinionem tenet etiam Sylvest. *in sum. v. Vicarius num.* 4. pro qua citatur Textus *in cap.* 1. *de supplen. neglig. Prælat. in 6.* At revera in eo textu solùm disponitur, non devolvi jurisdictionem ad Archiepiscopum. Ex hoc enim non rectè infertur, devolvi ad Summum Pontificem, cùm possit dici, quod devolvatur ad Capitulum. 1

Meliùs censeo probari opinionem Glossæ per Textum *in cap. Si Episcopus de supplen. neglig. Prælat. in 6.* ubi, licèt statuatur, quod Episcopo capto a Paganis, vel a Shismaticis, jurisdictio non devolvatur ad Archiepiscopum, sed ad Capitulum, additur tamen, *donec per Sedem Apostolicam, cujus interest*, sunt verba Textus, *Ecclesiarum providere necessitatibus, super hoc per ipsum Capitulum, quam citò poterit consulendam, aliud contigerit ordinari.* Unde patet, quod mens hujus textus est, ut Capitulum non succedat in jurisdictione, nisi per modum provisionis, ne, donec Pontifex sit certior factus, & provideat, Ecclesia sine Rectore permaneat. 2

Ex paritate rationis id ipsum puto esse dicendum in casu excommunicationis, quo tempore dicitur Ecclesia 3

quaſi vacans, ut per Oſtienſ. *in ſumm. lib. 3. ne Sed. vac. aliq. innov. num.* 2. Sicut etiam dicitur in caſu Textus, dum Epiſcopus eſt captivus, Gloſs. *ibidem verſ. Sed Capitulum*, & in utroque caſu juriſdictio Epiſcopi impedita, non abdicata, aut extincta remanet.

Confirmatur id authoritate Oſtienſis *in d. cap.* 1. *num.* 18. *de ſupplen. neglig. Prælat.* ubi fatetur, nullam eſſe rationem, cur Epiſcopo excommunicato juriſdictio non debeat devolvi ad Archiepiſcopum, niſi ſola Pontificis voluntas, aliter ſtatuentis.

CONSULTATIO CXXXII.

An, & quatenus Collegium mulierum emittentium votum caſtitatis, & obedientiæ, cenſeatur licitum? Quid ſi fuerit ab Epiſcopo viſitatum? Quidve ſi ei fuerint conceſſæ indulgentiæ? Earum dotes quatenus ſint eis egredientibus reſtituendæ? Quid ſi Collegii Conſtitutione decernant, quod hujuſmodi mulieribus deficientibus, dos acquiratur Collegio? Alia in hanc non pauca.

1 CEnſeo Collegium hujuſmodi eſſe illicitum, & nulliter erectum tàm ex diſpoſitione juris communis, quàm ex Conſtitutionibus Apoſtolicis. Unde mulieres, quæ illud ingrediuntur, non obligantur votis, & juramentis in illo perſeverare, nullaque alia obligatione tenentur, ut per Leſ. *de juſt. & jur. lib.* 2. *c.* 41. *num.* 11. & 14. Suarez *de relig. tom.* 3. *lib.* 2. *c.* 6. *num.* 15. & *ſeqq. ac num.* 22. cum duobus aliis, ac Pelliz. *in manual. Regular. tom.* 1. *tr.* 1. *c.* 2. *num.* 16.

2 Quod autem hujuſmodi Collegia ſint illicita ex diſpoſitione juris communis, probatur, quia licèt *in l.* 1. *ff. de colleg. illic.* permittantur illa, quæ fiunt Religionis cauſa, ex quo Textu hujuſmodi Collegia defendit Cyriac. *contr.* 504. *num.* 36. hæc tamen diſpoſitio juris civilis eſt correcta a jure canonico, vigore cujus hodie prohibentur fieri quicumque ordines, & quæcumque Congregationes, ſive Collegia tàm virorum, quàm mulierum prætextu Religionis, ut advertit Abb. *in c. fin. num.* 2. *de Relig. dom.* quem commendat Suarez *loc. cit. num.* 13. Et generatim quod hujuſmodi Collegia, Congregationes, & inſtituta ſint abſolutè prohibita, niſi a Summo Pontifice approbentur, tenet Abbas *in c. nullus num.* 11. *de for. competent. & conſ.* 55. *num.* 1. *lib.* 1. ac firmant Leſſius, Pellizarius *ibidem*, & Paſqual. *in addit. ad Laurent. de Franc. de contr. inter Epiſcop. & Regular. p.* 2. *num.* 2. Theſaur. *in prax. p.* 2. *v. Religioſi c.* 4. ac Suarez *d. num.* 22. ubi reprobat Cardinalem, & Felinum.

3 Ratio autem id prohibendi fuit nimia confuſio, ac periculum, quod oriebatur ex varia, & multiplici inſtitutione Religionum, quæ ſanè ratio æquè militat in Ordinibus, & Collegiis, ſi non approbentur a Sede Apoſtolica; Nam poſſent facilè ab eis errores admitti, & fideles decipi, ac inſtitui modus aliquis vivendi ſaluti animarum noxius, Eccleſiæ pernicioſus. Quod eruitur *ex d. c. fin. de relig. domib.* & ex *c. unic. eod. tit. in* 6. ubi Pontifex non ſolùm prohibet Religiones, ſed etiam Ordines, quod nomen latius patet, ut proindè non ſolùm comprehendat Religiones, ſed etiam Congregationes, & Collegia, licèt alioquin verum ſtatum religioſum non habeant, ut ponderat Suar. *d. num.* 22. & 23. Pelliz. *d. n.* 16. eſtque expreſſum *in Clem.* 1. *de relig. domib.* ubi Joannes XXII. damnat quaſdam mulieres, quæ ſimilem Congregationem facere præſumpſerant.

4 Quare hodie ad hujuſmodi Collegiorum erectionem, non ſolùm ex diſpoſitione Sacri Concilii Tridentini requiritur Ordinarii licentia in ſcriptis, quæ conſtare debet, ut per Laurent. de Franch. *loc. cit. num.* 510. Rotam in Toletana manutentionis 7. Februarii 1656. coram Meltio *§. ſed nullitas*, & in Romana hæreditatis 28. Aprilis 1659. coram eodem *§. hinc ceſſat*, ubi in his terminis ait, quod qui præſupponit, nihil diſponit circa præſuppoſitum. Unde ad hunc effectum non relevat, quod Epiſcopus fuerit declaratus protector Collegii, nec quod illud viſitaverit, nec quod exploraverit puellarum voluntates, quodque receperit earum renunciationes. Nam ſunt actus præſuppoſitivi erectionis, qui circa illam nihil diſponunt. Et quod ex viſitatione facta per Epiſcopum, non inferatur ad approbationem, decernit Text. *in c. fin. verſ. illas quoque de ſtat. Monach.* Nec creditur aſſerenti, quod in erectione interceſſerit beneplacitum Apoſtolicum oretenus conceſſum. Quia in materia, quæ ſolet expediri per Breve, ſtandum non eſt aſſertioni juxta *l. prohibitum, C. de jur. fiſc. l. probatorias, Cod. de diverſ. offic. lib.* 12. *ac l. unic. Cod. de mand. Princip.* ibique Bart. *num.* 1. & Bald. *n. etiam* 1.

Sed etiam requiritur copulativè licentia Sedis Apoſtolicæ, itaut non ſufficiat una ſine alia, ut tradunt Doctores magis communiter, præcipuè Rodriquez *tom.* 1. *qu. regul.* 35. *art.* 7. Ricc. *dec. Cur. Archiepiſc. Neapol. p.* 4. *dec.* 168. Campanil. *in diverſ. jur. canon. rubr.* 12. *c.* 13. *num.* 80. qui reprobant Sorbum, & alios, contrarium aſſerentes, Barboſ. *de poteſt. Epiſc. alleg.* 2. *p. num.* 4. & *in collect. ad Concil. Trident.* Lezana *in ſumm. qu. regul. p.* 1. *c.* 8. *n.* 1. Tambur. *de jur. Abbatis diſp.* 33. *q.* 1. *n.* 6. & *de jur. Abbat. tom.* 3. *diſp.* 5. *q.* 1. *n.* 3. Novar. *in ſingular. novi juris Pontif. concl.* 1. *alias* 10. & *ſeq.* Pelliz. *in man. Regul. tom.* 2. *tr.* 8. *c.* 7. *ſect.* 2. *num.* 92. 5

Ac ita etiam ſæpiùs declaravit Sacra Congregatio Concilii, & ſuper Epiſc. & Regular. ſervatque in praxi Curia Romana, & rejecta *dec.* 745. *p.* 2. *rec.* firmat Rota in Cracovienſi fundationis Monaſterii 19. Aprilis 1649. & 20. Junii 1650. coram Celſo, & in Cæſarauguſtana fundationis Conventus 18. Martii 1657. coram Bevilaqua, & 12. Novembris ejuſdem anni coram Meltio, & in Toletana manutentionis 7. Febr. 1656. & in Romana hæreditatis 28. Aprilis 1659. coram eodem, & 4. Februarii 1658. coram Cerro. 6

Nam Concilium Tridentinum nihil aliud decernit, niſi quod de cætero ſimilia loca non erigantur ſine licentia Epiſcopi, quæ verba cùm nullam contineant taxativam, quod illa ſufficiat, neque ſint incompatibilia cum licentia Summi Pontificis, utique non poteſt cenſeri derogatum diſpoſitioni Sacrorum Canonum, qui illam requirunt, cùm ad hunc effectum neceſſe ſit, quod lex poſterior contineat expreſſam abrogationem legis anterioris, aut aliquid incompatibile cum ea contineat, aliàs nunquam diſpoſitio legis prioris extinguitur juxta doctrinam Felini *in c.* 1. *n.* 10. *de conſt.* & in his terminis reſpondet Rota in Januenſi privilegiorum 24. Januarii 1648. coram Royas *§. nec ſubſiſtit*, & in dicta Cracovienſi Fundationis Monaſterii 1649. & in dicta Cæſarauguſtana, *§. neque obſtat*. Quæ ratio non fuit perpenſa a recentioribus, qui contrariam opinionem ſequuti ſunt. 7

His accedit alia ratio, quod Urbanus VIII. in ſua Conſtitutione 25. in qua innovavit Conſtitutiones Clementis VIII. & Gregorii XV. prohibet fundari nova Monaſteria, Collegia, & domus, niſi de expreſſa Ordinariorum licentia, & ſervata in omnibus, ac per omnia Sacrorum Canonum, & Sacri Concilii Tridentini forma, nec non prædeceſſorum Pontificum Conſtitutionibus. Ex quibus verbis patet, ipſum omninò voluiſſe concurſum licentiæ Pontificis, requiſitæ a Sacris Canonibus, & licentiæ Ordinarii, requiſitæ a Concilio Tridentino, dum Sacrorum Canonum, & Sacri Concilii Tridentini formam ſervari mandat, ut notat etiam Lezana *tom.* 4. *qu. regul. v. Monaſteria num.* 4. Pelliz. *in manual. tom.* 2. *ſect.* 2. *num.* 89. & 92. & egregiè Rota in citata Cæſarauguſtana *§. Et apertè* coram Bevilaqua, & coram Meltio *§. neque ex eo*, & in d. Cracovienſi coram Celſo. 8

Ex hac autem Conſtitutione tollitur difficultas, an hujuſmodi Collegia comprehendantur in prohibitione Urbani. Nam in illa prohibetur fundatio non ſolùm Monaſteriorum, ſed etiam Collegiorum, & quorumcunque Ordinum, & Inſtitutorum apertèque id conſtat ex Bulla ſupereſſionis omnium Congregationum Jeſuitiſſarum edita ab eodem Urbano ſub anno 1630. in qua ſupprimit, & extinguit omnes Congregationes mulierum, quæ ſub nomine Jeſuitiſſarum Collegia, & Domos inſtituerant, & erexerant, prohibetque in futurum erigi, liberans omnes a vinculo cujuſcunque voti, & juramenti, & a quacunque alia obligatione, illiſque concedens facultatem diſcedendi cum ſuis bonis, ac de illis diſponendi etiam inter vivos, & tranſmittendi ad hæredes ab inteſtato, non obſtantibus votis, & juramentis. Quæ quidem Conſtitutio cùm ſit munita clauſula ſublata, & decreto irritante, impedit, ne poſſit aliter judicari, Rota *dec.* 180. *num.* 2. *p.* 2. *rec.* & *dec.* 62. *num.* 7. & 8. *p.* 6. & *dec.* 107. *n.* 5. *p.* 9. *tom.* 1. & in d. Cæſarauguſtana coram Bevilaqua, & in d. Cracovienſi coram Celſo. 9

Nec dubitari poteſt, quin dicta Conſtitutio comprehendat etiam Italiam, cùm Urbanus VIII. in proœmio profiteatur, ſe moveri ex hujuſmodi Congregationibus, etiam in Italia erectis, ibi: *In nonnullis Italiæ, & Ultramontanis partibus*. Et quamvis dicat aliàs mandaſſe Nuncio inferioris Germaniæ, ut provideret, non tamen ad illum ſe reſtringit, ſed loquitur etiam de aliis Ordinariis ibi: *Apoſtolicæ Sedis in partibus inferioris Germaniæ Nuncio, & nullis locorum ordinariis*. Et in fine indiſtinctè mandat, d. Conſtitutionem exequutioni demandari ab omnibus ubilibet exiſtentibus, ibi: *Quocirca venerabilibus fratribus, ac dilectis filiis noſtris, & Apoſtolicæ Sedis Nunciis, necnon Patriarchis, Primatibus, Archie-* 10

Archiepiscopis, Episcopis, & aliis locorum Ordinariis ubilibet existentibus per Apostolica scripta mandamus, ut statim &c. Quæ verba perspicua sunt, & cùm ratio sit generalis, restringi non potest, immò extendit legem ad omnes casus sub ratione comprehensos, Cæphal. *cons.* 196. *num.* 26. Mascard. *de generali stat. interpr. concl.* 5. *num.* 27. & in his terminis Suarez *d. cap.* 16. *n.* 22. & 23.

11 Non obstat Cyriac. *d. controv.* 504. Nam loquitur cum suppositione, quod erectio Collegii sit valida, & loquitur de dote applicanda Collegio per mortem naturalem mulieris ingressæ. Quare si mulieres ex Collegio nulliter erecto, se transferunt ad Monasterium, validè erectum, pro emittenda professione in ordine religioso, ac regulari, non impediuntur transferre secum bona sua, maximè attenta Constitutione Urbani id concedentis. Nam Pontifex id facere potest, etiam quando egrediuntur è primo Monasterio, in quo validam professionem emiserant; ergo multò magis quando non emittitur professio, vel illa est nulla, & invalida, ut in hoc casu ex cumulatis per Capyc. Latr. *dec.* 193. *num.* 7. & 8. *par.* 2. Neque in hoc casu locus esse potest quæstioni multum agitatæ, an monialis ab uno ad aliud Monasterium translata, recuperet dotem, in qua magis communiter negant Doctores, ut legere est apud Tambur. *de jur. Abb. disp.* 21. *q.* 7. Donat. *tom.* 3. *tract.* 4. *q.* 19. de quo nos etiam *tom.* 1. Ea potissimum ratione, quia dos datur sub conditione professionis. Unde ea sequuta irrevocabiliter acquiritur Monasterio, quæ ratio cessat in hoc casu, cùm, non dato Monasterio validè fundato, nequit dari professio legitima. Aliàs enim sequeretur hoc absurdum, quod hujusmodi mulieres quæ non tenentur in Collegio perseverare, voluntque perfectiorem vitam eligere in Monasterio Sanctimonialium, ut Urbanus Octavus suadet, non possunt id exequi, cùm Monasterium non debeat eas recipere sine dote, ut de transeunte ait Barbos. *de jur. Eccles. lib.* 1. *c.* 44. *n.* 76.

12 Minus obstant Constitutiones hujusmodi Collegii. Quia non obligant, etiamsi consideretur Collegium, uti laicale. Quia Constitutiones Collegii laicalis ligant solùm, quatenus aliquis in collegio manet, non autem postquam discedit, & in eo amplius nolit permanere, ut per Less. *de just. & jur. lib.* 2. *c.* 41. *num.* 11. Pelliz. *loc. cit. tom.* 1. *tract.* 1. *c.* 1. *num.* 10.

13 Idque etiamsi Constitutio dicat, quod deficiente aliqua virgine, dos remaneat apud Collegium. Nam hæc Constitutio non obligaret, si facta non sit a Collegio licito, neque a Sede Apostolica approbata, & casus deficientiæ intelligitur de obitu per textum *in l. qui duos §.* 1. *ff. de manum. testam.* & probat Mantic. *de conjectur. lib.* 11. *tit.* 6. *num.* 1. subestque ratio quod ita solùm Constitutio fuerit intellecta, cùm dotes dentur respectivè ad alimenta, quæ a loco recipiuntur. Unde si virgo è loco egreditur, prout egredi potest, dum ex jam dictis non est adstricta votis, par est, quod suam recuperet dotem, cessante causa, quæ secundùm Cyriacum *d. controv.* 504. *num.* 51. est, ut Collegium toto tempore vitæ Virginis eam alat.

14 Minus etiam obstat, quod Constitutio Urbani, requirens copulativè beneplacitum Apostolicum, & approbationem Ordinarii, loquatur solùm de Monasteriis regularibus, ideoque non sit trahenda ad hunc casum. Nam verba illa *§.* 2. *nova Monasteria, Collegia, Domos*, sunt apta ad comprehendendum etiam hujusmodi Congregationes, ut in specie, quod sub illis comprehendantur etiam Congregationes Seculares post Novarium, & Cespedem, probat Donat. *in praxi t.* 1. *p.* 2. *tr.* 1. *de Monast. ædif. q.* 20. ubi etiam deducit resolutionem S. Congregationis.

15 Immò faciliùs reprobanda esse loca mulierum erecta sine authoritate Apostolica, & ordinaria, cùm non sit secundùm aliquam ex Regulis approbatis, habetur ex *can. pernicioſam* 18. *q.* 2. *ex cap. ne nimia de relig. domib.* & ex *Clem. ult.* ubi Glos. *v. approbare de Stat. Monach.* ac fusè probat Donat. *in prax. t.* 3. *tit. de Monast. Monial. tr.* 2. *q.* 1. & *q.* 2. ubi non comprobat quorumdam opinionem, qui tenent, toleranda esse, dummodo fuerint erecta cum licentia Episcopi, quod adversatur Constitutionibus Gregorii IX. Pii V. & Urbani VIII. qui vehementius damnant mulierum cætus authoritate privata, & de facto institutos, jubentque perpetuò supprimi, & extingui cum absolutione a quibuscumque voris.

16 Repetitio itaque dotis in hoc casu pendet ab eo, an Collegium hujusmodi sit licitum, anve illicitum. Si est licitum dos semel data, repeti non potest, immò Virgines tenentur in illo usque ad mortem permanere, ut rectè in his terminis repetitionis dotis ex hoc capite, quod Collegium sit licitum respondit Cyriac. *loc. cit. numer.* 36. & *seq.* Si verò est illicitum dos, & res omnes datæ intuitu ingressus restituendæ sunt. Quia Collegio illicito dari, aut donari non potest, *l. Collegio C. de hæred. instit. l. Cùm Senatus* 21. *ff. de reb. dub.* & Bart. *in l.* 1. *C. eodem*.

Quod autem hujusmodi Collegia sint illicita, proba- 17
tur ex eo, quod Cœtus mulierum, specialiter non approbatus a Papa, reperitur damnatus ab Innocentio II. in *d. can. pernicioſam* 18. *q.* 2. his verbis: *Pernicioſam, & deteſtabilem conſuetudinem quarumdam mulierum, quæ licèt neque ſecundùm Regulam B. Benedicti, neque Baſilii, aut Auguſtini vivant, Sanctimoniales tamen vulgò cenſeri deſiderant, aboleri decernimus*, a Pio V. *Conſtit.* 8. *§.* 2. & tradit ad rem Pelliz. *de Monial. tit.* 3. *tr.* 10. *cap.* 1. *numer.* 5. Mirand. *in Manual. tom.* 1. *qu.* 35. *art.* 4. & *tit.* 3. *de Monial. art.* 4. *§. ex quibus*, Bonifacii Octavi *verbis*, Donat. *in prax. rer. regul. par.* 4. *tr.* 17. *q.* 3. *numer.* 5. *ac ſeqq.* Lezana *in ſum. tom.* 2. *cap.* 14. *numer.* 29. ubi refert decretum Sacræ Congregationis ſuper Epiſcopis, & Regularibus de mulieribus, ac Virginibus, quæ collegialiter vivunt, quo decernitur, quod hujuſmodi mulieres omninò ſubjaceant Conſtitutioni B. Pii V. cujus decreti verba ipſe Lezana declarat *numer.* 38.

Præſertim ſi Virgines non voveant paupertatem, ſed 18
profeſſionem emittant cum ſolis votis caſtitatis, & obedientiæ. Ex hoc enim Collegium eſt prorſus illicitum. Quia in citata Conſtitutione Beati Pii V. ſtatuitur, quod mulieres Tertiariæ in Congregatione viventes moneantur ab Ordinariis, & Superioribus, ut votum ſolemne emittant, quod ſi non emiſerint, non poſſint ullam aliam in futurum admittere. Ex quo videtur mentem Pontificis fuiſſe, quod penitus extinguantur hujuſmodi mulierum Congregationes, votum ſolemne non emittentium, & ita etiam declaratum a Sacra Congregatione ſub anno 1596. refert Piaſec. in ſua praxi. Immò cùm hic modus profitendi cum ſolis votis caſtitatis, & obedientiæ, non cohæreat alicui regulæ, ſive Religioni approbatæ, novam formam Religionis præſefert, atque adeo ſubintrat diſpoſitio textus *in cap. ult. de relig. domib.* in quo ita etiam decernitur: *Ne nimia Religionum diverſitas gravem in Eccleſiam Dei confuſionem inducat, firmiter prohibemus, ne quis de cætero novam Religionem inveniat, ſed quicumque ad Religionem converti voluerit, unam de approbatis aſſumat*. Concinit textus cum Gloſſa *in cap. un. eod. tit. in* 6.

Collegium igitur mulierum eſt illicitum, ſi non eſt 19
approbatum a Papa, ſi non ſervat clauſuram, ſi non emittitur in eo votum ſolemne.

CONSULTATIO CXXXIII.

An obliget decretum Synodale, quo mandatur, ut Sacerdotes, & Clerici certis diebus in Eccleſiam conveniant ad horas, divinaque officia publicè recitandum, aliaſque Eccleſiaſticas functiones exercendum?

AFfirmativè reſpondendum puto, ſi extet conſuetu- 1
do, ad quam inducendam ſufficit decennium, Abb. in *cap. fin. num.* 11. *de conſuet.* Garz. *de benef. p.* 9. *cap.* 4. *num.* 12. & in his terminis Rota *deciſ.* 365. *num.* 4. *p.* 2. *recent.* cùm non ſit contra jus, ſed potius illi, ac juri divino ſit conformis, tendatque in augmentum cultus Divini. Id enim deducitur ex *pſalmo* 67. *In Eccleſiis benedicite Deo*, & apertè tradit Innocent. *in cap.* 1. *num.* 1. *de celebrat. Miſſar.* Turrecrem. *in can. fin. numer.* 2. *in* 2. & 3. *concluſ.* ubi in terminis de conſuetudine, & *num.* 3. *in* 4. *concluſ.* ubi multis rationibus probat, decentius eſſe, quod officium divinum recitetur in Eccleſiis, quàm Domi, quod proſequuntur Albert. Ferrar. *de horis canon. numer.* 54. Sot. *de juſt. & jur. lib.* 10. *quæſt.* 5. *art.* 3. *verſ. hoc ergo differt*, inquiens, Clericos ex ſua primæva inſtitutione eſſe deputatos Eccleſiarum ſervitio, & *art.* 4. *in* 3. *concluſ.* ait, templa ad hoc extructa, deſtinataque eſſe, ut in illis horæ canonicæ celebrentur, ſicut & Miſſarum ſolemnia.

Hinc Epiſcopus ſuo ſtatuto non poteſt obligare Cle- 2
ricos ad horas canonicas publicè recitandas, niſi adſit conſuetudo, Leſs. *de juſt. & jur. lib.* 2. *cap.* 37. *dub.* 9. *num.* 46. maximè autem ſi nullum beneficium Eccleſiaſticum habeant. Unde neceſſe eſt probari hanc conſuetudinem, *l.* 1. ibique Gloſs. *v. probatio*, & Bartol. *num.* 3. *C. quæ ſit longa conſuetudo*, nam conſuetudo eſt quid facti *l. De quibus, ff. de leg.* quæ autem ſunt facti non præſumuntur *l. in bello §. fratres ff. de cap. & poſt lim. recurſ. l. quæcunque §. fin. ff. de public.* Rota *deciſ.* 11. *num.* 5. *p.* 1. coram Caputaq. ac Menoch. *de præſumpt. lib.* 6. *præſumpt.* 4. *num.* 1. & *ſeqq.*

Certum igitur eſt, neque jure communi, neque con- 3
ſue-

ſuetudine univerſali Clericos, præſertim minorum Ordinum, ratione ſui gradus ad horas canonicas non adſtringi, quia nondum ſortiti ſunt ſtatum inter Eccleſiæ Miniſtros, poſſunt enim matrimonio jungi. Si tamen in aliqua Diœceſi eſſet generalis conſuetudo, quæ per modum legis ſit recepta, ibi tenerentur, ut docet Medina *C. de orat. quæſt.* 7. Immò nec Epiſcopus ſuo præcepto, vel ſtatuto poteſt id inducere. Quia quod Eccleſia univerſalis relinquit liberum, non poteſt Epiſcopus particularis in ſua Eccleſia facere præceptum, niſi in ea Eccleſia ſit pecularis ratio, alioquin facilè fieret, ut nimium gravarentur ſubditi, ſi non ſolùm Pontifex, ſed etiam ſinguli Epiſcopi poſſent onera perpetua imponere. Et quia omnes ordines deſcendunt a Summo Pontifice in totam Eccleſiam. Ergo ad illum ſolum pertinet diſponere de functionibus, & obligationibus, quæ ratione Ordinis imponuntur. Et tandem quia alioquin non poſſet ſervari uniformitas, quæ tamen multum facit ad Eccleſiæ decus, & unionem. Hinc etiam fit, ut Epiſcopus non poſſit ſtatuere de ætate, vel temporibus ordinationum.

4 Unde licèt olim habentes ſimplex beneficium Eccleſticum, tenebantur ad reſidentiam *cap. final. de reſcript. in 6.* Gloſs. *in Extrav. execrabilis de præbend. & in Extravag.* Joannis XXII. *v. Eccleſiaſtica*, Sbrot. *de ver. & perfect. Cleric. lib. 2. cap.* 44. Pariſ. *de reſignat. lib. 1. q.* 10. *num. 36. & 66.* cum adductis a Garz. *de benef. p. 3. cap. 1. num.* 5. Ex generali tamen Eccleſiæ conſuetudine beneficia ſimplicia reſidentiam non requirunt, Sbrot. *loc. cit. num.* 2. Rebuff. *in prax. tit. de diſpenſat. de non reſiden. num.* 2. Hojeda *de incompatib. benef. cap.* 17. *num.* 25. Mandoſ. *ſuper reg. 1. Cancellar. q.* 14. *num.* 8. Rota *deciſ.* 482. *num. 2. par. 1. diverſ.* Cælar de Graſs. *deciſ.* 115. *num.* 3. Garzia, & Pariſius locis citatis, ubi quamplures alii.

5 Et ad hujuſmodi conſuetudinem cenſeo reſpexiſſe Sanctum Carolum Borromæum, qui in Synodo Mediolani ſecunda *tit. 2. quæ ad Miſs. divin. offic. &c. decr.* 28. ita decrevit: *Curet Epiſcopus, ut qui Clerici certæ Eccleſiæ miniſterio adſcripti non ſunt, ii Dominicis, feſtiſque ſingulis diebus in Parochiali Eccleſia, in cujus finibus quiſque eorum habitat, Eccleſiaſticum beneficium obtinet, quod reſidentiam non requirit, aut in ea, quæ Epiſcopo videbitur Rectori operam, atque adjumentum navent ad divina officia celebranda.* Et ex Concilio Mediolanenſi tertio *cap. de iis, quæ par. ad Ordin. Sacramen. §. quod altera* ſic ſtatuit: *Quod altera Provinciali Synodo decretum eſt, ut Clerici certæ Eccleſiæ miniſterio non addicti feſtis diebus in Parochialem Eccleſiam, in aliamve Epiſcopi arbitratu conveniant ad divina officia celebranda, id præſtent omnes diligenter, etiam qui Sacerdotes ſunt, idque tum maximè in ſolemnis Miſſæ Sacro, itidemque in Veſperarum officio.*

6 Nec obſtat, quod ex actibus facultativis non reſultat conſuetudo. Tum quia id procedit, quando non agitur de favore Eccleſiæ, & augmento divini cultus: Rota *deciſ.* 365. *num.* 5. *p. 2. recent.* Adden. *ad deciſ. Gregor.* 162. Tum etiam quia dato, quod conſuetudo habuiſſet initium voluntarium, fuit tamen redacta ad neceſſitatem, ex qua tranſivit in legem propter decretorum Synodalium, ac diuturnæ obſervationis concurſum, quæ facit, quod iſtis Clericis, & Sacerdotibus dicatur inhærere hoc onus, cum quo cenſetur ordines ſuſcepiſſe & ad illud ſe obligaſſe, Albert. Ferrar. *loc. cit. num.* 53. ac Rota *d. deciſ.* 365. *num.* 6.

7 Et acceptatio expreſſa Conſtitutionis Synodalis tollit omnem dubitationem. Nam eſto, quod jus commune iſtis Clericis, atque Sacerdotibus aſſiſteret, nihilominus cùm reſpiciat privatum favorem ipſorum, illi renunciare potuerunt, itaut acceptando hanc Conſtitutionem ſibi præjudicaverint, ut poſt Archid. *in can. certè* 12. *qu.* 1. & Gemin. in *can. placuit col. penult. d.* 32. tradit Monet. *de diſtrib. p. 2. q.* 13. *num.* 14.

8 Modum autem alternatim pſallendi in ſuam Eccleſiam Antiochenam primus introduxit S. Ignatius, unde ſenſim in totum Orientem dimanavit. Cauſam dedit viſio quædam cœleſtis, in qua Angelos, Sanctam Trinitatem alternis vocibus collaudantes audivit, teſte Socrate *lib. 6. hiſtor. cap.* 8. In Occidente verò primus Sanctus Ambroſius eandem rationem in ſua Eccleſia inſtituit, teſte Iſidoro *lib. 1. de offic. Eccleſ. cap.* 7. quem reliquæ Occidentis Eccleſiæ ſunt ſequutæ, antea omnes ſimul canebant, nec erant in choros diſtincti.

CONSULTATIO CXXXIV.

An, & quatenus Parocho in ſua juriſdictione Parochiali danda ſit manutentio?

Eccleſia, Hoſpitale, Societas ſæcularis &c. ſi habet 1
intentionem fundatam ſuper exemptione ſibi a Summis Pontificibus privilegio conceſſa, & vigore prædictæ exemptionis non ſolùm fuerit privilegiatus locus, ſed etiam perſonæ ac fuerit etiam conceſſa exemptio ab omnimoda Ordinarii juriſdictione, clarè ſequitur quoad Curam animarum, & Sacramentorum adminiſtrationem nihil prætendere poſſe Parochum, licèt Eccleſia, Hoſpitale &c. intra fines ejus Parochiæ ſint, ut in hac ſpecie firmat Rota in Romana exemptionis 22. Aprilis 1640. coram Carillo. Nam aſſiſtentia juris non prodeſt Parocho, dum Eccleſia, Hoſpitale &c. antiquiſſimam probat poſſeſſionem, Rota *deciſ.* 685. *num. 2. p. 1. recent.* Add. ad Gregor. *deciſ.* 312. *num.* 4. & apud Poſth. *de manut. deciſ.* 200. *num.* 24. ubi quod in his caſibus debeat denegari manutentio alleganti ſolam juris aſſiſtentiam, & illa danda ſit habenti præſcriptionem, & privilegium exemptionis ex latè deductis ab eodem Poſth. *obſerv.* 44. *num.* 23. cum pluribus *ſeqq.*

Privilegium enim exemptionis, quando eſt clarum 2
tollit omninò juriſdictionem Ordinario, multoque magis Parocho inferiori, ut ſusè Rota in Montis Caſini juriſdictionis 27. Maji 1651. *§. eſſe autem* coram Bichio. Per exemptionem enim a Summo Pontifice conceſſam, locus redditur ſeparatus a Parochia, vel Diœceſi, licèt exiſtat intra ejus limites, Rota coram Martin. Andrea *deciſ.* 54. *num.* 1. *& ſeqq.* & in Beneventana juriſdictionis 13. Maji 1652. *§. maximè quia* coram Zarate, confirmata 27. Januarii 1653. *§. ſiquidem* coram eodem.

Ceſſaretque omnis difficultas, ſi ex juratis, & authen- 3
ticis atteſtationibus factis a Viris ſenioribus, conſtet, curam animarum in dicta Eccleſia, hoſpitali, &c. ſemper fuiſſe exercitatam per Capellanos dictæ Eccleſiæ, hoſpitalis, &c. nunquam contradicentibus Parochis, cum etiam, circumſcripto privilegio exemptionis, jura Parochialia contra proprium Parochum ab alio ex conſuetudine præſcribi poſſint, *cap. cùm contingat, & cap. cùm in tua*, ubi Gloſs. *v. de antiquo decim.* Rota in Novarienſi Decimarum 1. Decembris 1634. coram Cardinali Veroſpio, & in Tarentina vigeſimæ 16. Aprilis 1638. propè finem coram eodem. Unde multò magis, concurrente privilegio, ut docet in terminis Vitalin. *in Clem. quia contingit num.* 22. *& ſeqq. de relig. domib.* & Gratian. *dicept.* 865. *num.* 9. *&* 10.

Et in ſpecie, quod cura animarum, poteſtas admi- 4
niſtrandi Sacramenta, abſolvendi a peccatis, & hujuſmodi alia, poſſint præſcribi adverſus Parochum, firmat Gloſs. in *d. Clem. Quia contingit §. Cæterum v. Parochialis*, ibique Ancharan. *num.* 17. & 18. Imol. *num.* 20. Cardin. *num.* 3. & tradit Genuen. *in prax. Archiepiſcopal. Neapol. cap.* 61. *num.* 2. cum aliis copiosè congeſtis a Gratiano *diſcept.* 492. *num.* 2. *cum ſeqq.* Præcipuè ſi non ſolùm concurrat lapſus quadraginta annorum, ſed temporis immemorabilis, quo in caſu jura Eccleſiæ, & Hoſpitalis &c. manere debent inconcuſſa, itaut Parochus nullam movere poſſit controverſiam circa curam animarum, ut concludit Genuen. *loc. citat. numero* 1. & 2.

Eoque magis, ſi in dicta Eccleſia, hoſpitali &c. ab 5
immemorabili ſemper extiterit fons baptiſmalis, adminiſtratum fuerit baptiſmi Sacramentum, aſſervata Euchariſtia, Sacrum Oleum infirmorum quotannis receptum a Cathedrali, non autem ab Eccleſia Parochiali, ex quibus non ſolùm præſcriptio fuerit completa, dum Parochus non reclamavit, ex traditis a Sperello *deciſ.* 121. *num.* 74. *& ſeqq.* ſed etiam exemptio, a Pontifice conceſſa, fuerit plenè exequutioni demandata, cujus virtute Eccleſia, hoſpitale &c. non ſolùm remanſit exemptum a juriſdictione Ordinarii, ſed etiam cujuſcunque alterius inferioris, & ſubjecta dumtaxat Sedi Apoſtolicæ, qua de re extant deciſiones apud Seraph. *dec.* 1025. *num.* 5. & in Roſſanenſi exemptionis 20. Aprilis 1640. coram Carillo, confirmata 22. Junii ejuſdem anni coram eodem, & in d. Montis Caſinenſis juriſdictionis 27. Martii 1651. coram Bichio, ſæpequè alibi.

CON-

CONSULTATIO CXXXV.

An Epiſcopus ingerere ſe poſſit in cognitionem cauſarum laicorum, ſuper contractibus inter ipſos initis ex eo, quod in illis appoſitum ſit juramentum?

1 IN hanc rem extat in primo tomo noſtra conſultatio, in qua fusè quidem ſententiam affirmativam probavimus eamque tandem prudentia temperavimus. Nunc autem accuratius re examinata, non per præſtigia, ſed palam edicimus, non poſſe. Nam ita decernit Innocentius Tertius in *cap. licet non ſuſcepto*; & *cap. ex tenore de foro competenti*, & Alexander Tertius *in cap. Cauſam ſecunda, qui fil. ſint legit.*

2 Non obſtat, quod hujuſmodi cognitio inter laicos etiam ad Epiſcopum cumulativè pertineat ex eo, quod in contractu fuerit appoſitum juramentum, per Text. *in cap. fin. de for. competent. in 6.* & in *cap. licet mulieres de jurejuran.* etiam *in 6.*

3 Nam adhuc aſſerendum eſt, hujuſmodi cognitionem ad ſolùm Judicem laicum ſpectare, non autem ad Epiſcopum. Primò, quia ubi agitur inter laicos, tunc ad favorem Judicis laici pugnat adducta juris communis diſpoſitio, quæ non limitatur ex juramento appoſito in contractu, cùm hujuſmodi limitatio nulli prorſus canoni innitatur. Non quidem *d. cap. licet mulieres*. Quia tantùm abeſt, quod in eo decernatur hæc limitatio, ut potius confirmetur juriſdictio Judicis laici contra laicum ſuper contractu jurato, cùm ibi Pontifex non reſcribat Judici Eccleſiaſtico, ſive Ordinario, ut ipſe cauſam contra laicum cognoſcat, & decidat, ſed potius abſolutam cognitionem Judici laico demandat, & Ordinario nihil aliud relinquit, niſi ut Judicem laicum compellat, ut in judicando in cauſa juramenti non leges civiles ſed jus canonicum ſervet. Unde hic Textus contra Epiſcopum retorquetur.

4 Minus obſtat Textus *in cap. fin. de foro compet.* Nam loquitur in caſu, in quo quis contra juramentum, a ſe præſtitum, temerè veniebat, ut manifeſtè liquet ex verbis illis: *contra juramentum a ſe præſtitum temerè venientem*, atque ita locum non habet in caſu, in quo laicus non venit temerè contra juramentum, a ſe præſtitum, nec illud temerè impugnat.

5 Eoque minus obſtat, cùm ibi agatur de perſona Eccleſiaſtica, quæ pro laico interceſſerat, ut patet ex ejus lectione, & advertit, atque comprobat Igneus *in recept. l. neceſſarios §. non alias num.* 511. *ff. ad Senat. Conſultat. Syllanian.*

6 Sicque nulla lege, nulloque canone diſpoſitum eſt, quod propter juramentum cauſa inter laicos in foro Eccleſiaſtico poſſit cognoſci, ſed potius contrarium ſancitur. Unde dicendum, tunc demum in eo foro cognoſcendam eſſe, ſi agatur cum perſona Eccleſiaſtica, quæ cum juramento promiſerit, ut declarat Seraphin. *de privileg. juram. privil. 86. num.* 4. Gomeſ. *in §. Item ſi quis poſtulante num. 8. in fin. Inſtit. de act.*

7 Vel ſi ageretur de juramento præſtito ab aliquo Principe nullum recognoſcente Superiorem: Tunc enim ſolus Summus Pontifex, & ab eo delegatus cauſam cognoſcere poterit, ut tradit Barboſ. *in cap. novit, num. 60. de judic.*

8 At ſecus quando agitur inter merè privatos, & inter laicos, & ad præſtandum ea, quæ in diſpoſitione jurata promiſſa fuerunt. Tunc enim ſolus Judex laicus eſt competens, & cauſæ cognitio ad ipſum tantummodo pertinet, cùm ex juramento non fit mutatio, & cumulatio fori, ut in ſpecie diſtinguit, & comprobat Niger *de laudem. tom. 1. quæſt. 17. art. 2. num. 87.*

9 Quare non refragantur Doctores, aſſerentes cauſam propter juramentum effici de jure canonico, longeque inter ſe differunt cauſam eſſe de jure canonico, & de foro Eccleſiaſtico, cùm poſſit eſſe de jure canonico, quod ſcilicet ea ſit decidenda juxta Canones, & tamen non cognoſcatur coram Judice Eccleſiaſtico, ſed coram laico, ut optimè in his terminis explicat Seraphin. *dict. privileg. 86. num.* 4.

10 Neque etiam refragatur, quod cauſæ cognitio ad Epiſcopum pertineat, ſaltem quando quis agit vigore inſtrumenti obligatione Camerali vallati ex Zacch. *de obligation. Camer. quæſt. 7 n.* 5. Nam ſufficit reſponſio, quod Zachias nulla prorſus legis authoritate ſuffultus eſt, nullumque Authorem allegat, ſicque de ipſo nullatenus curandum eſt juxta Textum *in l. Illam 19.* ibi: *Eo quod nulla Conſtitutio ſuper hujuſmodi collatione poſita eſſet, C. de collat.* Berous *conſ. 3. n. 22. vol. 3.* Cyriac. *contr. 248. n. 17. tom. 2.* Monach. *dec. Bononien. 40. punct. 4. n. 14.* ubi tanquam effatum ſomniantis ait reputari.

Eoque minus, cùm obiter tantùm loquatur, ut per Altograd. *conſ. 22. num. 37. lib. 1.* & *conſ. 37. num. 56. lib. 2.* Surd. *deciſ. 238. num.* 8. Monach. *loc. cit. num. 30.* & Rota in Romana legitimæ 27. Novembris 1617. coram Sacrato *in fine*. Nec firmiter id aſſerat, ſed dubitanter, & ſolùm ita ſentire debet quoad Clericos, non autem quoad laicos, ut conſtat ex verbis illis, *Quicquid ſit quoad laicos*. 11

Quæ ſanè fortiora redduntur ex Conſtitutione 285. Pauli Quinti, in qua cognitio obligationis Cameralis non demandatur Epiſcopo, ſed Auditori Cameræ. Eoque magis conſiderandum eſt, quod ſi cauſæ, in quibus apponitur juramentum, & Cameralis obligatio cognoſci poſſent coram Epiſcopo, ſequeretur abſurdum, quod actum eſſet de juriſdictione Judicis laici, cùm in omnibus contractibus juramentum, aut obligatio Cameralis paſſim adjiciatur, & ſic ad dignoſcendum ad quem cauſa pertineat, ipſa tantùm ſubſtantia contractus, non autem accidentalia, & actus conſequutivi, ſive clauſulæ, reſpicienda ſunt. 12

Deinde, & eo faciliùs id aſſerendum eſt, ſi ad Domini loci favorem præter juris communis diſpoſitionem, militet etiam Sedis Apoſtolicæ privilegium, in quo expreſsè inhibetur Cameræ Apoſtolicæ, & quibuſcunque Gubernatoribus, legatis, & aliis ejuſdem ſedis deputatis, ne ullam in dicto loco juriſdictionem exerceant. Unde cùm non agatur de Sacramentis, neque de reſpicientibus ſacros Ordines, neque de aliis rebus ſpiritualibus, ſed de contractibus inter laicos, juriſdictio Domini loci cenſetur conceſſa non cumulativè, ſed privativè quoad Epiſcopum, cùm eam abdicaverit a quibuſcunque etiam legatis, & ſic a majoribus, ut præclare Ferret. *conſ. 142. numer. 15. lib. 1.* Adden. ad Roman. *conſult. 94. verſ. non obſtat*, & Rota in Montis Regalis juriſdictionis 27. Novembris 1606. coram Coccino. 13

Quod privilegium comprobaretur ex ſubſequuta obſervatione, ſi nunquam hujuſmodi cauſas Epiſcopi cognoverint, ſed eas ſoli Domini loci; eorumque Judices privativè quoad omnes judicaverint. Quæ quidem longiſſima obſervatio ſufficeret, etiamſi eſſet contra veram diſpoſitionis intelligentiam, ut per Honded. *conſ. 35. n. 45. vol. 2.* Becc. *conſ. 109. num. 49. lib. 1.* Monach. *deciſ. Florentin. 28. num. 20.* & *ſeqq.* Larr. *deciſ. 45. num. 24.* ac Rota *deciſ. 608. num. 6. part. 2. recent.* & de Apoſtolico privilegio, & antiquiſſima præſcriptione, ait Ricius inter reſponſiones Caroli Marantæ *reſponſ. 40. num. 68. Et ſequent. tom. 3.* 14

Quare cognitionem hujuſmodi cauſarum ad Judicem laicum, non autem ad Epiſcopum pertinere ex antiquiſſima conſuetudine, ac præſcriptione abundè tradit Ferret. *dict. conſult. 142. numer. 13. lib. 1.* Valenzuol. *conſ. 48. num. 33. lib. 1.* ac Rota *deciſ. 577. numer. 9. Et 10. part. 5. recent. tom. 2.* & videtur cenſuiſſe Sacra Congregatio in fine citatæ noſtræ conſultationis, ut ſi nunquam Epiſcopi in eas ſe immiſerint, nullumque actum juriſdictionis in illis exercuerint. Quod oſtendere debent, ſi revera in eis judicaverint, cùm acta penes ipſos, ac ſuos Notarios aſſerventur, eaque facillimè exhibere poſſint Soccin. ſen. *conſult. 159. numer. 18. Et conſult. 190. numer. 4. vol. 2. Et conſult. 92. numer. 12. vol. 4.* 15

CONSULTATIO CXXXVI.

An Epiſcopus poſſit Epiſcopum excommunicatione percellere pro prætenſa defenſione ſui juris dubii? Ubi de Relationibus, & appellationibus ad Romanam Eccleſiam, earumque antiquitate, & uſu in Oriente, & Occidente. Quid in caſu certo perturbatæ ſuæ juriſdictionis?

AD primum reſpondeo, non poſſe. Nulla enim lex, nullus Canon id ait. Non enim poteſt facere ſe Judicem, ſed cauſa eſt Summo Pontifici reſervata trino Sacri Concilii Tridentini decreto. Primò, in *cap. 6. ſeſſ. 13.* quo ſtatuitur, ut Epiſcopus non poſſit a quoquam citari, aut moneri, ut perſonaliter compareat, niſi ob cauſam, ex qua deponendus, ſive privandus eſſet. Si igitur Concilium voluit, quod Epiſcopus non poſſit, ne citari quidem, aut moneri, ut perſonaliter compareat circa dictam cauſam, etiam per quoſcunque Epiſcopo Superiores, quanto magis cenſendum eſt voluiſſe, quod non poſſit a ſimplici Epiſcopo excommunicari pro ſimplici prætenſo ſuo jure. 1

Secundò, in *cap. 5. ſeſſ. 24.* quo cavetur, ut cauſæ criminales contra Epiſcopos, ab ipſo tantùm Summo Pontifice Romano cognoſcantur, ac terminentur, 2

& ſi extra Romanam Curiam ſint committendæ, non committantur aliis, quàm Metropolitanis, aut Epiſcopis, a Summo Pontifice eligendis per reſcriptum manu Sanctitatis ſuæ ſignatum, nec aliter, quàm ut ſolam facti inſtructionem ſumant, proceſſumque conficiant, quem ſtatim Romano Pontifici tranſmittant; reſervata eidem ſententia definitiva. Si autem Concilium reſervat cauſas criminales Epiſcoporum Summo Pontifici, nec vult, quod committantur Metropolitanis, aut Epiſcopis, niſi uſque ad ſententiam excluſivè, quantò minus cenſendum eſt, voluiſſe, quod Epiſcopus poſſit contra Epiſcopum, etiam propria authoritate procedere, eumque excommunicare ex jure ſolùm prætenſo? Unde licèt de jure antea Epiſcoporum cauſæ a Metropolitano poterant cognoſci, tamen non poterant terminari *can. quamvis quæſt. 6.*

3 Hoc autem decreto primò ampliatur *cap. 8. ſeſſ. 13.* ubi datur regula, in quibus caſibus Epiſcopus eſſet citandus ad perſonaliter comparendum, hìc verò cui committenda cauſa criminalis, & de qualitatibus, & facultatibus Commiſſionis. Secundò, ibi certa aliàs confirmantur decreta tàm *d. cap. 6.* quàm Concilii Lateranenſis *cap. qualiter, & quando de accuſat.* Tertiò, datur facultas Concilio Provinciali cognoſcendi, ac terminandi minores cauſas contra Epiſcopos, idque procedit, quando Epiſcopi deponendi, vel privandi non eſſent. Quænam verò ſit depoſitio, quomodo differat a ſuſpenſione, differentia inter ſuſpenſionem, & privationem colligitur ex *cap. Et ſi Cleric. de jud.* ubi Doctores. Tertiò, *in cap. 20.* ejuſdem *ſeſſ. 24* quo a cauſis per Epiſcopos cognoſcendis excipiuntur cauſæ, quæ juxta canonicas Sanctiones apud Sedem Apoſtolicam ſunt tractandæ.

4 Quod autem cauſæ criminales Epiſcoporum, abſtrahendo a turbata juriſdictione, & a delicto in aliena Diœceſi commiſſo, de quo infra pertractandæ ſint apud Sedem Apoſtolicam, extant literæ Vigilii Papæ ad Eutherium *epiſtol. 2.* qui ſic ait: *ad Eccleſiam Romanam tàm ſumma Epiſcoporum negotia, & judicia, atque querelæ, quàm & majores Eccleſiarum quæſtiones, quaſi ad caput referendæ ſunt.* Et Joannes Octavus ad Epiſcopum Arelatenſem *ep. 93.* ſcribit: *Si qua inquiſitio de fide, vel fortaſſe aliarum rerum inter Epiſcopos cauſa emerſerit, quæ diſcerni difficilius poſſit &c. ad noſtrum Judicium referatur.* Itemque Sanctus Leo *epiſtol. 82.* ad Anaſtaſium inquit: *Si forte inter ipſos, qui præſunt, de majoribus peccatis cauſa naſcatur, ad noſtram cognitionem, quicquid illud eſt, transferatur.* Unde etiam Valentinianus Imperator *epiſt.* ad Theodoſium, relata in Concilio Chalcedonenſi *part. 1.* ita loquitur: *Beatiſſimus Romanæ Civitatis Epiſcopus, cui Principatum Sacerdotii ſuper omnes Antiquitas contulit, locum habet, ac facultatem de fide, & Sacerdotibus judicandi.*

5 Idque adeò verum eſt, ut Sanctus Zephyrinus Papa, etiam Patriarchis, Primatibus, ac Metropolitanis interdicat, ne cauſas Epiſcoporum cognoſcerent, neve adverſus Epiſcopum ferant ſententiam, niſi Apoſtolica authoritate ſufulti, Breviar. Roman. 26. Auguſti, cautumque habetur antiquiſſimis canonibus, ne Epiſcopus Epiſcopum excommunicare præſumat. Ita Sixtus I. *epiſt. ad omnes Epiſcopos*, Sixtus II. *epiſt. ad Epiſcopos Hiſpanos*, & Julius I. *epiſt. 1. ad Orientales Epiſcopos cap. 8.* Non refragante Epiphanio, quod excommunicationem Joanni Patriarchæ Hieroſolymitano comminetur, eo quod Origeniſtarum hæreſi faveret, ex quo infertur, quemlibet Epiſcopum, ubi cauſa communis eſt, & agitur, præſertim de hæreſi, in quemcunque, etiam ſummum, ex officio, ac propria Epiſcopali authoritate agere debere, Nam Epiphanius cum Joanne vel de excommunicatione non agit; ſed a ſua tantùm communione ſeipſum ſeparaturum minatur, ſi Origeniſtarum patrocinium non deſerat, vel ab Eccleſia excommunicandum monet.

6 Quinimmò ita abhorruit ab antiqua Eccleſiæ diſciplina, ut cauſæ Epiſcoporum poſſent a particularibus Epiſcopis judicari, ut etiam ante Apoſtolicam reſervationem non poſſent judicari, niſi a Conciliis Provincialibus. Siquidem Concilium Carthaginenſe primum *cap. 11.* & ſecundum *cap. 10.* Cauſas Epiſcoporum duodecim Epiſcopis judicandas committit. Quod & poſtea decretum fuit a Leone IV. *epiſt. 2.* ad Epiſcopos Britanniæ, & a Joanne Octavo *epiſtol. 93.* ad Epiſcopum Arelatenſem, & Innocentius Tertius *epiſtol. 2. ad Vict. capit. 3.* in hæc verba: *Si majores cauſæ fuerint in medium devolutæ, ad Sedem Apoſtolicam, ſicut Synodus ſtatuit, & beata conſuetudo exigit, poſt judicium Epiſcoporum referantur.*

7 Et ſanè in Eccleſia duorum generum cauſis Relationum, vel Conſultationum uſus erat accommodatus. Aut in iis, quæ fidei controverſiæ, aut in iis, quæ dubiæ diſciplinæ capita reſpiciebant. Relationum autem recipiendarum jus in Eccleſia, ſummarum Sedium Antiſtibus competebat. Id docet egregiè Hieronymus *epiſt. 61.* ex qua diſcimus, Epiſcopos, aut Metropolitanis ſuis, aut Patriarchis, ſi de fide ageretur, referre debuiſſe. Etenim cùm Joannes Hieroſolymorum Epiſcopus, qui quidem de Origenis erroribus, quos plurimi velut redivivos amplectebantur in Palæſtina, ad Theophylum Alexandriæ Archiepiſcopum ſcripſiſſet, Hieronymus graviter expoſtulavit, eo ſolùm nomine, quod ad Cæſareæ Metropolitanum, vel Antiochiæ, quæ ſecundùm Nicenos Canones Metropolis erat Orientis, ac proinde Palæſtinæ, referre debuiſſet. Itaque ex eo colligitur, evidentiſſimè jura relationum deberi Patriarchis.

Cæterùm quia præ aliis Romana ſedes principatu quo- 8
dam vigebat, hinc factum, ut Orientis, & Occidentis Synodicæ Conſultationes ad Romanum Pontificem mitterentur, teſte locupletiſſimo Hieronymo, qui ſe apud Damaſum iis reſpondendis operam navaſſe, profitetur in Epiſtola ad Ageruchiam. Hinc eſt, quod Cyrillus Alexandrinus, cùm Neſtorium crebrioribus litteris ad ſaniorem mentem hortatus eſſet, perfidia hæretici illius in dies erumpente, rem omnem ad Cœleſtinum *ex more Eccleſiarum* retulerit, ut ipſe tanto morbo, qui in Eccleſia graſſabatur, conjunctis viribus pro dignitate loci ſui mederetur. Hoc teſtatur ipſe Cyrillus Cœleſtino: *longa Eccleſiarum conſuetudo ſuadet, ut ejuſmodi res ſanctitati tuæ communicentur.* Relatione facta Cœleſtinus Synodo Romæ coacta, non ſolùm de fidei capitibus decernit, ſed etiam ipſum Neſtorium hæreſeos authorem a communione ſua, & ab Eccleſia Conſtantinopolitana dejicit, niſi intra decem dies nefariam doctrinam conceptis verbis anathematizet, & Cyrillo dat in mandatis, ut Romanæ Sedis Authoritate adſcita, & Cœleſtini *vice, ac loco cum poteſtate ujus ſententiam iſtam exequatur, & illi Eccleſiæ proſpiciat.* Hoc Cœleſtini Judicium probatum eſt a Concilio Epheſino, quod damnationis ſententiam in Neſtorium, trinis litteris evocatum ad Synodum, & judicio ſe ſiſtere recuſantem, protulit quidem, ſed ad eam ſententiæ ferendam coactos ſe fatentur Patres in ſuæ ſententiæ periculo, & a Sacris Canonibus, ſcilicet ob contumaciam Neſtorii, quæ Canonibus plectitur, & ab Epiſtola ſanctiſſimi Epiſcopi Cœleſtini, qui Neſtorium Sacerdotio privaret ad relationem Cyrilli. Quare Juſtinianus legitimè, & ex ordine loquitur, cùm omnia, quæ ad ſtatum, & unitatem Eccleſiarum pertinent, referri a ſe ad Beatitudinem Papæ veteris Romæ ſcripſit, quod ſit caput omnium Domini Sacerdotum. Ejus verba hæc ſunt in *lib. 7. C. de Summ. Trinitat. In omnibus ſervato ſtatu unitatis Sanctiſſimarum Eccleſiarum cum ipſo Sanctiſſimo Papa veteris Romæ, ad quem ſimilia hiſce perſcripſimus. Nec enim patimur, ut quicquam eorum, quæ ad Eccleſiaſticum ſpectant ſtatum, non etiam ad ejuſdem referatur Beatitudinem, cùm ea ſit caput omnium Sanctiſſimorum Dei Sacerdotum.*

Idipſum obſervatum in Occidentis Provinciis, in qui- 9
bus relationes ad Sedem Apoſtolicam in cauſis fidei mittebantur, ut de integro cognitione habita, quod a Synodis judicatum erat, illius ſedis decreto firmaretur. Damnata Pelagii, & Cœleſtini hæreſi, Concilium Milevitanum, & Carthaginenſe ad Innocentium retulerunt. Sed quo fine ex eorum verbis addiſcimus. Ita enim ajunt Milevitani Concilii Patres *epiſtola ad Innocentium: Hoc itaque geſtum, Domine frater, ſummæ charitati tuæ intimandum auximus, ut ſtatutis noſtræ mediocritatis etiam Apoſtolicæ Sedis adhiberetur authoritas.*

De Relationibus utriuſque Concilii & Carthaginen- 10
ſis, & Milevitani cognitio habita eſt in Synodo Romana ab Innocentio, qui Julium Epiſcopum Aurelio Epiſcopo Carthaginenſi *reſtituit, cum Apoſtolicæ Sedis ad Relationem duplicis Synodi judicatis*, ut ex Innocentii Epiſtola ad Aurelium. Rectè, & ex ordine judiciorum Relationem vocat, ſynodicam Epiſtolam ad ſe miſſam. Qua dictione etiam utitur in Epiſtola ad Aurelium, & Auguſtinum *epiſtola 91. & 96.* inter Epiſtolas Auguſtini: *Veſtris*, inquit, *Relationibus reſpondentes reſcripſimus.* Et in literis ad Concilium Milevitanum datis: *Fiant enim neceſſe eſt cautiores, cùm inventores malorum ad duplicis relationem Synodi, ſententiæ noſtræ Statutis viderint ab Eccleſiaſtica communione ſejunctos.*

Jus iſtud Relationum Sedi Apoſtolicæ, & ex antiqua 11
conſuetudine, & è Canonibus ſibi vindicavit Innocentius ea Epiſtola, quam iis verbis conceptam obſerva-

vit

vit Auguſtinus *ep.* 106. quæ Sedis Apoſtolicæ Sacerdotem decebant. Cujus Epiſtolæ ad Concilium Milevitanum datæ ſententia eò tendit, ut doceat antiquam eſſe regulam, ut de rebus dubiis, præſertim ſi de fide agatur, ex omnibus provinciis ad Romanam Eccleſiam referatur, ut quæ ſequenda ſint omnibus Eccleſiis promantur. *Diligenter*, inquit Innocentius apud Auguſtinum *epiſt.* 91. *Et congruè Apoſtolici conſulitis honoris arcana, honoris inquam illius, quem præter illa, quæ ſunt extrinſecus, ſollicitudo manet omnium Eccleſiarum, ſuper anxiis rebus, quæ ſit tenenda ſententia, antiquam ſcilicet regulam ſequuti, quam toto ſemper orbe mecum noſtis eſſe ſervatam. Neque enim hoc veſtram credo latere prudentiam, qui id etiam actione firmaſtis, ſcientes, quod per omnes Provincias de Apoſtolico fonte petentibus reſponſa ſemper emanent, præſertim quoties fidei ratio ventilatur, arbitror omnes fratres, & Coepiſcopos noſtros nonniſi ad Petrum, ideſt ſui nominis, & honoris auctorem referre debere, velut nunc retulit dilectio veſtra, quod per totum Mundum profit Eccleſiis omnibus.* Et infra : *Gemino igitur bono Charitas veſtra fungitur. Nam & Canonum potietur gratia ſervatorum, & beneficio veſtro totus Orbis tutabitur.*

12 Et Epiſtola, qua ad Concilium Carthaginenſe reſcripſit, jus iſtud Relationum ab antiqua traditione, ab Eccleſiaſtica diſciplina, & a Patrum inſtitutis divina ſententia decretis apertiſſimè repetit. *Antiquæ*, ait *Traditionis exempla ſervantes, & Eccleſiaſticæ memores Diſciplinæ, noſtræ religionis vigorem non minus nunc in Conſulendo, quam antea cùm pronunciaretis, veneratione firmatis, qui ad noſtrum Referendum approbaſtis eſſe judicium, ſcientes quid Apoſtolicæ Sedi debeatur, cùm omnes hoc loco poſiti, ipſum ſequi deſideremus Apoſtolum, a quo Epiſcopatus, & tota authoritas nominis hujus emerſit. Quem ſequentes tàm mala jam damnare novimus, quàm probare laudanda, vel id vero, quòd Patrum inſtituta Sacerdotali officio cuſtodientes non cenſetis eſſe calcanda, quod illi non humana, ſed divina decrevere ſententia, ut quicquid, quamvis de diſjunctis remotiſque Provinciis ageretur, non prius ducere finiendum, niſi ad Sedis hujus notitiam perveniret, ut tota hujus authoritate, juſta quæ fuerit pronunciatio, firmetur*, verba illa indefinita : *Quicquid, quamvis de remotis Provinciis ageretur, non prius ducerent finiendum, quàm ad Sedis hujus notitiam perveniret*, ad omnes majores cauſas extendi debent.

13 Præter autem controverſias Fidei, de rebus dubiæ diſciplinæ ad fidem Apoſtolicam referebatur. Quia cùm Eccleſiæ Occidentis nondum aliquo Canone ſcripto tenerentur, ſed tota ratio Diſciplinæ conſuetudine, ac uſu quodam conſtaret, qui ſinceriùs in Eccleſia Romana ſervabatur, inde Sacræ politiæ forma velut a capite Inſtitutionum erat omninò repetenda. Quare cùm Himerius Taraconenſis Epiſcopus de quibuſdam Diſciplinæ articulis, qui Baptiſmum, Pœnitentiam, & Clericorum, Monachorumque officia contingebat, Syricium Pontificem conſuluiſſet, *ad Romanam Eccleſiam*, inquit ille epiſt. ad Himerium, *utpotè ad caput tui corporis Retuliſti* : Quibus verbis debitam ex officio Relationem eſſe ſignificat. Reſponſa verò non ante dedit Conſultationi Himerii, quàm in Conventu Fratrum ſollicitius Relatio lecta fuiſſet, ut omnia diligentius tractarentur.

14 Frequentiſſimus erat iſtarum Conſultationum uſus ſub Damaſo, ut tradit Hieronymus, & tempore Innocentii, qui Relationibus ab Epiſcopis Italiæ, Hiſpaniarum, & Illyrici miſſis reſpondit, & Conſultationibus Epiſcoporum Gallicanorum, ut patet ex literis datis ad Exuperium Toloſanum Epiſcopum. *Dilectio tua*, inquit, *Inſtitutum ſequuta prudentium ad Sedem Apoſtolicam Referre maluit, quid de rebus dubiis cuſtodire deberet quàm uſurpatione præſumpta, quæ ſibi viderentur, de ſingulis obtinere.*

15 Porrò Relationes iſtæ ad eum finem mittebantur, ut Synodis Provinciarum pateret, quod in re illa dubia, & controverſa, poſt reſponſum Apoſtolicæ Sedis ſequendum eſſet, tum in negotio, de quo emerſerat quæſtio, tum in ſimilibus ſpeciebus. Unde profectum eſt, ut decreta Pontificum, quæ in collectione Dionyſii continentur ad Relationes Epiſcoporum nunc generaliter de re dubia, nunc de ſpecie quadam propoſita conſtituta ſint. Qui mos etiam ſequentibus temporibus invaluit adeo, ut magna illa Decretalium moles è reſcriptis Pontificum ad varios Epiſcoporum Conſultationes ferè tota conſtet.

16 Et quidem ea invaluit conſuetudo ante Nicenum Concilium, ut ſi in dirimendis Clericorum contentionibus, dubitaretur de aliquo Eccleſiaſticæ regulæ capite, vel ratione habita perſonarum, vel rerum, Synodus Provinciæ ante vel poſt judicium redditum, Relationem ad Sedem Apoſtolicam mitteret, ut juſta ſententia illius Sedis authoritate firmaretur, vel exequutio injuſta ſuſpenderetur, quæ conſuetudo canone ſexto Niceni Concilii confirmata eſt. Quod ſummam in Judiciis reddendis Apoſtolicæ Sedis authoritatem evincit, ſine ullo appellationum adjumento.

Hujus rei probatio liquet, ſi verba illa Innocentii ſin- 17
cerè expendantur. Is enim epiſtol. ad Victricium Rothomagen. *cap.* 3. ſic ait: *Si quæ autem cauſæ, vel contentionis inter Clericos tàm ſuperioris Ordinis, quàm etiam inferioris fuerint exortæ, ut ſecundum Synodum Nicenam congregatis ejuſdem Provinciæ Epiſcopis jurgium terminetur, nec alicui liceat ſine præjudicio tamen Romanæ Eccleſiæ, cui debet in omnibus cauſis reverentia cuſtodiri, relictis his Sacerdotibus, qui in eadem Provincia Dei Eccleſiam nutu divino gubernant, ad alias convolare provincias. Si autem majores cauſæ in medio fuerint devolutæ, ad Sedem Apoſtolicam, ſicut Synodus ſtatuit, & vetus conſuetudo exigit, poſt judicium Epiſcopale referantur.*

Ex hoc Innocentii loco diſcimus, eam fuiſſe mentem 18
Synodi, cùm de judiciis Epiſcoporum, & reliquorum Clericorum decerneret, ut nullum fieret præjudicium Romanæ Eccleſiæ, & ei reverentiæ, quæ illi in omnibus cauſis debetur, reverentiam porrò illam in majorum cauſarum Relatione verſari. Si quis verò hunc Innocentii locum componat cum altero, qui ex Epiſtola ad Concilium Milevitanum jam prolatus eſt, inveniet, hos eſſe Canones, & hanc antiquam Regulam toto Orbe ſervatam, ut de rebus anxiis, quæ ſit ſequenda ſententia Sedes Romana conſulatur, ideſt in majoribus cauſis ex præſcripto Nicenæ Synodi, ac veteris Conſuetudinis ad eam Referatur. Hinc majores cauſæ pro anxiis, & dubiis ſunt accipiendæ, quinimmò Pelagius Papa *epiſt.* ad Joannem Conſtantinopolitanum Epiſcopum, Majores cauſas eas eſſe apud Innocentium interpretatur, quæ ſint difficiles: *Maiores verò, & difficiles quæſtiones, ut Sancta Synodus ſtatuit, & beata conſuetudo exigit, ad Sedem Apoſtolicam ſemper Referantur.* Quod vicem appellationis ſubibat, ſed formalis legum, ac diſceptationum forenſium anguſtiis reos non atterebat.

Et licèt Hincmaro Remenſi viſum ſit *ep.* 9. *cap.* 12. 19
de Synodo Sardicenſi, & de appellationibus Epiſcoporum gradu ſuo dejectorum agi apud Innocentium. *Beatus quoque Innocentius*, inquit, ad Victricium Rothomagenſem Epiſcopum *duo Capitula magni Concilii Niceni, & Capitulum Sardicenſis Concilii de Epiſcoporum ad Sedem Apoſtolicam Appellatione uno Capitulo ſagaciter, atque patenter explicat*, veteri tamen conſuetudini a Concilio Niceno firmatæ ſucceſſit Concilii Sardicenſis decretum, quo Appellationibus ad Romanam Eccleſiam modus quidam eſt præſcriptus. Quod apud Gallias a primis Eccleſiæ temporibus viguit hac in parte Romanæ Eccleſiæ authoritas, ut docet Leo primus in *ep.* ad Epiſcopos Provinciæ Viennenſis per hæc verba : *Nobiſcum itaque fraternitas veſtra recognoſcat, Apoſtolicam Sedem pro ſui Reverentia a veſtræ etiam Provinciæ Sacerdotibus innumeris Relationibus eſſe conſultam, & per diverſarum, quemadmodum vetus conſuetudo poſcebat, Appellationem cauſarum, aut retractata, aut confirmata fuiſſe judicia.*

Alia eſt Relationis ſpecies, qua Synodi generales ute- 20
bantur, ut rerum geſtarum ſeriem Apoſtolicæ Sedi per literas inſinuarent, quibus Romani Pontificis conſenſum, & exequendi curam petebant. Extant in eo genere officii Synodi Arelatenſis ad Sylveſtrum, & Sardicenſis ad Julium Epiſtolæ, item ſecundæ Synodi, & ſequentium Conciliorum. Unde patet eo propoſito miſſas, ut debita Sedi Apoſtolicæ reverentia, & authoritas ſervaretur. Quare Concilii Sardicenſis Patres Relationem illam ex officio deberi ſatis ſignificat his verbis : *Hoc enim optimum, & valdè congruentiſſimum eſſe videbitur, ſi ad caput, ideſt ad Petri Apoſtoli Sedem, de ſingulis quibuſcumque Provinciis Domini Referant Sacerdotes.*

Orientalium quoque Epiſcoporum Relationem Syno- 21
dicam de Apollinaris hæreſi ad ſe miſſam, ita Damaſus excepit, ac ſi debitum Sedi Apoſtolicæ munus exolviſſent, quod teſtantur Epiſtolæ Damaſi ad Orientales prima verba apud Theodoretum *lib.* 5. *cap.* 10. *Quod veſtra charitas debitam Sedi Apoſtolicæ reverentiam tribuit, vobis ipſis quoque maximo honori eſt.* Sed de conſenſu Romani Pontificis, qui rectè etiam apud veteres Confirmatio dicitur quatenus Neceſſarius eſſe cenſeretur, alibi dicendum eſt.

Ad ſecundum. Poteſt Epiſcopus contra Epiſcopum, 22
qui illius juriſdictionem de facto turbat, excommunicationem, aliaſque cenſuras validè, ac juſtè proferre, taleſque cenſentur, non ſolùm ex eo, quod pro illarum validitate, & juſtitia præſumitur *cap. ex parte cum* ibi notatis

tatis de *ver. signif.* Ricc. *in collect. decis.* 1748. itaut contrarium alleganti incumbat onus probandi, Seraphin. *decis.* 1164. Bellet. *disquis. Cleric. p.* 1. *tit. de favor. Cler. can. §.* 4. *n.* 17. Ledesm. *cap.* 4. sed etiam quia in hunc casum concurrunt illa tria præcipua requisita ad id necessaria, nimirum potestas excommunicantis, causa ex se gravis, & urgens, ac subjectio ex parte excommunicati.

23 De potestate autem Episcopi excommunicantis dubitari non potest. Perspicui namque juris est, quod Episcopi in suis Diœcesibus jure ordinario, proprioque officio hanc excommunicandi potestatem habeant *can. corripiantur* 24. *qu.* 3. *cap. transmissam* 15. *de elect.* ac Doctores in *cap. Cùm Ecclesiarum de offic. Ordin.* Joan. de Lignan *de censur. §.* 8. *n.* 1.

24 Causa legitima, & sufficiens est turbatio jurisdictionis, quæ utique censetur causa urgens, ac sufficiens ad hunc effectum, *cap. dilecto*, ibique Doctores *de sent. excomm.* Borgnin. *dec.* 28. *n.* 4. *p.* 1. Bellet. *loc. cit. n.* 29. Siquidem potest Episcopus pro defensione suæ jurisdictionis contra violenter eam turbantem prompto uti remedio excommunicationis, & spirituali gladio jura sua tueri *c. venerabilib. §. attamen*, ubi Doctores *de sent. excommunic.* ac Suarez *de censur. disp.* 2. *sect.* 4. *n.* 8.

25 Subjectio autem Episcopi excommunicati etiam concurrit, quia dum delinquit in Diœcesi ac jurisdictione alterius Episcopi, illam ei turbando, efficitur de illius jurisdictione delicti patrati, Abb. *in cap. cùm inferior n.* 1. *de major. & obed.* Anchar. *in Clem.* 1. *n.* 1. *de for. compet.* Alter. *de censur. disp.* 10. *lib.* 3. *cap.* 5. *n.* 1. Quo in casu non consideratur amplius, uti Episcopus, & exemptus ratione dignitatis, sed uti privata persona, & subjecta, *cap. a collatione de appell. in* 6. Panorm. *in cap.* 1. *n.* 12. *de raptor.* Sayr. *de censur. lib.* 1. *cap.* 5. *n.* 28. & Grat. *discept.* 393. *n.* 1. *& seqq.*

26 Atque ex his Episcopus licitè excommunicare potest Episcopum in sua jurisdictione delinquentem, quamvis sit in dignitate Episcopali constitutus, ut in specie Glossa *in can. Si quis Episcopi, v. dignitate d.* 92. Felin. *in d. cap. Cùm inferior n.* 2. ibique Abb. *n.* 1. ac Innoc. *de major. & obed.* & tradunt Decian. *cons.* 116. *n.* 17. *lib.* 3. Ugolin. *de censur. tab.* 1. *cap.* 12. *§.* 15. *n.* 3. Sayr. *ibid. n.* 27. *& seq.* Farin. *in fragm. par.* 2. *v. Judex n.* 973. Salas *de legib. disp.* 14. *sess.* 4. *nu.* 49. Cornejus *t.* 2. *in* 3. *par.* D. Thom. *tr.* 5. *de censur. in gener. disp.* 3. *n.* 1.

27 Immò etiam si penderet lis super jurisdictione, adhuc licet Episcopo contra turbantem suam jurisdictionem censuras proferre, Bellet. *ubi supra n.* 31. Ricciul. *de jur. person. lib.* 4. *cap.* 61. *n.* 2.

28 Nec obstat, quod ex S. Concilio Tridentino *sess.* 24. *cap.* 5. *de reform.* causæ Episcoporum sint Summo Pontifici referendæ, & coram ipso graviores, aliæ verò coram Metropolitano cognosci, ac terminari debeant. Tum quia Concilium Tridentinum nihil addidit juri Pontificio, cùm id de jure jam statutum erat *in cap. nec potest*, ibique Abb. *n.* 4. *& 8. de sentent. & re judic. & in cap. grave nimis n.* 4. *de præben.* Tum quia dum Concilium expressè non providit circa delictum commissum in aliena Diœcesi, illud non comprehendit *cap.* 1. *de privil. in* 6. Carleval. *de judic. disp.* 2. *n.* 717. *n.* 1. Carleval. *de judic. disp.* 2. *n.* 717. *n.* 1. Cancer. *var. resol. cap.* 1. *n.* 75. *de act. & oblig. t.* 2. Sed uti casus omissus remanet in dispositione juris *leg. Commodissimè ff. de liber. & postlum.* Tum etiam quia Concilium loquitur de illis causis, in quibus ex ordine procedi debet, ac terminari, ut infertur ex illis verbis *cognoscantur*, *& terminentur*, quæ sonant in judicialem cognitionem, & in causis, quæ indigent discussione juridica, prævio processu, citatione ad comparendum, & post alios actus judiciales per definitivam sententiam terminantur. Quapropter videtur S. Concilium voluisse dumtaxat subtrahere Episcopos a potestate Archiepiscoporum, ne contra ipsos procederent, prout ante Concilium faciebant, tanquam suffraganeorum Ordinarii, ut colligitur ex Zech. *de Republ. tit. de stat. Patriarch. n.* 4. *§. Archiepiscopus*, Quaranta *in Sum. Bullar. v. Archiepiscopi authoritas n.* 10. Non autem loquitur de illis causis, quæ sunt notorii facti, tela judiciaria non indigentes, ac de repellendo vim vi in actu manifestæ violentiæ, & in aliis casibus a jure permissis. Nam quoad hæc remansit in suo robore dispositio juris communis, cui Concilium non censetur derogasse. Non enim apponit clausulam derogatoriam juri communi, quod specialem, ac præcisam requirit mentionem, ac derogationem, Rota *dec.* 350. *n.* 29. *par.* 1. *novis.* sive post *collect.* Farinac. Et evitanda est juris correctio quoad fieri potest, Rot. *par.* 1. *diverf. dec.* 475. *n.* 2. Burat. *dec.* 211. *n.* 18. ubi Concilium vult derogari juri communi, id exprimit, Sanchez *lib.* 7. *cons. moral. cap.* 1. *dub.* 2. *vers. probatur*. Unde non comprehendit casum, in quo Episcopus non agit judicialiter, sed extrajudicialiter, ac uti pars pro defensione suæ jurisdictionis turbatæ ab Episcopo, ut facere potest, etiam absque ulla alia monitione, Dec. *in cap. irreprehensibilis de appell.* Felin. *in cap. Sacro de sent. excomm.* Jo. Andr. Gemin. & Franch. *in d. cap. dilecto eodem tit.* ubi etiam Barbos. *nu.* 6. Lap. *allegat.* 73. *n.* 3. Bellet. *loc. cit. n.* 29. ubi alii, Ricciul. *ibidem n.* 2. & 4. Sayr. *de cens. lib.* 1. *cap.* 12. *n.* 29. Sperel. *dec. for. Eccles.* 39. *n.* 49. ac sine processu, sive alio actu judiciali, immò & sine scriptis *cap.* 1. *de sent. excomm.* Abb. *in cap. cùm venisset* 12. *nu.* 10. *de judic.* Suarez *de censur. d. disput.* 2. *sect.* 4. *nu.* 8. ac Bonac. *eodem tit. disp.* 1. *qu.* 1. *punct.* 8. *num.* 2. Ideoque post Concilium potest Episcopus ab Episcopo puniri, quando committit crimen in aliena Diœcesi, ut per Gratian. *discept.* 393. *n.* 2. *& seqq.* Potestas enim Episcopi in propria Diœcesi talis est, ut possit etiam punire Delegatum Papæ in ea delinquentem, ut per Genuen. *in pr. Archiep. cap.* 38. *n.* 5. *in addit.* cùm tamen Delegatus æstimetur major quocunque Ordinario, *cap. Sanè de offic. deleg.* Ostien. & Goffred. *in tit. de offic. deleg.* Imol. *cons.* 150. *n.* 31. Ea quidem ratione, quia ob delictum efficitur minor, ac persona privata, *argum. can. duo* 96. *dist.* Innoc. *in dict. cap. cùm inferior de major. & obed.* Prout etiam Episcopus delinquens in aliena Diœcesi non consideratur, ut Episcopus, sed uti privata persona, Grat. *ibid. n.* 1. Et potest, uti talis, puniri, ac etiam excommunicari ex supradictis.

Minus obstat, quod Episcopus in Episcopum nullam habeat jurisdictionem ex regula, quod par in parem non habet imperium *cap. innotuit* 20. *de elect.* & quod ratione dignitatis sit saltem exemptus a censuris, per textum *in cap. cùm Matthæus de hæret.* 29

Nam regula prædicta cessat, quando Episcopus delinquit in aliena Diœcesi. Tunc enim non reputatur par, sed inferior ratione delicti, Abb. *in dict. cap. Cùm inferior n.* 1. Anchar. *in dict. Clem.* 1. *n.* 1. & Tamburin. *de jur. Abbatiss. disp. qu.* 2. *n.* 1. Textus verò *in cap. Cùm Matthæus* loquitur de officialibus Sedis Apostolicæ atque adeò non comprehendit Episcopos, ut in hac specie Navar. *cons.* 10. *nu.* 6. *de verb. significat.* ac Tusch. *pract. conclus. v. officiales concl.* 82. *n.* 6. 30

Nec videtur absurdum, quod Episcopus excommunicetur, cùm tantummodo soleat interdici, non autem excommunicari. Nam interdictum contra Episcopos est inductum ex quadam urbanitate, & in causis pensionum, civilibus, & pecuniariis, in reliquis verò possunt de jure suspendi, interdici, & excommunicari *cap. Venerabilibus de sentent. excommunicat. in* 6. ibique Barbosa *n.* 2. Abb. *in cap. de accusat.* Franch. *in capit. ut litigantes de offic. Ordin.* pariter *in* 6. Et quod Episcopus possit de jure suspendi, & excommunicari, tradit Zech. ibidem, & ex Theologis Cornejus *loco citato* ubi ait, si Archiepiscopus aliquis peccaret in Diœcesi Episcopi, sibi non suffraganei, posset ab eo excommunicari. 31

Unde non refragantur nonnulli, qui cum Suarez de leg. *lib.* 3. *cap.* 33. *n.* 10. sentiunt, post Concilium non posse Episcopum ab Episcopo puniri. Id enim locum non habet in hoc casu, ne privilegium, & exemptio videatur præbere occasionem ad delinquendum, Franc. Marc. *part.* 2. *decis.* 920. *n.* 1. *ac* 23. Quod esset valde absurdum, & contra textum *in l. convenire ff. de pact. dotal.* Atque ita demum declaravit S. Congregatio Concilii, quod scilicet Episcopus possit excommunicari authoritate ordinaria, quod non fuerit mens Concilii eximere Episcopos delinquentes in aliena Diœcesi, verba S. Congregationis, quæ rescripsit Archiepiscopo Barensi hujusmodi sunt. 32

Perillustris, & Reverendissime Domine, uti frater. Nomine Amplitudinis tuæ petitum fuit ab Illustrissimis Patribus Concilii Tridentini decreta interpretantibus, declarari, An Prior Ecclesiæ Collegiatæ Sancti Nicolai Barensis, quamvis Episcopus, possit pro tuitione jurisdictionis Archiepiscopalis in casibus a Sacræ Rotæ Romanæ Auditorio resolutis, servatis servandis, excommunicari. Et an eidem Priori permissum sit ad Monasteria Monialium istius Civitatis accedere absque Amplitudinis tuæ licentia, & absque eo, quod incurrat in censuras, in edicto desuper publicato contentas. 33

Sacra Congregatio licèt censeret Amplitudini tuæ licere D. Priorem Barensem excommunicare authoritate tua ordinaria, illumque edicto contravenientem pœnis in eo contentis subjacere, attamen tutius esse putavit, etiam Sanctissimo Domino nostro annuente, ut Amplitudo tua tanquam Sedis Apostolicæ delegata contra dictum Priorem in casibus supra expressis ad censuras, & pœnas respectivè procedat. Hæc amplitudini tuæ significare volui, ut sciat quomodo 34

modo ſe gerere debeat, cui ſalutem, & proſperitatem in Domino precor Romæ vigeſima Martii 1616.

35 Ex quibus ſatis comprobatur juſtitia excommunicationis in Epiſcopum. Quatenus verò tutius cenſeatur id in praxim non deduci ob debitam dignitati Epiſcopali reverentiam, & ad evitanda ſcandala, cùm ſæpè hoc prætextu defenſionis propriæ juriſdictionis, armata manu, ac more Caſtrorum jus dubium defenditur, & non in illius tuitionem, ſed in vindictam in Epiſcopum edicta excommunicationis per totam Provinciam affiguntur, abſtinendum eſt ab hujuſmodi cenſuris, & adeunda S. Congregatio Concilii, vel Congregatio ſuper Epiſcopis conſulendi cauſa. Quod ſi Epiſcopus in Epiſcopum excommunicationem jam protulerit, jure potius quàm exemplo excuſari poterit. Et licèt ſi attendatur conflictus Doctorum, & Epiſcopus excommunicans minus probabilem ſequatur opinionem, omiſſa probabiliori, id ei licuiſſe doceat Salon. de juſt. tom. 1. quæſt. 63. art. 2. concl. 4. qui in reſponſione ad ultimum argumentum ait, hujus eſſe ſententiæ plures, & graviſſimos Authores, quàm ſententiæ contrariæ, atque idcirco eſſe probabiliorem, ut per Layman *de juſt. lib.* 1. *tract.* 1. *cap.* 5. *n.* 7. Diana *par.* 2. *tract.* 13. *reſolut.* 3. qui multos allegat. Quam opinionem veram eſſe ajunt non ſolùm in foro interiori, ſed etiam exteriori ita ut non poſſit Judex ſequens opinionem minus probabilem, probabiliori omiſſa, puniri, ut per Salon. *loc. cit.* in reſponſione ad ultimum in fine, Lorcam *in* 1. 2. *D. Thom. tom.* 1. *diſput.* 39. *num.* 2. Paul. Xammer. *de offic. Judic. par.* 3. *qu.* 3. *n.* 24. Nam quod ſit ſine culpa, pœna puniri non debet, Sancius *in diſput. pract.* 44. *n.* 72. relatus a Diana *cit. reſol. in fine*, aliique relati a Fagnano *in cap. ne innitaris n.* 31. *de conſtit.* Veruntamen hæc opinio damnata eſt ab Innocentio XI. *propoſ.* 2. qua aſſeritur *probabiliter exiſtimo, Judicem poſſe judicare juxta opinionem etiam minus probabilem*, eamque reprobat idem Fagnanus *loc. citat. n.* 335. præſertim in hoc caſu poſt declarationem Sac. Congregationis in dicta cauſa Barenſi, & proinde Epiſcopo a pœnis eximendo ſolùm ſuffragatur, quod bona fide, & non dolo malo proceſſerit ad textum in *d. cap. ſacro §. Cumque de ſentent. excommun.* ibi: *Niſi forſan erraverit ex cauſa*, ubi Felinus, aliique Doctores apud Sayrum *de cenſur. d. lib.* 1. *cap.* 12. *n.* 12. Et hoc quoque ſecum ipſe recolat Epiſcopus illud D. Pauli, quod ſemper recolebat Bernardus: *Omnia poſſum, ſed non omnia licent.*

CONSULTATIO CXXXVII.

An rectè in Eccleſia Epiſcopi Titulares inſtituantur? An fuerint ab exordio Eccleſiæ? An habeant propriam Eccleſiam, & quatenus? ubi multa de Chorepiſcopis.

1 VIdetur perquam abſurdum eſſe in Eccleſia a Chriſti inſtitutione alienum, Epiſcopos creare abſolutos, ſive Titulares, qui merito Nullatenſes vulgus vocat. Fit enim Maritus, ſed ſine uxore, Epiſcopus, ſed ſine Eccleſia. Fueruntque illæ Eccleſiæ, & jam non ſunt. Ubi enim fideles non ſunt, ibi Eccleſia non eſt. Quinimmò hi Epiſcopi ne ordinem quidem Epiſcopalem ullum accipiunt. Quia ordo Epiſcopalis intrinſecè dicit officium, opus, & miniſterium. Hi verò nullum officium, nullum opus, nullum accipiunt miniſterium.

2 At tenendum omninò eſt, juſtè Epiſcopos Titulares in Eccleſia creari; creabantur enim initio quidem naſcentis Eccleſiæ Epiſcopi ſine certa Eccleſia, & Eccleſia univerſali, ſeu in communi deputabantur. Habet autem Epiſcopus Titularis propriam Eccleſiam, tametſi infidelium tyrannide occupatam. Fuerunt ſanè illæ Eccleſiæ, & adhuc ſunt. Neque enim eſſe deſierunt, ſaltem materialiter, licèt ſub hoſtium poteſtate ſint. Si quidem jus in eas Eccleſias apud nos perpetuò viget: unde quanquam in formali ſenſu verum ſit, quod ubi fideles non ſunt, Eccleſia nulla eſt. Eccleſia enim formaliter eſt Cœtus fidelium, in materiali tamen eſt falſum, præſertim ubi aliquæ Eccleſiæ fuerunt, quarum jus perpetuò in Eccleſia manet. Quapropter tutè hujuſmodi Epiſcopi in Eccleſia inſtituuntur, ne jus in eos Epiſcopatus, olim acquiſitum in Eccleſia pereat, & cum eo antiquiſſimarum Eccleſiarum nomine aliquando deleantur.

3 Neque novum, neque in Eccleſia inauditum eſt Titularium Epiſcoporum nomen. De his enim agit Concilium Antiochenum *can.* 16. relatum a Gratiano *diſt.* 92. *can. Si quis*, illorumque mentio etiam habetur in Concilio Lateranenſi ſub Leone X. *ſeſſ.* 9. *de Cardina*). ſed apud S. Gregorium reperitur, quod Epiſcopi, qui erant electi a propriis Eccleſiis ob hoſtilitatem in aliis Eccleſiis vacantibus Cardinales conſtituebantur, hoc eſt regimen illarum eis committebatur, donec ad proprias reverti permitteretur, *can. Paſtoralis*, 7. *qu.* 1.

Sic etiam hodie Summus Pontifex, quando hujuſmodi Epiſcopos creat, utitur ſimilibus verbis, ut ſuffragentur talibus, &c. adhuc vel ut ſint Epiſcopi, vel ut ſuffragentur aliis Epiſcopis, quorum loco antiquitus in Eccleſia eſſe videbantur Chorepiſcopi, qui erant Præsbyteri, & in villis, aut pagis curam animarum gerebant loco Epiſcoporum, & ea, quæ ſolis Epiſcopis reſervata ſunt jura, etiam Ordinis Epiſcopalis facere minimè poterant, cætera verò omnia præſtare poterant, ut ſtatutum eſt in Concilio Neocæſarienſi *cap.* 13. in Antiocheno *cap.* 10. in Hiſpalenſi *cap.* 7. Id etiam pluribus nominibus probant, & decernunt Damaſius *epiſt.* 3. Leo *epiſt.* 86. Joannes III. *epiſt.* 1. De alio etiam Chorepiſcoporum genere ſic loquitur Antiochenum Concilium *cap.* 10. & 11. *Qui ſunt in vicis dicuntur Epiſcopi, & ſi manus impoſitionem ab Epiſcopis acceperunt, ut Epiſcopi ſunt conſecrati.* Hos Suffragantes Concilium Lateranenſe ſub Leone compellit, & permiſit Cardinalibus, ut omni conatu ſuo provideant inſervire Cathedralibus dignos, & idoneos Vicarios, ſeu ſuffraganeos, prout conſuetudo fuerit cum digna, & competenti mercede. Et Beatus Pius V. poſt publicationem Concilii Tridentini decreto ſuo Conſiſtoriali ſancivit, hujuſmodi Epiſcopos non eſſe creandos, neque in ſuffraganeos dandos, niſi Eccleſiis Cathedralibus, & illis tantùm, quæ illos conſueverunt habere, & cum certo ſtipendio perpetuo ad minus ducentorum aureorum de Camera ſuper fructibus illius Eccleſiæ, qui propria authoritate ab ipſis percipi poſſunt, & quod nullibi poſſint Pontificalia exercere ſine expreſſa licentia Sedis Apoſtolicæ in illa Diœceſi, cui datus eſt in ſuffraganeum. 4

Epiſcopi autem Titulares integrum Epiſcopalem Ordinem accipiunt, & cum eo ſimul officium, opus, ac miniſterium in illis Eccleſiis, quarum titulum habent, ſicuti contingeret eas in Chriſtianorum poteſtatem redire, atque idem opus, ac miniſterium in quacunque Eccleſia exercere valent, dummodò proprii Epiſcopi conſenſus accedat. Non tamen neceſſe eſt, quod ſingularem Eccleſiam, in qua actu miniſtrare debeant, ita in ſua ordinatione ſortiantur, ut ſi ea careant, protinus ordine Epiſcopali fruſtrentur. Id enim & illis Epiſcopis accidere opus eſſet, qui è ſuis ſedibus ob infidelium incurſum pelluntur, qui tamen veri Epiſcopi ſunt, licèt Eccleſiis vacent, in quibus actu operari, ac miniſtrare valeant, ut ex Gregorio conſtat *lib.* 1. *indict.* 9. *epiſtol.* 43. Qui hujuſmodi Epiſcopos fratres, & Coepiſcopos ſuos appellat, & aliorum Epiſcoporum jubet facultatibus ſuſtentari. 5

Quamobrem Epiſcopus duplicem quodammodò reſpectum habet. Unum quidem ad Deum, cujus ſervituti per Ordinis Epiſcopalis conſecrationem ſingulariter mancipatur. Alterum ad Eccleſiam, cui paſtorale officium in ſua ordinatione ſe præſtiturum pollicetur. Hinc quoties Epiſcopus ordinatur, utraque & ordinis, & juriſdictionis poteſtas eidem confertur. Ordinis quidem a Deo, juriſdictionis verò a Pontifice. Nam etſi & ipſa juriſdictio in genere divino jure Epiſcopis debebatur, juriſdictio tamen in ſpecie non a Deo, ſed a Pontifice in Epiſcopum immediatè fluit. Juriſdictionem in genere eam appello, quæ nedum ad hanc, vel illam juriſdictionem, ſeu Eccleſiam contracta eſt, & Epiſcopis in genere ita debetur, ut tamen a ſingulis Epiſcopis diſtributivè, non collectivè auferri, aut denegari queat. Juriſdictionem verò in ſpecie, quæ in hac Eccleſia aut exequutione Ordinis Epiſcopalis ſpecificè a Pontifice Epiſcopo determinatur. 6

Hinc facilè quæſtio illa ſolvitur, quæ apud Theologos, agitari ſolet, An ſcilicet Epiſcopos abſque propria Eccleſia ordinari poſſit? Nam eodem planè modo Epiſcopus, ad propriam Eccleſiam, quemadmodum ad juriſdictionem ſe habet. Propria enim Eccleſia ſine propria juriſdictione nunquam Epiſcopis datur. Juriſdictio verò ſaltem ordinata Epiſcoporum propriam Eccleſiam conſequitur. Quo fit, ut cùm juriſdictio nonniſi in genere Jure Divino Epiſcopis debeatur; in ſpecie verò immediatè a Pontifice pendeat, ſic Epiſcopis propria Eccleſia nonniſi in genere de jure Divino competat. Quare nulli dubium eſt, quia Epiſcopus abſque ullo Divini juris præjudicio, ſine omni Eccleſia in ſpecie, ac titulo ordinari poſſit, tametſi id nunquam fiat, neque fieri deceat, ut optimè Gerſon *de ſtat. Prælat. caſ.* 8. concludit, cùm ait: *Status Epiſcopalis, licèt eſſe poſſit in aliquo ſine plebe, & ſine uſu, vel exercitio, hoc fieri non convenit, quia vanum, & monſtruoſum in Eccleſia videretur.* 7

At

8 At cùm Episcopi Titulares sint verè Episcopi habentes eamdem potestatem Ordinis, habent etiam verum statum Episcopalem, & verè in illo statu consecrantur Deo, fiuntque veri Pastores, atque adeò speciales Ministri Christi, ac possunt exercere omnia Episcopalia; unde sunt ipsis debita omnia, quæ sunt de integritate Status Episcopalis.

9 Nec obstat, quod non habeant Populum subjectum, quia hoc per accidens est, nec tollit, quin Episcopus Titularis habeat veram dignitatem, & statum Episcopalem. Siquidem habere populum subjectum non constituit statum Episcopalem, sed est quid consequens tanquam materia, circa quam Episcopus potest exercere suum munus. Nec item quod actu non exerceat munus Episcopale, cùm tale exercitium consequatur dignitatem, & statum Episcopalem, non autem ipsum constituat, sed per accidens se habeat.

CONSULTATIO CXXXVIII.

An validè induci possit consuetudo, quod Clerici, qui nati sunt ex utroque Parente extero, nullatenus admittantur ad Capitulum, ad servitium Ecclesiæ, illiusque honores, ad fructuum, ac distributionum participationem? Quid de natis ex altero Parente non extero, sed Cive? Quidve de nato ex Parente, qui Civitatem longo incolatu, aut privilegio est adeptus?

1 VIdetur hujusmodi consuetudinem adversari juris Canonici dispositioni, solam personæ idoneitatem postulantis, non autem loci, originis, aliarumque rerum extrinsecarum qualitatem, ut per Textum *in can. Undecumque, can. nasci, can. Dominus noster dist. 56. & in cap. ad decorem de institut.* tradit ibi Gloss. *v. undecunque*, aliisque relatis Garz. *de benef. par. 7. cap. 9. num. 4.* ubi Rotam sic pluries retolvisse, testatur, ac Lotter. *de benef. par. 2. cap. 43. num. 8. & seqq.* Rota *dec. 28. par. 4. diverf. & decis. 290. par. 2. recent.* ubi sic aliàs Rotam firmasse inquit, & in Cordubensi dimidiæ portionis 30. Januarii 1654. *§. respectu verò* coram Meltio, ubi de alio simili statuto illius Ecclesiæ puritatem sanguinis requirente, de quo Barbos. *de Canon. & dignit. cap. 4. num. 17. & 18.* Add. ad Burat. *dec. 758. num. 13.* Unde nonnisi a personis potestatem habentibus hæc consuetudo induci potest, non autem a Presbyteris ambitiosis, quinimmò avaris, majores distributiones ex aliorum exclusione pro se affectantibus, vel requirit Apostolicæ Sedis specialem confirmationem; cùm aliàs dicatur injusta, illicita, & ambitiosa, ut inquit Rota *d. dec. 290. numer. 2.* & in dicta Cordubensi *loc. cit.*

2 Atque esto, quod hujusmodi consuetudo sit rationabilis ex adductis a Rota *decis. 232. par. 7. recent.* ac propterea ubi legitimè probaretur, servanda sit, de illa tamen nulla est habenda ratio, nisi probetur concludenter ex actuum multiplicitate, hoc est quod evenerit casus Clericorum, qui ex utroque parente extero, vel ex altero nati fuerint, & quod hac de causa rejecti acquieverint, vel succubuerint ut per Rot. in Majoricensi Canonicatus 22. Januarii 1658. in fine coram Cerro, & in terminis hujus consuetudinis in d. Cordubensi per hæc verba.

3 Deduci neque potest præsumptio aliqua confirmationis Apostolicæ, & objecta observantia a Capitulo. Quia etiamsi doctum fuisset, Beneficiatos usque adhuc receptos in Ecclesia hujusmodi parentes designasse, ac probationes fecisse de earum puritate sanguinis, cùm hoc facere potuerint, quia eis ita placuit, hoc tamen nequaquam sufficit ad concludendam aliquam observantiam, ad cujus effectum probasse debebatur, ut qui parentes designare, & alias probationes facere recusaverint, fuerint legitimè, & judicialiter rejecti, itaut evitare non potuerit, si admitti voluerint hanc parentum designationem, aliasque probationes facere ad formam prætensam dicti secundi statuti cum aliis circumstantiis necessariis ad inducendam observantiam, Oldrad. *cons. 337. num. 3.* Rota coram Coccino *dec. 937. numer. 9.* & fuit responsum in causa S. Severini fideicommissi 14. Decembris 1646. coram R. P. D. Verospio. Ita Rota.

4 Ac nisi inducta sit a personis habentibus ad id facultatem & sic ab iis, qui id statuendi jurisdictionem habuerint, Rot. in Cesenatensi, seu Sarsenatensi laudemiorum, 19. Januarii 1656. *§. Minus suffragatur*, coram Albergato, ac passim alibi. Tales autem proculdubio esse nequeunt simplices Presbyteri, quippe authoritas Papæ omninò ad hoc exigitur; neque in facultate sola Capituli, sive Ordinarii est, id statuere, ut in specie Lotter. *loc. citat. d. quæst. 43. num. 8. & seqq.* ubi Rotæ decisiones, & allegata *decis. 290. in fine par. 2. recent.*

Nisi etiam interveniat lapsus temporis ad hanc consuetudinem requisitus. Aut enim consideramus immemorabilem *eo* modo, quo fuit dictum *in dict. dec. 232. par. 7. recent.* & Testes illam nullatenus concluderent si non deponunt cum requisitis Glossæ *in c. 1. v. memoria de præscript. in 6.* scilicet de visu a quadraginta annis ante motam litem de auditu a suis majoribus, & quod nec ipsi, neque eorum majores contrarium unquam viderint, nec audiverint, ut in *dict. decis. 232. & decis. 56. n. 6. & 7. par. 7.* cum aliis passim: Unde consuetudo immemorabilis probari nequit, si aliquando hac de re lis extiterit, & de immemorabili fuerit dubitatum, Gregor. *dec. 298. num. 13.* Rota coram Alexandro VIII. *dec. 159. n. 5. & seqq.* & in Pampilonensi Vicariæ 26. Maii 1653. *§. redditur* coram Meltio, & in Beneventana jurisdictionis ejusdem anni *§. Immemorabilis* coram Zarate, ubi quod stante lite, sive murmuratione, Testes de immemorabili deponentes dicuntur omninò falsi. Porrò tempus litis, sive murmurationis semper subducendum est, Rota in dicta Pampilonensi *§. repugnat*. Eoque minus fidem merentur, si examinati fuerint per Judicem subdelegatum a Delegato, qui subdelegare non potest, ad text. *in l. 1. ff. de offic. ejus, cui mand. est jurisd.* Vel contra formam remissorialium, ac sine intimatione, citationibus, aliisque requisitis, Ridolph. *in praxi par. 3. cap. 12. num. 143.* Rota in Nazarena, sive montis viridis beneficii 24. Aprilis 1651. *§. non obstat* coram Dunozetto. 5

Aut si Testes sine Partis citatione recepti fuerint, cùm tamen adessent contradictores prætendentes admitti ad Capitulum, propterea, ne minimum quidem prębent admiculum. Unde non applicatur *dict. decis. 232. numer. 3.* quia ibi tempore emanatæ probationis nullus aderat contradictor. 6

Minusque de assertis enunciativis curandum est. Cùm enim de hac consuetudine enunciata principaliter dubitetur, illæ non suffragantur, Rota in Beneventana quartæ 24. Januarii 1650. *§. postremò*, coram Dunozetto, & in Salisburgensi, sive nullius jurisdictionis 16. Decembris 1652. *§. nec dicatur* coram Tarraconensi. Præcipuè si afferantur ex decretis Capitularibus, quia cùm a Capitulo, de cujus commodo agitur, sint emissæ, rejiciuntur a Rota in Auximana sepulturæ 14. Martii 1646. *§. Tum etiam*, confirmata 28. Maii 1646. *§. minus relevat* coram Arguelles, & coram Buratto *decis. 570. num. 4. & 8.* Aut si decreta ipsa tàm Capituli, quàm Ordinariorum, nullitatis vitio ex defectu jurisdictionis subjacerent, ex quo, ut diximus, authoritas Papæ ad sic statuendum exigitur, unde corruunt & ipsæ enunciativæ. Nam cùm dispositio interdicitur, eò magis enunciatio validè denegatur, & redditur nulla, Bald. *in l. 2. in fin. C. de Episcop. & Cler.* & in terminis Rota *dec. 290. num. 3. par. 7. recent.* 7

Et quatenus sola quadragenaria pro hac consuetudine sufficeret juxta Gloss. *in cap. fin. v. legitimè de consuetud.* Sperell. *decis. 89. num. 25. ac 29.* adhuc tamen neque ista concurreret, cùm unicus actus ad illam destruendam sufficiat, Rota in Portuensi affictus 27. Februarii 1651. *§. Minus urget* coram Bichio, & in Cracovienſi Decimarum 27. Januarii ejusdem anni *§. Siquidem* coram Verospio. 8

Eoque præsertim, cùm, etsi lapsus temporis concurreret, adhuc tamen si ad consuetudinis perfectionem cætera desint, multiplicitas nempè actuum, & facultas illam inducendi, nequit affirmari legitimè præscripta, ut proindè ad illam infringendam alia præsumptio formalis non requiritur, sed unicus actus sufficeret. Qui sanè actus non rectè ad meram gratiam Capituli referri possunt, dum posita consuetudinis insubsistentia, rigorosam redolent justitiam, ad quam potius referendi sunt, ut per Cyriac. *controverf. 178. num. 8. & 9.* Rota in Cæsaraugustana Cathedralitatis 27. Maji 1658. *§. non subsistente* coram Cerro. Maximè si actus sint geminati, quo casu magis excluditur gratia, Rota in Majoricensi celebrationis Missarum 28. Junii 1652. *§. Quod etiam* coram Bichio, & in dicta Cæsaraugustana, eodem *§. Nec prodessent protestationes Capituli*, veluti contrariæ facto, scilicet admissionis, Rota in dicta Beneventana jurisdictionis, *§. Protestantes*, sed consuetudinem hanc negativam non admittendi exteros magis excludunt, si non solùm in contradictorio judicio Capitulum non obtinuerit, ut opus est, sed succubuerit, Rota in Leodiensi Decimarum 22. Aprilis 1652. *§. neque relevare* coram Meltio, & 27. Januarii 1651. *§. non obstat* coram eodem, & in Calaguritana decimarum 17. Aprilis 1654. *§.* Et insuper coram Zarate. 9

Quæ sanè corroboraretur, si non doceatur, quod aliàs super hoc exorta controversia fuerit contra exteros pronunciatum, qui acquieverunt, quemadmodum opus 10

est

est ex traditis a Rota in dicta Majoricensi celebrationis Missarum 23. Junii 1658. §. *fin.* coram Cerro, & in specie statuti Ecclesiæ Cordubensis, requirentis puritatem sanguinis, Rota in dicta Cordubensi coram Meltio.

11 Tandem, licèt hujusmodi consuetudo subsisteret, non tamen ita rigorosè accipienda est, ut nati ex patribus, vel matribus exteris, incolatum, domicilium, & Civitatem consequutis cum tota familia, solutione onerum realium, ac personalium, exercitio municipalium officiorum, excludi debeant, ut in specie Gonzal. *ad regul.* 8. *glos.* 9. §. 1. *num.* 104. Merlin. *decis.* 797. *num.* 22. Alexander Octavus *decis.* 98. *num.* 2. & 3. ubi naturalitatem admittit ad hunc effectum ex acquisitione domicilii, & civilitatis. Idemque dicendum de nato ex altero parente Cive. Nam licèt sit natus ex matre, vel patre extero, adhuc tamen verè Civis originarius, & actualis existit, ut generalibus omissis, in terminis patrimonialitatis requisitæ per Constitutionem Clementinam in Diœcesi Calaguritana firmat Rota in Calaguritana beneficii 27. Junii 1652. §. *ex eisdem* coram Bichio. Unde cùm inter hos casus diversa omninò sit ratio, exclusio unius, vel alterius ex patre extero nati, non probat consuetudinem contra aliquem ex patre cive ortum. Non consuetudo, ut afficiat, probanda est in casu præciso, Rota in Majoricensi Canonicatus 23. Januarii 1658. §. *quin Testes*, ac per totam coram Cerro, & in Gerundensi parochialis 5. Martii 1660. in fine coram Bevilaqua.

12 At nihilominus hujusmodi consuetudinem esse rationabilem, atque adeò induci posse, ac observandam esse tuetur Sanchez *consil. moral. tom.* 1. *lib.* 2. *dub.* 8. *n.* 2. & firmavit Rota *dict. decis.* 232. *num.* 16. *par.* 7. *recent.* Eamque sæpius approbavit S. Congregatio super Episcopis, & Regularibus, præsertim in Marrubiensi, sive nullius Hydruntina sub anno 1604. Cùm enim quidam Curtius Abel prætenderet ad participationem Capituli admitti, S. Congreg. mandavit Vicario, quod quatenus dicta consuetudo verè existat, illam inviolabiliter observari faciat. Et sub die 23. Augusti 1658. idipsum eisdem Vicario rescripsit. Et 24. Aprilis 1660. fuit etiam ab eadem S. Congregat. demandatum, ut observaretur solitum. Ac denique discussa hujusmodi consuetudine, sub die 26. Augusti 1661. Eminentiss. Cardinali Astallio, utraque Parte acerrimè informante, emanavit decretum super illius aprobatione his verbis.

13 *Sacræ Congregatio Eminentissimorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositis, re, Eminentissimo Astallio referente, diligenter examinata, censuit, neque prædictum Bartholomæum Delphinum, & Antonium Graculum, neque ullos alios Sacerdotes, sive Clericos ad numerum participantium matricis Ecclesiæ esse admittendos, nisi ex utroque parente, tàm scilicet patre, quàm matre ex eodem loco ortis, nati sint, ac proinde ita in præmissis servandum esse præsentis decreti vigore declarat, atque decernit, in contrarium allatis, non obstantibus quibuscunque Romæ 26. Augusti 1661.*

M. Cardinalis Ginettus.

14 Quod ita confirmavit Pontifex. *Alexander Papa Septimus ad futuram rei memoriam. Cùm aliàs pro parte dilectorum Presbyterorum, filiorum, & Cleri Matricis Ecclesiæ Marrubii &c. Congregationi Venerabilium Fratrum nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium Episcoporum & Regularium negotiis præpositæ expositum fuerit, quod in eadem Ecclesia antiqua vigebat consuetudo non admittendi ad numerum participantium Presbyteros, sive Clericos ex genitore, seu genitrice exteris natos, enunciata, & confirmata a quibusdam decretis Visitationis, &c. Et propterea sub die 24. Aprilis solitum in hac materia observari mandaverat, subjuncto quod dilecti filii Bartholomæus Delphinus & Antonius Gravile ex parentibus exteris respectivè nati ad servitium, & participationem hujusmodi admitti prætendebant &c. Quia verò consuetudo prædicta Sacrorum Canonum dispositione non adversatur &c. proinde Congregationi supplicatum, ut in præmissis opportunè provideret, emanavit decretum tenoris &c. Cùm autem supplicari nobis fecerunt pro hujusmodi decreti firmiori subsistentia, & observatione, Apostolicæ confirmationis robur desiderent, nos specialem gratiam facere volentes &c. decretum præinsertum authoritate Apostolica tenore præsentium confirmamus, & approbamus. Datum Romæ 15. Decembris 1661.*

15 Cùm igitur extet declaratio Sedis Apostolicæ in Brevi, quod consuetudo hæc non adversetur dispositioni Sacrorum Canonum, utique servanda est. Non enim dici potest contra jus, sed laudabilis, ut latè Guttier. *Canon. quæst. lib.* 2. *cap.* 4. *num.* 29. *cum seqq.* ubi refert consuetudines diversorum locorum laudabiliter servatas. Nec contrarium decernunt jura, quæ contra adduxi, ut patet ex eorum lectione, & in allegata *dec.* 290. *par.* 2. *recent.* non constabat de hujusmodi statuto, ut patet ex *num.* 3. Minus de ejus validitate dubitari potest. Habet enim omnia requisita legitimæ consuetudinis. Nam est inducta a Collegio, sive Communitate, quæ habet potestatem condendi leges pro suo statu, Merol. *tom.* 3. *disput.* 3. & 5. *dub.* 1. *num.* 2. Quod tamen non est de essentia. Nam populus validè inducit consuetudinem, & nullam habet potestatem, sat enim est, quod sit rationabilis, & legitimè præscripta *cap. fin. de consuetud.* & quodlibet Capitulum in iis, quæ concernunt suum commodum, potest leges condere, ac statuere, ut expressè decernitur in *cap. unic. de Cler non reside. in* 6. ibi: *juxta Ecclesiæ cujuslibet ordinationem*, & in *cap. omnes de Constitut.* Glossa *in cap.* 2. *v. Statutum de verb. significat.* Marescot. *lib.* 2. *variar. cap.* 32. *num.* 22. ac Rota *decis.* 606. *num.* 1. *par.* 4. *diversi.* & *dec.* 66. *num.* 11. & 12. coram Ludovisio, & in Cæsaraugustana distributionum 21. Julii 1641. §. *hoc autem* coram Pancirolo Add. ad Burat. *dec.* 748. *num.* 11.

Potestas enim legislativa est communicata immediatè omnibus hominibus, quatenus sunt sociabiles in eadem Communitate, ut per D. Thomam 1. 2. *quæst.* 90. *artic.* 3. Nam potestas legislativa est in hominibus, ex eo, quod natura sua sunt sociabiles, atque adeò debent habere omnia necessaria ad formandam, & conservandam Societatem. Idque etiamsi una Communitas sit alteri subjecta, dummodò sit apud ipsam aliqua forma regiminis, & statuta non sint contra leges Principis, cui subjicitur. Nam ubicumque est potestas ordinativa Communitatis, ibi potest poni ordo pro bono communi proportionatus potestati. Hinc Capitula possunt aliqua decernere circa ea, quæ pertinent ad Capitulum, ut docent communiter Doctores, quia seorsum ab Epicopo est quoddam corpus ex *cap. un. ne sed. vacan. in* 6. & ideò potest habere proprium motivum, quo se dirigit secundùm propriam exigentiam. 16

Cùm igitur Capitulum habeat hanc potestatem a jure, non requiritur assensus Apostolicus, qui tunc requiritur, quando statueret circa res, sive commodum Ecclesiæ universalis, vel Episcopi, & ita loquuntur jura contraria. Tunc enim ex defectu potestatis statuta nullius forent momenti. Nec statutum hujusmodi est juri communi contrarium, quia nullibi invenitur, quod oriundi admittantur. Et quamvis non sit facienda personarum acceptio, Capitulum tamen rectè potest hac in re disponere, juxta facultatem sibi a jure concessam, ut in *d. cap. unic. de Cler. non resid. in* 6. Unde potest statuere circa distributionem fructuum, & participationem ad textum in *cap. omnes de Constit.* ibique Abb. *num.* 4. Suarez *de legib. lib.* 4. *cap.* 6. *num.* 11. Sebast. Medic. *quæst.* 16. Merol. *tom.* 1. *disp.* 4. *cap.* 4. *num.* 14. Quod procedit etiam in Capitulo Collegiatæ, Abb. *in cap. Cùm accessissent de Constit.* Alberic. *de stat. quæst.* 3. & 6. Castropal. *tract.* 7. *disput.* 1. *punct.* 23. *num.* 26. & quodlibet Collegium hanc facultatem habet. Honor. *in com. jur. canon. lib.* 1. *tit.* 2. *num.* 3. 17

De existentia autem hujus consuetudinis, etiam immemorabilis dubitari non poterit, si de illa deponerent Testes, & sufficiunt duo, Maschard. *de probat. concl.* 424. *num.* 4. Castropal. *tom.* 1. *tract.* 3. *disp.* 3. *punct.* 6. Cumque agatur de consuetudine notoria, cùm Testes examinentur, non requiritur citatio Partis, Gozadin. *cons.* 101. *num.* 27. *vol.* 3. Maschard. *concl.* 431. *num.* 3. Eoque magis si Sacra Congregatio rescribat Ordinario, ut se informet de dicta consuetudine, extrajudicialiter id facere poterit absque citatione Partis, ut in simili ait Rota *part.* 7. *recent. dict. decis.* 232. *num.* 3. 18

Quæ etiam probatur ex enunciativis, antiquis, factis, tàm in Constitutionibus Capituli, quàm in Synodalibus, ac in visitationibus. Quod satis est, ut constet de immemorabili, Caputaq. *dec.* 347. *numer.* 3. *p.* 3. Rota *p.* 1. *rec. dec.* 32. *numer.* 2. & *dec.* 120. *num.* 3. coram Buratto. 19

Data igitur rationabilitate, ac potestate hujus consuetudinis, dubitari non potest, quin illa esset legitimè inducta. Nam vel est præter jus canonicum, & sufficit fuisse per decennium observatam, Felin. *in cap. statuimus, num.* 2. *de major.* & *obed.* Monet. *de distrib. p.* 2. *quæst.* 12. *num.* 9. Rota coram Puteo, *dec.* 150. *num.* 1. *lib.* 1. & apud Cavaler. *decis.* 117. *num.* 12. Vel est contra jus, quod negatur, cùm nullum jus ei resistat, & tunc de jure canonico sufficit, illam fuisse præscriptam spatio quadraginta annorum, *cap. ult. in fin.* ubi Glos. *in princ. de consuet* Grat. *discept.* 395. *num.* 6. Rota *dec.* 19. *num.* 7. coram Burat. & *p.* 8. *recent. dec.* 11. *num.* 8. Et consuetudo, quæ non est contra jus, sufficit, quod sit longæva, licèt per spatium quadraginta annorum præscripta non sit, immò admittitur decen- 20

nalis,

nalis, ut firmat Gloſ. *in d. cap. fin. ver. conſuetudo*, & tradit Berous *in cap. 1. num. 57. de conſtit.* ac cæteri Canoniſtæ communiter, Sperell. *deciſ. 67. num. 40. & deciſ. 87. num. 25.* Rota *deciſ. 165. num. 4. part. 2. diverſ. & dec. 37. num. 8. p. 2. recent. & dec. 302. num. 10. part. 10.* ubi ait, conſuetudinem non eſſe contra jus, quoties non datur lex, ſive Canon contrarium expreſſè diſponens. Quinimmò conſuetudo, etiamſi adverſetur Sacris Canonibus, ſervanda eſt, dummodò ſit legitimè præſcripta quadraginta annis per Textum *in can. conſuetudo diſt. 12.* Gloſſ. *in d. cap. fin. eod. v. de conſuet. in 6.* Suarez *de legib. lib. 5. cap. ult.* Sperel. *dec. 89. num. 22.*

21 Neque hujuſmodi conſuetudo dici poterit interrupta per aliquorum admiſſionem, qui dictis qualitatibus originis paternæ non habebant, ſi admiſſiones illæ fuerint factæ ex mera gratia, per quam præſervata eſt conſuetudo, quæ nunquam interrumpitur, quando certa, & determinata poteſt conſiderari cauſa in actibus contrariis, Urſell. *concluſ. 148. num. 343.* Rota *dec. 438. n. 3. p. 1. diverſ.* & apud Seraph. *dec. 382. n. 3.* Actuſque contrarii nunquam interrumpunt conſuetudinem, quando ſunt compatibiles cum ipſa conſuetudine, ut in hoc caſu, in quo non eſt incompatibile, quod Presbyteri, qualitates hujuſmodi non habentes, poſſint a Capitulo excludi, & quod poſſit aliquos ad libitum, & ex gratia admittere, ut in ſimilibus tradit Rota *dec. 356. num. 4. p. 1. recent.* Sicque comprobaretur, quod conſuetudo antecedens fuerit juxta tempus a Sacris Canonibus ſtatutum inducta, & completa, non ſufficiunt actus contrarii ad illam interrumpendam, ſed requiritur alia formalis præſcriptio, cùm agatur de auferendo jure, jam alteri quæſito, Alexand. *conſ. 5. num. 21. lib. 5.* Adden. ad Burat. *dec. 800. num. 16.* Ludoviſ. *dec. 51. num. 8. & dec. 298. num. 3.* & ut tollatur conſuetudo legitimè introducta non ſufficiunt duo, aut tres actus, ſed requiritur formalis præſcriptio, ſive alia conſuetudo legitimè introducta, & præſcripta, ut per Suarez *de legib. lib. 7. cap. 5. num. 18.*

22 Præſertim ſi in hiſce admiſſionibus addatur, quod de cætero quoad alios ſervetur conſuetudo. Actus enim hujuſmodi, uti merè voluntarii, & facultativi nullam obligationem in poſterum potuerunt inducere, Innocent. in *cap. Cum Eccleſia Sutrina num. 5. de cauſ. poſſeſſ. & propriet.* Abb. *in cap. quod traslationem num. 4. de offic. delegat.* Surd. *conſ. 127. num. 81.* Adden. ad Ludoviſ. *deciſ. 162. num. 15.* Cyriac. *controv. 460. num. 28.* ac Rota *deciſ. 778. num. 5. par. 1. diverſ.* & in his terminis admiſſionum ad Collegium ex gratia in Comenſi Collegii 7. Julii 1655. *ſ. nec refert*, coram Celſo.

23 Minus diceretur interrupta per admiſſionem coactam. Quin potius ex ea confirmaretur, præcipuè, ſi admiſſio fieret cum proteſtatione non præjudicandi conſuetudini. Ex ea enim jus Eccleſiæ præſervatum, ac illæſum remanſit, Cravett. *conſ. 120. num. 3.* Surd. *conſ. 385. n. 20.* ac Rota *dec. 287. num. 3. par. 7. recent. & dec. 97. num. 13. p. 10.* & admiſſio, tanquam in totum dependens a mera voluntate Capituli, quod ſi aliquando ita voluit, præſervando tamen conſuetudinem quoad alios, non exinde inducta cenſetur neceſſitas alios admittendi ut in allegata Comenſi Collegii coram Celſo.

24 Nec obſtat, quod hæc conſuetudo, tanquam excluſiva natorum ex Patre verè Cive, licèt ex matre extera dici debeat potius corruptela, quàm conſuetudo, & propterea non ſit attendenda.

25 Nam ex eo, quod civilitas nullam habeat connexionem cum participatione Eccleſiæ, ut conſtat ex nonnullis Orbis terrarum Eccleſiis, in quibus ſtatutus eſt certus numerus inſervientium, vel excluduntur presbyteri, non habentes certas qualitates. In illis enim non poteſt presbyter civis ex ſola civilitate non habens alias qualitates, admitti, cùm ſuper hujuſmodi excluſione poſſit introduci a presbyteris conſuetudo, vel condi ſtatutum, Rota in Neritonenſi Conſortii 19. Februarii 1663. coram Thaya.

26 Similiter non obſtat quod aliquis ſit proviſus a Sede Apoſtolica de Canonicatu, vel aliqua dignitate cum clauſulis generalibus, qui Summus Pontifex videtur voluiſſe derogare huic conſuetudini. Nam regula procederet, ſi proviſus Papæ narraviſſet hujuſmodi conſuetudinem, vel ſi hæc conſuetudo non eſſet immemorabilis, ſecus autem quando eſt immemorabilis, tunc enim de illa debet fieri expreſſa mentio, Rota *dec. 114. num. 5. p. 2. & dec. 257. num. 2. & 3. par. 4. tom. 2. recent.*

27 Ex alia etiam ratione hi presbyteri excludendi ſunt, quatenus non extaret hæc conſuetudo, ex eo ſcilicet, quod reddituſ Eccleſiæ eſſent valdè tenues, cùm unuſquiſque ex participantibus vix cum totius anni ſervitio percipiat vicena ſcuta plus, minuſve. In qualibet enim Eccleſia tot adhiberi debent, quot ſuppetunt fructus, *can. Diaconi 23. diſt. 93.* Lotter. *de re benef. q. 14. num. 29. lib. 1.* Mantic. *dec. 229. num. 3.* Rora in d. Neritonenſi Conſortii, in quibus habetur, quod concurrente tenuitate, Canonici non cogantur admittere alium Canonicum, & ſi a Summo Pontifice ſtatutus eſſet certus numerus Canonicorum. Hoc enim caſu non poteſt cogi Capitulum ad alios presbyteros admittendum, etiamſi aliàs haberent omnes qualitates, ob quas excludi nequeunt, juxta textum *in cap. 1.* ibique Gloſſ. & Doctores *de conſtit & cap. quoniam de vit. & honeſt. Cleric.* Maximè verò in Eccleſia receptitia, cujus natura eſt, ut admittantur presbyteri ad menſuram fructuum Eccleſiæ, Gonzal. *ad. reg. 8. Cancell. gloſ. 9. §. 2. num. 1.* Garz. *de benef. p. 5. cap. 5. num. 517.* Ac ita quidem, ut alii presbyteri jam admiſſi non poſſint cogi ad alios recipiendos, ne omnes ſimul mendicare cogantur, Mantic. *d. dec. 229. num. 3.* Lotter. *loc. cit. num. 10.* ubi quod ingredi volenti opponi poteſt exceptio tenuitatis fructuum, & in fortioribus terminis, quod nempè, quando etiam authoritate Apoſtolica fuerit præfixus certus numerus intervenientium in aliqua Eccleſia, poſſint jam admiſſi alios intra numerum excludere, ſi fructus ſint tenues, ut tradit pluribus allegatis Abb. ad Greg. *dec. 483. n. 8.*

Unde facilius ſupradicta procedunt in Eccleſia, in 28
qua non adeſt certus numerus Presbyterorum, neque præbenda, ſed tot, quot exiſtunt nati ex utroque parente admittuntur, quia ſi admitterentur nati ex altero parente extero, magnum inferretur præjudicium natis ex utroque parente, non ſolùm jam admiſſis, quibus minor portio deberetur, ſed etiam admittendis, qui excluderentur per illos, quod æquum non eſt, omniſque interpretatio ſumi debet favore eorum, qui nati ſunt ex Patre, & Matre ejuſdem loci, ut per Guttier. *can. quæſt. d. cap. 11. num. 29. 30. & 32.*

Denique non obſtat, quod ſi excluderentur hi pres- 29
byteri ab Eccleſia loci, in quo nati ſunt, non haberent aliam Eccleſiam, cui neceſſariò inſervire, & admitti debeant vigore Sacri Concilii Tridentini *ſeſſ. 23. de reformat. cap. 6.* Nam Concilium non imponit neceſſitatem cuilibet presbytero inſerviendi certæ Eccleſiæ, ſed tantùm ſe remittit voluntati Clericorum, ut ſi fori privilegio gaudere cupiant, alicui, Eccleſiæ de mandato Epiſcopi inſervire debeant.

CONSULTATIO CXXXIX.

1 *An erectio Collegii, ſive Seminarii adoleſcentium a pio Teſtatore dotati, ut ii teneantur magnificè, ac ſplendidè Sanctiſſimum Viaticum comitari, approbanda ſit? An item approbandum,*

2 *Quod electio, ac nominatio hujuſmodi adoleſcentium ad Collegium admittendorum, ad hæredes dicti Teſtatoris pertineat, habeantque in illo Juſpatro natus honorificum?*

3 *Quod Collegii Rector, & Collegiales ſint exempti ab omni Ordinarii juriſdictione, excepta viſitatione generali, quodque in ſpiritualibus ſubjiciantur Capitulo Eccleſiæ Cathedralis, vel Collegiatæ, in temporalibus verò Deputatis ab ipſis hæredibus?*

AD primum. Nulla videtur eſſe difficultas, quia 1
cùm id reſpiciat divinum cultum, Summus Pontifex ſolet proclivem ſe ad illum augendum exhibere, *c. ex parte, verſ. nolentes de Conſtitut. cap. fin. de reſcript. in 6.* Durand. *de mod celebrat. gener. Concil. rubr. 14. num 2.* Quin etiam meretur hic pius Teſtator idem laudis præconium, quod in urbe tribuitur nobiliſſimæ in Regnis Caſteliæ familiæ Enriquez, quæ in Eccleſia Sancti Laurentii in Damaſo Cappellam extruxerit, aliaque excogitaverit, ut quàm decentiſſimè ſuper diviniſſimum Euchariſtiæ Sacramentum extra Eccleſiam deferri poſſet.

Ad ſecundum non videtur improbandum. Nam ele- 2
ctio, & nominatio eſt debita ex ſola conſtructione Collegii, non ſolùm de jure, ex *cap. nobis de jurepatronat.* ſed etiam ex diſpoſitione Sacri Concilii Tridentini *cap. 9. ſeſſ. 25. de reformat.* ut conſideravit Rota apud Cavaler. *deciſ. 265. n. 2.* Ergo multò magis ubi, nedum adeſt conſtructio, ſed etiam dotatio.

Et ob eamdem rationem multò etiam magis adeſt 3
debitum juſpatronatus honorificum, cùm illud non denegetur fundatori, etiam ubi non poteſt ex diſpoſitione juris competere jus præſentandi, Lambert *de Jurepatronat. lib. 1. p. 1. art. 7 quæſt. princip. 11. n. 3.* Cavaler *d. dec. 265. num. 7.*

Ad

4 Ad tertium, nec similiter videtur deneganda exemptio a jurisdictione Ordinarii. Quia, sicut licet fundatori ex dispositione juris quamcunque conditione apponere, etiamsi juri contraria sit, dummodò Episcopi consensus accedat, Lambert. *loc. cit. q. 9. art. 1. num. 49.* Rota *dec. 530. num. 2. p. 1. recent.* ita etiam non obstante dispositione Sacri Concilii *cap. 8. sess. 22. de reformat.* debet servari conditio, ut Ordinarius non se ingerat in hujusmodi Collegii administratione contra mentem fundatoris, si accedat consensus Sedis Apostolicæ.

5 Eoque magis si Collegium non sit institutum pro Ecclesia, in quo missæ præcipuè celebrentur, neque sit in eo Rector perpetuus instituendus in titulum beneficii, quo in casu tantò magis fundator potest apponere conditionem, quod non subsit Episcopo, ut per Cardinalem *in Clem. Quia contingit. n. 19.* ibique Anchar. *num. 2.* Imol. *n. 18. de relig. domib.* Joan. de Sylv. *de benef. p. 3. q. 11. num. 38.* & Sacrum Concilium in hac parte non contradicit, quia est limitatum ad casus concessos in jure, ex cujus dispositione Episcopus est privatus jurisdictione, si est apposita conditio in fundatione, quam Pontifex solet recipere, ne fideles ab ea retrahantur, ut per Jo. de Sylv. *loc. cit. num. 35.* Mandos. *super regul. 1. Cancell. q. 8. n. 3.*

CONSULTATIO CXL.

An, & quatenus Episcopus, atque Civitas in causa matrimonii suspicionem faciant, & quatenus sit locus restitutioni mulieris suo prætenso marito?

1 SI postulantur suspecti Episcopus, & Civitas, alibi faciendæ est inspectio corporis prætensæ uxoris per textum *in can. suspecti 3. qu. 5.* ubi Turrecremata advertit, hanc juris dispositionem rationi naturali inniti, quia naturale est Judicem suspectum declinare, *c. Cum inter de exception*, ubi quod periculosum est coram suspecto litem agere; nec Sedes Apostolica suspectis Judicibus committit, Abb. *in c. ad hæc num. 8. de rescript.* Villalob. *comm. opin. lit. P. n. 21. & seqq.* Et Marches. *de commiss. tit. de Judic. suspect. §. 1. num. 67.*

2 Idque sive Judices sint ordinarii, sive delegati. Quia licèt de jure civili Ordinarius allegatus suspectus non removeatur in totum, sed ei detur adjunctus *leg. apertissimi C. Judic.* de jure tamen canonico recusatur in totum *cap. Si qui contra Cler. de for. compet.* Abb. *in cap. Cùm speciale in 1. notab. de appellat.* Mandos. *in form. 8. commiss. vers. Adjunctum*, Gratian. *discep. 100. n. 1.* Marches. *loc. cit. §. 2. n. 37. ac seqq.*

3 Causa autem suspicionis respectu Episcopi esset perspicua, si super prætenso matrimonio, semel ad favorem alterius Conjugis pronunciaverit, Cardin. *in cap. proposuit n. 10. de appell.* ubi quod Judex, qui semel gravamen intulit, est suspectus de novo gravamine, Dec. *in cap. ut debitus n. 21. eod. tit.* Jas. *in d. l. apertissimi n. 9.* Cont. *in leg. un. oppos. 3. n. 7. C. si de mom. poss.* Menoch. *cons. 94. n. 13.* Scacc. *de appell. q. 17. membr. 3. num. 2.*

4 Præsertim si articulus inspectionis corporis respiciat validitatem matrimonii, de quo loquitur sententia Episcopi. Gravamen enim semel illatum, reddit suspectum Judicem in aliis causis, quamvis separatis, Franc. *in c. proposuit n. 7. & in c. postremo n. 20. de apellat.* Scacc. *loc. cit. n. 3.*

5 Respectu verò Civitatis causam suspicionis præbet, tum ipsa suspicio Episcopi, nam suspecto capite, tota Civitas suspecta præsumitur, *cap. licet. ex suspecto de for. compet.* Berov. *in c. 1. n. 120. ac seqq. de judic.* Ripa *in c. 3. n. 40. eodem tit.* Præpos. *in cap. Cùm speciali numer. 28. de appell.* Imol. *cons. 91. n. 19. ac 20.* Dec. *cons. 151. n. 19.* Grat. *cons. 134. n. 1. & 4. lib. 2.* Menoch. *cons. 94. num. 10.* & Lancel. *de attent. p. 2. cap. 6. num. 36. & seqq.*

6 Tum origo, & incolatus adversarii in eadem Civitate, cujus alter est exterus, *cap. Cum R. ubi Glos. addit. v. Cùm sint ejus socii de offic. deleg.* Franch. *in cap. postremo col. 7. de appell.* Specul. *in tit. de Judic. deleg. §. superest*, Marant. *in prine. p. 6. n. 56.*

7 Et tùm amicitiæ, & consanguinitates inter Adversarium, ac plurimos dictæ Civitatis ad textum in *cap. accedens 2.* ubi Glos. *v. linea, ut lit. non contest. de appell.* Maranta *ibid. num. 3.* post Bal. *in l. Quoniam Tiberi C. de testib.* Quæ propterea accessum alteri parti non tutum reddunt ita, ut vel cogeretur arbitrio Adversarii causam non persequi, vel subire vitæ periculum, reclamante textu *in dict. cap. accedens, vers. nec ipsi*, ubi Felin. *concluf. 5.* Soccin. *in cap. Cum pro causa, num. 36. de sentent. excommun.* & Oldrad. *cons. 43. num. 3.*

Collocanda igitur est mulier in loco libero, ac tuto, 8 donec causa terminetur, ut ad rem hanc Paris. *cons. 56. num. 17. lib. 1.* post Soccin. *in cap. fin. col. 3. de for. compet.* estque Testus *in d. cap. accedens §. mandamus* Nec esse potest locus petitæ restitutioni mulieris, nam illa non datur, nisi quando constat matrimonium fuisse contractum ex legitimo consensu cum copula subsequuta, sine quibus possessio in matrimonio non est consierabilis, *cap. ex transmissa*, ubi Glos. *v. legitimè, & v. & ab eo cognita de Sponsal* Rota coram Gregorio XV. *dec. 350. num. 40 cum seq.* ubi subdit, quod propterea tale possessorium dicitur habere admistam causam proprietatis.

Non autem poterit dici constare de legitimo consen- 9 su, si ex testibus constet, mulierem coactam, & invitam fuisse ductam. Quod plenè pugnat libertati consensus *cap. 1. de his, quæ vi met. cauf.* Et hæc contradictio non potest prætendi purgata ex novo consensu, donec de illo non constiterit, præsertim si antea fuerint cum alio contracta sponsalia, vel mulier sit minoris ætaris, in quo casu non potest dici constare de legitimo consensu, qui ad hunc effectum præsumitur, quod naturaliter non adsit, nisi in duodecimo anno, Gloss. *in §. 1. vers. viri potentes de nupt.*

CONSULTATIO CXLI.

An cura animarum, unita Capitulo, possit exerceri à Vicario per Canonicos deputato, & ab Episcopo approbando, vel ab ipsis Canonicis per turnum?

REspondeo affirmativè. Cùm enim cura sit unita Collegio, dicitur esse habitu penes Capitulum, & actu penes Vicarium, illam exercentem juxta Gloss. *in capit. super eod. v. annexæ de præb. in 6.* Abb. *in cap. extirpandæ in repet. §. Qui verò num. 15. eodem tit.* Felin. *in cap. postulasti num. 1. de rescrip.* ac Rota *decis. 710. num. 2. par. 2. recent.* Cavaler. *decis. 595. num. 1. & 2.*

Propterea non implicat, quin possint ipsi Canonici 2 per seipsos curam exercere. Omissa enim regula generali, quod cùm id non reperiatur in jure prohibitum, debet censeri permissum *l. 1. ff. de testib.* certum est, quod Collegium, cui cura est unita, potest personas idoneas, sibi benevisas, deputare indistinctè, atque adeò etiam ipsos Canonicos. Quia Collegium dicitur Prælatus singulorum, & potest deputare personas, quas vult, illasque mutare, & illæ personæ non dicuntur habere curam animarum, sed ipsum Capitulum, ut per Innocent. *in capit. Cùm non ignoret. numer. 2.* ibique Ostiens. *num. 8.* Joan. Andr. Imol. ac cæteri Canonistę *de præben. & dignit.* Cassad. *decis. 11. num. 3. de præben.* & Ludovis. *decis. 370. num. 5. & 6.* & quod possit committi cura uni de Collegio, cui est unita, disertè tradit Abb. *in d. cap. cùm non ignores num. 6.* ibi, *poterit committere jurisdictionem contentiosam, & pœnitentialem.*

Cùm itaque cura non pertineat ad singulos Canoni- 3 cos, sed ad Collegium, sive Capitulum, unicam personam repræsentans Rectores, Oldrad. *cons. 67. num. 1.* Put. *dec. 190. lib. 1.* Gonzal. *ad reg. 8. Cancellar. gloss. 6. num. 71.* Sequitur, quod non pertineat ad quemcumque Canonicum per se, sed potest, quando ipsi Canonici nolunt illam exercere, idoneo presbytero demandari, ut probat Lap. *alleg. 5. n. 11.* ubi adducit Gloss. *in Clem. 1. de privil. v. presbyteri*, quæ refert Textum *in c. statutum de elect. in 6.* ubi Gloss. *v. Collegiatas*, ac Rot. *par. 3. decis. 340. num. 1. recent.*

Unde poterit Capitulum decernere, quod dicta cura 4 in annos singulos exerceatur per turnum a duobus, vel pluribus Canonicis presbyteris, approbandis ab Ordinario juxta Gloss. *in l. 2. Cod. de Constit. pecun. v. indefensæ*, quam allegat Sylvest. *v. Collegium num. 4.* ubi ait, quod circa ea, quæ pertinent ad Collegium, Capitulum potest facere statutum, adducitque Bartol. *in leg. omnes populi, ff. de leg.* & tradit Barbos. *de Canon. & dignit. cap. 42. n. 15.* ubi alii, additque quod in hoc sufficit tacitus consensus Episcopi, utpotè quia scit, & patitur, & refert Calder. *cons. 2. nu. 2. de Constit.* ubi speciatim de hac re.

CONSULTATIO CXLII.

An, & quatenus oblata a fidelibus alicui Sacræ Imagini, pertineant, tam quoad usum, quam quoad administrationem ad Episcopum, anve ad Parochum?

1 PLura de hac re alibi diximus, nunc etiam dicimus pertinere ad Parochum. Aut enim Episcopus asserit has oblationes esse liberas, aut esse datas ob certum usum pro missis, pro fabrica, & hujusmodi aliis. Si liberas, certum est, illas pertinere ad Parochum, tàm quoad administrationem, quàm quoad usum, ac dispositionem ex suo jure Parochiali per Textum expressum *in c. quia Sacerdotes, in can. Sanctorum, in can. benè* 10. *q.* 1. *in cap. pastoralis de his, quæ fiunt a Præl. sine conf. Capit. & in cap. dilectus de offic. Ordin.* & in specie firmat Marescott. *var. resol. lib.* 2. *cap.* 42. *num.* 29. *& seqq.* ac Rota *decis.* 256. *par.* 1. *& decis.* 391. *num.* 3. *ac seqq. par.* 1. *recent. tom.* 2. *& dec.* 257. coram Merlino, ac declaravit Sacra Congregatio Concilii in Cavensi apud Barbos. *de offic. & potest. Paroch. par.* 3. *cap.* 24. *num.* 29. *in fine*, excluso penitus Episcopo, cui tantùm debentur oblationes, quæ dantur Imaginibus extra omnem Parochiam existentibus, ut tradit Felin. *in dict. cap. dilectus in princip. & num.* 3. ibique Abb. *num.* 4. *de offic. Ordin. & in cap. Quoniam num.* 1. *de decim.* ac fusè pro Parocho contra Episcopum Decian. *conf.* 16. *lib.* 2. estque opinio Divi Thomæ 2. 2. *quæst.* 86. *art.* 2. *præsertim in resp. ad* 2. *argum.* Valentia & alii.

2 Aut datas ad certum usum, & eas pariter spectare ad Parochum quoad administrationem, non autem quoad commodum, nemo est, qui dissentiat, ut ex sententia ejusdem Divi Thomæ *loc. cit.* testatur Barbos. *dict. cap.* 24. *num.* 30. allegans Testum *in cap. Vulteranæ, & in can. quatuor* 12. *q.* 2. Abb. *in dict. c. Pastoralis n.* 2. & tradunt Ferrett. *conf.* 143. *num.* 4. Nam oblationes datæ ad certum usum, non debet converti ad alium, sed in illis servanda est mens offerentium, ut docent Adden. ad Capell. Tolos. *dec.* 483. Rebuff. *de decim. quæst.* 1. *n.* 29. & 30. Marescott. *dict. cap.* 24. *num.* 1. Illarum tamen administratio etiam in hoc casu pertinet ad Parochum, non autem ad Episcopum ex eodem jure Parochiali, cùm non solùm ex eadem, sed etiam ex majori ratione, qua Parochus in oblationibus liberis habet commodum, ac dispositionem, in datis ad certum usum habere debeat administrationem.

3 Quare ad eum pertinet illarum custodia, & dispositio. Quia Parochus habet jus universale intra limites suæ Parochiæ, & est mediator inter Deum, & populum: Unde quemadmodum exhibet Populo, eique administrat, quæ sunt Dei, hoc est Sacramenta, ita etiam exhibet Deo, & administrat, quæ sunt populi, nempè preces, & oblationes. Eòque magis, ubi non docetur de aliqua intentione offerentium, & sic in dubio censentur liberæ, & datæ, tum propter servitium Altaris, vel Imaginis, cui offeruntur, tum etiam propter administrationem Sacramentorum, cùm super eas Parochus habeat intentionem fundatam ex jure suo Parochiali tàm respectu commodi, quàm administrationis, itaut ex sola juris assistentia possit petere manutentionem, ut firmat Rota *dict. decis.* 391. *n.* 3. per Textum *in can. decimas, in can. statuimus, in can. Sacris* 16. *quæst.* 1. *& in dict. cap. Pastoralis de his, quæ fiunt, &c. cap. ad audientiam de Eccles. ædifican.* Quia qui Altari serviunt, de Altari participant, ut rectè Div. Thom. *loc. cit.* ac præ cæteris tradunt Marescott. *dict. cap.* 42. *n.* 2. *& seqq.* Ferrett. *dict. consil.* 143. *num.* 2. *&* 4. Azor. *instit. moral. part.* 1. *lib.* 7. *cap.* 38. *quæst.* 13. Guttierez *can. quæst. lib.* 2. *c.* 21. *n.* 162. Genuens. *in prax. cap.* 72. *num.* 14. Riccius etiam *in praxi part.* 4. *resolut.* 296. *num.* 3. ac Rota *dict. decis.* 391. *num.* 3. *part.* 4. *recent.*

4 Quinimmò, etiamsi oblationes fierent in Capellis, in quibus erecta sunt distincta beneficia, debentur Parocho, non autem Beneficiatis ex doctrina Rotæ *in dicis.* 308. *num.* 2. *part.* 2. *& dict. decis.* 391. *nu.* 7. Ac etiamsi fierent Imagini depictæ extra Ecclesiam, sed intra fines Parochiæ in pariete alicujus privati acquiruntur Parocho, & non domino parietis ex adductis à Marescot. *dict. cap.* 42. *num.* 4. & 5. Maximè autem si concurrat etiam consuetudo favorabilis, quam plurimum attendendam esse in hac materia oblationum, asserunt Doctores, res, præcipuè relati a Barbosa *dict. cap.* 24. *nu.* 31. Marescott. *ibidem num.* 2. & Gratian *discept.* 395. *num.* 25.

CONSULTATIO CXLIII.

Habet Sacerdos Rector, & Visitator cujusdam Ecclesiæ, ac Hospitalis privilegium Apostolicum, quod est hujusmodi: *Ut in Hospitali, & Monasterio, ac aliis locis, non solùm omnium ad disciplinam Ecclesiasticam spectantium, nempè ad administrationem Sacramentorum, professionem Monialium, alloquendi licentiam, Missarum celebrationem, Presbyterorum correctionem, & legata pia Hospitali, ac Monasterio, locisque hujusmodi pro tempore facta concernentium curam gerere, sed etiam omnia alia, quæ locorum Ordinarii intra suarum Diœcesum, & Jurisdictionum fines facere, & exercere possunt, & solent.*

Quibus ex verbis quæritur, *an hic Rector veniat nomine Ordinarii, de quo in Sacro Concilio Tridentino sess.* 23. *c.* 25. *de reform.*

CEnseo, affirmativè, respondendum, eumque habere jurisdictionem ordinariam, & quasi-Episcopalem, quapropter nomine Ordinarii in eodem loco venit ad Text. *in l. more, ff. de jurisdict. omn. judic.* ubi Doctores, & tradit Gloss. *in cap. Ordinarii v. locorum de offic. Ord. in* 6. *& in Clem. un. de for. comp. verf. Diœcesanis*, quam celebrem laudat Abb. *ibidem num.* 15. Gemin. *num.* 5. Franch. *n.* 3. aliique communiter, Feder. de Sen. *conf.* 95. *col.* 3. Guttierez *Canon. quæst. lib.* 1. *cap.* 19. *n.* 15. Flamin. *de resignat. lib.* 3. *q.* 11. *num.* 19. Honor. *in summ. jur. Canon. lib.* 1. *tit.* 31. *n.* 1. & Sanch. *de matrim. lib.* 3. *disp.* 29. *num.* 4. Ex eo enim, quod hic Rector sit creatus authoritate Apostolica, habet authoritatem a Pontifice, atque adeò jurisdictionem ordinariam. Nam illi sunt Ordinarii, qui mediante lege habent authoritatem, & potestatem a Principe, *can. a Judicibus* 2. *q.* 6. ibi, *Ordinarii verò sunt, qui ab Apostolico, ut Ecclesiastici, vel ab Imperatore, ut sæculares legitimam potestatem accipiunt, & l. & quia, ff. de jurisdict. omn. judic.* Nomine enim Ordinarii locorum veniunt Episcopi, & habentes jura Episcopalia supra sæculares juxta ea, quæ notat Rota *decis.* 798. *p.* 4. *recent.* & in Salamantina jurisdictionis coram Seraphino. 1

Cùm igitur hic Rector in suo districtu sit Ordinarius, & in eo habeat jurisdictionem quasi Episcopalem ordinariam, nulli dubium est, quin possit audire confessiones absque alia Ordinarii approbatione, cùm sit ipse Ordinarius, immò etiam alios presbyteros pro suo districtu approbare; quia hæc approbatio est actus jurisdictionis ordinariæ, & Sacrum Concilium Tridentinum hanc potestatem Episcopis tribuit simpliciter ratione sui muneris. Rector autem iste jurisdictionem quasi Episcopalem habet, itaut ipsum subditi in hoc foro nullum alium Superiorem, excepto Romano Pontifice, recognoscant, ut in specie de prælatis Episcopo inferioribus, jurisdictionem quasi Episcopalem habentibus, quod veniant nomine Ordinarii, & posse alios approbare, docent Sanchez. *loc. cit. n.* 15. *in fin.* Enriq. *de Sacram. lib.* 6. *n.* 3. Suarez *to.* 4. *de Sacram. disp.* 28. *sect.* 15. *n.* 3. Castropal. *eodem tit. tract.* 23. *disp.* 5. *punct.* 19. *§.* 3. *n.* 1. Fagundez *ad secund. præcept. Decalog. lib.* 2. *c.* 2. *num.* 55. Tambur. *de jur. Abb. tom.* 2. *disp.* 6. *q.* 11. Bonac. *de Sacram. disp.* 5. *qu.* 7. *punct.* 4. *§.* 1. *n.* 9. & Card. de Lugo *de Sacram. pœnit. disp.* 21. *sect.* 2. *n.* 22. 2

Cùm enim hæc facultas pertineat ad Ordinarium loci, & hic Rector facere possit quicquid facere possunt, & solent Ordinarii intra suarum Diœcesum, & jurisdictionum fines, ut satis declarant verba privilegii, non solùm Episcopus, sed etiam hic Rector, & quicumque alius, qui in locis exemptis habet jurisdictionem ordinariam, poterit Confessarios approbare in suo districtu. Nam veniunt appellatione Ordinarii, non solùm Episcopi, sed etiam quicumque alii, qui ordinariam jurisdictionem habent. sive a Canone, sive a præscriptione, sive a privilegio, ut tradunt Zabarell. *in Clem. Quia Regulares num.* 11. *de supplen. neglig. Prælat.* Abb. *in c. ut forma n.* 6. *de sent. excomm.* Dec. *conf.* 121. Bellam. *conf.* 20. Mising. *in cap. post cessionem num.* 2. *de prob.* Paris. *loc. cit.* Navarr. *conf.* 9. *de privileg.* Cochier *de jurisdict. ordinar. in exempt. par.* 1. *tract. quæst.* 1. *numer.* 9. Et ideò potest ea facere, quæ ordinariis committuntur. 3

Eòque magis, si locus sit sub immediata Regia protectione, & Rector sit in hac quasi possessione, & sua jurisdictio sit privativè quoad omnes, nec Ordinarius loci aliquam habet in dicto districtu jurisdictionem, nec visitat, etiam tanquam Sedis Apostolicæ delegatus. 4

Nec solùm Rector, & Confessarii ab eo approbati, 5

pos-

poſſent confeſſiones ſacramentales audire ſubditorum exiſtentium ſub juriſdictione Rectoris, ſeu Viſitatoris, verum etiam omnium confluentium ad Eccleſias eidem ſubjectas, abſque approbatione Ordinarii pœnitentis, ut tradunt Navarr. *in man. cap. 27. num. 266.* Rivald. *in candelab. de confeſſ. num. 27. concl. 3.* Fagund. *d. lib. 7. cap. 2. num. 72.* Caſtrop. *loco cit. diſp. 5. num. 4.* Coninch. *de Sacram. diſp. 8. dub. 7. num. 50.* Bonac. *eodem argum. diſp. 5. quæſt. 7. punct. 4. §. 1. num. 15.* ac de Lugo *dict. diſp. 21. ſect. 2. num. 2.*

CONSULTATIO CXLIV.

Quomodo Epiſcopi moribus caſtè informandis invigilare debeant? Ab eorum correctione quatenus appellandum?

1 SAcrum Concilium Tridentinum *ſeſs. 13. cap. 1. de reform.* illud primum in hac re Epiſcopos admonendos cenſet, ut ſe paſtores, non percuſſores eſſe meminerint, atque ita præeſſe ſibi ſubditis oportere, ut non in eis dominentur, ſed illos tanquam filios, & fratres diligant, elaborentque, ut hortando, & monendo ab illicitis deterreant, ne ubi deliquerint, debitis eos pœnis coercere cogantur, quos tamen ſiquid per humanam fragilitatem peccare contigerit, illa Apoſtoli eſt ab eis ſervanda præceptio, ut illos arguant, obſecrent, increpent in omni bonitate, & patientia, cùm ſæpè plus erga corrigendos agat benevolentia, quam auſteritas, plus exhortatio, quàm comminatio, plus charitas, quàm poteſtas.

2 Sin autem ob delicti gravitatem virga opus fuerit, tunc cum manſuetudine rigor, cum miſericordia judicium, cum lenitate ſeveritas adhibenda eſt, ut ſine aſperitate diſciplina populis ſalutaris, ac neceſſaria conſervetur, & qui correcti fuerint, emendentur, aut ſi reſipiſcere noluerint, cæteri ſalubri in eos animadverſionis exemplo a vitiis deterreantur, cùm ſit diligentis, & pii ſimul paſtoris Officium, morbis ovium levia primum adhibere fomenta, poſt, ubi morbi gravitas ita poſtulet, ad acriora, & graviora remedia deſcendere; ſin autem nec ea quidem proficiant illis ſubmovendis, cæteras ſaltem oves a contagionis periculo liberare. Hæc ſunt nedum ab ovibus ſæpè, ac ſerio ruminanda, ſed etiam a paſtoribus.

3 Cùm igitur rei criminum plerumque ad evitandas pœnas, & Epiſcoporum ſubterfugienda judicia, quærelas, & gravamina ſimulent, & appellationis diffugio Judicii proceſſum impediant, ne remedio ad innocentiæ præſidium inſtituto, ad iniquitatis defenſionem abutantur, atque ut hujuſmodi eorum calliditati, & tergiverſationi occurratur, ita ſtatuit, & decrevit in cauſis viſitationis, & correctionis, ſive habilitatis, & inhabilitatis, nec non in criminalibus, ab Epiſcopo, ſeu illius in ſpiritualibus Vicario generali ante definitivam ſententiam ab interlocutoria, vel alio quocumque gravamine non appelletur, nec Epiſcopus, ſeu Vicarius appellationi hujuſmodi, tanquam frivolæ, deferre teneatur, ſed ea, quacumque inhibitione ab appellationis judicio emanata, nenon omni ſtylo, & conſuetudine, etiam immemorabili, contraria non obſtante, ad ulteriora valeat procedere, niſi gravamen hujuſmodi per definitivam ſententiam reparari, vel ab ipſa definitiva appellari non poſſit, quibus caſibus Sacrorum, & antiquorum canonum ſtatuta illibata perſiſtant.

4 Hæc Sacrum Concilium, in cujus decreti prima parte præſcribitur Epiſcopis modus corrigendi ſuos ſubditos ad divinum, ſuave ſimul, ac fortè per mixturam lenitatis exigendus. Regimen porrò Dei leniſſimum, ac ſuaviſſimum manifeſtè ferunt illa de divina Sapientia, cuncta regente: *Diſponit omnia ſuaviter* Sap. 8. Hoc quid ſic exponit Hugo Victorinus *homil. 11. in Eccleſ.* ſub finem, inquiens: *Nihil excipitur a ſuavitate ejus, omnia diſponit ſuaviter. Quæ omnia? Prava, & recta, bona, & mala, obnoxia, & adverſa. Omnia diſponit ſuaviter, non ſolùm bona, ſed etiam mala: non ſolùm recta, ſed etiam prava: non ſolùm obnoxia, ſed etiam adverſa. Omnia diſponitur ſuaviter. Quàm ſuaviter? Vultis ſcire, quàm ſuaviter diſponit omnia? Sine violentia adverſa ſubjicit, ſine tumultuatione prava dirigit, & in pacatiſſimo Regno ſuo quod juſtitia intus tenet, mala quoque, & adverſantium vitiorum motus, ſine coactione, ſecreto ordine, ſapientiſſimaque diſpoſitione ſervire facit. Tam ſuaviter enim omnia, etiam non ſuavia diſponit, ut omnia, quæ contra ejus voluntatem ſe erigunt, neque potenter extinguat, ut nihil ſint, nec violenter compellat, ut nihil poſſint, ſed eſſe ſinens, & poſſe annuens, currentia contra ſuam voluntatem manifeſtè permittit, & occultè conducit ad implendam ſuam voluntatem, & cùm mali volunt illa contra ipſam ſine ipſa volunt, cùm autem poſſunt, quod volunt, ab ipſa poſſunt, cùm verò faciunt, quod poſſunt, putant quidem, & volunt facere ſe, quod ipſa non vult, tamen, & non aliud faciunt, nec facere queunt, quàm quod ipſa vult. Manifeſtè enim permittuntur, & occultè conducuntur, & ſuaviter diſponuntur, & pertingit uſque ad eos Sapientia ita fortiter, ut ipſos ad ſuam diſpoſitionem reſtringat, & diſponit ſuaviter, ne eos ipſos contra eorum voluntatem compellat; Sed & ſi quando exterius violentiam pravis voluntatibus adhibendis, ſive plectendis adhibet, nunquam tamen ſuavitatem ſuæ diſpoſitionis deſerit, quia in ſe tranquilla permanens, unde adverſantium pacem malè quietem turbat, inde regnum juſtitiæ ſuæ ſolidius ad pacem componit. Propterea ergo pertingit a fine uſque ad finem fortiter, & diſponit omnia ſuaviter.* En quanta in regendo divina ſuavitas!

5 Expreſſam ſymbolo ſibili auræ tenuis divinam hanc regendi, & agendi rationem legere licet *3. Reg. 19.* Ad hanc tertiò objectam ſpeciem reſpexit Tertullianus *lib. de patient. cap. 15.* deſcribens patientiæ thronum: *Sedet* inquit, *in throno ſpiritus ejus mitiſſimi, & manſuetiſſimi, qui non turbine eglomeratur, non nubilo livet, ſed eſt tenore ſerenitatis apertus, & ſimplex, quem tertio vidit Elias.* Quamvis autem varii Doctores variè illa ſymbola vehementis ſpiritus ignis vocantes, & auræ tenuis Eliæ objecta interpetrantur, tamen admodum veriſimilis ea expoſitio videtur, quæ affirmat, ſignificaſſe iis Deum ſuam agendi, & regendi rationem, non duram, ſeveram, impotentem, ſed lenem, ac ſuavem eſſe. ¡Quod latiſſimè verſat Sanctus Chryſoſtomus *tom. 1. homil. de Petro, & Elia, t. 6.* alia *homil. de Elia. Bonus Elias præ zelo, quo flagrabat auſteri, ac duri ſpiritus erat, eumque Deus ſatagebat traducere ad lenitatem erga populum, in quem ob Numinis violationem concitatior erat.* Itaque exhibuit ſe illi Deus ſpecie tenuiſſima, ac leniſſima, nec conterens petras, ſed melliter perflans, ac ſibilans.

6 Adſtipulatur planè Theodoretus *qnæſt. 57. ad lib. 4. Reg.* & concinnè Petrus Bleſenſis *epiſt. 100.* cujus, præter cætera, hæc eſt oratio, dum informat novum Prælatum: *Turpe quidem, & abſurdum eſt in Prælato cum ira, & auſteritate corripere, ſicut Apoſtolus ad Timotheum ſcribens ait, Dei ſervum, inquit, non oportet litigare, ſed manſuetum eſſe, & patientem ad omnes, & cum lenitate corripere eos, qui reſiſtunt veritati, &c. Cùm Prophetа diceret eſſe ſpiritus grandis conterens petras, & in ſpiritu Dominus, & poſt ſpiritum commotio, non in commotione Dominus, & poſt commotionem ignis, non in igne Dominus. Et adjungit, & poſt ignem ſibilus auræ tenuis, & in eo Dominus. Nam cùm ſpiritus iræ, & commotionis, igniſque iracundiæ Deo diſpliceat, ipſi accepta eſt lenis, & blanda correctio.* Videndus quoque, qui de hoc ſibilo Eliæ objecto præclarè differit Philippus Abbas *lib. de ſilentio Cleric. cap. 39.*

7 Specimina verò divinæ in regendo ſuavitatis in ordine naturæ, & in ordine gratiæ ex ipſa praxi manifeſta ſunt. Nam in ordine naturæ, Deus, ut Sanctus Auguſtinus ſapienter ratiocinatur *lib. 7. Civitat. cap. 30.* Omnia motus ſuos agere ſinit, quæ eſt ſumma omninò agendi, ac regendi ſuavitas. Mavult Deus cum honoris ſui, ac ſupremæ ſuæ majeſtatis injuria non temerare naturalia jura, quæ humanæ libertati in ſeipſam conceſſit, quàm cum ea temeratione, quæ illi eſſet planè ad manum, impedire innumera, & atrocia ſcelera, quibus in momenta ſingula a mortalibus violatur. Immò non levis admiratio eſt, cùm aliquando per miraculum agentia merè naturalia prohibeat operatione, humanam tamen libertatem vix unquam inhibuiſſe, deprehenditur.

8 In ordine autem gratiæ, veriſſimè Sanctus Chryſoſomus *homil. 12. in Epiſt. ad Hebr.* divinam erga nos ſuavitatem expreſſit, docens, Deum, ne noſtram temeret libertatem, & ut ſuaviter, magnaque cum condeſcenſione omnis violentiæ expertè nobiſcum agat, nequaquam nos prævenire, non quod non exigatur ſemper gratuita Dei præventio, ut ſupernaturalis boni quippiam moliamur, ſed quod divinæ gratiæ præventio non ſit ejuſmodi, quæ libertatem noſtram violet. Indubitatumque eſſe debet, eam negationem præventionis, ne noſtra libertas temereretur, aliud non excludere, quam violentam voluntatis humanæ coactionem cum libero uſu poteſtatis utrolibet flexilis incompoſſibilem.

9 Eandem divinæ ſupernaturalis providentiæ, rectricis voluntatum humanarum, ſuavitatem, violentiæ omnis expertem, ſuſpexere Patres alii. Origenes circa illud Apoſtoli Roman. 9. *inſertus es in bonam olivam*,

ita inquit : *Sicut omnis materia corporalis, cùm ſine dubio unius naturæ ſit, per accidentes ſibi qualitates, diverſas ſpecies profert, vel corporum, vel arborum, vel herbarum, ita & cùm omnium rationabilium una natura, arbitrii æqualiter libertate donata unuſquiſque proprii motus, ex arbitrii poteſtate prolati, vel ad virtutem, vel ad libidinem ſubjectam ſibi animam perducentes, vel in bonæ eam, vel in malæ arboris formant ſpeciem, ut aut bona dicatur arbor, ſi per arbitrii poteſtatem delegerit bona, aut mala dicatur, ſi elegerit mala, & ſic unuſquiſque ſecundum propoſita ſui motus, aut dicatur bona oliva, ſi iter virtutis incedat, aut ſi contraria ſectetur, oleaſter nominabitur. Inde denique, & Dominus in Evangelio dicebat : Aut facite arborem malam, & fructum ejus malum, aut facite arborem bonam, & fructum ejus bonum, ut oſtenderet arborem bonam, vel malam non naſci, ſed fieri. Jam verò ſi accidit aliquid ad arbitrii libertatem, quod extrinſecus vel ad mala provocet, vel hortetur ad bona per inſallibiles quaſdam Divinæ Providentiæ diſpenſationes, in nullo conſequentiam propoſitæ abſolutionis offendit. Habet enim in ſemetipſo natura rationalis vigentem arbitrii libertatem, quæ vel obedire, ſi velit provocanti, vel ſi nolit, ſpernere poſſit hortantem.*

10 Philo Carpathius tractans illud Cantic..... *Terribilis, ut Caſtrorum acies ordinata*, cùm præmiſiſſet neceſſitatem divinæ circa nos ſollicitationis, quæ invitationem tantùm, & collectionem ferat, violentia autem, & neceſſitudine careat, ſubdit: *Duo ad ſalutem ſunt nobis maximè neceſſaria, quorum unum ſupra nos, alterum nobis inest ex munificentia conditoris. Divina gratia ſcilicet nos præveniens, & liberum de voluntate judicium. Gratia alliciendo, incipit, admiſſa conſequitur, benè retenta, ac fota perficit. Ut enim oviculæ, vel alii cuivis è cicuribus animanti præmonſtratum aliquid, eam propius allicit, ac movet, nec tamen cogit, ita menti humanæ, divinæ gratiæ lumen infuſum, voluntatem noſtri animi ſeu rationis, quam appetitum appellant, allicit, ac trahit, nec ulla vi cogit, ſed ſola charitate benigniſſimè invitat.*

11 Idem habent Eucherus *homil. 9. de Paſchate*, Ennodius *lib. 2. epiſt. 19.* Bernardus *ſerm. 85. in Cant. ſub med.* Sicque ſe nobiſcum gerit Deus, ait Author imperfecti operis *in Matth. homil. 14.* ad illud, *adveniat regnum tuum*, quia Rex eſt, non Tyrannus. Idcircò enim neminem per violentiam adigit, quia Rex legitimus eſt. Ac ita luculenter Sanctus Dionyſius *cap. 4. divin. non prope fin.* illam multorum ſive querimoniam, ſive criminationem, quod Deus nos ad virtutem per providentiam, neceſſitatem, ac vim inferentem non trahat, vocans inconſideratum, vanumque multorum verbum, quod negat, approbandum eſſe, cùm deſtruat naturam, cui divina ſuavis gubernatio ſapientiſſimè ſe accomodat. Arnobius *lib. 2.* inſulam illam adverſus Deum criminationem fusè & refert, & refutat, necnon Lactantius *inſtit. cap. 5.* itemque Baſilius *homil. quod Deus non ſit author malorum*. Nyſſenus *orat. de mortuis*, & *in orat. cath. cap. 17.* Hilarius *in pſalm. 2.* Chryſoſtom. *homil. 14. in 1. Corinth.* & *83. in Matt.* Cyrill. *lib. 1.* Glaphyr. *in Geneſ. §. de Adam.* Titius Boſtrenus *lib. 2. contra Manich.* Nemeſius *cap. 41. lib. de homine*. Æneas Gazæus *in Theophraſt.* Ex hæreticis idem tradit Pelagius ea ad Demetriadem Virginem epiſtola, quam aliquis abſurdè S. Hieronymo, alii B. Ambroſio adſcripſerunt, cùm manifeſtè ſpira Pelagium, & ab ipſo Divo Auguſtino, tanquam fœtus Pelagii agnoſcatur, & confutetur *lib. de gratia Chriſti cap. 22.* atque ex Ethnicis Simplicius *ad cap. 34. enchir. Epicteti*, diſputans de cauſa mali.

12 Inſigne prætereà divinæ in regendo ſuavitatis argumentum petere licet ex eo, quod ſiquando juſtitiæ ratio Deum adigat ad plectendos noxios, temperatiſſima ſemper infertur ultio. Advertit id præclarè Salvianus ſub finem libri primi *de provid.* Expendens, quod refertur *Exod. 32.* de pœna ob vituli conflationem, & adorationem irrogata. *Cùm omnis populus*, inquit, *reus fuerit, cur non eſt in omnes miſſa damnatio ?* Quia pius ſcilicet Dominus partem percuſſit ſententiæ ſuæ gladio, ut partem corrigeret exemplo, præberetque omnibus ſimul, & coercendo cenſuram, & indulgendo pietatem. Cenſura enim fuit, quod caſtigavit, pietas quod pepercit, quamvis utrumque impari modo, plus ſiquidem tunc pietati datum eſt, quàm ſeveritati. Ideò utique, quia cùm indulgentiſſimus Dominus propenſiorem ſe ſemper miſerationi præſtet, quàm ultioni, licèt in coercendo tunc Judaici exercitus parte, judicio, & ſeveritati cenſura divina aliquid attribuerit, majorem tamen ſibi populi portionem pietas vindicavit, ſpecialiter quidem hoc, & peculiari tunc innumeræ plebis miſericordia, ne omnes ſcilicet, quos reatus complectebatur, pœna conſumeret.

Egregiè Paulinus *epiſt. 10.* ad Severum : Tanta eſt enim ſumma Patris pietas, ut etiam ira ejus, miſericordia ſit, & ideò caſtiget, ut parcat. Denique Beatus Apoſtolus ideò cæcatus eſt, ut illuminaretur, cecidit perſequutor, ut Apoſtolus ſurgeret, in itinere iter repetit, & in impietatis via viam pacis agnovit. Meritò igitur Ricoldus antiquus, & gravis Mahumetiſmi oppugnator *lib. contra Alcoranum lib. 10.* inde confirmat, legem Mahumeticam a Deo non eſſe, quod ſit lex violentiæ, cùm è contrario divina lex, & rectio leniſſima ſit, & ſuaviſſima. 13

Ex hac Divina in regendo lenitate exiſtunt illæ Dei querelæ in Præfectos impotentis animi, & ut ſapiens appellat, *ictus Fluvii*, hoc eſt violentos, vehementes, ac incitatiſſimi impetus, & ferociæ. Eas querelas apud Ezechielem *cap. 34.* his verbis legimus : *Gregem meum non paſcebatis. Quod infirmum fuit, non conſolidaſtis, & quod ægrotum non ſanaſtis, quod confractum eſt, non alligaſtis, & quod abjectum eſt non reduxiſtis, & quod perierat non quæſiſtis, ſed cum auſteritate imperabatis eis, & cum potentia, ideſt aſperè, ac dominando*, ut exponit Sanctus Gregorius *23. moral. cap. 13.* Eadem forma in regendo, *potentiæ* nomine exprimitur apud eundem Prophetam *cap. 22.* juxta ſeptuaginta, quos Nazianzenus expreſſit *orat. 1. num. 113.* 14

Et hoc maximè nomine gloriam divinam promovit Chriſtus, quod homines, quorum animas ad Deum converſurus venerat non dominantis authoritate ſubegit, ſed ſubjectorum ſpontanea deditione, quam obtinuit lenitate, & manſuetudine, mirabiliter dexteram ejus deducente, ut habet Pſalmus 44. Hac ratione revocavit Chriſtus ad praxim, quod paſſim uſurpabat in ſermone, ac doctrina. Notavit enim Sanctus Chryſoſtomus *homil. 60. in Joannem* ſub initio, Chriſtus paſſim de lenitate, ac benignitate verba facere ſolitum. Hæc eſt illa Chriſti in regendo lenitas, per quam Apoſtolus, ut Thophylactus rectè expandit, Corinthios obteſtabatur 1. *Corint. Obſecro vos per manſuetudinem*, & *modeſtiam Chriſti*, græcè *lenitatem*. 15

Neque eſt, quod quis pugnare cum ea tanta Chriſti regiminis lenitate exiſtimet, *virgam ferream*, in qua recturum Chriſtum prænunciavit *Pſalmo 2.* David. Occurram enim cum S. Hilario ad eum Pſalmum. Ne quis temerariæ huic, & impiæ præſumptioni locus pateat, proprietates ipſæ verborum in Romanam linguam translatorum cognoſcendæ ſunt. Namque id, quod nobiſcum eſt, *Reges eos in virga ferrea*, quamquam ipſum *reges*, non tyrannicum, neque injuſtum ſit, ſed ex æquitatis, ac moderationis arbitrio, regimen rationale demonſtret, tamen molliorem adhuc regentis affectum proprietas Græca ſignificat. Quod enim nobiſcum eſt *reges eos*, cum illis eſt, *paſtoraliter reges*, regendi ſcilicet eos curam, affectu Paſtoris habiturus. Ipſe eſt enim paſtor bonus, cujus oves nos ſumus, pro quibus animam ſuam poſuit. Ne autem jus tyrannicum ſignificari arbitraremur in virga, quæ in virgæ nuncupatione proprietas ſit ex novo, & veteri teſtamento noſcendum eſt. 16

Adſtipulantur huic Sancti Hilarii interpretationi de virga ferrea, hoc eſt inflexibilis, & recta, ſed nonniſi paſtorali regimine Sanctus Auguſtinus, Theodoretus, & alii *in Pſalm. 2.* necnon Primaſius, Beda, & Rupertus *in capit. 2. Apocalypſ.* ubi Joannes, ſicut etiam *capit. 2.* & *19.* conſentaneæ ad Hebræum, & Græcum Pſaltis contextum, è quo apertè profecit, *virgam ferream*, appellat rectionem paſtoralem, quæ cùm ſita ſit in paſcendo, caret amaritudine, eſtque leniſſima. Ne verò hæc expoſitio ſingularis videretur, Sanctus Hilarius adducit plures ſcripturas quibus oſtendit, virgam, & quidem ferream, nonniſi validam, & firmam, tyrannidis tamen, & violentiæ expertem, poteſtatem ſignificare, qualis ſanè fuit Chriſti poteſtas, & rectio, quæ eſt etiam Chryſoſtomi de eo loco ſententia. 17

Quam porrò ipſe Chriſtus Dei imitatione ſervavit regendi temperationem, eandem illis, quos ſuos in Eccleſiæ regimine conſtituebat Vicarios, ut loquitur Sanctus Bernardus *ſerm.* in illud, *Audiam quid loquatur*, immò miniſtros ſuo loco præſcripſit *Matth. 20.* Alibi verò *homil. 6. in Iſaiam*, ex eodem Chriſti monito Apoſtolis dato, colligit, Epiſcopum, & idem eſt de quovis Rectore Eccleſiaſtico, ſervum ſtatui eorum, quibus præeſt. Non ad Principatum, inquit, Eccleſiæ venit, qui ſalvari vult, etſi præeſt, ſed ad ſervitutem Eccleſiæ, ſi oportet, & de Evangelio: *Principes quidem gentium dominantur eis, & qui poteſtatem habent in illis, magiſtratus vocantur. Non ſic autem erit in vobis.* Nec enim dominantur Principes in vobis, ſed qui vult veſtrum eſſe major, erit omnium minimus. Qui vult eſſe primus, erit omnium noviſſi- 18

novissimus. Qui vocatur ergo ad Episcopatum, non ad Principatum vocatur, sed ad servitutem totius Ecclesiæ.

19 Angeli quoque, qui nostri Rectores sunt, ea lenitate, ac mansuetudine homines dirigunt, quam nemo unquam satis suspexerit. Ideòque Petrus Blesensis *serm.* 3. Angelos absolutè mites appellat. In tribus quidem mansuetudo consideratur, si quis scilicet socialis est, ut cum quibuscumque vivat, gratiosus sit eis. Sic Paulus omnibus omnia factus. Si quis etiam lædentem non lædit. Postremò, etiamsi lædenti benefaciat. Hæc præcipuè in Angelis eminent. Cùm enim ille impudens, & impudens Lucifer se a Deo, & socialibus dissociaret Angelis, ipsi in societate perstiterunt, in mansuetudine sua roborati. Injurias, quas eis quotidie inferimus, dum studiæ eorum refragamur, patienter sustinent, nec læsi non lædunt, immò mitius compatiuntur nobis, & quod verisimile est, tanquam medici majorem solicitudinem infirmis impendunt, quàm sanis, & magis gaudent super uno peccatore pœnitentiam agente, quàm super nonaginta novem justis, qui non indigent pœnitentia.

20 Et est tamen Angelorum potestas maxima, ut præter cæteros copiosè prosequitur Sophronius Hierosolymitanus, eo encomio, quod dixit Sanctis Angelis, & nos in nostro opere de Sacro fidei Catholicæ Tribunali, nihilque faciliùs foret Angelis Sanctis, quàm hominem minimo nitu conterere. Id, quod manifestissimum fuit in clade, quam unicus Angelus perbrevi tempore sine strepitu intulit copiis numerosissimis, & instructissimis Sannacheribi. Quare non foret unicuivis Angelo operosum, hominem, cui præest, vi adigere quo vellet. Non potest quidem Angelus, sive intellectum, sive voluntatem hominis implere, ut loquuntur Patres, Basilius initio *lib.* 5. contra Eunom. Fulgentius *de fid. ac justit. cap.* 3. Paschasius *lib.* 4. *de Spiritu Sancto in fine*, Bernard. *lib.* 5. *de consid. cap.* 3. Rupertus *lib.* 1. *de oper. Spiritus Sancti cap.* 26. Ideò non potest quidem Angelus per seipsum directè, ac immediatè hominem sive intellectuare, verbum est Divi Augustini *serm.* 18. *in psalm.* 118. ejusdem intellectui immittere cognitionem, sive voluntati ejus talem, aut talem actum imprimere, tamen indirectè, & interventu inferiorum potentiarum subordinatarum, in quas per externos sensus, ac temperiem corpoream multum juris habet, ita afficere eas quoque superiores facultates potest, ut non difficilè illas adducat quò libuerit.

21 Tanta, tamque robusta, ac valida cùm sit Angelorum potestas in eos, quos dirigunt, tamen nihil per vim, ac impetum, sed omnia suaviter, ac moderatè suscipiunt.

22 Nec deest vox Apostolorum de necessitate exprimendæ in regendo suavitatis. Sanctus Petrus *epistol.* 1. *c.* 5. christianos rectores informans, sic scribit: *Seniores, qui in vobis sunt, obsecro, consenior, & testis Christi passionum, qui & ejus, quæ in futuro revelanda est gloriæ communicator. Pascite, qui in vobis est gregem Dei provident, non coactè eos, sed spontaneè secundum Deum. Neque turpis lucri gratia, sed voluntariè, neque ut dominantes in Cleris, sed forma facti gregis ex animo, & cùm apparuerit Princeps Pastorum, percipietis immarcescibilem gloriæ coronam.* Seniores non ætate, sed dignitate, ac munere, idest Præpositos spectat hæc oratio, ut sequentia manifestè ostendunt, quibus Apostolus docet hujusmodi seniorem esse, pascere, ac providere.

23 Mirum porrò videri non debet, S. Petrum, suavem, temperatamque rectionem adeò probare. Quod enim, Sancti Optatus *lib.* 7. in Parmen, Chrysostomus *orat.* in Petrum, Eliam, & Petrus Damiani egregiè observarunt, provideat Deus nobis, prospiciens, ut severior, austeriorque, & rigidior Petri animus mitesceret, atque mollesceret. Erat sanè Petrus, ut ratiocinatur Sanctus Chrysostomus *serm.* 27. Vertex Apostolorum, Basis immobilis, Petra firmissima, Princeps Ecclesiæ, Portus inexpugnabilis, Turris stabilis. Hunc tamen talem, & tantum in Ecclesiæ Pastorem electum, impingere, ac interterrimum abnegati Christi peccatum ruere. Permisit Deus. Rationem illius providentiæ sic aperit Sanctus Chrysostomus: *Si Doctores, & Sacerdotes minimè peccarent, neque affectibus hujus vitæ essent obnoxii, adversus alios inhumani essent & implacabiles. Ob eam igitur causam, etiam Sacerdos ipsos Ecclesiæ, affectibus esse subjectos permisit, ut ex eo, quod in seipsis sentiunt, faciliores ad veniam aliis dandam fiant.*

24 Eundem Dei, & Christi in regendo spiritum obtinuit cum Petro Paulus, neque ex dissimili origine. Nam Paulum quoque, ut Petrus Damiani notat *serm.* 27. idcircò Deus multipliciter olim inquinari permisit, ut tantum rector animorum suavitatem regiminis addisceret. Itaque aliis rectoribus metuens *ad Galat.* 6. disertè denunciat, verendum esse iis, qui in alios severius, ac inclementius se gerunt, ne sinantur ipsi quoque cadere: *Si præoccupatus*, inquit, *fuerit homo in aliquo delicto, vos, qui spirituales estis, hujusmodi instruite in spiritu lenitatis, considerans te ipsum, ne & tu tenteris.* Præoccupatum hominem, hoc est non ex adulta iniquitate prolapsum, sed præventum, & ferè antequam lapsum suum perfectè adverteret in præceps actum, admonet Paulus oporteret leniter instrui, aut, ut verbi græci emphasis retineatur, *restitui cum mansuetudine*, per rectores spirituales aliis dirigendis, ac juvandis præpositos, qui non imperio subditis præsideant, sed ministerio, ut loquitur Tertullianus *lib. de pudic. cap.* 21. Quod si intemperantius se gerant, zelum Dei obtendentes, jubet memores esse communis naturæ in omnibus prolapsionis obnoxiæ, ostendens, nihil esse proclivius, quàm ut qui in alios ferrei, & immites sunt, cùm ceciderint, id enim præsertim est colorati tyrannici spiritus, & impotentiæ animi obtendiculum, egeant ipsi aliquando commiseratione aliena justo Dei judicio, & æquissimo permissu prolapsi.

Alia quædam ex Apostolo, quibus lenis ejus, ac suavis in regendo animus apertè proditur, expedit Origenes *tract.* 13. *in Matth.* in hunc modum: *Cùm sint multi dispensatores, difficile est invenire fidelem, & prudentem. Propter quod & ait Apostolus: Ita nos existimet homo, ut ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei. Hic jam quæritur inter dispensatores, ut fidelis inveniatur.* Peccat autem in Deum quicumque Episcopus, qui non quasi conservis servus ministrat, sed quasi Dominus, frequenter autem & quasi amarus dominus dominans, similis constitutus Ægyptiis, qui affligebant vitam filiorum Israel cum vi. Ergo memores esse debent verborum Christi dicentis: *Vos vocatis me magistrum, &c.* Et illud *Principes gentium dominantur, &c.* Audire autem oportet & Paulum dicentem: *Cùm possemus esse oneri, ut Christi Apostoli, facti sumus parvuli in medio vestrum. Quemadmodum si nutrix foveat natos suos, sic desiderantes cupimus participare vobiscum, non solùm Evangelium, sed etiam animas nostras. Et non oportet percutere conservos, sed corripere inquietos, consolari pusillanimes, sustinere infirmos, & patientes esse ad omnes. Quoniam servum Dei non oportet litigare, sed mansuetum esse ad omnes, cum modestia docentes eos, qui resistunt.*

Spiritus lenitatis, ac benignitatis, qui duos Apostolorum Principes ad suavem, ac lenem rectionem impulit, æquè cæteros Apostolos ad similem regendi formam induxit. Quare dubitare non licet, quin quæ laus fuit duorum Apostolorum, ut jure diceretur, *Ubera Ecclesiæ*, præ lenitate præsertim, ac benignitate, in alios item Apostolos omnes ceciderit. Unde Sanctus Chrysostomus *orat.* de Sancto Ignatio, laudem unicuipiam Apostolorum tributam in omnes æquè, redundare confirmat, sic scribens: *Cùm Paulum dico, non hunc solum intelligo, sed & Petrum, & Jacobum, & Joannem, atque omnem ipsorum chorum. Quemadmodum enim in lyra cum diversæ sint cordæ, unus tamen concentus est, sic etiam in Apostolorum choro, quamvis sint diversæ personæ, una tamen doctrina est, quandoquidem & unus artifex est Spiritus Sanctus, qui ipsorum animos movet, idque Paulus ostendens, sive igitur* inquit 1. *Cor.* 15. *illi, sive ego, sic prædicamus.* Quare quam regiminis lenitatem Petrus, & Paulus factis, & verbis prætulerunt, facti suorum alumnorum nutrices, & ubera, idem universi quoque Apostoli exhibuerunt, & docuerunt.

Nec aliud est ab Apostolis Apostolicorum virorum de necessaria imitatione divinæ in regendo lenitatis judicium. Sanctus Athanasius *in exhort.* informans magistros Monachorum, & docens, quàm satius sit leniter, ac benignè, quàm durè, & asperè se gerere, sic loquitur: *Magnis benignitatis adhortationibus de illiciente blandimento via veritatis ostensa, nubem erroris aperite, ut non trahi incipiat unusquisque, sed sequi procedentem. Semper duriora flectenda sunt, ne viribus inclinata curvatio, priusquam in circulum veniat fatiscens, fragmen effundat. Hinc sæpius scandala vulgò dicaciter gignuntur. Dum ad Religionis jugum censorum abrogatur imperium, vita nostra jubeat, lingua persuadeat; quia plus authoritatis gestat exemplum, & ingerit appetentiam sui, morum lenis formatio.*

S. Basilius, cui, authore Nysseno *in exhort.* secundas post Apostolos partes, solum tempus dedit, sic loquitur *regul. fus. in* 43. *Morum mansuetudo, & humilitas cordis, hæc præcipua antistitis veluti insignia sunto. Si enim Dominus discipulis suis ministrare non erubuit, sed terræ, ac luti, quod ipse finxerat, & hominis forma figuraverat, minister esse non recusavit. Ego enim in medio vestrum*

veſtrum ſum, inquit, *ſicut qui miniſtrat, quid eſt tandem, quod erga æquales noſtros præſtando, illius imitationem aſſequutos nos, exiſtimare poſſumus. Hoc igitur eſt, quod primum, & eo uſque magnum, in Antiſtite requiritur. Tum clementem eſſe ipſum oportet, ac ejuſmodi, qui per veram inexperientiam in officio delinquentes leniter ſufferat. Non tamen qui obticeſcat ad peccantes immorigeros, ac deteſtantes imperium clementer tolerat, & ipſis cum quanta maxima poſſit lenitate, moderationeque medicinam adhibeat. Idoneumque præterea, qui accommodata eorum morbis remedia comminiſcatur, & excogitet, non atrociter objurgantem, ſed in manſuetudine monentem, clementerque corripientem, ſicut ſcriptum eſt, nempè 2. Timoth. 2.*

29 S. Auguſtinus informans Præpoſitum *in reg. cap.* 15. aliàs 43. ſic breviter habet: *Ipſe qui vobis præeſt, non ſe exiſtimet poteſtate dominante, ſed charitate ſerviente, felicem*. Addit pleraque in eam ſententiam, quæ in commentario expendit Hugo Victorinus, & inſignia quoque ſunt, quæ habet in ejuſdem regulæ expenſione Philippus Abbas *lib. de obed. cap.* 41. *in fine*, demonſtrans, quod S. Auguſtinus mandat, ut ſuperior plus ſe amari, quàm timeri velit, eo pertinere, ut omni cum ſuavitate, ac benignitate quantum fas eſt, regat ſubditos, nec ut Philippus loquitur, per odioſam juſtitiam, reddat regimen inutile iis, in quorum ſolùm utilitatem eſt inſtitutum. S. Leo *epiſt.* 84. *Sic eſt adhibenda correctio, ut ſemper ſit ſalva dilectio.*

30 Eadem ferè habet Sanctus Nilus in libello aſcetico agens contra ambientes munus Religioſæ Præfecturæ, S. Dorotheus *doct.* 17. *num.* 2. agens cum Præfecto Cœnobii, S. Benedictus *in reg. cap.* 2. & 64. ut Abbas erga ſubditos, pium Patris affectum oſtendat ſeriò, & graviter præcipit, Sanctus Gregorius 21. *moral. cap.* 11. dominativam poteſtatem de incutiendo timore ſollicitam, amandat ad præfectos pecorum, atque ferarum, Sanctus Iſidorus *lib.* 3. *ſentent. cap.* 48. reprehendit qui nomen regiminis ad immanitatem tranſverterunt credulitatis. Ejuſdem ſententiæ eſt Antiochus, inſtruens Præfectum cœnobiticum *homil.* 111. Philo Carpathius ad illud 7. *Canticæ*, *Naſus tuus, ut turris libani*, Petrus Damiani *lib.* 1. *epiſt.* 11. S. Anſelmus, referente Edimero *lib.* 1. *vitæ*, ubi quamquam agat tantùm de pueris Religionis oblatis leniter tractandis, tamen rationes ferè ſunt univerſales. Sanctus Bernardus ſua praxi firmavit, quod hìc intendimus, ut ſcribit in viri Sancti rebus geſtis Goffridus *lib.* 3. *cap.* 6. de ſumma ejus ſuavitate, & redundante dulciſſimis affectibus pectore, Petrus Bleſenſis *epiſt.* 100. in hac lenitate nec Deus, nec homo offenditur, in qua fides a Prælato tàm Deo, quàm homini exhibetur. De hac lenitate, & hac fide ſcriptum eſt: *In fide, & lenitate ipſius, Sanctum fecit illum*, Thomas Cantipratanus *lib.* 1. *apum cap.* 11. *num.* 2. *in §.* cujus titulus, *Prælati non agant imperiosè*, Laurentius Juſtinianus informans moderatores, & rectores *lib. de inſtit. & regim. Prælat. cap.* 9. Joannes Gerſo ſæpè lenitatem regiminis inculcat Paſtoribus 3. *part. opuſc. de relig. perfect. conſid.* 15.

31 Quoniam verò nulli unquam peccatori deeſt impudens prætextus, ait Sanctus Chryſoſtomus in *pſal.* 140. ſunt qui prætexant, inferiores non aliter eſſe continendos in officio, quàm ſi ſuperior rigidè, ac pro imperio agat. Cauſantur quippè ſuperioris authoritatem facilè enervari, ſubſequente contemptu, ſi molliter, ac remiſsè agatur. Sic enim interpretantur regimen blandum, ac lene, ut non aliud ſit, quàm remiſſum, & enerve, cui ſapientes omnes maximè ſemper timuerunt, tanquam exitiali, & perbrevi cum ſubditorum duritie laxitatem, & univerſæ Eccleſiaſticæ diſciplinæ diſſolutionem invehenti.

32 At revera hoc aliud non eſt, quàm multiplicare defectus, quod proprium eſt excuſantium excuſationes in peccatis. Non eſſe molliter, ac remiſsè agendum, ut ſarta retineatur ſuperioris authoritas iis juſtius diceretur, qui ſunt natura, & ingenio facillimi. Idcircò enim Sanctus Gregorius *homil.* 11. *in Ezechiel.* obſervat Apoſtolum Tito mandaſſe, ut omne imperium expromeret, nimirum, quod lenior natura eſſet, & magna ingenii facilitate, quæ facilè in ignavam remiſſionem cum ſubditorum exitio, & authoritatis contemptu eſſet degeneratura, niſi Titus animos ſumeret. Contra verò idem Apoſtolus, Timotheum, cui non erat ea genii, & naturæ facilitas propè accedens ad mollitiem, admonuit regere ſubditos *cum omni patientia*. Non latebat Apoſtolum, quod diſtinctius expreſſit Sanctus Bernardus *ſerm.* 25. *in Cantic.* bonorum Præfectorum eſſe agnoſcere ſe ſubditorum medicos, non dominos. Eſt autem pluſquam falſum, contemni authoritatem, ſi adſit arrogantia imperantis. Quinimmò nihil eſt, quod adeò Epiſcopalem authoritatem cum veneratione, & amore conjunctam imminuat, nihil quod odium, & exacerbationem magis conciliet, quàm faſtus ejus, qui cum aliarum virtutum omnium, tum præſertim humilitatis, & demiſſionis prælucere exemplo debet, ut munere ſibi credito dignus habeatur. Debet enim de quovis Paſtore illud jure dici poſſe, quod in Patris ſui laudibus poſuit Gregorius Nazianzenus; velut ſpiritualem quamdam ſtatuam ad optimæ cujuſque actionis pulchritudinem expolitam, ſe ad imitandum proponebat. Acriter in hujuſmodi deceptionem agit Philippus Abbas *lib. de dignit. Cleric. c.* 17. exemplo Davidis, qui cùm ad regiam auctus eſſet dignitatem, & aliis imperaret, authoritatem tamen, qua potiebatur ab humilitate præſertim exornatam voluit, probè gnarus, non augeſcere, vel retineri faſtu authoritatem. Extat Sancti Baſilii querela *epiſt.* 10. adverſus occidentalium, Damaſique in primis prætenſum faſtum, in qua veriſſimè ſtatuit, dignitatem non eſſe æſtimandam ſuperbiam.

Neque hoc dicimus, non eſſe contundendam, ſi de- 33
prehendi contingat, ſubditorum duritiem, aut adeò remiſsè agendum eſſe, ut creſcat per eam occaſionem cœpta diſciplinæ laxatio. Hoc Sanct. Gregorius *lib.* 4. *epiſt.* 8. meritò improbat ex Apoſtolo admonente honorificandum cuique eſſe miniſterium ſuum, & ita in corde tenendam. Præfecto dimiſſionem, ut tamen exterius ſervetur dignitas, nec feratur licentia extollentium ſe ſupra eos, quibus reverentiam, & obedientiam debent, de quo S. Bonaventura *cap.* 10. *reg.* Sed illud dumtaxat dicimus, non eſſe ante occupandam per Superiores inferiorum ægritudinem prætextu tuendæ, ac retinendæ authoritatis, nec prius utendum aſperitate remediorum, quam eam expoſcat, & veluti extorqueat neceſſitas. Quæ enim iſta efferatio, graſſari in plenè ſubjectos, & placidos, ne fortè contingat vileſcere poteſtatem? Teneant ergo Superiores exterius, quod pro aliorum authoritate ſuſcipiunt, ſervent interius, quod de ſua æſtimatione pertimeſcunt. Sed tamen quibuſdam ſignis decenter erumpentibus eos apud ſe humiles, etiam ſubjecti deprehendunt, quatenus, & in authoritate eorum, quod formident, videant, & de humilitate, quod imitentur, agnoſcant.

Non enim revera zelus eſt, ſed furor, ſi Gulielmum 34
Pariſienſem *lib. de majoribus cap.* 8. legamus qui in has, ut appellat, *ſimias zeli* concitatur. Unde & in ore eorum ſemper ſonat vox tyranica *Crucifigatur, confundatur, deponatur, dejiciatur, eruatur*. Poteſtas in manibus hominum hujuſmodi gladius eſt proculdubio in manu furentis. Vix autem nunquam de ore eorum auditur, *emendetur, corrigatur*. Urere norunt ſolummodò & ſecare, ferrum, & ignem ſtatim adhibere conatur; nihil de unctionibus, nihil de fomentis, nihil de cataplaſmatibus curant, nihil de potionibus, niſi fortè de potione abſynthii amariſſimi, cujus ſumptio tormentum ſit, & non medicina.

Breviter, ſed eleganter S. Cyprianus *lib. de lapſis*, quo 35
non eſſe aſperitatis arguendum fortem Rectorem, nec remiſſum poſſe ſibi de lenitate blandiri egregiè docet. Qui peccatum, inquit, blandimentis adulantibus palpat, peccandi fomitem ſubminiſtrat, nec comprimit delicta ille, ſed nutrit. At qui conſiliis fortioribus redarguit ſimul, atque inſtituit, fratrem promovet ad ſalutem. Quos diligo, inquit Dominus redarguo, & caſtigo. Sic oportet & Dei Sacerdotem, non obſequiis decipientibus fallere, ſed remediis ſalutaribus providere. Imperitus eſt medicus, qui tumentes vulnerum ſinus manu parcente contrectat, & in altis receſſibus viſcerum virus incluſum, dum ſervat, exagerat. Aperiendum vulnus eſt, & ſecandum, & putraminibus amputatis medela fortiore curandum. Vociferetur, & clamet licet, & conqueratur æger impatiens per dolorem, gratias aget poſtmodum cùm ſenſerit ſanitatem. Laudat hunc Sancti Cypriani locum Hormiſda Papa *epiſt.* ad univerſas Provincias, ſic addens: *Unde & Sanctus Joannes Conſtantinopolitanus Epiſcopus arguit, dicens, imperitus medicus eſt, qui indigeſta putredine ſuper ducit vulneri cicatricem*. Exemplum hoc medici Joannes Sarisberienſis *lib.* 4. *polycr. cap.* 8. Rectori optimè accommodat, & egregiè Climacus informans cœnobii Paſtorem toto *cap.* 2. & 6.

Miſcenda itaque eſt in regendo ſuavitati fortitudo ad 36
Dei imitationem. Quod nec commodius, neque certius aſſequi Superiores poſſunt, quàm attentè, & diligenter ſpectando modum, quo Deus ipſe in regendo ſuavis ſimul, & efficax eſt. Hoc autem quantum ex Sanctis Patribus percipi licet non aliter præſtat Deus, quàm attemperando ſe hominis genio. Quid enim ſuavius,

quàm

quàm voluntate ſua aliquem ducere, eòque inflectere, quo ipſemet proprio nutu, ac propenſione agi velit? Vide Sanctum Auguſtinum ad Simplicianum *lib. 1. quæſt. 2. & libell. de prædeſtinat. ſanit. cap. 4.* Præſertim autem intentum aſſequitur, & feliciſſimè regit, quia opportunè operatur, & ſive lenitatis, ſive ſeveritatis argumenta exhibet, cùm opportunum eſt. Explorandus accuratè genius ſubditorum, eique aceommodanda, quantum licet rectio, & correctio, ut Sanctus Baſilius *capit. 23. conſtitut. ad fin.* optimè admonuit. Hoc autem eſſe, quod in ſcripturis ſæpè dicitur, dandum eſſe aliquid in tempore, in quem finem conſtitutum eſſe ſervum fidelem familiæ Dei Propoſitum, habent Luc. *cap.* 15. & Matth. *cap.* 24. egregiè expoſuit Origenes, tractans illud Levit. 26. *dabo vobis pluviam in tempore*, ſicut & tritici menſuram ſervus fidelis, & prudens in Evangelio conſervis dare jubetur in tempore.

37 Huc pertinet diligens illa ſervatio propenſionis, ac varietatis animorum, quam tanto ſtudio Rectori indicit Nazianzenus *orat.* 1, & ejus veſtigia aſſectatus Sanctus Gregorius Magnus *in paſtor.* Talem Superiorem Sanctum Maximum Lerinenſem Abbatem, poſteà Rhegienſem Epiſcopum, deſcribit his verbis Fauſtus *homil.* de eo: *O virum perfecti exercitus idoneum Ducem! O virum per omnia Deo dignum! Eminebat, ut ſic dixerim, in ipſo habitu animi fortitudo, in ſpecie exteriori ipſam putares expreſſam imaginem ſanctitatis. Terribilis inceſſu, reverendus aſpectu. Crederes, quod ſemper inviſibilem illum hoſtem ipſa vultus ſui virtute terreret. Metuendus ſecuritate, benignitate venerandus, authoritatis cenſuram, humilitatis manſuetudine temperabat. Minabatur quidem frontis auſteritas, ſed cordis ſerenitas blandiebatur, ac ſic convenienter in uno diverſitate gratiarum, Paulus apparebat in vultu, Petrus in ſpiritu, Illius diſtinctionis, hujus erat pietatis æmulator, itaut cùm præſentiam vix ſuſtineres, abſentiam ferre non poſſes, &c.* Hoc ſuavitatis, ac fortitudinis fœdere in regendo commendat Pontius Sanctum Cyprianum *in vit. Quæ illi pietas! Qui vigor! Miſericordia quanta! Quanta cenſura! Tantum ſanctitatis, & gratiæ ex ore ejus luxebat, ut advocaret intuentium mentes. Gravis vultus, & lætus, nec ſeveritas triſtis, nec comitas nimia, ſed admixta utrinque temperies, ut eſſet ambigere, vereri ne plus, an diligi mereretur, niſi quod & vereri & diligi merebatur.* Hoc ſuavitatis cum fortitudine fœdus luculenter oſtendunt in Chriſto, in Angelis, in Apoſtolis Sancti Patres. Clemens Alexandrinus *libro primo pædag. capite ſeptimo in not.* Chryſoſtomus *in pſalm.* 2. Hilarius *homil. 3. in Eſaiam*, Gregorius Nyſſenus *libro de perfect. Chriſt. form. ſub finem*, Iſidorus Peluſiota *libro tertio epiſtola* 95. Gregorius Papa *libro primo moral. capite* 10. Ambroſius *libro* 1. *de pœnitentia capit.* 14. 16. & 17.

38 Ipſi ſæculi ſapientes de fortitudine ſuavitati miſcenda in primis admonent. Plutarchus, qui etſi magnam ejus eſſe difficultatem non neget, ex ea tamen maximè celebrat Phocionem, quod hac comparatione illuſtrat: *Ut prædicant ſolem Mathematici non eodem, ac Cœlum motu volvi, neque prorſus adverſo tamen, & oppoſito, ſed obliquam, atque leviter inflexam curſus formam tenendo, lentum, flexibilem, & ſequacem efficere anfractum, quo univerſitas conſtat, atque optimam accipit temperaturam. In Republica item minimum directus, & per omnia ſubditorum voluntati reluctans, ingratus eſt tenor, ac rigidus, ut contra lubricus, & proclivis, qui peccantes ſequitur. Illa verò, quæ partim concedit, indulgetque, indeque exigit, quod frugiferum eſt, adminiſtratio, & moderatio hominum in multis modeſtè, atque utiliter, niſi ubique imperioſè, & violenter agantur obtemperantium, ſalutaris quidem eſt, verum ardua, eamque ægrè cum lenitate temperatur, retinens gravitatem, quæ cum hac ſi temperata fuerit, ea demum modulorum fit omnium, & concentum maximè concinna, & delectabilis temperatura, qua mundum quoque perhibent Deum regere, non violentia, ſed lepore, & ratione inducendo leniens neceſſitatem, &c.*

39 Optimus quidem, ac dilaudandus ille Superior, qui clementiam, atque lenitatem ſeveritate, auſteritateque miſcere ſolet, cùm ex ejuſmodi virtutum ſpecie diſſimilium temperamento, ſubditi in officio contineantur. Namque ſi ſemper, & ubique clemens, & facilis ad condonandum, quid aliud aſſequetur, niſi ut bonos ad ſcelera invitet, malos verò ad deteriora perpetratis alliciat? Severitatem itaque quandoque adhibeat, cum facinorum ipſorum cauſa, quoniam feliciores ſunt improbi, ſupplicia luentes, quàm ſi eos nulla juſtitiæ pœna coerceat. Tum boni etiam duplici cauſa, nempè quia ſerpunt vitia, & in proximum quemque tranſiliunt, & contactu nocent. Sed quis eum vereatur, apud quem ſemper conditum, immò conſtrictum ferrum eſt? Aut quis ignorat, inquit Cicero *pro Mil.* maximam illecebram eſſe peccandi, impunitatis ſpem? Non cetè Imperator ille, qui hoc adſpectu inclamat, lenitas improbitatem alit, atque corroborat, Jul. Imper. *in moſopog.* Itaque veriſſimè, & audenter cum Oratore dixerim *epiſt. ad M. Brutum*, ſalutarem ſeveritatem vincere inanem ſpeciem clementiæ.

Verùm hac in re cautio eſt adhibenda, ut in primis 40
ne quid, aut durius, aut remiſſius conſtituatur, quàm cauſa depoſcit. *Nec enim ait Marcianus lib. 11. ff. de pœn. aut ſeveritatis, aut clementiæ gloria affectanda eſt, ſed perpenſo judicio, prout quæque res expoſtulat, ſtatuendum eſt. Planè in levioribus cauſis promior ad lenitatem eſſe debes, in gravioribus pœnis ſeveritatem legum cum aliquo temperamento benignitatis ſubſequi.* Quod, ut ſuperior aſſequatur, videndum, ne per iracundiam ſupplicia repræſentet. Quia iratus ad pœnam qui accedit, nunquam mediocritatem illam tenebit, quæ eſt inter nimium, & parum, ut ne crebrò ſeveritatis edat exempla, quia ea ſæpè committuntur, quæ ſæpè vindicantur. Quid ita? Quia frequens vindicta paucorum odium reprimit, omnium irritat. Et maximè ſi Superioris cauſa agatur. Tum enim hoc agere debet, ut vel omninò conniveat, vel ſi admodum improbi, & continuæ malitiæ aſſueti, unius ſupplicio multorum improbitatem coerceat, utque pœna ad paucos, metus ad omnes perveniat. Neque id tantùm, ſed etiam, ut omnes exiſtiment vindictam, neutiquam ipſi probari, ſed eum, tanquam invitum cum magno tormento ad caſtigandum venire. Id quod ipſe aſſequatur, ſi ipſe ſuppliciis minus interſit. Nam & C. Caligulæ vitio datum, quod animadverſionibus, pœniſque ad ſupplicium datorum cupidiſſimè intereſſet. Denique & illud conſiderandum, ut nocentes receptis ſuppliciis afficiantur, ut Ariſtoteles judicavit 5. *polit.* Oportere ſupplicia more patrio ſumi. Exemplar vide apud ſacros, & profanos Scriptores. Et hæc omnia ad mentem Sacri Concilii dicta ſint, cujus decretum explanare proſequamur.

Ut ſe Patres non percuſſores, &c. Ita Sanctus Grego- 41
rius ad Joannem Epiſcopum Conſtantinopolitanum *lib.* 2. *epiſt.* 52. relatus *in can. quidem autem diſt.* 45. cujus hæc ſunt verba: *Quid autem de Epiſcopis, qui verberibus timeri volunt, canones dicant, benè fraternitas veſtra novit. Paſtores etenim facti ſumus, non percuſſores & egregius Prædicator ait 2. Timoth. 4. argue, obſecra, increpa in omni patientia, & doctrina. Nova verò, atque inaudita eſt illa prædicatio, quæ verberibus exigit fidem. Joannes Diaconus lib. 3. capit. 9. Polyc. lib. 4. tit. 9.* & S. Hieronym. ad Nepotianum *epiſtola* 2. relatus *in can. eſto ſubjectus d. 96.* inquit. *Eſto Pontifici tuo, & quaſi animæ parentem ſuſcipe.* Et paulò poſt: *Sed Epiſcopi Sacerdotes ſe eſſe noverint, non dominos, honorent Clericos, quaſi Clericos, ut & ipſis a Clericis, quaſi Epiſcopis honor deferatur. Scitum eſt illud Oratoris Domitii: Cur ego te, inquit, habeam, ut Principem, cùm tu me non habeas, ut Senatorem? quod Aron, & filios ejus, hoc Epiſcopum, & Presbyteros eſſe noverimus. Unus Dominus, unum Templum, unum ſit etiam Miniſterium. Recordentur ſemper, quid Apoſtolus Petrus 1. Petri 5. præcipiat Sacerdotibus: Paſcite eum, qui in vobis eſt, gregem Domini, providentes non coactè, ſed ſpontaneè ſecundùm Deum, neque ut turpis lucri gratia ſed voluntariè, neque, ut dominantes in Clerum, ſed forma facti gregi ex animo, ut cùm apparuerit Princeps Paſtorum percipiatis immarceſcibilem gloriæ coronam. Peſſimæ conſuetudinis eſt in quibuſdam Eccleſiis tacère Presbyteros, & præſentibus Epiſcopis non loqui, quaſi aut invideant, aut non dignentur audire.* Ex Concilio Carthaginenſi quarto *capit.* 34. *Epiſcopus in quolibet loco ſedens ſtare presbyterum non patiatur, & cap.* 35. *Epiſcopus in Eccleſia, & in conſeſſu presbyterorum ſublimior ſedeat, intra domum verò collegam ſe præsbyterorum eſſe cognoſcat.*

Neque exactores, &c. ex Ivone *part. 3. cap.* 157. & 42
habetur *in can. quia* 12. *quæſt. 3. Quia cognovimus, Epiſcopos per Parochias ſuas non ſacerdotaliter, ſed crudeliter deſævire, & dum ſcriptum ſit 1. Petri 5. forma eſtote gregi, non ut dominantes in Clero exactiones, diœceſi ſuæ, vel damna infligant. Ideò cenſemus, excepto quod veterum Conſtitutiones a Parochis habere jubent Epiſcopos, ut alia, quæ illis huc uſque præſumpta ſunt, denegentur, hoc eſt neque in angariis presbyteri aut Diaconi, neque in aliquibus fatigentur indictionibus, ne videamur in Eccleſia Dei exactores potius, quàm Dei Pontifices nominari. Hi verò Clerici tàm locales, quàm Diœceſani qui ſe ab Epiſcopo gravari cognoverint, querelas ſuas ad Metropolitanum deferre non differant, & Metropolitanus non moretur ejuſmodi præſumptiones coercere.*

43 *Ob delicti gravitatem virgo opus fuerit, &c.* Episcopum ad corrigendum subditorum excessus intendere debere, habetur *sess. 6. cap. 3. & sess. 14. cap. 4. & cap. Irrefragabili de offic. Ordin. cap. qualiter, & quando de accusat.* Unde Henric. *in dict. cap. Irrefragabili, & provideant*, multa refert de ira Dei in Sacerdotes, qui timentes delinquentium linguas, delicta relinquunt impunita. Videnda apud Concilium Aquisgranense *cap. 36.* ratio corrigendorum subditorum, etsi id totum pendeat ex ipsius Prælati judicio, qui tanquam peritus medicus magnam adhibere debet curam in eo, quod unicuique magis expediat.

44 *Cùm igitur rei criminum, &c.* Hæc est secunda pars, in qua ponitur modus appellandi ab Episcopo. Primò, redditur ratio decreti. Nam primus præscriptus erat modus appellandi in causis hoc in loco enumeratis, nempè a definitiva, & absolutoria vim habente definitivæ, *cap. super eo, & capit. cùm cessante de appellat.* de eisdem verò causis habetur *sess. 22. cap. 1. in fine, & sess. 24. cap. 10.*

45 *Non appelletur, &c.* Voluit Sacra Congregatio appellari posse post definitivam sententiam, ita tamen, ut appellatio non suspendat exequutionem, nisi gravamen sit hujusmodi, ut infra. Item etiam citra præjudicium cursus causæ coram Episcopo, Metropolitanum non posse cognoscere de gravamine ante definitivam, nec posse ad effectum prædictum absque ulla inhibitione mandare simpliciter, quod sibi transmittatur copia processus expensis appellantis.

46 *Appellari non possit, &c.* Extenditur ex interpretatione Sacræ Congregationis ad indebitam carcerationem, & ideò ab hujusmodi gravamine appellari potest, & Ordinarius tenetur appellationi deferre, & permittere processum transferri ad Judicem appellationis, reo tamen remanente in Carceribus, donec Judex appellationis, causa cognita, aliud jusserit. Item dixit Sacr. Congregatio, posse appellare eum qui sine processu, & sine scriptis a suo Ordinario ob correctionem gravamen putat subire, dummodò non suspendatur, neque impediatur exequutio. Et cùm esset quæsitum, an a præcepto aliquid agendi, quod gravamen irreparabile non contineat, possit appellari, si adjecta sit pœna excommunicationis, Sac. Congregatio respondit, debere Episcopum abstinere ab hujusmodi præceptis cum adjectione pœnæ excommunicationis, quæ nonnisi in subsidium est decernenda juxta decretum Concilii *cap. 3. sess. 25.* Ab ea tamen si comminetur, dari appellationem. Causæ appellationum in criminalibus committendæ Metropolitano, vel eo suspecto, uni ex vicinioribus Episcopis. Alia plura ad hoc Concilii decretum de appellatione alibi adduximus.

CONSULTATIO CXLV.

In criminalibus appellatio ab Episcopo quando Metropolitano, aut uni ex vicinioribus committenda, juxta Sacri Concilii decretum in cap. 2. sess. 13. de reform. Et quando Judices a Synodo designandi, qui de egentur a Sede Apostolica? Et a quibus Ordinariis causæ breviter ordinandæ juxta cap. 10. sess. 25. de reform.

1 SAcrum Concilium Tridentinum loco citato statuit, quod *a sententia Episcopi, vel ipsius in spiritualibus Vicarii Generalis, in criminalibus appellationis causa, ubi appellationi locus fuerit, si Apostolica authoritate in partibus eam committi contigerit, Metropolitano, seu illius etiam Vicario in spiritualibus generali, aut si ille aliqua de causa suspectus foret, vel ultra duas legales dietas distet, seu ab ipso appellatum fuerit, uni ex vicinioribus Episcopis, seu illorum Vicariis, non autem inferioribus Judicibus committatur.*

2 *Et cap. nonnulli de rescript.* causæ quæ a Sede Apostolica demandantur ultra duas dietas non debent committi, nisi de consensu partium id fuerit impetratum, vel expresse de ipsa Constitutione facta fuerit mentio; Ex hoc autem Concilii decreto habetur, ut Metropolitano, vel ejus in spiritualibus Vicario, eoque suspecto, vel ultra duas dietas distante, uni ex vicinioribus Episcopis, seu illorum Vicariis tantummodò committantur, expresseque hujusmodi commissionem fieri inferioribus Judicibus prohibetur. De quibus autem inferioribus in hoc loco intelligatur, habetur *cap. 10. sess. 25. de reform.* & dicam infra.

3 *In criminalibus appellationis causa, &c.* Hic dubitatum fuit, an Nuncii Apostolici possint suis Auditoribus committere causas appellationum a sententiis per Episcopos, seu eorum generales Vicarios in criminalibus latis? Dubitationi negativè respondit Sacra Congregatio, ac ita, ut hujusmodi sententiæ essent nullæ, nec propter utilitatem publicam, & prætensum errorem sustinerentur.

Vel ultra duas legales dietas. Ex hoc loco habetur, de quibus dictis *dict. cap. nonnullis* loquatur, ut enim Glossa *in dict. cap.* asserit pro legali dieta viginti miliaria computantur. Porrò dieta in una significatione est cœnaculum, in quo die magis, quàm nocte solent homines residere; ut *in leg. Lucius, ff. de donat.* Vel domuncula constructa in hortis pro colligendis fructibus, seu oblectationis causa. Ita accipitur *in leg. Senatus, §. Marcellus, ff. de legat. 1.* In alia verò significatione dicitur spatium unius diei, vel lapsus. Item est unius diei certa, & determinata comestio. Continet autem dieta legalis viginti miliaria Italica. Dieta vulgaris dicitur illa, quæ habetur secundùm conditionem regiminis. 4

In cap. 3. dict. sess. Appellans tenetur acta producere, & is, a quo appellatur, gratis exhibere. Nec obstat *cap. 10. sess. 24. de reform.* Nam in illo agitur de visitatione, & morum correctione, & quando proceditur non compilato processu, neque juris ordine servato, hìc verò de causis criminalibus, in quibus servatis servandis, prout juris fuerit, inquiritur. Sequitur *d. cap. 3.* 5

Reus ab Episcopo &c. Novum videtur decretum. Nam *in cap. ut debitus de appell.* satis erat, si appellans causam aliquam justam suæ appellationis afferebat, ut Judex, a quo posset de appellatione cognoscere, ac idem *sess. 24. cap. 20. de reform.* propè finem. 6

Is autem a quo appellatum fuerit intra triginta dies, acta ipsa postulanti gratis exhibeat, &c. at *d. cap. 20. sess. 24.* nullum tempus est præfinitum. Respondendum puto hoc decretum loqui de reo appellante in causis civilibus. Hoc autem tempus triginta dierum posset dubitari, an incipiat a die sententiæ, an verò a die requisitionis. 7

Acta postulanti gratis exhibeat, &c. Censuit Sacra Congregatio, nihil esse distinguendum, an ex Judicis officio, an ad querelam partis in causa criminali procedatur, & notandum, quæ in *dict. capit. 3.* habentur, intelligenda esse de persona Judicis, qui in criminali causa sententiam tulit, & a quo appellatum fuit, ut is scilicet, quantum in se est, acta ipsa postulanti exhibeat gratis, atque ita nullam mercedem eo nomine accipiat. Quæ verò habentur *sess. 24. dict. cap. 20. vers. porrò*, intelligenda sunt de persona Notarii, qui actorum copiam tenebitur exhibere appellanti, congrua mercede accepta. Item respondit Sacra Congregatio, si Cancellarii Judicis, a quo, sunt iidem & Notarii, mercedem eis debere ex *dict. cap. 20. sess. 24.* alioquin nihil solvendum esset ex hoc decreto *cap. 3. sess. 13.* 8

Prout justitia suaserit, terminetur, Sacra Congregatio censuit, constito de contumacia Judicis, a quo, recusantis exhibere acta, partes Judicis, ad quem, esse absolvere partem appellantem a molestationibus, & pronunciare attentata, & sententiam Judicis, a quo, si unquam reperiantur, cassa fore, & esse vana. 9

Porrò ad reprimendam fallaciam collitigantium, Judices appellationis utantur hac clausula in omnibus inhibitionibus: *Dummodò causa non sit in prima instantia.* Est in appellationibus, *dummodò a definitiva fuerit appellatum, vel ab interloquutoria habente vim definitivæ, & cujus gravamen per appellationem a definitiva reparari non possit.*

In Salernitana. Dubitatum fuit in Sacra Congregatione super Episcopis, an Archiepiscopus possit per appellationem cognoscere de causis cognitis ab Ordinariis, & Abbatibus nullius Diœcesis, sitis intra Provinciam? Et Sacra Congregatio respondit, quod si tales Ordinarii, & Abbates non sint immediatè subjecti Sedi Apostolicæ, de jure Metropolitanus poterit de eorum causis cognoscere per appellationem eodem modo, quo faciunt de causis Episcoporum suffraganeorum, salvis tamen indultis, & privilegiis, ac præscriptionibus dictorum exemptorum, si quæ habent, die 20. Maji 1586. 10

In Hydruntina Archiepiscopo Congregatio Episcoporum. *Vostra Signoria commetta a suoi Officiali, che intorno all' inhibitioni, e avocare le cause de' suffraganei, debbono andare con molta circospezione, e non ecceder le facoltà, che loro competono per dispositione de' Sacri Canoni, e del Sacro Concilio di Trento, avvertendoli, che non è loro lecito intromettersi nelle cause de' suffraganei, se non quando vi sia appellazione da sentenza per essi data deffinitiva, o che abbia forza di deffinitiva, ovvero da gravame, ch' essi facciano di pregiudizio, che* 11

non

non possa riparars per l' appellazione dalla diffinitiva , siccome sarebbe , quando alcuno s' appellasse dalla carcerazione , o da altro atto simile , che inferisca al gravato danno irreparabile . E in tal caso non si dee dal Metropolitano spedir subito inhibitoria , nè commandare , che gli sii trasmesso il carcerato , nè meno abilitato in qualsivoglia modo , ma si bene ricevuta in actis l' appellazione , far lettere al suffraganeo gravante , dandogli notizia della querela , e dell' appellazione , ed ordinando se gli trasmettino gli atti , per poter discernere , se all' appellante sii stato fatto aggravio , o no , e che fra tanto si abbia da soprasedere per un breve tempo determinato , da specificarsi in dette lettere dal Metropolitano , come sarebbe di quindeci giorni dal dì della presentazione , e consegnazione degl' atti , e più , o meno , secondo il bisogno per la revisione degl' istessi atti , e spedizione dell' articolo ; alle quali lettere deve il suffraganeo obbedire . E il Metropolitano , avuti gli atti quanto prima , citate e udite le Parti , dee pronunciare , essersi , o non essersi fatto aggravio , come gli parerà di giustizia . E se giudicherà di no , rimetta con sue lettere dimissive il negozio al suo Giudice , acciocchè possa procedere avanti infino alla diffinitiva . E giudicando , che si sii fatto aggravio , dovrà spedir lettere inhibitoriali assolutamente , e avocare la causa in tutto , stante il gravame , che rende sospetto il suffraganeo , per parte del quale potrà pure appellarsi da questa interlocutoria per il pregiudizio , che ne nasce all' Officiale , e al Tribunal suo , e doverà il Metropolitano diferire , ed eseguir poi con l' istesso modo procedere quanto dal Superiore gli sarà ordinato , a' 9. di Maggio del 1589.

13 Caput verò 10. Sacri Concilii Tridentini *session. 25. de reformat.* est hujusmodi : *Quoniam ob malitiosam petentium suggestionem , & quandoque ob locorum longinquitatem , personarum notitia , quibus causæ mandantur usque adeò haberi non potest , hinque interdum Judicibus non undequaque idoneis causæ in partibus delegantur , statuit Sancta Synodus in singulis Conciliis Provincialibus , aut Diœcesanis aliquot personas , quæ qualitatem habeant juxta Constitutionem Bonifacii Octavi , quæ incipit , statutum , & alioquin ad id aptas designari , ut præter Ordinarios locorum , iis etiam post hac causæ Ecclesiasticæ , ac spirituales , & ad forum Ecclesiasticum pertinentes in partibus delegandæ , committantur . Et si aliquem interim ex designatis moris contigerit , substituat Ordinarius loci cum Consilio Capituli alium in ejus locum usque ad futuram Provincialem , aut Diœcesanam Synodum , itaut habeat quæquæ Diœcesis quatuor saltem , aut etiam plures probatas personas , ac ut supra qualificatas , quibus hujusmodi causæ a quolibet Legato , vel Nuncio , atque etiam a Sede Apostolica committantur , alioquin , post designationem factam , quam statim Episcopi ad Summum Romanum Pontificem transmittant , delegationes quæcumque aliorum Judicum , aliis , quàm his factæ , surreptitiæ censeantur . Admonet debinc Sancta Synodus tàm Ordinarios , quàm alios quoscumque Judices , ut terminandis causis quanta fieri poterit brevitate , studeant , ac litigatorum artibus , seu in litis contestatione , seu alia parte judicii differenda , modis omnibus , aut termini præfixione , aut competenti alia ratione occurrant.*

14 Hoc decretum dividitur in tres partes . Prima est , *Quoniam* : Secunda , *Etsi aliquem* : Tertia , *Admonet* . In prima parte Concilium Constitutione Bonifacii Octavi , quæ incipit , *statutum de rescript. in 6.* qua causæ Ecclesiasticæ non debent committi , nisi personis idoneis , addit , ut hujusmodi personæ sint a Conciliis Provincialibus , vel Diœcesanis designatæ & approbatæ.

15 *Quæ qualitates , &c.* Sed quid , si is , qui tempore , commissionis in dignitate constitutus reperiebatur , & inter Judices Synodales designatus , dignitatem resignet , num & ipse de commissa causa cognoscere potent , vel potius , qui dictam dignitatem postea obtinuit ? Ex Sacra Congregatione resignantem , non autem resignatarium posse cognoscere , dicendum est . Quod si alicui Civitati indultum sit a Sede Apostolica , ut Archipresbyter , & Decanus Capituli quascumque causas appellationis delegare possint Judicibus habentibus qualitates a dicto *capit. Statutum* requisitas , censeri ne debeat sublatum , vel moderatum per hoc decretum , *& capit. 2. session. 13.* & per Constitutionem Pii Quarti super reformatione Signaturæ Gratiæ ? Sacra Congregatio respondit , non censeri sublatum , sed utique ita moderatum , ut hodie hujusmodi causæ committi aliis personis non possint , quàm his , quæ in iisdem Concilii decretis, eademque Constitutione designatæ sunt.

16 *Ad id aptas , &c.* Unde , si in Synodo non ita facilè reperiantur , qui in Judices deputentur , eligatur Clericus doctor , nec erit admittendus.

Designari , &c. Nominare autem personas in Synodo ad hujusmodi munus designandas , dixit Sacra Congregatio principaliter quidem spectare ad Episcopum , non tamen privativè quoad alios . At num qui eligendi sibi Conservatores suorum Ordinum , vel Collegiorum authoritatem a Sede Apostolica habent , unum ex iis eligere teneantur ? Respondum , non teneri. 17

Committantur , &c. Et cùm committantur in casu , quo aliquo legitimo impedimento detinente , ipsis non conceditur alteri , quàm alicui ex his , qui in Synodo fuerunt deputati , subdelegare. 18

Et si aliquem , &c. Hæc est secunda pars decreti , in qua cavetur de casibus , qui circa hanc Constitutionem possunt contingere: *Substituat.* Idipsum dicendum in casu diuturnæ absentiæ: *Consilio Capituli.* Quod Consilium Episcopus, ad hoc, ut valida sit substitutio, teneturexquirere , non tamen sequi. Sed an, ut substitutio facta absque Capituli consensu unà cum gestis coram Judice, substitutio convalidetur ex eo, quod plures causas vigore substitutionis cognoverit , Capitulo sciente , & patiente ? Dicendum neque substitutionem , neque acta convalidari. 19

Vel Nuncio , &c. Non tamen criminales , sed matrimoniales , cùm hæ neque a Nunciis vigore suarum facultatum his deputatis possint committi , quemadmodum Constitutionem Pii Quarti *de reformat. signat. Justit.* ad Nuncios quoque extendi , dixit Sacra Congregatio. 20

Licèt , ut in hoc decreto statutum est , in Synodo Diœcesana, quæ quotannis celebratur , Judices delegati deputandi sint , nihilominus si Synodus non celebretur , officium Judicum jam deputatorum prorogatur, donec Synodus habeatur ex Sacra Congregatione in Mediolanensi. Et alibi dixit: Moneatur Episcopus , qui in prima sua Synodo Diœcesana non constituit Judices, quibus causæ a Sede Apostolica, & a Nunciis committantur , in secunda non prætermittat , quin eos eligat . Et in Florentina : Quando Ordinarius vult substituere aliquem in locum Judicis Synodalis defuncti, vel absentis per longum tempus , debet petere , sed non sequi consilium Capituli. 21

Admoneat , &c. Monentur Judices in hac tertia parte decreti , ut in terminandis causis brevitati , quoad fieri potest , studeant , ut etiam *session. 24. cap. 20.* Est enim principalis cura , & finis legislatorum , lites minuere , vel extinguere *leg. 1. Cod. de nov. Cod. fac.* Alioquin gliscet litigandi ars , & studium , ut quemadmodum vis morborum pretia medentibus , sic fori tibes pecuniam advocatis ferat. Inde publicæ mercis nil tàm venale , quàm advocatorum perfidia . Pestis Europæ caninum hoc studium , quod haud temerè quispiam concessum latrocinium dixit . Videatur ne legibus fundata Civitas legibus evertatur . Etenim usu constat, licèt permulta præclarè legibus sint constituta , ea tamen Jurisconsultorum ingeniis corrumpi , ac depravari . Sine Causidicis satis felices olim fuere , futuræque sunt Urbes. 22

Lites triennio definiendas Justinianus dixit *leg. 3. tit. 1. de judic. Nobis visum est , ne lites fiant pene immortales , & vitæ hominum modum excedant , &c. non esse eis concedendum ulterius lites , quàm triennii spatio extendere , &c.* At nunc ubique gentium multò diutius vivunt lites , minuendæ quidem , quod & ipsa humanitatis ratio dictat , & civilis politiæ tranquillitas . Incredibile enim dictu , quæ telæ abusuum ex hoc magno litium stamine , & sub tegmine enascantur , idque in longè maximam singulorum captionem . 23

Vespasianus , quo longas litium series tolleret , forte elegerit , per quos Judicia Centumviralia , quibus peragendis vix sufficiebat litigantium ætas videbatur extra ordinem dijudicarent , redigerentque ad brevissimum numerum , Sveton. *in Vespas. cap. 12.* 24

Carolus Nonus , Galliarum Rex , quo similiter litium nascentium fibras sensim circumcideret , judiciarium vectigal instituit , ut quicumque litem intenderet , dependeret in fiscum Regium duos aureos , recipiendos , si jure litigasse judicatus esset , sin perperam relinquendos , Belleforest. *histor. Gall.* Hoc , fortassis Romanorum appellatione , qui tametsi in libera Republica difficulter vectigalia imponi sibi paterentur , vectigal tamen judiciarium patienter tulerunt , adeòut decimam partem litis ejus rei , quæ in controversiam veniret , in privatis , aut quintam , in publicis judiciis imperarent . Caligula tamen quadragesimam litis expressisse , Svetonius scribit in ejus vita *capit. quadragesimo.* 25

Sed & minuendis litibus juvabit , si numerus pragmaticorum , sive tabularum forensium , qui propè cùm 26

ſit infinitus, ſingulique capturis, & lucro forenſi ſeſe ſuſtentare debeant, eo fit, ut lites ſatis per ſe claræ, ac expeditæ, longius repetitis ambagibus ſinuoſæ reddantur. Aut è contrario, lites, & cauſæ diſceptationis non expeditæ, ac potius injuſtæ, defendendæ, ac perdendæ potius ſuſcipiantur. Itaque communi conſenſu tot Judices, & Cauſidici conſtituendi ſunt, ut omnes veteres ſemel abſolvantur, & novæ citò depandantur. Nunc autem multi litigant, quia litem ſuperſtitem relicturos ſe ſperant. Atque hinc fit, ut clientes acciſis in foro facultatibus ſolum miſerè vertere, atque ad rapinas, artes iniquas, illicitaſque ſeſe convertere cogantur, quo lacunam rei familiaris iſtorum fallaciis factam explere poſſint.

27 Galeacius, Mediolanenſium Dux, cùm aliquoties audiſſet vafro ingenio Cauſidicum eſſe, qui lites ſerere, & ſatas producere, atque alere etiam in liquido jure poſſet, hominem ad ſe accitum affatur. Debeo, inquit, piſtori meo centum aureos. Non lubet ſolvere, tu & quid tueri me in jure, & rem protollere potes? Annuit largiter, & Principi promptè ſe dedit, ſed iſte ei malum. Nam fraudis ſic confeſſum, verbis prius increpitum, laqueo publicè necari juſſit.

28 Sed omiſſa ſeveritate, quæ vix hodie in exemplum trahatur, optandum quidem eſſet, ut ſaltem Principes hodierni ævi attendant ad ſtrophas, & graſſaturas forenſes, eaſque ſolerti cura, & ſtudio detegant, detectas corripiant, correptas, ſi non tàm acri pœna, at ſoro procul eliminent. Detegent autem ex facili, ſi viros probos, & rerum forenſium uſu ſpectatos conſulant, ut intellectis ab iis captiunculis, & ambagibus, & circumſpectionibus, quibus ſcatent Tribunalia, aliis procedendi formulis, aut certè brevioribus, & ſtrictioribus, miſeris ſuccurrant litigatoribus. Qua in re hoc decet eſſe diligentiores, quod ſubditi, quo minus litium ſumptibus exhauriuntur, eo locupletiores erunt, & promptiores in ſubveniendis fiſci neceſſitatibus. Præterquamquod indulgentia illa majorem cavillandi materiam ſubdolis illis præbebunt, & divinam quoque offenſionem ſibi accerſent: Quod qui non obſtet, cùm poteſt, injuriæ tàm eſt invito, quàm qui facit, & ut eſt in Damaſi reſcripto, *canon. qui poteſt 23 quæſt. 3. Non caret ſcrupulo ſocietatis occultæ, qui manifeſto facinori deſinit obviare.*

29 Luteriæ anno 1602. orta fuit ſeditio inter gentem Parlamenti, & Præſides. Hi cùm malo more viderent inciſos legum nervos, ſtatuentium ſuper ſalariis pragmaticorum, eaſdem leges ſeriò retractandas ſtatuebant. Verum quibus ea parabantur obſtrepentibus, & ſumptis in audaciam animis penitus reclamare adeò, ut unius ferè menſis juſtitia fuerit ab Curiæ conventu. Septem, & trecenti (mirus numerus) ſecedebant, & ab cauſidicina ultrò ſe ſubmovebant, tandem negotium ita compoſitum, ut Advocati in calce Conſultationum adſcriberent honorarium a cliente datum; Procuratores verò quod mercedis daretur, regeſtis ſuis adnotarent.

30 Olim quidem maximo Reipublicæ bono certum in ſingulas cauſas Patronis cauſarum a Principe definitum erat honorarium, ut patet ex Taciti *lib. annal.* 11. & Svetonii *cap.* 17. *in Nerone*, aliiſque, quem morem, ſi Principes hodierni reciperent, brevi deprehenderent quantum is valeret ad augendum, ſtabiliendamque Rempublicam. Docet, monetque Ammianus Marcellinus *lib.* 3. *Cùm rectè*, inquit, *procedunt judicia, delubra ſunt æquitatis, cùm depravata foveæ fallaces, & cæcæ, in quas ſi captus ceciderit, quiſnam nonniſi per multa exiliet luſtra, aduſque ipſas medullas exuſtus.*

31 Ut merito maximo in Cœlum tollendus ſit Lodovicus XI. quem totis viribus in hoc incubuiſſe ferunt, ut optimis legibus Gallia conſtitueretur, & litium forenſium, quibus innumeris ſcatebat, tollerentur tricæ, atque ambages, ut videre eſt in Commentariis Philippi Cominæi *lib.* 9. Quo etiam nomine laudandum eſt ſtatutum illud Patavinum, ne conjuncti, vel affines in controverſiis Judices alios adeant, quàm arbitros, coram quibus vadimonio citati, ex æquo bono res terminetur ita, quod multis fermè luſtris litigatoribus non licet, ſuum brevi tempori compendio aſſequuntur, aliàs fortè litibus conſumendum. Nam plerumque videmus ad reſtim redactos non recuſare quidvis tandem depaciſci, ut è naſſa controverſiarum cruantur.

Verè ille.

Mnam mihi promiſſam jubeo numerare Calenum,
Abnuit ille. Aulum conſulo Cauſidicum.
Is mihi judicio ſuadit contendere, cauſam
Suſcipit, hac quicquam juſtius eſſe negat.
Quam mihi dum peragit, decimumque extendit in annum
Pene decem decies jam periere minæ.
Ne lis, quod ſupereſt exhauriat æris, & ævi,
Vito rerum pariter, Cauſidicumque meum.
Certum eſt nil poſthac promittentive Caleno
Hortanti, aut Aulo credere. Cauſa vale.
Quæris utrum fugiam magis? Aulum. Namque Calenus
Verba dare, aſt Aulus vendere verba ſolet.

Principes itaque, a quibus Reipublicæ ſalus dependet, 32
eniti in primis debent, ut tot litium occaſiones reſecentur. Deindè ut qui Tribunalibus præſunt, ſumma diligentia, fide, integritateque, nulla habita perſonarum ratione, unicuique jus dicat. Tot hodie ſunt in litibus diverticula, tot dilationes, tot provocationes, ut in labyrinthum, & anfractus inexplicabiles conjecti videantur, qui litigant. Penè citiùs ætatis eſt finis, quàm litis, & plurimi ſunt, qui facta bonorum omnium jactura, hereditarias tantùm lites nepotibus relinquunt, nec illi finem vident. Nam pauci inchoatam deterere litem coguntur, quod bonis exuti proſequi non poſſint. Tantum abeſt, ut viduę multę, pupilli, pauperes tentare aliquid lite audeant. Qui potentiores ſunt, injecta tantùm litis comminatione, miſeros deterrent. Vincunt illi, & qui aſtutiores ſunt. Quaſi ipſi plus juris eſſet, ubi, plus fraudis, & aſtutię adeò, ut conſultum ſępè ſit, juri ſuo etiam optimo, potius renuntiare, quàm litigiola actione cum aliquo experiri. Quare Principum eſt, tot illas juris ambages tollere, idque ſevera lege mandare, ut litigantium jure, quàm fieri poteſt, breviſſimè cognito, controverſię decidantur, Viduarum, pupillorum, & egenorum ſumma ratio habeatur, ne alocupletibus opprimantur. Non tot cauſarum ſint patroni, & advocati, quorum ars eſt plerumque lites ex litibus procreare, & immortales controverſias inter mortales efficere. Vel alia eſſe judicia debent, vel ſperanda vix ſanè juſtitia eſt. Nam lite carere certè pars beatę vitæ mortalis eſt, ſi credamus Martiali *lib.* 10. *epigram.* 47.

Vitam quæ faciunt beatiorem,
Jucundiſſimè Martiales, hæc ſunt,
Res non parta labore, ſed relicta,
Non ingratus ager, focus perennis,
Lis nunquam, toga rara, mens quieta.

CONSULTATIO CXLVI.

Quænam locationes bonorum Eccleſiaſticorum prohibeantur? Quænam factæ irritentur? Quid de locatione juriſdictionis Eccleſiaſticæ? Quidve de juriſdictione ſuper damnis bonorum Eccleſiarum illatis? Quid de locatione officii Vicarii? Modus irritandi locationes bonorum Eccleſiaſticorum. Caſus, in quibus locari, & alienari poſſunt bona Eccleſiarum. Quid de renovatione emphyteuſis? Quid ſi nulla adeſſet ſpes celebrandi Concilium Provinciale? Quænam ſimpliciter locationes damnentur? Quot ſententiæ requirantur pro declaratione nullitatis locationum? An in his permiſſa appellatio? Quid de locatione locorum, juriſdictione Eccleſiarum, & piorum locorum? Pœnæ in contravenientes. Nomine Italiæ quid contineatur? De alienatione bonorum Eccleſiæ remiſſivè, omnia fere ex decreto Sacri Concilii Tridentini capit. 11. ſeſſion. 25. de reformation. cujus hæc ſunt verba.

MAgnam Eccleſiis perniciem afferre ſolet, cùm earum bona, repræſentata pecunia, in ſucceſſorum præjudicium locantur. Omnes igitur hæ locationes, ſi anticipatis ſolutionibus fient, nullatenus in præjudicium ſucceſſorum validè intelligantur, quocumque indulto, aut privilegio non obſtante, nec hujuſmodi locationes in Romana Curia, vel extra eam confirmentur. Non liceat etiam juriſdictiones Eccleſiaſticas, ſeu facultates nominandi, aut deputandi Vicarios in ſpiritualibus locare, nec conductoribus per ſe, aut alios ea exercere, aliterque conceſſiones etiam a Sede Apoſtolica factæ, ſubreptitiæ cenſeantur. Locationes verò rerum Eccleſiaſticarum, etiam authoritate Apoſtolica confirmata, Sancta Synodus irritas decernit, quas a triginta annis citra, ad longum tempus, ſeu, ut in nonnullis partibus ad viginti novem, ſeu bis viginti novem annos, vocant, factas, ſynodus provincialis, vel deputandi ab ea, in damnum Eccleſiæ, & contra canonicas ſanctiones contractas fuiſſe judicabunt. Hæc Concilium.

Nul-

1 *Nullatenus validæ intelligantur*. In hac prima parte locationes, anticipatis ſolutionibus, in præjudicium ſucceſſorum invalidas eſſe declaratur. Unde reſpondit Sacra Congregatio, locationes factas, non anticipatis ſolutionibus, non præjudicare ſucceſſoribus, *can. de præcariis* 10. *quæſt.* 2. *& cap.* 2. *de præcar.* An verò valerent locationes, ſi qui uno, & eodem die tribus ſucceſſivè, uno poſt aliud elapſo triennio locationem in aliud triennium acciperet, & ab eo anticipatæ ſolutiones acciperentur? Id ex jure communi petendum. Neque hoc Decreto impediri dixit Sacra Congregatio, quominus poſſit Epiſcopus cognoſcere in caſibus, in quibus licet de jure communi, & ultra triginta annos.

2 *Non liceat*, *&c.* In hac ſecunda parte Decreti non licere ſancitur, juriſdictiones Eccleſiaſticas locare, ſeu facultates nominandi, aut deputandi Vicarios, quia locare eſt quædam venditio. At poteſtas juriſdictionis ſpiritualis a Deo eſt, quam nullo ſtudio, nullaque induſtria comparare non poſſumus. Unde ſimoniacum.

3 *Judices*, *&c.* Hinc reſpondit Sacra Congregatio, juriſdictionem, quæ ſuper damnis bonorum Eccleſiarum illatis ſub certa annua penſione, & hoc, ut majori ſolertia bona Eccleſiarum conſerventur, locari quibuſdam Officialibus conſueverat, prohiberi ex hoc Decreto, cùm ſit juriſdictio Eccleſiaſtica, quamvis redditus ſuper damnis illatis, & bonis Eccleſiarum. Unde ſecundùm omnes Doctores *in cap.* 1. *ne Prælat. vic. ſuas*, *vel Eccleſ.* poſt Oſtienſem, dicunt, quod obventiones, ſeu fructus officii exercentis ſpiritualem juriſdictionem poſſunt vendi, & locari, cùm aliquid ſpirituale non contineat, dummodò non vendatur juriſdictio, quo caſu ex una parte ſimpliciter eſt committenda, ex altera fructus vendantur, itaut contractus ad invicem non miſceantur. Obventiones verò, quæ proveniunt ex juriſdictione, quæ exercetur, vendi non debent propter conexitatem, ne videatur vendi juriſdictio, ut inquit Abbas *in dict. cap.* 1. Sunt enim inſeparabiles eo caſu ab exercitio juriſdictionis, nec inepta, inquit ibidem Oſtienſis, relinqueretur juriſdictio.

4 *Vicarios*, *&c.* Is enim, qui poſtulatur in Vicarium ex parte operarii poteſt locare operas ſuas, ut docet Cajetan. *in Summ.* Sicut etiam, is, cui eſt dare officium, poteſt conducere operas illius ſub certo ſtipendio, quod non poteſt intelligi ex parte Prælati, quaſi poſſit locare hujuſmodi officium ſub certo pretio, quod eſt prohibitum in hoc Decreto, & eodem titulo, *ne Prælat. vic. ſuas*, cùm ſit vendere juriſdictionem.

5 *Locationes verò rerum Eccleſiaſticarum*, *&c.* In hac tertia parte datur modus irritandi locationes bonorum Eccleſiaſticorum a triginta annis citra. Cùm quæreretur, an Canonici Eccleſiæ, qui ſoliti ſunt inter ſe conducere bona Eccleſiæ, donec, qui conducit, vivat. Unde multa mala evenire expoſuit Epiſcopus, & præcipuè quia conductores non reſidebant. Sacra Congregatio reſpondit, compellendos Canonicos ſimpliciter ad reſidentiam juxta præſcriptum Concilii *ſeſſ.* 24. *cap.* 12. & tanquam nullas irritandas hujuſmodi locationes, & prohibendas, ne in poſterum fiant. Quod ſi vel Capitulum, vel aliqui hujuſmodi locationes obtinentes gravamen ſibi inferre prætenderent, a Congregatione audiantur, ita tamen dixit Gregorius Decimustertius, ne Epiſcopus exequatur, ſi præfati ſenſerint, ſe eſſe gravatos, compellat tamen eos ad reſidendum. De hac re vide quæ diximus *tom.* 1.

6 *Irritas*, *&c.* Hujuſmodi judicium reſpondit Sacra Congregatio non eſſe Vicarii, neque Ordinarii, ſed ad Synodum, vel ab ea deputatos, ſpectare.

7 *Citra*, *&c.* Intelligendum dixit Sacra Congregatio ante Concilii confirmationem. Quod Gregorius Decimustertius approbavit.

8 *Ad longum tempus*, *&c.* Unde tantò magis locationes perpetuas comprehendi, dixit Sacra Congregatio. Id etiam dictum de contractibus emphyteuticis. Tum quia comprehenduntur a Juſtiniano ſub titulo locati, & conducti. Tum quia communis uſus loquendi eas appellat locationes. Tum quia forma in hoc Decreto deſignata a Concilio de viginti novem in alios viginti novem annos, propriè eis convenit. Tum quia eadem ratio militat in his, quæ in locationibus ſimplicibus. Non tamen cenſetur prohibitum alienare terrulas beneficiales, de quibus *in canon. terrulas* 12. *quæſt.* 2. de quo etiam nos alibi. Nec obſtat Paulina Conſtitutio *de reb. Eccleſ. non alien.* quia, ut Doctores tradunt, ab ea excipiuntur caſus a jure permiſſi, ne quod favore Eccleſiarum ibi ſtatuitur, in earum detrimentum convertatur.

9 Hinc autem notandum, quod ab hac Paulina Conſtitutione excipiuntur caſus a jure permiſſi, quibus ſicilicet ſine alia ſolemnitate, & ex ſola Prælati authoritate poteſt fieri alienatio.

Primus caſus eſt, quando res eſt modici valoris, & 10
alienatio eſt in evidentem Eccleſiæ utilitatem, & res non eſt Eccleſiæ neceſſaria *ex canon. terrulas* 12. *quæſt.* 2. de quo ſuſiùs alibi.

Secundus caſus, quando alienatio eſt neceſſaria jure 11
exigente, ut cùm legata ſunt bona fructifera Religioni, quæ non poteſt retinere bona in communi fructifera, ut ſi fratribus Minoribus de Obſervantia, Capuccinis, Domui Profeſſæ Societatis Jeſu, Patribus Theatinis *per Clem. Exivi §. proindè de verb. ſignificat.* Concil. Trident. *ſeſſ.* 25. *cap.* 3. *de Regul.* Sanchez *in Decalog. lib.* 7. *cap.* 26. *num.* 30. ac Rota *deciſ.* 477. *num.* 7. *part.* 2. poſt Farinac. Et pro Theatinis extat Decretum Sacræ Congregationis Concilii, de quo alibi.

Tertius caſus eſt, quando alienatio eſt neceſſaria ex 12
lege contractus, ut propter pactum de retrovendendo in eodem contractu incontinenti appoſitum, quando Eccleſiæ res fuit acquiſita, Tiraquell. *de retract. conv. §.* 7. *in fin. tit. num.* 2. *&* 10. cum ibi allegatis.

Quartus caſus eſt, quando alienatio eſt neceſſaria ex 13
præcepto Teſtatoris, ut ob fideicommiſſum per *l.* 3. *C. quando decr. op. non eſt.*

Quintus caſus eſt unionis alicujus Eccleſiæ factæ ab 14
Epiſcopo loco Religioſorum, *Clem. ſi una de reb. Eccleſ. non alienand.* Garz. *de benefic. part.* 12. *cap.* 2. *de union. num.* 77. Sanchez *in decalog. lib.* 7. *cap.* 29. *a num.* 148. Sed hoc jus hodie eſt ſublatum a Tridentino *ſeſſ.* 24. *c.* 13. *de reformat.* excepta cauſa fundationis, ut declaravit Sacra Congregatio apud Barboſam *in notis*. Item poteſt Epiſcopus unire beneficium ſæculare pro dotatione ſufficienti beneficii Curati ſæcularis, ut ex Tridentino *ſeſſ.* 21. *cap.* 5. *de reformat. & dict. cap.* 13. & ita Rota *par.* 2. *dec.* 196. *num.* 3. *recent.* Alios etiam caſus vide apud Quarantam *in ſumm. Bullar. verſ. Alienatio*, Bonacin. *de alien. punct.* 4. Caſtropal. *tom.* 2. *tract.* 12. *punct.* 15. *§.* 6. *num.* 7.

Factas, *&c.* Quid ſi quiſpiam peteret renovationem 15
emphyteuſis ad viginti novem annos ſibi conceſſam, an ſit contra hoc Decretum? Reſpondit Sacra Congregatio, hoc judicium ſpectare ad Synodum Provincialem. An hujuſmodi revocatio ſit damnoſa, unde debere proprietarium permittere, ut continuet emphyteuſim, donec Synodus illam damnoſam judicaverit, ſi tamen jure ordinario de ſuo jure noluerit experiri? Quid ſi conveniatur proprietarius ad renovandum, etiamſi elapſi eſſent decem anni a die, quò debebat renovare? Reſpondit Sacra Congregatio, hoc Decretum non prohibere hujuſmodi conceſſiones, quando non ſunt in damnum Eccleſiæ, & ita dicendum de omnibus locationibus ad viginti novem annos, quibus elapſis, ad alios viginti novem locationes renovare oporteret, quas non eſſe declarandas irritas, niſi Synodus id declaraverit juxta formam hujus Decreti.

Synodus Provincialis, *&c.* Cùm tamen nulla adeſſet 16
ſpes celebrandi Concilium Provinciale in Regno Siciliæ, & Epiſcopus quidam peteret remedium aliquod a Sacra Congregatione, ut Decretum hoc aliquam poſſet habere exequutionem circa recuperationem bonorum Eccleſiæ, Sacra Congregatio cenſuit, Summum Pontificem debere in hoc caſu eandem authoritatem impartiri Synodo Diœceſanæ, quæ impartitur a Concilio Tridentino Synodo Provinciali, & Gregorius Decimustertius annuit, donec tamen habeatur Concilium Provinciale.

In damnum Eccleſiæ, *&c.* Unde dixit Sacra Congre- 17
gatio non prohiberi ſimpliciter locationes ad longum tempus, & in emphyteuſim, nec abſolutè damnari, ſed illas tantùm, quas Synodus judicabit. Et cùm quæreretur ad irritandas locationes ad longum tempus factas, an ſatis eſſet probare factas a triginta annis citra, an verò etiam ſit neceſſarium probare, eſſe in damnum Eccleſiæ, & contra Canonicas ſanctiones? Reſpondit Sacra Congregatio hujuſmodi locationes probandas eſſe coram Synodo Provinciali, vel ab ea deputatis, in damnum Eccleſiæ, & contra Canonicas ſanctiones factas.

Judicabunt, *&c.* Quæritur, an una ſententia tantùm 18
requiratur, an verò dari debeat appellatio, etiam ſecundùm juris formam ad tres conformes ſententia requiratur? Quod quidem non caret difficultate, & ex eo videtur oriri difficultas illa, an debeat ita valere ſententia hujuſmodi lata a Judicibus in ſpecie in cauſa aliqua deputatis a Summo Pontifice, ſicut valeret ſententia a Judicibus generaliter deputatis ab ipſa Synodo Provinciali? Hæc cùm diu Patres perpendiſſent, primò, cenſuerunt omnes unanimiter, delegatos a Summo Pontifice

tifice non comprehendi hoc Decreto Concilii. An autem ſufficiat unica ſententia Synodi, res dubia viſa eſt; tum quia Concilium non prohibet appellationem, & regulariter permiſſa cenſeatur, quando non eſt prohibita, & res dura videtur, quod unica ſententia ſufficiat. Et advertendum quod eſt certum comprehendi locationes authoritate Apoſtolica confirmatas, & ſatis videtur Concilium introducere legem novam, ut confirmatæ res a Sede Apoſtolica poſſint reſcindi. Et quia gravat, reſtrinxit tantùm ad triginta annos. Tum quia Concilium prohibuit appellationem, quando voluit, ut in materia viſitationis, præcedentiæ, & aliis. Et licèt non detur appellatio a lege a Concilio, datur tamen appellatio facta ſuper lege ſuper Concilio, ſicut *cap. de multa de præbend.* facit irritas, & tamen datur appellatio. Ex quibus pro tribus ſententiis, & appellatione major pars tenuit, cui acceſſit Gregorius XIII.

19 Ad idem *cap.* 11. hæc etiam Sacra Congregatio Concilii declaravit. In Tudertina juriſdictionis Eccleſiæ locari prohibentur. Quod procedit etiam in quolibet minimo officio, juriſdictionem habente, non obſtante quacumque contraria conſuetudine.

20 In Licienſi. Si quæ domus Monialium ſit locata in emphyteuſim ad annos viginti novem, debent permittere, ut locatio duret, donec Synodus Provincialis, vel deputati ab ea judicaverint de juribus locationis. Debent tamen curare, ut judicium fiat quamprimum.

21 In Mediolanenſi. Hoc Decretum comprehendit etiam locationes perpetuas.

22 In Placentina. Poſtquam Sedes Apoſtolica conceſſit Placentiam in feudum, non potuerunt emi, nec vendi jura, & bona Eccleſiaſtica, vel Eccleſiis attributa vigore Brevis Apoſtolici, etiam *cap.* 11. *ſeſſ.* 22. Et iſtæ alienationes ſunt a Vicario declarandæ nullæ. Et triginta anni intelliguntur.

23 Ex Bulla verò 51. Urbani VIII. quæ incipit, *Humanæ ſalutis*, data Kalend. Novembris 1625. prohibetur omnis alienatio emphyteuſis, infeudatio, locatio ultra triennium, juriſdictionem laicalium, ſeu locorum juriſdictionalium ad Eccleſias, vel pia loca, etiam laicalia, ſpectantium per univerſam Italiam tantùm, etiamſi eſſent ſolita concedi in feudum, vel emphyteuſim, vel nondum incorporata, vel a laicis uſurpata, vel nondum devoluta.

24 Item prohibetur remiſſio caducitatis, & non obſtante Privilegio quocumque Romani Pontificis, aut conſuetudine, etiam immemorabili, aut jure communi ſcripto, & aliis derogatoriis clauſulis.

25 Contravenire audentes, vel præſumentes dictæ prohibitioni incurrunt ex eadem Bulla, primò, excommunicationem, ſi non ſint Epiſcopi, vel Abbates, ſed non eſt reſervata. Secundò, Epiſcopi, vel Abbates incurrunt interdictum ab ingreſſu Eccleſiæ, ſed non eſt reſervatum. Tertiò, ſi dicti Epiſcopi, vel Abbates ſex menſibus inſorduerint in interdicto hujuſmodi, incurrunt ſuſpenſionem ab adminiſtratione Eccleſiarum, ſeu Monaſteriorum in temporalibus, & ſpiritualibus, ſed non eſt reſervatum. Quartò, Capitula, Conventus, & aliæ Univerſitates incurrunt interdictum. Quintò, ſingulares perſonæ etiam dictarum Univerſitatum, & alii, etiam Prælati, qui Epiſcopi, vel Abbates non ſunt, incurrunt privationem omnium officiorum, & beneficiorum, quorum bona alienarint, & privationem vocis activæ, & paſſivæ, & pœnam inhabilitatis ad prædicta, & alia obtinenda.

26 Et notandum, quod hæc Conſtitutio nullas infert pœnas recipientibus alienata. Et quod ait per Italiam univerſam, continet Inſulas adjacentes, quæ modico freto ſeparantur, ideſt centum milliaribus *l. notionem*, *ff. de verbor. ſignificat.* Butr. *in tractat. de Inſul. verſ. nullius num.* 1. Quia iſtæ ſunt pars Italiæ, *l. Inſulæ*, *ff. de judic.* ibique Bart. & Angel. ac Doctores communiter, & Ariſtot. *tractat. de Mundo cap.* 2. Caſtr. *in dict. leg. Inſulæ num.* 1. Cæpol. *de ſervit. tit. de mari num.* 16. Bellug. *in ſpecul. rubric.* 30. *num.* 1. Alii tamen hoc nomine Italiæ univerſæ dicunt, non contineri Inſulæ adjacentes, & probabile ait Diana *part.* 1. *reſol.* 30. *miſcell. & part.* 2. *tract.* 2. *reſol.* 13.

CONSULTATIO CXLVII.

De indictione Sacrorum Conciliorum, eorum uſus quàm vetuſtus? Eorum neceſſitas. Summi Pontificis abſque Concilio poteſtas. Cur dicantur Oecumenica? De nomine Concilii. Ex quibus Concilium eſſe legitimum dignoſcatur? Ejus cauſæ. Verba in nomine Chriſti variè expoſita. Cur aſſumptus ad Pontificatum, mutet ſuum nomen, dicaturque Maximus. An poſſit errare? Ejus poteſtas, ſede vacante, apud quem reſideat? Ejus poteſtas, an etiam ſit temporalis? Quorſum hæc poteſtas? Ea quàm latè pateat? Ratio convocandi Concilium. Cur Papa ſe appellet Epiſcopum? De nomine, officio, ac dignitate Epiſcopi. Cur etiam vocetur ſervus ſervorum? Cauſa finalis Conciliorum. An exquiri debeant Principum ſententiæ? Loci Concilii electio ad quem pertineat? Cauſa formalis Concilii. Cauſa dilationis. Quare Pontifices ad Concilia non accedant? Diem Concilio indicere ad quem pertineat? Cur Pontifex poſt invocationem Sanctiſſimæ Trinitatis invocet Sanctos Apoſtolos Petrum, & Paulum? An neceſſarius aſſenſus Cardinalium? Quinam & quibus ex locis ad Concilium Generale teneantur accedere, & quibus pœnis, & an perſonaliter? Quomodo Concilium Generale dicatur eſſe majoris authoritatis? Quænam admonitio ſufficiat, & arctet vocatos ad Concilium? Quid ſi dies Concilii non apponatur? Poſt quantum tempus lex non afficiat ignorantes, & præſumatur ſcientia? Obſervationes in indictionem Sacri Concilii Tridentini. Romani Pontificis dignitas ad gubernandum Eccleſiam, etiam congregatam in Concilium. Quid de ejus poteſtate ſupra laicos? Supra ſacras perſonas? Quid de Epiſcopis, etiamſi in Concilium adunatis? Romani Pontificis eſt, aliorumve Antiſtitum, etiam in Concilium Oecumenicum congregatorum, judicia firmare, quantumvis legitimè congregata, & adſint legati ipſius Pontificis. De inſtructionibus datis legatis a Pontifice. Quomodo obſervandæ. An poſſit Pontifex ſuis legatis communicare Privilegium perſonale ſuæ in fide indefectibilitatis? Quæ Concilia confirmationem Pontificiam petierint? Alia plura.

1 USus Conciliorum unà cum ipſa Eccleſia habuit originem *Act. Apoſtolor. in elect. Matthiæ cap.* 6. in eligendis Diaconis, & Clericis *cap.* 15. Ratio proculdubio ea fuit, quæ in Republica rectè ordinata, nempè, ut avocati primariis, prudentia, & ſcientia præſtantibus, conſultius ageretur. Hinc factum eſt, ut fide per univerſum dilatata, ubi primum ſingulari Dei beneficio Eccleſia pacem ſortita eſt, Concilium Nicænum celebraretur.

2 Dicitur autem Generale a multiplici, & varia in illud convenientium frequentia. Dicitur etiam Oecumenicum, quia ex toto Orbe Epiſcopi vocantur, & omnes convenire tenentur, ut ad negotium totius Eccleſiæ tractandum intereſſint. Legitima tamen cauſa impediti excuſantur, *can. quoniam placuit diſt.* 18. alioquin nunquam Generale Concilium celebraretur. Ex his tamen non conſequitur Concilii, orta in Eccleſia de fide, & moribus difficultate, neceſſitas. Quia hæc omnia Summus Pontifex per ſe declarare, ac terminare poteſt. Probatur id primò, quia Pontifex caput eſt in Eccleſia, & non a populo, ut cæteri Principes præſidendi poteſtatem habet, ſed a Chriſto, dum illi dixit: *Paſce oves meas.* Ad illum igitur omnes, ac præcipuè fidei quæſtiones deferendæ, & ab illo terminandæ ſunt, alioquin reclamante Apoſtolo, *ſchiſmata eſſent in nobis*, & unitas fidei deſcinderetur, cùm multi fidem ſibi præfinire poſſent. Deinde traditione. Id enim obſervatum reperimus, dum Innocentius Pelagium, Cœleſtinus Neſtorium, Leo Eutychetem, non congregato Concilio, damnarunt. Poſtremò, ſi Summus Pontifex per ſe talia terminare non poſſet, non benè a Chriſto Eccleſiæ conſultum eſſet, cùm non ita facili negotio propter bella, aliaſque difficultates ſemper poſſit Concilium congregari.

3 De nomine Concilii videndus Iſidorus relatus in *can.* 1. *in fine diſt.* 55. qui in *lib. Etymol.* methodè legitur, & in præfatione ejuſdem Iſidori editionis Pariſienſis Conciliorum præpoſita, quæ cùm aliquot codicibus collata eſt, ſic legitur. *Concilii verò nomen tractum ex communi intentione, eo quod in unum dirigant omnes mentis obtutum. Cilia enim oculorum ſunt. Unde & qui ſibimet diſſentiunt, non agunt Concilium, quia non ſentiunt unum.* Ubi etiam de nomine Synodi, quæ & Græcè dicitur comitatus, vel cætus. In Gratiani Codice in his ſunt multæ varietates, ex quibus ea lectio retenta eſt, quæ viſa eſt melior, quamvis adhuc aliquid fortaſſe deſideretur.

Sed

4 Sed ex quibus Concilium eſſe legitimum dignoſcatur? Ex quatuor primis cauſis, in illud concurrentibus. Primò, ſi cauſam finalem Concilii, unitatem fidei, & pacem totius Eccleſiæ cognoverimus. Patet hoc percurrendo omnia generalia Concilia, & hinc utilitas ipſius generalis Concilii colligitur. Secundò, ſi cauſam efficientem cognoverimus eſſe Summum Romanum Pontificem. Ab ipſo enim indici debet ex Marcello Papa ad Maxentium, & *ſeqq. can.* 1. *diſt.* 17. *cap. ſignificaſti de elect.* quod eſt Paſchalis Papæ ſcribentis ad Archiepiſcopum Panormitanum. Deinde ex omnibus generalibus Conciliis, ac teſtimonio Patrum, & ex Socrate græco hiſtorico habemus irrita eſſe decreta Concilii, niſi Romani Pontificis authoritate confirmentur, & in Concilio Chalcedonenſi *act.* 1. hæc habentur: *Sine Sedis Apoſtolicæ authoritate nunquam licuit Concilium congregari*. Item Julius Papa Primus in ſcripto contra Orientales pro Athanaſio *cap.* 29. quod extat *in can. Regula diſt.* 17. ait: Nec ullum ratum eſt, aut erit unquam Concilium quod non fultum fuerit *Romanæ Eccleſiæ authoritate*. Et Concilium abſque ſententia Romani Pontificis celebratum, Conventiculum, vel Conciliabulum appellat Pelagius Papa II. ſcribens Epiſcopis, qui convenerant ad illicitam vocationem Joannis Conſtantinopolitani *epiſt.* 1. *capit.* 1. relata in *can. multis* eadem *diſt.* 17. Anſelm. *lib.* 1. *cap.* 36. & Polycarp. *lib.* 1. *cap.* 14.

5 Deinde ratione, quia illud tantummodo in Concilio ſic congregato tractandum eſt, quod ab ipſo Summo Pontifice præſcribitur. Nam Cœleſtinus in *epiſt.* ad Synodum Epheſinam ſic ait: *Direximus legatos noſtros, ut iis, quæ aguntur, interſint, quæ a nobis antea ſtatuta ſunt, exequentes*. Item dixit Leo Papa ad Flavianum: *Mittimus legatos ad omnem cauſam pie, ac fideliter exequendam*. Colligitur id ex his, quæ ex omnibus generalibus Conciliis eliciuntur. Exemplum ſit illud, quod habemus de Leone, qui noluit admittere decretum Chalcedonenſis Concilii de præcedentia in favorem Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ, cùm de eo ex mandato ipſius tractatum non fuerit. Idemque *epiſt.* 47. Synodo eidem injunxit & omiſſis diſputationibus, quid de incarnatione Chriſti ſentiendum confiterentur.

6 Denique patet ex eo, quod Concilii decreta ab eodem debent confirmari ad hoc, ut vim legis in Eccleſia obtineant. Confirmando enim declarat Concilium a ſe congregatum in eo nihil, niſi ex ſua voluntate tractatum, ac proinde, ut legitimum ſua confirmatione approbatum *d. can. Regula d.* 17. quod eſt ſemper obſervatum in Eccleſia, & demonſtratur ex eo, quod Patres in Concilio Chalcedonenſi congregati per Epiſtolam petierunt a Leone acta Concilii confirmari, ac acta Sextæ Synodi & reliquorum Conciliorum, quæ in Eccleſia reperiuntur a Pontificibus, nempe a Leone II. & aliis confirmata, & approbata fuerunt, & Ariminenſis, & Epheſini Secundi acta, & noviſſimè Baſilienſis ab Eccleſia non recipiuntur, quia a Pontificibus reſciſſa, minimèque approbata fuere. Quid multa? Decreta Concilii Conſtantienſis edita ante electionem Martini, electi confirmatione indiguerunt. Ex quibus colligitur, Concilium illam tantùm authoritatem, & juriſdictionem habere, quam illi præſtat Summus Pontifex,

7 Contra Conſtantinus Concilium congregavit. Reſpondeo, nihil in tali Concilio peractum, niſi poſtquam conſenſus, & Sedis Apoſtolicæ authoritas acceſſit, ex quo colligitur ab Epiſcopis univerſalis Eccleſiæ, utcunque congregatis, legitimum conſtitui Concilium, illius qui poteſtatem habet congregandi, accedente authoritate. Is autem eſt ſolus Papa, quem Chriſtus in Eccleſia, veluti caput in corpore conſtituit, dum dixit Petro, *ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam*, & alibi: *Tu aliquando converſus, confirma fratres tuos*. Limitatur ſi contentio ſit de Papatu, itaut incerta eſſet electio. Tunc enim ſive per Imperatorem, ſive per Collegium Cardinalium, ut hodie, poterit Concilium congregari. Miſſum facio, quando Papa eſſet hæreticus. Tum quia hactenus non evenit, nec Chriſto pro ejus fide orante eveniet. Tum quia tali caſu electio devolveretur ad Cardinales.

8 Tertiò, ſi cauſam materialem Concilii, Epiſcopos eſſe inveniemus. Ex his enim conſtat Concilium, ut habetur in Epiſtola Dionyſii ad Emphilochium, & inferius patebit.

9 Quartò, ut Concilium ſit congregatum in nomine Chriſti. Hæc autem verba multifariam in Sacris ſcripturis accipiuntur. Aliquando pro authoritate Matth. ult. *In nomine meo Dæmonia ejicient*. Pro prætextu Matth. 24. *Multi veniunt in nomine meo, quia ego ſum Chriſtus*, ut hæreticorum Conciliabula. Aliquando etiam ſignificant miſſionem cum aliquo officio, vel functione, Joan. 5. *Ego veni in nomine Patris mei*. Sic accipiuntur hoc in loco, nempe, ut illi, qui conveniunt miſſi ſunt a Chriſto. Ab illo autem mittuntur, cùm illi conveniunt, nempe Epiſcopi per impoſitionem manuum legitimè accipiunt authoritatem, Jerem. 25. *Non mittebam Prophetas, & illi veniebant illuc*. Quod nihil aliud ſignificat, quàm quod non in nomine Dei ad prophetandum acceſſerint. Et ſicut in veteri Teſtamento dicebatur, Prophetas mitti, ſic in novo Epiſcopos facere, vel convenire. Hæc igitur quatuor ſi concurrant in generali Concilio, legitimum Concilium dicendum erit. Obſervationes autem in indictione Concilii Tridentini hæ ſunt.

Solet Concilium indici nomine Pontificis, ut Sacrum 10
Concilium Tridentinum ſub Paulo Tertio, qui ante Pontificatum dicebatur Alexander. Ex Panvino contra Platinam in vita Joannis XII. hoc fecit idem Joannes eo, quod vocaretur Octavianus, quod nomen gentilitatem redolebat, cæteros exemplum ſequutos arbitror, tum animadvertentes ad Petrum, qui prius dicebatur Simon, tum religionis gratia, cùm in Sacris ſcripturis nova nomina aſſumantur, eoque magis hoc obſervarunt, qui barbara habebant nomina, ut Ildebrandus dictus Gregorius VII. Pontifex: Appellatur Pontifex, quia eſt Princeps Sacerdotum, quaſi via ſequentium ipſe, & ſummus Sacerdos, ipſe & Pontifex Maximus nuncupatur, ipſe enim efficit Sacerdotes, atque Levitas, ipſe omnes Ordines Eccleſiaſticos diſponit, quid unuſquiſque facere debet, oſtendit. Antea autem qui Reges erant & Pontifices erant. Nam majorum hæc erat conſuetudo, ut Rex eſſet etiam Sacerdos, & Pontifex; unde & Romani Imperatores Pontifices dicebantur ex Iſidoro *lib.* 7. *Etymolog. capit.* 32. relato in *can. Cleros diſtinct.* 21.

Dicitur autem Maximus propter maximam, & ſupre- 11
mam, quam habet in Eccleſia Dei poteſtatem, de qua videndus omninò catechiſmus Romanus. Verùm poteſt ne Papa, cùm tàm maximam habeat poteſtatem, errare? Reſpondeo, ſumendo quæſitum in his, quæ fidei, vel morum ſunt, in quibus videtur fieri quæſtio, non poſſe. Primò, quia in ipſo fundata cùm fuerit Eccleſia, dum dictum Petro, ſuper hanc petram, petræ fundamenti ſolidi firmæ eſſe debent, quæ labefactari, ſcilicèt errare non poſſint. Secundò, alibi eidem Petro dictum: *Paſce oves meas*. Quod ſi Paſtor in paſcendis ovibus hallucinaretur, malè ovibus conſultum. Tertiò, quia ſuitus oratione Chriſti: *Oravi*, inquit, *pro te Petre, ne deficiat fides tua, & tu aliquando converſus, &c.* Quod autem de perſona Petri, id & de ejus ſucceſſoribus dictum intelligendum eſt, quia illa verba, *ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam*, ad omnes referuntur; quandoquidem non res Petri, ſed totius Eccleſiæ tractabatur, de qua a Chriſto nulla alia fit mentio, niſi ut ſit paſta, & benè juxta Joan. ultim. *Paſce oves meas*. In quibus verbis Chryſoſtomus.

Hæc autem poteſtas, ſede vacante, remanet in po- 12
tentia apud Sedem Apoſtolicam, & in Eccleſia, quia ſemper eſſet congregandum Concilium *cap. ſi gratioſe de reſcript. in 6.* ibique Archid. & Joan. Monach. qui ait, quod licèt habens Papatum, vel dignitatem Imperialem ſit corruptibilis, tamen Paſiatus, & Imperii dignitas ſemper ſunt. Ex quo colligitur plenitudinem poteſtatis non extingui, mortuo Papa, ſed carere adminiſtratore juris, vel facti *capit. Cùm noſtris de conceſſ. præb.* Hoc ipſum apertè conſtat ex eo quod ſuperius diximus factum in Concilio Conſtantienſi electo Martino. Adde & illud, quod Papa Vicarius eſt. Ergo, illo deficiente, non deficit principalis, de cujus poteſtate Daniel: *Poteſtas ejus, poteſtas æterna, quæ non auferetur, & regnum ejus, quod non corrumpetur.*

Quæres, hæc ſuprema poteſtas ſitne etiam tempora- 13
lis, ſeu ſæcularis, ut dicunt, & regia. Reſpondeo eſſe, ut decretum eſt per Bonifacium Octavum in *Extravag. unam Sanctam de major. & obed.* ideoque Pontifici creato dantur Claves, ſicut Pontifici ingredienti Civitatem in ſignum dominii, quo theſauros Eccleſiæ poſſidet, adminiſtrare, & conſervare, ſuoque tempore diſtribuere debeat. Sed quorſum tanta poteſtas? Ad ædificationem nempe, non ad deſtructionem. De hac poteſtate certè Bernardus: *Quis faciet mihi de vobis juſtitiam, ſi haberem Judicem, ad quem vos trahere poſſem, jam nunc oſtenderem vobis ut parturiens loquor &c. extat quidem Tribunal Chriſti, ſed abſit, ut ad illud appellem*. Hæc autem poteſtas tàm latè patet, ut extendatur a mari uſque ad mare, ut declaratum eſt in Concilio Florentino, quia ubique oves Chriſti reperiuntur.

Pontifex item dignatur nomine Epiſcopi, cujus no- 14
men apud Juriſconſultum in *l. ult. de mun. & honor.* no-

men

men eſt officii apud Tullium ad Attic. *Epiſt.* 109. qui ſummum arbitrium rerum habet: *Vult enim*, inquit, *me Pompejus eſſe, quem tota hæc maritima ora habeat Epiſcopon*, ideſt ſpeculatorem, & cuſtodem. Apud Xenophontem Epiſcopi Ephori ſunt, quibus providentia, & cognitio demandata eſt. Apud Homerum eodem nomine & Epiſcopum, & Regem appellatum eſſe novimus. Hodie ad Antiſtites transferimus, ut quorum omni ſtudio, ac opera Reipublicæ Chriſtianæ providere officium ſit; nam ſpeculator eſt præpoſitus in Eccleſia, eo quod ſpeculetur, & perſpiciat populorum infra ſe poſitorum mores, & vitam. Hinc Epiſcopos appellabant Athenienſes illos, qui ad benè vivendum alios dirigebant, ab accommodando ſubditos, ut vivant ex legibus. Quid autem ſit Epiſcopatus, & an ſit nomen operis, an honoris lege, *can. Qui Epiſcopatum* 8. *quæſt.* 1. ex Auguſtino *lib.* 19. *de Civitat. cap.* 19. & nos in hoc tomo.

15 Epiſcopatu autem non datur major dignitas, & ordo ſuperior in Eccleſia; continet enim ultimam perfectionem, ut ait Dionyſius & Ignatius. Dices fortaſſe: ergo Summus Pontifex non differt a cæteris Epiſcopis? Reſpondeo differre dignitate juriſdictionis, quæ ab ipſo in cæteros Epiſcopos derivatur, qui in partem ſolicitudinis vocantur, ut ex Sacro Concilio Tridentino *cap.* 1. *in fine ſeſſ.* 24. Petro enim dictum fuit: *Super hanc petram &c. Tibi dabo claves &c. Confirma fratres tuos. Paſce oves meas.* Hinc collige Patriarchas, Primates, Archiepiſcopos, Metropolitas diſtingui dignitate juriſdictionis, in dignitate verò Ordinis non differre ab Epiſcopis.

16 Appellatur etiam Pontifex *ſervus ſervorum*. S. Gregorius Magnus his verbis primus uſus eſt, ut confunderet Joannem, & Cyriacum Conſtantinopolitanos Epiſcopos, qui Oecumenicos ſe dixerunt.

17 Indictum autem fuit Concilium Tridentinum in integritatem Chriſtianæ Religionis. Et hæc fuit cauſa finalis Concilii, quæ non eſt alia ab illa, quam ſupra poſuimus, pax ſcilicet totius Eccleſiæ, ut ſublatis hæreſibus, fiat unum ovile, & unus paſtor: remedium optimum, & opportuniſſimum. Patet ex omnibus generalibus Conciliis, ut ſupra probatum. Sed ſoletne aliquando alia de cauſa, quam, ad tollendas hæreſes convocari Concilium Generale? Reſpondeo negativè, & octava Synodus fuit convocata ad tollendam controverſiam, quæ inter Photium, & Ignatium de Patriarchatu Conſtantinopolitano orta fuit.

18 *Exquiſitiſque Principum ſententiis*. Ergo non ad Papam tantùm, ut ſupra dictum eſt, pertinet congregare Concilium. Reſpondeo ſententias exquiri Principum, quia illis repugnantibus non ſine magna difficultate Epiſcopi ab eorum ditionibus evocarentur, de quo inferius.

19 *In Civitate Mantuæ*. Ad Pontificem enim ſpectat loci electio, quia ad illum jus indicendi ſpectat. Quod obſervatum in Eccleſia, ut patet exemplo Marciani Imperatoris, qui cùm Niceæ Concilium deſignaſſet, idque Apoſtolicis legatis non probaretur, celebratum eſt Chalcedoniæ. Ex quo infertur, locum Concilii debere eſſe tutum, *cap. ad Apoſtolum de re judic. in 6. & Clem. paſtoralis eod. tit.* ad hoc, ut liberè ſententia a quocunque præferri poſſit. Faciunt ad id literæ Agathoni in ſexta Synodo ad Conſtantinum Imperatorem.

20 Objicies Conſtitutionem Concilii Conſtantienſis, ubi electio loci debet fieri de conſenſu Patrum. Reſpondeo, Statuta hujuſmodi non ligare Pontificem, *cap. ſignificaſti de elect.* & Concilium illud a Martino fuit approbatum quoad illa, quæ ad fidem concernebant.

21 *Spem prope certam habentes*. Hic ponitur cauſa finalis Concilii, quam ſupra adnotavimus, & rectè quidem, quia Dei potentia omnes errorum caligines fugabit, omneſque procellarum tempeſtates ſedabit, itaut tranquillitas magna fiet.

22 *Plurimum reputantes*: Quia tempore belli nec tutum, nec licet Epiſcopis oves ſuas deſerere, *can. ſciſcitaris* 7. *quæſt.* 1. Qua de cauſa fuit dilata ſexta Synodus, aſſerente Imperatore, propter bella non potuiſſe fieri Congregationes Generales Epiſcoporum.

23 *Tres legatos*. Sed quare Pontifex ad Concilium non accedit? Reſpondeo primò, quia per legatos poteſt intervenire *can. Regula diſt.* 17. *& can. 6. diſt.* 16. Secundò, quia hoc aliàs factum eſt a Pontificibus etiam in Orientalibus Conciliis. Ad hoc facit Epiſt. 47. Leonis Papæ, & Epiſtola Horſmidæ, ubi ait, novum, & inauditum eſſe Pontificem Romanum ad Concilium vocari. Habemus & exemplum Vigilii Papæ, qui dum Conſtantinopoli eſſet, & quinta Synodus celebraretur, noluit intereſſe. Sed dices, id actum, quia Conſtantinopolitanus Antiſtes ſedere cum illo volebat, vel quia pauci latini Epiſcopi ibi erant, & proinde verebatur, ne aliquid contra fidem, ipſo præſente, decerneretur. Notandum tamen, quod ſi Papa voluerit intervenire, penes ipſum eſſet ſuprema poteſtas, quia caput eſt Eccleſiæ *can.* 15. 14. *quæſt.* 1. Quæro hìc, poſſint ne eſſe plures legati, vel pauciores tribus? Reſpondeo, pendere arbitrio Papæ.

Teſtis eſt, &c. Quia Pontifex in omnibus debet curare, ne privatæ cauſæ ſtudere videatur, cavete, inquit 24
Apoſtolus, ab omni ſpecie mali.

Quoſdam articulos, &c. Fortaſſe intelligit de iis, quos 25
poſtmodum in Comitiis Auguſtanis definiverunt, quos *Interim* vocarunt, quod quale fuerit ab eo potiſſimum colligitur, quia Eccleſia Petro, & non Imperatori commendata fuit, ut ſupra multis probavimus, & addo inſignem locum Joannis Papæ *in canon. ſi Imperator diſtinct.* 90.

Verumtamen quia omnibus conatibus enitendum, ut 26
bona voluntate eorum, qui in temporalibus Chriſtiano populo imperant, fiantque ad Dei gloriam, & Chriſtianæ Reipublicæ conſervationem.

Concilii autem diem indicere pertinet ad Papam, 27
quia eſt ejus Concilium indicere, ut probatum. Objiciet ex dicta Conſtitutione *Frequens* Concilii Conſtantienſis, Reſpondeo, ut ſupra. Sed quid dicemus de Conciliis, quæ quot annis Gregorius VII. habeat? Reſpondeo, illa non fuiſſe Concilia Generalia, ſed Conſultationes, quæ difficillimis illis Eccleſiæ temporibus multum adjumenti afferebant.

His igitur, &c. Hæc in quarta parte Conſtitutionis, 28
quæ indictionem Concilii continet. Poſt invocationem Sanctæ Trinitatis, mentionem facit etiam Sanctorum Apoſtolorum Petri, & Pauli. Petri quia Papa eſt ipſius ſucceſſor, ſuper quem fundata eſt Eccleſia. Pauli tanquam individui Comitis Petri, qui ita ſe dilexerunt, ut in morte non ſint ſeparati. Poſtremò meminit Papæ ſuæ authoritatis, quia eſt Chriſti in terra Vicarius, & eadem, qua Petrus functus eſt, authoritate fungitur.

De venerabilium. &c. At num ſit neceſſarius hic aſ- 29
ſenſus? Reſpondeo, non eſſe, quia, ut inquiunt Doctores paſſim, & præcipuè Sanctus Antoninus *in* 2. *part.* 3. *part.* in rubrica de poteſtate Papæ, Cardinales aſſiſtunt Papæ non per modum limitationis, ſeu determinationis, ſed miniſterii, & conſilii.

Contra. Conſuetudo induxit, ut Cardinales ſint in 30
quaſi poſſeſſione, ut Papa ardua non explicet ſine illorum aſſenſu. Ita Cardinalis, & Doctores *in cap.* 2. *de Cleric. non reſident. & cap. per venerabilem, qui filii ſint legit.* Reſpondeo, conſuetudinem non potuiſſe præſcribere contra ſupremam Papæ authoritatem, ad quem ſolum pertinet indicere, ut notavimus, & pulchræ dixit Bald. *in tractat. de ſchiſmat. col.* 15. & Turrecrem. *cap.* 88. *lib.* 3. *de poteſt. Papæ*. De honeſtate tamen a Pontifice requiritur talis aſſenſus, Felin. *in rubric. de Conſtitut.* An autem de neceſſitate requiratur Cardinalium aſſenſus in alienatione rerum Eccleſiæ Romanæ, videndum fuſius apud Doctores *in canon. non liceat Papæ*, 12. *quæſtion.* 2.

Omnes omnibus ex locis ad Concilium Generale re- 31
gulariter, ac neceſſariò tenetur accedere, Patriarchæ, Archiepiſcopi, & Epiſcopi. Patet ex *cap. ego N. de jurejurand.* Quod ſi diceretur, aliquando Epiſcopos jurare in manibus Patriarchæ dicentis nomine Papæ recipere, *cap. antiqua de Privileg.* Immò cùm ipſis Epiſcopis Generalis Concilii negotium, in quo ad univerſum Chriſtianum orbem pertinentia tractantur, commiſſum ſit, cùm in partem ſolicitudinis ſint vocati, *canon. ſatis evidenter diſt.* 96. Papa Epiſcopos omnes ex omnibus regionibus ad Concilium convocat *can.* 1. *diſt.* 15. Unde notandum Epiſcopos Catholicos, etiamſi ex propriis ſedibus ſint expulſi, ad Concilium, ſi venerint, admittendos. Id obſervatum in Generalibus Conciliis, patet, quia ſemper ſcripturæ reperiuntur Synodus peractæ a tot Epiſcopis, & S. Leo Concilium Calcedonenſe Epiſcopale appellat, in quo habetur multos Epiſcopos Ægyptios, qui cum Dioſcoro venerunt, a Concilio fuiſſe expulſos, clamantibus Epiſcopis, Concilium eſſe Epiſcoporum *canon. Synodus diſtinct.* 17. Idque etiam patet *Act. Apoſtol.* 15. ubi cùm multitudo conveniſſet, loquente Petro, tacuit. Hoc ipſum S. Hieronymus indicat, ſcribens ad Auguſtinum.

Nec objicias, quod ad Concilium vocentur Abbates. 32
Nam hi poſſunt vocari arbitrio Papæ, qui aliquando hos, & alios viros Religioſos, & alios laicos, doctrina, & experientia præſtantes ad Concilium vocat, ut factum eſt in Concilio Conſtantienſi, ut ſuffragium conſultivum habeant; aliquibus tamen Abbatibus & definitivum ex gratia conceditur, ſed non paſſim. Quia aliqui Abbates numero ſuperarent Epiſcopos in definiendo.

niendo. Et hoc modo intelligitur, quando in Concilio reperiuntur fuiſſe Monachi, & Presbyteri, quod etiam ipſæ deſcriptiones deſignant, dum ſcriptum reperitur. Ego N. Archimandrita ſubſcripſi, niſi ipſi Abbates fuerint legati Papæ, vel aliorum Patriarcharum.

33 Et advertendum hic eſt, quod licet Epiſcopi authoritate Papæ definire in Concilio dicantur, non tamen ex hoc ſequi id, quod ab ipſis definitur, a Papa non debere confirmari. Quia definitio ipſorum, donec a Papa non fuerit confirmata, perfecta non eſt.

34 Sed quid dicendum de Cardinalibus? Reſpondeo, Cardinales Epiſcopos ejuſdem juris eſſe cum Epiſcopis, cæteros verè, ſi Papa aderit, & ipſos in Concilio, ut membra debere intereſſe. De Imperatoribus, ac Regibus dicendum, debere intervenire, non ad potentiam oſtendendam, ſed ad fidem confirmandam, & definiendam *can. 2. & 3. diſtinct. 96.* & patet ex ſubſcriptionibus illorum, dum in illis dicunt, ſe definita ſuſcipere, ut in octava Synodo.

35 Debent etiam intervenire hi, quorum intereſſe agitur, ne indicta cauſa, judicentur, ſive hi laici, ſive alii ſint: *Dices*: Papa poteſt congregare Concilium in ſuo Patriarchio, & quot vult Epiſcopos convocare, & dicitur Generale Concilium? Reſpondeo, tale Concilium dici Generale ratione poteſtatis. Quod quidem Concilium eſſet ejuſdem roboris cum illo, in quod omnes ex omnibus partibus conveniunt. Quia Concilium ut dictum eſt, quicquid habet, a Papa habet. Quomodo ergo dicitur, Concilium Generale eſſe majoris authoritatis? Quia majoris æſtimationis, cùm Epiſcopi per totum Orbem Chriſtianum convocati fuerint.

36 At nihilominus quia cùm teneantur accedere ex juramento, *d. cap. ego N. de jurejur.* non accedentes ſunt perjuri, ac proindè puniri poſſunt, *cap. quærelam, cap. tua nos de jurejur.* pœna quidem excommunicationis *can. ſi quis autem, can. placuit diſt.* 18. At in his locis agitur de Concilio Provinciali. Ergo tantò magis id debet intelligi de Concilio Generali, & qui diſcedunt a Concilio, in eandem pœnam incurrunt, niſi cauſa ſuperveniens repentina illos cogat. An autem contumaces ſtatim in hanc pœnam incurriſſe declarandum ſit? Reſpondeo, prius admonendos, & citandos, ſi tamen citati a Papa detinentur, excuſantur, ſi a Principe ſæculari excuſantur; ſi per vim vel minas, etiam feudatarii, ut perinde jurejurando illi addicti, non excuſantur, quia in jurejurando ſemper intelligitur reſervata Superioris authoritas, *cap. veniens de jurejur.*

37 Et perſonaliter venire debent, electa eſt enim induſtria perſonæ. Ex quo non obſtat, quod dici poteſt, eſſe actum juriſdictionis, non ordinis. At oppono, ſextæ Synodo tres tantùm Epiſcopi interfuerunt. Reſpondeo, illud factum eſſe gratia, quia legitimo cæteri detinebantur impedimento. Quænam autem ſint juſta, & urgentiſſima impedimenta, habetur in *canon. pervenit, canon. Epiſcopus, canon. placuit diſtinct.* 18. *canon. communis d.* 23. Talibus detentus tenentur ad purgandam contumaciam ſe excuſare per procuratorem, ut in indictione Sacri Concilii Tridentini, & in *d. cap. ego N. & d. cap. querelam de jurejur.* At teneturne aliquem ſubſtituere in ſuum locum? Dico, non teneri, ſed poſſe. Subſtitutus tamen, non modò ſi inferior, ſed ſi is ſit, qui ſuffragium conſultivum, ac definitivum alioqui habeat, ut ſunt Epiſcopi, non admittitur, niſi ex permiſſione Papæ, vel majoris partis Concilii, Papa abſente, juxta notata *in d. cap. querelam*. Vide Doctores poſt Gloſſam *in cap. decernimus de judic. vel can. decernimus diſt.* 18. ſed verius in *d. cap. ſi Epiſcopus eod. diſt.* Et hoc modo intelligendum eſt, quando in Concilio Chalcedonenſi reperitur, unum pro alio interfuiſſe.

38 Cùm verò per literas aliquis Epiſcopus ſe excuſat, & hæreſim, de qua agendum in Concilio deteſtatur, ſciendum, literas non facere ſuffragium. Notandum tamen, ſi hic alium ſubſtituerit, non poſſe ſubſtitutum ab eo, quod in literis continetur, recedere, ut per Doctores *in cap. ult. de elect. in 6.*

39 Sed an ſi aliquis poſt incœptum Concilium venerit, incidat in pœnam? Reſpondeo, non incidere, quia quandiu durat Concilium eſt admittendus *can. propter Eccleſiaſticas 1. diſt.* 18. ibique Gloſſa. Quid autem de eo, qui propter paupertatem nec accedere, nec mittere procuratorem potuit? Reſpondeo, hunc excuſari, Abb. in *c. cum dilectus de dol. & contum.* Et hic nota, venientes ad Concilium poſſe petere, & exigere charitativum ſubſidium, etiam a Monaſteriis, Abb. in *cap. conquerente de offic. Ordin.* Idemque dicendum de eo, qui detineretur in itinere, ac de eo, qui captus eſt ab hoſtibus, ac de eo, qui propter inimicitias, ut Gregorius VII. ſcripſit Lugdifrido Epiſcopo. Sed debeant ne ſe excuſare, qui in Concilio tantummodò ſuffragium conſultivum habent? Reſpondeo, non debere, quia hi cenſentur invitati tantùm, ut ſupra dictum eſt.

In ultima verò parte Conſtitutionis de indictione Concilii contineri debet monitio, & publicatio, quod omnes ad Concilium vocantur, ac dies quo in loco Concilium eſſe debeat, præfigitur. Et ſufficit, atque arctat hæc unica admonitio hoc modo facta. Immò nota, Papa non ſolùm hoc modo denunciare poſſe, ſed in publica audientia Contradictarum, & in Cancellaria, quæ ab illo emanavit, qui ubicunque, & undecunque habet poteſtatem, quia Vicarius illius eſt, cujus eſt terra, & plenitudo ejus, Gloſſ. & Abb. in *Clem. 1. de judic.* Deinde quia tali modo facta eſt ex certa ſcientia Papæ, *cap. Cùm dilecti de dol. & contumac.* & fuſius Doctores poſt Joan. Andr. *in cap. Quoniam frequenter, ut liter. non conteſt.* 40

Nec obſtat, quod dicitur in *Clem. citata de judic.* Quia illa reſtrictio ſecundùm Gloſſam, & verba ipſius Clementinæ non comprehendunt Papam, nec illum, cui talis poteſtas a Papa ſpecialiter data eſt. Addo, quod hic agitur de Generali citatione, ac proinde non in caſibus dictæ Clementinæ, & citantur perſonæ longinquæ, ex quo deveniri poteſt ad Generale edictum, ut per Doctores, *ibi*: Unde volens probare, quod tale edictum non pervenerit ad ſuam notitiam, non auditur, cùm Papa voluerit talem citationem habere vim perſonalis, ut per Cardinalem, & alios *ibidem*, & ſic erit, ut inquit Abbas, ſpecialitas Papæ. 41

Quid ſi conſtet, quod non malitiosè quis procuraverit, ne ad ſe perveniret? Reſpondeo nihilominus, poſſe edictum decerni. Quid ſi dies Concilii non apponatur? Reſpondeo, intelligendum, illos debere accedere quàm primum poterint. Quid quando non eſt deſignatus locus? Reſpondeo, debere comparere in loco ſoliti Tribunalis Papæ. Notandum tamen, tutius eſſe aſſignare locum, ac præfigere diem, ut obſervatum in indictione Sacri Concilii Tridentini ſecundùm Abbatem *in d. cap. dilecti de dol. & contum.* Atque hæc omnia obſervanda eſſent a Collegio Cardinalium, ſi daretur caſus, non autem ab inferioribus, qui non poſſunt procedere, niſi per viam denunciationes. Objicias: Gregorius VII. non hoc modo citabat, ſed ſcribebat Archiepiſcopis? Reſpondeo, id relinquendum arbitrio Papæ. 42

Poſt ſpatium autem duorum menſium ſtatutum non afficit ignorantes ſine eorum culpa, ut poſt Gloſſ. Abb. & Felin. *in cap. cognoſcentes de Conſtitut.* Si autem quæras, quando ſtatutum? Diſtingue ſecundùm Henricum *in dict. cap. cognoſcentes*. Et hi menſes dantur ad cognoſcendam, convincendam, vel excuſandam ignorantiam inferiorum ſubditorum. An verò præſumatur ſcientia poſt lapſum duorum menſium. Diſtinguit Abbas in locis prælegatis. Quæro in Conſtitutionibus Papæ, Romæ publicatis, quod tempus aſſignabitur? Reſpondeo, tempus ad excuſandam ignorantiam debere eſſe arbitrarium. Diſtinguendæ enim ſunt Provinciæ. Quæro, allegans ignorantiam ſtatuti; admittitur ne ad probationem? Reſpondeo, admitti, ſed in caſu noſtro probatio clara eſſe debet ſecundùm Innocentium, & in arbitrio Judicis, qui ſecundùm qualitatem præjudicii perſonæ, ignorantiæ, & facti judicabit *cap. innotuit de elect.* ibique Gloſ. *& cap. fin. de jurejur.* 43

Porrò quod antea diximus, quod ſcilicet dignitas capitis Eccleſiæ, tributa divinitus Romano Pontifici, extendatur ad gubernanda omnia, quomodocunque ſumpta Eccleſiæ membra, atque adeò etiam quoſvis Præſules ſive ſigillatim ſumptos, ſive congregatos in Concilium quantumcunque Generales, cujus indicia, ut ſint planè certa, Romani Pontificis eſt firmare, ac ſua authoritate communiter, colligitur partim ex iis titulis, quibus Pontifex aſſeritur caput univerſæ Eccleſiæ, partim ex illis, quibus dicitur, eum eſſe in Eccleſia Judicem vice Chriſti. Expendamus diſtinctè ſingula. Quod omnia Eccleſiæ membra ſubſint Romano Pontifici, ut capiti, ex eo conſtat, quod univerſalis collectio totius Eccleſiæ, ut multi Pontificis tituli ferunt, Pontifici contrapoſita, ſubjaceat ejus regimini, debeatque ab hoc capite paſci, ac regi. Non enim poteſtas Pontificia eſt in tota Eccleſia, ſed in ſolo Pontifice. Quod ſi Eccleſia univerſa, Pontifici, ut ſpirituali capiti, ſubjacet, multò magis idem affirmandum erit de quibuſvis Eccleſiæ membris. 44

De laicis res eſt clara. Nemo quippè laicorum, quantumvis emineat, poteſt ſe directioni hujus univerſalis Eccleſiæ Capitis ſubducere, quin ſimul a conſortio fidelium ſe removeat, & partem cum Chriſto, ejuſque corpore myſtico habere refugiat. Fidenter Aleonora, Angliæ Regina, Satagens pro filio in Auſtria captivo, ſic 45

affatur

affatur Cœleſtinum Papam Epiſtola apud Bleſenſem 145. *Nonne Petro Apoſtolo, & in eo vobis a Deo, omne regnum, omniſque poteſtas regenda committitur? Benedictus autem Dominus, qui talem poteſtatem dedit hominibus. Non Rex, non Imperator, aut Dux a veſtræ jugo juriſdictionis eximitur.* Hincmarus *opuſc. de divort.* Lotharii, & Theabergæ ad *interrogat. 6.* ex ſecundo loco poſitis, cùm objectum fuiſſet, vertices populorum nullorum legibus, vel judiciis ſubjacere, niſi ſolius Dei, reponit: *Hæc vox non eſt Catholici Chriſtiani, ſed nimium blaſphemi, & ſpiritu Diabolico pleni.* Id, quod fusè, ac fortiter perſequitur, ejuſque diſputatio præſertim urget pro ſubjectione ſpirituali debita Summo Pontifici a Regibus. Immò Carnotenſis *Epiſt. 106.* rationem hujus ſubjectionis perelegantem aperit, agens cum Rege Angliæ: *Regnum terrenum*, inquit, *cœleſti regno, quod Eccleſiæ commiſſum eſt, ſubditum eſſe debere, ſemper cogitetis. Sicut enim ſenſus animalis, ſubditus debet eſſe rationi, ita poteſtas terrena ſubdita eſſe debet Eccleſiaſtico regimini. Et quantum valet corpus, niſi regatur ab anima, tantùm valet terrena poteſtas, niſi informetur, & regatur Eccleſiaſtica diſciplina. Et ſicut pacatum eſt regnum corporis, cùm jam non reſiſtit caro ſpiritui, ſic in pace poſſidetur regnum Mundi, cùm jam reſiſtere non molitur regno Dei, hoc cogitando, ſervum ſervorum Dei, vos eſſe intelligite, non Dominum protectorem, non poſſeſſorem.* Utuntur hac ipſa carnis, & ſpiritus comparatione in eam rem, Nazianzen. *orat. 17. numer. 15.* Iſidor. Peluſiot. *lib. 3. Epiſt. 249.* & S. Thom. 2. 2. *quæſt. 60. art. 6. ad 3.* Rectè idem proſequuntur, & illuſtrant Bellarmin. *lib. 5. de Pontif. cap. 6.* & Naucler. *oper. de de Monarch. part. 2. lib. 1. cap. 2. ac part. 4. lib. 1. cap. 3.* Quod ſi corpus ab anima regitur, nec anima corpori, niſi perverſæ ſubjacet, ſed corpus animæ ſubjacere debet, liquet, laicas quaſcunque perſonas ſubjacere debere Capiti Eccleſiæ, & ab eo circa ſpiritualia regi, quod de iis ipſis, qui ad clavum ſæculi ſedent, diſertè tradit Cyrillus Hieroſolymitanus *Cathec. 17.*

46 Idem aſſero de ſacris perſonis, quas, nulla excepta, ſubeſſe debere Romano Pontifici, ut Capiti, extra dubium eſt, cùm qui inter perſonas ſacras eminent Epiſcopi, Romanum Pontificem, Epiſcoporum Epiſcopum agnoſcant, & Sanctus Cyrillus, tametſi inter Patriarchas ſecundus, referente Sancto Thoma, profeſſus ſit, oportere omnes Antiſtites Romano Pontifici, ut Capiti, ſubeſſe. Non defuerunt tamen, qui tentarent jugum excutere, etiam in Occidente, poſt Græcos, & quibus primum ſchiſma in Eccleſia eſt inductum. Hi quippè ſubjectionem ad Romanos Pontifices ægerrimè tulere jam olim. In Occidente quoque Ravennates Antiſtites Imperatorum favore, deinde Exarchorum freti potentia, ſæpè ſæpius authoritatem Romani Pontificis excuſſere, ut ſignatis variis illorum motuum temporibus, latè proſequitur Azor. *tom. 2. lib. 4. cap. 16.* addens, quod item Mediolanenſes Archiepiſcopi adverſus ſubjectionem, Romano Pontifici debitam ſint machinati, vel potius quod Simoniacis, & concubinariis Clericis adverſus eam ſubjectionem molientibus conniventes permiſerint, utrique mox ad officium, ſaltem ad tempus, & ad bonam frugem revocari a Petro Damiani, Mediolanum legato a Nicolao Secundo, qua de re legendus ipſe Petrus Damiani.

47 Sed quicquid, ſive Occidentis, ſive Orientis pauci Antiſtites, delirarint, veriſſimè, utinam æquè conſtanter, profeſſus eſt Michael Paleologus, ſcribens ad Gregorium X. *Sancta Romana Eccleſia Summum, & plenum Primatum, & principatum ſuper univerſam Eccleſiam Catholicam obtinet, quem ſe ab ipſo Domino, in B. Petro Apoſtolorum Principe, ſive vertice, cujus Romanus Pontifex eſt ſucceſſor, cum poteſtatis plenitudine recepiſſe, veraciter, & humiliter cognoſcit. Et ſicut præ cæteris tenetur fidei veritatem defendere, ſic, & ſi quæ de fide ſubortæ fuerint quæſtiones, ſuo debent judicio definiri, ad quam poteſt gravatus quilibet ſuper negotiis ad Eccleſiaſticum forum pertinentibus appellare, & in omnibus cauſis, ad examen Eccleſiaſticum ſpectantibus, ad ipſius poteſt judicium recurri, & eidem omnes Eccleſiæ ſunt ſubjectæ. Ipſorum Prælati obedientiam, & reverentiam ſibi dant. Ad hanc autem ſic poteſtatis plenitudo conſiſtit, quod Eccleſias cæteras ad ſolicitudinis partem admittit, quarum multas, & Patriarchales præcipuè, diverſis Privilegiis eadem Romana Eccleſia honoravit, ſua tamen obſervata prærogativa, tùm in Generalibus Conciliis, tùm in aliquibus aliis ſemper ſalva.* Hæc verè, & Catholicè Græcus Imperator de quibuſdam Antiſtitibus ad Romanum comparatis, atque adeò de ſuis Græcis, & Orientalibus malè ſubjectionem detrectantibus.

48 Obſcurius apud aliquos eſt, quod ſubdebam idem eſſe ſtatuendum de Epiſcopis collectivè, etiamſi in Concilium adunatis. Sed Duces habemus Doctores graviſſimos, ut Sanctum Maximum Martyrem ad Abbatem Thalaſſium, cujus de hac re locus illuſtris hic eſt: *Eccleſia Romana, quæ ab olim hucuſque, utpotè ſenior cunctarum, quæ ſub ſole ſunt, Eccleſiarum, omnibus præeſt, hoc certe Canonicè tàm a Conciliis, & Apoſtolis, quàm ob horum Summo Principatu conſequuta, & in ſortem adepta; nullis omninò propter Pontificatus provectionem ſcriptis, aut ſynodicarum edictionibus chartarum ſubjecta, ſicut etiam in his omnes ex æquo ei ſecundùm jus Sacerdotale ſubjecti conſiſtunt.* Ægydius item Abbas Epiſtola ad Symmachum Papam agnoſcit authoritatem Apoſtolicæ Sedis eſſe firmiorem Decretis Synodalibus, quod habet quoque Avitus Viennenſis Epiſtola ad Fauſtum, & Symmachum. Subſcribunt Turrecremata in reſponſione ad Oratores Baſilienſes, Cajetanus *tit. 1. opuſc. tract. 1.* & 2. Bellarm. *lib. 2. de Conc. a cap. 15.* Azor. *tom. 2. lib. 4. cap. 13. quæſt. 1.* Franciſcus Burſattus latè *conſ. 109.* & latius etiam Franciſcus Turrianus libris tribus de authoritate Pontificis ſupra Concilia Malderus *diſp. 4. de Pontifice dub. 3.* qui alios proferunt. Adſtipulatur Corraſius in paraphraſi Sacerdotiorum *part. 2. cap. 2. num. 2.* iis tantùm exceptis, quæ fidem, aut ſchiſma, vel univerſalem Eccleſiæ reformationem concernunt.

Quæ limitatio, ſi agatur de Pontifice certo, ſupervacua eſt, ac exploranda, & univerſaliter ſtatuendum, Papam eſſe ſupra quemcunque Epiſcoporum collectionem. Nam quæcunque Epiſcoporum collectio intra Chriſti ovile clauditur, cùm ſit Chriſtiana. Debet ergo Pontificem totius Ovilis unum Paſtorem Generalem agnoſcere pro capite, atque adeò illi ſubjici. Nec contrarium quorumdam placitum poſſe excuſari a temeritate inobedientiæ, ac ex eo diſſidia, ut plurimum, magnoſque ſemper tumultus efferbuiſſe in Eccleſia, affirmat Duvalius *tract. de Pont. part. 4. quæſt. 7. in fine*, addens *quæſt. 8.* falſum eſſe, quod vulgò jactatur, Doctores Pariſienſes juramento confirmare, ſe contrarium illud placitum, quo Concilium ſupra Papam ſtatuitur, propugnaturos. 49

Ex quibus habetur, Romani Pontificis eſſe aliorum Antiſtitum etiam in Conciliis adunatorum, judicia, alioqui non rarò vacillatura, firmare, exequendo illud Chriſti juſſum ad Petrum: *Rogavi pro te, Petre, ut non deficiat fides tua, & tu aliquando converſus, confirma fratres tuos.* Quod ad ejus ſucceſſores extendunt varii Patres apud Bellarminum *lib. 4. de Pontif. cap. 3.* non eſt dubium, quin Chriſtus ſic orans pro indefectibilitate fidei Sancti Petri, & ſucceſſorum ejus, exauditus ſit pro ſua reverentia, ex quo patet, fidem eorum eſſe indefectibilem. 50

Cum ergo Chriſtus pro ſolo Sancto Petro, quatenus Pontifice, atque adeò etiam pro ejus ſucceſſoribus ad eum modum oraverit, ac ne pro Concilio quidem, quantumvis plenario tales preces fuderit, planè neceſſarium eſt, ut certi ſimus, fidem Conciliorum non nutare, confirmationem Pontificiam illis accedere; quantumvis legitimè ſint congregata, & adſint legati ipſius Pontificis. Nam his quoque aſtantibus, Concilium ex ſe ſpectatum, errare poterit, niſi procedat ex inſtructione a Pontifice, antecedenter data legatis, eamque adamuſſim ſequantur, quæ eſſet anticipata confirmatio, cujuſmodi inſtructiones accuratè ſignantes omnia, dedit aliquando Gelaſius Primus Fauſto, Magiſtro Legato Conſtantinopolim *Epiſt. 4.* Item Hormiſdas indiculum legatis ſuis tradidit, valdè accuratum, qui legitur poſt Epiſtolam ejus 10. Similia commonitoria ſæpè occurrunt in vitis Pontificum, & hiſtoria Conciliorum, atque annalibus Eccleſiaſticis. 51

Niſi ergo legati talem aliquam inſtructionem habeant, & acquiſitè ſervent, errare poterunt etiam ipſi, & cum iiſdem Concilium. Quia Pontifex non poteſt Legatis committere Privilegium perſonale ſuæ in fide indefectibilitatis, ut rectè notavit Caſtro *lib. 1. de juſta hæret. punit. cap. 6.* Itaque conſideratur, ut finito Concilio, accedat ejus de fide Decretis calculus ipſiuſmet Pontificis, alioqui non erunt planè firma. Idque de fide eſſe, cenſet Nanclantus *opuſcul. de neceſſitat. confirmat. Concil.* & videtur annuere Duvallius *loco citato quæſtion. 5.* 52

Ipſa ſanè Concilia, etiam Generalia, hanc ſuam ex ſe ipſis defectibilitatem, & confirmationis Pontificiæ neceſſitatem apertè profeſſa videntur, cùm petierint ſua Decreta firmari a Pontificibus. In quam rem exemplum primæ Synodi Apoſtolicæ urget Turrianus *lib. 2.* contra Magdeburgenſes *cap. 5.* primæ item Nicenæ Synodo acceſſiſſe confirmationem a Sancto Sylveſtro, liquet ex Felice Tertio, *Epiſt. 4.* & ex Decreto ipſius Sylveſtri, Concilio Romano ſuffragante, quod legitur *tom. 1.* Concilio- 53

ciliorum Sanctus Leo peritam a Concilio Chalcedonenſi *act.* 3. in relatione Synodica confirmationem conceſſit, ſcribens ad Martinianum. Benedictus III. idem fecit circa Rhemenſe Concilium. Sophronii Hieroſolymitani Synodicam Epiſtolam ad Honorium, qua idem ab hoc Pontifice explicatiſſimè poſcebatur, adducit Turrianus *lib.* 1. contra Sadeelem *cap.* 10. *infine*, apud quem etiam *lib.* 3. *de dogm. charat.* Photius Conſtantinopolitanus, nec dum depoſitus, idem agnoſcit, ſcribens ad Nicolaum I. cui fatetur convenire, *tribuere authoritatem Synodicæ ſententiæ*, Synodum Tridentinam Oecumenicam ſuperiori ſæculo hanc confirmationem expetiiſſe legimus, nec ante eam obtentam valuiſſe. Denique Gelaſius I. ad Epiſcopos Dardaniæ, quotquot Concilia hoc munimine caruerunt, fuiſſe vacua authoritatis, apertiſſimè conteſtatus eſt. Nec minus perſpicuè Pelagius II. *Epiſt.* ad Synodum Conſtantinopolitanam, *nulla*, inquit, *unquam Synodus rata legitur, quæ Apoſtolica authoritate non fuerit ſuffulta.*

CONSULTATIO CXLVIII.

De Canonicis ſcripturis juxta Decreta Sacri Concilii Tridentini ſeſſ. 4. *Nomine Canonicarum Scripturarum quinam libri veniant? Quinam libri Canonici? Canonici opponuntur apocryphis. Quinam libri apocryphi? Cur dicantur apocryphi? Quando aliquid dicatur apocryphum? Quomodo diſtinguantur Canonicæ ſcripturæ ab apocryphis? Authoritas Sacræ Scripturæ in quo conſiſtat? Sacrarum ſcripturarum conſonantia. Quid pro verbo Dei habendum? Verbum Dei non ſolùm in libris ſcriptis continetur. Traditiones quæ, quotve ſint? Earum authoritas. De authoritate Scripturarum. De verbo Homouſion, & Theotocos. De conſuetudinibus Eccleſiæ univerſalis, & unius cujuſque Eccleſiæ. Judex Sacrorum librorum. Traditiones aliæ ad fidem, aliæ ad mores. Pœnæ in non ſuſcipientes ſacros libros, & traditiones. Evangelicorum Canonicas ſcripturas corrumpentium, Synopſis hiſtorica, & de illorum in Sacram Scripturam conviviis, blaſphemiis, & phalariſmis.*

1 POſt fidei profeſſionem agit Sacrum Concilium de Canonicis ſcripturis. Quia cùm Eccleſia ſit veluti Caſtrorum acies ordinata, antequam ad certamen cum ejus hoſtibus deſcendatur; armamentaria, unde tela prælaturi aſſumamus, aſſignantur, ut dicitur in hoc Decreto §. *Omnes* itaque intelligant, quo ordine, & via ipſa Synodus ſit progreſſura in univerſa Concilii tractatione. Advertendum, cùm duo præcipuè Concilium habeat ſibi propoſita *ſeſſ.* 1. hæreſum extirpationem, ac morum reformationem, quorum alterum ad mores pertinet, qui cum dogmate, de quo in illa ſeſſione agitur, magis convenire videbuntur.

2 Cùm igitur de Canonicis ſcripturis agendum ſit, rectè de abuſibus, etiam qui circa illarum uſum irrepſerunt, ſubnectitur. Canonicæ autem ſcripturæ ſunt tàm veteris, quàm novi Teſtamenti libri, qui hoc nomine veniunt, Auguſtinus contra Fauſtum *lib.* 32. *cap.* 1. & 8. *libros Canonicos*, inquit, *appellamus, quos, Spiritu Sancto dictante, Sacri Authores exceperunt.* Quos igitur tales eſſe conſtiterit, eos proculdubio certiſſimos, ac veraciſſimos eſſe credimus *canon. in Canonicis diſtinct.* 19. *canon. ego ſolis diſt.* 9. Canonicis opponuntur apocryphi, hoc eſt occulti, ut idem Auguſtinus contra Fauſtum *lib.* 10. *cap.* 2. non occulti, quia habendi ſunt in aliqua authoritate ſecreta, ſed quia nullæ teſtificationis luce declarati de neſcio qu[orum] neſcio quorum præſumptione prolati [ſ]unt [v]anidendas fabulas, impietates &c. Et *lib.* [1]. *ca[p.] [a]vitat. apocrypha*, inquit, *nuncupantur e[orum] occulta origo non claruit Patribus, a quibus uſque ad nos authoritas veracium ſcripturarum certiſſima, & notiſſima ſucceſſione pervenit, & ſi in his invenitur aliqua veritas, tamen propter multa falſa nulla eſt Canonica authoritas.* Et paulò poſt, *ab hæreticis*, inquit, *apocrypha proferuntur.* Qui verò ſint apocryphi libri, quære *can. Sancta Romana Eccleſia*, qui eſt Gelaſii *diſt.* 15. in Decretis.

3 Ex quibus primò colligo, dici aliquid apocryphum, cùm ambigitur apud Patres de veritate contentorum, & ab ipſis non ſunt approbata, certum ſit, necne de authore. Et hoc modo apocrypha, tanquam falſa, reprobantur. Colligo ſecundò, authoritate traditionis Eccleſiæ diſtingui inter ſe Canonicas, & apocryphas ſcripturas. Sed quid de lectione hujuſmodi apocrypharum ſcripturarum ſentiendum ſit? Hieronymus ad Lætam, inquit, caveat omnia apocrypha, & ſi quando ea non ad dogmatum veritatem, ſed ad ſignorum reverentiam legere voluerit, ſciat non eorum eſſe, quorum titulis prænotantur, multaque his admiſta vitioſa, & grandis eſſe prudentiæ aurum in luto quærere.

Authoritas autem Sacræ Scripturæ eſt, quod in ea 4
continetur verbum Dei. Hinc Prophetæ antequam aggrediantur eloqui, ſoliti ſunt attentos reddere auditores, dicendo. Hæc dicit Dominus, & per illos Dominum loquutum, teſtatur Paulus *ad Hebr.* & Petrus *Epiſt.* 2. *cap.* 1. ait Spiritu Sancto loquutos ſanctos Dei homines, & Chriſtus ipſe *Matth.* 22. inquit, *David in ſpiritu dixiſſe: Dixit Dominus Domino meo.* Idemque multis aliis in locis miſſionem ſuam ſcripturarum teſtimonio confirmavit. Idipſum factum eſt a Joanne Baptiſta, & Moyſes præcepit *Deuter.* 17. in difficillimis quæſtionibus recurrendum ad divinam legem. Ex ipſa etiam ſcripturarum conſonantia hæc demonſtrantur, qua fit, ut non diverſi, ſed unus illarum ſcriptor judicetur. Unde pulchrè Theodoretus diverſos fuiſſe calamos unius Spiritus Sancti judicavit. Ad hoc reſpiciens Auguſtinus Scripturas ſacras appellat, quæ nobis venerunt de illa Civitate, a qua peregrinamur. Non eſt igitur habendum pro verbo Dei illud tantummodo, quod Spiritus Sanctus unicuique in corde loqui dicitur, ſicuti quidam hæretici dementiſſimè ſomniarunt, quinimmò dicentes, ſe inviſibiliter miſſos, ſignis credendum eſt, *cap. cùm ex injuncto de hæretic.*

Nec ſolùm in libris verbum Dei continetur, ſed et- 5
iam ſine ſcripto traditionibus, quæ ipſius Chriſti ore ab Apoſtolis acceptæ, aut ab ipſis Apoſtolis, Spiritu Sancto dictante, quaſi per manus traditæ ad nos uſque pervenerunt 2. *Theſ.* 2. *can. Eccleſiaſticarum diſt.* 11. & *cap. cum Marthæ de celebr. Miſs.* Concil. Senonenſe tempore Clementis VII. *decr.* 5. & Concil. Trident. *d. ſeſſ.* 4. *decr. de Can. ſcript.* Ex quibus etiam colligitur, cùm traditionum aliæ ſint univerſales, quæ in tota ſervantur Eccleſia, aliæ particulares, quæ pro locorum, & temporum varietate ſint in uſu, *canon. Catholica Eccleſ. diſtinct.* 11. hoc in loco agi de univerſalibus, in quibus Dei verbum ſuaptè natura conſervari poſſe, fatendum eſt, licèt in poſteros commodius tranſmittatur per ſcripturas, quia forma illius eſt, quod a Deo proficiſcatur. Patet hoc, quia Chriſtus non juſſit ſcribi Evangelium, ſed prædicari, & per Hierem. *cap.* 31. prædicit, ſe daturum legem in viſceribus fidelium, ipſique Apoſtoli, dum ſcribunt Epiſtolas, & Evangelium, non ex præcepto Dei id facere aſſerunt, ſed ſicut præceptum fuit *Deuteronom.* 4. quando viſum fuit neceſſarium, ſcripſerunt.

Hinc eſt, quod Evangeliſtæ nudam tantùm hiſtoriam 6
de vita Chriſti tradiderunt, ut omnibus exemplo eſſe poſſet, quique ex Apoſtolis ſcripſerunt, obiter de rebus fidei egerunt. Confirmatur, quia traditiones ſi tollas, ipſas ſcripturas, ut tollas neceſſe eſt. Quomodo ſcimus Matthæi exempli gratia, Evangelium ab ipſo ſcriptum, nihilque ab alio additum, vel detractum, niſi traditione? Hanc fuiſſe in veteri Teſtamento liquet. David enim tres præteritas traditiones ad ſe perveniſſe teſtatur Pſalm. 45. *Deus, auribus noſtris audivimus, Patris noſtri annunciaverunt nobis.* Et in novo Teſtamento ex Joannis *cap. ult.* & *penult.* habemus multa facta a Chriſto fuiſſe, quæ non ſunt ſcripta, & multa ſe habere nobis dicere, & *Epiſt.* 3. & 5. inquit, plura vobis ſcribere habet, & 2. *Theſ. cap.* 1. & 2. *Tenete traditiones, quas accepiſtis*, & *cap.* 3. & *non ſecundùm traditionem, quam acceperunt a nobis*, & 1. *Corinth. cap.* 11. de ritu orandi, ac ſumendæ Euchariſtiæ agens, exordium ſumit a traditionibus, & cum eiſdem concludit, & 1. *ad Timoth. cap.* 6. *Præcipio tibi coram Deo, ut ſerves mandatum*, & 2. *cap.* 2. *Quæ audiſtis ex me per multos Teſtes commenda fidelibus hominibus.* Et apud Sanctos Patres illuſtre de his habetur teſtimonium, Dionyſium Areopagitam *de Eccleſ. Hierarch. cap.* 1. Papiam, de quo Euſeb. *lib.* 3. *cap.* 2. 3. & 4. Ignatium *de tradit. Apoſtol.* Irenæum, & teſtatur idem Euſeb. *lib.* 3. *cap.* 36. Epiphan. *lib.* 2. *hæreſ.* 51. docet, non omnia in ſcriptis quærenda, confirmatque teſtimonio Sancti Pauli, Tertullianus *in lib. de coron. milit.* S. Hieronymus *in Iſai. cap.* 63. S. Auguſtinus adverſus Donatiſtas.

Unde error fuit Lutheri aſſerentis hoc ſolum creden- 7
dum, quod ex Sacra Scriptura elicitur, quem ſumpſit a Vvaldenſibus, & Vviclefo. Si hoc ſolùm credendum eſt, quod ſcriptum in ſacro eloquio invenitur, Chriſtum ad inferna deſcendiſſe, Sanctam Eccleſiam Catholicam, ſanctorum quoque communionem credere non compellemur, quia hæc, non ſcriptura, ſed ſymbolum tradit Apoſtolicum. Ergo & nihil obligabantur credere, quibus prædicabant Apoſtoli, aut Diſcipuli, quia tunc nulla erat ſcriptura. Igitur, ut dixi, hoc Matthæi, illud eſſe

Joan-

Joannis, aut Lucæ Evangelium credere non tenemur. Nam hoc ſcriptura non docuit, ſed Eccleſia determinavit. Dicit autem Auguſtinus contra *Epiſt. Manich. cap.* 5. *ego Evangelio non crederem, niſi me Catholicæ Eccleſiæ commoveret authoritas.*

8 Quod verò Eccleſia Romana ſit Catholica, probat multis argumentis ibidem Auguſtinus *cap.* 4. Docet propterea Damaſcenus *lib.* 4. *cap.* 8. plura tradita ab Apoſtolis, non ſcripto, ſed verbo, quæ tamen obſervanda ſunt. Dicit quoque Auguſtinus in libro ex dictis Baſilii, vt habetur in *d. can. Eccleſiaſticarum diſt.* 11. Eccleſiaſticarum inſtitutionum quaſdam in ſcriptis, quaſdam verò Apoſtolica traditione per ſucceſſores in miniſterio confirmatas accepimus, quaſdam verò conſuetudine roboratas approbavit uſus. Idemque Dionyſius *cap.* 1. *de Eccleſ. Hierarch.* aſſerit, quoniam non ſcriptas doctrinas, ſeu leges Apoſtoli tradiderunt, quas oportet ſuſcipere, videlicet quoad Sacramenta, quoad Orationes Eccleſiæ, circa Monachos, aut Sanctimoniales primitivæ Eccleſiæ, item de orando verſus Orientem, de imaginibus, de ſigno Crucis, & ſimilibus, ut deducit Damaſcenus *lib.* 4. *cap.* 13. *ac* 17. de quibus etiam loquitur *d. c. Cùm Marthæ de celebr. Miſſar.* Quamobrem ait Paul. 2. *Theſ.* 20. *Traditiones, quas didiciſtis, ſive per Sermonem, ſive per Epiſtolam noſtram.* De his vide *in hiſtor. tripart. lib.* 9. *cap.* 38.

9 Quid namque aliud quærebat Arius contra Concilium Nicænum, niſi quod *Homouſion*, ſeu conſubſtantiale nomen in ſcripturis non haberetur. Non itaque credendum eſt, quia ſcriptum eſt, ſed quia verum eſt. Sic abſque ſcripturis receptum eſt vocabulum Matris Domini *Theotocos*, ideſt Dei Genitrix. Scripturam quoque non docet Mariam, Virginem permanſiſſe poſt filii Dei partum, quod tamen fatetur Synodus Chalcedonenſis, quod & aſſerit Hieronymus contra Helvidium *par.* 1. *Epiſt.* 9. & addit: *Tu dicis Mariam, Virginem non permanſiſſe. Ego mihi plus vendico, etiam ipſum Joſeph, virginem fuiſſe per Mariam, ut ex virginali conjugio, virgo filius naſceretur.* Inquit etiam Auguſtinus contra Donatiſtas *cap.* 24. Conſuetudines Eccleſiæ univerſalis ab Apoſtolis fuiſſe traditas, exiſtimandum, quamvis multæ non inveniantur in literis eorum, neque in Conciliis poſterorum. Et tamen quia cuſtodiuntur per univerſam Eccleſiam, nonniſi ab ipſis tradita, & commendata creduntur. Docet hoc Eccleſiaſtica hiſtoria *lib.* 5. *cap.* 6. & 11. Ex quibus omnibus ſatis planè videtur ſatisfactum objectioni, Verbo Dei nihil addendum, cum verbum Dei, ex dictis, non ſit alligatum ſcripturis.

10 Quare Sacroſancta Synodus Tridentina orthodoxorum Patrum exempla ſequuta omnes libros tàm veteris, quàm novi Teſtamenti, cùm utriuſque unus Deus ſit author, necnon traditiones ipſas, tùm ad fidem, tùm ad mores pertinentes, tanquam vel oretenus a Chriſto, vel a Spiritu Sancto dictatas, & continua ſucceſſione in Eccleſia conſervatas, pari pietatis affectu, ac reverentia ſuſcipit, ac veneratur.

11 Huic ſecundæ parti Decreti, in qua Sacrum Concilium ſcripturas, & traditiones complectitur, oppono quod ſemel Decretum, in dubium revocandum non eſt *canon. majores* 14. *quæſt.* 1. *l. nemo, Cod. de Summ. Trinit.* & S. Leo *Epiſt.* 40. & 41. Reſpondeo ad confutandum errores damnatos, iterum damnandos laudabiliter id fieri ex D. Thoma 2. 2. *quæſt.* 10. *art.* 7. & ex S. Leone *Epiſt.* 16.

12 *Cùm utriuſque unus Deus ſit author.* De authoritate Scripturarum S. Auguſtinus *in d. can. ego ſolis*, & *can. ſi ad ſcriptur. cum ſeqq. diſt.* 9. ubi etiam differentia harum, & cæterorum ſcriptorum.

13 *Continua ſucceſſione.* Primò, ut excipiat eas, quæ ob ſolverunt, quia eas tantùm ab Apoſtolis, ut perpetuò conſervarentur, traditæ fuerunt, quæ ad fidem pertinent. Nonnulla autem, ut ad tempus vigerent, ut de ſanguine, & ſuffocato, & velando in Eccleſiis mulierum capite, & hujuſmodi alia. Secundò, ut cùm de traditionibus ſingulis, quas longum eſſet enumerare, det regulam in genere ad agnoſcendum traditiones. Quæ enim pia, religioſa, & certa ſunt ex ſingulis quibuſvis Eccleſiis colligi poſſunt authore Gregorio *in can. novit fraternitas tua*, & *in can. illud diſt.* 12.

14 Verùm cùm traditionum aliæ ad fidem, aliæ ad ritus, ac mores pertineant, illæ, quaſi Evangelium, iſtæ verò non item in Eccleſia recipiuntur, *can. Eccleſiaſticarum diſtinct.* 11. & *canon. illa autem diſtinct.* 12. Quæro, ſi circa traditiones oriatur dubitatio, quis conſulendus? Reſpondeo, Eccleſia Romana. Quæro etiam, quid de traditionibus, quæ nec authoritate, nec conſuetudine univerſali comprobantur? Reſpondeo cum Auguſtino *Epiſtola* 119. *cap.* 19. ad Januarium: Omnia talia, quæ neque Sanctarum ſcripturarum authoritatibus continentur, nec in Conciliis Epiſcoporum ſtatuta inveniuntur, nec conſuetudine univerſalis Eccleſiæ roborata ſunt, ſed diverſorum locorum diverſis moribus innumerabiliter variantur, itaut vix, aut omninò nunquam inveniri poſſint cauſæ, quas in eis inſtituendis homines ſequuti ſunt, ubi facultas tribuitur, ſine ulla dubitatione reſecanda exiſtimo. Quamvis enim neque hoc inveniri poſſit, quomodo contra fidem ſint, ipſam tamen religionem, quam pauciſſimis, & manifeſtiſſimis celebrationum Sacramentis miſericordia Dei eſſe liberam voluit, ſervilibus oneribus premunt, ut tolerabilior ſit conditio Judæorum, qui etiamſi tempus libertatis non agnoverint, legalibus tamen Sacramentis, non humanis præſumptionibus, ſubjiciuntur. Referuntur hæc *in can. omnia talia diſt.* 12. ad Ivon. *part.* 4. *cap.* 206. Panvin. *lib.* 2. *cap.* 168.

Pari pietatis affectu. Quia traditionum Spiritus, qui 15
& ſcripturarum author eſt, ut pulchrè etiam Baſilius in *lib. de ſpiritu*, & *dict. canon. Eccleſiaſticorum diſtinct.* 21. Quantum autem faciendæ ſunt traditiones, videndum apud Irenæum *lib.* 3. *cap.* 4. eadem enim ſecundùm illum eis, ut Sacris Scripturis, reverentia debetur.

Sacrorum librorum Indicem. Tertia pars dicti Decreti 16
hæc eſt, in qua qui ſacri ſint, enumerantur. De eorum nonnullis dubitatum fuit, utrum Canonici, an apocryphi fuerint, ſed dubitantes fuiſſe hæreticos. De aliquibus teſtatur Hieronymus, & Euſebius, quippè qui eorum aſſertioni hujuſmodi libros contraire cognoſcebant. Itaque continua traditione pro Canonicis libris habiti ſunt, quos recenſet Gelaſius in *dict. canon. Sancta Romana Eccleſia diſtinct.* 15. Index hic poſitus habetur in *Epiſtol.* 3. Innocentii I. ad Exuperium *capit. ultim.* in Decreto Gelaſii *de libr. Sacr.* in Concilio Romano, Concilio Laodiceno *cap.* 19. Carthaginenſi 3. *cap.* 47. in Florentino.

At dices in Florentino non reperiri hujuſmodi Indi- 17
cem ſed in Bulla Eugenii ſuper unione Jacobitarum, data Florentiæ 29. Februarii 1441. Reſpondeo hujuſmodi Bullam editam ante diſſolutionem Concilii, quod non ſtatim poſt Græcorum unionem diſſolutum eſt, ſed ſpatio trium annorum perduravit multis editis illo intermedio tempore Conſtitutionibus.

Idem Index ponitur a Patribus Græcis, & Latinis, 18
Euſebius *lib.* 6. *cap.* 18. *hiſtor.* Athanaſ. *in Synopſ.* Cyrillus, Damaſcenus, Hieronymus *in prolog. galeat.* Ruffinus, Auguſtinus *lib.* 2. *cap.* 8. *de doctrin. Chriſt.* Iſidorus *cap.* 6. *etymol.* Nec obſtat quod non omnes libri, in Decreto Concilii Tridentini recenſitos a ſupradictis authoribus recitari. Nam recitantur a pleriſque, licèt non ab omnibus, neque eodem ordine. Concilium enim Carthaginenſe tertium, & Sanctus Auguſtinus non nominant Baruch, ſed dicendo utrumque ſub prophetia Jeremiæ, Baruch poſuiſſe. Sententiam enim illius Prophetæ Auguſtinus *lib.* 17. *de Civit. cap.* 33. protulit ſub nomine Jeremiæ, cùm Auguſtinus interfuerit Concilio Carthaginenſi, ſecundùm ipſum Concilium ſenſiſſe dicendum eſt. Sic etiam reſpondetur ad multa, quæ objici poſſent.

Colligo ex his primò, libros in hoc Tridentino De- 19
creto non enumeratos, inter Canonicos non reputandos. Facit ad id *can. in Canonicis diſt.* 19. & locus Auguſtini contra Fauſtum *lib.* 23. *cap.* 9. Canonicas dicens Scripturas eſſe, quas recipit Eccleſia. Secundò colligo, Eccleſiam dare Sacræ Scripturæ authoritatem declarativè, declarando hanc eſſe Canonicam, illam non eſſe; ſuffragatur Auguſtinus contra *Epiſt. fundam. cap.* 3. verbis ſuperius relatis: *Ego vero Evangelio non crederem, niſi me Catholicæ Eccleſiæ commoveret authoritas*, & contra Fauſtum *libr.* 2. *capit.* 2. Ex traditione Eccleſiæ habetur hanc eſſe ſcripturam Canonicam, illam verò non.

Si quis autem libros ipſos integros cum omnibus ſuis par- 20
tibus, prout in Eccleſia Catholica legi conſueverunt, & in veteri vulgata latina editione habetur, pro ſacris, & Canonicis non ſuſceperit, & traditiones prædictas ſciens, & prudens contempſerit, anathema ſit. Hæc eſt ultima pars Decreti, in qua ponitur anathema in eos, qui contra libros Canonicos, traditioneſque non ſuſceperint.

Cum omnibus ſuis partibus. Propter hujuſmodi verba 21
Sacra Congregatio Concilii cenſuit, incurri in pœnas, ſi una periodus, dictio, Syllaba, totumque id, quod repugnet vulgatæ editioni, immutetur, acriterque reprehendendum Vegam *lib.* 15. *cap.* 9. *de juſtific.* audacter hac de re loquutum. Quod verò ad oppoſitiones contextus Græci, aut Hebraici cum latina vulgata editione pertinet remiſſum ad tertiam regulam Indicis ſub Pio V. editi.

Prudens,

22 *Prudens, & ſciens.* Quia in ſpecie multas neſcimus, quæ ſint. Noto ſeptimam Synodum anathemati ſubjeciſſe etiam violantes traditiones *can. ſi quis 1. qu. 7. can. ridiculum, diſt. 12.*

23 Hinc ineptè ſacrilegi cenſendi ſunt Evangelici, qui Sacræ Scripturæ libros, tàm veteris, quàm novi Teſtamenti per mille ſexcentos annos toto Orbe Chriſtiano pro Canonicis receptos, nefariè violarunt, multa reprobarunt, pleraque addiderunt, verterunt, perverterunt, corruperunt, eique ſuas confeſſiones, Apologias, & Catechiſmos ita exæquarunt, ut pro norma, forma, regula, methodoque credendi, recipienda putarent.

24 Hi namque Chriſti, & Eccleſiæ Catholicæ perduelles, Evangelici; hoc enim ſibi nomen ob Evangelium in lucem è tenebris, ut ajunt, revocatum, magno ſupercilio abrogant, non ferè aliam ſuæ ab Eccleſia diſceſſionis cauſam in ore promptam habuerunt unquam & habent, quàm quod pro amore Evangelii, totiuſque ſcripturæ dignitate, & authoritate contra Catholicos, quos illis Papiſtas vocare viſum eſt, in aciem deſcenderunt, armaque juſtiſſima ſumpſerunt, ut eam a commentis, & traditionibus hominum vindicatam, antiquæ, Apoſtolicæ, propriæ puritati redderent. Quamobrem etiam in omni de religione ſuſcitata controverſia ſolam, & unicam ſcripturam, regulam, judicemque inter ipſos, & orthodoxos eſſe, diſſentientium opinionum voluerunt. Patrum, Conciliorum, Pontificum, & totius antiquitatis interpretatione reprobata; idque neminem ex illis iturum inficias puto, & extant infinita in hoc genere Lutheri, Philippi, Calvini, Bulingeri, Martyris, Oſiandri, & aliorum his ſimilium teſtimonia.

25 Sed non diù latere paſſa eſt divina bonitas hanc pietatis, & officii ſimulationem. Paulò poſt enim re ipſa oſtenderunt, quod non pro amore verbi Dei, & Evangelii puritate, ſed pro amore ſententiæ, & opinionis propriæ, quàm verbo Dei affingere contendebant, in certamen deſcenderunt, illis non abſimiles, quos Apoſtolos Petrus, indoctos, & inſtabiles appellat, Pauli ſcripta, & Epiſtolas, eadem qua & cæteras ſcripturas audacia depravantes, ad ſuam ipſorum perditionem.

26 Ajunt igitur iſti Evangelici, Scripturas canonicas, & ſatis claras, & ſatis plenas, ſufficientes, atque inſtructas eſſe, quæ juſtam poſſint ſuppeditare non ſolùm fidei, ſed & reformarionis rationem, ad docendum, arguendum, corrigendum, erudiendum, ut Paulus ait, in juſtitia. Hanc ſolam, & unicam regulam, prima, & indubitata principia omnium fidei controverſiarum, eſſe debere cenſent, ſine ullo prorſus additamento, nulla prorſus hominum adhibita, aut expectata authoritate, vel interpretatione.

27 Quid autem? An nonniſi illi ipſi primi fuerunt, qui quos fixerunt terminos, tranſilierunt? he, & veritate oſtendentes, quod commentis, & additamentis hominum, aut plus, aut certè tantumdem fidei tribuant, atque ipſi Sacræ Scripturæ, quam ſpiritu Dei inſpirati, loquuti ſunt Sancti Dei homines. Idque ante omnia ex illorum dictis, & factis oſtenditur. Firmum probationis genus, ait Tertullianus, quod etiam ab adverſario ſumitur, ut veritas, etiam ab ipſis veritatis inimicis, probetur. Adverſus enim eos victoria eſt, ſententię eorum manifeſtatio, ait Irenæus. Quippe, Lactantio teſte, qui hoſtem, contra quem fuerit armandus, ignorat, nec adverſarium vincere, qui in dimicando, non hoſtem verum, ſed umbram petit.

28 In Comitiis Auguſtanis anno 1540. celebratis, cùm ſeſe pro verbi Dei majeſtate, proque totius Scripturæ Sacræ dignitate, & authoritate, & ſtare, & cedere velle profiterentur, Evangelici quidam Proteſtantes, & ab optimo Cæſare Carolo Quinto, Imperiique ordinibus urgerentur, ut verbum hoc, quod eſſe Dei profitebantur, legitimæ poteſtati legendum, & examinandum offerrent, non Biblia, non Prophetica, & Apoſtolica ſcripta, non aliquam eorum partem, homines Dei, & ſui obliti, ſed duorum hominum commenta, confeſſionem ſcilicet fidei a Luthero meditatam, & Philippi digitis exaratam, obtulerunt, eamque verbum Dei, atque ſuccum Propheticorum, & Apoſtolicorum ſcriptorum vocaverunt. Hanc regulam eſſe debere totius controverſiæ criterion decreverunt, Auguſtanamque confeſſionem, Chriſtiana enim non erat, appellarunt.

29 Nec ſatis hoc, ſed quod ferè motis de ſtatu ſuo rebus, veritate, ac vetuſtate corroborantis accidit, audaciam audacia, impietatem impietate cumularunt. Ad confeſſionem enim Auguſtanam Apologiam quoque Melanchtonis adjunxerunt; paulò poſt & Catechiſmum Lutheri, paulò poſt & articulos Smalcaldicos verum verbum Dei pronunciarunt, & Evangelii loco cenſeri voluerunt. His in concione, his in diſputatione, in omni ſermone, tamquam Herculis clava, contra omnem antiquitatem, univerſitatem, conſenſionem, contra omnem Orthodoxorum doctrinam, & opinionem uſi ſunt, his ſervire ſcripturam, his ancillari Propheticos, & Apoſtolicos libros juſſerunt, ut non quod ſcriptura diceret, id diceret, & Apologia, ſed quod Apologia diceret, id ipſa quoque ſcriptura dicere, ſentireque videretur.

Extant duo tomi Colloquiorum, Narrationum, & 30
facetiarum Lutheri, collectarum in Menſa, prandii, ac cœnæ tempore, & in peregrinationibus per Henricum Petrum Rebenſtole Eſſerzmenſis Eccleſiæ Miniſtrum, Lutheri non ſolùm amatorem, ſed etiam adoratorem. Narrat in primo tomo, Lutherum non ſemel dixiſſe, quod Textus Bibliæ, & Pſalterium Germanicum ſunt vera methodus credendi, itemque Catechiſmus, deinde & loci Philippi, & Commentaria in Epiſtolam ad Romanos. Sed & Aurifaber in Colloquiis eumdem aliquando Lutherum hæc verba dixiſſe teſtatur; non eſt melior liber poſt Sacram ſcripturam, quàm Philippi Melanchtonis loci communes. Habent enim in ſe ſummam religionis, & totius Theologiæ. Legite Patres, & Sententiarii nihil ſunt in iſtius comparatione.

Deinde verò extant Acta colloquii Altemburgenſis 31
inter Majoriſtas, & Flaccioniſtas inſtituti. In his non ſolùm oculis uſurpare, ſed manibus etiam ſuis palpare quiſque poteſt, quod iſti, ſi diis placet, ſcripturæ, & veritatis vindices, præter ipſam ſcripturam, alias, atque alias, habent fidei formulas, vel ut ibidem loquuntur, alia criteria, & principia, Auguſtanam ſcilicet confeſſionem unà cùm Apologia, Smalcaldicos articulos, & utrumque Catechiſmum, reliquaque ſcripta Lutheri. Majoriſtæ verò etiam corpus doctrinæ Philippi ad illum canonem adjunxerunt.

Addamus & alium teſtem, impuriſſimum illum ani- 32
marum in Civitate Regiomontana Archipiratam Oſiandrum. Rem is indigniſſimam in ſuis ad Vviorembergenſes Theologos ſcriptis ſtatuit, & omninò graviſſimis in reliquis omninò libris ſuis ciet querimonias, apud Vvettembergæ Doctoribus, & verbi miniſtris non ſola ſcriptura pro norma, regulaque credendi, & docendi proponitur, ſed Auguſtana quoque confeſſio, Apologia Philippi; & loci ejuſdem communes pro libris Canonicis obtrudantur. Nec aliter vel Doctores, vel Magiſtri creari permittuntur, niſi prius conceptis verbis jurejurando ſeſe obſtringant, ſe ea omnia, quæ in his libris continerentur, ſine ulla exceptione ad unguem ſervaturos. Ex quo fit, ait, ut miſeri cogantur deſerere mandata Dei, & adhærere mandatis Philippi, derelinquere verbum Chriſti, & adhærere verbo Philippi, reprobare verba ſcripturæ, & adorare verba Apologiæ.

Ab his quoque doctus Laſicius quoque Polonus in 33
epiſtola ad Volanum, Scripturam Sacram non eſſe ſufficientem Judicem putat controverſiarum fidei. Ego, inquit, ut fateor ingenuè, prorſus, neſcio, quis ſit hujus noſtræ litis cum Pontificiis finis, quam nec ſola per ſe mea opinione dirimunt. Biblia propterea quod de locis quibuſdam ſanè intelligendis, fit magna noſtri certaminis pars, nec ipſi Patres, quorum aliqui nobiſcum, aliqui autem, præſertim poſteriores, cum adverſariis faciunt. Non tamen ſe aperit, quonam præſidio defectus ſcripturæ ſupplendus exiſtimet.

Inde profectò conſtat, Evangelicos omnes de autho- 34
ritate Sacræ ſcripturæ, quicquid tandem de ejus cultu, & obſervantia blaterent, delicias ſibi facere, eamque non aliter ac mollem æram in alias atque alias formas, figuraſque fingere, ac refingere, niſi quod mirum videri non debet, quod eandem eſſe velint Scripturæ, & Apologiæ authoritatem. Horrendum dictu fabulis modo non exæquantur; teſtis Aurifaber. Ait is Lutherum dixiſſe: Quantum ego poſſum judicare, ac intelligere, poſt Biblia nullus habetur in Orbe liber elegantior, quàm ſcripta Catonis, & Æſopi fabulæ. Cauſam porrò addit Mathæſius, quod ſcilicet perfectiſſima Sapientia in fabulis contineatur.

Profert etiam Petrus Scarga, Societatis Jeſu Theolo- 35
gus verbo, & opere potens, auditam eſſe cujuſdam Anabaptiſtæ vocem ad Eccleſiam Dei redeuntis. Quod niſi Romana Eccleſia tanta cum veneratione, & conſtantia pro Sacræ ſcripturæ authoritate ſtaret, jam pridem illam Evagelici cum Æſopi fabulis exæquaſſent.

Lutherus in convivalibus ſermonibus decem præce- 36
pta fontem hæreſum appellat. Librum Job fabulam fa-

cit, ibidem *titul. de Patriarch. & Prophet.* Idem *eodem tit.* Librum Eccleſiaſtis Talmudo ſimilem ſtatuit. Beza in Canticis Canticorum amatoria philtra tractari ait. Quod tribuitur Caſtallioni. Idipſum aſſerunt Scotici Miniſtri in Apologia ſuæ Confeſſionis. Calvinus librum Baruch rejicit *libr. 3. capit.* 20. *Inſtitut.* Kemnitius hiſtoriam Danielis ridet in examine 4. *ſeſſion. Concilii Tridentini*. Mathæſium Pſalterium ab Æſopo ſcriptum putat concione 7. *de Luthero*. Rebenſtokius in colloquiis & ſententiis Lutheri Geneſim, Ænigma vocat. Librum Judith Tragediam vocat *in Colloq. fol.* 181. Calvinus ſimiliter, & Judithæ ſimul & Thoiæ hiſtoram repudiat in *antid. ſeſſion.* 4. Eamdem Tobiæ hiſtoriam pro Comœdia reputat Lutherus *in Colloq. menſ. fol.* 482. Vvitakerus quoque Cantabrienſis profeſſor Sacramentarius in reſponſione ad Campianum, illum, inquit, Thobiæ Raphaelem minimè moramur, nec illos ſeptem Angelos agnoſcimus, quorum ille meminit, hoc totum a ſcripturis alienum eſt, quod ab illo Raphaele commemoratur, ac ſuperſtitionem neſcio quam redolet. Idem Lutherus librum Eccleſiaſtici, Prophetæ eſſe negat, Aurifaber, *fol.* 480. Calvinus eumdem Eccleſiaſtici librum non vult eſſe ſolidæ authoritatis, *lib. 3. cap. quarto, Inſtitut.* Idem Calvinus librum Sapientiæ mendacii arguit *lib. primo, Inſtitut. cap.* 55. & *lib. ſecundo, cap. quinto.* Tertium librum Eſdræ ait Lutherus in Albim projicio. In quarto libro, qui continet Eſdræ ſomnia, ſunt pulchræ, & alioquin etiam bonæ Neniæ, Aurifab. *in Colloq. titul. de ſcript.* libros Paralypomenon fide putat indignos, *loco citato* Heſter, & Machabæorum hiſtoriam judaizare ait, ibidem Calvinus vituperat in Machabæorum hiſtoria, quod author libri laudat præpoſterum zelum, & ſuperſtitioſum factum Judæ Machabæi, qui pro mortuis offerri ſacrificium juſſit *lib. 3. Inſtitut. cap.* 5. Beza quoque apertè reprehendit Machabæos ex Balduino ad Calvinum. Kemnitius porrò non negat quidem ſupra dictos libros eſſe bonos, & ſanctos, ac dignos, qui legantur, ſed tamen non eſſe tales, ut ex illis firma argumenta duci poſſint, in examine Concilii. Vvitakerus Sacramentarius Machabæorum, inquit, librum minus curo *in reſponſ. ad Campianum.*

37 Evangelici de Evangelio ludos ſibi faciunt, & pleroſque novi Teſtamenti libros reprobant, referente Cochleo in vita Lutheri. David Georgius Batavus inter alia peſtilentiſſima dogmata, auſus eſt, hoc quoque aſſerere apud Sur. *in comment.* ex hiſtoria David Georgii Antuerpiæ impreſſa anno milleſimo quingenteſimo ſexageſimo *ratiocin.* 8. Franciſcus Danielis in Tranſylvania docuit, ſepeliendum eſſe Evangelium, & recurrendum ad Moſen, & Moſis doctrinam eſſe lineam rectam, Chriſtum autem Jeſum, & ejus doctrinam indirectam, Poſſevin. *in Act. Tranſylvan.* Otto Brunsfellius Evangelia quidem ab Apoſtolis ſcripta non negat, ſed ea pluribus in locis, vel ſecum, vel cum veritate pugnare contendit, Cochleus *capit. 3. & 4. de ſcriptur. & Eccleſ. authorit.* Eraſmus notatur a pleriſque, quod dixerit, non eſſe metuendum, ne totius ſcripturæ corruat authoritas, ſi levis aliquis error in ea deprehendatur propter Evangeliſtas interdum memoria lapſos *in adnotat. in 2. & 27. cap. Matth.* Calvinus ait, Quintum quendam, quem porcum appellat, in Gallia extitiſſe, adeò impium in divos, ut unumquemque Apoſtolorum turpi aliquo ſcommate notare non dubitaret. Lutherus de numero Evangeliſtarum dubitat *in præfat. novi Teſtamenti*. Beza Lucæ Evangelium vel accuſat, vel reprobat *in adnotat. novi Teſtamenti*. Genuæ. Angelici verò Rabbini longius progreſſi, auſi ſunt, planè totum Lucæ Evangelium reprobare eo, quod non recipiatur in Concilio Laodiceno, idque teſtatur Guilelm. Reynoldus contra Vvitakerum *lib.* 1. Lutherus ſolum Joannis Evangelium pulchrum, & principale putat, reliqua inferiora *in ſecunda præfat. novi Teſtamenti*. Beza viciſſim longè diverſum a Luthero ſentit *in adnotat.* Lutherus epiſtolam ad Hebræos Pauli eſſe negat, ibidem. Brentius idem prorſus cum Luthero ſentit, ut videre eſt *in Confeſſ. Virterbergenſi capit. de Sacra Scriptura*. Kemnitius idem etiam ſentit *in exam. 4. ſeſſ. contra Trident.* Magdeburgenſes Centuriatores *idem* affirmant *centur. 5. lib. 2. cap. 4.* Budnæus in Luthuania non ſolùm negat eſſe Pauli, ſed etiam ſpiritu carere affirmat *in diſſenſ. probationis* 29. Calvinus contra, docet, & contendit, Epiſtolam ad Hebræos eſſe verè Apoſtolicam, & errare in hac parte Lutheranos, tàm an Pauli ſit, an alterius Apoſtoli, an Barnabæ, an Lucæ, dubitat *Inſtitut. cap.* 10. Poſiacenſium quoque Calviniſtarum Confeſſio ponit hanc Epiſtolam in numerum divinarum ſcripturarum, ſed tanquam authoris incerti. Sanctius *in epiſtol. de diſcept. Poſiacenſ.* Eraſmus quoque in dubium revocat hujus epiſtolæ authorem, & cum nonnullis aliis exiſtimat, hanc Epiſtolam non hebraicè, ſed græcè primum eſſe conſcriptam, & quidem ſententias eſſe Pauli, verba autem Lucæ, aut Clementis, quo, tanquam interprete, & ſcriba, uſus ſit Paulus *in commentar. ejuſdem epiſtol.* Epiſtolam Jacobi ſtramineam vocat, & repudiat Lutherus in prima editione ſua novi Teſtamenti. Vitus Theodorus in ſummariis Bibliorum illam rejicit, ac reprehendit. Pomeranus quoque illam non annumerat aliis libris, qui juſtitiam fidei prædicant. Eraſmus item negat eam redolere Apoſtolicam gravitatem. Magdeburgenſes ajunt, Epiſtolam Jacobi ab Analogia doctrinæ Apoſtolicæ haud mediocriter aberrare, dum legem appellat libertatis, cùm lex ſit Teſtamentum generans ſervitutem. His contrarium tenuit, ac docuit Memnon Simonius *in lib.* de fide Chriſtiana, inquiens, Divi Jacobi Epiſtolam magni momenti eſſe, ac zelum quemdam ſpirare. Calvinus quoque, tamquam Apoſtolicam recipit, & inter Canonicas ſcripturas numerat *in argum. Epiſtol. Jacobi*. Anglici quoque Calvinolatre cum magiſtro ſuo in hac parte ſentiunt, ex Gulielm. Vvitakero in *reſponſ.* ad rationes Campiani, quod etiam Joannes Schotus in ſua confutatione citat. De Epiſtola Judæ, ſecunda Petri, & tertia Joannis quid ſtatuere debeant, ignorat Eraſmus in ſua cenſura de Epiſtola Judæ. Brentius, Kemnitius, Centuriatores dubii hærent, neque ſe explicant, Calvinus viciſſim omnes eas recipit, & inter Canonicas numerat. Idem ſenſerunt Calviniſtæ in *confeſ. Poſiacen.* Vide Apolog. Lutherus Apocalypſim pro libro Apoſtolico non recipit *in prima edit. novi Teſtam. & in prolog.* Eraſmus in fine *aduot. in Apocalyp.* anxiè, unde probare poſſit Apocalypſim non eſſe Joannis Apoſtoli. Vvitakerus Joanni Apoſtolo Idololatriæ crimen affingit, quaſi Angelum, tanquam Deum, adorare voluiſſet. Brentius, & Kemnitius cum Luthero illam rejiciunt. Calvinus contra, & eum ſequuti Centuriatores acriter pugnant contra Lutherum, aſſerentes, Apocalypſim eſſe unum è libris Canonicis.

At de his ſatis. Tædet enim, pudetque proferre 38
quæ ſacrilegè impii effutiunt apud Jodocum Coccium *in theſ. auth. lib. ſexto, de Sacris Scripturis Eccleſiæ*. Violata autem ſcripturæ majeſtate, & expoſita cujuſvis libidini ejus integritate, ut arbitratu quiſque ſuo, id, quod os Domini loquutum eſt, formet, reformet, probet, improbet, addat, adimat, figat, refigat, ſtruat, deſtruat, quæ eſſe poterit ſtabilitas in omnibus fidei articulis non video. Immò verò video quanta ſit conſequuta inſtabilitas, quanta moles errorum excitata, tàm in doctrina de Sacramentis, quàm in omnibus Symboli Apoſtolici articulis. Antiquorum planè hæreticorum mos, & conſuetudo hæc eſt, cum cætera omnia, tum ipſas etiam. Sacras Scripturas vertendi, pervertendi, addendi, minuendi, mutandi, corrumpendi. Sic de ſui temporis hæreticis ſcriptum relinquit antiquiſſimus ille. Tertullianus *lib. de præſcript. Iſta hæreſis non recipit quaſdam ſcripturas, & ſi quas recipit, adjectionibus, & detractionibus ad diſpoſitionem inſtituti ſui, intervertit, & ſi recipit, non recipit integras, & ſi aliquatenus integras præſtat, nihilominus diverſas expoſitiones commentata convertit. Tantum veritati obſtrepit adulter ſenſus, quantùm corruptor ſtylus.*

In eamdem ſententiam ſcribit Cyprianus *de unitat.* 39
Eccleſ. Corruptores Evangelii, & interpretes falſi extrema ponunt, ſuperiora præterevunt, partim memores, & partim ſubdole corrumpentes. Ut ipſi ab Eccleſia ſciſſi ſunt, ita unius Capituli ſententiam ſcindunt. Et Auguſtinus *hæreſ. 46. Ipſius novi Teſtamenti ſcripturas ita legunt, ut quod voluerint, inde accipiant, quod nolunt rejiciant, eiſque tanquam non totum verum habentibus, apocryphas anteponant*. Iſti porrò quaſi quodam agere perrupto ad omnes, & ſingulos fidei Chriſtianæ articulos evertendos, quaſi ſignum quoddam univerſæ cohorti Evangelicæ ſuſtulerunt, nec quidquam omninò illæſum, intactum, inviolatum reliquerunt. Decantata ſunt illa epiphonemata, non addes, non minues. Maledictus qui addit, maledictus qui adimit. Semel loquutus eſt Deus, & id genus alia, *Deuter. 4. & 12. Prover. 30. 2. Petr. 1. Apocal. 22.*

Contra verò, & Protocanonicos, & Duterocanoni- 40
cos ſcripturæ libros recipiendos eſſe, aſſerunt Concilium Carthaginenſe tertium *cap.* 47. anno 397. Auguſtinus *de doctrina Chriſtiana lib. 3. cap. 8.* anno 400. Innocentius primus *epiſt. ad Exuperium Tholoſanum cap. 7.* anno 406. Gela-

Gelaſius Papa cum ſeptuaginta Epiſcopis *tom. 2. Concilii in decretis* anno 490. Alcimus Avitus *lib. ad Sororem de conſolatoria caſtitatis laude* anno 500. Caſſiodorus *lib. 1. divinar. Inſtit. cap. 13.* anno 540. Iſidorus Hiſpalenſis *lib. 6. Etymologicon cap. 1.* anno 520. Rabanus Maurus *de Inſtitutione Cleri lib. 2. cap. 63.* anno 840. Theodulphus Aurelianenſis Epiſcopus *in verſibus, quos in fronte Bibliorum deſcribi fecit* anno 850. Smaragdus Abbas *ad cap. 9. regulæ Sancti Benedicti* anno 950. Ivo Carnotenſis *in decretis par. 4. cap. 61.* anno 1100. Petrus Cluniacenſis *lib. 1. Epiſt. 2.* anno 1140. Concilium Tridentinum *d. ſeſſ. 4.* anno 1560. Gabriel Patriarcha Alexandrinus in confeſſione fidei anno 1595.

41 Moſen, & Moſaica ſcripta Summa eſſe authoritate aſſerunt Sacræ literæ *Deuteron. 34. verſ. 10.* Joſue *verſ. 8.* Pſalm. 1. *verſ. 2.* Malachiæ 44. Eccleſiaſtici 45. 1. Lucæ 20. 37. Joannis 1. 17. & 5. 46. Act. 7. 20. Hebr. 11. 24. Aſſerunt Patres Græci, Clemens Romanus *conſtitut. Apoſtol. lib. 6. cap. 1.* anno 80. Juſtinus *orat. ad Gentiles* anno 150. Theophilus Antiochenus ad *Autolycum lib. 2.* anno 170. Irenæus *lib. 3. cap. 6. & lib. 2. cap. 42.* anno 180. Clemens Alexandrinus *lib. 1. pedagog. cap. 6. & lib. 1. Stromat.* anno 220. Origenes *lib. 1. contra Celſum* anno 230. Euſebius Cæſarienſis *de præparat. Evangelica lib. 11. cap. 2. de demonſtration. Evangelic. lib. 5. poſt præfationem* anno 320. Conſtantinus Magnus *orat. ad Sanctorum cœtum cap. 17.* anno 330. Antonius Heremita *epiſt. 2.* anno 330. Athanaſius *de incarnatione verbi Dei, & in Synopſi divinæ Scripturæ* anno 340. Baſilius Magnus *in Hexameron. homil. 1.* anno 360. Macarius Ægyptius *homil. 12.* anno eodem, Gregorius Nazianzenus *orat. 6. quæ eſt ad Gregorium Nyſſenum, & orat. 49. quæ eſt oratio de fide* anno 370. Gregorius Nyſſenus *orat. ad eos, qui ægreferunt reprehenſiones* anno 380. Joannes Chryſoſtomus *ad cap. 1. Geneſeos homil. 2. & Sermo de ſe ipſo, cùm eſſet Presbyter deſignatus* anno 400. Cyrillus Alexandrinus *lib. 1. contra Julianum, & lib. 6.* anno 430. Iſidorus Peluſiota *lib. 3. epiſt. 76.* anno 440. Theodoretus *quæſt. in Geneſ. cap. 1.* anno 450. Baſilius Seleucius *orat. 1. in annunciationem Sanctiſſimæ Deiparæ* anno 460. Procopius Gazeus *præfat. in Geneſ.* anno 530. Anaſtaſius Synaites *in Hexameron. lib. 2.* anno 580. Iſychius Hieroſolymitanus *lib. 4. in Leviticum cap. 15.* anno 600. Leonzius Bizantius *de ſectis act. 2.* anno 620. Maximus Monachus *de Incarnatione verbi* anno 640. Joannes Damaſcenus *orthodoxæ fidei lib. quarto, cap. 18. & cap. 24.* anno 730. Suidas *in lexico* anno 970. Oecumenicus *ad capitul. 7. Actorum* anno 1050.

42 Aſſerunt Patres Latini, Tertullianus *in Apologetico c. 19.* & adverſus Marcionem anno 200. Cyprianus *de bono patientiæ* anno 250. Hilarius *de Trinitate lib. 4. & ad Pſalm. 67.* anno 350. Hieronymus *ad capit. 6. Eſajæ, & Epiſt. 123. ad Paulinum cap. 7.* anno 390. Concilium Carthaginenſe *cap. 47.* anno 395. Auguſtinus *de Civitate Dei lib. 18. cap. 37. & de Doctrina Chriſtiana lib. 2. cap. 8.* anno 400. Innocentius I. *epiſt. ad Exuperium Tholoſanum cap. 7.* anno 460. Leo I. *ſermo 4. de collect.* anno 445. Amænus *in Enchiridio veteris, ac novi Teſtamenti* anno 460. Proſper *ad Pſalm. 105.* anno 460. Alcimus Avitus *lib. ad Sororem de conſolatoria caſtitatis laude* anno 500. Aurelius Caſſiodorus *inſtit. divinar. lection. cap. 27.* anno 540. Gregorius Magnus *lib. 6. expoſit. in 1. Reg. cap. 16.* anno 590. Iſidorus Hiſpalenſis *lib. 1. de offic.* anno 620. Beda *ad cap. 1. Joannis* anno 700. *Haymo hom. in fer. 2. Paſchate* anno 820. Rabanus Maurus *de inſtit. Cleri lib. 2. cap. 53.* anno 840. Theodulphus Aurelianenſis Epiſcopus *in verſibus quos in fronte Bibliorum deſcribi fecit* anno 850. Smaragdus Abbas *ad cap. 9. regulæ S. Benedicti* anno 950. Rupertus Ticinenſis *lib. 2. in Exod. cap. 9.* anno 1120.

43 Jobi hiſtoriam veram, & authenticam eſſe, aſſerunt Sacræ literæ Ezechiel. 14. *v. 14.* Tobiæ 2. 15. 1. Corinth. 3. 19. Jacob. 5. 1.

44 Aſſerunt Patres Græci, Clemens Romanus *Conſtitut. Apoſtol. lib. 1. cap. 6. & can. Apoſtol. 75.* anno 88. Ignatius *epiſtol. ad Philadelphienſes* anno 100. Juſtinus Martyr. *dialogo cum Triphone, & quæſt. 78.* anno 160. Meltio Sardenſis *epiſt. ad Orneſium* anno 160. Clemens Alexandrinus *lib. 4. Stromat. cap. 2.* anno 200. Origenes *lib. 1. in Job* anno 230. Euſebius *de demonſtr. Evangel. lib. 1. cap. 6.* anno 320. Athanaſius *in Apologia de fuga ſua, & in Synopſi divinæ Scripturæ* anno 340. Baſilius Magnus *orat. 11. de patientia, & tolerantia* anno 340. Concilium Laodicenum *can. 60.* anno 360. Cyrillus Hieroſolymitanus *catech. 4.* anno 360. Gregorius Nazianzenus *de veris, & germanis Scripturæ libris* anno 370. Amphilochuus *ad Seleucum de Sac Scripturæ libris* anno 380. Joannes Chryſoſtomus *Serm. in Beatos Job, & Abraham, & in catena Græcorum ad cap. 1. Job* anno 400. Nilus Abbas *in Aſcetico* anno 420. Cyrillus Alexandrinus *lib. 2. in Joannem cap. 37.* anno 430. Iſidorus Peluſiota *lib. 3. epiſtol. 11. & epiſtol. 106.* anno 440. Theodoretus *quæſt. in Geneſ. quæſt. 92.* anno 450. Olympiodorus *ad cap. 1. Job* anno 480. Procopius Gazeus *præfat. in Geneſ. & in Exod. fol. 291.* anno 530. Anaſtaſius Synaites *comment. in Hexameron lib. 10.* anno 580. Antiſcus *homil. 117.* anno 600. Maximus Monachus *centur. 1. cap. 83.* anno 640. Joannes Damaſcenus *orthodoxæ fidei lib. 4. cap. 8.* anno 730. Cæſarius *dialog. 1.* anno 760. Theophylactus *ad cap. 8. Joannis, & ad cap. 18. Lucæ* anno 900. Suidas *in Lexico* anno 970. Nicetas Heracleenſis *in Catena Job cap. 1.* anno 1020. Nicetas Choniates *orthodoxæ fidei lib. 3. capit. 1. de deſcenſu in Virginem* anno 1200. Nicephorus Calliſtus *in Synopſi divinæ Scripturæ* anno 1300. Joannes Cantacuzenus *orat. 2. in Mahometum* anno 1360.

Aſſerunt Patres Latini, Tertullianus *lib. de patientia* 45 *cap. 14.* anno 200. Cyprianus *de opere, & eleemoſynis, & de lapſis* anno 250. Zeno Veronenſis *Sermo de S. Job* anno 260. Julius Papa *epiſt. ad Orientales pro cauſa Athanaſii* anno 336. Hilarius Pictavienſis *ad Pſalm. 68.* anno 350. Ambroſius *de interpellatione Job lib. 1. cap. 2.* anno 370. Ruffinus *in Symbolum Apoſtolorum* anno 390. Hieronymus *epiſt. 103. ad Paulinum cap. 7.* anno 390. Auguſtinus *de Civitate Dei lib. 18. cap. 47.* anno 400. Severus Sulpitius *Sacræ hiſtoriæ lib. 1.* anno 420. Philippus Presbyter *5. in Job* anno 430. Leo Magnus *ſer. 9. in Quadrag.* anno 450. Proſper *in Promiſſionibus, & prædictionibus Dei par. 2. cap. 22.* anno 450. Gelaſius Papa *in decretis ſuis* anno 490. Alcimus Avitus *lib. ad Sororem in catalogo divinar. ſcriptur.* anno 500. Caſſiodorus *Inſtit. divinar. lect. lib. 1. cap. 6.* anno 540. Juſtus Orgelitanus *in Cantica num. 107.* anno 540. Gregorius Turonenſis *hiſtor. Francor. lib. 1. cap. 8.* anno 580. Gregorius Magnus *præfat. in expoſitionem B. Job. cap. 1.* anno 590. Iſidorus Hiſpalenſis *lib. 6. origin. cap. 2. & de vita, & morte Sanctorum cap. 24.* anno 620. Beda *ad cap. 5. Jacobi* anno 700. Alcuinus *ad cap. 5. Joannis* anno 760. Ambroſius Ansbertus *lib. 1. in Apocalypſim* anno 770. Haymo *Dominica 5. poſt Paſcha, & Dominica 18. poſt Pentecoſten* anno 820. Rabanus Maurus *de Inſtitut. Cleri lib. 2. cap. 53. de canone Sacrarum ſcripturarum, & de Univerſo lib. 1. cap. 2.* anno 840. Theodulphus Aurelianenſis *in verſibus, quos in fronte Bibliorum deſcribi fecit* anno 850. Paſchaſius Ratbertus *lib. 2. in lamentationes Hieremiæ* anno 880. Bridefertus Rameſienſis *ad cap. 4. Bedæ de temporum ratione* anno 980. Petrus Damiani *tract. de ordine Eremitarum, & facultatibus Eremi fontis Avellani* anno 1050. Hildebertus Cenomanenſis *epiſt. 31.* anno 1100. Rubertus Tuicienſis *de divin. offic. lib. 8. cap. 8. & lib. 2. de meditatione mortis* anno 1120. Bernardus *ſerm. 34. ſuper Cant. Cantic.* anno 1130. Petrus Cluniacenſis *lib. 2. contra Judæos c. 5.* anno 1150. Guerricus Igniacenſis *Serm. in Purificat. S. Mariæ* anno 1170. Innocentius III. *de contemptu Mundi lib. 2. cap. 15.* Jacobus Vitriacus *hiſtor. Occidentalium cap. 34.* anno 1220. Thomas Cantipratenſis *lib. 1. miraculorum cap. 25.* anno 1260. Alphonſus Toſtatus Abulenſis *ad c. 22. Geneſis* anno 1430.

Eccleſiaſten Salomonis, & Canonicum librum, va- 46 lere ad Eccleſiaſtica dogmata confirmanda, aſſerunt Patres Græci, Meltio Sardenſis *epiſt. ad Oneſimum* anno 160. Origenes *homil. 1. in Pſalm. 38.* anno 230. Gregorius Neocæſarienſis *ad cap. 1. Eccleſiaſtis* anno 260. Athanaſius *in Synopſi divinæ Scripturæ cap. 15. Eccleſiaſtes* anno 340. Baſilius Magnus *hom. 12. in princ. Proverb.* anno 370. Gregorius Nazianzenus *in carminibus de veris, & germanis ſcripturis* anno 380. Gregorius Nyſſenus *in Commentar. Eccleſiaſten Salomonis* anno 380. Joannes Chryſoſtomus *homil. 2. de eo, quod dixit Eſajas: Factum eſt anno, quo mortuus eſt Ozias Rex, vidi Dominum, &c.* anno 400. Theophilus Alexandrinus *epiſtol. 3. Paſchali* anno 400. Joannes Caſſianus *monaſticarum Inſtitutionum lib. 3. cap. 9.* anno 430. Theodoretus *Præfatione in Cantica Canticorum* anno 450. Olympiodorus *in Eccleſiaſten Salomonis in præfat.* anno 500. Anaſtaſius Synaites *comm. in Hexameron lib. 4.* anno 580. Iſychius *lib. 6. in Levit.* anno 590. Leontius *de ſectis act. 2.* anno 610. Joannes Damaſcenus *orthodoxæ fidei lib. 4. capitul. 18.* anno 730. Theophylactus *ad cap. 6. Marci* anno 900.

Aſſerunt Patres Latini, Tertullianus *lib. de velandis* 47 *virginibus cap. 1.* anno 200. Cyprianus *lib. 2. teſtimonium ad Quirinum cap. 11. & cap. 30.* anno 250. Hilarius *ad pſalm. 119.* anno 350. Ambroſius *proœm. Comment. in*

Lucam anno 370. Philaſtrius *lib. de hæreſibus cap.* 83. anno 380. Hieronymus *ad c.* 1. *Eccleſiaſticis*, & *lib.* 1. *adverſus Pelagianos c.* 10. anno 390. Auguſtinus *de Civitate Dei lib.* 20. *c.* 3. anno 400. Proſper Aquitanicus *de vocatione Gentium lib.* 1. *c.* 24. anno 450. Salonius *Dialogo in Eccleſiaſten Salomon.* anno 480. Aurelius Caſſiodorus *divinar. lect. lib.* 1. *c.* 15. anno 540. Gregorius Magnus 3. *par. Curæ paſtoral. admonit.* 16. anno 590. Iſidorus Hiſpalenſis *lib.* 6. *origin. c.* 2. anno 620. Aponius *ad cap.* 1. *cantic.* anno 700. Alcuinus *in præfat. comment. in Eccleſiaſten*, & *ad c.* 1. anno 750. Ambroſius Ansbertus *lib.* 4. *in Apocalypſ.* anno 770. Hymo *lib.* 1. *in Eſajam* anno 820. Angelomus *in Stromatis in Cantic. Cantic.* anno 850. Theodulphus Aurelianenſis *in verſibus*, *quos in fronte Bibliorum deſcribi fecit* anno 850. Guitmundus Averſanus *de veritate Euchariſtiæ lib.* 1. anno 1060. Hildebertus Cenomanenſis *ep.* 31. anno 1100. Hugo Etherianus *de regreſſu animarum ab inferis cap.* 4. anno 1160. Joannes Saresberienſis *lib.* 2. *polytic. cap.* 22. anno 1160. Jacobus Vitriacus *Dominica* 3. *Adventus* anno 1220.

48 Canticum Canticorum Salomonis ut librum Sacrum Canonicum, & authenticum valere ad Eccleſiæ dogmata confirmanda aſſerunt Patres Græci. Clemens Romanus *can. Apoſtol.* 85. anno 80. Ignatius *epiſt. ad Epheſios* anno 100. Meltio Sardenſis *epiſt. ad Oneſimum* anno 160. Origenes *homil.* 2. *in Cantic. Canticor.* anno 230. Athanaſius in *Synopſi divinæ ſcripturæ* anno 340. Baſilius Magnus *hom.* 12. *in princ. Proverb.* anno 360. Concilium Laodicenum *can.* 60. anno 360. Gregorius Nazianzenus *de veris*, & *germanis ſcripturæ libris* anno 370. Amphilochius *ad Seleucum de Sacræ Scripturæ libris* anno 370. Epiphanius *hæreſi* 69. anno 380. Joannes Chryſoſtomus *hom.* 37. *in Matth.* anno 400. Philo Carpathius *in comment. in Cantic. Canticor.* anno 420. Cyrillus Alexandrinus *de Unigeniti incarnatione c.* 9. anno 430. Theodoretus *præf. in Cantic. Canticor.* anno 450. Proclus Conſtantinopolitanus *hom. de Chriſti nativit.* anno 450. Procopius Gazæus *ad cap.* 27. *Geneſ.* anno 530. Anaſtaſius Synaites *lib.* 4. *Hexameron* anno 580. Leontius Bizantinus *de ſect. ſect.* 2. anno 610. Joannes Damaſcenus *orthodoxæ fidei lib.* 4. *cap.* 18. Pſellus *apud Theodoretum in cantica* anno 1050.

49 Aſſerunt Patres Latini, Tertullianus *lib.* 4. *adverſus Marcionem cap.* 11. anno 200. Cyprianus *epiſt.* 76. anno 250. *Hilarius ad Pſal.* 119. anno 350. Ambroſius *proœm. commentar. in Lucam*, & *lib. de Iſaac*, & *Anima cap.* 4. anno 360. Optatus Milevitanus *lib.* 1. *adverſus Parmenianum* anno 370. Hieronymus *epiſt. ad Paulinum de S. Scripturæ libris* anno 390. Auguſtinus *de civitate Dei lib.* 15. *cap.* 22. & *lib.* 17. *cap.* 20. & *lib. de Paſtoribus cap.* 15. anno 400. Gaudentius Brixienſis *tract.* 1. *de lect. Evangel.* anno 406. Philaſtrius *de hæreſibus cap.* 83. anno 400. Habdenus Epiſcopus *collat. Chartag.* 3. *cum Donatiſtis fol.* 378. anno 410. Arnobius Junior *de Deo Trino*, & *Uno lib.* 4. anno 440. Vigilius Tridentinus *contra Eutychem lib.* 3. anno 480. Juſtus Orgelitanus Epiſcopus *præf. in Cantic. Canticor.* anno 540. Aurelius Caſſiodorus *in comment. in Cantic. Canticor.* anno 540. Gregorius Magnus *prologo in Cantic. Canticorum* anno 590. Leander Hiſpalenſis Epiſcopus *orat. de converſ. Gothorum* anno 600. Iſidorus Hiſpalenſis *lib.* 6. *etymologiarum cap.* 2. anno 620. Ildephonſus Toletanus *Serm. de aſſumpt. Mariæ* anno 670. Aponius *prologo in Cantic. Canticorum* anno 700. Beda *lib.* 2. *in Cantic. Canticor. cap.* 1. anno 720. Alcuinus *ad cap.* 1. *Eccl.* anno 760. Ambroſius Auſbertus *lib.* 1. *in Apocalypſ.* anno 770. Haymo Alberſtadenſis *Sabbato poſt Paſchæ* anno 820. Angelonus *in Stromatis in Cantic. Canticor.* anno 830. Paſchaſius Rotbertus *lib. de corpore*, & *Sanguine Domini c.* 11. anno 880. Petrus Damiani *epiſt.* 3. *cap.* 3. anno 1050. Vuilleramus *comment. in Cant.* anno 1070. Hildebertus Cenomanenſis *epiſt.* 31. anno 1100. Honorius Auguſtodunenſis *prologo in lib. Salomonis*, *qui dicitur Cantic. Canticor.* anno 1120. Bernardus *Serm.* 1. *ſuper Cantica* anno 1130. Stephanus Edunenſis *de Sacramento Altaris cap.* 12. anno 1170. Innocentius III. *ſer.* 5. *poſt primam Dominicam Quadrageſimæ ſerm.* 1. anno 1200. Thomas Cantipratanus *lib.* 1. *miracula c.* 13. anno 1250.

50 Plura me hac de re proferre pudet. Adi, mi lector, Jodocum Coccium *loc. cit.* ubi ex Patribus Græcis, atque Latinis probat ſacrorum librorum Indicem a Concilio Tridentino adſcriptum decreto ſuo *ſeſſ.* 4.

CONSULTATIO CXLIX.

De inſtituenda lectione Sacræ Scripturæ, & liberalium artium ex variis Conſtitutionibus. Quid illis Concilium Tridentinum adjecerit? Neglectus Sacrarum Scripturarum Chriſtiano homini quam indignus. Nomine Ordinarii qui veniant? Præbendam cui onus legendi eſt adjunctum, qua ratione liceat conferre? Idonei qui dicantur, ac ſint? Quando res per ſubſtitutum adimpleri poſſit? Et quando cenſeatur electa induſtria perſonæ? In quibus Eccleſiis Sacræ Scripturæ lectio habenda ſit? Quid ſi omnes Canonicatus redditus in quotidianis diſtributionibus conſiſtant? Quidve ſi Sæcularis Clericus ad præſtandum onera, hujuſmodi præbendæ adjuncta, idoneus non reperiatur? Reſignatio in favorem non inducit vacationem. Quid ſi ad alium, quàm ad Epiſcopum ſpectet collatio præbendæ? Quid de præbenda in Eccleſiis, in quibus eſt jus optandi? Quid de Canonicatibus Sedi Apoſtolicæ reſervatis, vel quomodocunque affectis? Quæ magis neceſſaria cura ne animarum, an lectio Sacræ Scripturæ? Quid in Eccleſiis Collegiatis, quarum præbendæ ſunt de laicorum Jurepatronatus? Opus incompatibile quale ſit? Clauſula ipſo facto quid importet? Quid de collatione præbendæ facta illi, qui Theologiam non profitetur? Quid in Eccleſiis non numeratis, ſive Regularibus, & in his, quibus non poteſt aſſignari præbenda primò vacatura? Quomodo ſatisfaciendum huic Concilii decreto? Non eſt beneficium, quod ſecum non afferat onus aliquod. Quænam beneficia teneantur contribuere pro lectione Sacræ Scripturæ? Epiſcopus an teneatur Capituli conſilium ſequi? Tempus, hora, & materia, quæ ex ſacris literis ſumi debet, Ordinarii arbitrio relinquitur. Quæ materia lectionis magis congrua menti Sacri Concilii? Quid quando redditus Eccleſiæ tenues ſunt, & populus exiguus? Gratis non docentes in quod crimen incurrant? Hoc Concilii decretum ad quas Eccleſias reſtringatur? De obligatione Monachorum circa Magiſtros. Alia de Monachis. Quid negligentibus Abbatibus, vel Prælatis inferioribus? Quatenus a ſententiis Epiſcopi, etiam ut Sedis Apoſtolicæ delegati, appellari poſſit? Differentia inter Monachos, & cæteros Regulares. An pro legendi licentia aliquid exigi poſſit, vel promitti? An, & quibus conditionibus ſcholares Eccleſiaſtici poſſint ad gymnaſia ſtudiorum cauſa ſe transferre? Ad hoc, ut poſſint fructuum ſuorum beneficiorum perceptione gaudere, quid requiratur? Et an gaudeant, ut gaudent docentes? In caſu propoſito an lector habendus ſit præſens? Quod aliud beneficium lector obtinere nequeat. Quid ſi mala valetudine laboraret? An poſſit alium ſibi ſubſtituere? Quid ſi eſſet contumax?

DE hac re alibi multa, non omnia diximus. Nunc 1
iterum de illa tractabimus. Sacroſancta Synodus Tridentina *capit.* 1. *ſeſſ.* 5. *de reformat. piis ſummorum Pontificum*, & *probatorum Conciliorum Conſtitutionibus inhærens*, nempe Eugenii Secundi in Synodo Romana *canon. de quibuſdam diſtinct.* 37. Concilii Lateranenſis ſub Innocentio Secundo *cap.* 11. Leonis Quarti, Gregorii Septimi, Alexandri Tertii in Concilio Lateranenſi *cap. Quia nonnullis de magiſtr.* Honorii Tertii *capitul. ſuper ſpecula eod titul.* Clementis Quinti in Concilio Viennenſi, *eodem etiam titul.* Concilium Cabilonenſe 2. *cap.* 3. His permotus Gregorius Decimus Tertius edidit Conſtitutionem, qua ſancivit, ut ſemel in hebdomada in omnibus locis, in quibus extat Judæorum Synagoga, lectio pro eorum converſione inſtituatur, ad quam audiendam voluit illos poſſe compelli, *eaſque amplectens*, & *illis adjiciens*. Quæ autem adjecta fuerint ſuis adnotabimus locis, *ne cœleſtis ille Sacrorum librorum theſaurus, quem Spiritus Sanctus ſumma liberalitate tradidit, neglectus jaceat*. Quod quam Chriſtiano homini indignum ſit, collige, quod ignoratio ſcripturarum, ignoratio Chriſti eſt, *canon. ſi juſta diſt.* 38. & qui ea, quæ Dei ſunt neſcit, a Deo neſcitur, *canon. ſi ea diſtinct. ead.* & S. Leo ad Flavianum *epiſt.* 6. *cap.* 1. ex ignoratione ſcripturarum hæreſes provenire teſtatur.

Statuit, & decrevit, quod in illis Eccleſiis, in qui- 2
bus præbenda, aut præſtimonium, ſeu aliud quovis nomine nuncupatum ſtipendium lectoribus Sacræ Theologiæ, deputatum reperitur, Epiſcopi, Archiepiſcopi, Primates, & alii locorum Ordinarii, eos, qui præbendam, aut præſtimonium, ſeu ſtipendium hujuſmodi obtinent ad

ipſius

ipsius Sacræ Scripturæ expositionem, & interpretationem per se ipsos, si idonei fuerint, alioquin per idoneum substitutum ab ipsis Episcopis, Archiepiscopis, Primatibus, & aliis locorum Ordinariis eligendum, etiam per subtractionem fructuum, cogant, & compellant. Nomine Ordinarii censuit Sac. Congregatio hoc loco venire etiam inferiores Prælatos. Præbendam autem, cui onus legendi est adjunctum, qua ratione licet conferre, habetur *cap. Significatum de præbend.* Quia si in provisione fieret conventio, ut provisus legere teneatur, committeretur Simonia *cap. tua nos de Simon.* cùm Sacra lectio quid spirituale videatur, præbenda quid temporale sit. Qui verò sint idonei habetur in *leg. 1. Cod. de profess. qui in Urb. Constantinop. lib. 12. & l. Magistros C. de profess. lib. 10.* & tradunt Doctores in *Clemen. de Magistr. ab Episcopis &c.* eligendum. Contra. Qui per alium potest, sufficit, ut eligat, quem ipse idoneum judicat ex vulgari regula *cap. extirpandæ §. Qui verò de præbend. cap. qui per alium de regul. jur. in 6.* Respondeo, regulas non habere locum, quando expresè a lege aliter disponitur, ut hic, & infra. De cætero vero præbenda, præstimonium, aut stipendium hujusmodi nonnisi personis idoneis, & quæ per se ipsos id munus explicare possint, conferantur, & aliter facta provisio nulla sit, & invalida. Quia dando beneficium propter officium censetur electa industria personæ, unde tacitè inhibetur subrogatio, *cap. Quoniam Apostolica §. is autem de offic. deleg. &c. Quia nonnulli de Cler. non resident.*

In Ecclesiis autem Metropolitanis, vel Cathedralibus, si Civitas insignis, vel populosa, ac etiam in Collegiatis existentibus in aliquo insigni Oppido, etiam nullius Diœcesis, si ibi Clerus numerosus fuerit, ubi nulla præbenda, aut præstimonium, seu stipendium hujusmodi deputatum reperitur, præbenda quomodocunque, præter quam ex causa resignationis, primò vacatura, cui aliud onus incompatibile injunctum non sit, ad eum usum ipso facto perpetuò constituta, & deputata intelligatur. 3

In hac parte decreti agitur de illis Ecclesiis, in quibus commodè ratione reddituum potest haberi Sacra lectio. Cùm in Metropolitanis de jure communi hujusmodi lectio habenda sit, *dict. cap. Quia nonnullis de Magistr.* hæc conditio ad Cathedrales est referenda, cùm legum correctio vitanda sit, *cap. Cùm expediat de elect. in 6.* At quid, si omnes Canonicatus redditus in quotidianis distributionibus consistant? Sacra Congregatio censuit providendam lectori per assignationem earum distributionum, quæ loco præbendæ sunt. Et quid si sæcularis Clericus ad præstandum onera, hujusmodi præbendæ adjuncta, idoneus non reperiatur? Sacra Congregatio censuit collationem tamdiu suspendi, donec reperiatur, interèa fructus omnes superioris alicujus Monasterii tradendo, qui idoneum aliquem Theologum de suis Regularibus deputet, qui publicè in Cathedrali, seu Collegiata Ecclesia illa sit, Sacram Scripturam doceat, cui cùm ex fructibus necessaria subministraverit, si aliud supererit, in usum Monasterii convertat. Præterquam ex causa resignationis, puta in favorem, quæ vocationem non inducit. *Primò vacatura.* Sed quid, si ad alium quàm ad Episcopum illius spectet collatio? Respondit Sacra Congregatio, electionem personæ ad solum Episcopum spectare, collationem verò relictam, cui de jure competebat, nec præjudicium successori factum, si aliter per prædecessorem fuerit servatum. 4

Hæc locum sibi vindicant in Theologicis Canonicatibus post Concilium erigendis; nam in cæteris, quod hactenus servatum, attendendum est. Quæro quid de præbenda in Ecclesiis, in quibus est jus optandi? Dixit Sacra Congregatio, cùm loquatur Concilium de præbenda vacatura, & hæc in hujusmodi Ecclesiis a tali jure præventa vacare diù non possit, assignandam pro Theologo illam, quæ per optionem vacat, in qua deinceps jus optionis locum non habebit. De Canonicatibus verò Sedi Apostolicæ reservatis, vel quomodocumque affectis dixit S. Congregatio, dispositionem Concilii non habere locum cùm consueverit Concilium, quando voluit extendi aliquid ad ea, quæ privilegia Apostolica concernunt, apponere clausulam derogatoriam, ut *cap. 18. & cap. 15. sess. 24.* Idque servandum, etiamsi in omnibus mensibus reservatis Sedi Apostolicæ, quibus Cardinales gaudent ex indulto, vacatio contingat. 5

Verùm cùm cura animarum magis videatur necessaria, quàm lectio, relinquitur ne arbitrio Episcopi primam præbendam vacaturam Pœnitentiario, an Theologo, cui magis libuerit assignari? Ex verbis *ipso facto* quæ in decreto Concilii apponuntur, censuit Sacra Congregatio primam Theologo omninò assignandam, & in aliquo loco particulari judicatum, ut prius de Pœnitentiario provideatur, obtinendam a Sede Apostolica confirmationem. Si quæras, an idem sit servandum in Ecclesiis Collegiatis, quarum præbendæ sunt de laicorum jurepatronatus? Respondit Sacra Congregatio servandum, dummodò in tali Collegiata requisita in hoc decreto concurrant, videlicet, ut in insigni existat Oppido, & Clerus numerosus sit, & cùm circa præsentationem nihil innovetur, personæ electionem ad Episcopum spectare. Opus autem incompatibile est illud, quod impediret munus lectionis, non servitium Canonicatur, de quo infra. In ipso facto, sine ope exceptionis *cap. 1. de rescript. in 6.* Et hic ampliatur dispositio *dict. cap. Quia nonnulli de Magistr.* quia ibi statuitur, ut de fructibus præbendæ provideatur Theologo, hic Theologus Canonicus efficitur. Quæsitum est, an collatio præbendæ, quæ primò post Concilii confirmationem vacavit, ipso facto, ex hoc decreto Theologalis affecta, facta illi, qui Theologiam non profitetur valida sit? Respondit Gregorius XIII. ex Sac. Congregationis sententia, cùm hujusmodi decretum sit conditionatum, si talis præbenda ante collationem actualiter pro Theologo ab Episcopo fuit deputata, & in Theologalem erecta, non tenere collationem, sin minus, tenere.

Et quatenus in ipsis Ecclesiis nulla, vel non sufficiens præbenda foret, Metropolitanus, vel Episcopus ipse per assignationem fructuum alicujus simplicis beneficii, ejusdem tamen debitis supportatis oneribus, vel per contributionem beneficiatorum suæ Civitatis, & Diœcesis, vel aliàs, prout commodius fieri poterit, de Capituli consilio, ita provideat, ut ipsa Sacræ Scripturæ lectio habeatur, ita tamen, ut quæcumque aliæ lectiones, vel consuetndine, vel quamvis alia ratione institutæ, propter id minimè prætermittantur. 7

Dubitatum, quid in Ecclesiis nonnumeratis, sive Regularibus, & in his, quibus, cùm nullas habeant præbendas, non potest assignari hæc primò vacatura? Censuit Sacra Congregatio ab Ordinario vi hujus decreti aliqua alia ratione providendum. Item censuit, non esse satisfactum huic decreto, si stipendium jam constitutum pro lectore Sacræ Scripturæ non sufficiens augeatur, sed per unionem alicujus beneficii simplicis, vel contributionem. Et ponitur in hoc Capitulo gradus, quomodo provideri debeat lectori Sacræ Scripturæ, quando præbenda non est sufficiens. Censuit tamen Sacra Congregatio per hujusmodi assignationem fructuum non satisfieri huic decreto, si in alia Ecclesia adsit præbenda, quæ juxta Concilii formam possit uniri, beneficii tamen debitis supportatis oneribus. Non enim est beneficium, quod secum non afferat onus, vel officii, vel missæ juxta allegata Joannis de Capistr. *cap. 35. num. 2. & allegat. 116. & sequentibus.* Vel per contributionem beneficiatorum, cùm omnium Clericorum interfit habere lectorem, a quo edoceri valeant. Sed teneanturne ad contributionem beneficia regularia possidentes? Dixit Sacra Congregatio, non teneri, sicut nec aliquid de redditibus parochialis Ecclesiæ propter lectoris stipendium detrahi potest. De membris verò Regularium beneficiorum a laicis possessis, aliter dicendum. Verba illa, *prout commodius*, arbitrio prudentis viri negotium commendat, cùm certa regula dari non possit. *De Capituli tamen consilio.* Censuit Sacra Congregatio, talia verba ad proxima tantummodò referri, nempè ad assignationem, & contributionem, atque in casibus, in quibus Episcopus Capituli Consilium exquirere tenetur, non teneri illud in eisdem sequi, ut per Doctores *in cap. Quanto de his, quæ fiunt a Præl. sine consens. Capit.* ut ipsa Sacræ Scripturæ lectio habeatur. Tempus, hora, & materia, quæ ex Sacris literis, vel Theologis sumi debet, Ordinarii arbitrio relinqui placuit Sacræ Congregationi. Etsi enim propriè loquendo Sacræ Scripturæ nomine veniant libri Bibliorum, & Theologia dicatur, quæ in libris Sanctorum Patrum Augustini, Hieronymi, Thomæ, &c. & primariò dectetum hoc illos recipere videatur, tamen cùm indifferenter modò Sacra Scriptura, modo Theologia nominetur, de his omnibus erit intelligendum, adeòut sufficiat alterum legere. Confirmatur, quia hoc decretum Constitutionem Concilii Lateranensis *in d. cap. quia nonnullis de Magistr.* ibi, *Qui Sacerdotes, &c.* præ oculis habuisse Concilium certum est, in quo de utraque agitur lectione. Congruere tamen videbitur Concilii menti, si in lectione Scholastices, puta de usuris præmittatur aliquis locus ex Bibliorum libris desumptus, videlicet *mutuum dantes, &c.* Et deindè

deindè subordinatim Lector aggrediatur quæstiones. *Ecclesiæ verò, quarum annui proventus tenues fuerint, & ubi tàm exigua est Cleri, & populi multitudo, ut Theologiæ lectio in eis commodè haberi non possit, saltem Magistrum habeant, ab Episcopo cum Consilio Capituli eligendum, qui Clericos, aliosque Scholares pauperes grammaticam gratis doceat, ut deinceps ad ipsa Sacræ Scripturæ studia, annuente Deo, transire possint; ideòque illi Magistro grammatices, vel alicujus simplicis beneficii fructus, quos tamdiù percipiat, quamdiù in docendo perstiterit, assignentur, dum tamen beneficium ipsum suo debito non fraudetur obsequio, vel ex Capitulari, vel Episcopali mensa condigna aliqua merces persolvatur, vel alias Episcopus ipse aliquam rationem ineat suæ Ecclesiæ, & Diœcesi accommodam, ne pia hæc, utilis, atque fructuosa provisio quovis quæsito colore negligatur.* Is grammaticæ Magister ad professionem fidei tenetur ex Constitutione Pii Quarti. *In Sacrosancta* sub annum 1564.

9 Quid quando redditus Ecclesiæ tenues sunt, & populus exiguus est circa Sacræ Scripturæ lectionem agendum sit, proponitur. Advertendum tamen, talia non extendi ad Metropolitanas Ecclesias, quia Concilium in hoc illarum non meminit, sicut in cæteris casibus, in decreto enumeratis. Tum quia dicitur ab Episcopo cum consilio Capituli. *In dict. cap. Quia nonnullis* dicitur, *& eligat Episcopus* cum Capitulo, seu saniori parte Capituli, hic autem, ut eligat Episcopus cum illius consilio.

10 *Pauperes gratis doceat.* Idem habetur *in d. cap. Quia nonnullis*, contrarium verò facientes ex nonnullorum Doctorum opinione sunt simoniaci. Quæ sententia fundari videtur, præter alia in eo, quod hic titulus collocatur post titulum de simonia. Non tamen prætermittendum a gravissimis Doctoribus potius concussionis crimen existimari, & prior sententia non habet locum, si scholares sponte quid darent, vel talis Magister sufficiens stipendium non haberet. Non autem quod divites non admittantur, sed quia pro pauperibus lectio sit instituta.

11 Decretum autem istud ex S. Congregatione restringitur ad illas Ecclesias, in quibus juxta Concilii formam Seminarium non potest erigi, cùm meliùs scholaribus pauperibus per Seminarium, quàm per hujusmodi scholam consultum videatur. Ubi autem propter paupertatem institui Seminarium non potest, debere institui scholam ex eadem ratione. Quia concilium præcipit erigi Seminarium, S. Congregatio respondit ex illis verbis, *alias Episcopus, &c.*

12 *In Monasteriis quoque Monachorum, ubi commodè fieri queat, etiam lectio Sacræ Scripturæ habeatur*, cui addidit Paulus Quintus, lectionem hebraicam, græcam, & arabicam Constit. Apostolicæ sub anno 1610. *qua in re si Abbates negligentes fuerint, Episcopi locorum in hoc, ut Sedis Apostolicæ delegati, eos ad id opportunis remediis compellant. In Conventibus verò aliorum Regularium, in quibus studia commodè vigere possunt, Sacræ Scripturæ lectio similiter habeatur, quæ lectio a Capitulis Generalibus, vel Provincialibus assignetur dignioribus Magistris.*

13 In hac decreti parte jus vetus ampliatur, quod de hujusmodi lectione habenda in Ecclesiis sæcularibus, & publicis tantummodò gymnasiis sancitur, ampliatur ex *Clem. ne in agro de stat. Monach. §. ad ampliationem*, cùm hoc decreto non solùm Monachi teneantur habere Magistrum, qui grammaticam, & logicam illos doceat, sed & alium, qui Sacram Scripturam interpretetur. Dubitanti verò, an Monachus possit esse Magister, & legere hanc lectionem, non modò in suo Monasterio, sed publicè, respondetur, posse, ita tamen, ut a Superiore suo mittatur, & de licentia illius, ad quem spectat concedere hujusmodi licentiam, Doctores *in canon. sunt nonnulli cum seqq. 16. quæst. prima.*

14 *Qua in re si Abbates negligentes fuerint, &c.* Id statuitur *in d. §. ad ampliationem*, ubi Glossa *v. facultatem*, quemadmodum etiam Episcopus, negligente Prælato inferiore in Magistro constituendo supplebit *cap. prohibeas de magistr.* vel datur appellatio, dummodò negligentia, sive hujusmodi devolutio in dubium non vertatur, nec aliqua rationabilis causa opponatur, ut per DD. *ibid.* Hinc censuit S. Congregatio Episcoporum habere eamdem facultatem constituendi hujusmodi lectorem in Ecclesiis Collegiatis inferiorum, etiam exemptis, & posse eumdem inferiorem non compellentem illos legere, qui pro hujusmodi lectione stipendium habent, supplere negligentiam, præmissis tamen in utroque casu monitionibus, præmixoque termino, quibus peractis, cogendo, eligendo, substituendoque poterit procedere.

Ut Sedis Apostolicæ delegati. Ex sententia S. Congre- 15
gationis quando Episcopi ex Concilio procedunt, ut Sedis Apostolicæ delegati in causis, quæ sub eorum jurisdictione ordinaria non comprehenduntur, ab iis ad Sedem Apostolicam provocatur, neque ex hoc inferioribus Judicibus ullum fit præjudicium. At quando jurisdictio delegata cumulatur cum ordinaria, Episcopus non potest hujusmodi delegationis prætextu declinare jurisdictionem Metropolitani in casibus illis, in quibus ante Concilium, tanquam Ordinarius utebatur eodem jure, eademque potestate. Item in nonnullis casibus, veluti in materia correctionis morum, ubi Concilium expressè sustulit appellationem, non intelligitur sublata quoad effectum devolutivum, sed suspensivum tantùm; quocirca authoritas delegata, quæ Episcopis a Concilio tribuitur, non aufert jus illorum, ad quos, legitimè interposita appellatione, aliàs causas devolveretur, & comprehendi Carthusianos, licèt strictioris clausuræ, censuit S. Congregatio.

In conventibus, &c. Nota hic differentiam inter Mo- 16
nachos, & alios Regulares. In Monachorum enim Monasteriis supplet negligentiam Abbatis Episcopus, quia ad Abbatem spectat lectio. In Regularium verò Conventibus, quia per Capitula Generalia, vel provincialia fit provisio, Episcopus eorum negligentiam non supplet. *Provincialibus*. Hinc dixit S. Congregatio, Lectores in Conventibus Regularium non esse examinandos, & approbandos ab Episcopo loci de vita, & moribus, ac scientia, cùm a Concilio id commissum videatur Capitulis Generalibus, vel Provincialibus, secus si in Ecclesia publicè Sacra Scriptura legenda esset. Quia tunc servandum, quod de prædicatore statuitur *cap. sequentibus*, hujus sessione, *& cap. 4. sess. 4. de muner. prædic. Dignioribus*, non modo debet esse Magister, sed dignior ex Magistris, ut per Doctores *in capitul. Quanto de Magistr.*

In gymnasiis etiam publicis, ubi tàm honorifica, & cæ- 17
terorum omnium maximè necessaria lectio hactenus instituta non fuerit religiosissimorum Principum, ac Rerumpublicarum pietate, & charitate ad Catholicæ fidei defensionem, & incrementum, sanæque doctrinæ conservationem, & propagationem instituatur. Et ne sub specie pietatis impietas disseminetur, statuit eadem Sancta Synodus, neminem ad hujusmodi lectionis officium tàm publicè, quàm privatim admittendum esse, qui priùs ab Episcopo loci de vita, moribus, & scientia examinatus, & approbatus non fuerit, quod tamen de lectoribus in Claustris Monachorum non intelligatur. Hinc emanavit Constitutio Pii Quarti, professione fidei die 13. Decembris anno 1564. *Docentes vero ipsam Sacram Scripturam, dum publicè in scholis docuerint, & scholares, qui in ipsis scholis studeant, privilegiis omnibus de perceptione fructuum, præbendarum, & beneficiorum suorum in absentia a jure communi concessis, plenè gaudeant, & fruantur, cap. fin. de Magistr.*

Quæro hic, an pro docendi licentia aliquid exigi 18
possit, vel promitti? Respondeo acceptum restitui, & promissum remitti, non obstante quacumque consuetudine, *d. cap. prohibeas, & d. cap. quanto de Magistr.* ubi Doctores.

An autem scholares Ecclesiastici, non petita licentia 19
ab Episcopo, possint ad gymnasia studiorum causa se transferre? Respondeo, hujusmodi licentiam requiri, *cap. relatum de Cleric. non resident.* Et quod non debeat concedi, nisi sint docibiles, argum. *cap. super specula de Magistr.* Contra, talis licentia conceditur a Sede Apostolica *in d. cap. super specula*. Respondeo ex indulgentia Sedis Apostolicæ scholares frui fructibus suorum beneficiorum, dum commorantur in ipso studio, & ad quinquennium extenditur hoc privilegium *ex dict. cap.* non tamen ex hoc sequitur, quod sine Episcopi licentia propter studia possint abesse. Idem intelligendum de his, qui domi literis vacant, & ideò dictum a Concilio, qui in ipsis scholis student. Sed possitne Episcopus pro tali licentia aliquid exigere, vel accipere? Dic, ut dictum de licentia docentium. Sed quibus studendum? Dic S. Theologiæ. Idemque intelligendum de docentibus. Quod de Theologia dicitur, etiam de jure canonico censendum est secundùm DD. *in d. cap. nonnullis de Magistr.*

Et advertendum, quod ad hoc, ut quis possit fru- 20
ctuum perceptione gaudere ex sententia Sacræ Congregationis, in ea, quam diximus Episcopi licentia debere apponi has conditiones. Primò, ut verè, & actu in insigni aliqua Academia Theologiæ, sive Sacris Canonibus det operam, alioquin licentia dicetur nulla.

Secun-

Secundò, ut præstito juramento petentis anni in licentia chirographo exprimantur, quia majori triginta annis licentia non datur, nisi jam cœptum studium non absolvisset. Hodie tamen hoc tempus ex Decreto Sanctissimi Domini Nostri Innocentii XII. reductum est ad vigintiquinque annos, ut ex decreto, quod extendi voluit etiam extra Urbem, & pro omnibus, ubique. Ipsum dabimus in fine hujus Consultationis. Tertiò, quod non conceditur, nisi ad quinquennium a principio studiorum computando. Quartò, quod intra annum debeat promoveri ad Subdiaconatum, si natura beneficii requirat Sacros Ordines. Quintò, ut si beneficio servitium debeatur, quod in absentia persolvi possit, prout videatur, talem autem licentia dixit S. Gongregatio non dari hodie iis, qui post Concilii confirmationem Parochiales obtinent, quandoquidem per concursum beneficium adipisci debuerunt, censentur idonei. Supradicta non habere locum in scholaribus, qui in Ecclesia audiunt S. Scripturam, censuit S. Congregatio, cùm hi Auditores potius dicendi sunt.

21 *Plenè gaudeant.* Sed gaudeantne, ut docentes hujusmodi privilegiis? Et cum hi sint in duplici differentia, quando vel profitentur in publicis studiis, vel in Ecclesiis, censuit S. Congregatio cum illis servandum esse jus commune, de quibus solummodo loqui Glossam, dixit Gregorius XIII. *in d. cap. Quia nonnullis, & in d. cap. super specula de Magistr.* Cum istis verò juxta hujus decreti formam agendum est. Unde licèt sint Canonici, ea die, qua legunt, tanquam præsentes Horis Canonicis, omnes distributiones quotidianas lucrantur, de quo alibi fusiùs.

22 Si quærans, an hic Theologus matutino, quod præcedenti vespere pro sequenti die, quo ipse fortè privilegio gaudet, lectiones recitare soleat, ut præsens habendus sit? Dixit Sacra Congregatio non habendum. Præterea advertendum ex eadem Sacra Congregatione juxta hoc decretum, hujusmodi Lectores non posse obtinere aliud beneficium incompatibile, aut curatum, aliamve residentiam, & legendo deservire per substitutum, nec posse istis concedi licentiam vacandi a lectione, ut alibi prædicationis munere fungantur.

23 Dubitatur, an hic Lector mala valetudine sanabili impeditus, possit compelli, ut sibi interim substitutum eligat? Respondit Sacra Congregatio, non posse. Casu verò, quo substitutio esset facienda, Episcopi esse electionem. At quid si is sit contumax in residendo? Ex eadem S. Congregatione debet Episcopus procedere juxta decretum Concilii *sess. 24. cap. 12. de reform.* & tempore quo ex legitima causa, & justo impedimento non legit, substituere alium Lectoris sumptibus, qui vices suas suppleat.

DECRETUM

Congregationis specialiter deputatæ.

Super Reformatione Indultorum eximentium a servitio nonnullos Canonicos, & Beneficiatos Urbis.

SAntissimus Dominus Noster Innocentius Papa XII. ad cujus notitiam pervenit, servitium Basilicarum, & Collegiatarum Ecclesiarum Urbis valdè diminui propter Indulta concedi solita nonnullis illarum Canonicis, & Beneficiatis quocumque nomine nuncupatis, vel ratione munerum, quibus fungitur, vel causa studii, cum exemptione ab hujusmodi servitio, & cum privilegio lucrandi fructus, & distributiones etiam quotidianas, tametsi iisdem Ecclesiis non inserviant, deputavit particularem Congregationem Eminentissimorum DD. Cardinalium Carpinei, Marescotti, de Nortfolch, Colloredi, & Panciatici, necnon Illustrissimorum DD. Sperelli, Altoviti, Pallavicini, & Sacripantis, qui & ejusdem Congregationis Secretarius sit, ad effectum examinandi eadem Indulta, & proponendi illas moderationes, reformationes, revocationes, & considerationes, quæ desuper opportunè visæ fuissent.

Quæ sanè Congregatio in Palatio prædicti Eminentissimi Carpinei, ter coacta, nimirùm sub diebus 13. & 20. Aprilis proximè præteriti, & 7. currentis mensis Maji censuit, si eidem S. D. N. placuerit, hujusmodi Indulta quoad Nuncios Apostolicos, necnon Intimos, & eidem Sanctissimo actu inservientes familiares, ac Subdatarium, & Cameræ Apostolicæ Commissarium non esse immutanda.

Quoad Gubernatores, & Vicelegatos Provinciarum, Civitatum, & locorum Status Ecclesiastici, qui durante absentia nunquam possunt Ecclesiis interesse, necnon Procuratores Generales Montium, ac familiares Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium (firmo tamen quoad eorumdem Cardinalium Gaudatarios, remanente decreto moderatorio Sacræ Congregationis Eminentissimorum Cardinalium Sacri Concilii Tridentini Interpretum die 19. Augusti anno 1690. edito, esse revocanda, & expedire, quod imposterum non concedantur.

Indultum inservienti Secretariæ Congregationis Eminentissimorum Cardinalium Consultationibus negotiorum Ditionis temporalis ejusdem S. R. E. Præpositorum concessum esse reformandum, & imposterum restringendum ad illos dies, & horas dumtaxat, quibus ratione hujusmodi servitii actualiter præstandi impeditus fuerit, ejus conscientia desuper strictissimè onerata.

Indulta causa studii pro lucrandis fructibus dumtaxat, nec aliter pro lucrandis distributionibus quotidianis esse concedenda, quam pro Ecclesiis, quarum redditus consistunt, vel in solis distributionibus quotidianis, vel in iisdem distributionibus unà cum aliquibus fructibus tenuis præbendæ, dempta tamen tertia parte, quæ interessentibus accrescat, nec pariter concedenda ultra triennium, neque majoribus vigintiquinque annis, quinimmò hujusmodi ætate vigintiquinque annorum explet, eadem Indulta, licèt idem triennium adhuc expletum non fuerit, expirare.

Omnes denique habentes Indulta pro singulis diebus, & horis, quibus ratione servitii in eorum muneribus, seu Officiis actualiter præstandis impediti fuerint, adhuc esse punctaneos, toties quoties Ecclesiæ, seu Choro non interfuerint, sed in qualibet hebdomada hujusmodi puncta posse, & debere deleri, seu tolli pro illis tantùm diebus, & horis, quibus Indultarii allegaverint particularia impedimenta ratione eorumdem munerum, eorum conscientia desuper strictissimè onerata, & circa hujusmodi impedimentorum relevantiam judicio proprii Vicarii cujuslibet Ecclesiæ. In Ecclesiis verò, ubi non adest hujusmodi Vicarius, judicio dignioris Canonici esse deferendum.

Facta per me infrascriptum hac die 8. Maji 1693. relatione prædictarum resolutionum S. D. N. Sanctitas Sua illas probavit; & a die 1. Junii proximè venturi mandavit inviolabiliter observari, Indultis tàm a se, quàm a Romanis Pontificibus Prædecessoribus suis quomodolibet concessis, & aliis contrariis quibuscunque non obstantibus, quibus pro observatione præmissorum amplissimè derogavit.

Joseph Sacripantes Sec.

Die 23. Maji 1693. Supradictum Decretum affixum, & publicatum fuit ad valvas Ecclesiæ S. Joannis Lateranensis, Basilicæ Principis Apostolorum, & Cancellariæ Apostolicæ, in Acie Campi Floræ, ac in aliis locis solitis, & consuetis Urbis per me Franciscum Antonium Simoncellum SS. D. N. Papæ Curs.

Hippolytus Petretus Curs. Mag.

CONSULTATIO CL.

De residentia Episcoporum. An ex decreto Sacri Concilii Tridentini cap. 1. sess. 23. colligatur, hanc residentiam esse de jure divino? Quid suo decreto in Episcopis pro residentia requiratur? Summus Pontifex est totius Orbis Episcopus. Quomodo omnibus Ecclesiis præsideat? Multi Episcopi mercenariorum more residentes. Deserere gregem quid importet? Quid abesse? Residentia Episcoporum ex quo præcepto divino sit? Ex quo precepto divino Baptismus, & integritas confessionis? Festorum observatio. Cura animarum quomodo commodiùs administretur? Præceptum residentiæ an obliget semper, & ad semper? Quanti sceleris sit Episcopum Ecclesiam suam deserere? Quæ requirantur, ut Clericus ab Ecclesia sua abesse possit? Sedes Apostolica an absolutè dispensare possit, ut quis non resideat? Sanctorum Pontificum ad id exempla. Super præcepto residentiæ dispensatio propriè, seu relaxatio considerari non videtur, sed potius interpretatio. Hæc interpretatio a quibus fieri possit? Actiones circumstantiis reguntur. Decreta Pontificum de residentia Episcoporum, etiam Cardinalium, & visitatione Diœcesis. De residentia Parochorum. De cura Sacramentali, ejusque onere. De cura trium, aut quatuor incolarum. De cura duarum Ecclesiarum unitarum. De cura dignitati unita. Vicarii perpetui quando, ac ubi deputandi? De beneficio curato annexo simplici. De unione accessoriè facta. Quid de obti-

nente Ecclesiam Baptismalem ? Quid de Rectore , qui in rectoria habet Vicarium perpetuum ? Quidve de habente curam animarum compelli possunt , ad residendum ? De Coadjutoribus in cura . Quid de cura animarum duobus , tribusve , aut pluribus presbyteris incumbente ? Quid in Ecclesiis receptitiis ? An , & quatenus Clerici , quorum beneficia alias non requirunt residentiam , ad residentiam compelli possint ? Et commendatitiæ literæ sint eis denegandæ ? De Archidiacono , cui incumbit cura animarum . An , & quatenus Curati , & Archipresbyteri spoliorum Commissarii deputari possint ? Quid de cura animarum una cum Canonicatu ? Parochorum absentiæ causa a quo cognoscenda? Cura animarum ad quem principaliter spectet , ad quem instrumentaliter? Ut Clericus ab Ecclesia sua absit , quæ causa , & licentia requiratur ? An satis sit , quod petatur ? Quid , si denegetur ? Residere quàm strictè accipiatur ? An Parochus compelli possit in domibus Parochialibus habitare? Quid si domus non extent intra Parochiam? Quid in Parocho , cui ratione infirmitatis datus fuit Coadjutor ? Quando , & quomodo liceat Parochis abesse a suis Parochiis ? Quid si adesset distantia bidui , vel tridui a Sede Episcopali ? Vel causa repentina se offerret ? Abesse sine huiusmodi licentia , ne per hebdomadam quidem licet. De absentia duorum mensium Parochis concessa . Quid in Ecclesiis Parochialibus , quorum institutio , & visitatio ad inferiores spectat ? Quid de Constitutione Episcopi , ne Parochi sine ipsius licentia absint per duos dies? An in hujusmodi Constitutione imponi possit pœna excommunicationis ? In hac re temperamentum . An Episcopus , ne Parochus resideat , possit dispensare ? Aut causam legitimam non residendi declarare ? Et quatenus ? Quæ causæ excusare possint Parochum a residentia ? Quid de Parocho criminaliter condemnato a suo Episcopo , & Romam proficiscente ? Residenti in sua Parochia , an liceat per alium curam exercere? Residentia Parochorum an eos excuset , ne accedant in quibusdam solemnitatibus ad Ecclesiam matricem ? Tempore pestis , an & quatenus Parochi residere debeant ? Quid de Episcopis , etiam persequutionis tempore ? Quot casus persequutionis ? Quot fructus Parochus ob non residentiam amittat? Et congrua portio ei debeatur? Omnia juxta mentem Sac. Scripturæ , Sacrorum Conciliorum , præcipuè Tridentini , Constitutionum Summorum Pontificum , & Sacrorum Canonum , Patrumque doctrinam.

1 CUm præcepto divino mandatum sit omnibus, quibus animarum cura commissa est, oves suas agnoscere, ex Sacro Concilio Tridentino *sess. 23. cap... & sess. 6. cap. item 1. de reform.* Joan. 21. Act. 20. Ex his verbis non colligitur, Sacrum Concilium voluisse declarare residentiam esse de jure divino, si diligenter omnia Pastoris officia, quæ *in d. cap. 1. sess. 23.* enumerat, expendantur. Porrò hæc officia, tametsi non negaverim propria esse Pastoris ex jure divino, non propterea tamen sequitur, ut ad explenda necessariò, & de jure divino requirant personalem Episcopi præsentiam. Si enim requireretur, nullo modo essent delegabilia, cùm passim munus prædicationis, Sacramentorum administratio, cura pauperum, & munia Pontificia ab Episcopis tàm præsentibus, quàm absentibus ritè, rectèque alteri delegentur. Quin etiam neque ad oves suas agnoscendas, neque ad pascendas bonorum operum exemplo, neque ad offerendum pro illis Sacrificium necessaria est Episcopi præsentia, cùm & absens possit quidem per literas, & per alium, oves cognoscere, & bona opera efficere, sacrificia offerre.

2 Id autem dilucidiùs comprobatur perpensione verborum, quæ statim subjunguntur a Concilio, dicente: *Quæ omnia nequaquam ab iis præstari, & adimpleri possunt, qui gregi suo non invigilant, neque assistunt, sed mercenariorum more deserunt.* Non ait Concilium, non posse ea præstari, & adimpleri ab iis, qui absunt, sed ab iis, qui non invigilant, neque assistunt.

3 Requirit igitur ex divino præcepto in Episcopis vigilantiam, ut excubent animo, quantumvis absint corpore eam dico vigilantiam, quam se habuisse testatur Apostolus his verbis: *Instantia mea quotidiana solicitudo omnium Ecclesiarum.* Is enim, quamvis de omnibus Ecclesiis esset solicitus, non tamen omnibus Ecclesiis præsens esse poterat; quemadmodum dicimus, Summum Pontificem esse totius Orbis Episcopum, & omnibus Ecclesiis præsidere, neque tamen corpore singulis Ecclesiis assistit, licèt omnium, & singularum curam gerat.

4 Hanc autem interpretationem veram quoque, ac germanam esse convincitur ex illo verbo, *deserunt*, quod contraponitur duobus illis, *invigilant*, & *assistunt*, & significat negligentiam, ac desertionem curæ, quod sanè potest fieri, Episcopo etiam residente. Quam multi enim Episcopi sunt, qui mercenariorum more residentes, quod magnoperè dolendum est, prius deserunt, & abjiciunt curam, quàm si longissimè gentium abessent.

Præterea ex modo loquendi, quo uti censuit Concilium, facilè colligitur verbum, *deserunt*, importare curæ negligentiam, & contemptum, non corporalem absentiam. Quippè cum eodem *cap. 1.* ubi decernitur de absentia personali, loquitur Concilium per verbum *abesse*, nunquam autem per verbum *deserere*. Idipsum licet observare *in cap. 6. sess. 6.* Quandoquidem Episcopus, ut absit, tamen non deserit curam. 5

Postremò, præcipit Sancta Synodus *in d. cap. 1. sess. 23.* tàm decretum illud sub Paulo III. in citato *cap. 1. sess. 6.* quàm hoc ipsum *cap. 1. sess. 23.* in Conciliis Provincialibus, & Episcopalibus publicari, redditque rationem, ut in posterum nulla temporum injuria, aut hominum oblivione, aut desuetudine aboleantur. Observandum tamen Concilium sciens, prudensque illo loquendi modo usum esse: *Cum præcepto divino*, ut scilicet residentiam, quam proximè accedere ad divinum præceptum manifestaret. Et hæc quantum pertinet ad explicandam mentem S. Concilii supradictis verbis involutam. 6

Cæterum si ipse privato nomine de tanta re rogatus essem sententiam proferre, sine dubio responderem, residentiam esse ex præcepto divino affirmativo, non quidem quemadmodum sunt Baptismus, & integritas confessionis, quæ sunt præcepta divina affirmativa determinata, sed quemadmodum sunt festorum observatio, & alia id genus, quæ quidem in generali sunt præcepta divina affirmativa indeterminata, quæ in particulari quantum ad modum, & circumstantias ab Ecclesia determinantur. 7

Id planè confirmatur, tum ratione finis, qui est cura animarum, quæ magis propriè, commodiusque administratur per præsentem; tum etiam ex eo, quod in eodem decreto *cap. 1. sess. 6.* exponuntur causæ, casus, & modi, quibus a residentia abesse liceat, sicut etiam *in d. cap. 1. sess. 23.* diversum absentiæ tempus declaratur, & his causis, & modis liquidò constat, præceptum residentiæ obligari semper, sed non ad semper, nempè pro eo tempore, quo sic, & a Superioribus declaratur. 8

Confirmatur id a tempore nascentis Ecclesiæ, quæ declaravit diversis temporibus diversa tempora, quibus Episcopi a residentia abesse possent, sicuti infra notabimus ex *d. cap. 1. sess. 6.* Sanctus Athanasius in Apologia ad Constantinum Imperatorem: *Nobis*, inquit, *ex lectione scripturarum, quanti sceleris sit, Episcopum Ecclesiam suam deserere, & negligere gregem Dei. Pastorum enim absentia lupis invadendi gregem occasionem præstat.* De jure etiam veteri hoc manifestè deducitur, ut infra etiam declarabitur. Nam ut Clerus ab Ecclesia sua abesse possit, requiritur causa honesta, & licentia Superioris, quemadmodum colligitur etiam ex dicto decreto *cap. 1. sess. 23.* quo casu legitima probari debet coram Metropolitano. Demum Sedes Apostolica nunquam censuit absolutè dispensare, ut quis non resideat, sed ad tempus, & ex legitima causa, & quando impedimentum intercedit perpetuum, vel permittitur resignatio, vel datur coadjutor. 9

Sic Salvianus Episcopus propter aeris frigiditatem renunciavit Ecclesiam, & Atticus Patriarcha Constantinopolitanus Ecclesiam Troadis illi commisit, inquiens: *Ecce quomodo nullam habes excusationem, cùm Dominus tibi providerit de loco temperato, & commodo pro corporis morbis tolerandis.* Et Sanctus Gregorius Magnus neminem Pontificum a Paræcia sua, vel parumper absque inevitabili prorsus necessitate discedere permittebat, quos nimirum in causis mundanis occupari vehementissimè prohibuit, & non residentes sub pœna detrusionis in Monasterium compellebat ad residendum, ut ex lib. *ep. 64. lib. 5. epist. 23. lib. 7. epist. 8. lib. 8. epist. 11.* & alibi. Pro negotiis tamen Ecclesiæ abesse semper licuit, quemadmodum S. Epiphanius Episcopus Salaminæ, & Paulinus Patriarcha Antiochenus Romam venerunt, & Flavianus Patriarcha similiter Antiochenus legatione functus est Theodosium Imperatorem, ut illius iram placaret in Antiochenos, quemadmodum etiam pro negotiis Ecclesiæ universalis. Nam Sanctus Leo Papa secum habuit Prosperum Aquitanum, Episcopum Rhegiensem, & Urbanus III. Anselmum Archiepiscopum Cantuariensem, Gregorius VII. Anselmum Episcopum Lucensem, & Sanctus Gregorius *lib. 12. epistol. 25.* invitavit Joannem Episcopum, ut Romam veniret, ubi 10

ipsum

ipſum a Sacro eloquio collegam haberet, & Sanctus Gregorius Epiſcopus Nazianzenus in commendam habuit Eccleſiam Conſtantinopolitanam, donec illi de idoneo Paſtore provideretur.

11 Ex quibus diſpenſationem propriè, ſeu relaxationem ſuper præcepto reſidentiæ non conſiderari videtur, ſed magis interpretationem, per quam declaratur aliquem caſum non comprehendi ſub præcepto. Quæ interpretatio fieri poteſt non ſolùm a Summo Pontifice, verum etiam ab iis, quibus commiſſa eſt cognitio, & approbatio cauſarum, ex quibus abeſſe licet, ut puta a Metropolitano, vel antiquiori Epiſcopo reſidente reſpectu Epiſcoporum, vel ab Epiſcopo reſpectu inferiorum curatorum, ut habetur *in dict. capit.* 1. *ſeſſion.* 23.

12 Sed objicies, nonnè diſpenſatur, ut quis poſſit obtinere aliquando plures Epiſcopatus, plurave beneficia curata? Reſpondendo ex doctrina S. Thomæ *quodlib.* 9. *art.* 15. quod ſunt quædam actiones, quæ abſolutè conſideratæ in ordinationem, ac deformitatem inducunt, quæ tamen aliquibus circumſtantiis advenientibus, rectè efficiuntur, ſicut non reſidere propter incompatibilitatem in unoquoque beneficio curato, eſt abſolutè malum, tamen aliquæ circumſtantiæ ſupervenire poſſunt, ut actum ita honeſtarent, ut prædictæ ordinationes evacuentur, ut puta ſi neceſſitas obſequium illius in pluribus Eccleſiis poſtulet, & tunc cum hujuſmodi conditionibus, recta tamen intentione, non eſſe malum, etiam non interveniente diſpenſatione, ſi conſideretur tantùm præceptum, ſed cùm ex diverſis, & pluribus canonibus, id prohibeatur, neceſſaria erit diſpenſatio. Hæc omnia colliguntur etiam ex reſponſis Sacr. Congregationis Concilii, prout inferius patebit. An autem reſidentia Epiſcoporum ſit de jure divino, inter Sapientiſſimos Patres Sacri Concil. Trident. hac ſuper re contentio fuit quidquid effutiat pecus illud maledicentiſſimum, contentionis cupidiorem, quàm veritatis, & quem item nos ſcripſimus *in tom.* 1.

13 Excipit Sacrum Concilium *in dict. cap.* 1. *ſeſſ.* 23. cauſas interdum repentinas, &c. quæ non poſſunt intelligi, niſi de Epiſcopis, cùm hujuſmodi verba inferioribus Curatis aptari non poſſint, ibi: *propter aliquod munus, & Reipublicæ officium Epiſcopatibus adjunctum*, ſunt enim multi Epiſcopi in nonnullis Religionibus, qui partem habent in adminiſtratione Reipublicæ, veluti Commiſſarii, vel aliud munus obeuntes. Non debent tamen ad ſummum tres menſes excedere. Unde Beatus Pius V. in Conſiſtorio decrevit, quod omnes Epiſcopi in Urbe exiſtentes, irent ad reſidendum in ſuis Eccleſiis, & Cardinales Archiepiſcopi, ſive Epiſcopi ſaltem quolibet triennio tenerentur ſuas Eccleſias viſitare, ſed Gregorius XIII. in principio ſui Pontificatus in Conſiſtorio decrevit, Cardinales habentes Archiepiſcopatus, vel Epiſcopatus teneri ad reſidentiam juxta formam hujus Capituli. Quo factum eſt, ut multi Cardinales ſuis renunciaverint Eccleſiis non habentes juxta formam hujus Capituli permanendi in Curia legitimam cauſam, qua ad continuam reſidentiam in ſuis Eccleſiis non tenerentur. Hocque perpetuò ipſo Pontifice fuit reſervatum.

14 Hæc autem quæ dicta ſunt de reſidentia, & abſentia Epiſcoporum extenduntur ad inferiores Curatos modo præſcripto, & ad alios quoſcunque, qui beneficium aliquod Eccleſiaſticum, curam animarum habens, obtinent. Quod etiam in ſpecie habetur *ſeſſ.* 6. *cap.* 2. *de reform.* Et hac univerſali cauſa habentes beneficia ſimplicia excuſantur a reſidentia. Licèt enim de jure omnia beneficia perſonalem exigant reſidentiam, *cap. Quia nonnulli de Cler. non reſiden.* Illi tamen ex univerſali Eccleſiæ conſuetudine immemorabili non adſtringuntur. Unde habentem Altare, vel Capellam, poſſe per alium in Miſſis celebrandis deſervire, cenſuit Sacra Congregatio, ſed dictum decretum *cap.* 1. *ſeſſ.* 6. non loquitur, niſi de beneficiis curam animarum habentibus de jure, ſive de conſuetudine in titulum, ſive commendam. Commendatarium autem habentem curam juriſdictionalem tantùm, non teneri ex *d. cap.* 2. ad reſidentiam, teneri tamen de jure communi juxta terminos *cap. Dudum de elect. & Extravag. Execrabilis de præb.* cenſuit Sacr. Congregatio.

15 Et in materia commendæ, & Commendatariorum nonnulla apud Sacram Congregationem Concilii quæſita fuerunt. Ac primò, An Commendatarii Sacros Ordines ſuſcipere teneantur? Et diſtinguendo inter curam juriſdictionalem, & Sacramentalem dixit Sac. Congregatio Commendæ curam juriſdictionalem non adſtringere Commendatarios ad Sacros Ordines. Sacr. Congregationis reſponſum, concurrente una ex quatuor conditionibus, locum habere placuit Gregorio XIII. nempè ſi Monaſteria commendata careant omni cura, & Conventu. Si juriſdictionem tantùm habeant temporalem. Si curam animarum Sacramentalem Conventui, non autem perſonæ incumbat. Si Commendatarii juriſdictionem, quam Sedis Apoſtolicæ conceſſione habent, non poſſunt actu exercere, quia prohibiti, & licèt actu exercendo ſpiritualem juriſdictionem, curam animarum habere videantur, quia tamen ex larga ſignificatione illud dicitur, hoc etiam caſu non cogendos putavit S. Congregatio, licèt magis exiſtimaverit, ut pro qualitate locorum, temporum, ac perſonarum judicium hujuſmodi relinquatur.

16 Ordo Subdiaconatus, an potius Sacerdotii eſſe debeat? Habetur id apud Card. *in Clem.* 1. *qu.* 20. *de offic. Vicarii* Mil. *in v. Curatum in fin.* Rebuff. *in prax. tit. de non promot. num.* 32. ubi etiam intra quod tempus, & an cum decreto irritante. Curam autem animarum Sacramentalem ſive Monachorum, ſive perſonarum ſæcularium incumbentem perſonis Commendatariorum voluit S. Congregatio obligare ad Sacros Ordines, & in Gallia indiſtinctè. Quia in conceſſionibus commendarum illius Regni apponitur decretum, ut intra annum ad Sacros Ordines promoveantur, & ſi aliter contigerit, Commendas ipſo jure vacare. Quod ſi Commendæ aliquæ occurrerint de Monaſteriis, quæ careant omni prorſus cura, & Conventus, ad Sanctiſſimum Dominum ſpectare aliquam cum providendis habere rationem.

17 Quæſitum eſt ſecundo. An Commendatarii reſidere teneantur? Item diſtinguendo inter curam juriſdictionalem, & Sacramentalem, ſi illa ſit ſub conditionibus, quas in ſuſceptione Sacrorum Ordinum annumeravimus ad reſidentiam Commendatarios non teneri, ait Sacra Congregatio, licèt ſpiritualem juriſdictionem exerceant, neque aliter ſancitum *per dict. cap.* 1. *ſeſſ.* 23. Quia etſi dictum *c.* de curatis, & aliis quibuſcunque beneficiis animarum curam habentibus loquens de ſola etiam ſpirituali juriſdictione intelligi poſſe videatur, quia tamen ibi de cura animarum Sacramentali tantummodò tractatur, ideò nec cæteros comprehendit decretum illud, nec pœnis in illo Capitulo enumeratis ſubjiciuntur. At jure veteri ii reſidere tenebantur. Si verò cura ſit Sacramentalis, ſive Monachorum, ſive perſonarum ſæcularium, inhærens perſonæ Commendatarii ad reſidentiam teneri ex dicto decreto *cap.* 1. *ſeſſ.* 23. placuit S. Congregationi.

18 Quæritur etiam hìc, an Rector, qui habet Vicarium perpetuum in ſua Parochia, ſive Rectoria, poſſit, ac debeat compelli ad perſonalem reſidentiam? Reſpondit Sacra Congregatio, ſi tota cura animarum translata ſit legitimè in ſolum Vicariium perpetuum, non poſſe.

19 Ex dicto *cap.* 2. *ſeſſ.* 6. videtur tamen relictum arbitrio Ordinarii, ex qua cauſa velit non reſidendi licentiam dare, & fortaſsè ſenibus infirmis. Doctoribus nobilibus, & ſimilibus, ut in eorum Eccleſiis per Vicarios deſervire faciat, & in dicto *cap.* 2. habetur correctum dictum *cap.* 1. *ſeſſ.* 23. ut imponitur neceſſitas reſidendi omninò, niſi ex quatuor cauſis ibidem expreſſis, cenſuit S. Congregatio. Nullique ex dicto *cap.* 2. privilegia, ſeu indulta perpetua de non reſidendo, aut de fructibus in abſentia percipiendis ſuffragantur, eadem revocantur *in cap. fin. de reſcript. in* 6. tanquam malum exemplum continentia. Temporalia verò ex rationabilibus cauſis præſervantur, de quo infra. Et cùm nunquam conceſſerit Sedes Apoſtolica indulgentias, & diſpenſationes, ſi reperiantur, cenſendæ ſunt ſubreptitiæ. Dicitur Indultum perpetuum, quia nonniſi morte obtinentis finitur inſtar rei cujuslibet, cujus terminus eſt interitus, Gloſſ. *in d. cap. fin. v. perpetuas*; Et in hac decreti parte ponitur Epiſcopi officium in temporalibus diſpenſationibus, quippè ex rationabili cauſa jam conceſſæ ab Ordinariis legitimè approbatæ, quæ *in d. cap.* 2. *ſeſſ.* 6. præſervatę ſunt, perdurant, nec *capit.* 1. *ſeſſion.* 23. ſublatę videntur, niſi velimus intelligere hujuſmodi diſpenſationes comprehendi nomine privilegii. Debet tamen Epiſcopus deputare Vicarium, de quo exactius infra ex *d. cap.* 1. *ſeſſ.* 23. ubi beneficiatus cogitur relinquere Vicarium, ſed is eſt approbandus, in *cap. verò ſeſſ.* 6. Ordinarius, tanquam a Sede Apoſtolica delegatus, poterit ipſe deputare Vicarium. Quia quod non mutatur, ſtare non prohibetur, & congruam Vicariorum portionem B. Pius V. cenſuit non debere minoris quinquaginta, nec pluris aureis centum eſtimari.

20 Opportunis igitur juris remediis reſidere cogendi ſunt. At dubitatur. Rectores intra, & extra Civitatem Parochiales habentes, quo in loco reſidere cogi debeant? Reſpondit Sacra Congregatio, licèt hi, qui

extra

extra sunt, plures numero sint, & per Vicarios amovibiles regi soliti sint, cogendum tamen illum residere in loco, ubi Ecclesia Parochialis est. Quod si inde Parochiani, qui extra Civitatem habitant, ob locorum dictantiam, & alia patiuntur incommoda in percipiendis Sacramentis, ac divinis officiis audiendis, succurrendum illis esse remedio *cap. ad audientiam de Eccles. ædific.* & decreto Concilii *cap.* 4. *sess.* 21. Quod si essent duæ Ecclesiæ intus, & extra, & unà tantùm Parochia, Rectorem debere residere in Ecclesia, quæ est intra Civitatem.

21 In *d. cap.* 1. *sess.* 23. agitur de cura Sacramentali, cujus ratione etiam habens Parochiam, in qua tres tantùm, vel quatuor sunt incolæ, ad residentiam tenetur, etsi sint duæ Ecclesiæ unitæ, residendum est in digniori, etsi de digniori non constet, in frequentiori. Quod si fuerit una extra Civitatem, altera intra, in ea, quæ est intra, si verò duæ Parochiales æquè principaliter invicem unitæ sint, itaut altera accessoriè annexa non dicatur, nec utraque earum titulum habeat dignitatis, quam voluerit pro residentia eliget Rector. Cùm autem in Ecclesia dignitatis quis residere teneatur, Prioratus curatus, seu Parochialis unita dignitati, nullam requirit residentiam, sed in illa Vicarii perpetui sunt deputandi. Quod habet locum in omnibus Canonicatibus, & aliis juxta formam *cap. extirpandę*, *§. Qui verò de præben.* Hoc tamen procedit, nisi dignitates, vel Canonicatus hujusmodi sint Ecclesiæ suppressæ, vel desolatæ, in qua nullum requiritur servitium. Tali enim casu in suis Parochialibus tenentur residere.

22 Porrò beneficium curatum simplici annexum, cùm denotet esse curatum, & naturam sumat annexi, si unio accessoriè facta sit, & cura per Vicarium temporalem non exerceatur, ad residendum possidens minimè compellitur, sed obtinens Ecclesiam Baptismalem, cui sola incumbit cura baptizandi infantes omnes Oppidi existentis sub cura, Archipresbyter licet in Archipresbyteratus Ecclesia præter baptismum, cætera administrantur Sacramenta, ad residentiam tenetur. Idem dicendum est de Rectore, qui in Rectoria, sive Parochia habet Vicarium perpetuum, nisi tota cura animarum in solum Vicarium legitimè sit translata. Habentes autem Vicarios amovibiles, cum ex tali deputatione constet curam esse apud deputantem, eidem subsunt legi, si Coadjutores Parochianorum, eorumque omnium, qui curam animarum habent, quomodocunque sint, etiamsi Capellaniæ nuncupentur, qui omnes unà cum ipsis Rectoribus, sicut ad residendum compelli possunt, ita cum illis Episcopus, ut abesse liceat, dispensare non potest, etiamsi Coadjutores essent Canonici Cathedralis Ecclesiæ. Nam cum illis agendum erit juxta Constitutionem Beati Pii V. ut dimissis quotidianis distributionibus; resideant in Parochiali, sed si cura animarum duobus, tribusve, aut pluribus presbyteris in Ecclesiis perpetuis beneficiatis receptivis alternis diebus, vel hebdomadis incumbat, hoc decreto *cap.* 1. *sess.* 33. non comprehenditur, sed ad Episcopum pertinebit in talibus Ecclesiis idoneos Vicarios, sive Rectores, & illos quidem voluntarios, penes quos sit illius curæ administratio, constituere. Quod procedit etiam in Presbyteris in Ecclesiis receptitiis, in quibus tamen Rectori imminet cura animarum; Clerici verò, quorum beneficia aliàs non requirunt residentiam, ob necessitatem ad residentiam compelli possunt, licèt talibus literæ commendatitiæ non sint ab Episcopo denegandæ, si alibi etiam extra Diœcesim voluerint deservire. Quæ omnia sæpè petentibus respondit Sacra Congregatio.

23 Et cùm adhuc dubitaretur, ubi Archidiaconus Cathedralis Ecclesię, cui dignitati in erectione Parochialis cura fuerit unita, & posteà ex dispensatione Apostolica aliam Parochialem, in qua residere tenetur, obtinuit, residere debeat? dictum fuit, in unita Vicarium perpetuum deputare, & in obtenta residere, ut in citato *c. Extirpandæ*, & *cap.* 7. *sess.* 7. Huc spectare videtur, quod Gregorius XIII. Nunciis Apostolicis rescribendum jussit, nempè, ut Curatos, & Archipresbyteros spoliorum Commissarios non deputarent, quod si fieri non posset, quominus eorum opera uterentur, utantur in locis eorum Parochiæ, ut occasio iis vagandi, & animarum curam deserendi non præbeatur. Facit etiam & illud, quod cuidam Canonico indultum fuit, ut Ecclesiam Parochialem, & qua dubitabatur, ne in manus hæreticorum perveniret, erat enim in locis, in quibus hæretici grassabantur, unà cum canonicatu haberet hac tamen conditione, ut majori parte temporis resideret in Parochiali, & tempore absentiæ Vicarium idoneum, ab Ordinario approbandum, ibi relinqueret.

Itaque quandocunque Parochos, causa prius per Episcopum cognita, & probata, abesse contigrit, Vicarium idoneum ab ipso Ordinario approbandum, cum debita mercedis assignatione relinquere debent. Quia cura spectat ad Episcopum principaliter, & architectonicè, ad inferiores verò secundariò, & quodammodò instrumentaliter, quandoquidem ipsi fuerunt veluti instrumenta ipsius Episcopi ad opera illa particularia. S. Thomas 2. 2. *quæst.* 184. *art.* 6. & 8. De jure veteri, ut Clericus a sua Ecclesia abesse possit, requiritur causa honesta, & licentia sui Superioris non tacitè, sed expressè obtenta, nec satis est, ut sit petita, si non obtineatur, quia si denegata fuerit, habere debet recursum ad proximum Superiorem, nec sola distantia excusat, neque causa necessaria, vel justa, nisi talis causa repentina esset gravis, quæ non pateretur dilationem, quia necessitas non habet legem, vel pro brevi tempore, vel si quando erat reversus, impedimentum supervenerit, quo legitimè detineretur, ne possit redire, *cap. inter quatuor de Cler. non resid.* ibique Gloss. & Doctores, & Afflict. *decis.* 189. quæ omnia optimè explicantur *in d. cap.* 1. *sess.* 23. *per tot.* contextum, & *can. quia frater* 7. *quæst.* 1. residere adeò strictè apud Doctores accipitur, ut residens in domo patrimoniali, & non in domo Ecclesiæ residere non dicatur, quia in singulis casibus repentinis & in quacunque hora commodè adesse debet, cùm residere sit deservire. Unde censuit S. Congregatio, Parochum in domibus Parochialibus habitare, ab Episcopo esse compellli, quæ si non extent extra Parochiam in aliis propinquioribus, ut per Doctores *in cap. Quoniam*, *§. porrò*, & *lit. non conteśt.* has tamen si non inveniat, si extra Parochiam habitet, ad fructuum restitutionem non tenetur. 24

Quod procedit etiam in Parocho, cui ratione infirmitatis datus fuit Coadjutor, abesse autem a suis Parochiis Parochi non possunt, licèt adsit justa causa, & in Parochiis relinquant Vicarios idoneos, & ab ipso Ordinario approbatos, quod in omnibus absentiæ casibus servandum erit, ut *in d. cap. sess.* 23. nisi causa cognita, & approbata ab Ordinario, & ab eodem in scriptis obtenta licentia. 25

Neque distantia bidui, vel tridui a Sede Episcopali illorum absentia ex justa causa excusabit, si non aderit dicta licentia, nisi causa repentina se offerat, quæ hujusmodi licentiæ petendæ dilationem non patiatur, quo in casu monendus est statim Ordinarius, ut de causa possit cognoscere, ideòque hujusmodi licentia requitur, ut abesse sine illa, ne per hebdomadam quidem, licere judicatum fuerit, cùm contrarium videatur dicendum, ex eo quod veterum Canonum sanctione, qui aliquantisper tantùm abest, cùm statim sit reversurus, non videatur abesse. Quin & absentia septem dierum causa vivendi consanguineos non fuit approbata, nec bona fides liberavit a culpa, & a pœna amissionis fructuum, eum, qui cum tacita Episcopi licentia, quam ei sine dubio non concessisset ex urgenti causa, curandæ nempè valetudinis, absens fuerat spatio quatuor mensium, præsuppositio quod periculum non fuisset in mora. quia si fuisset, aliter dicendum, & absentiam illam duorum mensium a Concilio permissam juxta formam *dicti cap.* 1. *sess.* 23. indistinctè dictum fuit, Episcopi licentiam requirere, quam si non concedat, non suffragabitur Parocho ad hoc, ut non resideat, suæ conscientiæ juramentum, quo affirmat, se gravem causam habere, quam manifestare non expediat. Si verò causam rationabilem, dum licentiam peteret, expresserit, & Episcopus illam concedere noluerit, recursus ad Superiorem, si petat, non est denegandus. 26

Quæ omnia judicavit S. Congr. Episcopo a Concil. committi, ut exequutioni demandet, etiam in Ecclesiis Parochialibus, quarum institutio, & visitatio ad inferiores spectat, ipsique inferiores sint Abbates regulares, quam tamen facultatem Archidiaconi in districtu suæ jurisdictionis non habent. Hinc Constitutio Episcopi prohibens Parochis sine ipsius licentia absentiam duorum dierum, tenet. Cùm tamen quidam Episcopus in simili Constitutione excommunicationis pœnam opposuisset, & a se legitimè impositam diceret, cùm tali casu supponatur reatus peccati mortalis, tollendam tamen dixit S. Congr. quando brevitas temporis quodammdò absentem excusare videatur. Item Constitutio sub pœna prohibens, nullum Parochum a sua Ecclesia abesse posse, vel per diem absque Ordinarii licentia, quamvis causa etiam repentina, non fuerit judicata adversari Concilio. Id enim Concilium velle videtur. Dictum tamen fuit aliquo temperamento moderandum, quod scilicet Vicarii Foranei talem licentiam possint dare, etsi ex hoc temperamento quis inferat a majori ad minus Vicarium 27

riam Generalem, præsente Episcopo in Diœcesi posse Parochis absentiæ licentias dare, quod adversatur Concilio, quod Ordinarii facultatem præbendi licentias dedit, respondetur, temperamentum de Vicario foraneo respicere causam repentinam, quæ dilationem non patitur: Unde non valet illatio. Obtenta verò modo prædicto licentia per tres menses, si etiam per quantumcunque tempus sine justa causa absuerit, pro rata tantùm mensis quarti fructus amittet, non autem a die absentiæ, sicut Episcopus quidpiam contra subditum prætendebat.

28 Ex quibus omnibus patet, justè a Sacr. Congregatione sæpiùs dictum fuisse, Episcopos cum Parochis, ut non resideant, dispensare non posse, benè tamen possunt legitimam non residendi declarare causam. Legitima autem causa dispensationis non erit illa, quod scilicet Episcopus, Parochi alicujus opera utatur in visitatione, nisi tempore concesso duorum mensium. Item nec senectus, neque si Ecclesiæ fructus sint reservati, itaut nihil ferè remaneat pro Rectore, nec aeris intemperies, nisi eo modo, quo infrà notabimus; Nec quia Ecclesiæ residentiæ parum a Civitate distet, unde commodè, vel in ea literis posset operam dare, vel ex necessitate loci magistrum esse, & singulis Dominicis in d. Ecclesia esse. Itemque neque odium Parochianorum, neque inimicitiæ, si tamen illæ sint graves post obtentum beneficium ortæ, & sic illius culpa, quo casu solitæ sunt dari a S. Congr. literæ Ordinario, ut concurrentibus supradictis conditionibus, concedat ei, ut in loco tutiori, ac viciniori possit, illis durantibus, non tamen ultra annum, congruam interim portionem ex Ecclesiæ fructibus Vicario assignando, quæ fructuum assignatio illi etiam Vicario fieri debet, qui curæ assistit, dum Rectori infirmo ob defectum Medicorum datur ab Ordinario dilatio trium, vel quatuor mensium, ut in locis vicinioribus Medicorum opera uti possit.

29 Porrò ex his super Ecclesiæ juribus, & his, quæ præsentiam Rectoris requirere videntur, legitima absentiæ causa declarari potest. Lis verò quæcumque, non ultra sex menses Parochum abesse permittit. Is etiam, qui condemnatus criminaliter ab Ordinario fuerat, dum Romam proficisceretur, legitimè abesse dictum fuit, nec posse suæ Ecclesiæ fructus sequestrari. Residere autem in sua Parochia, & de licentia Episcopi, puta quia nobilis, per alium curam animarum exercere, non licet, cùm per seipsum munia, atque curam subire quis teneatur; hic tamen poterit habere subditos in illis casibus, de quibus *sess.* 5. *cap.* 2. *vers. Archipresbyteri*, & *sess.* 6. *dict. cap.* 2. & *sess.* 21. *cap.* 4. *in princ.* & *sess.* 22. *de Sacrif. Miss. cap.* 9. *in fin.* & *sess.* 23. *dict. cap.* 1. *vers. eadem omninò sess.* 24. *de refor. matrim. cap.* 1. *vers. qualiter*, & *vers. præterea*, & *ead. sess. cap.* 8.

30 Advertendum tamen, residentiam non excusare Parochos obligatos in quibusdam solemnitatibus accedere ad Ecclesiam Matricem, & ratione talis obligationis posse compelli, etiam in die fundationis suarum Ecclesiarum ad hujusmodi munus obeundum, & cùm grassante peste in partibus Lombardiæ tempore S. Caroli quæsitum fuisset, an Parochi residere in Parochiis suis, & Sacramenta per seipsos ministrare Parochianis suis morbo infectis, teneantur, omninò in illis residendum dixit ex sententia S. Congr. Gregor. XII. etsi non resideant contra illos procedendum juxta formam *cap.* 1. *sess.* 23. posse tamen illos Sacramenta Baptismi, & Pœnitentiæ, veluti necessariam per alium idoneum ministrare, & hoc propter commodum Parochianorum, qui sani sunt, cùm verisimiliter hi nollent cum Parochis ad infectos euntibus, habere commercium. Eadem pestis fuit causa, ut nonnullis Ecclesiarum Prælatis, quod esset proprium Episcopi officium tempore pestis a S. Congr. scire cuperent, consultus Gregor. XIII. hoc tantùm illis respondendum dixit, decretum factum in Parochis, multò magis in Episcopis debere procedere, licèt in locis tutioribus manere, & inde, providere eos, absurdum non sit, si quod immineret periculum vitæ temporalis ab hæreticis, an subeundum sit pro conservatione fidei Catholicæ, & fuit consideratum, quod persequutionis tempore cùm infideles, vel hæretici perdere conantur eorum corpora, vel animas, quadruplex rerum status esse potest.

31 Primus, ut omnes Catholici possint, & velint fugere. Tunc etiam Episcopi possunt fugere, quia non remanent in Civitate oves, quarum cura geratur. Ita Augustinus *epist.* 180. ad Honoratum Episcopum. Secundus, ut remaneant Catholici in magno spiritualis ruinæ periculo inter hostes fidei, speciatim verò petatur ab eis persona Episcopi, qui per alios tamen potest. Id benè probat Augustinus loco citato, & fusiùs Athanasius in duabus Apologiis de fuga sua. Tertius, cùm in communi debacchatur persequutio, non in ipsum tantùm, aut certè, si in ipsum, non remanent, per quos oves defendantur a Lupis, tunc Episcopus non solùm ex charitate, sed etiam ex officio, & justitia tenetur manere cum suis, etiam cum periculo martyrii. Id enim inter Pastorem, & mercenarium interest, quod latè probat Augustinus ibidem, & D. Thomas 2. 2. *qu.* 185. *art.* 5, remanente autem Episcopo cum suis Ministris ad gregis sui tuelam, cæteri quamvis Doctores, & Magistri fidei, sive Religiosi, sive Sæculares, fugere possunt. Id Augustinus expressè concedit eo loco, & D. Thomas 2. 2. *qu.* 26. *art.* 5. aliique. Quoniam neque ipsis ea cura incumbit, nec est extrema necessitas, manentibus Pastoribus. Quartus, cùm Episcopi, cæterique, quibus animarum cura incumbit, fugiunt, aut desunt, & Catholici remanent in manifesto periculo subversionis in fide, vel in moribus, tunc, qui non sunt Prælati, tenentur non ex officio, aut justitia, sed ex charitatis præcepto remanere cum Catholicis, inde sit magna spes conservandi eos in via salutis, etiamsi subeundum sit periculum martyrii. Tunc enim est verè casus extremæ necessitatis spiritualis, cui quilibet Christianus tenetur subvenire cum periculo vitæ corporalis, ut ait D. Thom. 2. 2. *d. q.* 26. *art.* 5. & *qu.* 44. *art.* 8. & *qu.* 124. *art.* 3. *ad* 1. & ex his duobus locis affirmat in hoc casu habere locum illud Apostoli præceptum, ut nos debeamus animam ponere pro fratribus nostris, quo loco etiam populum obligari, significat Augustinus *tr. in ep.* 1. *Joan.* Estque communis opinio, quæ fundatur in ordine charitatis, qui est in præcepto, ut plus diligamus animam proximi, quàm corpus nostrum, ut docet Augustinus *lib.* 1. *de doctrin. christian. cap.* 27.

Unde etiam non Episcopi ad id tenentur, quia illis 32
deficientibus unicuique mandavit Deus de proximo suo. Nam & parentes tenentur alere filium, sed illi, si nolint, vel non possint, tenentur omnes, qui possunt. Id autem tanto verius est, si ex fuga Magistrorum fidei, etiamsi Episcopi non sint, sit probabile periculum, ne blasphemetur nomen Dei, & illi diffidere videantur veritati fidei, tunc enim remanere esset quædam fidei confessio, ad quem teneri unumquemque docet D. Thomas 2. 2. *quæst.* 3. *art.* 2. quando alioqui subtraheretur, vel debitus honor Dei, vel utilitas proximi, & sic ex omissione confessionis crederet quis, vel quod non haberet fidem, vel fides non esset vera, vel alii averterentur a fide.

Atque ex his fuit responsum, quod si in Transilva- 33
nia non sunt præter Jesuitas, qui gerant curam Catholicorum, & horum fides manifestè periclitetur inter tot hæreticos ex Jesuitorum recessu, obligari præcepto charitatis ad remanendum Jesuitas, non omnes, sed necessarios, si non ampliando, at conservando Catholicorum numero, eligi verò possunt, ut in allegata *ep.* tradit Augustinus, vel data singulis optione, & potestate eligendi quos velit, propter infirmos. Immò extra casum necessitatis ex zelo fidei, & charitate studiosa magis adjuvandi salutem proximorum remanere cum periculo martyrii pertinere ad consilium supererogationis ad perfectionem charitatis, docet S. Thom. *d. qu.* 26. *art.* 5. *ad* 3. & *dict. qu.* 124. *art.* 3. Idemque probatur ex sanctorum exemplis apud Surium *tom.* 7. *pag.* 971. 973. & 981. Theodoretum *histor. Ecclesiast. cap.* 25. 27. & *seqq.* Petrum Damiani *in ser. de S. Vitali*, Gregorium Nazianzenum *in orat.* in laudem S. Basilii, & in vita Nazianzeni, in vita S. Sebastiani, in vita S. Hilarii, & S. Athanasii, & hanc sententiam approbavit Summus Pontifex Gregorius XIII.

Ex *cap.* 1. *sess.* 6. *de reform.* illud in primis adnotan- 34
dum existimo, quod cupit Sacrosancta Synodus, ut ad Ecclesiarum regimen ii promoveantur, qui maximè digni fuerint, quorumque prior vita, ac omnis ætas a puerilibus exordiis usque ad perfectiores annos per disciplinæ stipendia Ecclesiasticæ laudabiliter acta, testimonium præbeat, *can. miramur dist.* 61. ejus, qui promovendus est ad Episcopatum virtutem cognitam, atque perfectam esse oportere ex perseverantia, quemadmodum de se testatus est Samuel: *Ego autem senui, & incanui, & ita conversatus sum coram vobis ab adolescentia mea usque ad præsentem diem.* Et de Cornelio Romano Episcopo Cyprianus scripsit *epist.* 52. non iste ad Episcopatum subitò pervenit, sed per omnia Ecclesiastica officia promotus, & in divinis administrationibus Dominus sæpè promeritus ad Sacerdotii sublime fastigium cunctis Religionis gradibus ascendit. Idipsum expressum *in canon. Omnis Episcopus dist.* 61. his verbis: *per singulos gradus si dignus fuerit, ascendat ad culmen Episcopatus.* Utinam temporibus nostris id eveniret.

Placuit eidem Synodo antiquos Canones adversus non 35
reside-

reſidentes promulgatos innovare, quod ſcilicet non liceat Epiſcopo vagari, & ſi monitus non reſederit, certior fieri debet Summus Pontifex, ut habetur *in canon. pervenit* 7. cum multis aliis *quæſt.* 1. nec tranſire de Eccleſia ad Eccleſiam ibidem *can. Si quis verò*, & *can. Si quis Presbyter*, nec relicta Cathedrali in alia intra Dieceſim reſideat Eccleſia, nec in re propria diutius, quàm oporteat conſtitui, & propriam Cathedralem negligere ibidem *can. placuit*, & *d. can. Si quis presbyter*, ſi non reſederit deponitur, & ab alterius Diœceſi Epiſcopo, nec recipiendus, præſertim diebus ſolemnibus, *can. Si quis in Clero, ubi §. ſimiliter ſi per tres hebdomadas*, Clericus ab Eccleſia ſua defuerit huic damnationi ſuccumbat, ideſt ut triennio a communione ſuſpendatur unà cum eo, qui illum detinet *can.* 2. 21. *qu.* 2. Excipitur is quem populus culpa ſua non recipit *can.* 4. & 5. *diſtinct.* 92. Nec ſine licentia Papæ licèt ad Comitatum proficiſci, *can. quo auſu* 23. *qu.* 6. Neque ad Imperatorem ſine licentia Metropolitani *ibidem can. ſi quis Epiſcopus*, *aut presbibyter*, niſi fuerit vel invitatus, vel vocatus a Religioſis Imperatoribus *ibidem can. Si quis fratres*. Item *in can.* 18. & 80. qui adſcribuntur ſextæ Synodo, eſtque etiam per Imperatorem Juſtinianum ampliſſimè proviſum Conſtitutione ſexta *in auth. collat.* 2. *tit.* 6. *novel.* 6. *Quomodo oporteat Epiſcopus*, *§ & illud etiam definimus*, ut Epiſcopis abeſſe a ſuis Eccleſiis pluſquam per totum annum non liceat, quod nempè propriè Eccleſiæ cauſa diſcedant, ſed per miniſtros Imperatorem certiorem faciant.

36 Omneſque quovis nomine, ac titulo, & quacunque dignitate curæ animarum præfectos monet ad reſidendum, illos ſcilicet, qui beneficia Eccleſiaſtica in titulum, & in commendam 21. *qu.* 1. *per tot.* vel in procurationem *c. innotuit de elect.* vel adminiſtrationem habent, ac *ſeſſ.* 23. *d. cap.* 1. ubi exprimuntur in ſpecie Cardinales, ut omnis tollatur dubitatio, cùm in generali ſermone Cardinales non comprehendantur in eorum damnum. Unde ſi Cardinales in officio a Sede Apoſtolica ſibi injuncto, non ſunt adſtricti abeſſe, tenentur reſidere in Curia, & aſſiſtere Romano Pontifici, aliàs amittunt fructus beneficiorum, & officiorum ex Concilio Lateranenſi ſub Leone X. *ſeſſ.* 9. *in Bulla reform. Curiæ tit. de Cardinal.* & *ex cap. per venerabilem qui fil. ſint legit.* & *cap. fundamenta*, *§. decet namque de elect. in* 6. Sunt enim adſtricti Curiæ univerſalis Eccleſiæ ſecundùm Innocent. *in cap. bonæ memoriæ* 1. ibique DD. *de poſtul* legitimo impedimento, ſive rationabilibus cauſis ceſſantibus, ut clariùs *in dict. cap.* 1. *ſeſſ.* 23. ubi exprimuntur quatuor cauſæ, chriſtiana charitas, urgens neceſſitas, debita obedientia, & evidens Eccleſiæ, vel Reipublicæ utilitas, & in eo *c.* 1. additur, quod cauſa abſentiæ ſit cognita, & probata, in dicto verò *cap.* 1. *ſeſſ.* 6. non requiritur de neceſſitate cauſæ cognitio.

37 *Et intra ſuam Diœceſim*. Ergo ſi commorantur in ſua Diœceſi, licèt extra Eccleſiam Cathedralem, non incurrunt, ſed reſtringitur id *in d. cap.* 1. *ſeſſ.* 23. ut certis anni temporibus, ac diebus Eccleſiam ſuam Cathedralem non relinquant. Idem etiam jure Canonum ſancitum eſt *in d. can. placuit*, *ut nemini* 7. *qu.* 1. *can. Epiſcopus de conſecr. diſt.* 3. quod ſublimatur *in d. cap.* 1. *ſeſſ.* 23. niſi Epiſcopalia munia in ſua Dieceſi aliò vocant.

38 Pœna eſt amiſſio quartæ partis fructuum, quæ confirmatur *in d. cap.* 1. *ſeſſ.* 23. ſimulque idem ampliatur. At objiciet aliquis: Si per Concilium innovati ſunt antiqui Canones adverſus non reſidentes, cùm *in d. can.* 1. *ſeſſ.* 6. alia ab illis pœna præſcribatur, quorſum antiqui Canones præſcribantur? Reſpondeo, innovari Canones quoad culpam, ut Epiſcopi reſidere teneantur, & quoad pœnam privationis, de qua a Concilio nihil ſtatuitur, declaraturque, quod creſcente contumacia, ſeveriori Canonum cenſuræ ſubjiciantur, ſic etiam quoad modum privationis ſecundùm diſpoſitionem *cap. Ex tuæ de Cler. non reſid.* quemadmodum cenſuit S. Congreg. & declaratur *in d. cap.* 1. *ſeſſ.* 23.

39 Et hanc pœnam ipſo jure incurrunt. *In d. cap.* 1. *ſeſſ.* 23. nihil dicitur an ipſo jure, an per ſententiam non reſidentibus pœna debeatur. Verùm cum ibi confirmetur pœna *in d. cap.* 1. *ſeſſ.* 6. ſtatuta, omnes conditiones repetitæ cenſentur contra opinantes, Conſtitutiones ſuper reſidentia non imponere pœnam ipſo jure, ut per Afflict. *dec.* 298. *num.* 8. An autem ſit neceſſaria monitio, & mora poſſit purgari, plenius declaratur *in d. c.* 1. *ſeſſ.* 23. Notandum tamen, quod pœna, quæ imponitur ipſo jure incurrenda per Concilium, cenſuiſſe ſæpius enim Sacram Congregationem requirere declarationem, & quod dicitur *d. cap.* 1. *ſeſſ.* 23. *verſ. Si quis autem*, intelligendum eſt, quod tuta conſcientia fructus ſuos non faciant.

Creſcente verò contumacia id intra tres menſes Romano Pontifici denunciandum eſt, ut Summus Pontifex 40
de privatione, ac depoſitione cognoſcat *dict. can. pervenit* 7. *quæſt.* 1. ubi Gregorius ſcribens Anthemio *epiſt.* 13. ſive 123. *lib.* 6. ſic ait, *in Monaſterio eum deputare*, & *nobis curabis modis omnibus indicare*, *ut quid facere debeas noſtra iterum præceptione cognoſcas*. Quia cauſę graviores contra Epiſcopos, & potiſſimum quando agatur de depoſitione, vel privatione, nonniſi a Summo Pontifice ſunt cognoſcendæ, ut *in capit.* 5. *ſeſſion.* 24. Et nota, quod pœna ingreſſus Eccleſiæ non inducit irregularitatem ei, qui prohibitus ingrediendi, ingreſſus eſſet, licèt mortaliter peccaret, ſecus ſi ingrederetur, & celebraret *capit. is*, *cui de ſententia excommunicationis in* 6.

Addunt aliqui Doctores, ſi Epiſcopus ſine cauſa ab- 41
ſit, etiam ſpatio trium menſium, vel minori, eum fructus ſuos pro rata non facere, ſed teneri reſtituere. Ita Garz. *de benef. part.* 3. *cap.* 2. *num.* 28. quia ſi non laborat, non manducat, ut inquit Apoſtolus. Sed alii contra inquiunt, non teneri reſtituere, quia non videtur moraliter abfuiſſe ob parvitatem materiæ, ut patet ex eodem Tridentino *dict. cap.* 1. *ſeſſ.* 23. quod verum eſt, dummodò officium ſuum per Vicarium idoneum præſtiterit, quatenus fuerit neceſſarium, & hanc tenent multi, quos allegat, & ſequitur Bonac. *de oblig. benef. diſp.* 5. *punct.* 4. *num.* 8. & 9.

Limitanda verò ſunt primò, ſupradicta decreta S. Con- 42
cilii Trid. ut obligatio reſidendi incipiat quoad Epiſcopos, poſt conſecrationem, & quoad Archiepiſcopos poſt pallii ſuſceptionem, dummodò per eos non ſteterit, quominus citiùs pallium, vel conſecrationem ſuſcipiant. Nam anteà non videntur urgeri ad reſidentiam jure naturali, cùm non poſſint adhuc exercere, quæ ſunt Ordinis, Sanch. *lib.* 7. *opuſc. cap.* 1. *dub.* 16. *num.* 15.

Secundò, quod excuſantur a dictis pœnis, qui bona 43
fide abfuerint, ſcilicet ſi a mortali excuſentur, Garz. *loc. cit. num.* 36.

Ac terriò, ut Epiſcopus abſens in foro conſcientiæ 44
non teneatur reſtituere præcisè omnes fructus pro rata temporis abſentiæ, ſed poſſit ſibi retinere partem ob alia munia, ut recitationis horarum, & alia, quibus abſens pro grege ſuo functus eſt, & quoad hanc patent decretum illud Pœnale, de quo Tridentinum *d. cap.* 1. *ſeſſ.* 6. non obligat in conſcientia ante ſententiam, Bonac. *ibid. punct.* 4. *num.* 4.

Urbanus VIII. Conſtitutionem edidit ſub anno 1634. 45
die 12. Decembris, quo ſtatuit, ut Epiſcopi, & iis majores Prælati, etiam Sanctæ Romanę Eccleſiæ Cardinales, reſidere teneantur, neque a loco reſidentiæ diſcedere, niſi prius obtenta licentia a Papa Breve, vel literas miſſivas, aliter incurrant ipſo facto absque ulla declaratione pœnam interdicti ab ingreſſu Eccleſiæ, amiſſionis fructuum pro rata abſentiæ, & facultatis teſtandi, ſeu diſponendi de bonis ſuis a Sede Apoſtolica conceſſæ. Item ut deinceps promoti ad Cathedrales a die promotionis teneantur intra unum menſem morantes in Curia Romana, & intra duos menſes morantes in Italia, & intra quatuor menſes morantes extra Italiam ſe itineri committere, & ad reſidentiam ſe conferre, & inde non diſcedere, ut ſupra, ſub pœnis eiſdem latæ ſententiæ. Et ampliat, ut Cardinales titulos Epiſcopales ſuburbicales habentes, teneantur reſidere in alio Epiſcopatu, ſi quem alibi habeant, ſub eiſdem pœnis. Item ut ex nulla cauſa abſentiæ excuſentur, quantumvis gravi, & bonum publicum reſpiciente, ſed ſolùm cauſa Synodi, vel Aſſembleæ, cui ſoleant intereſſe, ratione officii, eorum Epiſcopatui adjuncti. Sed ob cauſam viſitandi limina Apoſtolorum limitavit abſentiæ tempus, ſcilicet pro Epiſcopis exiſtentibus intra montes, & mare, quatuor menſium, ultra montes, vel mare ſeptem menſium. Prætereà idem Summus Pontifex, vivæ vocis oraculo declaravit, non eſſe per hanc Bullam interdictam abſentiam ad modicum tempus, ideſt trium menſium a Sacro Concilio Tridentino conceſſam.

Epiſcopi autem non reſidentes privant multis com- 46
modis, ut gratiæ alternativæ ſuper proviſione beneficiorum, de qua re eſt *regula* 5. *Cancellariæ*. Item aliis facultatibus ſæpè conceſſis a Concilio Tridentino, & alibi in jure Epiſcopis reſidentibus.

Id tamen limita, quod non privatur dictis facultati- 47
bus, neque incurrit pœnas non reſidentis Epiſcopus, ſi reſidet prope Diœceſim in loco non diſtanti ultra unum miliare; Unde nullum præjudicium officio, & animarum neceſſitatibus inferatur, quia parum diſtans moraliter eſt præſens, *leg. pro locis*, *leg. mediterraneæ*, *Codice de ann.* & *trib. libr.* 10. Gonzal. *gloſ.* 43. *num.* 10. &

10. & *numer.* 43. *ad* 83. Beja *part.* 4. *caſ.* 21. Bonac. *loc. citat. punct.* 1. *numer.* 2. & 4. & Garzias *de benefic. part.* 3. *capit.* 2. *numer.* 179. ubi refert declarationes Sacr. Congregationis, quæ licèt loquantur de Parocho, multò tamen magis procedunt in Epiſcopo, cùm ipſius ſervitium non ſit tàm frequens, & immediatum.

48 At quid de Epiſcopo, qui frequenter recedit a ſua Diœceſi ad locum aliquem vicinum ob negotia, cum animo tamen citò redeundi, ut contingere poteſt Epiſcopis, qui vicini ſunt Civitati principali, ad quam contigit ſæpè eos ſe transferre ob aliqua negotia, animo tamen ibi non permanendi, ſed revertendi quamprimum ad propriam Diœceſim.

49 Reſidere cenſeo, itaut non obſtante frequenti receſſu cum animo brevi tempore revertendi, habeatur pro reſidente. Quia non habetur pro abſente, qui habet animum revertendi, & brevi eſt reverſurus, *l. poſtliminii*, *§. poſtliminio*, *ff. de capt. & poſtlim. reverſ.* & *leg.* 1. *§. habitare*, *ff. de his, qui dejec. vel effud.* In hoc autem caſu mora brevis non habetur in conſideratione, quin animus tenet perſonam addictam Diœceſi, quod ſufficit ad ſalvandum præſentiam moralem, in qua fundatur reſidentia. Unde qui recedit animo revertendi, non dicitur receſſiſſe, *§. In his autem animalibus; ff. de ædib.*

50 Accedit etiam, quod quando conſideratur reſidentia, non conſideratur præſentia nuda corporis, ac veluti materialis, ſed præſentia viva, & formalis, quæ non conſiſtit in ſola præſentia corporis, ſed magis in animo applicante corpus, ac proindè non dicitur quis eſſe, ubi eſt corpore, ſi animo abſit *dict. lib. Poſtliminii*, *§. Captivus*, atque adeò reſidentia non eſt vera reſidentia, ſi abſit animus ibi permanendi juxta ea, quæ tradunt Archidiacon. *in cap. licet canon. num.* 5. *de elect. in* 6. & Corn. *conſil.* 244. *numer.* 18. *lib.* 2. Cùm igitur qui recedit a propria Diœceſi animo quamprimum revertendi, retineat animum reſidendi, non interrumpit omninò reſidentiam, quia remanet principalior pars, quæ conſiſtit in animo applicante perſonam ad reſidendum.

51 Idque præſertim locum habet in Epiſcopo, quia reſidentia Epiſcopi non debet eſſe otioſa, ſed activa, itaut invigilet curæ animarum, & aſſiſtat aſſiduè curæ Eccleſiæ, ut notat Cardin. *in Clement. unic. ſub init. num.* 22. *de for. compet.* Cujac. *in princ. tit. de Cleric. non reſiden. verſ. quod prætereà*, Lotter. *de re benefic. lib.* 3. *quæſt.* 27. *num.* 4. & alii cum Gloſſ. *in capit. Conquerente*, *verſ. deſerviat de Cleric. non reſiden.* Unde reſidentia conſtat ex duplici parte, nimirum præſentia corporali, & operatione in regenda Eccleſia. Quando autem recedit animo quamprimum revertendi interrumpitur ſola præſentia corporali, quæ eſt veluti pars materialis reſidentiæ, continuatur verò operatio, quæ eſt pars formalis, ac principalis, & proindè ipſa ſufficit, ut reſidentia dicatur continuari, præſertim quia præſentia corporalis non eſt propter ſe requiſita in reſidentia, ſed propter operationem, & ideò, quamvis deficiat per aliquod breve tempus, itaut non deficiat operatio, non deficit reſidentia, cùm poſſit ſtare operatio pro aliquo brevi tempore ſine præſentia corporali, ac proindè non ſit neceſſarium, quod ſit continua ſine ulla interruptione.

52 An autem Epiſcopi, Canonici, aliique poſſint unire trimeſtre abſentiæ unius anni a Concilio Tridentino conceſſi *ſeſſ.* 23. *cap.* 1. *ſeſſ.* 24. *cap.* 12. *de reform.* cum trimeſtri anni ſequentis?

53 Negativè reſpondendum cenſeo. Quia ideò Concilium concedit tres menſes, quia eſt modica abſentia, & qui aliquantiſper abeſt, non videtur abeſſe, quæ planè eſt tota ratio indulgentiæ. Contrarium autem contigeret, ſi trimeſtre unius anni conjungeretur cum trimeſtre alterius anni, quia abſentia duplicaretur, ac proinde non eſſet modica in tali caſu, quæ ſufficeret, ut abſens non videretur abeſſe. Cùm enim modicum tempus juxta magis receptam ſententiam dicatur arbitrio Judicis, habita ratione ſubjectæ materiæ, & circumſtantiarum *leg.* 1. *ff. de jur. delib.* & notant Gloſſ. *in leg.* 1. *§. Quod autem*, *ff. ſuperf.* & *leg. etſi poſt tres*, *ff. Si quis caut.* Bartol. *in leg. Si inſulam numer.* 3. *ff. de verbor. obligat.* Alexander *conſil.* 219. *numer.* 11. *lib.* 6. Menoch. *de arbitr. caſ.* 4 *numer.* 5. *lib.* 2. Afflict. *deciſ.* 241. *numer.* 3. Roſental. *de feud. cap.* 6. *concluſ.* 59. ac Rota coram Seraphino *deciſ.* 580. *num.* 5. & coram Coccino *deciſ.* 100. *num.* 2. Unde cùm in præſenti materia Concilium duos, vel tres menſes abſentiæ judicet modicam abſentiam, negari non poteſt, quod hæc abſentia duplicata ſit magna, & conſequenter non ſit illa, de qua intelligit Concilium, quod non habeatur pro abſentia.

Idque confirmatur, quia Concilium ponit ſummum terminum abſentiæ, intra quem Epiſcopus, aut Canonicus poſſit diù aliquantiſper abeſſe, & nunc vult eſſe ſpatium ad ſummum trium menſium. Unde ſi excedatur iſte terminus, non erit amplius illa abſentia, quæ ſecundùm Concilium facit aliquantiſper abeſſe, atque adeò non erit abſentia ab ipſo conceſſa. Quando autem conjungitur trimeſtre unius anni cum trimeſtri ſequentis anni, exceditur terminus præfixus a Concilio, & non habet amplius locum ratio ab ipſo aſſignata, atque adeò, nec etiam indulgentia abſentiæ. Quia ad ceſſationem rationis menſuranda eſt *leg. Si quis*, *ff. de acquir. poſſeſſ. leg. ſunt leges*, *ff. de legibus*, & *leg. Cùm mulier.* 1. *ſolut. matrim.* & notant ibi Cumanus, Caſtrenſis, Imola, & cæteri Doctores, Bal. *in leg. Si quis ſervo*, *Codice de furt.* Roman. *in leg. contra legem*, *ff. de legibus*, Pariſ. *conſil.* 16. *num.* 29. *vol.* 3. Tiraquell. *tract. Ceſſante cauſa part.* 1. *num.* 138. qui alios citat Rimin. Sen. *conſ.* 183. *num.* 3. ac Everard. *in topic. loco a ratione leg. verſ. virtus enim legis.* 54

Nec refragatur, quod unum trimeſtre referatur ad unum annum, & aliud ad ſequentem. Quia cùm conjungatur abſentia unius anni cum abſentia alterius, fit notabilis abſentia, & quoad effectum æquipollet abſentiæ ejuſdem quantitatis, quæ reſponderet eidem anno, quia per ſex menſes continuos removet paſtorem a cura ſui gregis, & ideò non refert quoad effectum, an incidat tota in eodem anno, an intra duos, quia ex æquipollentibus non refert, quid ex ipſis fiat, quando inferunt eumdem effectum, *leg. mulier*, *ff. ad Trebell.* & *in leg. fin. Cod. de donat. quæ ſub modo*, & *leg.* 3. *Cod. de inſtit.* & *ſubſtit.* & notant Soccin. jun. *in leg. Gallus*, *§. At quid ſi tantum numer.* 28. *ff. de lib.* & *poſthum.* Jaſon. *in leg. ſi tantum num.* 3. *Codice de inſtit.* & *ſubſtit.* 55

Ex his autem deducitur reſolutio alterius difficultatis, nempè non poſſe Epiſcopum conjungere tempus conceſſum pro viſitatione. Nam in hoc quoque militat eadem ratio proportionaliter, & etiam ſpecialis ratio, ſcilicet, quod non poſſint conjugi duæ viſitationes liminum Apoſtolorum. Finis enim viſitationis liminum Apoſtolorum non ſolùm eſt illa ſpecialis obedientia, & obſequium, quod exhibetur Summo Pontifici, ſed etiam informatio ejuſdem Pontificis de ſtatu Eccleſiæ, ut deſumitur ex *Conſtit.* 15. *§.* 3. Sixti V. *tom.* 2. *Bullar.* Poſtquam Epiſcopus exhibuit informationem pro una viſitatione. Tum quia non ſupponitur ſtatim mutatus ſtatus Eccleſiæ. Tum quia ſtatus Eccleſiæ non eſt de novo examinatus, ut poſſit aliam novam relationem facere. Unde cùm non poſſint conjungi fines viſitationum liminum Apoſtolorum, nec etiam poterunt conjungi ipſæ viſitationes, atque adeò nec tempus pro ipſis conceſſum. 56

Secundò, deducitur, quod quando adſunt legitimæ cauſæ abſentiæ, de quibus Concilium Tridentinum *dict. capit.* 1. *ſeſſione* 23. *de reformat.* non tenetur Epiſcopus pro trimeſtri conceſſo, ſed poterit ultra ipſum abeſſe quantum exigunt cauſæ, propter quas abeſt. Nam Concilium concedit trimeſtre abſentiæ ultra prædictas cauſas, nempè illas, ratione quarum dixerat, Epiſcopum poſſe abeſſe, ut conſtat ex illis verbis. *Extra prædictas cauſas nullo pacto debere duos, aut ad ſummum tres menſes excedere.* Cùm enim abſentia trium menſium ſit conceſſa ex æqua cauſa pro ſingulis annis, non eſt conceſſa pro illis cauſis ſpecialibus, ex quibus quoties opus fuerit, poteſt Epiſcopus abeſſe, ac proindè poſſe Epiſcopum uti trimeſtri conceſſo ad relaxationem animi, tradunt Azor. *part.* 2. *libr.* 7. *capit.* 4. *quæſt.* 9. Sanctarell. *var. reſolut. quæſt.* 4. *numer.* 5. *in fine.* 57

Atque ita etiam declaravit Sacra Congregatio ſuper reſidentia Epiſcoporum habita in Quirinali die 17. Julii 1657. in qua propoſita fuerunt authoritate Sanctiſſimi infraſcripta dubia. 58

Cùm Sacrum Concilium Tridentinum *capit.* 1. *ſeſſione* 23. *de reformat.* permittat Epiſcopis, ut ſingulis annis, dummodò æqua ex cauſa, & abſque ullo gregis detrimento fiat, abeſſe poſſint a ſua Diœceſi per duos, aut ad ſummum tres menſes, quæritur 59

Primò, An Epiſcopus poſſit jungere trimeſtrem abſentiam unius anni cum abſentia trimeſtri ſequentis anni, adeòut licitè abeſſe valeat a ſua Eccleſia per menſes Octobris, Novembris, & Decembris anni, verbi gratia, 1657. & continuare abſentiam per menſes Januarii, Februarii, & Martii anni 1658. 60

Secundò, An Epiſcopus in caſibus, in quibus ra- 61

tiona-

tionabilem causam habet non residendi, debeat uti mensibus per Sacrum Concilium concessis, & nonnisi ipsis consumptis, quatenus absentiæ causa duret, licentiam petere non residendi, An verò primò, licentiam petere, & ad alios usus reservare bimestre, aut trimestre tempus a Concilio concessum?

62 Per Bullam sanctæ memoriæ Urbani Octavi super residentia Episcoporum incipientem: Sancta Synodus 27. aliàs 137. permittitur, ut Episcopi ad effectum visitandi statutis terminis Sacra Beatorum Apostolorum limina, abesse possint a suis Ecclesiis per certum tempus, videlicet citra montes, vel mare existentes per quatuor menses, alii verò, &c. hinc.

63 Tertiò, quæritur, An Episcopus visitans Sacra Limina in fine unius termini, verbi gratia, in fine unius triennii, possit immediatè in principio sequentis triennii iterùm visitare, ac proinde visitationum titulo abesse a sua Ecclesia per octo continuos menses.

64 Quartò, quæritur, An Episcopo, qui anteà per indultum temporis ver. gr. decem continuos annos in sua Ecclesia resederit, & vel ab ipsa vacatione per Sacrum Concilium ex rationabili causa singulis annis permissa semper se abstinuit, possit aliquando concedi facultas non residendi per aliquod tempus, licèt non adsit ulla causa ex approbatis ab eodem Sacro Concilio Tridentino.

65 Ad primum Sacra Congregatio respondit, non posse. Tum quia ejusmodi semestris absentia complectitur illius temporis spatium Dominici Adventus, & Quadragesimæ, quo ne a sua quidem Cathedrali, nedum a Diœcesi Episcopo abesse licet, ut in Concilio Tridentino *dict. cap.* 1. *vers. Eosdem interim admonet sess.* 23. Tum quia in eo, qui abest sex mensibus continuis non verificatur illud verbum *aliquantisper*, quo utitur Concilium *in dict. cap.* 1. dum ait: *Quoniam autem, qui aliquantisper tantùm absunt ex veterum Canonum sententia non videntur abesse*, cùm Concilium illud restringat ad duos, vel ad summum tres menses, & antiqui Canones ad unum, ut *in canon. præsentium* 7. *qu.* 1. vel ad duos, ut *in canon. Si quis in Clero eadem caus. & quæstion.* Et quatenus vetificatur verbum, *aliquantisper*, non tamen verificantur sequentia, videlicet *quia statim reversuri sunt*. Nam qui abest per semestre tempus, utique non statim est reversurus, cùm dictio statim regulariter significat modicum temporis intervallum, ut est Text. *in l. Cùm quidam, ff. de legat.* 2. *& in leg. Si finito, §. non autem statim, ff. de damn. infect.* & notat Tiraquell. *in leg. si unquam vers. revertatur numer.* 120. *Codice de revoc. donat.* Et aliquando importat intervallum unius mensis, ut notat *in leg. divortio facto*, aliàs est *leg. fructus* 7. *§. Papinianus* in Glost. *vers. statim, ff. solution. matrim.* Tum quia absentia Episcoporum per sex continuos menses a Concilio non reputatur brevis, ut patet *sessione* 6. *capit.* 2. ibi, *si quis sex mensibus continuis extra suam Diœcesim morando abfuerit, quartæ partis fructuum unius anni pœnam ipso jure incurrat*. Tum denique, quia magis relaxari potest nervus Ecclesiasticæ disciplinæ, majusque detrimentum in spiritualibus, ac temporalibus potest pati Ecclesia, & pravi abusus, & corruptelæ in Clero, & populo faciliùs introduci, & difficiliùs eradicari, si trimestre tempus absentiæ unius anni conjungatur cum trimestri alterius anni, quàm si trimestria sint interpolata, ob quam rationem cùm *in capit. singulis de stat. Monachor.* statutum sit, ut Capitula Provincialia Religiosorum, fiant de triennio in triennium, Joannes Andreas *ibi in princip.* dicit, non sufficere in fine primi triennii facere unum Capitulum, & statim in principio secundi triennii facere aliud, quia id potius esset facere Capitulum de sexto in sextum annum, quàm de triennio in triennium, & multo tempore posset sic tardari Ordinis reformatio. Unde trimestre tempus, quod interpolatè, ac per se sumptum a Concilio reputatur breve, & cadit sub permissione, quia brevi reversus, nec divertisse videtur *leg.* 3. *in fin. §. de divort.* Si posteà jungatur cum alio trimestri, æstimatur esse longum, & cadit sub prohibitione, ut de diversis donationibus simul junctis notat Ostiensis *in capit. Apostolicæ de denot.* & de unionibus, quæ quamvis singulæ per se non gravent, tamen simul omnes consideratæ gravant, & ideò omnes sunt revocandæ, decidit Oldrad. *consil.* 262. *in quæst. num.* 2. Et de pluribus furtis rei modicæ docet Divus Thomas *in* 2. 2. *quæst.* 66. *artic.* 6. *ad* 3. Sylvestr. *in vers. furtum numer.* 4. Confert. Text. *in leg. Si libertus, §. Si quis plures, ff. de jurepatron. & argument. leg. Si libertus, §. Si quis pluris, ff. de jurepatron. & argum. leg. necnon, §. Si quis sæpiùs, ff. ex quibus caus. major.*

Ad secundum, Sacra Congregatio consultiùs putavit, nihil generaliter respondere, sed ubi casus particulares acciderint, maturiùs deliberare. 66

Ad tertium, respondit, Episcopum, qui Beatorum Apostolorum limina visitavit, verbi gratia, in fine unius triennii, nequaquam posse immediatè in principio sequentis triennii iterum visitare, ac proindè nec visitationis titulo per octo continuos menses a sua Ecclesia abesse. Rationes hujus tertiæ resolutionis habentur *in capit. ego* N. *numer.* 50. *de jurejurand.* ubi noster Fagnanus, olim Consiliarius Pontificum, nunc Pontificatus. 67

Ad quartum, respondit, non posse. Quam Congregationis sententiam Alexander VIII. ad se relatam, in omnibus approbavit. 68

Idem Sacrum Concilium *dict. cap.* 1. *sessione* 6. *& dict. capit.* 1. *sessione* 23. *§. Eadem*, pœnas ibi statutas contra Episcopos non residentes extendit contra Curatos, Episcopis inferiores, & ad omnes habentes beneficium Ecclesiasticum, curam animarum habens, concedit tamen illis, ut abesse possint ex causa ab Episcopo prius cognita, & approbata, relinquendo Vicarium idoneum ab Episcopo approbandum cum debita mercedis assignatione. Discedendi autem licentiam in scriptis, gratisque concedendam ultra bimestre tempus, nisi ex gravi causa, non obtineant. 69

Ex quibus primò apparet, quod Parochus non residens sine licentia legitima, non facit fructus suos rata temporis juxta Tridentinum *in dicto cap.* 1. *sessione* 23. ut etiam ante sententiam teneatur restituere fabricæ, vel pauperibus loci, nulla compositione suffragante. 70

An autem excusetur ob modicum tempus absentiæ, ut si per tres, vel quatuor dies, vel saltem minus una hebdomada continua, vel interpolatè sumpta intra unum annum, respondent Doctores communiter, excusari ut Garzias *de benefic. dict. part.* 3. *capit.* 2. *numer.* 23. *& sequentibus*, & in hoc non videtur difficultas. Sed aliqui dicunt, non teneri restituere, nisi absit ultra bimestre sine licentia, quia bimestre existimant parvam materiam, & inquiunt Concilium Tridentinum non require in Parochis licentiam Episcopi, nisi pro absentia ultra bimestre. Ita Bonaccina *de obligat. benefic. disput.* 5. *dict. punct.* 4. *numer.* 4. Nald. *in summ. vers. Residentia numer.* 5. Navarrus *in manual. capit.* 25. *numer.* 121. Azor. *libr.* 7. *cap.* 4. *quæst.* 9. *tom.* 2. ac Beja *part.* 4. *disput.* 21. Sed contrarium tenendum est ex Textu *dict. capit.* 1. *sessione* 23. ubi absolutè requiritur licentia, etiam intra bimestre. Ita Sanchez *de matrimon. libr.* 3. *disp.* 31. *numer.* 11. Ugolinus, Lessius, Possevinus, quos sequitur Barbosa *de potestat. Episcop. alleg.* 53. *numer.* 96. & Garzias *loc. cit. numer* 23. aliique communiter. Verum est quod Parochus pro tempore absentiæ non tenetur absolutè omnes fructus restituere, sed potest aliquam partem sibi retinere ratione horarum canonicarum, & propter alia servitia Ecclesiæ in absentia præstita, ut diximus de Episcopo. 71

Apparet secundò, quod Episcopus potest etiam procedere contra Parochum ad privationem quartæ partis fructuum, quoties absentia ad sex menses pervenerit sine causa rationabili juxta Tridentin. *dict. session.* 6. *cap.* 1. & Garz. *ibidem numer.* 32. Et hæc pœna privationis quartæ partis fructuum intelligenda est, ut sit de fructibus, etiam futuris, quos reversus suos facturus est, vel quos aliàs absens suos fecisset, aliàs enim hæc pœna esset elusoria, ut patet, ac ita censuit Sacr. Congregatio apud Garz. *ibidem* Unde quamvis pœna privationis quartarum a Trident. inferatur ipso jure, sive ipso facto incurrenda, non tamen ligat ante sententiam, secus, quoad fructus pro rata absentiæ amissos, Sanchez *libr.* 2. *in decalog. capit.* 5. *numer.* 10. 72

Limitantur hæc decreta contra Episcopos, & Parochos, sive Curatos, ut non procedant contra Abbates Priores, & alios habentes beneficia regularia. Nam si absentes per alium sua munia subeant, non tenentur fructus restituere, licèt peccent non residendo. Quia Tridentinum intelligitur de beneficiis sæcularibus, Lessius *de justit. & jur. capit.* 34. *numer.* 161. Filliucius *tract.* 41. *capit.* 6. *numer.* 30. & Bonaccina *dict. punct.* 4. *num.* 14. 73

Ex capit. Extirpandæ, §. Qui verò de præbend. Parochus non residens, incurrit ipso facto pœnam privationis Parochiæ, ut liberè alii conferri possit. Sed an requiratur, ut præcedat monitio, multi affirmant; 74

multi

multi negant apud Garziam *dict. part. 3. capit. 2. numer. 135. & ſeqq.* Verùm hodie ex Concilio Tridentino *dict. cap. 1. ſeſſ. 23.* non incurrunt Parochi dictam privationis beneficii ipſo jure, ſed perſententiam, præcedente citatione, & monitione, & coercitione per cenſuras, & ſequeſtrationem, & ſubtractionem fructuum, & alia juris remedia. Et ita notat Garzias *numer. 39.*

75 Parochiale, ſive Curatum beneficium obtinens in Curia Romana cum juramento ſe transferendi ad reſidentiam intra certum tempus, ac ibi perſonaliter deſerviendi, ſi non obſervet, ſed beneficium dimittat ad ſavorem alterius varias pœnas incurrit. Ex Conſtitutione enim Pii Quarti 87. quæ incipit, *Inter multiplices*, quicunque beneficium Parochiale etiam titulo Vicariæ perpetuæ, aliudve Curatum vacans per obitum a Sede Apoſtolica obtinuerit, ſcilicet prævio examine, ac Diœceſani, & teſtium fide de idoneitate: ac cæteris de jure requiſitis, & præſtito juramento juxta ſtylum Curiæ & Conſtitutiones Apoſtolicas, ac etiam fidejuſſione de ſe intra certum, & tunc expreſſum tempus ad locum beneficii ſe conferendi, & ibi ſeipſum curam exercendo, reſidendi, ſi hujuſmodi promiſſionum implemento non præſtito, in alterius favorem etiam intruſi, vel poſſeſſoris, vel occaſione litis motæ, aut aliàs reſignaverit, ceſſerit, vel dimiſerit beneficium prædictum, ipſe, & ii, in quorum favorem ea egerit, & ii, qui ad ea conſilium, auxilium, vel favorem præſtiterint omnes, ſi tamen ſint Epiſcopis inferiores, incurrunt ipſo facto pœnam excommunicationis, Papæ reſervatæ, & privationem illius & aliorum beneficiorum per eos obtentorum, & inhabilitatem ad ipſa in poſterum obtinenda, quæ ipſo facto vacare cenſeantur, & diſpoſitioni Sedis Apoſtolicæ reſervata eſſe, quæ conſanguineis, & affinibus, & confidentibus eorum, qui eis privati fuere, conferri non poterunt. Vide de hac Conſtitutione Sayrum *libr. 3. de cenſur. cap. 31. numer. 5.* Filliuc. *tract. 15. num. 167.* Garz. *part. 11. cap. 3. num. 44. & 191. & part. 8. cap. 2. num. 31.* & Pariſ. *de reſignat. lib. 3. quæſt. 2. num. 2.*

76 Inde fit, ut hodie ex ordinatione Gregorii Decimi quarti non admittuntur in Curia Romana reſignationes Parochialium, & aliorum beneficiorum reſidentiam exigentium, niſi expreſſum fuerit in ſupplicatione per quantum tempus illud beneficium reſignans poſſederit & non ſolet admitti, niſi reſignans poſſederit per quinque annos, vel circiter, ideſt plus, minuſve ſex menſibus, ut per Pariſium, & Garziam *dict. numer. 44.*

77 *Ex capit. unico de Cleric. non reſiden. in 6.* diſtributiones quotidianas ſuas non faciunt Canonici, & alii beneficiati, ſeu Clerici Cathedralium, & aliarum Collegiatarum Eccleſiarum, ſi Divinis officiis non interſint, etiamſi reſideant in Civitate, ſeu loco Eccleſiæ, non obſtante conſuetudine contraria, itaut qui aliquid ex dictis diſtributionibus aliter perceperit dominium ejus non acquirat, ſed ad ejus reſtitutionem teneatur, exceptis tamen illis, quos infirmitas, ſeu juſta rationabilis corporis neceſſitas, aut evidens Eccleſiæ utilitas excuſaret.

78 Si ergo Canonici, & beneficiati ſupradicti non reſideant in loco, ſeu civitate, non ſolùm amittunt diſtributiones, ſed etiam omnes fructus prædendæ, ſi autem reſideant, ſed non interſint Choro, amittunt diſtributiones, ſed non fructus prædendę per *cap. cùm omnes de Conſtit.* ibique Gloſſ. *verſ. Conſuetudinem de Cler. non reſiden.* Garz. *part. 3. capit. 2. numer. 360.* Seraphin. *deciſion. 1131. numer. 1.* Excipe, niſi ſit conſuetudo in contrarium, ut fructus prædendæ percipiantur in abſentia, ut *d. cap. cùm omnes*, & Gloſſ. *in cap. ad audiendum verſ. Conſtitutio de Cleric. non reſiden.* Excipit etiam, ſi abſit quis cum cauſa rationabili, & ob ſervitium Eccleſiæ ex *capit. cùm non deceat de electione. in 6.* vel cauſa ſtudiorum ex *capit. final. de Magiſtr.*

79 *In dict. cap. Cùm non deceat*, abſens a reſidentiæ loco pro Eccleſiæ utilitate, vel alia juſta cauſa percipit fructus omnes beneficii, ſeu prædendæ, exceptis tamen diſtributionibus quotidianis, ut *ibi*, & Gloſſ. *in dict. c. unic. de Cler. non reſidend. verſ. utilitas*, Garz. *dict. part. 3. cap. 2. numer. 361.* Idemque eſt de omni privilegio conceſſo a Papa, ſive ut ab homine, ſive ut a jure participandi fructus in abſentia, Gonzal. *in proœm. §. 7. numer. 206.*

80 *Et cap. 12. ſeſſ. 24.* Sacri Concilii Tridentini *verſicul. Prætereà obtinentibus*, ſtatuitur, ut obtinentibus in Cathedralibus, aut Collegiatis dignitates, Canonicatus, prædendas, aut portiones, non liceat vigore cujuslibet ſtatuti, aut conſuetudinis ultra tres menſes ab iiſdem Eccleſiis quolibet anno abeſſe, ſalvis tamen Conſtitutionibus Eccleſiarum, quæ longius ſervitii tempus requirunt, alioquin primo anno privetur unuſquiſque dimidia parte fructuum, quos ratione etiam prædendæ, ac reſidentiæ ſuos fecit. Quod ſi iterùm eadem uſus fuerit negligentia, privetur omnibus fructibus, quos ratione etiam prædendæ, ac reſidentiæ eo anno lucratus fuerit. Creſcente verò contumacia contra eos juxta Sacros Canones procedatur, ideſt ad privationem beneficii, ut notat Garz. *dict. cap. 2. num. 140.* Et adverte, quod licèt iſta pœna privationis fructuum non ſit latæ ſententiæ, ut ipſo facto amittantur, tamen habet rationem latæ ſententiæ, quatenus non requiritur ad hanc privationem fructuum monitio, ſed ſufficit citatio ad dicendum cauſam, quare non debeat privari, ut per Garzias *ibidem numer. 145.* cum Sacr. Congregatione.

Ex eodem Tridentino citato *cap. 12.* ſtatutum eſt, 81
ut diſtributiones illi tantùm, qui ſtatis horis interfuerunt, percipiant, reliqui, quavis colluſione, aut remiſſione excluſa, his careant juxta *dict. cap. unico de Cler. non reſid. in 6.* quod Sancta Synodus innovavit, non obſtantibus quibuſcunque ſtatutis, aut Conſuetudinibus.

Ex dictis concludunt Doctores magis communiter, 82
quod de jure communi abſens a loco reſidentiæ; etiamſi intereſſe aliàs non poſſit choro, impeditus ob infirmitatem, vel corporis neceſſitatem, vel Eccleſiæ utilitatem, percipit quidem fructus prædendæ, ſed non diſtributiones quotidianas, niſi adſit talis illius Eccleſiæ conſuetudo, Si autem ſit præſens in loco reſidentiæ, ſed non interſit Choro ob dictas cauſas rationabiles impeditus, conſequi debet etiam diſtributiones de jure communi. Ita ex *dict. cap. unico*, & *dict. cap. Cùm non deceat de elect. in 6.* tenent Gloſſ. & Doctores *in dict. capit. unic.* Laymann *libr. 4. tract. de benefic. capit. 7. numer. 3.* Sanchez *opuſc. libr. 1. capit. 2. dub. 92. & ſequentibus* Guttierez *canon. quæſt. libr. 1. capit. 1. num. 139. & 145.* Excipitur tamen caſu abſentiæ propter impedimentum, proveniens ex facto Capituli injuſto, ut ob litem, quia tunc percipit diſtributiones, ſi tamen ſit præſens in loco, vel ſaltem per eum non ſtet, ut per Buratt. *deciſ. 694. num. 5.* Seraphin. *deciſ. 1239. num. 4.*

Quod autem in dicto Tridentino dicitur, remiſſio- 83
nem non ſuffragari, limitandum eſt. Quia ſi Canonicus reſtituerit injuſtè perceptas diſtributiones, poſſent ii, quibus accreverant, eas eiſdem poſtea reſtituere, ac donare, Sanchez *loc. citat. dub. 108. & 109.* cum aliis.

Notandum inſuper ex *dict. cap. 12. ſeſſione 24. ver-* 84
ſic. Prætereà, quod id habet locum in omnibus Collegiatis, etiam non inſignibus, niſi tamen illæ non inſignes Collegiatæ eſſent rurales, prorſus deſtitutæ, aut in quibus nunquam antea ſuper hominum memoria ſolitum eſſet reſidere, aut adeò tenues redditus, ut Canonicos aliundè non habentes unde vivant, alere non poſſint, per Sac. Congregat. Concilii 24. Julii 1674. & ex *verſic. Qui ſtatis horis, &c.* intelligitur ſecundùm ordinationem factam, vel faciendam a Capitulo, & Epiſcopo juxta *dict. capit. unico de Cleric. non reſiden.* Et per illa verba non revocantur conſuetudines, ſecundùm quas ordinantur diſtributiones, ut notat ibi Gloſſa *in verſ. Ordinationes*, & Gloſſa *in Clementina ut ii, qui de ætat. & qualit. in verſ. nota per conſuetudinem. Et in verſic. Interea verò Epiſcopus*, intelligе, ut interim Epiſcopus cum duobus de Capitulo provideat circa ea, quæ ſpectant ad regimen debitum in officiis divinis, veluti de congrua in his canendi, ſive modulandi ratione, & alia hujuſmodi, in reliquis ſalva ſemper Epiſcopi authoritate de quibus, & aliis pertinentibus ad *dict. capit. 12. ſeſſ. 24.* dictum eſt alibi fuſiùs.

Coadjutor verò datus in beneficio obligationem re- 85
ſidentiæ, vel ſervitii Chori annexam habente, tenetur reſidere, & inſervire per ſeipſum, ne Eccleſia defraudetur debitis obſequiis, Rota *deciſ. 276. numer. 1. & ſeqq. tom. 1. recent.* Unde ſi Choro non interſit, amittit diſtributiones, & ſi non reſideat, amittit fructus, etiam prædendæ, & ipſe tenetur adjuto ad id, quod intereſt, quatenus propter hoc non poterit percipere fructus prædendæ, neque diſtributiones, Rota *ibidem num. 4.* Immò procedi contra eum poterit ad privationem Coadjutoriæ, ſervato juris ordine, de quo *in cap. ex jure de Cleric. non reſiden.* Rota *loc. citat.* Non tamen tenetur Coadjutor extra Chorum horas recitare præcisè ratione coadjutoriæ, quia non eſt propriè

priè beneficiatus, ſed ratione Sacri Ordinis, Sanchez *dict. cap. 2. dub. 64. num. 3.*

86 Ex eodem Tridentino *ſeſſione 23. cap. 16.* nullus debet ordinari, niſi judicio Epiſcopi ſit utilis, aut neceſſarius ſuis Eccleſiis, & niſi adſcribatur illi Eccleſiæ, pro cujus neceſſitate, aut utilitate aſſumitur, ubi ſuis fungatur muneribus, nec incertis vagetur Sedibus. Quod ſi locum, inconſulto Epiſcopo, deſeruit, ei Sacrorum exercitium interdicatur, hoc eſt ſuſpendatur. Itaque ordinatus ſemel, vel tonſura initiatus, alicui Eccleſiæ adſcriptus a proprio Epiſcopo, non poteſt inde diſcedere ſine licentia ſui Epiſcopi, neque alius Epiſcopus poteſt eum recipere, ut Sacra Congregatio declaravit ſuper *dict. capit. 16.* Neque poteſt ordinari ab alio Epiſcopo, ſive ratione domicilii noviter acquiſiti, ſive jure collationis beneficii, vel jure triennalis familiaritatis. Aliam incurrit ordinatus ſuſpenſionem duraturam ad arbitrium ſui Ordinarii, & ordinatus incurrit ſuſpenſionem a collatione ordinum per annum ex Tridentino *ſeſſione 23. capit. 8. de reformat.* De pœnis autem Clericorum vagantium vide Menoch. *de arbitr. caſu 531.*

87 In hoc autem *capit. 16. ſeſſione 23.* adnotandum eſt, quod, ut Clericus Sacrum Ordinem ſuſcipere valeat, requiritur primò, ut habeat unde commodè vivere poſſit, ne cogatur mendicare, vel ſordidum quæſtum exercere. Secundò, requiritur locus, ubi ſui Ordinis functiones ordinatus exercere poſſit, ne incertis vagetur Sedibus, & inutiliter videatur ordinatus. De primo agitur *cap. 2. ſeſſione 22.* de ſecundo *in dict. capit. 16. ſeſſione 23.* in quo Sancta Synodus Tridentina adhæret veſtigiis ſexti Canonis Concilii Chalcedonenſis relati *in canon. ſollicitudo diſtinct. 23. & canon. ſi officia diſtinction. 59.*

88 Quod autem in hoc Capitulo ſtatuitur, etiam ad ſubditos exemptorum extenditur, illorum ſcilicet, qui intra fines alicujus Diœceſis ſunt, non autem illorum, qui ſunt nullius. Nullus igitur ait Concilium in poſteſterum ordinetur, qui illi Eccleſiæ, aut pio loco, pro cujus neceſſitate, aut utilitate aſſumitur, non adſcribatur, in qua tamen Eccleſia, ſeu pio loco hi, qui pro illorum neceſſitate aſſumuntur, non poſſunt cogi, ut gratis inſerviant. Eum verò, qui in ordinatione non fuit adſcriptus, amplius adſcribi minimè poſſe, dixit S. Congreg. Ad hoc facit, quod dicitur *cap. 13. & 14.* ejuſdem *ſeſſ. 23.* Et advertendum eſt, dictum decretum *in cit. c. 16.* habere locum, etiam in minoribus ordinibus, non autem in prima tonſura, & perpetuò ab Ordinariis eſſe obſervandum, nulla habita exceptione perſonarum, vel aliis rationabilibus cauſis. Tum quia Concilium id præcipere videtur. Tum quia abſolutè loquitur, *nullus ordinetur*. Et tum quia utitur illis verbis, *qui Eccleſiæ, aut pio loco non adſcribatur*.

89 *Ubi ſuis fungatur muneribus*. Idipſum habetur *citat. cap. 13. & 14.* An autem obtinens beneficium poſſit acceptare aliud beneficium compatibile, ſive incompatile contra voluntatem Superioris primi beneficii, ex diſpoſitione juris communis inveſtigandum, dixit Sacra Congregatio, etſi non abhorruerit a doctrina Hoſtienſis *in capit. admonet de renunc.* quod ſcilicet non ſit in uſu diſpoſitio illius Capituli. Non tamen ibidem poſſunt cogi ad titulum patrimonii, qui in certis vagantur Sedibus, ut alicui Eccleſiæ ſtatis diebus, veluti feſtis, inſerviant, nec Clericis Sacerdotibus non habentibus beneficium in titulum, ſive requirens reſidentiam, literæ commendatitiæ ſunt denegandæ, nec revocari poſſunt, ſi alicui Eccleſiæ extra Diœceſim inſerviant.

90 Nullus præterea Clericus peregrinus, ſine commendatitiis ſui Ordinarii literis ab ullo Epiſcopo ad divina celebranda, & Sacramenta adminiſtranda admittatur. Has autem literas Abbatem, vel Commendatarium habentem jura Epiſcopalia exemptum, & non exiſtentem intra alicujus Diœceſis fines concedere poſſe presbyteris ſæcularibus, ſibi in temporalibus, & ſpiritualibus ſubjectis dictum fuit, de quo nos alibi. Et cum dubitaret Epiſcopus, an Presbyter ab eo ordinatus, & Eccleſiæ adſcriptus juxta hoc decretum, qui poſteà Eccleſiam ipſam ſine literis Epiſcopi commendatitiis deſeruerat, & Romæ vagabatur, authoritate Cardinalis Vicarii, vel ejus Viceſgerentis poſſit compelli ad redeundum ad ſuam Diœceſim, cenſuit S. Congregatio, non poſſe cogi præcisè ad redeundum, niſi beneficium obtineat requirens perſonalem reſidentiam.

91 In Congregatione verò ſuper Epiſcopis, & Regularibus fuit propoſitum hoc dubium. Quidam Scholaſticus juſta de cauſa venit Romam animo firmo ibi vitam degendi, in qua adhuc permanet. Quæſitum fuit, an poſſit ex hoc titulo legitimè ad Sacros Ordines promoveri, ſi aliàs neceſſaria requiſita habuerit cum beneficio, vel patrimonio ſufficienti? Quod dubium cùm S. Congregatio remiſiſſet ad Navarrum, hic reſpondit, quod ſi conſulens vero animo coram Deo conſtituit ſe permanſurum Romæ, & velle fieri ejus incolam, incepit habitare in ea, emendo, vel conducendo domum, vel utendo habitatione, gratis ei conceſſa, poterit ab Illuſtriſſimo Vicario, vel ejus Viceſgerente, tanquam ab Ordinario ſuo ordinari, vel literas dimiſſorias ad alium Epiſcopum accipere ex allegatis in dicta reſponſione.

92 Ex Sacra Congregatione Concilii in Ariminenſi die 5. Decembtis 1574. Clericus, qui certo loco non eſt adſcriptus, ab Epiſcopo ſuo invitus retineri non poteſt, ne a ſua Diœceſi recedat, & alibi Parochialem accipiat. Adſcriptus verò retineri poteſt invitus, prout ex literis Sacræ Congregationis ſuper Epiſcopis exaratis Epiſcopo Cotroniaci 19. Octobris 1592.

93 Subnectamus & iſta: Pœna *a capit. licet Canon. de election. in 6.* præſcripta iis, qui intra annum Sacerdotium non ſuſceperint, locum non habet in Rectoribus curatarum Eccleſiarum in aliquo Ordine Sacro conſtitutis, adeò indoctis, ut ad presbyteratum promoveri non poſſint, dummodò intra annum a die pacificæ poſſeſſionis comparuerint, & ſe promoveri petierint, ſed Ordinarius eos promovere noluit. Ita Sacra Congregatio Concilii *ad capit. 4. ſeſſione 22.* in Mediolanenſi.

94 Et S. Congregatio ſuper Epiſcopis 13. Junii 1573. ita ſcripſit Epiſcopo Cluſino: *Se il proviſto della Parochiale non promoſſo dentro l'anno eſſendo citato a dir la cauſa, per la quale non ſi ſia ordinato, non la proverà legittima per giuſto impedimento, ſi doverà ſenz'altro dichiarare incorſo nella pena del cap. licet Canon. de elect. in 6.*

95 Eadem Sacra Congregatio ſuper Epiſcopis 20. Julii 1583. Epiſcopo Camerti: *Preſuppoſto per vero, che N. proviſto d'una Parochiale dentro l'anno habbia fatto iſtanza a Voſtra Signoria d'eſſer promoſſo, e che ella dubitando della validità della ſua collazione habbia ricuſato d'ordinarlo, la Congregazione hà riſoluto, che non gli dee correre il tempo, perciochè il cap. licet Canon. de elect. in 6. ha luogo contro i negligenti ſolamente; il che non ſi può dir di coſtui.*

96 Et Sac. Congreg. Concilii in Rubenſi declaravit. Qui ſunt in Sacris, & maximè presbyteratus ordine, nullo ſtatuto videntur poſſe prohiberi, quin vocem in Capitulo habeant.

97 In Patavina. Canonici, qui Ordines Sacros debitos poſt monitionem ſumere recuſant, ab Ordinario privari debent.

98 In Anconitana. Dubitatum fuit in Sac. Congregatione ſuper Epiſcoporum negotiis, an Canonico cujuſdam Collegiatæ deberentur diſtributiones, quamvis non eſſet Sacris Ordinibus initiatus, ſtante decreto *dict. capit. 4. ſeſſione 22.* & reſolutum, quod debeantur, cùm obtinens Canonicatum in Collegiata non requiratur, niſi quod habeat quatuordecim annos. Item reſolutum fuit, quod diſtributiones debentur Canonico in Cathedrali pro medio tempore, uſquequò ordines ſuæ præbendæ annexos recipiat.

CONSULTATIO CLI.

Cum *cap. Inter cætera de offic. ordin.* habeatur ignorantiæ impedimentum non excuſare Epiſcopum a munere prædicationis, quandoquidem in dicto capit. defectum ſcientiæ reprobandum, nec de cætero tolerandum dicitur, quod Sacri Concilii decreto *in cap. 2. ſeſſ. 5. de reform.* innovatur, *quid dicendum cùm fere nullus hoc tempore reperiatur Epiſcopus, qui per ſeipſum populo ſibi commiſſo prædicet Sanctum Dei Evangelium? Et an requiratur, ut ſit in Sacro Ordine conſtitutus is, cui hoc munus committitur? Ubi de modo præpicandi. Quomodo differant ineptitudo, & ignorantia? Sancti Epiſcopi docti, inepti tamen ad concionandum. Qualis prædicatio Epiſcopis injungatur? De Miniſtrorum deputatione ad prædicandum. Munus prædicationis animarum curæ annexum. An committi poſſit ſimplici Clerico, laico, mulieri? Prædicatio quibus competat jure proprio? Peccant mortaliter qui Concionatores non idoneos eligunt. Quibus ſaltem diebus prædicandum? Concionator quæ docere debeat? De Eccleſiis Parochialibus ſubjectis Monaſteriis in nulla Diœceſi exiſtentibus. Quid de Concionatoribus regularibus? Conſuetudo deputandi Concionatorem obſervanda. Epiſcopus in Regularibus quid hac in re facere poſſit? De Concionatoribus, errores, aut ſcan-*

scandala seminantibus hæreses prædicantibus. Privilegia prædicandi quomodo nulla sint?

1 DE prædicationis munere habetur *in sess.* 24. & in Sacris Canonibus multis in locis de circumspectione, qua verbum Dei tractandum est, deque illius excellentia, & attentione circa illud adhibenda multa recensentur *qu.* 1. *can. interrogo vos, fratres.* Concionator quippè debitor veritatis appellatur, quam a Deo audivit, si alter fecerit, proditor erit, *can. noli timere* 11. *quæst.* 3. proque ingenio discentium prædicare debet, *can. oportet quæst.* 1. ac operibus etiam docere tenetur, Prosper. *de vit. contemplat. lib.* 1. *cap.* 15. *can nemo* 20. *dist.* 81. & *can. quid* 6. *dist.* 50. & *can. quid est dist.* 43. *can.* 8. *q.* 1. Est enim minus necessarium, quia finis lectionis Sacræ scripturæ est prædicatio Evangelica, cùm in ipsa præcipua parte cura animarum consistat, *c. quia nonnulli vers. in his præsertim de Magistr.* & *cap. super speculæ eod. tit.* & *Clem eod.* Anima siquidem spirituali cibo æquè ut corpus materiali nutrienda est, *d. c. inter cætera de offic. Ordin.* cibumque spiritualem non aliud, quàm Sacramenta, & Dei verbum, quod prædicatione explicatur, esse fatendum est. Adde quod fides ex auditu, auditus autem per verbum Dei. Quomodo autem audient sine prædicante ad *Roman.* 10. & *dist.* 47. *per totam*. Ideoque præcipuum Episcoporum munus est ex Tridentino *d. c.* 2. *sess.* 5. & *d. sess.* 24. Atque adeò non excusat eos impedimentum ignorantiæ.

2 Pro responsione supponendum est differre inter se ineptitudinem, & ignorantiam. Sunt enim ut plurimum Episcopi docti, & sacris literis, Pontificioque jure eruditi, tamen ad concionandum ita parum apti, ut ludibrio, ac derisui potius essent auditoribus ita, ut ad populum loquentes scenicum quiddam exhibent non aliter, quàm histriones, quorum actio nisi placeat populo, non optimo judici, sibilis ejiciuntur è proscenio. Atque interdum audiuntur indecoræ acclamationes, incompositæ manuum jactationes, aliique turbulenti gestus, sibili, cachinni si quid displiceret, aliaque, quæ vulgus, è theatris ac circis secum ferunt in Ecclesiam Dei. Queritur de hoc frequentius Joannes Chrysostomus, nonnunquam Hieronymus. Isti igitur detineri justo impedimento censendi sunt.

3 Neque hoc in Ecclesia caret exemplo, sanctus Antoninus Archiepiscopus Florentinus, egregius Theologus, Canonista Historicus, a prædicatione abstinuit, qui non propterea doctorem non fuisse dicendum est: Alexandrinam Ecclesiam suos proprios prædicatores habuisse, legimus, Clementem Alexandrinum, Origenem, aliosque multos, & Chrysostomus in Ecclesia Antiochena Flaviano Episcopo Diaconus, mox presbyter concionator fuit. Severianus Episcopus Gaballiensis, & Antiochus Episcopus Tholominæ suorum temporum prædicatores insignes, Constantinopoli ab Imperatoribus frequentissimè audiebantur. Neque ob id Episcopi doctores dicendi non sunt. Quia sicut ait Theodoretus *in Epist.* Pauli ad Titum doctor amplectitur eum, qui secundùm doctrinam, & fidelem sermonem, potens est exhortari in doctrina sana, & eos, qui contradicunt arguere.

4 Potest etiam dubio responderi, Sacrum Concilium in *dict. cap.* 1. *sess.* 5. injungere Episcopis, quod nemo est, qui non possit, nempè familiariter de his, quæ ad salutem pertinent, ad populum verba facere, quod non tantam aptitudinem, & facundiam requirere videtur. Advertendum tamen, non hinc sequi, nullum esse discrimen inter Episcopi, & Parochi sermonem. Nam etsi uterque familiariter loquitur, Parochus tamen ad infima quæque se debet dimittere non item Episcopus, cùm ad illum audiendum non solùm infimam plebem, sed & proceres ac scientia præditos convenire credendum sit, cumque ipse sapientibus, & insipientibus sit debitor de rebus gravioribus ad religionem, ac divinum cultum pertinentibus, de suo regimine, deque moribus Civitatis reformandis illi tractandum erit, & hæc omnia, quæ dicit Episcopus, ex dignitate, sermonisque gravitate pronuncianda erunt, non tamen ea ratione, sicut formati prædicatores. Exquibus apertè constat ignorantia laborantes omninò removendos, ut *in c. nisi cum pridem de renunc.* & *c. ult. de ætat.* & *qual.* Hinc dicitur ad Timoth. *attende tibi*, & *doctrinæ*.

5 Ad secundum si prædicatio est necessaria, ergo pariter deputatio ministrorum, ac cæteri legitimi ministri prædicationis assignandi sunt. Non enim æquum est, dixerunt Apostoli discipulis *Act.* 6. *Nos derelinquere verbum Dei, & ministrare mensis: nos verò orationi, & ministerio verbi instantes erimus*. Ad hoc respexit Concilium Carthaginense 4. *cap.* 20. *in can. Episcopus* 3. *dist.* 88. dicendo, Episcopus nullam rei familiaris ad se curam revocet, sed lectioni, orationi, verbi Dei prædicationi vacet; & sicut mundi primordio ministros prædicationis prophetas sanctos Deus delegit, sic postremò ut pariter Ecclesiæ consuleret, dedit alios Apostolos, & Doctores, cumque Apostolis primò dictum fuerit; ite, prædicate Evangelium omni creaturæ, hinque per legitimam successionem, manuumque impositionem successerint Episcopi, ipsorum propriè hoc prædicationis munus esse fatendum est, ut notat Sanctus Thomas 3. *p. q.* 67. *art.* 2. *ad* 1. Hinc Apostolus, *Veh mihi, nisi evangelizavero*, & in Episcoporum consecratione, *Vade*, & *prædica populo tibi commissо*.

Dies in ordinatione presbyteri etiam dici, ipsum 6
oportere prædicare, fateor talia verba denotare potestatem prædicandi.

Objicies iterum. Munus prædicandi in animarum cu- 7
ra censeri commissum, *cap. quod Dei timorem de stat. Monach. cap. cum ex injuncto de hæret.* Respondeo censeri, si curatus sciat prædicare, non tamen id ab ipso exigi, quod ab Episcopo minimè potest; & colligitur ex *d. c.* 2. *sess.* 5. & *d. cap. inter cætera de offic. Ordin.* cùm prædicare ipsorum necessarium, ac proprium sit officium, & jure meritò, quia si non certis personis id demandatum esset, omni vento doctrinæ fluctuantes circumferremur, & facile deciperemur ab iis, de quibus Hierem. *Non mittebam Prophetas, & illi currebant, non loquebar ad eos, & ipsi prophetabant*. Ad hæc cùm prædicantibus fides adhibenda sit, dicente Christo: *Qui vos audit, me audit, qui vos spernit, me spernit*, si unicuique passim prædicare fas esset, prædicatio quidem humanum, non Dei verbum dici posset. Quod sanè dicendum non est. Ex quibus colligitur in Ecclesia Dei esse Episcopos, iisque munus hujusmodi de jure divino competere: Verùm cum liquidò constet ex legitima causa, justisque impedimentis licere Episcopis prædicationis exercitium alteri demandare, is, cui demandatur, censendus est, non propria, sed aliena, & demandata potestate prædicare.

Ex his respondeo ad secundum cum Sacra Congrega- 8
tione, committi posse id munus simplici Clerico, cùm ex dictis clarè constet, esse actum jurisdictionis, non ordinis. Hinc multa deducuntur. Primò, Curatum, licèt sit simplex Clericus, non posse prohiberi, quin populo suo prædicet. Secundo, laicum excludi *can. adjicimus* 16. *q.* 1. & *c. sicut de hæret.* Id tamen locum non habet, si a Deo quis mitteretur, quod signis demonstrabit *d. c. cum ex injuncto*.

Objicies ex *d. cap. sicut*, *v. præsumant eod. can. adjici-* 9
mus, *v. audeat*, & *ex can. mulier dist.* 23. quod laicus, præsentibus Clericis, nonnisi ipsis rogantibus, debet prædicare. Respondeo, a multis viris sanctis id factum, licèt eorum facta, qui spiritu ducuntur, in exemplum deduci non debeant.

Tertiò, deducitur, mulierem hujus muneris esse inca- 10
pacem, *d. can. mulier*, *can. quamvis de consecr. dist.* 4. Doctores in locis hic citatis, nominatim Cardin. *in Clem. Dudum de sepult.*

Sit itaque conclusio, prædicationem non competere 11
jure proprio, nisi ex pastorali officio, cæteris ex delegatione, Superioris authoritate, *cap. excommunicamus*, §. *Quia verò de hæret.* Unde solus Papa non habenti curam animarum sive sæculari, sive regulari Clerico, ut ibique terrarum, & locorum possit prædicare potest concedere, cùm solus Papæ pastoralis cura totum Orbem respiciat, Episcopus in sua tantùm Diœcesi, Curatus in sua tantùm Parochia, qui nonnisi de licentia & approbatione Episcopi prædicet, ut in *dict. cap.* 2. *sess.* 5.

Notandum autem est, quod mortaliter peccant qui 12
ex negligentia non idoneos eligunt, cùm districtæ subjaceant ultioni, Doctores *in d. c. Inter cætera de offic. ordin.* His nominibus Archipresbyteros, omnesque inferiores, curam animarum habentes comprehendi, existimandum est, qui per se, vel per alios hujusmodi munus subire debet. In dicto tamen *cap.* 2. *sess.* 5. censuit Sacra Congregatio, non loqui de prædicatore formato, sed de Sacerdote Curato, qui inter Missarum solemnia conversus ad populum habet sermonem, ut patet ex iis, quæ sequuntur de pœna suspensionis in negligentes, subtractione fructuum, honesta mercede persolvenda Coadjutoribus deputatis, & ex iis, quæ habentur in *sess.* 24. *cap.* 4. Adde, quod ex Divo Thoma 2. 2. *q.* 184. *art.* 8. ibique Cajetano, & Soto *de justit.* & *jure lib.* 10. *q.* 2. Parochi docere debent orationem Dominicalem, & Symbolum tantùm Apostolorum, aliter tamen dicendum esset, si in aliqua Ecclesia Concionator conduci soleret, quod prævia licentia, & approbatione Episcopi faciendum est.

Idque diebus saltem Dominicis ex *d. c.* 2. *sess.* 5. & *in* 13
can. 19. *de script.* 6. *synod.* habetur, quod ii, qui præsunt Ecclesiis omnibus quidem diebus, sed præcipuè dominicis,

nicis, omnem Clerum, & populum docere debeant, & ex Concilio Maguntino *cap.* 25. quod nunquam desit, diebus dominicis, aut festivitatibus, quia verbum Dei prædicet, ad quod respexisse videtur Sacrum Concilium Tridentinum *d. cap.* 2. Dum dixit pro sua, & eorum capacitate pascant, *& can. oportet* 8. *quæst.* 1. Dum dicitur pro ingenio discentium prædicare debere, alioquin ut dicitur *in can. dispensatio dist.* 43. non audientium utilitatem, sed suam ostentationem quærunt, quod est contra Apostolum dicentem, *Lac dedi vobis in potum, non escam.* Tempus concionandi habetur *in d. cap.* 4. *sess.* 24. & meritò cum *in d. cap.* 2. *sess.* 5. agatur tantùm de Parochò, non de Prædicatore formato.

14 Docere autem Concionator debet ea, quæ scire omnibus necessarium est ad salutem ex *d. cap.* 2. *sess.* 5. De modo prædicandi verbum Dei, & quæ sunt prædicatoribus prohibita, habetur ex Concilio Lateranensi *sess.* 11. sub Leone X. Patresque in Concilio Tridentino dixerunt, prædicatores non debere dividere materias, & una die arguere, ac sequenti confutare, sed sequendam Beati Francisci Regulam, qua fratribus ejus præcipitur, ut sint examinata, & casta eorum eloquia ad utilitatem, ac ædificationem populi, annunciando ei vitia, & virtutes, pœnam, & gloriam, ut habetur in *cap. Exiit §. habetur de verb. signific. in 6.* Cumque brevitate, & facilitate sermonis. Quia sacri prædicatores ad utilitatem, non ad ostentationem debent prædicare, *can. olim 8. quæst.* 1. ex Augustino contra Faustum *lib.* 32. *cap.* 18. Cavere etiam debent, ne Prælatis detrahant *Clem.* 1. *de privil.* neque auditores detrahere a decimarum solutione sub pœna excommunicationis, *c.* 1. *de decim. in 6. & Clem. cupientes de pœnit.*

15 Subdit autem idem Sacrum Concilium *d. cap.* 2. *sess.* 5. *Si quæ vero Parochiales Ecclesiæ reperiantur subjectæ Monasteriis, in nulla Diœcesi existentibus, si Abbates, & regulares Prælati in prædictis negligentes fuerint, a Metropolitanis, in quorum Provinciis diœceses ipsæ sitæ sunt, tanquam quoad hoc, Sedis Apostolicæ delegatis, compellantur, neque hujus decreti exequutionem consuetudo, vel exemptio, aut appellatio, aut reclamatio, sive recursus impedire valeat, quousque desuper a competenti Judice, qui summariè, & sola facti veritate inspecta, procedat, cognitum, & decisum fuerit.* Hoc videtur novum decretum, ut Metropolitanus horum negligentiam suppleat, & corrigat. Sed fortè factum, quia hujusmodi superiores habentes jura Episcopalia, & tanquam Episcopi in sua jurisdictione explicanda, considerentur. Unde sicut Metropolitanus supplet negligentiam Episcoporum suorum in Provincia sua, ita conceditur, ut possit eorum, quorum Superiores in nulla Diœcesi existentes pleno jure Episcopalem jurisdictionem exercent. Metropolitano visitando Ecclesiam nullius Diœcesis *sess.* 24. *cap.* 9. datur facultas viciniori, cùm nullus locus reperiatur, qui non sit in aliqua Diœcesi, ideò præsumitur pro viciniori. Esse enim nullius Diœcesis est, vel ex immemorabili consuetudine, vel ex privilegio, & hanc sententiam sequuta est Congregatio Concilii in multis casibus. Eadem Sacra Congregatio Concilii in Calaritana. Abbas, qui habet in suo territorio jurisdictionem privativè, debet ad Episcopum tàm eos, qui licentiam prædicandi obtinere voluerint, quàm alios ad confessiones approbandos in Ecclesiis Abbati subjectis ipsi Episcopo offerre.

16 In Cremonensi Præpositus, etiam exemptus non habet facultatem impertiendi benedictionem prædicatoribus.

17 In Calaritana, Rectores, & Beneficiati alicujus Ecclesiæ Parochialis sæcularis, subjectæ alicui Regulari, non poterunt in dicta Ecclesia prædicare sine licentia Episcopi. In Salernitana, si adsit consuetudo, ut in Ecclesiis Regularium verbum Dei prædicetur, servanda erit, & si haberi poterunt fratres illius Ordinis, cæteris paribus præferendi sunt, alioquin alii alterius Ordinis deputari debebunt, a Regularibusque illius Monasterii recipiendi erunt.

18 Regulares verò, licèt a suis Superioribus sint approbati, quibus eorum vita, & mores sunt noti, bonus enim Rector cognoscit oves suas, & a quibus licentiam obtinebunt, *cap. quàm sit laudabile de judic.* quod ampliatur *d. cap.* 4. *sess* 24. attamen nequeunt prædicare, etiam in Ecclesiis sui Ordinis, Episcopo contradicente. Sed non sine causa debere Episcopum contradicere, censuit Sacra Congregatio. Licentia ab Episcopo concedenda est, etiam in illa Ecclesia, cujus Superior esset exemptus, nisi esset nullius Diœcesis. Tunc talis licentia Prælato illius loci nullius Diœcesis competeret, quemadmodum Sacra Congregatio censuit, & derogatur *Clementinæ dudum §. In Ecclesiis autem, de sepult.* Hæc ipsa etiam servanda sunt, si Regulares in Ecclesiis, sive suorum, sive non suorum Ordinum voluerint in Ecclesia publicè Sacram Scripturam legere sicut sacra Congregatio respondit.

Notandum tamen ex sententia Sacræ Congregationis, 19
quod præsuppositâ consuetudine, ut Episcopus deputare possit prædicatorem alicui populo suæ Diœcesis, eam esse observandam. Non potest tamen Episcopus Regulares compellere, ut extraneum in suis Ecclesiis concionatorem admittant, sed si prædicatores ejusdem Ordinis idonei haberi possint, cæteris paribus, ab Episcopo esse præferendos. Nec poterit ex eadem Sacra Congregatione Ordinarius ad libitum, & sine rationabili causa suspendere quemquam a prædicatione.

Si autem, quod absit, prædicator errores, aut scan- 20
dala disseminaverit, Episcopus ei prædicationem interdicat, si hæreles prædicaverit secundùm juris dispositionem, aut loci consuetudinem procedat ex *d. capit.* 2. *sess.* 5. de scandalosè, & hæreticè prædicantibus, de quibus *Clem.* 1. *de privileg. & excess. Prælat. & Clem. cupientes de pœn. cap. ad abolendam*, ibique Gloss. *fin. de hæret.* Censuitque Sacra Congregatio a Sede Apostolica non esse derogatum huic decreto Sacri Concilii, nisi in ipsis privilegiis appareat expressa dispositio contraria.

Privilegia prædicandi nulla sunt, nisi preces veritati 21
nitantur, *cap. ex part.* 1. *de rescript.* Item propter ambitionem subrepta, & obrepta censentur, Innoc. *in cap. Dudum de privileg. cap. ad audientiam* 2. *de rescript.* Item non sine ratione ea Sedes Apostolica concedit *cap. sane*, ibique Glos. *de privil.* Item nota, quod in quæstione de privilegiis a Sede Apostolica concessis, ad ipsam Sedem Apostolicam recurrendum *& capit. Cùm venissent de judic.* & Glos. *in d. capit. ex parte de rescript.* De his, ac de quæstoribus vide alia, quæ alibi diximus.

CONSULTATIO CLII.

De facultate concessa Episcopis, aliisque majoribus Prælatis visitandi Ecclesias quascunque, quibuscumque non obstantibus. Ad id decreta Sacræ Congregationis Concilii. Error Typographi in Decreto Sacri Concilii. Quænam Capitula in Concilio comprehendantur? An tollatur immemorabilis? An etiam concordiæ. Quænam concordiæ præferuntur? Quid de juramentis? Quando Episcopus per se ipsum solum, quando per alios visitare possit? Quid de jure communi? An aliud sit visitare Episcopum cum Capitulo, & aliud cum aliquibus de Capitulo? De visitatione Ecclesiæ Collegiatæ omninò exemptæ a jurisdictione Abbatis. Quid si Abbatia esset nullius Diœcesis? Quid si Episcopus in visitatione juramentum, ac depositiones testium in scripturam redigere voluerit? Quo in loco Episcopus visitare possit Capitulum? Decanus, & Capitulum potest cumulativè ipsum Capitulum visitare. Et quomodò? Quænam decreta in visitatione Capituli Episcopus condere possit? An decreto capit. 4. *sess.* 6. *Sacri Concilii obstent privilegia ex fundatione? Quos adjunctos poterit sibi Episcopus assumere in visitatione personarum sui Capituli? Ecclesias exemptas quomodo Episcopus visitare teneatur? Portionarii, alique, qui Canonici non sunt &c. quomodo jubjaceant Episcopo?*

IN hac re Sacrum Concilium Tridentinum *sess.* 6. *cap.* 1
4. *de reformat.* ita decernit: *Capitula Cathedralium, & aliarum majorum Ecclesiarum, illorumque personæ nullis exemptionibus, consuetudinibus, sententiis, juramentis, concordiis, quæ tantùm suos obligent authores, non etiam successores, tueri se possint, quominus a suis Episcopis, & aliis majoribus Prælati per se ipsos solos, vel illos, quibus sibi videbitur, adjunctis, juxta canonicas sanctiones, toties, quoties opus fuerit, visitari, corrigi, & emendari, etiam authoritate Apostolica, possint, & valeant, & sess.* 14. *c.* 4. *de reformat.*

Hæc autem facultas extenditur etiam extra visitatio- 2
nem *sess.* 25. *cap.* 6. *de reform.* & ampliatur ex decreto *cap.* 4. *sess.* 6. dispositio *cap. irrefragabilis de offic. ordin §. excessus*, ubi erat præmittenda monitio, & postmodum Episcopus corrigebat, hodie verò ex hoc decreto per se solùm, vel aliis sibi adjunctis, si ei videbitur, visitare, & corrigere poterit.

Fuit autem dubitatum, an in hoc decreto subesset er- 3
ror typographi, cùm *cap.* 6. *sess.* 25. ad hoc *cap.* referatur. In illo autem nulla, ut in hoc fit mentio de majoribus Ecclesiis, quæ supra Episcopales consueverunt intelligi, sed de Cathedralibus, & Collegiatis? Respondit Sacra Congregatio, subesse errorem, &

majo-

majoribus hoc loco intelligendas Collegiatas, quas illud in specie expressit, hoc in genere.

4 Exemptionibus, aliisque quibuscumque non obstantibus. Unde Sacra Congregatio Concilii censuit, accedente etiam Rotæ sententia, hoc decreto, & *dict. cap. 6. sess. 26.* Cocilium non solùm comprehendere Capitula exempta, sed etiam quævis alia, prætendentia se posse tueri adversus visitationem, si vigore consuetudinum etiam immemorabilium, sive sententiarum, sive juramentorum, sive concordiarum, quæ suos tantùm obligent authores, non etiam successores, quominus a suis Episcopis visitentur. Quæsitumque fuit, an tollatur immemorabilis, de qua in hoc decreto non fit mentio, sed in *dict. cap. 6. sess. 25.* Sacra Congregatio respondit, tolli, quia omnes derogationes, de quibus in *d. cap. 6.* extenduntur ad dispositа in hoc decreto.

5 Censuitque eadem Sacra Congregatio hoc decreto, concordias confirmatas a Sede Apostolica non comprehendi, & stante hac declaratione Sacræ Congregationis, quærenti, an intelligantur præservatæ concordiæ in forma communi, an verò illæ tantùm, quæ emanarunt ex certa scientia, & cum causæ cognitione? Sacra Congregatio respondit die 13. Decembris 1586. intelligi illas tantùm confirmationes præservatas in decretis Concilii, quæ emanarunt ex certa scientia, & cum causæ cognitione. Et videtur Sacra Congregatio Concilii sensisse, verba illa, concordiis, quæ tantùm suos obligent authores, referri ad concordias, & non ad juramenta. Unde Gregorius XIII. in sua Constitutione data Romæ 1584. Pontificatus anno 13. loquitur in hæc verba: *Decernentes eos, qui talia juramenta, scilicet contra decreta Concilii Tridentini, scienter præstiterint, usu, & commodo rei, & gratiæ, cujus causa juraverint, privatos esse; alios verò ignorantes, ad præstitorum juramentorum hujusmodi observationem minimè teneri, nec non irritum, & inane quicquid secus per quoscumque scienter vel ignoranter attentatum est, hactenus, & deinceps contigerit attentari.*

6 Idque per se ipsos solos, vel illis, quibus sibi videbitur, adjunctis. Hinc ex sententia Sacræ Congregationis, si Episcopus voluerit visitare ex hoc decreto, debet ipse personaliter agere, secus si ex aliis Concilii decretis, cùm per suum generalem Vicarium, aut Visitatorem id agere possit, si modo legitimè impeditus fuerit, permissum est *cap. 3. sess. 24.* etiamsi de visitandis exemptis ageretur, cùm *d. cap. 3.* exemptiones sustulerit, etiamsi de visitandis hospitalibus ageretur juxta *cap. 8. sess. 22.* Censuit etiam Sacra Congregatio, Episcopum in visitatione Capituli suæ Ecclesiæ Cathedralis non teneri assumere aliquos ex gremio Capituli, sed posse, vel per se ipsum visitare, vel aliis, quos voluerit extra Capitulum adjunctis.

7 Juxta tamen canonicas sanctiones, quibus ex verbis Rota dixit contra prudentem Sacræ Congregationis declarationem, Episcopum, sicut de jure communi teneri per Text. in *cap. ut juxta*, ubi Doctores, *de offic. ordin.* adjungere sibi in visitatione aliquem ex suis Canonicis. Unde reprobavit consuetudinem, secundùm quam per se ipsum deberet visitare in Extravag. Bonifacii VIII. quæ incipit, *Debent*, *de offic. ordin.* sic etiam ad id teneri post Concilium, intelligendo decretum Concilii secundùm terminos juris communis ad quod videtur respexisse in illis verbis, *quibus sibi videbitur adjunctis, juxta canonicas sanctiones*. Nec obstare illa verba *per se ipsos solos*, utpotè quæ non excludunt Capitulares propter conjunctionem, quam habent cum Episcopo, *cap. novit, de his, quæ fiunt a Præl. sine Cons. Capit.* Nec alternativa, *vel illis, quibus sibi videbitur adjunctis*, quasi declarentur per subsequentia juxta canonicas sanctiones ut intelligi debeant de extraneis. Contrariam tamen Congregationis sententiam, quam modò retulimus, probavit Gregorius XIII. Tum quia hoc expressè permittunt illa verba, *per se ipsos solos*, excludentia etiam illos de Capitulo, ut patet ex *d. Extravag. Debent*, ex qua videntur desumpta. Tum quia aliàs cessaret arbitrium, Episcopo tributum, ibi: *Vel illis, quibus sibi videbitur*. Et quamvis interdum dispositio loquens de solo Episcopo ratione conjunctionis, non excludat Capitulum; dicendum tamen est, id procedere in materia, quæ communiter explicatur. Capitulum autem seipsum visitare cum Episcopo novum est.

8 Si dicas, aliud esse, Episcopum visitare Capitulum cum Capitulo, & aliud cum aliquibus de Capitulo, jam cessabit ratio conjunctionis Episcopi cum toto Capitulo, non cum singulis, *d. cap. ut juxta de offic. ordin.* loquitur de visitatione alterius Ecclesiæ, quàm Cathedralis, prout declarat Glos. in *d. Extravag. Debent.*, *v. religiosa*, ubi ait, secus esse in visitatione Cathedralis, quam ideò visitare faciliùs potest solus, quia præsumitur habere notitiam personarum, & si velit aliquas sibi adjungere, convenientiùs eligit extraneos, quàm capitulares, ne se commitat suspectis, prout considerat ibi Bonifacius. Et quatenus tantùm secundùm antiquos canones debuisset Episcopos assumere adjunctos ex Capitulo, Concilium tamen intendens removere omnia impedimenta visitationis, liberavit Episcopum hac necessitate.

Nec refragantur illa verba relativa, juxta canonicas 9
sanctiones, quia potius determinant subsequentia, ut sit sensus, Episcopus visitare posse, & corrigere juxta canonicas sanctiones, si opus fuerit *per se ipsos solos, vel illis quibus sibi videbitur adjunctis*, prout eadem verba habentur *in c. 4. sess. 14.* ubi determinant ipsam visitationem, & correctionem in *c. 10. sess. 24.* & alibi, quæ cummodè non possunt referri ad præcedentia de adjunctis, quia non proferuntur canones, in quibus statuatur Episcopum] in visitatione sui Capituli debere adhibere Canonicos, & propterea eos, qui sibi videbantur, & quatenus adessent, non erat necesse ad eos se referre, quando id Concilium disertis verbis expressit, argument. *l. doli clausula ff. de verb. obligat.*

Toties, quoties opus fuerit visitari, &c. In territo- 10
rio Abbatiæ de Covaruvias extat Collegiata insignis omninò exempta a jurisdictione Abbatis. Quæritur quis illam, an Episcopus Burgensis, cujus Diœcesis prætenditur esse Abbatia, an verò ipse Abbas possit visitare, corigere, etiam juxta *c. 6. sess. 25.* Sac. Congregatio Concilii censuit, hoc decretum in *d. c. 4. sess. 6.* & prædictum *cap. 6. sess. 25.* nullum jus Abbati tribuisse visitandi collegiatam, quia Capitula loquuntur de Episcopo tantùm, idcircò Episcopum posse visitare, si modo dicta collegiata est in Diœcesi Burgensi.

At quid si dicta Abbatia esset nullius Diœcesis? Tunc 11
dicerem, hanc facultatem spectare ad viciniorem Episcopum juxta *cap. 9. sess. 24.* quemadmodum etiam Sacra Congregatio sæpè in consimilibus judicavit. Ubi verò statutum inter Episcopum, & Capitulum est ab Apostolica Sede confirmatum circa exemptionem Capituli a jurisdictione Episcopi, Sacra Congregatio censuit, Episcopum, quando fit inquisitio, quæ vocatur præparatoria, non posse recipere juramentum a visitatis, non procedere ad capturam, nec mandare, ut detur copia testium, nec procedere ad ullum genus pœnarum, sed posse utique visitare solùm sine adjunctis. Quod si compilato processu, formato judicio, prout juris fuerit contra aliquem capitularem in casu, quo contra accusatum de crimine comprehenso in prædicto statuto, sive concordia, Apostolica authoritate confirmata, ad pœnam voluerit procedere, servandam esse concordiam.

Quid si Episcopus in visitatione juramentum & depo- 12
sitiones testium in scripturam redigere voluerit, præsertim si contineant crimina aliquorum de Capitulo, contra quos nonnisi cum adjunctis, est procedendum, juxta decretum *cap. 6. sess. 252.* Sacra Congregatio respondit, posse, & hanc facultatem visitandi extendi etiam ad res, & bona Capituli, ejusque administratores, & si administratio rerum, & bonorum inter Episcopum est communis cum Capitulo, alium modum præscribendum, nisi quod intra visitationis limites se contineat, & posse etiam Episcopum in visitatione procedere, & cognoscere de delictis occultis, ac secretis, nedum de scandalosis, & publicis. Præterea Episcopum non posse visitare in ædibus suis Episcopalibus, sed cùm visitare voluerit Capitulum, debere accedere ad locum, in quo capitulares congregari, & suos actus expedire consueverunt, si id tamen congruè fieri poterit, si minus ad locum congruum, & communem, sed non teneri accedere ad locum Capituli, quoties prosequi velit visitationem alicujus particularis personæ de Capitulo; si tamen Capitulum occasione visitationis convocare ipse voluerit, non posse extra locum solitum jubere illud congregari, ut dictum est. Item censuit Sacra Congregatio, Episcopum in visitatione notarium Capituli non teneri assumere. Item Episcopum in visitatione Capituli posse aliquod crimen corrigere, ac punire, non tamen ad pœnam, sed potius ad emendationem morum, cùm finis visitationis sit potius emendatio, quàm punitio. Quod si, compilato processu, & formato judicio prout juris fuerit contra aliquem in visitatione, Episcopus voluerit procedere, servare debet formam traditam in *dict. capit. 6. sess. 25.* ut non solus, sed adhibitis adjunctis procedat.

Neque hoc decreto *capit. 4. sess. 6.* prohibetur De- 13
canus, & Capitulum, quominus, si legitimè id sibi competat, visitare ipsum Capitulum, singularesque personas subjectas cumulativè cum Episcopo, seorsum tamen ab eo, nec poterit Episcopus denuò punire, & corrigere, qui aliàs legitimè in visitatione fuit punitus,

& correctus ab ipso Decano, non obstante, quod minus plenè punitus, vel correctus fuerit.

14 Notandum. Cùm Concilium de condendis statutis in visitatione nihil egerit, non præsumi majorem authoritatem dedisse, quàm ipsi visitanti de jure competit. In visitatione tamen licere debet ei decreta facere, etiam sine consensu Capituli, dummodò ea non præcipiat, in quibus jus commune requirit consensum Capituli.

15 Hoc autem decretum *cap.* 4. *sess.* 6. ita procedit, quod non obstent privilegia ex fundatione competentia, neque consuetudo immemorabilis ex Sacra Congregatione Concilii in Cremonensi 17. Maji 1574.

16 Eadem Sacra Congregatio in Seguntina. Episcopus poterit in visitatione personarum sui Capituli assumere adjunctos in actu visitationis, quos voluerit, etiam extra gremium Capituli.

17 Et in Palentina. Episcopus Ecclesias exemptas per seipsum visitare tenetur ex hoc decreto, non autem per suum Vicarium generalem, sed benè per ipsum ex decreto *cap.* 3. *sess.* 24. Quod procedit in non exemptis, 20. Augusti 1574.

18 In Boscoducen. Hoc decretum, quod mentionem facit de Cathedralibus, aliisque majoribus Ecclesiis, collegiatarum quoque Ecclesiarum Capitula omninò comprehendit, ut in *sess.* 25. *cap.* 6. expresè sancitum est Kalendis Aprilis 1570.

19 In Seguntina. Portionarii, aliique Beneficiati, Sacerdotesve ejusdem Ecclesiæ Cathedralis exempti, qui canonici non sunt, nec vocem habent in Capitulo, Episcopo subjacent, ac etiam extra visitationem corrigi, puniri, & mulctari possuut.

CONSULTATIO CLIII.

Quomodo excessus sæcularium Clericorum, & Regularium, degentium extra Monasteria, ab Ordinario loci corrigenda sint? Quæ requirantnr in corrigendis excessibus? Quomodo Ordinarius agere possit contra professores militiarum, etiam Religionis Hierosolymitanæ? Reformatio, & correctio an idem? Decreta.

1 ID habetur *in cap. irrefragabili de offic. ordinar. & sess. 6. cap. 3. de reform.* etiam ratione quorumcunque beneficiorum, quæ possident in aliena Diœcesi, exceptis iis, qui actu alicui militiæ adscripti sunt, juxta *cap.* 11. *sess.* 24.

2 Prælati autem Ecclesiarum ad corrigendum subditorum excessus prudenter, ac diligenter intendere debent. Ista enim duo in corrigendis excessibus requiruntur, Prudentia in observando modo, quam præscribit Concilium *sess.* 13. *capit.* 1. Diligentia, & tantò diligentius Prælatus assurgat, quantò damnabilius est offensas deserere incorrectas, *cap. qualiter, & quando de judic.*

3 Et nemo sæcularis Clericus cujusvis personalis, vel regularis, extra Monasterium degens, etiam sui Ordinis privilegii prætextu, tutus censetur, quominus si deliquerit, ab Ordinario loci, tanquam super hoc a Sede Apostolica delegato, secundùm canonicas functiones visitari, puniri, & corrigi valeat ex Sacro Concilio Tridentino *sess.* 6. *capit.* 3. & *sess.* 14. *capit.* 4. & 5. *de reform.* Quibus confirmatur decretum Concilii Chalcedonensis in *can. qui verè* 16. *quæst.* 1. ubi Monachi euntes per civitatem Episcopo subduntur, & *capit. quoniam de privilegiis* ut sæculares, & regulares, non obstantibus quibuscunque privilegiis, Episcopo subjaceant.

4 Tanquam super hoc a Sede Apostolica delegato. Ex quo censuit Sacra Congregatio, Ordinarium agere posse contra omnes professores militiarum, Hierosolymitanis privilegio Beati Pii Quinti dumtaxat exceptis, & si dicti extra locum suorum Ordinum de Superiorum suorum licentia degerent, id ipsum in omnibus Regularibus statuit. Est hoc in loco quæstio, an Ordinarius Regularem, jam diu extra claustra de sui superioris licentia, degentem, ab ipso alicui muneri exercendo præfectum, punire valeat, si in eo cum scandalo illum deliquisse comperiat? An potius ad ejus Superiorem puniendum remittere debeat juxta *capit.* 14. *sess.* 25. *de regular.* Sacra Congregatio respondit, posse ab Ordinario puniri.

5 Ad quæstionem verò, an Regularis, qui non est de familia alicujus Monasterii in Diœcesi si ibi delinquens fuerit repertus, debeat per Ordinarium corrigi, an potius ad Superiorem illius Monasterii, ubi delinquens divertebatur, an ad alium remitti, ad præscriptum *d. cap.* 14. *sess.* 25. *de regular.* Sacra Congregatio respondit, Concilium non considerasse Regularem, nisi extra vel intra Monasterium degentem tàm in *dict. capit.* 3. *sess.* 6. quàm in prædicto *cap.* 14. Unde differentia inter utrumque caput est, quod in *cap.* 3. Regularis delinquens, qui tamen extra Monasterium degit, potest ab Ordinario puniri, ibi verò in *cap.* 14. agitur de Regulari, qui notoriè intra, vel extra claustra delinquit, non tamen extra Monasterium degit.

An autem ab hujusmodi correctione detur appellatio, 6
latè diximus alibi. An Regulares degentes ex licentia suorum Superiorum in domo ad erectionem Monasterii destinata, comprehendantur sub dispositione dicti decreti *capit.* 3. adeout ab Episcopo, si deliquerint, puniri, & corrigi valeant? Sacra Congregatio censuit, nisi in ea Domo sub Superiore regulariter vivatur, comprehendi juxta canonicas sanctiones *d. cap. qualiter, & quando de accus. & d. cap. quoniam de privileg.* cum ibi notatis.

Et notandum, quod non est idem reformatio, & cor- 7
rectio morum, quemadmodum notatur in *d. cap. irrefragabili*. Quia, data potestate reformandi, non venit potestas corrigendi. In dicto autem *cap.* 3. *sess.* 6. datur facultas corrigendi mores; non obstantibus privilegiis, idque ne delicta remaneant impunita.

CONSULTATIO CLIV.

Quod Episcopus in aliena Diœcesi nec Pontificalia exercere, nec Ordines conferre valeat. Alieno Episcopo quatenus liceat exercere Pontificalia in aliena Ecclesia, & ministrare chrisma? An de licentia Capituli, Sede Episcopali vacante? Quid de ordinatione familiarium Episcoporum? Quidve de Abbatibus benedictis? Ordinati illegitimè ex cap. 5. *sess.* 6. *de reform. quas pœnas incurrant? Et quas Ordinantes? Vicarius an possit concedere licentiam, ut alienus Episcopus pontificalia exerceat in sua Diœcesi?*

EXtat hac de re decretum Sacri Concilii Tridentini 1
sess. 6. *cap.* 5. *de reform.* cujus hæc sunt verba: *Nulli Episcopo liceat, cujusvis privilegii prætextu pontificalia in alterius Diœcesi exercere, nisi de Ordinarii loci expressa licentia, & in personas eidem Ordinario subjectas tantùm. Si secus factum fuerit Episcopus ab exercitio pontificalium, & sic ordinati ab exequutione ordinum sint ipso jure suspensi.* Vide Concil. 1. Nicenum *cap.* 15. *ac* 6. Concil. 2. Arelat. *cap.* 13. Antioch. sub Julio I. *cap.* 3. Sardicense *cap.* 18. & 19. Carthag. 3. *cap.* 20. & 31. Aurelianense 3. *capit.* 15. *can. placuit cum seqq.* 7. *quæst.* 1. & Concil. Trident. *sess.* 14. *de reform. cap.* 2. 3. & 8. & pertractatur passim 9. *q.* 2.

Censuit tamen Sacra Congregatio licere alieno Epi- 2
scopo exercere pontificalia in aliena Ecclesia, & ministrare chrisma, & ordinare Clericos tum ejusdem Diœcesis, de licentia tamen Ordinarii, tum extraneos cum literis dimissorialibus suorum Ordinariorum, & hoc ipsum de licentia capituli, Sede Episcopali vacante, licere, non obstante *cap.* 10. *sess.* 7. quod voluit tantùm coarctare hanc facultatem intra annum. Nec obstare *d. cap.* 5. *sess.* 6. dum ait sine licentia Ordinarii, quia Capitulum hoc casu vice Ordinarii fungitur. Minusque obstat dictio illa *subditos*, sive *subjectos*, quandoquidem hæ dimissoriæ suorum Ordinariorum fecerunt illos subditos. Hinc idem Episcopus ex eadem Sacra Congregatione ordinare poterit familiares triennales, tàm Episcopi, in cujus Diœcesi exercet pontificalia, quàm alterius, si expressa adsit suorum licentia, cùm tales familiares, concurrentibus his, quæ in decreto *c.* 9. *sess.* 23. & in Constitutione Innocentii XII. exiguntur, de qua alibi, pro subditis habeantur.

Abbas verò benedictus, vel ex privilegio pro benedi- 3
cto habendus, facultatem habens exercendi pontificalia, & solemnem benedictionem populo dare poterit, & omnia illa Sacra benedicere, in quibus unctio non requiritur, in districtu tamen sui Monasterii, & Ecclesiæ, in qua habet jurisdictionem, extra verò varias benedictiones dare, reconciliare Ecclesias, & Cæmeteria, nonnisi de licentia Ordinarii.

Si verò in dicto loco suæ ordinariæ jurisdictionis, 4
dum minores ordines confert suis subditis regularibus, alios Regulares ad hoc, ut ordinentnr a suis superioribus missos sine consensu Ordinarii loci, ordinaverit, pœnam *d. cap.* 5. positam incurret. Quod enim in eo statuitur in Episcopos, multò magis statutum in Abbates dicendum est, cumque simpliciter dicat suspensos ab exercitio pontificalium, debet intelligi absolutè, non per annum dumtaxat, sicut in *cap.* 10. *sess.* 23. Quia quando Concilium voluit suspendere per annum tantùm, expressit, ut *c.* 2. *sess.* 14. & *c.* 8. *sess.* 23. Unde hic Abbas

ab

ab exercitio illorum actuum erit suspensus, quos pontificali dignitate, & authoritate exercebat, nempe a collatione ordinum, & aliis supra numeratis, non autem a divinis, quia uti Sacerdos celebrare poterit absque, eo, quod in irregularitatem incurrat. Ad exercitium tamen eorum, a quibus fuit suspensus, rehabilitatione indigebit.

5 Estque advertendum, sic ordinatos, & proinde ex *d. c.* 5. suspensos ab ordinum exequutione, si celebraverint, effici irregulares, ac indigere dispensatione, an dictus Abbas hos ordinando incidat in

6 Si quæras, pœnam *d. cap.* 10. *sess.* 23. Respondeo non incidere. Quia *cap.* 10. loquitur tantùm de concedentibus dimissorias, neque etiam incidit in pœnam *cap.* 2. *sess.* 14. Quia ibi agitur de Episcopis nullius; neque etiam incidit in pœnam *cap.* 8. Quia ibi loquitur quando sine testimonio Ordinarii; quin etiam nec Episcopus nullum habens Episcopatum, potest in Ecclesia suæ jurisdictionis, veluti si esset præpositura, sine expressa licentia Episcopi, intra cujus fines Diœcesis sita est præpositura, chrisma conferre, & alia pontificalia exercere, nec poterit Episcopus Pontificalia exercere in loco exempto qui sit jurisdictionis Episcopi, intra cujus Diœcesis fines est locus ille, etiamsi ille inferior prætenderet ratione exemptionis vocare Episcopum, quem maluerit, administrare Sacramentum confirmationis, dummodò locus ille exemptus sit intra fines Diœcesis alicujus secus autem si esset nullius.

7 Licentia verò debet esse expressa. Hinc Vicarium non posse præbere hanc licentiam, nisi habeat speciale mandatum censuit Sacra Congregatio.

8 Effata. In Mediolanensi 15. Aprilis 1575. Episcopus in alterius Diœcesi de licentia Ordinarii loci eos tantùm ordinare poterit, qui a suis Ordinariis dimissorias generales habent.

9 Nec idem Episcopus in alterius Diœcesi chrisma ministrare potest eadem die, eodemque anno.

10 Non licet Episcopo extraneo in aliena Diœcesi, etiam in Ecclesiis prætendentibus jurisdictionem Episcopalem ab immemorabili tempore citra, Sacramentum confirmationis, & Ordinis absque licentia Episcopi, vel aliud pontificale munus exercere.

11 Nec etiam poterit Prælatus inferior, etiam exemptus, hanc licentiam concedere, sed Ordinarius loci intelligi debet Episcopus ille, in cujus Diœcesi locus est constitutus.

12 In Aquilejensi 14. Junii 1569. non poterit etiam hujusmodi licentiam concedere. Patriarcha in locis alienę Diœcesis, ubi aliquas Ecclesias sibi immediatè subiectas habet, nec pontificalia munia ibidem obire.

13 In Bisinianensi. Per decretum *cap.* 5. *sess.* 6. non excluduntur Clerici aliarum Diœcesum, si suas literas dimissorias habent, quominus possint ab Episcopis extraneis in aliena diœcesi, de licentia Ordinarii pontificalia exercentibus, ordinari.

CONSULTATIO CLV.

Quinam sit Sacramenti Confirmationis ordinarius Minister? Quatenus Abbas illud conferre possit? Quis illius extraordinarius Minister? Definita a Pontificibus, & Conciliis generalibus dupliciter differunt. Quæ revocare nequeat Pontifex? In quibus Pontifex infallibilitatem non habeat? Quid possit Pontifex contra Concilia? Quomodo, & in quibus successores Pontificis, a Pontificæ non ligantur? De iis, quæ ad Ecclesiasticam disciplinam concernunt, quæve ad fidem. Decretum irritans appositum in Conciliorum decretis quanti roboris? Derogatio specialis Concilii an necessaria?

1 DE ordinario ministro Sacramenti Confirmationis fusè alibi disceptavimus ac liberè aliqua nunc dicemus ex Concilii Tridentini *can.* 3. *sess.* 7. *de confirmatione*, ita decernentis. *Si quis dixerit sanctæ Confirmationis ordinarium ministrum non esse solum Episcopum sed quemvis simplicem Sacerdotem, anathema sit, can. manus de consecrat. dist.* 5. Concil. Florent. *in decr. Eugen.* Innoc. I. *epist.* 1. *cap.* 3. Idem Trident. *cap.* 4 *sess.* 23. Concil. Senonense *de Sacram. Confirmat.* Guido de Monte Rocherii in manipulo Curatorum. *tr.* 3. *p.* 1. *c.* 1. Nicolaus Lyranus *in c.* 8. *Act. Apostol* Durandus a Sancto Pontiano *lib.* 4. *sentent. distin.* 7. *q.* 3. Gulielmus Durandus *in rational. divinar. lib.* 1. *c.* 9. Guibertus Tornacus *de offic. Episc. c.* 43. Sanctus Thomas Aquinas in *tract. de artic. fidei c.* 14. & contra *Gentil. lib.* 4. *c.* 66. Edmundus Cantuarienſis *in speculo Ecclesiæ c.* 14. *de Septem Sacramentis*, Innocentius III. I. Vicario apud Constantinopolim, & Patriarchæ Constantinopolitano, Petrus Lombardus *lib.* 4. *dist.* 7. Hugo Victorinus *de Sacramen. fidei lib.* 2. *p.* 15. *c.* 1. Robertus Ticinensis *lib.* 5. *de divin offic. c.* 16. Petrus Damiani *serm.* 1. *in dedicat. Eccles.* Abb. Floriacensis *vitæ S. Edmundi c.* 8. Rabanus Maurur *de institut. Cleri lib.* 1. *c.* 30. Vvalfridus Strabo *de rebus Ecclesiastic.* Concilium Parisiense *lib.* 1. *c.* 33. Haymo *homil. in fer.* 2. *Paschæ*, Carolus Magnus *lib.* 6. *legum cap.* 83. & *c.* 174. Alcuin. *de divin. offic. c.* 19. *de Sabbatho Sanctæ Paschæ*. Vuilabaldus Eistetensis *vitæ Sancti Bonifacii c.* 20. Sinodus Francica, Gregorius III. *epist.* 2. Ad Bonifacium, Marcellinus presbiter *vitæ S. Suviberti c.* 63. Beda *ad c.* 8. *Act. Apostol.* Gregorius Magnus *ib.* 3. *epist.* 9. Joann. Tertius ad Episcopos Germaniæ, & Galliæ, Leo I. *epist.* 88. Innocentius I. *epist. ad Decentium Eugubinum c.* 3. Hieron. *dialog. adversus Luciferianos c.* 4. Pacianus *epist.* 1. *ad Sympronianum*, Concilium Eliberinum *can.* 38 Melchiades ad Episcopos Hispaniæ, Cornelius Papa *epist. ad Fabium Antiochenum*, Urbanus I. *epist. ad universos*, Clemens I. *epist.* 4. Dionysius Areopagita *Eccles. hierarch. c.* 2. *p.* 2. & *p.* 3. Simeon Thessalonicensis *lib.* 2. *de Sacram.*

Extraordinarius autem Minister, est ille, cui Summus Pontifex id concederet. Unde Abbas habens ex privilegio Sedis Apostolicæ, ut Sacramentum confirmationis possit conferre, Gregorius XIII. audita relatione Congregationis Concilii, annuit, quod possit, de licentia tamen ordinarii. Et ex sententia ejusdem Sacræ Congregationis eidem Gregorius respondit, Abbatem habentem privilegium ea omnia, quæ spectant ad Episcopum, posse exercere, non posse Sacramentum confirmationis administrare, neque ordines conferre, cùm ea quæ sunt Ordinis requirant specialem mentionem, nec reperiuntur inferioribus Prælatis concessa. Et licèt exceptio firmet regulam, non tamen implicat ultra ejus naturam, ut comprehendat ea, quæ sunt aliàs reservata, & de quibus facienda est specialis mentio prout est confirmari. 2

Salva semper in omnibus sedis Apostolicæ authoritate, ut habetur in decreto de reformatione *dict. sess.* 7. & *sess.* 25. *cap.* 21. in fine. Quia, ut inquit Paschalis Secundus *in cap. Significasti de elect.* quicquid a Concilio manat Romanæ Ecclesiæ authoritate fit, ut roboretur. Hinc pro multorum, quæ objici solent, solutione, advertendum est. Cum definita a Pontificibus, Conciliis generalibus legitimè convocatis, & confirmatis in duplici constituantur differentia. Vel enim in credendis veritatibus versantur, & dogmata dicuntur. Vel in disponendis hominum actionibus eisque dirigendis, consistere videntur, & legum nomine comprehenduntur. Priora Papa neque revocare, neque eis contraria potest statuere. Posteriora verò, & revocare, eisque contraria concedere, ac promulgare potest. 3

Diversitatis ratio est, tum quia in dogmatibus constituendis Pontifex potestate infallibili nititur, qua fit, ut semel definitum, firmum, fixum, ratumque habeatur. Tum, quia veritatis fidei constantia mutationes non patitur. Quod enim verum est, semper verum esse necesse est. Non item in edendis legibus. Primò, quia in eis Papa infallibilitatem non habet, potestque eas hominum factis minus convenientes constituere. Deinde quia facta, circa quæ leges versantur, mutari consueverunt. Unde quæ olim opportunè judicata sunt diuturnitate temporis extabuisse videmus. Mutatis enim circumstantiis & facta mutantur *cap. non debet de consang. & affinit.* Sic tempus, quod multa secum defert ex rerum statu, multa commutavit in melius. 4

Olim clanculum in ædes privatas conveniebant pauci christiani; nunc in templum publicum, & consecratum congregantur omnes. Utrum decentius? Nimirum hoc. Olim in cænis sumebatur Eucharistia, in quibus, teste Paulo, alius esuriebat, alius ebrius erat; tunc a jejunis sumitur ad Sacram mensam. Utrum religiosus? Olim in Ecclesia alius habebat hymnum, alius Apocalypsim, alius Psalmum, alius loquebatur linguis, alius prophetabat, & interim garriebant mulierculæ; nunc certis hominibus distributa sunt officia, cæteri taciti, compositique auscultant, aut orant. Utrum religiosius? Olim in nocturnis vigiliis cursitabatur ad Sepulcrha martyrum a pueris, puellis, viris, monachis, uxoribus, sacris virginibus, at flagitia, quæ sub umbra pietatis admittebantur, persuaserunt, ut hoc vigiliarum genus tolleretur. Noctu populus obambulabat cum candelabris argenteis, canens hymnos, & interdum dum diversæ professionis sibi occurrebant chori, hymni versi sunt in rixam, candelabra in arma. An non igitur, & hoc rectè sublatum? 5

Olim corpus Domini dabatur in manum, ut domi, cum 6

cum vellent ſumerent, qui accepiſſent, at cùm exiſterent, qui tractarent indignè, qui ad artes magicas abuterentur, mutata eſt in melius conſuetudo. Olim populi ſuffragiis creabantur Epiſcopi, ejuſdem libidine dejiciebantur, interdum lapidabantur. Res erat plena tumultus, interdum & cædis. Itaque res ipſa perſuaſit, ut penes paucos, ac certos homines eſſet jus deſignandi Epiſcopos, aut etiam ſubmovendi. Olim totus populus canebat, & Sacerdoti reſpondebat, Amen. Ibi ſtrepitus tonitruo non abſimilis, & ridicula vocum confuſio ſpectaculum exhibebat indignum cultu divino; tunc deſignati ſunt qui canant decenter, cæteri pſallunt in cordibus ſuis Domino. Recens Eccleſia nullam ſpeciem muſices recipiebat, nec ſine reclamatione recepta eſt, ſed modulatæ recitationi ſimilior, quàm cantui, primum apud Græcos, deindè apud Latinos, cujus ſpecimen adhuc videre licet in precatione dominica, aut ſi quid aliud eſt ejus generis, nunc, ut eſt natura rerum humanarum, eò degeneravit uſus, ut in multis templis ferè nihil audiatur præter immanem boatum, aut ineptum vocum garritum, qui citius invitet ad laſciviam, quàm ad pietatis affectum. At non ideò muſica omninò ſubmovenda è templis, ſed quod pravè irrepſit, arte corrigendum eſt.

7 Sæculis aliquot abominabile cenſebatur in templis Chriſtianorum videri pictam, aut ſculptam imaginem. Id juxta illorum temporum rationem ſuadebat pietas partim ob Judæos, qui ex præcepto Dei deteſtabantur omnia ſimulachra alioquin proclives ad idolatriam, partim ob eos, qui ex gentibus venerant ad Evangelium, in quibus probabile eſt aliquandiu reſediſſe veteris inſtituti reliquias. Nunc imaginum, & ſimulachrorum uſus eò proceſſit, ut non ſolùm modum exceſſerit, verum etiam a decoro receſſerit. Videmus in templis, quæ parum decorè pingerentur, ſculperentur in porticibus, aut popinis. Nihil tamen neceſſe eſt in totum ſubmovere picturas, aut ſculpturas, quæ plurimum habent, & voluptatis, & ornamenti, & utilitatis, ſed quod eſt vitii, corrigendum erit.

8 Olim Eccleſia nullas habebat ſcholas publicas, dumtaxat in re theologica; ſolus Epiſcopus erat Doctor omnium. Sed quanto rei chriſtianæ bono inſtitutæ ſunt ſcholæ, præſertim apud nationes barbaras? Nunc quæſtus, & ambitio vitiavit hoc bonum, quæſtiunculis ad oſtentationem magis, quàm ad pietatem facientibus. An ideò tollendæ ſcholæ? Nequaquam, ſed ad Chriſtianam ſobrietatem revocanda ſunt ſtudia. Olim liberum erat monachorum genus; ſed cum increſceos turba ſe per Orbem ſpargeret, exordiis ab Ægypto profectis, multaque flagitia ſub obtentu pietatis committerentur, jamque per hos metueretur totius Eccleſiæ confuſio, neceſſariò redacti ſunt in vitæ genus adſtrictius. Olim adverſus hæreticos non pugnabatur, niſi gladio ſpiritus; verùm poſtea quam eò pervicacia ſtudiorum efferbuiſſet, ut res ad cruentum Orbis tumultum ſpectare videretur, coacta eſt Pontificum, Cæſarumque poteſtas legibus, & armis publico occurrere diſcrimini. Quid multis? Si Paulus hodie viveret, non improbaret, opinor, præſentem Eccleſiæ ſtatum, in hominum vitia clamaret.

9 Neque ex dictis ad Papæ impotentiam fas eſt arguere, eum non poſſe dogmata definita mutare. Nam ut dictum eſt, id ex ejus infallibilitate provenit, qua fit, ut ipſe in definiendo errare minimè poſſit. Cùm ergo dicitur, Papam non poſſe contra Concilia, Prædeceſſorum decreta ſtatuere, intelligendum eſt de iis, quæ fidei ſunt. Cùm verò a Conciliis Papam & ſucceſſores a Papa non ligari dicitur, intelligendum eſt de legibus, & Conſtitutionibus, ac iis, quæ communiter juris poſitivi nomine comprehenduntur. Et ad iſta reſpexit idem Paſchalis, dum dixit in *d. c. ſignificaſti de elect. par in parem non habet imperium.*

10 Ex quibus habetur qua ratione in Concilio Tridentino *cap.* 21. *ſeſſ.* 25. dicatur omnia, & ſingula &c. quę de morum reformatione, atque Eccleſiaſtica diſciplina in his Sedis Apoſtolicæ authoritas ſalva ſit, & eſſe intelligatur. Licèt enim Papa convocando, & poſtmodum approbando acta in Concilio, videatur ſe obligare, tamen quia ſunt quæ reformationem, & Eccleſiaſticam diſciplinam concernunt, loca, tempora, perſonas, circumſtantias reſpiciunt, jure poterit Papa aliter, atque aliter ſtatuere. Idipſum annuit idem Concilium Tridentinum in fine *de recep. & obſervatis decretis* Concilii in ultimis verbis ibi: *Vel commodiori quacunque ratione ei viſum fuerit, provinciarum neceſſitatibus pro Dei gloria, & Eccleſiæ tranquillitate conſulatur.*

Quod in Eccleſia non caret exemplis Hilarius in *ep.* 11
5. ad Aſcanium Epiſcopum diſpenſat in electione Epiſcopi facta contra quartum canonem Nicenæ Synodi ſine Metropolitano, & Simplicius *Epiſt.* 18. ad Senonem electionem factam contra canonem Niceni Concilii, quo ſtatuitur Epiſcopos in propriis Civitatibus, & Comprovincialibus ordinandos, approbavit.

Hinc infertur, non multum habere robur in Conci- 12
lii decretis decretum irritans contra Canonis authorem, qui eſt Papa, quominus poſſit diſpenſare, & in totum pro Eccleſiæ ædificatione abrogare, temporum conditionibus poſtulantibus, ut pulchrè per Divum Thomam contra *impugn. Relig. cap.* 8. propè finem, paſſimque Doctores in *can. ſicut diſt.* 15. & 25. *q.* 1. Et cùm dubitaretur, an non obſtantibus Concilii Tridentini aliquibus decretis, neceſſaria ſit ſpecialis derogatio in quocunque decreto, ubi Concilio eſſet derogandum? Reſpondit Sacra Congregatio ex ſententia Rotæ, Beato Pio V. comprobante, non eſſe neceſſariam, quia comprehenditur in cæterorum Conciliorum generalibus derogationibus. Et ex his etiam clarè conſtat, Concilium Tridentinum, qua parte derogat diſpenſationibus, non cenſeri derogaſſe diſpenſationibus poſt Concilium a Papa emanatis, etiamſi tales diſpenſationes ſpecialem non habeant derogationem, quicquid Rota dicat in derogationibus Concilii, Lateranenſis generalis Concilii requiri ſpecialem mentionem derogationis, ſed ſaltem ut generalibus Conciliis in genere derogetur.

CONSULTATIO CLVI.

1 *De tenentibus plures Cathedrales Eccleſias. Ubi an comprehendantur Cardinales? Quid de retinentibus plures Commendas, Beneficia, &c.*

2 *Quibus perſonis beneficia conferenda? Pœna in proviſum, & providentem. Quid ſi non reperiantur viri idonei?*

3 *De retentoribus plurium beneficiorum contra Canones. De quibus beneficiis id intelligatur? An de Commendis? Caſus in quibus pluralitas beneficiorum toleratur. Præſumpta diſpenſatio an habeat locum contra decreta Concilii? Vbi decreta.*

AD primum. Nemo quacumque etiam dignitate, 1
gradu, aut præeminentia præfulgens, plures Metropolitanas, ſeu Cathedrales Eccleſias in titulum, ſive Commendam, aut alio quovis nomine, contra Sacrorum Canonum inſtituta nempe *cap. Cum in cunctis. §. Cum verò de elect. Sicut de exceſſ. Prælat. can.* 1. & 2. 11. *q.* 1. *Sanctorum diſt.* 70. *can. unio* 10. *q.* 3. *cap. quia in tantùm, c. ad hæc, & c. de multa de præbend. cap. quia nonnulli de magiſtr. c. Cum ſingula de præbend. in* 6. *Clem. gratia de reſcript. cap. Execrabilis. §. Qui verò in Extravag. com. de præbend.* Concil. Trident. *ſeſſ.* 24. *c.* 17. *de reformat.* recipere, & ſimul retinere præſumat. Qui autem plures Eccleſias retinent, una, quam maluerint, retenta, reliqua intra ſex menſes, ſi ad liberam Sedis Apoſtolicæ diſpoſitionem pertineant, alias intra annum dimittere teneantur, alioquin Eccleſiæ ipſæ, ultimò obtenta dumtaxat excepta, eo ipſo vacare cenſeantur. Ita Sacrum Concilium Tridentinum *c.* 2. *ſeſſ.* 7. *de reformat.* Quod ampliatur, *c.* 17. *ſeſſ.* 24.

At quæritur, an comprehendantur Cardinales, cùm 2
hi comprehendi non dicantur, niſi eorum fit mentio, & præcipuè in odioſis? Sacra Congregatio dixit comprehendi, cùm ſimus in lege correctoria, & in materia peccati. Maximus enim abuſus eſt, ut, qui vix fructuosè unam Eccleſiam regere poteſt, alteram accipere audeat, cùm unuſquiſque in ſua Eccleſia reſidere teneatur ex eodem Tridentino *ſeſſ.* 23. *c.* 1. & Cardinalis etiam ad reſidentiam eſt adſtrictus.

An verò liceat detinere unam in titulum, alteram in 3
commendam, ut habetur in *can. relat.* 21. *q.* 1. cùm non prohibeatur, niſi plures habere in titulum, vel plures in commendam, & potiſſimum id non abhorret ab antiquis Canonibus *d. can. relatio*? Ex Sacræ Congregationis ſententia dicitur, non licere tum ex contextu dicti *cap.* 2. *ſeſſ.* 7. tum ex iis, quæ tradunt Doctores in regula de triennali poſſeſſione. Nam commenda in *d. can. relatio*, erat temporalis, & nomine depoſiti tenebatur, & Commendatarius non faciebat fructus ſuos, ut apertè còlligitur ex *epiſt.* 13. *lib.* 1. Beati Gregorii, ex qua hic canon deſumptus eſt, & ex pluribus aliis epiſtolis ejuſdem. Hodie verò cùm ſit perpetua, & omninò habeat rationem tituli, & fructus Commendatarius faciat ſuos, & nudum Commendæ nomen retineat, non eſt mirum, ſi cum alia Eccleſia, quæ habe-

habetur in titulum non possit simul detineri, neve Commendatarii habeantur veri Prælati, *cap. nemo de elect. in 6.* ibique Glossa, & Doctores. Neque alio titulo, veluti, ut esset procurator, *capit. Cum nobis de elect.*

4 Sed quæritur, an habens unam Ecclesiam, possit ad tempus alteram commendare, & sit nullius Ecclesiæ procurator *d. cap. cum nobis de elect.* Juxta supradictos terminos *d. can. relatio, & can. obitum d. 61. & l. Commendare ff. de verb. signific.* puto, posse, nec tali casu contra dictum *cap. 2. sess. 7.* dispensatur. Non enim quod ex necessitate fit, prohiberi potest, & ad tempus, non autem ad commodum recipientis, quod Concilium abhorret.

5 Ad secundùm. Ita etiam hac in re decernit Sacrum Concil. Tridentinum, *cap. 3. d. sess. 7. de reformat. Inferiora beneficia Ecclesiastica, præsertim curam animarum habentia, personis dignis, & habilibus, & quæ in loco residere, ac per seipsos curam ipsam exercere valeant, juxta Constitutionem Alexandrii Tertii in Lateranensi, quæ incipit, quia nonnulli, & aliam Gregorii Decimi in Generali Lugdunensi Concilio, quæ incipit, licet canon, editam, conferantur: aliter autem facta collatio, sive provisio, omninò irritetur, & Ordinarius Collator pœnas Constitutionis Concilii generalis, quæ incipit: Grave nimis, se noverit incursurum.*

In hoc decreto innovatur *cap. quia nonnulli, §. Cum igitur de Cleric. non residen.* quod Ecclesia sit conferenda illi, qui residere in loco, & curam ejus per seipsum valeat exercere. De qualitatibus requisitis ad dignitates, officia, & beneficia curata inferiora, vide *d. cap. Cum in cunctis de elect.* & Sacrum Concilium Tridentinum *cap. 12. sess. 12. de reformat.* ubi habetur de dignitatibus curam habentibus.

6 Item innovatur circa electionem eorum, qui regimen animarum susciptunt *cap. licet canon. de elect. in 6.* Denique ponitur pœna tàm respectu provisi, quàm conferentis contra supradictas Constitutiones. Quæ autem sit pœna respectu provisi habetur in textu *d. cap. 3. sess. 7.* respectu providentis est, quod incurrit pœnam suspensionis beneficiorum post secundam monitionem juxta *cap. grave nimis de præbend.* quod innovatur. Ex quo *cap.* Cùm dicatur, *cum possint viros idoneos ad Ecclesiastica beneficia promovere*, nota a contrario sensu, quid si non reperiantur idonei? Non idonei possunt assumi, ita tamen, quod non sint prorsus inidonei, ut inducatur peccatum, videlicet, si hi non callerent litteras, essent tamen bonis moribus præditi, nec Papæ rescribenti prius parendum est, quàm ipse de idoneitate assumendi certior fiat, *cap. cùm adeo de rescript.* ibique Doctores.

Ad tertium. *Quicumque de cætero plura Curata aut aliàs incompatibilia beneficia Ecclesiastica, sive per viam unionis ad vitam, seu Commendæ perpetuæ, aut alio quocumque nomine, & titulo contra formam Sacrorum Canonum, & præsertim Constitutionis Innocentii Tertii, quæ incipit, De multa, recipere, ac simul retinere præsumpserit, beneficiis ipsis juxta ipsius Constitutionis dispositionem, ipso jure, etiam præsentis canonis vigore privatus existat.* Ita Trident. *sess. 7. cap. 4. de reformat.*

7 Hac in re præmittendum est, quòd incompatibilitas beneficiorum alia dicitur in primo genere, idest quando ipso jure unum ab altero excluditur, itaut primum vacet ipso jure obtento secundo, sive ista repugnantia proveniat ex jure naturali, sive solo Ecclesiastico, ut sint duo Episcopatus, ex Trident. *sess. 7. cap. 2. de reform.* vel duæ dignitates, aut personatus, aut beneficia curata, *cap. de multa de præbend. d. Extravag. Execrabilis eodem tit.* Trident. *d. cap. 4.* Vel beneficia, aut præbendæ uniformia sub eodem tecto, *cap. literas de conces. præbend.* de quibus vide Less. *de just. & jur. lib. 2. cap. 34. num. 140.* Garz. *de benef. part. 11. cap. 5. a num. 67.* Layman. *lib. 4. tract. de benef. cap. 8. num. 3.*

8 Alia autem dicuntur incompatibilia in secundo genere, idest cum licitè se non compatiuntur in eadem persona, itaut teneatur in conscientia alterum dimittere, non tamen, ut vacent ipso jure. Ita supracitati Authores; ut duo simplicia beneficia, vel unum duplex, si alterum sit sufficiens ad vitæ sustentationem. *cap. is cui de præbend. cap. postulasti de rescript.* Trident. *sess. 24. cap. 17.* Item olim duo simplicia requirentia residentiam ut duo Canonicatus, vel portiones, vel alterum duplex, aut alterum obligans ad residentiam, ut Parochia cum Canonicatu, Layman. *loc. cit. num. 3.* cum multis Doctoribus, & idem tenet Sanchez *opusc. lib. 2. cap. 2. dub. 7. n. 8.* ubi plurimos allegat, qui omnes putant etiam hodie post Tridentinum *d. cap. 4. sess. 7.* procedere, sed contrarium est verius. Nam per Tridentinum hodie primum vacat ipso jure, si utrumque requirit residentiam personalem, ut ex Sacra Congregatione, & Rota probat Garz. *ibidem a num. 83.* Buratt. *decis. 119. num. 1.* & Sanchez *ubi supra dub. 6. a num. 22.*

Ex *cap. de multa, §. præsenti decreto de præb.* Si quis habens primum beneficium esset consequutus secundum incompatibile in primo genere, & contenderet etiam primum de facto retinere, ideſt si fuisset in mora primum dimittendi, erat non solùm ipso jure privatus primò ob vacationem supradictam, sed etiam per sententiam privandus secundo, ut per Sanchez *d. dub. 7. num. 7.* 9

Sed hodie *ex d. Extravag. Execrabilis, §. si verò §. quæ omnia de præbend. & ex regul. Cancellar.* atque ex Trident. *d. cap. 4. sess. 7.* in tali casu sive mora, ipso facto, etiam secundo privatus remanet in pœnam, & juxta probabiliorem, & in Curia Romana receptam opinionem procedit etiam de duobus simplicibus, residentiam requirentibus, ut per Garz. *loc. cit. a n. 83.* cum allegatis contra Sanchez, & Layman. 10

An autem hæc pœna, scilicet privatio secundi, obliget in conscientia ante sententiam declaratoriam, Doctores magis communiter affirmant, ut Sanchez *d. dub. 7. num. 4.* cum multis, & Garz. *d. parc. 11. cap. 10. a num. 18.* Gonzal. *glos. 15. num. 150.* Quia non videtur mera pœna, seu privans jure absolutè jam quæsito, sed est conditio resolutiva ab initio annexa. Alii tamen negant, quia dicunt esse privationem pœnalem juris quæsiti, neque dicendum esse secundum beneficium fuisse collatum sub ea conditione, & ideò dicunt secundi beneficii facere fructus suos, non tamen primi, Less. *dict. cap. 34. num. 143.* & multos pro hac allegat Garz. *dict. cap. 10. n. 8. & seqq.* Alii verò distinguunt, dicentes, non teneri quidem dimittere beneficium eo casu ante sententiam, sed fructus teneri in conscientia restituere ante sententiam. Ita Azor. *lib. 7. c. 17. q. 4.* Filliuc. *tr. 41. c. 8. n. 17.* At hæc sententia non sibi cohæret. 11

Ex eadem *Extravag. Execrabilis §. Quæ omnia*, cum Gloss. *v. Sedis Apostolicæ* illud secundum beneficium, quo privatur quis modo prædicto, remanet reservatum Papæ, ut per Garz. *d. p. 11. c. 5. n. 45. & 55.* ubi stylum quendam Curiæ refert in hac materia. 12

Supradictus malæ fidei detentor primi beneficii cum secundo incompatibili efficitur ipso jure inhabilis ad quæcumque beneficia Ecclesiastica ex dicta *Extravagant. §. Qui verò*, vide Garz. *ibidem n. 10.* Non tamen privatur aliis jam obtentis compatibilibus, Garz. *n. 17.* cum pluribus aliis. 13

Ex *d. Extravag. d. §. Qui verò deinceps*, qui secundum incompatibile obtinet, & primum non dimittit in manibus Ordinarii cum publico testimonio, statim post assequutionem possessionis secundi, vel si per eum steterit quominus hanc possessionem assequatur, ad sacros Ordines inhabilis efficitur. Ex quo apparet, hanc esse irregularitatem ex delicto, quæ ipso facto contrahitur, Specul. *tit. de susp. §. juxta n. 37. & §. dicendum num. 11.* Henriq. *lib. 14. cap. 9. §. 1.* Majol. *lib. 3. cap. 4.* Azor. *lib. 6. c. 13. q. 1. tom. 2.* Abb. *in c. dudum n. 23. de elect.* Layman. *dict. lib. 4. c. 8. n. 3.* Garz. *d. c. 5. n. 10.* 14

Sed nota, quod ista irregularitas est tantùm quoad Ordines suscipiendos, non quoad jam susceptos, Garz. *d. cap. 5. num. 17.* Unde dicitur irregularitas partialis, ut Laym. *lib. 1. tr. de irregul. n. 7.* & procedit solùm quoad ordines sacros, non quoad minores, ut patet ex textu cum Glossa Zenzelini super *verb. Sacros.* 15

Limita tres posteriores pœnas, ut non procedant contra detinentem duo simplicia obligantia ad residentiam, vel unum duplex, & aliud simplex, obligans ad residentiam. Quia Tridentinum illas non extendit, & in hoc procedit doctrina Sanchez, Laym. & aliorum. 16

Quæres, qui possit super incompatibilitate dispensare? Respondeo, si in primo genere solus Papa dispensat, Garz. *dict. part. 11. cap. 5. a num. 336.* Laym. *d. lib. 4. cap. 8. num. 9.* In secundo autem genere, si sint simplicia, non requirentia residentiam, an, & quando, & a quo requiratur dispensatio, vide Trident. *sess. 24. capit. 17. de reformat.* Garz. *ibidem n. 262. & 304.* Sanchez *d. cap. 2. dub. 6. num. 24.* Filliuc. *tract. 41. cap. 7. num. 24.* Causas autem dispensandi vide *d. cap. de multa de præbend. & d. extravag. execrabilis eod. tit.* 17

An autem consuetudo possit habere vim dispensationis, seu derogare incompatibilitati, vide Layman. *ib. n. 10. & 11.* An verò possidens bona fide duo incompatibilia cum titulo colorato, scilicet ex ordinaria collatione, juvetur regula de triennali, vide Garz. *d. cap. 5. n. 3.* Sanch. *d. l. 2. c. 1. dub. 31. n. 29.* Tenentur autem Ordinarii compellere obtinentes incompatibilia, ut ostendant dispensationem Papæ, aliàs tanquam vacantia aliis sunt concedenda. Denique adverte quod non privatur quis primo incom- 18 19 20

incompatibili, nisi secundum pacificè possideat, vel si per eum stet, quominus possideat, cessante omnia molestia, etiam extrajudiciali, etiam quoad fructus, vel eorum majorem partem, ut per Rotam coram Burato *dec. 19. num. 18.*

21 Porrò ex *d. cap. 4. sess. 7.* dicitur ampliata dispositio *d. c. de multa*, quæ non prohibet, nisi plures Parochiales Ecclesias, dignitates, & personatus, cùm Sacra Congregatio censuerit idem intelligendum in omnibus beneficiis residentiam requirentibus, quæ aliquis post publicationem Concilii receperit, veluti duos Canonicatus vel Canonicatum cum Parochiali, ut dictum est, ut in eamdem pœnam, *d. cap. de multa*, incidat, ipsoque jure privatus existat, eo quod præsumpserit recipere, ac simul retinere duo incompatibilia ratione residentiæ, vel sufficientiæ, licèt essent beneficia simplicia. Quapropter eadem Sacra Congregatio censuit ante Concilium duo beneficia obtenta a Summo Pontifice incompatibilia retineri posse, nisi duæ essent Parochiales antè Concilium obtentæ.

22 Commendæ autem ad sex menses in Ecclesiis curatis fieri poterant ab Ordinariis *cap. nemo de elect. in 6.* At post Cocilium Tridentinum id amplius locum non habet. Quia hodie commendæ perpetuæ inducunt incompatibilitatem, Gomez *in regul. Cancell. de triennal. q. 5. num. 13.* Quare in eis deputandi sunt Vicarii ad formam *cap. 18. sess. 24.* Et in hoc casu Sacra Congregatio censuit Episcopum habere authoritatem contra Commendatarios, qui plura beneficia incompatibilia in Commendam obtinet contra formam Sacrorum Canonum. In titulum uni plura beneficia non committi, prohibuit Sanctus Gregorius, ut refert Joannes Diaconus in ejus vita, & habetur *in can. singula, distinct. 89.* qui ejusdem Gregorii scribentis omnibus Episcopis. In Concilio Lateranensi sub Leone X. *sess. 9.* conceduntur dispensationes viris qualificatis ad duo. Vide notata per Ostien. *Summa, & in cap. dudum de elect.* ibique Glos. *in c. eam te de ætat. & qualit. c. Expositi de præbend. c. Cùm in nostris*, ubi etiam Gloss. *de concess. præbend.* ubi enumerantur casus, in quibus pluralitas toleranda sit.

23 Dubitatum fuit, an præsumpta dispensatio, in qua fundatur regula de triennali, habeat locum contra decreta Concilii *d. cap. 4. sess. 7. & c. 17. sess. 24.* itaut possidentes beneficia contra dispositionem dictorum decretorum ex tali præsumpta dispensatione suam possessionem tueri valeant? Sacra Congregatio respondit, non habere.

24 Rationem verò, quare pluralitas prohibeatur, vide apud Abbat. *in cap. Quia in tantùm n. 2. de præbend* cui adde quæ congerit Rebuff. *tit. de dispensat. ad plural. a num. 1.*

25 Sed an ipso jure vacet simplex per adeptionem Parochialis? Sacra Congregatio censuit, vacare per *d. c. 4. sess. 7.* Sed Navarrus consuluit contrarium *consil. 34. de præbend.* & ponderat particulam, *etiam*, per quam infert non induci novum casum, sed in casibus *d. cap. de multa*, & aliis olim de jure expressis, dari vacationem ipso jure.

26 Duæ autem dignitates, vel Capellaniæ sub eodem tecto sine dispensatione obtineri, & retineri non possunt, & Episcopus non potest in eis dispensare, *c. 1. de consuet. in 6.* & prosequitur Fusch. *de visit. lib. 2. c. 11. n. 8. & 9.* Curt. Jun. *in tract. feud. in 3. q. princip. col. 2. vers. contra istam, & col. seq. ad fin.* Vide Navarr. *cons. 35. de probat.*

27 Parochiales verò Ecclesiæ sunt incompatibiles cum beneficiis, in quibus assignatæ sunt distributiones quotidianæ, quas a divinis absentes amittunt.

28 Si Capellania habet onus celebrandi certas Missas, & coadjuvandi in Cura animarum Ecclesiæ Plebanatus, est beneficium incompatibile cum alio beneficio curato, vel aliàs personalem residentiam requirente, nec ejus rector subjacet *d. c. licet canon. de elect. in 6.* Sed quidem comprehenditur sub decretis Concilii Tridentini, loquentibus de residentia beneficiatorum, non tanquam Curatorum.

29 Pro Capellania, & Mansionaria, quæ sunt sub eodem tecto, opus est dispensatione Apostolica ad utramque retinendam. Ita scriptum a Sacra Congregatione Concilii Episcopo Ferrarienſi 19. Decembris 1570.

30 Canonicus optans dignitatem amittit Canonicatum, *arg. c. 1. de consuet. in 6.*

31 In Pistorienſi. Habenti dignitatem tenuem in Cathedrali, quæ non participat de distributionibus quotidianis, Ecclesia Parochialis, inconsulto Romano Pontifice, conferri non potest.

32 In Leodienſi. Decretum incompatibilitatis Concilii *d. c. 4. sess. 7.* procedit etiam illis, qui post Concilium recipiunt duos Canonicatus sine dispensatione Sedis Apostolicæ, secus si ante Concilium, etiamsi ab Ordinario collatio facta sit.

In Assisiensi. Obtinentes Canonicatum, & Parochialem, si unum ante, & alterum post Concilium obtinuerunt, Episcopus exequatur decretum, si verò antea, residean in Parochiali, & amittant distributiones Canonicatus, juxta Bullam Beati Pii Quinti. 33

In Neapolitana. Hebdomada, & Confratantia Sanctæ Mariæ Majoris Neapolitanæ non sunt incompatibiles. 34

In Novariensi. Archidiaconus, & Archipresbyter Novariensis, ex quo non habent suos proprios fructus sufficientes, possunt simul etiam Canonicatum retinere. 35

In eadem. Quia verò Præpositura ex se fructus sufficientes habet, non potest Præpositus retinere Canonicatum, sed ex fructibus Præpositurę deducenda est tertia pars pro distributionibus quotidianis, juxta *c. 3. sess. 22.* 36

In eadem. Obtinentes duos Canonicatus in diversis Ecclesiis ante Concilium absque dispensatione Apostolica, possunt utroque privari *c. 4. sess. 7. & c. 17. sess. 24.* Obtinentes verò legitimè utrumque, privantur distributionibus illius, cui non inserviunt. 37

In eadem. Dignitas cum Parochiali absque dispensatione Apostolica, neque ante Concilium poterat retineri, neque post. Canonicatus verò poterat obtineri, & retineri. Post Concilium verò neque dignitas, neque Canonicatus potest obtineri sine dispensatione Apostolica. 38

In eadem. Non potest Canonicus in eadem Ecclesia retinere Capellaniam, quæ habet annexum onus serviendi Choro, si post Concilium illam obtinuerit, nec suffragatur sola dispensatio sub eodem tecto. Ante Concilium poterat obtineri cum dispensatione sub eodem tecto ad duo obtinenda. 39

In Palentina. Episcopus habens Consuetudinem commendandi Parochiales Ecclesias personis idoneis ad nutum, non potest illas commendare obtinenti aliam, & si commendationes acceptet, est ipso jure privatus utraque, nec potest consuetudo illum juvare contra jus, & dictum decretum *c. 4. sess. 7.* Concilii. 40

CONSULTATIO CLVII.

1 *De obtinentibus plura beneficia curata. De beneficiis, quæ nullum servitium per ipsos beneficiatos, neque per substitutos requirunt. Beneficia cur instituta? Quatenus ostendendum sit titulus beneficii? Et ad id cogendus beneficiarius?*

2 *Quæ beneficiorum uniones validæ censeantur?*

3 *Beneficia Ecclesiastica Curata, perpetuò unita, quomodo visitanda? quomodo eis providendum? Decerta.*

SAcrosancta Synodus Tridentina *c. 5. sess. 7. de reformat.* innovans *c. Ordinarii de offic. Ordin. in 6.* decernit, quod obtinentes duo incompatibilia, sive Curata, sive non Curata, cogantur suas edere dispensationes, ut per Jo. Andr. & Gloss. in *d. c. Ordinarii v. personarum*. Additur tamen a Concilio, ut quoad incompatibilia Curata Episcopus per deputationem Vicarii procedat, ut animarum Cura nullatenus negligatur, & beneficia ipsa debitis non fraudentur obsequiis conjunctivè & sumpta, non disjunctivè. 1

Similiter ubi agitur de animarum cura annexa Vicarius deputetur *d. cap. 5. & sess. 25. de regul. cap. 11.* Aliàs obtinens duos Canonicatus in Cathedrali non curatos, & in uno residens, non solùm amittit ex altero distributiones quotidianas, sed habebit Vicarium, quod non est dicendum, cùm repugnet *tit. de Offic. Vicar.* Et sic intentio Concilii videtur esse, ut quoad beneficia incompatibilia curata, interim, donec ad privationem deveniatur juxta *d. cap. Ordinarii*, possit Episcopus per Vicarium Curam animarum exerceri facere. Quoad alia verò incompatibilia, sed non curata, distributiones amitti jubeat juxta *c. 3. sess. 23.* 2

Possunt etiam Ordinarii providere, ne quis sine literis, sive Bullis Beneficium possideat, & idcircò conquerenti Episcopo Lucano, quosdam suos Canonicos obtinere beneficia, nec expedisse literas, visum est Sacræ Congregationi, ut privet eos, qui ita obtinent, adhibitis Vicariis, qui inserviant Ecclesiæ, donec admonitus Sanctissimus Dominus noster providere possit. At quid si aliquis habeat beneficia in diversis Diœcesibus, requirentia dispensationem? Dic, quod quilibet Episcopus erit ejus Ordinarius ad hunc effectum ex *d. c. Ordinarii*, ubi Gloss. *v. Ordinariorum*. 3

Et

4 Et notandum, quod Epiſcopus deputat Vicarium; Nam alius inferior non poteſt, *Lap. alleg. 5. in princip. ac per tot.* Niſi forte talis ſit Ordinarius habens hanc juriſdictionem juxta Abbatem, & DD. *in c. Cùm olim n. 2. de præſcript.* & Gloſſ. *in d. c. Ordinarii v. locorum.*

5 Argumento textus *d. c. 5. ſeſſ. 7.* pluries Sacra Congregatio cenſuit, eos, qui ex diſpenſatione Apoſtolica ante Concilii confirmationem duo incompatibilia, puta Epiſcopatum cum Canonicatu, vel duos Canonicatus obtinuerant, non cogi alterum dimittere, ſed reſidendo in eo, cui Cura imminet, ex altero amittant diſtributiones, & reliquos fructus percipiant. Quod limitatur, non procedere in obtinentibus duas Parochiales, vel Epiſcopatum cum Parochiali per *c. 17. ſeſſ. 24.* Unde in dicto decreto *c. 5. ſeſſ. 7.* cenſuit Sacra Congregatio Capellanias, & Canonicatus, aliaque Beneficia non curata, requirentia tamen reſidentiam, licèt alias fuerint compatibilia, comprehendi.

6 Contra verò nihil innovandum in beneficiis ſimplicibus, quæ Clericatus nonnunquam conſueverunt nuncupari, quorum fructibus poſſeſſores gaudent, nullum ſervitium per ſe ipſos, neque per ſubſtitutos præſtando eis Eccleſiis in quibus dicti Clericatus exiſtunt, ut nequeant cogi, vel per ſeipſos, vel per ſubſtitutos in habitu Clericali, quod illis Eccleſiis inſerviant, licèt *cap. 3. ſeſſ. 21. de reformat.* pro certo habeatur, omnia beneficia ad cultum Divinum, atque Eccleſiaſtica munia obeunda inſtituta eſſe, juxta *cap. ult. de reſcript. in 6.* Si jampridem poſſeſſores talium beneficiorum non ſint coacti, ad aliquid iſtorum, nec appareat quid certum, ad quod obligati ſint, cùm etiam his noſtris temporibus ſatis erit, ſi dicant Horas Canonicas. Undè ſi beneficia iſta non requirunt reſidentiam, non debent cogi per ſubſtitutum exemplo illius Canonici, qui ſtudiorum cauſa non reſidet, nec etiam tenetur per Subſtitutum inſervire, ut per DD. *in c. Licet de præbend.* Hujuſmodi tamen beneficia obtinentes Sacra Congregatio cenſuit teneri ad oſtendendum titulum cujuſque beneficii, quod poſſident. Nec temporis longitudinem obſtare, cenſuit Sacra Congregatio, quominus ab Epiſcopo poſſint compelli ad diſpenſationes exhibendas, & illorum titulos oſtendendos, dummodo eorum beneficia ad juriſdictionem Epiſcopi ſpectent.

7 Dixi temporibus noſtris. Nam olim in Eccleſia gradus omnes Eccleſiaſtici erant miniſteria, munia, onera, officia, quæ a Divo Paulo opera vocantur, & a Chriſto in Evangelio operarii appellantur ii, qui illa obtinebant, nemoque, niſi per ſeipſum munus ſuum exercebat, ſine cujus exercitio perſonali nemo retinebat titulum officii, ejuſque fructibus gaudebat. Ex neglectu hujus diſciplinæ orta eſt diſſolutio Ordinis Clericalis, & originem duxit prava illa, præpoſtera, & perverſa diſtinctio beneficiorum de reſidentia, & de non reſidentia, hoc eſt, quod detur titulus, & ſtipendium abſque ulla obligatione, exponendo illud effatum: Omne beneficium datur propter officium, nempè propter officium precum horarum Breviarii, adeòut quis habere poſſit redditus Eccleſiaſticos quingentorum, mille, decem millium, & amplius aureorum, ut ſolùm Breviario manum admoveat, & legat ſacras preces præcipiti quadam mobilitate linguæ, celeritate verborum, ac ſubmiſſa voce abſque ulla animi cogitatione. At hæc, aliaque hujuſmodi ſapientiſſimo Sedis Apoſtolicæ judicio relinquimus.

8 Ex *d. cap. 5. ſeſſ. 7.* notandum, quod licèt regulariter nemo cogendus ſit edere titulum ſuæ poſſeſſionis, id tamen fallit ubi quis poſſidet contra diſpoſitionem juris communis. Omnia enim jura clamant contra pluralitatem. Notandum item quòd appellatione Ordinariorum in *dict. cap. 5.* veniunt etiam inferiores Epiſcopis, habentes tamen juriſdictionem Epiſcopalem, quia ſumus in materia adaptabili, etiam inferioribus. Notandum quoque, non exhibentes diſpenſationem ſuper hujuſmodi beneficiis incompatibilibus intra tempus ſibi ab Ordinario præfixum, præſumuntur illicitè illa retinere, niſi adducerent juſtum impedimentum. & audiendum eſſe, puto volentem producere jura ſua elapſo termino aſſignato in *Clem. ſæpè verſ. non obſtante de verbor. ſignificat.* Notandum denique, oſtendens ſufficientem diſpenſationem non eſt amplius moleſtandus ſuper iis, cùm hujuſmodi diſpenſatio, quod erat illicitum, faciat licitum.

9 In Brixienſi. Poſſidentes ante Concilium Canonicatum cum Parochiali, non ſunt cogendi oſtendere diſpenſationem, ſecus ſi cum Parochiali obtineant dignitatem.

10 In Alexandrina. Obtinens Canonicatum in Cathedrali, & Collegiata, debet reſidere in Cathedrali, poteſt tamen cogi ad celebrandum Miſſas in Collegiata per alium, ſi non poteſt per ſeipſum.

In Aquilana. Obtinentes beneficia incompatibilis ſunt 11
cogendi exhibere ſuas diſpenſationes, etiamſi per quindennium poſſederint.

In eadem. Si quis narravit Summo Pontifici ſe obti- 12
nere duas Parochiales, non tenetur oſtendere diſpenſationem, niſi eſſent obtentæ ante Concilium.

In Mediolanenſi. Deputatio Vicariorum habet locum 13
in omnibus beneficiis incompatibilibus, non autem in Curatis, quando ea obtinentes eis non inſerviunt.

In Auguſtana. Si Abbates Regularium ab Ordinariis 14
moniti, reperiantur negligentes ad corrigendum Rectores Parochialium, ſuis Monaſteriis unitarum, non propterea licet Epiſcopis dictos Abbates privare jure conferendi, ac præſentandi, ac decimis, ſed providere Curæ animarum, & quoad deputationem Vicariorum debet exequutioni demandari Conſtitutio Beati Pii Quinti.

Ad Secundum. Poſt examen faciendum ſuper diſpen- 15
ſationibus, ut obtineri poſſint plura incompatibilia, Sacrum Concilium Tridentinum *d. ſeſſ. 7. cap. 6.* procedit ad alium abuſum circa eadem beneficia in materia unionis perpetuæ; nam etiam ad tempus conceduntur, ut puta ad vitam illius, cui conceduntur, de quibus etiam habetur *ſeſſ. 14. cap. 4. & 9. & ſeſſ. 21. cap. 4. & ſeſſ. 24. cap. 13. & ſeſſ. 25. cap. 9.* Ex decreto *d. cap. 6. ſeſſ.* ceuſuit Sacra Congregatio, non excludi Ordinarios, quominus poſſint uniones cognoſcere in caſibus, in quibus licet de jure communi etiam ultra quadraginta annos. Et cùm Epiſcopus quidam examinaret uniones juxta diſpoſitionem *d. cap. 5. & cap. 9. ſeſſ. 25.* ante quadraginta annos in ſua Diœceſi factas, & quæ anteà, non tamen ante dictum tempus quadraginta annorum ſortitæ fuerint effectum, & ii, quorum intererat vigore prætenſarum ſuarum appellationum impedirent Epiſcopum ab hujuſmodi examine, reſpondit Sacra Congregatio, Caſum hunc a Concilio omiſſum: ideò ex decretis ejuſdem non poſſe quidquam in eos attentari. Excluduntur autem ab hoc decreto *cap. 5. ſeſſ. 7.* Præſidentes, & alii Superiores Clauſtralium. Et quæſitum fuit, an hoc decretum habeat locum in unione, quæ tempore publicationis Concilii erant in parte effectum ſortitæ, & fuit reſponſum, non habere locum. Et niſi ex legitimis, aut aliàs rationabilibus cauſis, ut evidenti neceſſitate, vel utilitate, *cap. expoſuiſti de præben.* alioquin factæ non valerent, quia quælibet Eccleſia ſuum oportet habere Sacerdotem, *cap. Cùm non ignores eodem tit.* vocatis quorum intereſt, verificandis. Quia cauſa in unione requiritur, atque idcircò adhibenda eſt cauſæ cognitio, *Clement. ult. de rebus Eccleſ. non alienand.* Sic etiam in unionibus factis a Papa oportet, ut de eis in partibus conſtet, aliter non eſſent validæ, ut in regulis Cancellariæ de unionibus, ſed per ſubreptionem obtentæ præſumuntur, quia ſine cauſa fuerunt factæ, & ideo præſumuntur ſubreptitiæ. Exercentibus autem curam animarum in beneficiis unitis, congrua portio aſſignetur.

Quadraginta anni, de quibus in *d. cap. 6. ſeſſ. 7.* con- 16
numerantur a die publicationis Concilii, uniones factæ ſupra quadraginta annos remanent in terminis juris communis.

In Lancianenſi: uniones perpetuæ ſupra quadraginta 17
annos factæ, ab Ordinariis examinari non poſſunt.

In Spoletana Prætendens unionum ſupra quadraginta 18
annos, tenetur oſtendere eam Epiſcopo.

In Vicentina. Viſitatores deputati a Commendatariis Ordinis Valliſoletani ſancti Benedicti non poſſunt cognoſcere de juribus unionum factarum Eccleſiæ ſanctæ Mariæ de Monte Ferrato ejuſdem Ordinis.

Ad tertium ita Sacrum Concilium Tridentinum de- 19
cernit *capit. 7. ſeſſ. 7. de reformat. Beneficia Eccleſiaſtica curata, quæ Cathedralibus, Collegiatis, ſeu aliis Eccleſiis, vel Monaſteriis, beneficiis, ſeu Collegiis, aut piis locis quibuſcumque perpetuò unita, & annexa reperiuntur, ab Ordinariis locorum annis ſingulis viſitentur, qui ſolicitè providere procurent, ut per idoneos Vicarios, etiam perpetuos, niſi ipſis Ordinariis pro bono Eccleſiarum regimine aliter expedire videbitur, ab eis cum tertiæ partis fructuum, aut majori, vel minori, arbitrio ipſorum Ordinariorum, portione, etiam ſuper certa re aſſignanda, ibidem deputandos animarum cura laudabiliter exerceatur, appellationibus, privilegiis, exemptionibus etiam cum Judicum deputatione, & illorum inhibitionibus quibuſcumque in præmiſſis minimè ſuffragantibus.*

Ex hoc autem decreto ampliatur, ac ſuppletur *cap.* 20
de Monachis de præbend. & capit. 1. eodem tit. in 6. & quod habetur in *Clement. 1. de jurepatron.* Nam aliquando Summus Pontifex, vel Epiſcopus propter inopiam Religioſorum concedit eis Eccleſiam ad tempus,

ut

ut possint percipere redditus, illosque convertere in propriam utilitatem, conservato tamen pristino Ecclesiæ statu, & ut consulatur cultui divino, provisum fuit, ne quis præsentatus a Religiosis per Diœcesanum admittatur, nisi ei tantùm de Ecclesiæ proventibus fuerit assignatum, ut tàm seipsum, quàm incumbentia onera valeat sustinere *d. cap. de Monachis*, quod etiam in exemptos extensum fuit *d. c.* 1. *de præbend. in* 6. Immò nec ipsi Diœcesani debent præsentatum ad aliquam Ecclesiam admittere, nisi intra terminum ab eis statutum provisum sit præsentato de idonea portione *d. Clem.* 1. Quod etiam habet locum contra exemptos *ex d. Clement.* 1.

21 Si autem cura incumbat certæ personæ, tunc non per Vicarium, sed per ipsam personam cura administranda est. Si verò toti Capitulo immineat, itaut a singulis vicissim exerceatur, cogendi planè sunt singuli ad eam exercendam, ut notatur in *cap. statutum de præbend. in* 6. quemadmodum censuit Sacra Congregatio, apud quam quæsitum fuit, An Vicarii perpetui constituendi essent in Cathedralibus, Collegiatisque Ecclesiis, curam animarum habentibus, quam curam temporanei, mercenariique Capellani consueverunt administrare? Sacra Congregatio respondit, nihil generali lege sanciendum esse, sed singulis quibusque casibus, ubi se offerunt, prout magis expedire videbitur, prospiciendum.

22 In Ecclesiis verò Monasteriorum juxta moderationem Gregorii Decimi tertii Episcopus ad denominationem Monachorum debet unum ex ipsis, prævio examine approbatum, & ad nutum eorumdem amovibilem, satisque erit, si cum tali Vicario unus Monachus habitet, ne plures exra claustra manere cogantur. In reliquis Constitutio Beati Pii Quinti, edita ad favorem Regularium, quatenus disponit de Ecclesiis curatis, eorum Monasteriis unitis, ac etiam illorum mensæ, minimè intelligatur revocata. Quod si Monachi nominare vellent Capellanum sæcularem ab Episcopo approbandum, ille minimè ad ipsorum nutum amoveri poterit, quemadmodum Sacra Congregatio censuit.

23 Quæ quidem Sacra Congregatio etiam censuit, si hujusmodi beneficia curata sunt unita Archidiaconatui, vel aliis dignitatibus, vel Canonicatibus, servandam esse dispositionem *cap. extirpandæ. §. Qui verò de presb.* Si verò fuerint unita hospitali, seu Commendis sancti Joannis Hierosolymitani, tàm circa visitationem, quàm deputationem Vicariorum, censuit eadem Sacra Congregatio servandam esse Constitutionem Beati Pii Quinti editam duodecima Septembris 1571.

24 Deputationem autem Vicariorum perpetuorum non esse faciendam, censuit Sacra Congregatio in Parochialibus, quæ sunt membra Monasteriorum, sed providendum juxta instituta Religionis, nec pertinere hoc decretum ad Ecclesias iplorum Monasteriorum, quibus imminet cura animarum, sed in eis servandum *cap.* 12. *sess.* 25. *de regular.* Quid si Parochialis unita sit perpetuò, & accessoriè beneficio simplici? Respondit Sacra Congregatio, Parochialem ex hac unione assumere naturam simplicis beneficii, nisi cura in ea exerceatur per Vicarium temporalem. Hoc enim indicat, non esse suppressam.

26 Censuitque eadem Sacra Congregatio, hoc decretum habere locum dumtaxat in actu visitationis, ideòque Episcopos visitare posse Ecclesias Curatas, etiam Monasteriis, quæ capita ordinum sunt, unitas. Nec obstare *cap.* 51. *sessione* 25. *de regular.* quia ibi excipiuntur Ecclesiæ Monasteriorum, in quibus Generales, aut capita ordinum habent Sedem ordinariam principalem.

27 Et quamvis Concilium admittat, ut etiam per Vicarios amovibiles cura exerceatur, Constitutio tamen Beati Pii Quinti de Vicariis deputandis in Parochialibus unitis, sustulit hoc arbitrium Episcopis, & præscripsit formam deputandi Vicarios perpetuos cum taxatione congruæ portionis, sicut Sacra Congregatio censuit. At quæritur quomodo constituantur Vicarii perpetui? Sacra Congregatio respondit prævia erectione tituli, ac præfixo decem dierum termino ab Ordinariis iis, ad quos nominatio Vicarii spectat ex Constitutione Beati Pii Quinti.

28 Hæc autem fructuum portio juxta moderationem Beati Pii Quinti, assignanda est, in qua computantur etiam incerta, quæ oblationes dicuntur ex pede Altaris, cùm comprehendantur illis verbis Constitutionis Beati Pii, videlicet computatis omnibus, etiam incertis emolumentis, & aliis obventionibus, nisi facta esset institutio illius Vicarii, sed assignatio hujus portionis fieri non debet, partibus non citatis, quando ad evitandam Vicariorum institutionem, excipitur de fructuum tenuitate. Ideò respondit Sacra Congregatio, ubi apparent certi fructus, Constitutionem Beati Pii procedere, ut scilicet tot assignare Vicariis sufficiat. Ubi verò non apparent, dentur quinquaginta, cùm verisimile non sit, esse Parochialem sine fructibus, præcipuè si perspicuis probationibus constaret, nonnullos Parochiales fructus extare.

At ponamus, quod cura unita Collegiatæ, immineat 29
Archipresbytero, & Capitulo, portio ex quibus bonis deducetur pro Vicario? Respondit Sacra Congregatio, communiter ex bonis Archipresbyteri, & Capituli portionem assignandam esse. Quæsitum etiam fuit, an Vicarius perpetuus constitutus vigore hujus decreti teneatur subire aliqua onera Ecclesiæ, saltem pro rata? Gregorius Decimustertius ex relatione Sacræ Congregationis declaravit ex ipsa Constitutione Pii Quinti omnia onera incumbentia Parochiali, in qua erecta sit Vicaria perpetua, pertinere ad ipsum Vicarium perpetuum solum, nulla autem ex parte ad Ecclesiam, aut Monasterium, aut locum pium, cui unita fuit ipsa Parochialis.

Si autem hæc provisio fiat in visitatione, non est lo- 30
cus appellationi ad effectum suspensivum. Si verò fiat extra visitationem cum causæ cognitione, ac processu ordinario, appellationem non solùm devolvi, sed etiam suspendi, dixit Sacra Congregatio, quæ etiam censuit tolli etiam privilegia in fundatione concessa, etiamsi in privilegio visitatio spectaret, non ad Ordinarium, sed ad Metropolitanum, aut alium Prælatum. Non tamen ex hoc decreto Concilii Ordinariis tribuitur potestas visitandi loca regularia, quin etiam sublata intelligatur immemorabilis consuetudo deserviendi per Capellanum amovibilem. At de his etiam alibi dictum a nobis est.

CONSULTATIO CLVIII.

De authoritate Capituli quoad literas dimissorias, Sede vacante. Pœnæ in contraveniente decreto Sacri Concilii Tridentini. Qua ex causa Capitulum, vel ejus Vicarius possit intra annum dare dimissorias? Ex qua facultate? Pœna interdicti in decreto Concilii an latæ sententiæ? Quid de literis commendatitiis? Pœna interdicti personalis in decreto appositæ, num reservata? Pœna privationis privilegii Clericalis ibidem lata quomodo afficiat? Ordinati in minoribus in hoc casu quomodo incurrant suspensionem? Quid in locis, in quibus Tridentinum non sit receptum? Quid de hoc ex antiquiori jure? Aliaque affatim practice ac theorice.

ANtiquiori jure, quo Episcoporum ordinationes pro- 1
latare nefas habebatur, nec impune erat, si aliquorum negligentia differrentur, piaculum credebatur, si vacante Sede, vel Capitulum, vel quisquam alius in ea Ecclesia, vel ordinationes faceret, vel fieri procuraret. Statuit siquidem Concilium Aurelianense quintum, *can.* 8. *ut in Civitate, ubi Pontifex jure humanæ conditionis obierit, nullus Episcopus ante substitutionem reparati per ordinem successoris, aut in Civitate, aut per Parochias ordinare Clericos, aut Altaria audeat consecrare, vel quicquam de rebus Ecclesiæ præter humanitatem præsumat auferre. Quod si quisquam temerario ausu statuta transcenderit, conventus ab instituto Pontifice, verecundiæ suæ consulens sine dilatione oblata restituat. Si verò suæ voluntatis arbitrio, vel quorumcunque precibus actus quamcumque personam promovere, aut contra interdictum præsumpserit, anno integro missas tantùm facere non præsumat.*

Huic affine est, quod habet Regiense Concilium *c.* 6. 2
& 7. vicinum Episcopum exequiarum tempore accedere debere ad Ecclesiam vacantem, & per septem dies visitatoris vice res ejus Ecclesiæ districtissimè componere, exin nullum ad eam accedere oportere, donec ad ordinationem futuri Episcopi a Metropolitano vocetur, ne quid in ea precibus populi compulsus egisse dici possit. Hoc, inquam, cùm Ecclesiæ non diù vacarent, observatum. Nam ver. gr. in Ecclesia Alerienſi, quæ diù vacaverat, Sanctus Gregorius *lib.* 1. *epist.* 79. Leoni Episcopo Presbyteros, ac Diaconos ordinandi fecit potestatem. Idem etiam *lib.* 2. *epist.* 29. Felici Episcopo Acropolitano in Ecclesiis Velina, Buxentina, Blandana vacantibus, & Barbaro idem *lib.* 3. *epist.* 39. in Ecclesia Hortonæ vacante ordinandi facultatem tribuit. E contra verò in Ecclesia Capuana *lib.* 4. *epist.* 13. necnon in Ravennati *epist.* 21. ejusdem libri, itemque in Tadinati *lib.* 7. *epist.* 90. & aliis, Sede vacante, Clericos promoveri vetat.

Jure autem communi posteà introducto Capitulis con- 3
cessum fuit, statim post obitum sui Episcopi, ut vicinos, vel alios pro arbitrio Episcopos ad ordinandos Cle-

ricos

ricos convocet, vel ad eos ordinandos dimittat. Quia nempè in omnem Episcopalem jurisdictionem succedit, ut ex multis Ecclesiasticis Canonibus patet, *cap. his, qui de major. & obedien. cap. si Episcopus, & seqq. de supplen. negligen. Prælat. in 6.* & alibi, quorum plurimos collegit Panvinus *de potestat. Sede vacante part. 1. quæst. 1. num. 3.* iique maximè ad rem faciunt, qui vel Capitulo Sede vacante, *capit. Cùm olim de majorit. & obed.* elections infirmandi, & confirmandi jus tribuunt, vel infirmitate gravato Pontifice, quæ sunt jurisdictionis exercendi, *can. Pontifices 7. quæst. 1.* & pro ordinibus celebrandis vicinos Episcopos convocandi jus apud ipsos residere innuunt, certè consuetudo obtinuerat, ut statim ab obitu Episcopi litteras dimissorias Vicarii a Capitulo delecti petentibus concederent, quam consuetudinem Concilium Tridentinum *sessione 7. cap. 10. de reformat.* abolevit, prohibens, ne ante annum expletum ab obitu Episcopi, præterquam in gravi necessitate Capitulum dimissorias ullas concedat, sed res integra futuro successori reservatur, anno isto elapso, potestatem illam Capitulo non denegavit, sed juri communi, & usui rem totam reliquit. Ideoque expleto illo anno, dimissorias dare potest, jure verò novo toto isto anno dare nequit, sed solùm testimoniales, quibus Diœcesanorum probitas, moresque commendentur, ut docet Navarr. *cons. 27. num. 5. de tempor. ordin.*

4 Ut autem quæ de novo jure diximus, magis pateant, Concilii Tridentini circa prædictas quæstiones decreta omnia exhibeamus; Tridentinæ Synodi prior sanctio hæc est *d. c. 10. Non liceat Capitulis Ecclesiarum Sede vacante, intra annum a die vacationis ordinandi licentiam, aut literas dimissorias, seu reverendas ut aliqui vocant, tàm ex juris communis dispositione, quam etiam cujusvis privilegii, aut consuetudinis vigore, alicui, qui beneficii Ecclesiastici recepti, sive recipiendi occasione arctatus non fuerit, concedere. Si secus fiat Capitulum contraveniens Ecclesiastico subjaceat interdicto, & sic ordinati, si in Minoribus ordinibus constituti fuerint, nullo privilegio Clericali, præsertim in criminalibus gaudeant, in majoribus verò ab exequutione ordinum ad Beneplacitum futuri Prælati sint ipso jure suspensi.*

5 Ad cujus Constitutionis expositionem adnotandum est, tales suspensiones, quæ ad beneplacitum cujusdam præservari dicuntur, quibusdam non videri veras censuras, quæ irregularitatem inferant, si violentur, quibusdam verò videri, ideoque Navarro, qui negantem opinionem tuetur *cons. 27. num. 1. de temp. ordin.* satis visum fuisse, quod ordinatus per literas dimissorias Capituli ad minores ordines, vel sine dimissoriis procuret ordinationem suam ab Episcopo, vel Archiepiscopo novo ratam haberi.

6 In dicto autem *cap. 10.* restringitur jurisdictio Capituli, Sede vacante. Poterat enim Capitulum, vacante Sede, concedere dimissorias a prima die Sedis vacantis *c. cum nullus de tempor. ordin. in 6.* Novum igitur est decretum, ut non possit concedere dictam licentiam ordinandis, nisi arctatis vel post annum vacationis, & Sacra Congregatio censuit, Capitulum, Sede vacante, posse concedere licentiam extero Episcopo pontificalia in sua Ecclesia exercendi, & ordines conferendi tàm Clericis ipsius Diœcesis, juxta formam hujus decreti, quàm exteris, habentibus literas dimissorias suorum Episcoporum, & Episcopo existenti notoriè hæretico; facultatem concedendi dimissorias juxta hoc decretum pertinere ad idem Capitulum, respondit eadem Sacra Congregatio, & tàm in hoc quàm in aliis casibus, in quibus capitulum concedere potest dimissorias, si Canonici propter hæresim dispersi sint, & nequeant convenire, aut convenire sine difficultate, sufficere dixit Sacra Congregatio, habere dimissorias a residentibus capitularibus; etiamsi unus dumtaxat resideret, & pro susceptione Ordinum neque Metropolitanum, sed Sedem Apostolicam adeundum.

7 Iis omnibus etiam qui beneficii occasione, sive ratione curæ, sive oneris, ipsi beneficio quomodolibet incumbentis, arctantur, eadem Sacra Congregatio censuit, Capitulum intra annum dimissorias literas posse concedere, quæ proprio annulo Episcopi sunt obsignandæ, in remotis tamen partibus ultramarinis oportet, ut quinque annulis obsignentur *cap. 1. de Cler. peregr.*

8 Sed quia quatuor sunt genera canonicarum literarum, dimissoriæ, formatæ, pacificæ, & commendatitiæ, breviter sciendum est, dimissorias esse, quibus quis a suo Episcopo alteri ordinandus dimittitur, ut in *d. cap. 10. sess. 7.* Formatæ verò illæ, quibus apud exteros sacris initiatus perhibetur, excogitatæ primò in Niceno Concilio ad hoc, ne laici ordines mentirentur, neve aliquis prætextu pietatis ex propria in aliam Diœcesim sine literis transiret, licèt aliquando apud alios, ut Optatum Melevitanum pro literis certa quædam formula conceptis, quas Episcopi ratione communicationis ultro citroque ad Romanum Pontificem mittebant, accipiantur, quem sequitur Augustinus *epist. 263.* disputando cum Donatista Fortunato suam Ecclesiam jactante, quærens ab illo, num Fortunatus Epistolas posset, quo vellet, dare, & apud Svetonium formatæ literæ in vita Domitiani dicuntur a forma, qua in his scribendis solet uti, vel quod singularem formam habent, vel propter græcos characteres, quibus olim scribebantur. Pacificæ nihil aliud sunt quàm commeatus, & proficiscendi licentia, dictæ quasi pacis arbitrariæ, & has, nonnisi pauperibus dari solitas, assueverant. Aliqui etiam pacificas eas dixerunt, quibus Romanus Pontifex approbat Ecclesias, ad quas mittebat fidem, & communionem. Commendatitiæ verò illæ sunt, quæ dantur in testimonium innocentiæ, atque dari solent ab Episcopo, qui eas petentes ordinavit ad commendationem eorum. Confusè tamen hæc quatuor genera literarum a scriptoribus usurpantur, & indifferenter una vox ad significandum, quod propriè aliæ solent significare, ponitur, ut fas est videre apud Gratianum *dist. 73.*

Censuitque Sacra Congregatio, Vicarium Capituli, 9
sede vacante, intra annum posse concedere dimissorias ad primam tonsuram ei, qui est præsentatus a patronis laicis ad beneficium Ecclesiasticum jurispatronatus ipsorum, ut illud obtinere valeat. Id ipsum dicendum est ex sententia Sacræ Congregationis in aliis consimilibus casibus veluti si quis in ordinandi favorem suo beneficio renunciare vellet. Eademque Sacra Congregatio censuit *d. cap. 10.* non habere locum in insignito solùm charactere primæ tonsuræ, & promotum ad minores ordines posse in susceptis Ordinibus ministrare, ac beneficia obtinere, non autem privilegiis, Clericis concessis, gaudere. Et in Placentina declaravit, Vicarium capituli, sede vacante, posse instituere præsentatos a prætensis patronis *cap. 1. de instit. in 6.*

Posterior Sacri Concilii sanctio illa est *cap. 10. sess.* 10
23. de reform. Abbatibus, & aliis quibuscunque, quamtumvis exemptis, non liceat in posterum intra fines alicujus Diœcesis, consistentibus, etiamsi nullius Diœcesis, vel exempti esse dicantur, cuiquam qui regularis subditus sibi non sit, tonsuram, vel minores ordines conferre, nec ipsi Abbates, & alii exempti, aut Collegia, vel Capitula quæcumque, etiam Ecclesiarum Cathedralium, literas dimissorias aliquibus Clericis Sæcularibus, ut ab aliis ordinentur, concedant, sed horum omnium ordinatio servatis omnibus, quæ in hujus Sanctæ Synodi decretis continentur, ad Episcopos, intra quorum Diœcesis fines existunt, pertineat, non obstantibus quibuscunque privilegiis, præscriptionibus, & consuetudinibus, etiam immemorabilibus. Pœnam quoque impositam iis, qui contra hujus Sanctæ Synodi sub Paulo III. decretum a Capitulo, Episcopali Sede vacante, literas dimissorias impetrant, ad illos, qui easdem literas, non a Capitulo, sed ab aliis quibuscunque in jurisdictione Episcopi, loco Capituli, Sede vacante, succedentibus obtinerent, mandat extendi. Concedentes autem dimissorias contra formam decreti, ab officio, & beneficio sint ipso jure suspensi.

Hoc decretum fusè alibi explicavimus. His autem 11
verbis comprehenduntur tum ii, qui Vicarii a Capitulo in spiritualibus, Sede vacante, constituti sunt, tum etiam ii, ad quos loco Capituli ex aliqua consuetudine jurisdictio Episcopalis devolvitur, quomodo Archidiaconos, & Archipresbyteros in quibusdam locis, ait Glossa in *c. significasti de offic. Archid.* Episcopos succedere. Episcopum verò Augustodunensem, Antisti Lugdunensi mortuo, quoad administrationem ejus Diœcesis tàm in spiritualibus, quàm in temporalibus ex veteri consuetudine, succedere, in Gallia sunt, qui testantur, quam consuetudinem ex Beati Gregorii privilegio *lib. 1. epist. 114.* sortitam Ecclesiam Augustodunensem iisdem credunt, cui misso ad Synagrium pallio, inter omnes Ecclesias, Lugdunensi subditas, primam esse, concessum est, ejusque Episcopo primum locum tenere, ac subscribere, quamvis ordinatione posterior esset. Certè olim vicino Episcopo vacantes Ecclesiæ committebantur, ut patet etiam ex Gregorio *lib. 2. epist. 29.* qui Felici Episcopo de Acropoli ob vicinam vacantium Ecclesiarum curam se committere dicit.

Unum etiam hic notandum est, cùm Capitulum è 12
gremio Ecclesiæ suæ aliquem Episcopum elegisset, qui ad Diaconatus, vel Presbyteratus ordinem nondum promotus esset, solitum fuisse eum aut Metropolitano, aut digniori, vel antiquiori Episcopo, vel ei, qui Metropolitani locum in electione tenuisset ordinandum in

Diaco-

Diaconum, vel Præsbyterum offerre. Sic enim legitur, Fulbertum Carnotenſem Epiſcopum *epiſt.* 30. Leutherico, qui electioni Odolrici in Aurelianenſem Epiſcopum authoritate primæ Sedis abſente Leutherico Senonenſi præfuerat, hunc ſibi, ut facilè ex dicta ejus epiſtola ad Leuthericum Senonenſem colligitur, oblatum in presbyterum conſecraſſe, quod tamen Leuthericum Senonenſem graviter tuliſſe ex ſequenti *ep.* 11. conjicitur. Sic teſtatur Ivo Carnotenſis *ep.* 62. Hugoni, Joannem Aurelianenſem ſibi *per literas Regis*, & *Capituli oblatum ſuo tempore ordinandum in Presbyterum*, cùm Sedes Senonenſis Metropolitana vacaret. Quod etiam fieri ſolitum fuiſſe clariùs oſtendit idem Ivo *ep.* 58. Congregationi Senonenſi Beati Stephani, ſeu Capitulo iis verbis reſcribens, *petitorio veſtro mandavit nobis veſtra fraternitas, ut electum veſtrum in Purificatione Beatæ Mariæ, pro officio noſtro ordinemus in Presbyterum*, in eo, quod ait ſibi electi ordinationem a Capitulo mandatam, Capituli poteſtatem agnoſcit, in eo verò, quod ex officio ſibi eamdem innuit peragendam adſtrictam alicui Epiſcopo hanc ordinandi poteſtatem facilè conjicis, itaut non cuivis Capitulum electum ſuum offerre, ſed digniori Epiſcopo Provinciæ, vel qui electioni præfuiſſet, præſentare ad ordinandum deberet quemadmodum id obſervatum in iſtis ordinationibus animadvertimus.

13 Officiales autem Epiſcopi, ſeu Vicarii Generales, quorum etiam nomine comprehendi poſſunt Archidiaconi, & Archipresbyteri ex prædicta Conſtitutione Bonifacii Octavi *in cap. Cùm nullus de temp. ordinat.* dimiſſorias concedere nequeunt, niſi Epiſcopo in remotis agente. Quid ſit autem Epiſcopum in remotis agere, diſquirit Gloſs. *in d. cap. v. remotis*, primoque eorum opinionem ponit, qui dicunt, in remotis Epiſcopum eſſe, videri, ipſum eſſe, ultra montes, cùm Diœceſis ipſius ſit citra montes, vel è contra, quorum opinionem reſellit, quia nempe qui montium interjecto ſpatio a ſuis civitatibus diſtant, non tàm remoti, quàm valdè remoti in jure dicuntur, *cap. nihil de elect.* quæ quidem valdè differunt, ſicut differunt inter ſe cautio, & ſufficiens cautio, ut colligitur ex *l. Sancimus, Cod. de verbor. ſignificat.* & *l. ſi mandato, §. ult. ff. mandati*. Varia itaque juris teſtimonia profert, ſecundùm quæ remoti quidam dicuntur, qui extra Provinciam, *cap. coram de elect.* & *l. ult. Cod. de præſcript. decem, vel viginti ann.* Qui duabus dietis, *cap. nonnulli de reſcript.* Alii qui una diſtant. *cap. ſtatutum eod. tit.* Addit tandem arbitrarium eſſe Judici, quis locus dicatur remotus.

14 Notat verò Joan. Andr. *in d. cap. Cùm nullus* ſuo tempore, qui mos etiamnum perdurat, ſpecialem, & expreſſam poteſtatem Vicariis Generalibus Epiſcoporum ab illis conferri ſolere, ut etiam ipſis præſentibus, & in Civitate degentibus, literas dimiſſorias concedant, nec in eo videri ſibi Canonibus repugnare, qui licentiam Epiſcopi requirunt, quia ea videtur ab Epiſcopo licentia concedi, quæ ipſius nomine conceditur. Sicut tamen Epiſcopos, ne omnibus paſſim petentibus dimiſſorias concedant, monitos jamjam dicemus, ita & officiales Epiſcopi, ne id faciant in Concilio Colonienſi anni 1536. prohibitos legitur *par. 1. cap. 29. Prohibemus* inquit, *ne officiales noſtris literas dimiſſorias, quæ vulgò licentiatoriæ ordinandi vocantur, alicui temere concedant; illarum enim prætextu, qui ſuæ ruditatis, & inſcitiæ ſibi conſcii ſunt, noſtrorum Vicariorum in Pontificalibus diſquiſitionem ſubterfugiunt, ac alio migrant, ubi nullus canonicæ traditionis reſpectus habetur*. Ob eamdem rationem quoque Moguntinum Provinciale anno 1549. habitum *cap. 84. Commiſſariis noſtris ſeriò inhibemus, ne in poſterum alicui literas dimiſſorias ſine magna, & neceſſaria cauſa, quam bene exploratam habere debent, concedant.*

15 Quoniam autem hæc materia frequens eſt apud Epiſcopos, operæ pretium eſſe duxi eam diligentius proſequi ad communem utilitatem, ad quam referre omnia, & facere cauſa debemus. Literas, quibus Epiſcopi Ordinis ſuſcipiendi poteſtatem alicui ex ſuis Clericis faciunt, inaudito antiquis nomine *Reverendas* nonnulli vocant, Concil. Trident. *ſeſſ. dict. cap.* 10. præſertim Hiſpani, quod a ſalutatione, qua ſe invicem Epiſcopi, *Reverendos*, & Reverendiſſimos honoris cauſa alloqui ſolent, ut plurimum incipiant. Eaſdem commendatitias, & dimiſſorias jus novum appellat Trident. *ibid.* & *ſeſſ. 14. cap. 2.* & 3. & alia Provincialia Concilia paſſim, quod perſonæ ordinandæ commentationem contineant, & ad alium Epiſcopum ad ordinum receptionem liberam eundi poteſtatem, ſeu dimiſſionem concedant; non tamen commendatitiæ litteræ, quibus probitas, ſufficientia, dignitas perſonæ, etiam ad ordines obtinendos commendatur, illicò ſunt dimiſſoriæ. Vide Navarr. *conſil. 27. de tempor. ordinat.* Nam qui juriſdictionem non habent, tales teſtimoniales literas dare poſſunt, ad dimiſſorias autem concedendas Epiſcopali juriſdictione opus eſt, & qui a Papa habet dimiſſorias, ut a quocumque Antiſtite promoveri poſſit, ordinari tamen non poteſt ex decreto Tridentini *ſeſſ. 23. cap. 8. de reform.* niſi ab Ordinario ſuo habeat commendatitias, quibus probitas ejus, & mores laudentur, commendenturque. Earum verò literarum, quocumque eas nomine vocaveris, alius jam uſus, ex prædictis, quàm qui apud antiquos receptus; ſic enim Epiſcopi Clericos ſuos ad ordinandum dimittunt, ut ſibi in eos jus, & authoritatem retineant, ideòque toties dimiſſoriis indigeant, quoties ab alieno ordinari voluerit, niſi generalem ad quoſcumque ordines recipiendos facultatem obtineant, quæ adhuc inſufficiens, ut erit ad unum Epiſcopum miſſus, ad alium quis recurrere voluerit.

Dimiſſoriarum ergo hujuſce temporis aliæ ſunt gene- 16
rales, aliæ ſpeciales. Generales quoque duplicis ſunt generis, quædam generales dicuntur, quod ad omnes Epiſcopos dirigantur, poteſtaſque per eos concedatur, ut quis a quocumque Antiſtite Catholicæ communionis, non hoc, aut illo, qui determinatur, manuum impoſitionis beneficium conſequatur, qua fere verborum formula, ut poſteà patebit, literæ dimiſſoriæ jam concipi ſolent, in quibus juxta modum loquendi Innocenti III. *in cap. veniens de præſcript.* conceditur, *ut a quocumque Antiſtite, rite, & catholicè promoto, gratiam, & communionem Sanctæ Sedis Apoſtolicæ habente*, ideſt non excommunicato, non ſuſpenſo, non interdicto, ut explicat Gloſs. *in dict. cap. veniens*, Ordines recipiantur. Aliæ dicuntur generales, quod vel ad tonſuram, & omnes ſimpliciter ordines, vel ad eos ſolùm, ſi qui plures ſuperſint, excepto ſemper Epiſcopatu, recipiendos generalem licentiam concedant, etiamſi ad unum tantùm, vel alterum Epiſcopum dirigantur. Speciales quoque modo oppoſito duplicis generis dicuntur, quarum quædam ob reſtrictionem licentiæ ad tonſuram vel certos ordines, aliæ ob terminationem perſonæ, ad quam diriguntur ſpeciales dici queunt.

In dimiſſoriis generalibus priori modo hæc reſtrictio 17
adhiberi ſolet a quibuſdam, quod nonniſi ab Antiſtite. *Clerum, & Populum habente* ordinum recipiendorum licentia concedatur, ita nempè; ut facultas adimatur quibuſdam Antiſtitibus titularibus, quorum poteſtatem reſtringit Concilium Tridentinum *ſeſſ. 14. cap. 2. de reform.* vel aliis per Provincias vagantibus, qui diſciplinam Eccleſiaſticam, turbant, & quoſcumque ad ſe, ſine prævio examine admittunt, adeòut, de eorum quibuſdam dubium etiam eſſe poſſit, utrum Epiſcopali charactere ſint inſigniti. Contra iſtos vide Concilium Vermatienſe ſub Pipino *c.* 14. & Cabilonenſe II. ſub Carolo Magno *cap.* 43. & alia.

Hæc tamen reſtrictio dubitandi occaſionem ſuppedi- 18
tat, utrum qui tales habent dimiſſorias ab Epiſcopo titulari, Clerum, & Populum non habente, qui in altera Diœceſi rogatu Epiſcopi Diœceſani Ordines Generales celebrat, ordinari legitimè poſſint. Suppono verò legitimam fore ordinationem, ſi ab Epiſcopo, Clerum, & Populum habente, in aliena Diœceſi ex rogatu Epiſcopi Diœceſeos ordines celebrante, ordinati fuiſſent, quod infra docebimus. De titulari hic ſermo, illegitimè tales ordinari dimiſſorias a ſuis habentes triplici argumento probari poſſet.

Primò, quia non eſt extendenda iſta gratia contra di- 19
miſſoriæ epiſtolæ verba, & ſenſum. At ex hypoteſi verba dimiſſoriæ expreſsè ferunt, ut ab Epiſcopo, Clerum, & populum habente, Clericus ordinetur. Quæ verba, cùm exceptionem adhibeant, non erit legitima ordinatio ejuſdem Clerici, ſi ab Epiſcopo non habente Clerum ordinetur. Deindè quia Concilium Tridentinum *ſeſſ. 6. c. 5. de reform.* volens ejuſmodi titularium Epiſcoporum poteſtatem coercere, ſtatuit: *Ut nulli Epiſcopo liceat cujuſvis privilegii prætextu Pontificalia in alterius Diœceſi exercere, niſi de Ordinarii loci expreſſa licentia, & in perſonas eidem Ordinario ſubjectas*. Quibus verbis videtur ſaltem ejuſmodi Epiſcopis titularibus jure adempta facultas ordinandi aliquos, ei non ſubditos, in cujus Civitate Ordines celebrant, ſed cum dimiſſoriis alterius Epiſcopi accedentes. Poſtremò quia cui commiſſum fuerit excommunicare, vel abſolvere aliquos, vel diſpenſare cum irregularibus, id aliis demandare non licet ex Gregorii IX. ſententia *in cap. fin. §. cæterum de offic.* & *poteſt. Judic. deleg.* Ergo cui dimiſſoriarum literarum beneficio Clerici ordinandi poteſtas conceditur, alteri ut id faciat, poteſtatem dare non poteſt.

Contraria ſententia his oppoſitis rationibus utitur. 20

Pri-

Primò, quod nec concedentium literas dimissorias, nec Concilii Tridentini intentio sit adimere ulli Episcopo, quantumvis titulari sine Clero, sine Plebe, dummodò rogatu, ac loco alterius habentis Clerum, & Plebem ordines celebret, jus ordinandi alios, ex aliis Diœcesibus cum dimissoriis accedentes. Sed Episcopi quidem dimissorias concedentes cum hac clausula excludi tantùm volunt titulares Episcopos suo nomine celebrantes Ordines, ad quos Clericos suos succedere nolunt, ne vel rei sint præsumptæ ab iis sine licentia Ordinarii in alieno Territorio ordinationis, vel si illi ab Episcopo Diœcesis, in qua Ordines celebrant, licentiam obtinuerint, ipsi tamen clanculum Clericos suos ordinandos dimittere, vel non sufficienter probatos alienum examen refugientes, & conspectum, ad Episcopum, officiales non habentem, quibuscum examinet, & in ordinandos diligenter inquirat, nec territorum habentem, in quo publicè examinet, quasi ordinationem suffuraturos, rejicere videntur. Quæ omnia cessant, ubi titularis alieno nomine palàm, ac publicè celebrat, iisque solùm, quos Diœcesanus, in cujus Civitate versatur, vel ejus officiales ad Ordines præsentarint, sacram manuum impositionem impertitur.

21 Similiter Concilium Tridentinum supra de Episcopis tantùm loquitur, qui suo nomine privilegium aliquod jactitantes, cuilibet ad eos accedenti Ordines conferebant, non de iis, qui alieno nomine, & rogatu Ordines celebrant, qui communi jure *can. Pontifices 7. q. 1.* nituntur, per quod alterius rogatu potest aliquis Antistites ordines conferre, ideòque nec ex intentione conferentium tales litteras dimissorias, neque ex intentione, aut verbis etiam Concilii Tridentini, per quod intentio Episcoporum tales literas conferentium dijudicari debet, quippè qui ex Tridentino Concilio talem restrictionem hauserint, convincitur obesse prædicta exceptio, quominus quis ab Episcopo, non habente Clerum, & populum ordinari possit.

22 Secundò, quia dum talis Episcopus alieno nomine celebrat, non ipsi ordinatio adscribitur, sed Diœcesano, cujus rogatu celebrat. Esto ergo, exceptis delegatis Apostolicis *cap. Pastoralis de offic. Judic. deleg.* non possit quis, cui excommunicandi vel absolvendi potestas committitur, alium subdelegare, cùm ad hoc ministerium delectus sit, ejusque industria selecta. At ubi quis speciatim delectus non est, ubi ejus nec persona expressa, nec industria requisita est, ubi ad eum acceditur, qui jure communi potestatem habet alium pro se ordines celebraturum ex causa rationabili advocandi, ubi quicquid industriæ in ordinatione requiritur, & diligentiæ per eum agitur, ad quem dimissoria generatim saltem dirigitur, quis tunc dubitet in eo casu valere generatim juris regulam, *potest quis per alium, quod potest facere per seipsum, reg. 68. de reg. jur. in 6.* Ideòque quis non fateatur Diœcesanum posse vel per se, vel per alium Antistitem, quem rogaverit, sive Clerum, & populum habeat, sive non, commendatos sibi per dimissorias ordinare.

23 Tertiò, quia nisi id admittamus, multò minus poterit Episcopus Clericum ad se ex aliena Diœcesi dimissum sine examine, ut tenetur, etsi capax fuerit, probetur, atque ordinetur, per alios examinare, ac probare, sed ipse per se discutere, & examinare debebit; nam ejus fidei, ac diligentiæ commissum examen minus delegari posse videtur, quàm ordinatio, quæ fidem, industriamque personæ minus requirit, id tamen est contra praxim, & qui id assereret, nihil proficeret, quinimmò conscientiam multorum molestis dubiis & scrupulis solùm inquietaret.

24 Quartò, quia moris est, ut cum literis dimissoriis, etiam habentibus prædictam clausulam, prædictis Antistitibus, Clero, ac plebe carentibus, a viris probitate, & doctrina spectatissimis, ordinandi passim offerantur. Hunc morem qui reprehenderent, & plurimorum, ac gravissimorum virorum authoritati, quibus nemo vel mente contradicit sese opponet, & scrupulos multos injiciet. Certè in hac rationum paris ferè momenti contrarietate, consuetudinem tutò quemlibet se posse qui crediderim, cùm aliquando legi, & rationi ipsa prævaleat.

25 Circa generales dimissorias, quæ ad omnes ordines recipiendos conceduntur, observandum est, tales a Concilio Mediolanensi 4. *tit. quæ pertinent. ad Ordinis Sacramentum*, minimè probari, ut ex ipsius verbis patebit, eamque ipsius Constitutionem Aquensi Concilio, *eod. tit* placuisse, nec sine justa causa. Etenim vel ad ordines omnes dimissoriæ istæ simul conceduntur, ut brevi tempore omnes istos Ordines, is, cui conceduntur, consequi possit, vel, ut nonnisi diuturno, & a Canonibus præstituto tempore ordines isti ab illo recipiantur. Si eo fine dicamus istis literis licentiam ad omnes Ordines concedi, ut quam brevissimo temporis spatio recipi possint, concedent ergo Ecclesiastici Canones a Concilio Tridentino revocati, quibus, nonnisi per aliquod tempus in singulis Ordinibus exercitatis Superiores Ordines conferri prohibentur, corruet tota ista Ecclesiastica disciplina, qua tamen potissimum Clerici probantur. Si verò prædictæ literæ traduntur, ea tamen conditione, ut interstitia illa inter singulos Ordines, ministeriaque observentur, certè nihil urget, ut simul, ac semel ad illos omnes Ordines recipiendos eisdem literis licentia concedatur. Quinimmò videntur non prudenter concedi. Nam & in pejus illo interjecto tempore potest ordinandus ruere, potest & infamiam criminis subire, mores ipsius progressu istius temporis, vel deteriores fieri, vel existimatio, nominisque dignitas lædi possunt. Quod si per istud tempus infamia laboret, vel irregularitatem contrahat, quanto Ecclesiæ præjudicio, virtute istarum literarum homo perditæ famæ, atque conscientiæ ad Sacros Ordines nulla nova probatione teneatur, accedet.

Sed ponamus toto isto tempore innocenter aliquem 26
vixisse; Unde verò constabit, Ecclesiasticos eum mores imbuisse, erga disciplinam melius affectum vixisse, frequentius Sacramenta sumpsisse, presbyteris obedientiam, ac reverentiam majorem in dies exhibuisse, Sacra sui Ordinis ministeria devotè, ac piè tractasse, progressum fuisse de virtute in virtutem, sicut de gradu in gradum, quæ tamen Sacri Canones, & Synodi Tridentinæ decretum *c. 11. sess. 23.* explorata esse volunt, antequam ad Superiores Ordines ascendendi licentia cuiquam concedetur. Flocci illa omnia faciat necessum est, qui dimissorias ejusmodi literas generales concedit, nisi gravi, & urgenti causa ad eas concedendas inducatur, ut si in remotissimas regiones Clericus pietatis causa profectus fuerit, si beneficium curatum obtineat, in quo functurus suo officio, quam brevissimo tempore fieri possit, debeat ordinari, quamvis in priori casu satiùs sit dimissorias secundùm antiquum morem concedere; in posteriori nec generales passim concedi velim. Quis enim dubitet, quin v. gr. S. Audoeni tempore Ecclesia valdè afflicta fuerit, & ejus opera, quàm maximè indiguerit, electus tamen ad Ecclesiæ Rothomagensis gubernationem, tantisper ordinationem distulit, quo Ecclesiasticam disciplinam penitùs calleret, vita S. Audoeni apud Surium 24. *Augusti*.

Has autem literas dimissorias solus ordinariè, ac re- 27
gulariter Episcopus concedit. Ejusdem enim est literas ad ordines dimissorias dare, cujus est per se ordinare, *arg. ex reg. potest quis de reg. jur. in 6.* Itaque sicut Episcopus originis, domicilii, beneficii ordinare potest, *c. cùm nullus de temp. ordin. in 6.* ita & literas dimissorias dare. Per accidens tamen aliquando contingit, ut Episcopus, qui non potest per seipsum ordinare, possit dimissorias literas concedere, puta si electus sit, nondum tamen consecratus, si in Archiepiscopum electus, & consecratus, sed nondum palliuni habuerit. Nam electos quidem Episcopos, & confirmatos, quia habent Episcopalem jurisdictionem, dimissorias dare posse, licèt ordinare per se nequeant, constantis juris est, *c. nosti, & c. transmissum de elect. c. avaritia eod. tit. in 6.* ubi Glos. *v. Confirmetur, & c. 1. de translat. Episcop.* Archiepiscopis quoque, quos ubi electi, confirmati, ac consecrati fuerint, dimissorias concedere posse, nemo vel leviter ambigit, *c. suffraganeis de elect.* ante pallii susceptionem Sacros Ordines conferre, quædam jura interdicunt, *c. Quod sicut, §. supereo de elect.* Per accidens, inquam, id contingit; per se enim potestas ordinandi cum potestate judicandi conjuncta est. Unde Calixtus II. *ep. 2.* Sixtus II. *ep. 2.* Julius I. *ep. 2.* Hadrianus I. *in c. Ingiltamno datis c. 16.* Concilium Moguntinum sub Arnulpho *c. 14.* Capitularia Caroli *lib. 7. c. 308.* & in addit. *c. 149.* & alii passim authores unumex alio inferunt,

Et sanè naturalis est utriusque potestatis ordinis, & 28
jurisdictionis connexio, unaque alterius societatem amicè expetit. Unde in aliquo violento veluti statu detinetur, imperfectaque est, nec sibi sufficiens jurisdictionis Episcopalis potestas in Episcopo, cui potestas ordinis, vel nondum collata est, vel ad aliquod tempus suspensa, quamvis integra jurisdictio competat, ratione cujus dimissorias dare possit. Hinc fit, ut per se neque Prælati inferiores Episcopis, subditis suis, neque officiales, nisi ex speciali privilegio, neque Episcopi Vicarius Generalis, nisi ex speciali licentia, vel Episcopo absente, neque Capitulum, nisi fortè Sede vacante, dimissorias literas ad ordines recipiendos dare possint. Huic conclusioni fidem facit Bonifacius VIII. *in dict. cap. cum nullus de tempor. ordin. in 6.* his verbis: *Inferiores quoque Prælati Religiosi, vel aliis, nisi eis, quod*

suos

ſuos Clericos, aut ſubditos poſſint a quo voluerint Epiſcopo facere ordinari, a Sede Apoſtolica ſpecialiter ſit indultum, vel officialis Epiſcopi, eum ad hoc ſui ipſius officium non extendat, hujuſmodi nequeunt licentiam (ſuſcipiendi ab alio ordines) impertiri. Epiſcopo autem in remotis agente ipſius in ſpiritualibus Vicarios Generalis, vel Sede vacante, Capitulum, ſeu is, ad quem tunc temporis adminiſtratio ſpiritualium noſcitur pertinere; dare poſſunt licentiam ordinandi. Cujus Conſtitutionis capita omnia ſigillatim examinanda ſunt.

29 Olim exempti ab Epiſcopis, etſi ſpeciali indulto ab Apoſtolica Sede impetrato minimè niterentur, iis tamen, qui ſui corporis, ſeu Collegii, & Societatis eſſent, literas dimiſſorias dabant, ſi facultatem iſtam conſuetudine præſcripſiſſent, ut notat Gloſs. *in d. cap. cùm nullus v. Indultum.* Poterant & inferiores Prælati, puta Archidiaconi, Archipresbyteri, Abbates conſuetudine hanc facultatem præſcribere. Notatque alia Gloſs. *in c. Significaſti v. literas de offic. Archidiac.* Archidiaconos, & Archipresbyteros, quorum munus eſt ordinandos Epiſcopo ſuo præſentare, *cap. 1. & cap. ut noſtrum eod. tit. & cap. 1. de offic. Archipresbyt.* poſſe erga alios Epiſcopos ex *cap. 1. & cap. ad hæc de offic. Archidiac. & dict. c. 1. de offic. Archipresb.* ſi Diœceſani Epiſcopi abſentes eſſent, vel Sedes vacant, idem officium gerere, ideſt dimiſſorias tunc temporis, Eccleſiæ neceſſitate, vel utilitate poſtulante concedere, *c. cùm olim de major. & obed.* quod non videtur favere, ſi tamen conſuetudo eis ſuffragaretur, cujus quidem conſuetudinis exemplum habemus apud Frodoardum *lib. 3. hiſtor. Rem. cap. 11.* ubi Metropolitana Remorum Eccleſia, Paſtore vacante, impunè ceſſit Lupo Catalaunenſi Epiſcopo Harduini Remenſis Diœceſis in presbyterum ordinato, quod eum *Archidiaconus Remenſis Eccleſiæ cum aliis comminiſtris tàm Canonicis, quàm Monachis, illi obtuliſſet.* Nihilominus Innocentius III. *in cit. c. ſignificaſti*, dimiſſorias literas eis dare abſolutè prohibuit. Nec mirum, nam jus quidem repugnat, quominus ullus, præterquam Epiſcopus, poteſtatem iſtam ſibi vindicare audeat, conſuetudinis dumtaxat beneficium prædicti in dignitate conſtituti allegabant, ſed quæ corruptela potius, quàm conſuetudo quibuſdam viſa eſt.

30 Abbatibus quoque quibuſdam, & Superioribus Regularium olim plura privilegia conceſſa legimus dimiſſorias ſuis concedendi, quæ omnia revocata ſunt, niſi quod qui ad tonſuram, & minores ordines ſuos promovere poſſunt, cujuſmodi aliqui abſque dubio poſſunt, iiſdem quoque haud dubiè dimiſſorias ad iſtos ordines dare poterunt. Ex ea verò regula, quam ſtatuimus, ejuſdem per ſe eſſe ordinare, cujus dimiſſorias dare, inferri poteſt, quod ſicut Abbates, quantumvis exempti, & juribus Epiſcopalibus donati, non poſſunt ſæcularibus ſibi ſubditis ordines dare, ita nec dimiſſorias concedere, quod utrumque novo jure cautum eſt in Concilio Tridentino *cap. 10. ſeſſ. 23. de reform.* niſi fortè dimiſſorias concedere dicantur, quatenus ſibi ſubditos regulares ad Epiſcopum Diœceſanum ordinandos præſentant, vel ad alium Epiſcopum, ſed prius a Diœceſano probatos, & examinatos, ſi ipſe abſuturus ſit, nec ordinationes habiturus dimittant; dummodò tamen nulla fraus ſubſit, quod ſuorum ordinationem in tempus abſentiæ Epiſcopi Diœceſani, aut quo ipſe non eſt ordines habiturus, ex profeſſo diſtulerint juxta declarationes Sacræ Congregationis Concilii die 15. Maii 1596. quam etiam referunt Piatec. *in prax. Epiſcop. par. 1. cap. 1. num. 14.* & aliqui alii authores apud Barboſam *de offic. & poteſt. Epiſc. p. 2. alleg. 7. num. 18.* quam tamen Concilio Tridentino nequaquam præponderare exiſtimo, cùm omnes iſtæ declarationes in lucem editæ, a Summis Pontificibus improbatæ ſint, ideòque authoritatis habeant, quantum Concilii menti magis videatur congruere, & certius aliis argumentis nobis conſtat, eas ab Eminentiſſimis Cardinalibus promanaſſe, qualis eſt ea, de qua diximus. Sed id ultrò concedamus, nunquam tamen dabimus novo jure poſſe ipſos, etiam qui magni Abbates dicuntur, & exempti ſunt, & nullius Diœceſis, & id olim, vel ex privilegio, vel ex conſuetudine immemorabili, ac præſcriptione habuerint, ſæcularibus literas dimiſſorias dare. Vide Henriq. *lib. 10. cap. 22. num. 3. & cap. 12. num. 3.* Quarant. *in ſumm. Bullar. v. Capitulum Sede vacante.*

31 Idem dicas de Capitulis, aut aliis Præpoſitis, aut Prælatis inferioribus Eccleſiaſticis, quantumcumque terrulas, aut villulas habeant, in quas Epiſcopalem juriſdictionem, & contentioſam exerceant, quemadmodum contra Abbatem Pincianum, & Metienſem Henriq. *d. c. 13.* & Præpoſitum Terræ Prati Florentinenſis Diœceſis, Farinac. *dec. p. 4.* in Conc. Trid. *c. 10. ſeſſ. 13. de refor.* & Archipresbyterum Terræ Collis, & Archipresbyterum Barenſem, & Capitulum Salmanticenſe Romæ judicatum refertur, Henriq. *eod. c. 23.* nec prætendere poſſunt exempta illa Monaſteria, vel Capitula, quod Concilii Tridentini ſanctio ipſis ſignificata non fuerit. Nam ſi in Diœceſi, in qua ipſa ſita ſunt, legitimè promulgatum eſt, ſi eodem ritu, quo Eccleſiaſticæ leges in ipſa Diœceſi promulgari ſolent, publicatum fuerit, vel decretum ipſius, quo privilegia iſta revocantur, non dubium quin iſta facta promulgatione coincindant, cùm non majorem, immò verò minorem vim habeant, quàm ipſæ leges. Ideòque non majori in iis antiquandis opus ſit ſolemnitate, quàm in legibus abrogandis, vel derogandis. Quid ſi ipſa acceptare Concilii decretum renuant, an proindè nullius erit poſt promulgationem authoritatis? Immò contrarium tenendum eſt. Nam paucorum diſſenſu vim ſuam lex non amittit, aliàs nulla lex Eccleſiaſtica valeret, quia nihil tàm ſanctum, tamque ſalutare ſanciri poteſt, quod non aliquos offendat, in quod non aliqui incurrant.

Quod ad Capitulum, Sede vacante, ſpectat, jam di- 32
ximus. Non omnibus autem, neque paſſim dimiſſoriæ literæ concedendæ ſunt. Videtur ſanè Concilium Tridentinum, nonniſi Epiſcopo, infirmitate gravato, velle ejuſmodi literas dimiſſorias concedi, & optare, ut ea ceſſante, ipſe per ſeipſum omnes ſibi ſubditos ordinet *c. 3. ſeſſ. 23. de refor. Epiſcopi*, inquit, *per ſemetipſos ordines conferant. Quod ſi ægritudine fuerint impediti, ſubditos ſuos, non aliter quàm jam probatos, & examinatos, ad alium Epiſcopum ordinandos dimittant.* Et ſanè quis non ex hiſtoriæ Pontificiæ lectione perſpicere poſſit antiquos illos Summos Pontifices inter tot Eccleſiæ negotia, quæ ad ipſos ex univerſis terræ partibus deferebantur, inter tot perſequutionis procellas, quibus Eccleſia concutiebatur, nunquam tamen ab Ordinibus celebrandis ceſſaſſe, ſed ſtatis temporibus plures, paucioreſve Epiſcopos, Presbyteros, Diaconos ordinaſſe? Vide Pontificale Damaſi, ſeù vitas Summorum Pontificum, & Anaſtaſium Bibliothecarium. Summa hæc videtur eſſe Epiſcoporum gloria, quod Patres Populo Chriſtiano in Sacramento ordinationis generent. Singularis hæc eorum prærogativa, quod non tantùm filios, ſicut Presbyteri, verùm etiam Patres generare poſſint, Epiph. *in hær. Arii an. 75.* Minor hæc videtur eſſe opera, major dignitas, quàm Regum, Imperatorum creatio. Ideò Paulus, qui de ſeipſo dicere audiebat *1. Cor. 1. Non miſit me Chriſtus baptizare, ſed Evangelizare*, idem tamen non aliena ad ordinandum manu, ſed propria, uti conveniens ducebat, pluresque legitur ordinaſſe, quàm baptizaſſe, qui ad Corinthios dixit ibidem, *neminem veſtrum baptizavi*, idem *2. ad Thimotheum 1.* dixit, *Admoneo te, ut reſuſcites gratiam Dei, quæ eſt in te per impoſitionem manuum mearum.* Paterna hoc pietas, & charitas poſcit, ut quos per Evangelium genuiſti, patres facias per Ordinationis Sacramentum, nec alicujus eos manibus ſubjicias, quos tibi perficiendos Deus ſubjecit, refugitque paterna dilectio, non dicam, ne aliis nutricibus alendos, ſed aliis patribus fecundandos, ornandos, ditandoſque dilectiſſimos filios dimittas.

Unum hunc caſum ægritudinis, & infirmitatis agno- 33
vit etiam Nicolaus I. Alvino Januenſi, ſeu Albino Viennenſi Epiſcopo *d. can. Pontifices 7. q. 1.* quo caſu *vicinorum uſque ad ſanitatem recipiendam, Epiſcoporum auxilia ſubrogari* poſtulat. Non tamen excluduntur aliæ graves, & neceſſariæ cauſæ, quibus præpeditus Epiſcopus ad alium poſſit Clericum ſuum ordinandum dimittere, ut expreſsè meminit Concilium Mediolanenſe Provinciale tertium a Sancto Carolo habitum *tit. quæ pertin. ad Ordin. Sacram.* Neque ſi Epiſcopus ordines celebrat, cuivis ſine gravi cauſa debet literas dimiſſorias concedere, ne vel paternum videantur effugere beneficium, vel examen Epiſcopi ſui evitare. Concilium Colonienſe paſſim dimiſſorias prohibet, ſimiliter Moguntinum Provinciale *c. 84.* anno 1549. Clemens verò quartus *c. 1. de temp. ordin. in 6.* inſuper jubet, ut in Clerici Ultramontani literis cauſa rationabilis contineatur, ob quam ipſum Epiſcopus ordinare non potuerit, vel noluerit. Idem optandum eſſet in cæterorum dimiſſoriis literis contineri.

Fraudibus itaque, & ſubreptionibus occurens Syno- 34
dus Tridentina *dict. c. 3. ſeſſ. 23.* ſtatuit, prius debere ab Epiſcopo quemlibet examinari, ac probari, quàm dimiſſorias literas accipiat, nec ullum debere extraneum admitti, cujus mores, & probitas Ordinarii ſui teſtimonio non commendentur; quas ſanctiones explicans Mediolanenſis tertia citata, cui etiam adſtipulatur ferè per omnia Aquenſis ſupra, ſic habet: *Infirma valetudine, aliave juſta cauſa impeditus Epiſcopus, ſi ſtatas*

statas sacras ordinationes habere non potest, & aliquem propterea Clericum suum ad alium Episcopum mittere velit, a quo alicui Ecclesiastico Ordini adscribantur, testimonialibus literis ei datis, hæc adscribat, & testata faciat, vitæ in primis, & morum probitate, doctrinam, qua idoneus examine habito judicatus est, Ecclesiasticum Ordinem, quo est proximè initiatus. Tum præterea natales, aut dispensationem, si quam super illis obtinuerit. Si verò majori ordini adscribendus est, ætatem item, & titulum, sufficientemque censum beneficii, vel pensionis, vel patrimonii, quod ille habet. Quicumque Clericus non hujusmodi literas attulerit, quibus ea omnia adscripta, testatave fiant, ne adscribatur, perinde ac si nullas Episcopi sui literas dimissorias impetrarit.

35 Æqua sanè Constitutio, ut Episcopus neminem sibi subditum patiatur ordinari, sacro ministerio indignum, neminem offerat, de quo non legitimum testimonium ferat, neminem, nisi commendatum, probatumque præsentet. Certè, si, quod ob divinum institutum, & mysterii significationem vacat crimine, crimini tamen dandum esset Jacobo, quod alienam benedictionem sufuratus sit *Genes.* 27. An puta immunis foret a reprehensione Rebecca, quæ instrumenta dederat, quibus eam suffurari posset? *In me* ajebat illa, *sit ista maledictio*. Nec dubium est, quin in Episcopos, qui dimissoriis suis literis, quasi primogenituræ privilegio, secundogenitos, & in gratia minus provectos ornant, maledictio ista convertatur, quæ in caput indignè suscipientis ordines pro benedictione effunditur.

36 Neque verò tantùm ista Constitutio justa mihi videtur, sed necessaria. Neque enim fieri potest, ut ea omnia, quæ in prædicta Synodo Mediolanensi enumerantur, æquè a quoquam discutiantur, ac ab Episcopo proprio. Cæteri in his rebus cæcutiunt. Facile est circa ætatem, titulum, aliaque hujusmodi coram alieno Episcopo mentiri. Facile est falsa remotorum hominum supponere testimonia, eas etiam literas fingere, quarum ignota ipsa nomina sunt, & sigilla, qua de re jamdudum apud Alexandrum III. *c.* 1. *de Cler. pereg.* quærimonia fuit, qui ob id quinque sigilla, vel plura Episcoporum, cùm aliqui è distantibus valdè regionibus veniunt, in ordinatione voluit esse necessaria, ut supra notatum est. Quare aut earum rerum disquisitio omittenda, aut coram Episcopo proprio facienda.

37 Neque vero tantùm æqua, ac necessaria, sed antiqua hæc lex, atque regula. Esto enim antiquitus minus interesse videtur Episcoporum, qui Clericos a se dimittebant, quales ad ordines reciperentur, quia per literas dimissorias ab eorum potestate in alterius gubernationem transibant, ab Ecclesia ipsis subdita in alienam migrabunt, & ex ipsorum Clericorum catalogo expuncti, alieno inscribebantur. Nihilominus solebant literis dimissorialibus eos commendare, quos a se dimittebant, non autem commendabant, nisi quos probaverant, formidantes, ut patet ex Augustino *epist.* 137. illos alieno Episcopo subintroducere, qui de quovis crimine notati, vel diffamati essent. Hinc literæ, quæ ab iis dimissoriæ dabantur, commendatitiæ quoque dici solebant ex prædictis. Hinc in variis commendatitiis literis, qui dimittuntur, idem etiam commendatur, ut in epistola Attici apud Gratianum *can. Sanctissimo distinct.* 73. quam tamen in contrariam partem trahunt aliqui, Hermanno Clerico testimonium prohibetur, quod instructus, & attonsus fuerit, nec aliquid amplius ad ejus commendationem coram Antistite dicendum videbatur, a quo non illicò ordinandus, sed longo prius tempore tentandus, & conversatione divina probandus, eruiendusque sperabatur, quàm ordinandus. Rectè quidem Atticus ejus arbitrio ordinationem Clerici sui reliquit, quem tradidit magisterio.

38 Quo autem documento, quo exemplo ordinationem Clerici sui post unum, aut alterum mensem conferendam alteri Episcopo ullus committere possit, qui nec sibi notus, & probatus fuerit, nec alteri esse queat, hoc certè non video. Jam si epistolam Luitandi inspicias, videbis egregiam in ea Vvalfadi commendationem paucis, sed luculentissimis verbis comprehensam *tom.* 2. *Concil. Gall. Credimus enim, quoniam, & sapientia, & mores ad hoc*, idest majorum ordinum promotionem, *dignum eum vindicant*. In epistola dimissoria Dadonis Episcopi Virdunensis de Arduino, hoc testimonium legitur ibidem. *Ideo notum facimus Paternitati vestræ, quod præsens frater harum literarum portitor nomine Arduinus, non pro sua nequitia expulsus est a nobis, sed postulantibus fratribus nostris, eo quod ex familia nostra fuit, dedimus ei libertatem receptam a cornu altaris canonicè*, In epistola Hedilonis Rotgerio testimonium probitatis, & scientiæ sufficientis istud perhibetur ibidem: *Vita verò, & moribus hactenus, inter nostros probum, laudabilemque sciatis, scientiæ denique capax, ministerii quantum autumamus officium scire dignoscitur*. In epistola denique, quæ pro formula generali dimissoriarum proposita, Marculfi cum aliis pluribus adjungitur, quænam de Clerico, qui dimittitur, Episcopus eum alteri commendans testari debeat, his verbis explicatur ibidem: *Unde vestram fraternitatem compertam facimus, ut cuicumque placuerit eum suscipere, absque ambiguitate hoc faciat, sciens illum, & boni testimonii esse, & nobis sibi ab Ecclesia, quæ a nobis ad regendum commissa est, migrandi licentiam accepisse.*

Sanè qui Canones legerit, in iisque advertit, nemi- 39
nem ad Sacra tractanda ex aliena Parochia venientem, olim dimissum, nisi testimonio Episcopi sui probatum, idem persuadere sibi non poterit, Clericos ad altiores gradus ab alieno Episcopo, qui eos non nosset, evectos fuisse, nisi dimittentis Episcopi testimonio prius probati fuissent. Vigebat sanè tunc temporis Carthaginensis tertiæ Synodi *can.* 22. *ut nullus ordinetur Clericus, nisi probatus, vel examine Episcoporum, vel populi testimonio*. Jam verò cùm ordinatus ab alio Episcopo Clericus, proprio suo Antistiti stet, aut cadat, nec in ordinantis Episcopi, sed dimittentis Clerum adscribatur, si cujusquam est de ejus moribus, doctrina, pietate, industria, cæterisque, quæ in eis necessaria sunt, qui ad Clerum parantur, inquirere ac sollicitum esse, maximè erit Episcopi proprii, qui literas dimissorias ad ordines concedit.

Aliquando tamen ob graves causas Concilium Seno- 40
nense in decretis morum *cap.* 5. ante Concilium Tridentinum habitum sub Antonio de Prato anno 1528. permittit, ut alicui minimè examinato ejusmodi dimissoriæ literæ concedantur. Tota Sanctio lectu digna est. *Et quamvis*, inquit, *Episcopus originis, beneficii, aut domicilii non solùm ad ordines promovere, sed etiam literas dimissorias ad ipsos ordines concedere possit, injungimus tamen Suffraganeis nostris, ut si quando literas dimissorias ad Sacros Ordines indulgere voluerint, ne indigni assumantur, observent ordinem, qui sequitur, videlicet, quod volentes impetrare literas dimissorias, accedant ad Diœcesanos, qui super præmissis ætate, literatura, moribus, beneficio, seu patrimonio inquirant, ferventque diligenter prædictas solemnitates perinde, ac si in propria ordinare vellent, ac tunc sic examinato, concedantur literæ dimissoriæ, remittaturque ita examinatus cum literis ipsis, in quibus etiam declaretur prædicta solemnitas sic observata, fiatque mentio expressa de beneficio, aut patrimonio, ut Episcopus, ad quem se conferet ordinandus, eum sine scrupulo promovere, & ordinare possit. Quod si propter infirmitatem, aut aliam causam rationabilem is, qui literas dimissorias obtinere cupit, non possit commodè accedere ad suum Episcopum, tunc remittatur super ætate, litteratura, ac moribus, ut prius examinandus ad Episcopum, cui literæ dimissoriæ præsentabuntur, inseraturque in iis literis dimissoriis clausula, super quo conscientiam tuam oneramus, proviso tamen, quod nunquam concedantur literæ dimissoriæ, nisi illi, qui habuerit beneficium, aut patrimonium prætaxati valoris.*

Certè raro quisquam Clericus alterius Civitatis Epi- 41
scopo, sive Officialibus ejus examinandus relinqui debet, si sarta tecta disciplina haberi intenditur. Etenim, prout in aliqua Diœcesi magis, minusve in Sacerdote, vel inferioris ministerii Clerico desideratur eruditio, aut Clericorum major est copia, vel necessitas, vel disciplinæ major profectus, vel minor, quis dubitet circa ordinandorum habitum, gestum, modestiam, doctrinam, diversa fore judicia, diversas esse sententias? Itaque si quis ob rationabilem, & gravem causam Episcopus absenti literas dimissorias dare constituat, ei imponendam esse hanc obligationem arbitrarer, ut cùm, si quis fortè, vel in Civitate, in qua petens dimissorias moratur, vel in locis vicinis Episcopo concedenti benè notus sit, qui genium loci, & quid Ecclesiæ ordinandi conducat, optimè calleat, primum adeat, ab eoque probetur, antequam dimissorias accipiat, quibus tamen licebit ad majorem severitatem eumdem ad Episcopi ordinaturi examen rejicere. Addit & aliam cautionem Mediolanensis quinta Synodus *par.* 3. *titul. de initiand. Sacram.* ut nempè si ita videatur, Episcopos alium Antistitem pro inquisitione sui Clerici, & examine deleget, nec prius literas dimissorias concedat, quàm literas ab eo receperit, inquisitionem continentes, quas & ipse discutiat, & juxta eas, dimissorias, vel concedat, vel deneget. Quod est juxta declarationem Sacræ Congregationis Concilii in Senensi 26. Februarii 1691. quæ est hujusmodi: *Questa Sacra Congregazione ha più volte risoluto, che gli Ordinarii possino conceder le dimissorie per gli Ordini* etiam *sacri a' loro Diocesani assenti, purche prima fatte le dovute diligenze, & inquisizioni consli loro de' requisiti, poten-*

tendo essi commettere l'esame a persona idonea confidente nel luogo, dove si troveranno gli Ordinandi, e con l'approvazione poi attestare della loro sufficienza.

42 Verùm quæstio est, an ubi ex literis dimissoriis constat, ab Episcopo proprio fuisse aliquem examinatum, examinari iterùm possit, aut debeat? Breviter respondeo, non esse quidem necesse, ut in vitam, & mores inquiratur ordinandi. Nullum enim majoris authoritatis haberi potest, quàm Episcopi proprii testimonium, nec alius ipsius Judex est, ut in eum inquirere possit. Potest tamen si quid mali in eo compererit, Episcopum proprium monere, ut de eo quæstionem faciat, quomodo Sanctus Gregorius Clero, & Civibus Neapolitanis *lib. 8. epist. 40.* refertur *in can. de Petro dist. 47.* de Petro a Neapolitanis electo, quem aliàs personam sibi ignotam fuisse testatur, rescribit, ut diligenter inquirant circa crimen usurarum, de quo apud ipsum insimulatus fuerat, & si innocens compertus esset, cum decreto ad eum ordinandum dimitterent. Si pariter, vel levis de literis Episcopi proprii dubitatio moveretur, non dubium est, quin satius esset aliquod tempus præstolari, quo vita, ac mores ordinandi diligentius inspicerentur, & literarum testimonialium Episcopi fides augeretur, maximè si probabile sit ipsum ordinandum in Diœcesi ordinaturi commorari velle, ut patet tum ex Canone 8. Concilii Arausicani primi, duo requirentis ad ordinationem Clerici, qui in alterius Civitate manere voluerit, puta & consultationem cum Episcopo proprio, & habitationem ordinandi in ea Civitate, in qua morari vult, ut nempè interim mores ejus, & vita notari possint, & ex rescripto Alexandri III. *cap. 1. de Cler. peregr.* qui Clericum peregrinum consuluit non esse recipiendum, nisi & literarum dimissoriarum fides discussa fuerit, & aliquo tempore suspensi detineantur, donec de eorum actibus plenius Episcopus, eos admissurus instruatur. Quæ quidem testimonia haud dubiè prævalent quibusdam Glossis, quæ sine ulla probatione, & examine dimissos ab Episcopo, & commendatos docent, eas tantùm authoritates præferentes, quæ sine commendatitiis Episcopi proprii literis quemquam ordinari vetant: Eæ Glossæ sunt *in can. Episcopum 9. q. 2.* quas ibi sequuntur Præpositus *num. 3.* & Gemin. *num. 2. in can. Si quis Episcoporum v. ordinet 19. q. 3.* & aliæ.

43 Tutius est autem, saltem si Concilii Tridentini *sess. 23. c. 3. & 8. de refor.* observatio in usu sit, non solùm Episcopum, literas commendatitias dantem, examinare ordinandos, saltem quoad doctrinam, & eruditionem, verùm etiam Episcopum, ad quem dimissoriæ diriguntur. Nam Concilium, quod prius *d. c. 3. & 8. sess. 23.* ut vidimus supra, expressè statuit, idem habentes literas dimissorias, quibus a quocumque ordinari possint, ab Ordinario examinandos innuit, *c. 11. sess. 7. de refor. facultates*, inquit, *de promovendo a quocumque non suffragentur, nisi habentibus legitimam causam, ob quam a propriis Episcopis ordinari non possint, in literis exprimendam, & tunc non ordinentur, nisi ab Episcopo in sua Diœcesi residente, aut pro eo Pontificalia exercente, & diligenti prævio examine.*

44 Quamvis enim possint ista dici decreta de iis, qui a Summo Pontifice facultates habent, ordines a quocumque suscipiendi, non dubium tamen est, quin ad eos etiam, qui eamdem a suo Episcopo licentiam habent, possint extendi, præsertim cum id Mediolani, teste Bonac. *de Sacram. disp. 8. q. unic. punct. 4. ad fin.* Neapoli, teste Quaranta, *v. Ordo, vers. obligationem Episcopi*, atque aliqui observetur, nec periculum sit ullum, quod quis denuò examinetur. Nam qui dignus est, semper reperietur dignus, & aliquando accidit, ut indignus, sive ob festinationem interrogantis, ejusque inadvertentiam, sive ob incuriam, sive felici quodam eventu, ut quis in eas quæstiones rogatus fortuitò inciderit, quas solùm noverit, cùm tamen in reliquis omnibus, vel ferè omnibus ignarus sit, pro digno habeatur. Deindè minimum incommodum Ecclesiæ creatur ex ejus rejectione, qui utcumque dignus fuerit, maximum verò ex ejus receptione, qui omninò indignus sit. Itaque non tàm curandum, ne dignus rejiciatur, quàm cavendum, ne admittatur indignus, verendumque, nedum Episcopus Clericum suum iterum examinandum credit, in examinando negligens, alter, qui ordinat, dum examinatum suspiciatur, nimium facilis, uterque non satis cautus, ignaros in Ecclesiam inducat, hic sua manu, ille testimonio.

45 Plures alias cautiones in dimissoriis concedendis adhibet Mediolanensis Provinciæ Præsides Sancto Carolo, Synodus quarta *tit. quæ pertinent ad Sacram. Ordin.* quas etiam adhibet Aquensis *eod. tit.* & observare utilissimum fuerit: *Sæpè*, inquit, *illud, facileque evenit, ut vel hominis mores mutentur, vel quod de illius vitæ minus antea notum, atque exploratum erat, id postea aliquo modo patefiat, quo fit, ut quem Episcopus, superiorve aliquando probarit, dignumque existimarit, aliquo etiam Sacro Ordine initiari illum ipsum post inveniat indignum, neque idoneum esse, cui idem, aut major Ordo conferatur. Quare, ut & erroribus, multiplicique fraudi occurratur, & plane serventur decreta illa Tridentina cap. 11. sess. 23. Unum, quod vetatur ad Superioris Ordinis gradum illos ascendere, qui in inferiori aliquandiù Episcopi judicio versati non sint, quique eum ætate, vitæ etiam merito, doctrinaque majori non processerint. Alterum quo ibidem c. 8. cavetur, nemini licere ab alio Episcopo primam tonsuram, aut ordinem aliquem suscipere, nisi ejus probitas, & mores ordinarii sui testimonio primum commendentur, Episcopus, aliusve Superior, prout pro sua prudentia, pietateque expedire censuerit, in primis videat, ne cuiquam antequam Sacræ Ordinationis tempus proximè instet, literas ejusmodi testimoniales, dimissoriasve pro Ordinibus ab alio Episcopo suscipiendis sine necessaria causa unquam concedat, neque item eisdem literis facultatem det plures Ordines suscipiendi, quàm illos ipsos tantùm, quos uno, eodemque tempore ab eo suscipi voluerit, ac per Sacros Canones, Conciliaque licuerit. Præfiniat præterea in illis certum suscipiendi Ordinis, cui quisquam adscribendus est, tempus, menstruum scilicet, vel bimestre, vel longius, ut pro loci distantia, pro aliave ejusmodi causa opus esse viderit. Quo præstituto tempore transacto, eas literas eo nomine a se concessas ei in posterum nihil suffragari, nihilque roboris habere iisdem literis declaret, quas etiam Cancellario Episcopali ab illo, cui concessæ sunt, reddi decernat. Nec verò alienæ Diœcesis Clerico sæculari, nec ulli omninò regulari, literarum authoritate, quas dimissorias, testimonialesve, hic a Superiore, aut ille ab Ordinario suo habet, Episcopus ordinem aliquem, vel minorem, vel majorem, ac ne primam quidem tonsuram, tempore illarum literarum præterito conferat. Quod si nullum eisdem literis spatium temporis præscriptum sit, ne item in Sacra Ordinatione quemquam promoveat, nisi eas recenter, aut scriptas, aut renovatas, confirmatasve is adferat, atque ita recenter quidem, ut non amplius duobus, tribusve mensibus ante Sacræ Odinationis, qua ille proximè initiandus est, tempus, datæ, confirmatæve sint, si modò aut loci distantia, aut ejus, qui ordinem suscepturus est, diuturna ab Episcopo suo, Superioreve absentiæ, aliaque id generis causa vetustiores literas, ejusdem Episcopi judicio admitti, probarive non postulet. Idipsum quoque Episcopus in testimonialibus morum literis cavebit, quas suæ etiam Diœcesis Clerici, aliive quicunque eo de genere afferent.*

Ex iis autem primus modus sufficienter explicatur, 46
quo literæ dimissoriæ extingui solent, nempè temporis ad ordinationem datis spatium effluxerit. Quod enim in causis aliquando evenire solet, ut lites longo eremodicio contritæ, & oblivione longissimi temporis sepultæ, novo diplomate excitari debeant, idem in his literis contingit, ut elapso licentiæ concessæ tempore, nullo subsequuto effectu, literæ ipsæ interciæ, & obsoletæ, nullius utilitatis existant, sed aliæ ab Episcopo impetrari debeant, qui modus emortuæ epistolæ dimissoriæ usitatus esse minimè solet, quamvis maximè necessarius, quippè cùm nullum certum tempus in literis dimissoriis pro recipiendo ordine, quod consentaneum maximè esset ob rationes a Mediolanensi citato Concilio allatas, præscribi consueverit.

Alius modus est, revocatio literarum dimissoriarum 47
facta ab Episcopo, & ei, qui eas impetravit juridicè significata, ut per Glos. *in c. ex parte v. non valere de rescript. & in c. mandatum v. revocato de procur.* & alibi. Vel decreto publico confirmata, *c. si postquam, c. dudum, c. si beneficia, c. quidam de præbend. in 6.* quo casu significatione opus non est, sed revocatio eo ipso significata intelligitur, quo publicè promulgata. Unde ignorantes obligat, quamvis qui contra revocationem ignoranter agunt, a peccato nonnunquam, a pœna ferè semper debeant excusari, ut colliges ex iis, quæ Theologi docent, agendo de legibus, & peccatis. Notatu autem dignum est, quod habet Navar. *conf. 34. de temp. ordin.* non censeri Episcopum dimissorias literas revocasse ex eo, quod ordinando dixerit, velle se ordines celebrare, ideòque nolle, quod ipse ab alio ordines suscipiat. Nam prohibitio ista expressè non videtur esse revocatio, sed simplex tantùm prohibitio, cujus nec ipsa transgressio ex intentione prohibentis fortè colligetur, peccatum ullum, vel saltem grave peccatum inducere, si tamen contemptus absuerit. Certum est autem, Episcopum adeuntem suæ dignitatis ministerium tàm a Capitulo datas, quàm a prædecessore suo dimissorias revocare posse, ut per Rebuff. *in prax. rubr. de form. liter. dimissor. n. 44.* Campan. *rubr. 9. divers. jur. can. c. 8.* & alios. Neque enim quicumque ante ipsum Diœcesim administrarunt, eum ligandi authoritatem habent.

Quæ-

48 Quæritur, an aliis modis dimiſſoriæ literæ extinguantur, an ſcilicet per revocationem Vicarii Generalis, an per mortem concedentis ſive Epiſcopi, ſive ejus Vicarii? Ratio dubitandi eſt, quia mandatum extinguitur morte mandantis, *l. mandatum*, *C. mandat. c. gratioſæ de reſcr.* 16. Itemque revocato procuratore, quæcumque poſtea in vim ejus procurationis aguntur, nulla ſunt, *c. auditis de procurat.* & alibi, eaque eſt revocationis vis, ut quæ ſaltem imperfecta ſunt, revocatione impediantur, quominus perfici poſſint, *cap.* 15. *cui de præbend. in 6.* Quinimmò revocato aliquo, quæcumque inde ſequuntur revocata videantur, *Clem.* 1. *de immunit. Eccleſ.*

49 Contrarium tamen juxta hodiernam praxim tenendum eſt. Tum quod gratia perpetua ſit, nec ceſſet obitu concedentis, *l. faliò, Cod. de diverſ. reſcript.* Tum, quod licèt mandatum de conferenda gratia morte concedentis ceſſare fortè debeat, fortè dixi ob contrarium, *cap. ſi ſuper gratia de offic. deleg. in 6. & cap. ſi cui de præbend. pariter in 6.* At non eam gratiam ceſſare convenit, cui jam conceſſæ nihil præter uſum, vel exequutionem deeſt *d. cap. ſi cui, & d. cap. ſi ſuper gratia*. Decet enim conceſsum beneficium eſſe manſurum, *cap. decet de reg. jur. in 6. & d. cap.* 13. *cui de præbend.* Licèt pariter revocatio operetur, ut Vicarii, vel procuratoris revocati acta omnia poſt revocationem nulla ſint, non tamen operatur, ut ante revocationem conceſſa, etiam re integra ſtante, nulla ſint, ut ex pluribus capitibus *in tit. de procurat.* Neque id tantùm locum habere Authores paſſim docent in Vicariis Generalibus Epiſcoporum, verum etiam Capituli, a quibus impetratas literas dimiſſorias valere putant, re etiam integra, etiam poſt confirmatum, conſecratum, & receptum Epiſcopum, Quarant. *in ſumm. Bullar. v. Capitulum, verſ dubitatur*, Petrus de Ledeſma *in ſumm. par.* 1. *de Sacram. Ordin. cap.* 8. *concl.* 4. Molina *de juſtit. & jur. tract.* 5. *diſput.* 11. *num.* 4. & alii. Conſulit tamen Guttierez *canon. qu. lib.* 2. *cap.* 17. *num.* 12. ordinatoribus, ne poſtquam inaudierint novum Prælatum, poſſeſſionem ſui Epiſcopatus adeptum eſſe, eas libenter acceptent. Vetitum autem eſt earum ullam habere rationem, ſi revocatæ a novo Epiſcopo fuerint. Poſſunt verò, ut diximus, revocari, quod cùm non infrequens ſit, jure a quovis Antiſtite timeri poteſt. Cæterum dictum noſtrum etiam ampliamus ad dimiſſorias, quæ nondum audita morte Antiſtitis in remotis agentis a Vicario Generale conferuntur. Nam quandiù de ejus morte nihil auditum eſt, Vicarius ejus Generalis authoritate legitima fruitur, ſæpè enim accidit, ut poteſtas in moralibus legitima ſit, eo quod pro legitima habeatur, ideòque dimiſſoriæ ab iis conceſſæ, ab authoritate legitima promanantes, eandem vim habent cum cæteris, quæ morte concedentis, vel ejus, cujus nomine conceduntur, minimè expirant.

50 Formulas literarum pro informationibus committendis, ac dimiſſoriarum exhibent acta Mediolana Sancti Caroli 8. & Rebuffus *in prax. benefic. d. tit.* Barboſ. *in formular.* & alii plures.

51 Porrò Decreta Tridentini *d. cap.* 10. *ſeſſ.* 23. ampliantur, ut Capitulum, vel ejus Vicarius non poſſit dare dimiſſorias intra annum, ut ſupra arctato, alia cauſa quàm beneficii, ut ſi neceſſarii eſſent ordines ad obtinendum gradum Theologiæ, Sanchez *opuſc. lib.* 7. *cap.* 1. *dub.* 20. *num.* 38. Item ampliatur, quod Vicarius Capitularis non poteſt dare dimiſſorias tàm intra, quàm ultra annum, Sede vacante, niſi ei fuerit hæc facultas ſpecialiter mandata a Capitulo, ſecus eſt in Vicario Apoſtolico, niſi ei fuerit reſtricta facultas in literis ſuæ commiſſionis, Guttierez *loc. cit. lib.* 2. *cap.* 12. *num.* 22. cum Panvino, & Mandoſio. Ampliatur denique, quod illa pœna interdicti eſt latæ ſententiæ, Henriq. *lib.* 13. *cap.* 43. *num.* 5. Sanchez *ibid. num.* 36. Vivald. *de inter. num.* 18. Sayr. *lib.* 5. *de cenſ. cap.* 12. *numer.* 15. Quia verbum ſubjaceat, ut alibi diximus, eſt latæ ſententiæ.

52 Id autem limitatur primò, quod non eſt vetitum per hæc Decreta Concilii Capitulo, vel Vicario concedere commendatitias de vita, & moribus ad effectum ordines recipiendi, v. gr. vigore Brevis a Papa obtenti, Navarr. *conſ.* 10. *num.* 1. *de tempor. ordin.* Sanchez *dict. dub.* 20. *num.* 37. *ac dub.* 26. Secundò, limitatur, quod interdicti illius perſonalis generici abſolutio nemini eſt reſervata, ideò poterit Epiſcopus ſucceſſor abſolvere ex *cap. nuper de ſent. excom.* Coninch. *de cenſur. diſput.* 17. *numer.* 76. Confeſſarius autem non poteſt in hoc caſu abſolvere particulares Canonicos. Limitatur tertiò, quod illa pœna privationis Privilegii Clericalis, lata contra ordinatos in minoribus, vel prima tonſura initiatos, non afficit ante declaratoriam, ut per Bonac. *de ſuſpenſ. in partic. quæſt.* 1. *punct.* 11. *num.* 21. ut in ſimili habetur in Bulla Urbani VIII. *Secretis* contra Italos promotos falſis dimiſſorialibus. Immò aliqui dicunt, illam pœnam privationis Privilegii Clericalis in hoc Decreto Tridentino non eſſe latæ ſententiæ, ſed ferendæ propter verbum, *non gaudeat*, quod eſt futuri temporis, ut per Navarr. *dict. conſ.* 19. Sanchez *loc. cit. dub.* 28. *num.* 14. Limitatur quartò, quod ordinandi in minoribus in hoc caſu non incurrunt ſuſpenſionem, tanquam ordinati ſine licentia ſui Epiſcopi, quia facta eſt commutatio in hanc pœnam privationis Privilegii Clericalis, Suarez *de cenſur. diſp.* 31. *ſect.* 1. *num.* 20. & Sanchez *ibid. dub.* 28. *num.* 5. & 14. Limitatur quintò, quod ubi Tridentinum non eſt receptum, ſervabitur jus commune, de quo *d. cap. cùm nullus de tempor. ordin. in 6.* ut poſſint etiam intra annum a Capitulo dimiſſoriæ concedi, Tolet. *lib.* 2. *cap.* 49. *verſ.* 2. Sanchez *dict. dub.* 20. *num.* 37. cum Salzedo.

CONSULTATIO CLXIX.

An, & quatenus facultates de promovendo ſuffragentur? Et quomodo, & a quo unuſquiſque promoveri debeat? Pœna in contrafacientes?

EXtat hac de re Decretum Sacri Concilii Tridentini *ſeſſ.* 7. *cap.* 11. *de reform.* in hæc verba. *Facultates de promovendo a quocumque non ſuffragentur, niſi habentibus legitimam cauſam, ob quam a propriis Epiſcopis ordinari non poſſint, in literis exprimendam, & tunc non ordinentur, niſi ab Epiſcopo in ſua Diœceſi reſidente, aut pro eo Pontificalia exercente, & diligenti prævio examine.* Interim tamen dum promovetur, debet per Capellanum miſſarum onera, ad quæ tenetur, ſuſtinere ex Sacra Congregatione in Oſcen. & Algaren. 1

Hujuſmodi facultates intelliguntur a Sede Apoſtolica conceſſæ, non autem ab Ordinariis, quæ appellantur literæ dimiſſoriæ. Novum eſt hoc Decretum, cui ſubnecto *cap.* 8. *ſeſſ.* 23. *de reform. Ordinationes Sacrorum Ordinum ſtatutis a jure temporibus, ac in Cathedrali Eccleſia, vocatis, præſentibuſque ad id Eccleſiæ Canonicis, publicè celebrentur. Si autem in alio Diœceſis loco, præſente Clero loci, dignior quantum fieri poterit, Eccleſia ſemper adeatur. Unuſquiſque autem a proprio Epiſcopo ordinetur. Quod ſi quis ab alio promoveri petat, nullatenus id ei, etiam cujuſvis generalis, aut ſpecialis reſcripti, vel Privilegii prætextu, etiam ſtatutis temporibus permittatur, niſi ejus probitas, ac mores Ordinarii ſui teſtimonio commendentur. Si ſecus fiat, ordinans a collatione ordinum per annum, & ordinatus a ſuſceptorum ordinum exequutione, quamdiu proprio Ordinario videbitur expedire, ſit ſuſpenſus.* 2

Ordinationes autem Sacrorum Ordinum ſtatis a jure temporibus celebrari debent, *cap. ſanè*, ibique Gloſſ. *v. quatuor, & cap. ſequenti de tempor. ordinat.* Non tamen Privilegium ſuſcipiendi Ordines extra tempora intuitu perſonæ conceſſum, hoc Decretum ſublatum eſſe, cenſuit Sacra Congregatio. Et in Cathedrali Eccleſia, ut *can. Ordinationes* 2. ubi Gloſſ. *diſt.* 75. Quod niſi urgens neceſſitas aliud expoſcere videatur, ſervandum dixit Sacra Congregatio. Si autem Epiſcopus contrafaciet, etſi perperam facere dicendum erit, non ideò Canonici ei dare aſſiſtentiam non tenentur, cùm Epiſcopo, Pontificalia exercenti, ſive in Cathedrali, ſive in alia Eccleſia, in Civitate, vel ſuburbiis, Canonici ex Sacra Congregatione teneantur præſtare aſſiſtentiam. 3

Unuſquiſque autem a proprio Epiſcopo ordinandus eſt, ex quo declaratur *can. fraternitatem diſt.* 71. *& tot. tit. de temp. ordin. in 6.* cùm qui facultatem a Sede Apoſtolica obtinuerit, ut poſſit ordinari ab alio, quàm a ſuo ordinario, ejus nihilominus probitas, & mores Ordinarii ſui teſtimonio ſint comprobandi; & ſignatura gratiæ Sanctiſſimi jamdudum conſueverit in hujuſmodi facultatibus ponere clauſulam illam, de licentia Ordinarii, cujus teſtimonio mores, & probitas commendentur, & hoc ex Sacra Congregatione in omnibus ordinibus intelligendum eſt tàm ſacris, quàm minoribus. 4

Et cùm ex declaratione Gregorii XIII. ex ſententia Sacræ Congregationis edita, Regulares teneantur ſuſcipere Ordines Sacros, vel dimiſſorias ab Epiſcopis, in quorum Diœceſi eſt Monaſterium, in quo dum ordinantur, degunt, Sixtus V. dixit, Regulares poſſe concedere dimiſſorias ad Epiſcopum Diœceſanum, eoque abſente, ad quemcumque, debere tamen ab ordinante examinari quoad doctrinam, & quoad abſentiam Epiſcopi Diœceſani intelligendum eſt, ſi is ſtatis temporibus 5

poribus ordinationes non habeat; ſubditum etiam alienum, qui cum dimiſſoriis ſui Epiſcopi ab alio Epiſcopo ordinatur, poterit Epiſcopus ordinans, ſi ſibi videbitur, examinare. Et cùm N. peteret, ne quis ſibi ſubditos abſque fide, & teſtimonio ipſius de vita, & moribus poſſit ordinari, Sacra Congregatio dixit, tunc tantummodò poſſe illum tales fides dare, cùm ab Epiſcopis ordinantibus requiruntur.

6 Quærenti Cardinali Portugalliæ, an per hoc Decretum, & *cap.* 11. 12. 13. & 14. eſſet ſublatum indultum Apoſtolicum conceſſum Religioni Societatis Jeſu dictæ Provinciæ, ut poſſint extra tempora ad Sacros Ordines promoveri, Sacra Congregatio cenſuit, Indultum hujuſmodi eſſe revocatum a Concilio.

7 Epiſcopus autem vocatus poteſt ordinare in Diœceſi vocantis, *can. Pontifices 7. quæſt.* 1. & exercere omnem juriſdictionem, etiam contentioſam in alieno territorio de conſenſu Judicis illius, & partium, quas tangit, ut tenet Alex. Jaſ. & melius Decius *in leg. fin. num. 9. de juriſdict. omn. Judic.* & ex his poteſt etiam in alterius Diœceſi cum licentia Ordinarii loci ordinare ſuos Clericos, & alios de licentia ſuorum Epiſcoporum.

8 Ordinarius permittere poteſt ſuum Diœceſanum ad Sacros Ordines promoveri ab alio Epiſcopo, ſi tamen ipſe prius probitatem ejus, & mores teſtimonio ſuo commendaverit, ut in hoc Decreto, cui hac in parte non adverſatur *cap. 3. dict. ſeſſ.* 22. *de reform.* Ex Sacra Congregatione Concilii in Cajetana 24. Septemb. 1573. ut etiam infra.

9 In Briſinon. Ordinatio poteſt fieri etiam in Eccleſia exiſtenti in ſuburbiis, Sacra Congregatio ſuper Epiſcopis ex ſententia Sacræ Congregationis Concilii, quæ ita cenſuit, & decrevit 19. Februarii 1585.

10 Ex *d. cap.* 3. permittitur Epiſcopo, quando reſidet, & ægrotat, dare dimiſſorias, non tamen in caſu abſentiæ prohibetur. Quod autem Epiſcopus ægrotus poſſit concedere dimiſſorias, non eſt contra id, quod ſtatuitur *in d. cap.* 8. dum dicitur unuſquiſque a ſuo Epiſcopo ordinetur. Quia ibi non prohibetur, quominus propter abſentiam, vel alia cauſa impeditus, concedere quis poſſit dimiſſorias, & ſic ita non conceditur, ut dari poſſint dimiſſoriæ, & tunc ſolummodò dari poſſint, cùm quis ægrotat. Quod ſi ex duobus his capitibus quis inferat, non licere Epiſcopo alium Epiſcopum in ſuam Diœceſim adſciſcere, & illi generalem facultatem concedere, Ordines ſuis ſubditis conferre, quod ex *cap.* 5. *ſeſſ.* 6. permitti videbitur dicendum in duobus his capitibus agi de iis ſubditis, qui extra Diœceſim ordinantur, non autem de iis, qui intra Diœceſim Ordines ſuſcipiunt, quo caſu ſufficit generalis licentia Epiſcopi abſque licentia Sedis Apoſtolicæ. Quæ omnia ſemel, ac iterum a Sacra Congregatione fuerunt approbata.

11 Epiſcopi igitur, ut habetur *dict. cap.* 3. *ſeſſ.* 23. *de reform. per ſe ipſos Ordines conferant, quodſi ægritudine fuerint impediti, ſubditos ſuos non aliter, quàm jam probatos, & examinatos, ad alium Epiſcopum ordinandos dimittant.* Id, quod a primordiis naſcentis Eccleſiæ cautum fuit Concilio Carthagin. 3. *cap.* 21. ut nullus Clericus ordinaretur, niſi probatus, vel Epiſcoporum examine, vel populi teſtimonio. Id etiam liquet ex *can. quando diſt.* 24. ex Concilio Nannatenſi *can.* 11. Poteſtque Epiſcopus cuivis abſenti literas dimiſſorias dare, & ordinandum etiam ſubjicere ſuo examini, ſi ita ſibi videbitur, & ſi abſentes ſint ad ſe examinis cauſa evocare, ſi commodum erit, alioquin eorum examen debet committere ordinario loci in quo illi degunt, & ordinandi.

12 Hoc autem Decretum *dict. cap.* 3. ad unguem eſt ſervandum, quando Clerici ordinari volentes, ſunt præſentes, quia tunc neceſſariò ſunt examinandi, ſed quando abſunt, potuit examen committi Epiſcopo ordinanti, ejus conſcientiam onerando, ut ſupra dictum eſt. *Ma non oſtante le coſe ſuddette la Sacra Congregazione ha ſempre tenuto, che miglior prattica ſia il fare eſaminare prima dal delegato il promovendo, ed avendo relazione, che ſia ſufficiente, dargli le dimiſſorie, facendo menzione, che è ſtato eſaminato, ed approbato. E così ſi oſſerva da' migliori Prelati:* Ita ſæpiùs ſcripſit Sac. Congregatio ſuper Epiſcopis.

13 De jure communi recipiens ordines extra tempora a jure ſtatuta, non eſt permittendus in ſuſceptis miniſtrare *d. cap. ſanè de temp. ordin.* Et olim quidem cautum erat, ut ſuſpenſus, ſeu depoſitus permaneret, donec a Sede Apoſtolica reſtitutionis gratiam meruiſſet obtinere, *cap. Cùm quidam eodem tit.* Sed poſtea Gregor. IX. *in cap. Conſultationi eodem tit.* ſtatuit, ut cum taliter ordinatis, pœnitentia peracta, ab Epiſcopo poſſit diſpenſari, ut in ſuſceptis miniſtrent, ut notat Gloſſa *ibi*, & Sayr. *de cenſur. lib.* 4. *cap.* 14. *num.* 2. cum aliis. Quod eſt intelligendum de Epiſcopo, qui non fuerit culpabilis in tali ordinatione, Angel. *v. irregularitas num.* 35. Majol. *de irregul. lib.* 3. *cap.* 24. *num.* 9. & Cardin. *in d. cap. Cùm quidam.*

Dubitatur primò, an dicta ſuſpenſio ſit latæ ſententiæ, vel ferendæ? Aliqui putant eſſe latæ ſententiæ, ut 14
Angel. *ibidem*, Sylveſt. *dict. v. irregularitas num.* 12. Tabiena *eod. v.* 4. *num.* 7. *quæſt.* 6. Abb. *in cap.* 2. *de temp. ordin.* Sayr. *loc. cit.* Alii dicunt, eſſe ferendæ ſententiæ, ut Innocentius, & Oſtienſis, quos ſequitur Avila *de cenſur. part.* 3. *diſp.* 5. *dub.* 7. §. *ſecundò ſupponendum*, Jo: Andr. & Abbas *num.* 4. *in d. cap. cùm quidam*, Tolet. *lib.* 1. *cap.* 48. §. *Quarta*, Suarez *de cenſur. diſp.* 31. *ſect.* 1. *num.* 30. Quæ ſententia videtur magis communis recentiorum.

Dubitatur ſecundò, an hæc pœna procedat etiam 15
contra ordinatum in minoribus extra tempora? Affirmant Doctores, quia textus *dict. cap. Cùm quidam* generaliter loquitur. Ita Majol. *loc. cit. num.* 10. Sayr. *ibid. num.* 21. Abb. *in dict. cap. Cùm quidam* infiguratione, caſus.

Ex Bulla Pii II. quæ incipit, *Cùm ex Sacrorum* fer- 16
tur pœna ſuſpenſionis latæ ſententiæ ab exequutione ordinum contra eos, qui Sacros Ordines recipiunt extra tempora. Quod ſi celebrent in ea ſuſpenſione, irregulares efficiuntur, ut ibi dicitur.

Nota, quod illius ſuſpenſionis abſolutio ibi non eſt 17
reſervata Papæ, Avila *loc. cit.* Reginald. *lib.* 30. *tract.* 2. *num.* 60. Quod non procedit illa pœna contra ordines minores, vel primam tonſuram recipientem extra tempora, Navarr. *cap.* 25. *num.* 70. Mirand. *in manual. Prælat. tom.* 1. *quæſt.* 39. *art.* 7. *concluſ.* 1. Suarez *diſput.* 31. *ſect.* 1. *num.* 30. *in fine*, Tolet. *loc. cit.* Et quod hæc ſuſpenſio eſt tantùm ab Ordine ſic malè ſuſcepto, Henriquez *tractat. de ſuſpenſ. cap.* 38. *num.* 1. Suarez *ibidem numero* 31. Layman. *de Sacrament. Ordin. cap.* 10. §. *tertium.*

Ex Bulla verò 91. Sixti V. contra Clericos malè pro- 18
motos fuit lata ſuſpenſio, Papæ reſervata contra recipientes ordines extra tempora, ſed ea Conſtitutio quoad hoc fuit abrogata a Clemente VIII. Bulla 40. *Romanum decet*, & redacta ad terminos juris communis, & Bullæ Pii Secundi ſupracitatæ, ut per Reginald. *loc. citato.*

Ordines conferens extra tempora, nullam cenſuram, 19
ſeu pœnam ipſo jure incurrit, ſed eſt ſuſpendendus a poteſtate ordines conferendi per *dict. cap. ſanè*, ibique Abb. *numer.* 3. *de temp. ordinat.* Gloſſ. *in dict. cap. Cùm quidam*. Et quamvis per Bullam citatam Sixti V. incurreret ſuſpenſionem, & alias pœnas latæ ſententiæ, tamen, ut dixi, eam Conſtitutionem moderatus eſt Clemens Octavus in ea parte, ideò dictæ pœnæ ceſſarunt.

Advertendum autem eſt, quod Ordines Sacri ſolùm 20
conferendi ſunt in Sabbathis quatuor Temporum, aut Sabbatho Sancto, aut Sabbatho ante Dominicam Paſſionis, *can. quod die diſt.* 75. *cap. de eo temp. ordin.* Concil. Trident. *dict. cap.* 8. *ſeſſ.* 23. Niſi ſuper hoc Papa diſpenſet, ut per Sanchez *lib.* 7. *opuſc. cap.* 1. *dub.* 51. Vel niſi in uno caſu, quando ſcilicet ob aliquod juſtum impedimentum Epiſcopus, non potuit ordinationes explere in Sabbathis ſupradictis. Poteſt enim tunc in die Dominica immediatè ſequenti, continuato jejunio naturali ab Epiſcopo, & ab Ordinandis, ordines ſupplere, *cap. literas de temp. ordin.* ubi Gloſſ. *v. pertinere*, Oſtienſ. & Cardin. *num.* 1. Anan. *num.* 3. aliique Canoniſtæ.

Ordines autem minores conferri poſſunt, non ſolùm 21
dictis temporibus, ſed etiam mane in qualibet die Dominica, vel feſto, ſi privata ſit ordinatio, ut ſi unus, aut duo ordinentur, *cap.* 3. *de temp. ordin.* immò etiam ſi tres, aut plures, ſi non tàm multi ſint, ut videatur generalis ordinatio celebrari, Sanchez *loc. cit. dub.* 52. Diana *part.* 1. *reſol.* 30. *miſcell.* 2. cum allegatis. Prima verò tonſura quovis die, & hora conferri poteſt, Sanchez *d. dub.* 52. *num.* 1. & de communi teſtatur Henriquez *lib.* 10. *cap.* 12. *num.* 1. Epiſcopalis autem conſecratio ex antiqua traditione, die tantùm Dominica confertur, *d. can. quod die diſt.* 75. S. Leo *Epiſt.* 79.

CON-

CONSULTATIO CLX.

An, & quatenus a quocumque præsentati ad beneficia Ecclesiastica, instituendi sint ab Ordinariis? Ubi Decreta.

1 SAcrum Concilium Tridentinum hac super re *sess. 7. cap. 13. de reformat.* ita decernit: *Præsentati, seu electi, vel nominati a quibusvis Ecclesiasticis personis, etiam Sedis Apostolicæ Nunciis, ad quævis Ecclesiastica beneficia, non instituantur, nec confirmentur, neque admittantur, etiam prætextu cujusvis Privilegii, seu consuetudinis, etiam ab immemorabili tempore præscriptæ, nisi fuerint prius a locorum Ordinariis examinati, & idonei reperti. Et nullus appellationis remedio se tueri possit, quominus examen subire teneatur. Præsentatis tamen, electis, seu nominatis ab Universitatibus, seu Collegiis Generalium studiorum exceptis.* Vide *cap. 9. sess. 25. de reformat. & cap. 18. session. 24.* ubi exceptio videtur revocari.

2 Secus verò si præsentati fuerint Cardinalibus Legatis a latere. Cùm enim isti habeant intra suam legationem ordinariam jurisdictionem, *cap. Legatos de offic. legat. in 6.* possunt præsentati examinari ab ipsis, nec propterea ad alios locorum ordinarios remittendi sunt, sicut declaravit Sacra Congregatio. Nec ita hæc generalitas accipienda est, ut omnia beneficia eandem examinationem requirant. Nam in beneficiis curatis, quæ etiam ante Concilium exigebant examen, *cap. nihil de elect.* sive sint juspatronatus, sive liberæ collationis, examen faciendum est ab Episcopis Ordinariis ad præscriptum Concilii *cap. 18. sess. 24.* In aliis verò quibusvis beneficiis, ad quæ præsentatio, seu collatio, vel ordinatio facienda est a quibusvis personis Ecclesiasticis, Episcopo inferioribus, præsens Decretum observandum est, & aliud *in cap. 9. sess. 25.* quod obtinet, etiamsi institutio pertineat ad Monachos, quando institutio facienda esset ab inferiore, dummodò non derendeat ab aliquo Jurepatronatus, quod per Concilium sublatum sit *in dict. cap. 9.* quemadmodum Sacra Congregatio respondit.

3 Vindicat sibi locum Decretum, etiam in iis, qui in Ecclesiis patrimonialibus, sive receptitiis, tàm numeratis, quàm non numeratis, ad beneficia, quæ vocant servitoria, admittendi sunt. Item in Ecclesiis, ubi cùm Canonicatus vacaverit, ad illum præsentari, & ab inferiori institui debet antiquior beneficiatus, & ad beneficium antiquior ex expectationibus. Quia hoc casu voluit Sacra Congregatio non sufficere examen, quo quis approbatus fuit ab Episcopo, cùm ad expectandum fuit admissus, sed quempiam singulo quoque assensu novum examen subeundum. Beneficia verò simplicia, & Canonicatus, quorum collatio liberè pertinet ad inferiorem, minimè quidem hoc Decreto comprehendi, censuit Sac. Congregat. A locorum autem Ordinariis examinari debent. Regulariter enim examinatio personæ ad eum pertinet, ad quem pertinet impositio manuum, *cap. Venerabilem, vers. est enim regulariter de elect.*

4 Quæro, an Episcopus, cui per literas Apostolicas commissum est examen alicujus, qui beneficium simplex obtinuit, possit alteri examen faciendum committere? Sacra Congregatio respondit, posse committi, etiamsi in literis ipsius Episcopi conscientia esset onerata. Sed pone, quod commissum fuerit examen requisitum ex hoc Decreto, quæ partes erunt Ordinarii? S. Congregatio respondit, institutionem beneficiorum post Concilium factam, non prævio hujusmodi examine, esse irritam, & inanem ex *d. cap. 9. sess. 25.* & taliter institutos in foro exteriori privari debere, & ad fructuum restitutionem compelli. Si tamen volent se ex integro subjicere examini, posse eos admitti, ut eadem beneficia, quatenus reperiantur idonei, consequi valeant, ab iis conferenda, ad quos prior collatio de jure pertinebat. Ut autem Episcopi scire possint, an possessores beneficiorum rectè illa post Concilium fuerint consequuti, censuit Sacra Congregatio, licere Episcopis virtute dictorum Decretorum compellere beneficiatos ad exhibendum suas provisiones.

5 Ex his verbis, *etiam prætextu cujusvis Privilegii*, censuit Sacra Congregatio, sublatum esse quoad hunc effectum, etiam Privilegium exemptionis in fundatione concessum. Hæc autem præsentatio, sive exhibitio facienda coram Ordinariis locorum, ad effectum examinationis dumtaxat, non impedit aliam præsentationem faciendam coram iis, in quibus alioqui legitimè competit jus instituendi, aut confirmandi tales præsentatos, sive electos, & Constitutiones de admittendis resignationibus, comprehendere etiam beneficia simplicia, censuit Sacra Congregatio.

In Pennensi. Obtinentes beneficia curata a collatoribus inferioribus, debent examinari ab ordinariis, secus in beneficiis simplicibus, quorum examen ad inferiores collatores prædictos pertinebit, & idem servandum de beneficiis, quæ de jurepatronatus sunt. 6

In Tarentina. Licèt præsentati, vel nominati a quibuscumque sint approbandi ab Episcopo, hoc tamen non habet locum in iis, qui assumuntur in Ecclesiis receptitiis, quorum magnus est numerus in Regno Neapolitano. 7

In Jacensi. Præsentati ad portionem juspatronatus laicorum, quorum institutio pertinet ad Capitulum, debent examinari, & approbari ab Episcopo, priusquam a Capitulo instituantur *cap. 9. session. 25. & cap. 18. session. 24.* 8

In Cæsaraugustana. Rectores, præsentati ad Parochiales Religionis Hierosolymitanæ, non sunt admittendi, nisi ab Ordinario examinentur, & approbentur. 9

In Cremonensi. Mansionarii Ecclesiæ Cremonensis, qui ad nutum amovibiles eliguntur a Capitulo, & ab Episcopo approbantur, & confirmantur, possunt ab eodem examinari. 10

In Vercellensi. Videre, an beneficium sit juspatronatus, & cognoscere de juribus litigantium spectat ad inferiorem collatorem, qui jus instituendi habet. Examen autem super idoneitate præsentatorum, & eorum approbatione ad Episcopum loci spectat. 11

Ordinarius in sui præjudicium potest prorogare tempus concessum Patronis ad præsentandum per quatuor, vel sex menses, ut fuit Decretum in Rota; teste Crescentio *dec. 148.* in manuscriptis, Paril. *de resignat. lib. 7. quæst. 29 num. 11.* 12

In Pennensi. Hoc Decretum procedit in beneficiis, quæ sunt de jurepatronatus simplicibus. Quod iterum fuit declaratum in una Rhegiensi. 13

In Cremonensi. Quando agitur de beneficiis simplicibus juspatronatus, examen pertinet ad Episcopum, non autem ad Præpositum, etiam exemptum, super idoneitate ætatis, literis, & sufficientia. 14

Sacra Congregatio Concilii declaravit, Presbyteros, Diaconos, & Subdiaconos Collegiatæ Ecclesiæ Fogiæ Trojanensis Diœcesis, examinandos, & approbandos esse ab Episcopo quotiescumque præsentantur, & eliguntur pro Canonicatu ejusdem Ecclesiæ, quamvis ordinem annexum non habeant, mense Junii 1590. & ita Romæ observatum, quamvis communiter prædicti non examinentur, præfata declaratione, & stylo Romano non obstante, hac ratione, quia Diaconus censetur idoneus ad beneficium simplex, & ad Canonicatum in Collegiata, ordinem annexum non habente. 15

CONSULTATIO CLXI.

1 *Acta primæ instantiæ intra quot dies dari debeant gratis reo appellanti?*

2 *Testes deponentes contra Episcopum quales esse debeant? Ubi quid de causis Episcoporum?*

AD primum. Ex Sacro Concilio Tridentino *sess. 13. cap. 3. de reform.* sic habetur: *Reus ab Episcopo, aut ejus Vicario in spiritualibus generali, in criminali causa appellans coram Judice, ad quem appellavit, acta primæ instantiæ omninò producat, & Judex nisi illis visis, ad ejus absolutionem minimè procedat. Is autem a quo appellatum fuerit intra triginta dies acta ipsa postulanti gratis exhibeat, alioqui absque illis causa appellationis hujusmodi, prout justitia suaserit, terminetur.* 1

Hoc Decretum planè novum videtur. Nam *in cap. ut debitus de appellat.* satis erat, si appellans causam aliquam justam suæ appellationis afferebat, ut Judex, a quo posset de appellatione cognoscere. Idem habetur *sess. 24. cap. 20. ad finem.* 2

Is autem, a quo appellatum fuerit intra triginta dies acta ipsa postulanti gratis exhibere debet. At *dict. cap. 20. sess. 24.* nullum tempus est præfinitum. Puto, responderi posse, hoc Decretum loqui de reo appellante in causis criminalibus, illud verò de appellante in causis civilibus. Hoc verò tempus triginta dierum posset dubitari, an incipiat a die sententiæ, an autem a die requisitionis. 3

Censuitque Sacra Congregatio, nihil esse distinguendum, an ex Judicio, an ad querelam partis in causa criminali procedatur. Et notandum, quæ in hoc Decreto habentur, intelligenda esse de persona Judicis, qui in criminali causa sententiam tulit, & a quo appella- 4

tum fuit, ut is ſciſicet quantum in ſe eſt, acta ipſa poſtulanti exhibeat gratis, atque ita nullam mercedem eo nomine accipiat, quæ habentur *d. cap. 30. ſeſſ. 24.* intelligenda ſunt de perſona Notarii, qui actorum copiam tenebitur exhibere appellanti, congrua mercede accepta. Item reſpondit Sacra Congregatio, ſi Cancellarii Judicis a quo, ſunt iidem & Notarii, mercedem eis debere ex dicto Decreto *cap. 20. ſeſſ. 24.* alioqui nihil ſolvendum eſſet ex hoc Decreto.

5 Eadem Sacra Congregatio cenſuit, conſtito de contumacia Judicis, a quo, recuſantis exhibere acta, partes Judicis, ad quem eſſe abſolvere partem appellantem a moleſtationibus, & pronunciare attentata, & ſententiam Judicis, a quo, ſi unquam reperiantur, caſſa fore, ac eſſe vana.

6 Porrò, ut alibi dixi, Decretum hoc, in quo dicitur, quod acta poſtulanti gratis exhibeantur, intelligitur de Judice, & de Commiſſario illo, qui pro officio exercendo habent conſtitutum ſalarium, aliis autem Notariis ſolvenda ſunt juxta locorum conſuetudinem ex *d. cap. 10. ſeſſ. 24.*

7 Iterumque edito, quod Sacra Congregatio ſuper Epiſcopis ſcripſit Epiſcopo Hoſtunenſi: *Il Veſcovo fa bene a non vendere la Maſtrodazzia, ma non dee participare eſſo di guadagno alcuno delle ſcritture, e nelle cauſe criminali quando ſi dà il proceſſo da traſportarſi al Giudice all'appellazione, non ſi paga coſa alcuna, nè al Veſcovo, nè al ſuo Cancelliero, ſtante la diſpoſizione di queſto Decreto*; ma al Notaro *della cauſa ſi dee ben pagare la ſua mercede per il cap. 20. ſeſſ. 24. de reform.*

8 Ad ſecundum. Ita etiam habetur ex Concil. Trident. *d. ſeſſ. 13. cap. 7. Teſtes in cauſa criminali ad informationem, vel indicia, ſeu aliàs in cauſa principali contra Epiſcopum, niſi conteſtes, & bonæ converſationis, exiſtimationis, & famæ fuerint, non accipiantur, etſi odio, temeritate, aut cupiditate aliquid depoſuerit, gravibus pœnis mulctentur, can. accuſatio quoque, can. accuſatio Epiſcoporum, can. teſtes 2. quæſt. 7. can. ultim. 2. quæſt. 5.* Concil. Roman. ſub Sylveſtro juxta Anacleti Papæ *Epiſtol. 2.* & Carthag. 2. *cap. 6.* & Carthag. 4. *cap. 96.* Sixti III. *Ep. 3. cap. 2. & c. qualiter, & quando 2. de appell.*

9 Unde cùm delictum ſit Eccleſiaſticum, & teſtis laicus mulctandus eſt a Judice Eccleſiaſtico, ut etiam ſignificatur *cap. 3. ſeſſ. 25.* Gloſſa, & Doctores *in c. licèt de pœn.* traditque Felin. *in c. Irrefragabili, §. Cæterum de offic. Ordin.* ibique Doctores, quod Epiſcopus propria authoritate id poſſit ſine invocatione brachii ſæcularis, quod etiam aſſerit Abb. *in c. Cùm ſit de for. compet.*

10 Die 4. Januarii 1594. Cùm in cauſa Andrienſi contra Epiſcopum examinati extiterint aliqui Teſtes pro fumo, ut dicitur, ad deliberandum, an concedendus eſſet Commiſſarius ad partes, & Sacræ Congregationi non viſum eſſet, quod ſufficerent dicta prædictorum Teſtium, acceſſerunt alii Teſtes ad Urbem ad ſe examini ſubjiciendum contra eundem Epiſcopum, & data exceptione, pro parte Epiſcopi contra ipſos ex eo, quia non eſſent bonæ vitæ, ac famæ, prout requirit Concilium, contra ipſos produxit aliquos proceſſus. Tractatum fuit, an dicti teſtes eſsent examinandi, & ſervato ſtylo hactenus ſervato a Sacra Congregatione, & ab Auditore Cameræ Apoſtolicæ, fuit concluſum, præfata exceptione, & Concilio Tridentino non obſtantibus, dictos teſtes examinandos eſſe, & D. Cardinalis Plato ponderabat verba illa *dict. cap. 7. ſeſſ. 13.* teſtes in cauſa criminali ad informationem, vel indicia, ſeu aliàs in cauſa principali contra Epiſcopum, niſi conteſtes, &c. dicebat debere intelligi, quod Judex poſt ſumptas informationes non debeat contra Epiſcopum habere in conſideratione dicta illorum Teſtium, qui non fuerint bonæ vitæ, famæ, & conteſtes.

11 Cauſæ verò Epiſcoporum, cùm pro criminis objecti qualitate comparere debeant, coram Pontifice Maximo referantur, ac per ipſum terminentur, Concilium Sardicenſe *c. 3. c. ad abolendam de hæret.* Concilium Tridentinum *ſeſſ. 13. cap. 8. & ſeſſ. 24. cap. 5. de reformat.* ubi id ampliatur, quod poſſint committi Metropolitanis, vel Epiſcopis a Sanctiſſimo Domino Noſtro eligendis per reſcriptum manu Sanctitatis ſuæ ſignatum. Et quamvis de jure antea Epiſcoporum cauſæ a Metropolitano poſſent cognoſci, tamen non poterant terminari, *can. quamvis liceat 3. quæſt. 6.*

CONSULTATIO CLXII.

De ſalvo conductu hæreticis dando. Quid continere debeat? Exceptiones Hæreticorum contra Concilium Tridentinum. Eæ diluuntur.

QUanta cum diligentia, & charitate Summi Romani Pontifices hæreticos, & ſchiſmaticos ad unitatem Eccleſiæ Catholicæ reducere conati ſint, conſtat ex pari benignitate, qua uſus eſt Clemens IV. in amplectendis Græcis in unionem Eccleſiæ Catholicæ, qui ſcribens ad Imperatorem Conſtantinopolitanum ſic ait: *Aliquos de peritioribus, quos repereris in Clero, vel populo ad noſtram mitte præſentiam, noſque, qui juxta Principis Apoſtolorum ſententiam parati ſumus omni poſcenti nos de ea, quæ in nobis eſt fide, & ſpe reddere rationem, illos, quos miſeris charitativè tractabimus, & patienter quicquid proponere voluerint, audiemus, & tam plenè, dominante Domino, ſatisfaciemus eiſdem, quod, amoto cujuslibet dubietatis ſcrupulo, fidei veritatem agnoſcent, & ad te cum gloria remeabunt,* 1

Quinimmò publicam fidem tutò veniendi, ac recedendi, quæ vulgò appellatur ſalvus conductus, Pontifices dare ſolitos Sanctus Gregorius teſtatur *lib. 3. Ep. 41.* ubi dum Bonifacium, ac cæteros ad examinandos eorum errores, & veritatem dignoſcendam pluribus accerſit, hæc addit: *Hi autem, qui dubitationis veſtræ participes ſunt, ſi ad me venire voluerint, nullam ex me, quaſi ex poteſtate prodeuntem, violentiam pertimeſcant. Et lib. 4. Epiſt. 43.* Petrum, & Prudentium Epiſcopos a recta fide deviantes, ad ſe invitans, hac inter cætera ſcribit: *Ego verò, divinæ protectionis gratia ſuffragante, ſatisfacere vobis, de quibus dubitatis paratus ſum, & confido de Omnipotentis Dei miſericordia, quod ita vobis ſatisfactio mea interius inhærebit, ut nihil charitati veſtræ de cætero poſſit ambiguum remanere. Nam illa, quæ Sanctiſſimæ quatuor Synodi ſapuerunt, atque definierunt, ſicuti prædeceſſor noſter Sanctiſſimus Leo Papa, ita ea & nos ſapimus, ſequimur, ac tenemus, nec ab eorum fide aliquo modo diſſentimus. Sed quia plus perſona præſens, quam Epiſtola ſatisfacit, hortor, dilectiſſimi fratres, ut ad me venire, ſicut præfatus ſum, debeatis, dummodo ratione percepta a concordia Sanctæ univerſalis Eccleſiæ diſſenſio vos nulla diſſociet. Hoc tamen certa ſit veſtra charitas, quia vos, & cum affectu, quo decet ſuſcipiam, & cum gratia relaxabo. Nec aliquam vos, vel quoſcumque alios, qui pro hac ad me cauſa venire voluerint, afflictionem, vel moleſtiam ſuſtinere promitto, ſed ſeu ad conſentiendum mihi cor veſtrum miſericordia divina compunxerit, ſive quod abſit, in ea vos durare diſſenſione contigerit, ad propria vos remeare, quando volueritis, juxta promiſſionem meam ſine læſione, vel moleſtia relaxare curabimus.* 2

Id ipſum Gregorius X. cum Græcis in Concilio Lugdunenſi, & Eugenius IV. Marcum Epheſinum, & Nicolaum Metonenſem, qui cùm quibuſdam aliis unionis Decreto conſentire noluerunt, incolumes permiſit a Concilio abire. Quod ſi benignitas, & clementia cum Hæreticis nihil proficiet, ſaltem id operabitur, ut unuſquiſque cognoſcat eorum pertinaciam, & nullam excuſationem habere apud Deum, & homines prudentes, quemadmodum legitur in Decreto Theodoſii, & Valentiniani Imperator pro Concilio Epheſino de eo, qui ad Concilium vocatus, non promptè venit, inquiens: *Nos harum rerum multam gerentes curam, neminem abeſſe a Concilio patiemur, neque ullam habebit apud Deum, neque apud nos excuſationem, qui non ſtatim juxta prædictum tempus ad definitum locum diligenter pervenerit. Etenim qui ad Sacerdotalem Synodum vocatur, ſi non prompto animo concurrat, non rectæ videtur eſſe conſcientiæ.* Hoc patres ejuſdem Concilii Imperatori ſcripſerunt, dum Neſtorium ſemel, iterum, ac tertiò vocatum, non venientem condemnarunt, dicentes, quod non oportebat Sanctam Synodum ſine effectu manere. 3

Porrò ſumma cum ratione hæc cùm Hæreticis in Conciliis via initur. Nam, ſicut inquit Sanctus Leo Juvenali Epiſcopo Hieroſolymitano, Concilium tempus indulgentiæ eſt, quo quis reſipiſcentiam magis, quàm pertinaciam eligit. Et de Eutychete Hæretico, inquit, dum videtur inſipientiæ ſuæ ſenſum Catholicis moribus diſplicere, revocare ſe a ſua opinione debuerat, nec ita Eccleſiæ Præſides commovere, ut damnationis ſententiam mereretur accipere, quam utique, ſi in ſua ſententia voluerit permanere, nullus poterit relaxare. Sedi autem Apoſtolicæ moderatio hanc temperantiam 4

obſer-

rantiam observat, ut & severius agat cum obduratis, & demum veniam præstaret correctis.

5 Magnus, & amplus est salvus conductus a Concilio Tridentino datus Protestantibus in fine *session.* 13. his verbis expressus: *Sacrosancta, & Generalis Tridentina Synodus in Spiritu Sancto legitimè congregata, præsentibus in ea iisdem Sanctæ Sedis Apostolicæ Legatis, & Nunciis, omnibus, & singulis, sive Ecclesiasticis, sive sæcularibus personis universæ Germaniæ cujuscumque gradus, status, conditionis, & qualitatis sint, quæ ad Oecumenicum hoc, & Generale Concilium accedere voluerint, ut de iis rebus, quæ in ipsa Synodo tractari debent, omni libertate conferre, proponere, & tractare, ac ad ipsum Oecumenicum Concilium liberè, & tutò venire, & in eo manere, & commorari, ac articulos, quos illis videbitur, tàm scripto, quàm verbo, offerre, proponere, & cum Patribus, sive iis, qui ab ipsa Sancta Synodo delecti fuerint, conferre, & absque ullis conviciis, & contumeliis disputare, necnon quando illis placuerit, recedere possint, & valeant, publicam fidem, & plenam securitatem, quam salvum conductum appellant, cum omnibus, & singulis clausulis, & Decretis necessariis, & opportunis, etiamsi specialiter, & non per verba Generalia exprimi deberent, quæ pro expressis haberi voluit quantum ad ipsam Sanctam Synodum spectat, concedit. Placuit præterea Sanctæ Synodo, ut si pro majori libertate, ac securitate eorum, certos, tàm pro commissis, quàm pro committendis per eos delictis, Judices deputari cupiant, illos sibi benevolos nominent, etiamsi delicta ipsa quantumcumque enormia, ac hæresim sapientia fuerint.*

6 Amplior ab eadem Sancta Synodo salvus conductus datus fuit *sess.* 14. Ampliſſimus verò *sess.* 18. Germanicæ nationi. Unde perperam excipiunt, *Concilium Tridentinum non fuisse liberum, nec Germanicæ nationis; Nam Tridentinum est in Italia, loco parùm salubri, cujus Episcopus fuit Cardinalis.*

7 Verùm majorem libertatem vel in Concilio, vel Republica datam nemo facilè dixerit. Itaque dum timorem causantur, satis ostendunt causæ se diffidere, lucem veteri, malle se in Germania simplices fallere, quàm Ecclesiæ conspectu subire. Cur enim locum, & libertatem declinent, cùm illum totum Imperium approbavit? In Decreto Imperiali anno 1548. Augustæ promulgato, id habetur, quo lectorem remitto. Cur hìc universum Imperium nihil de loco, de libertate, & Convocatore Concilii quæritur? Sed illius sententiæ se subjicit? Quis autem fascinavit multos, ut nec veteri Ecclesiæ, nec recenti Concilio, cui omnis antiquitas consentit, crederent? Quis tàm citò transtulit Germanorum constantiam, ut nec venirent ad Concilium, nec Decreta ejus tuerentur? Nempè illi, qui a prima Ecclesia eos absciderunt, nunc hoc agunt, ne, cum reliqua Christianitate coalescant, & ne hoc aliquando fiat, miseros in plurimas sectiunculas, & monstruosa, tàm nomina, quàm dogmata, dividunt.

8 Facilè igitur ab æstu tuerentur Prædicantes, præsertim cùm Imperator, & Julius Pontifex, nisi impedimento prohibiti fuissent, eo se confere parati essent. Cùm tot hominum opulentorum, & Principum fuerit idonea Sedes, maximè cùm inter Italicos soles, & alpium frigora quasi temperata aura tepeat. Nam frigus, quod Tridento adscribunt Cosmographi, Itali, & Hispani, minus est boreali algore, etsi tamen Saxonicam, Balticamque hyemem vinceret Tridentinum gelu; ea de re queri Italos, Siculos, Hispanos, Francos oportebat, quos ex nativo calore in rigentes plagas Germanorum discordiæ attraherent, nonnè illi mitius Cœlum, paulòque quietius orarent?

9 Quod autem de libertate negata querantur, iniquissimum est, solùm ad invidiam Catholicis ficta formidine concitandam. Nam Civitas Germanicæ nationis est Tridentum sub ditione Ferdinandi tum erat, & nunc quoque Augustæ Domus Austriacæ est. Quomodo igitur Oppidum Cæsareum libertatem imminuit, quàm Cæsares ipsi sartam tectam servabunt? Nec Cardinalis obstitit, immò nec potuit, cùm non ipse modo, sed universum Concilium cum Pontifice, & Imperatore omnibus Germanis, cæterisque nationibus salvum conductum non semel, sed iterùm, iterumque ediceret? Tantum tota Ecclesia Christiana nationi Germanicæ indulsit.

10 Secunda exceptio solet esse contra Concilium, *quia a Pontifice collectum est, cùm id fieri debeat ab Imperatore.*

11 Non est tamen hæc legitima exceptio. Cur enim Germani, & Angli cum paucis nodum in scirpo quærunt, cùm reliquus Orbis Concilium veneretur? Ipse Imperator caput Imperii hoc egit, ut a Papa indicere-

tur, atque continuaretur, si honore sui Principis tanguntur, ne ejus solicitudinem Concilium quærentis aspernentur. Cur Saxonicam Confessionem anno 1551. Concilio obtulerunt? In qua ajunt se de concionatoribus suis non esse alicujus erroris, vel in doctrina, vel in Ecclesiæ gubernatione sibi conscios, attamen non dubitare eos tanta modestia, & pietate præditos, quia, si testimoniis cœlestis doctrinæ, & vero consensu Ecclesiæ Catholicæ admoniti fuerint, ædificationi, & tranquillitati Ecclesiæ haud quamquam sint defuturi.

Si verò repudiant Concilium, quia Papæ authorita- 12
te est collectum, cur recipiunt Nicænum, quod non modo a Sylvestro Papa collectum est, sed suo etiam Decreto definivit, quis jure indicere Concilium possit? Athanasii *Epist.* ad Felicem de infestationibus Arianorum verba sunt: *Scimus in Nicæna magna Synodo trecentorum, & octodecim Episcoporum, ab omnibus concorditer esse roboratum, non debere absque Romani Pontificis sententia Concilia celebrari.* Inde & Socrates *lib.* 2. *historiæ*: *Nullius roboris esse Concilia, quæ aliter celebrantur, quàm regula Ecclesiastica jubeat, non oportere præter Romani Pontificis sententiam Concilia celebrare.* Tantùm igitur abest, ut Pontificis authoritas in celebratione Concilii interposita absterrere debeat Status Augustanæ Confessionis, ut potius ea causa promptissimè suscipi conveniat, cùm sine tali authoritate Concilium sit invalidum. Concilium enim ab eo colligendum est, qui Ecclesiæ præest. At Imperatores non sunt Ecclesiæ præsides, immò sæpè fuerunt persequutores.

Deindè mirari satis non possumus, quid rationis illi 13
prætendant, qui Imperatoris Caroli, Maximiliani, Ferdinandi, Rodulphi, Matthiæ authoritate Concilia colligenda probare se dicunt; nam eorum Doctores voce, & scriptis hos Imperatores Antichristianos esse calumniantur, decicornem bestiam esse Imperatorem, vel Imperium contendit Aretius, *Apocalyps.* 13. 2. & 15. *Nomen bestiæ est, esse filium Romanæ Ecclesiæ, seu Catholicum, seu Romanæ Ecclesiæ membrum.* Idem: *Draconem esse Diabolum, qui sua ornamenta affingit Imperio.* Idem: *Bestiam adorare, esse Imperatores superstitiosè colere, & id eos facere, qui invictum Imperatorem appellant.* Idem *quæritur vers.* 8. *homines mirari Principum successum, ideò in eorum partes transire.*

Quomodo igitur Concilium authoritate Imperatoria, 14
hoc est bestiali, draconina, antichristiana, persequutoria, idolatrica, ut ipsi horrendum in modum Majestatem blasphemando, fingere solent, pro Catholico, & legitimo approbabunt? Quorsum igitur Imperatorem nobis objiciunt, cujus si authoritatem in Synodi Congregatione agnoscunt, cur modestiam, prudentiam, fidem, religionem, zelum, quo in Concilii inchoatione, & continuatione Pontificem movit, adjuvit, audivit sententiam Concilii amplexus est, non sequuntur? Sequutus est ille in re maximi momenti Constantinum, & alios pios Imperatores. Concilium quæritis Imperatoria authoritate congregatum, quod dari non potest, cur quod authoritate Imperatoria defensum, probatum, cultum est, non sequimini?

Denique, & Pareus, & Archiconcionator Saxoni- 15
cus authoritate principali imperari Concilium posse sentiunt, ut integrum non sit, illud quocumque modo recusare, quia potestatem etiam coactivam ad Synodum esse necessariam judicarunt. At qui Imperator coget Hispanos, Italos, Gallos, Anglos, Svevos, Polonos, & alios? Scilicet exteros, nec sceptro suo obnoxios, ad itinerum pericula, expensarum damna coget, quem vos adeò imbecillem putatis, ut paucos negotiatores Mulhaimenses, ab iniquo conatu, & insano sumptu faciendo cohibere non possit? Quem in ædibus illis Imperatorii vigoris provocatricibus dormientem pinxistis, cujus aquilam implumem contumeliosè formastis?

Tertia exceptio est: *Soli Episcopi, Cardinales, Mo-* 16
nachi sententiam dixere, a jure suffragii laici exclusi sunt. Non igitur fuit Concilium legitimum.

Non excluſus est, cui jus est veniendi, & senten- 17
tiam dicendi. Verba Pontificis Concilium indicentis ista sunt: *Omnes omnibus ex locis tàm venerabiles fratres nostros Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, & dilectos filios Abbates, quàm ad alios quoscumque, quibus jure, aut Privilegiis in Conciliis Generalibus residendi, & sententias in eis dicendi permissa potestas, &c.* Veteri Religione standum est, ac proindè veteri jure Concilia indicenda, & celebranda sunt. Cùm verò potestas detur universis veniendi, sententiamque dicendi, quibus jure, aut Privilegio concessum est, nemo queri potest, se excluſum, nisi contra jus venire istum esse quis judicet.

18 Olim autem fuiſſe de fidei controverſiis judicium Sacerdotibus permiſſum, clarius eſt, quàm ut doceri oporteat. Quid enim clarius, quàm Nicenæ Synodo 318. Epiſcopos ſubſcripſiſſe, nullum laicum? Aut igitur unicum ex omnibus Conciliis det, cui cum Epiſcopis laici ſubſcripſerint, & ſententiam definitivam dixerint, & de Tridentino querelas audiemus, aut ſi non poteſt, omnia vetera Concilia unico nutu abiiciat, ſeque ad hoſtes omnium Conciliorum, hoc eſt totius Eccleſiæ, apertè, & abſque inſidioſa ſimulatione conferat. Scimus quibuſdam Imperatores ſubſcripſiſſe, ſed pium illi conſenſum ea re ſe teſtari ſunt proteſtati, non judicandi ſibi partes abrogari.

19 Quarta exceptio. *Prælati, qui Concilio interfuere, jurejurando Pontifici obligati fuerunt. Non igitur liberas ſententias dixere.*

20 Conſtituto hoc, quod verum eſſe fatentur omnes legitimo juramento Judicum, Conſiliariorum, Senatorum, non tolli ſententiæ dicendæ libertatem, ſed firmari, diſquirendum eſt de juramento Prælatorum in Concilio Tridentino, anne veritati obſtiterit? Potius profuiſſe docet Petrus Fontidonius oratione ad Germanos. Nam jurejurando ad veritatem docendam, atque acceptandam, prout ſciverint, & potuerint, adacti ſunt. Non autem obſtat, quominus liberè veritatem inquiras, ſi id te facturum eſſe juraveris. Aliqui Principes ſubditis, quos ſibi juramento devinciunt, libertatem eripere cenſerentur. Cùm verò juramentum non ſit vinculum iniquitatis, optimè norunt omnes, ſe nullo juramento teneri, vel ad mendacia defendenda, vel opprimendam veritatem. Quid verò? An Principes Imperii, quia juramento obligati ſunt Imperatori, idcircò a veritatis confeſſione arcentur? Quis Theologorum Proteſtantium non multis, immò injuſtis, juramentis obſtrictus eſt? Adjuratus, & adjurans in ſuæ Academiæ hæreſes?

21 Quinta exceptio. *Concilii Tridentini definitiones, & Canones non ſunt ſecundùm verbum Dei. Meritò igitur illos recuſamus. Cur enim humanis nos ſubjiciamus legibus? Solus Chriſtus ſententiam dicat, ſolum ejus verbum audiatur.*

22 Non conſtat ſibi incertus error, in ſeipſum impingit, ſeque elidit tandem falſitas, dum undique veritatis manifeſtationem fugit. Paulò ante laicorum ſuffragia æquabant Sacerdotum decretis, nunc ſolum Chriſtum, hoc eſt Scripturam audire dignantur, atque utinam audiant, ſic enim audirent etiam Sacerdotes, quos audiendos eſſe Scriptura pronunciat. Quæ de Scriptura ſola dicenda erant, variis locis explicata ſunt a Bellarmino, & aliis. Si enim ſola ſcriptura ſufficit, quid opus Concilio? Nam in eo agendum eſt de vero ſenſu, & interpretatione ſcripturæ. Non ignorabant ſcilicet Principes Imperii de hac cauſa agi, cùm Concilium petierunt. Nec dubitaſſe de veritate divinorum eloquiorum, ſed interpretationum pacem quæſiſſe tanto labore conſtat.

23 Sexta exceptio. *Scandala ſunt in Papatu, & mala ſæpè vita Paparum. Non igitur legitimum Concilium.*

24 Non utar communi, ſed vera, & quam Chriſtus quoque probavit, reſponſione, *Luc.* 18. Nec viciſſim regeram tibi fratrem inhærere qui evellere de Papatu feſtucam laboras, quia non debeo vitia errantium componere peccatis Orthodoxorum. Iniqua eſt comparatio catholici cum hæretico, maximo imputatitio, cui nullum facinus juſtitiam excutit. Hæc itaque mittamus, ne nos cum Luthero docere cogamur, Evangelicos ſeptem diabolis in Evangelio obſeſſos eſſe, qui unico ſolùm antea vexabantur, ne cum Calvino queri ex Calviniſtis vix decimum quemque ſincerum eſſe.

25 Hoc unicum, atque unicè rogo, ne illi accuſent innocentes, atque ex invidia nominis, odioque communem cauſam faciant, ego nocentes non defendam. In Concilio multi docti, Sancti, atque vita integra fuere Cardinales, Epiſcopi, Sacerdotes, Doctores, ſi de moribus judices ex vero, non ex detractorum maledicentia. Quis ex tanto numero publicè infamis inſtar Calvini, & Bezæ? Ecce tantum Concilium in conſpectu eſt, recenſe ſubſcriptorum peccata, & probra, ſi accuſas, aut probare te poſſe aſſere, ſi conviciaris, at parietibus tecta ſunt. Hoc tibi unde notum ſit, quæro, quod tàm ſollicita cautione tectum eſt? Nam ſi abſque argumento accuſas, calumniator es.

26 Sint tamen, & apud nos ſcandala, ut revera ſunt, atque utinam in auctorum exitio, atque damnatione ſiſterent; non tamen definit Eccleſia eſſe, quamvis etiam intra ſepta ſua malos teneat, nec Chriſtus non erat caput Eccleſiæ, qui erat & Judæ; non amittit naturam triticum, quamvis ſit inter zizania. Epiſcopus non amittit dignitatem, & officii poteſtatem, immò nec fidei veritatem, etſi non ſint opera ejus plena coram Deo ſuo. Alioqui cur Principes ſæculi peccando non excedunt ſedibus ſuis, ſi in ordinem redigitur Epiſcopus, ubi captus fuerit? Quod ſi decreta de reformatione legeris, facilè animadvertes Concilium recta docere, monere, hortari, reprehendere, ſive Pontificum, & Romanæ Curiæ, ſive Regum, & Magnatum ſint. Nemo vel ſimoniacum, vel alia flagitia probavit, ſed vero judicio omnes amputanda cenſuerunt, licèt multorum malis impares ſint leges, quod ſolùm illi neſciunt, qui humanum genus ignorant.

Septima exceptio. *Falſa eſt doctrina Concilii. Ipſum igitur Concilium eſt repudiandum.* Jam ſupra monſtravi, 27
& alii probarunt, Concilii decreta, atque dogmata ex veteri Eccleſia ad nos uſque perpetua, & nuſquam interrupta ſerie perveniſſe. Hoc ſanè operæ pretium fuerit, cognoſcere, quinam ſint, qui Concilium Tridentinum falſitatis accuſant, qui mediis in diſcordiis, & de religione contentionibus, quibus Germania concutitur, univerſalem Eccleſiam judicant. Veſtris diſſidiis medelam a Concilio quæſiſtis, arbitros elegiſtis, nunc Judicem, poſtquam cauſa cecidiſtis rei, calumniari juvat. Germani ſuis diſſidiis agitati Chriſtianum Orbem implorarunt, Concilium rogarunt, ægro membro uno totum concuſſum eſt corpus, una pars Eccleſiam univerſam fatigat, & ejus pro ſe laborem ultrò contemnit, conſilium aſpernatur, imitata phreneticorum inſaniam, quorum furor primò contra medentium ſolicitudinem aſperatur.

Pacem religionis habebat Italia, majorum inſtitutis 28
vivebat Anglia, ut ſervaretur Ungaria, Pontifex, & Cæſar annitebatur, Gallia quietabat, nullus enim erat Calvinianus, Luſitania in Oriente, Hiſpania in Occidente fines Imperii, & Evangelii propagabat, tanta bona turbavit, & ſpes majores intercidit nova fides Germanorum, quæ poſtquam in ſe diviſa, & lacera, ferre amplius, quæ ipſa fecerat mala, non poterat, ad univerſam Eccleſiam reſpexit, ut domeſticas factiones univerſitatis judicio, & conſenſione componeret, atque utinam in eo, quod rectè inſtitutum erat, perſeveraſſet. Sed iidem Curiones, tubæ civilis belli, reſtituendæ paci obſtiterunt.

Itaque, contempto Concilio, dati in reprobum ſen- 29
ſum, in ſe mutuò converſi amplius etiam furere cœperunt. Quid enim audacius, ſtolidiuſque, quàm eos, quos Judices omnes elegerunt, a reorum deſperatiſſimis damnari, & quorum jam cauſa protrita, atque evicta extremo ſuffragio damnanda erat, eos Judicum præoccupare, ſubſellia, & quæ ſibi mala timebant, in Judice convertere? *Doctrina*, inquiunt, *Concilii falſa eſt*. Falſa igitur doctrina illa, quam Concilio Tridentino vetera Concilia, Patres tradiderunt? Si non eſt igitur in toto Orbe veritas, in qua Germaniæ factione demum illa domicilium habet? Pacis omnem ſpem abſcindit hæc accuſatio, nemo eſt Memnoniſta, nemo Zuenckfeldianus, nemo Ubiquitarius, Socinianus, Trinitarius, Sacramentarius, Flavianus, Majoriſta, Anglopapiſta, Puritanus, qui non hac oratione omnia vetera, nova, maxima, minima Concilia irridere poſſit, atque eludere, ſi falſum id eſſe dicat, quod ſuæ opinioni eſt repugnans, ſuæ voluntati ingratum eſt, ſuæ gloriæ, aut commodis adverſum.

Hinc illa immanis in novitiis Religionibus, & cele- 30
berrima ſchiſmatum, atque novarum ſectarum propagatio. Hinc æterna bella ſunt, in quæ demon eos præcipitat, qui remedia pacis contemnunt. Nam quæ pax in regno, quæ civium concordia, quæ familiæ poterit eſſe conjunctio, mutuaque officia, niſi aut Magiſtratus, aut paterfamilias finiendarum litium habeat poteſtatem? Quis ferre poterit eos, qui omnem Judicem, atque judicium prorſus fugiunt? Qui enim Concilium contemnunt, quem Judicem tandem admittent? De illis rectè Cyprianus *lib. 1. epiſtol. 3. Quales puta eos, qui Sacerdotum hoſtes, & contra Eccleſiam Catholicam rebelles, nec Domini comminatione, nec futuri judicii ultione terrentur? Neque enim aliundè hæreſes obortæ ſunt, aut nata ſchiſmata, quam inde, quod Sacerdoti Dei non obtemperetur, nec unus in Eccleſia ad tempus Sacerdos, & ad tempus Judex, Chriſti vice cogitatur, cui ſi ſecundùm magiſteria divina obtemperaret fraternitas univerſa, nemo adverſus Collegium Sacerdotum quicquam moveret. Itaque evidens eſt ſignum ſchiſmatis, Concilii fuga, aut obtrectatio.*

Octava exceptio. *Concilia rarò proſperos eventus ha-* 31
buere, non igitur Tridentinum eſt ſuſcipiendum.

Concilia legitimè inſtituta non ſua culpa, ſed homi- 32
num impiorum malitia, & caliditate interdum bella, perſe-

perſequutioneſque peperere. Chriſtus ipſe docendo, recè vivendo, miracula edendo invidiam Judæorum in ſeſe armavit. Leges juſtæ, & ſervandæ Reipublicæ prudenter latæ, multis exitio ſunt, ipſa diſciplina, monitio, atque correctio tumidis, atque aſperis ingeniis eſt detrimento. Nicænum Concilium, quas dedit turbas, cùm primum ſtylo, & voce, deinde armis munita hæreſis Ariana ſe de Orthodoxis vindicaret? Nemo in accuſationem legum vertitur, quia lege in maleficos agitur. Nemo diſciplinam acculat, quia ſæpè irritat ferotes animos, ut in abrupta virorum licentioſius, atque deſperatius ruant. Non ſunt hæc vitia rerum bonorum, & quarum cuſtodia Civitatibus, & Regnis neceſſaria eſt, ad frangendos improborum conatus ſemper retenta, ſed hominum impiorum, qui legibus contineri, & regi nolunt. Ita nec Concilium Tridentinum, paci conſecratum, pacis ſtudioſiſſimum, quod ad unius nationis pacem conciliandum, & reliquæ Chriſtianitati conjungendam toto Orbe convenit Epiſcoporum, atque Doctorum multitudo turbarum ſequentium cauſa fuit, verùm illi, propter quorum turbulentos conatus Concilium congregari oportuit.

33 Verùm plura de fructu tàm magni, Sanctique Concilii dicenda arbitror. Nam primò, conſenſus Catholici Orbis in eo patuit, non inter diverſorum Regnorum Theologos dumtaxat, ſed cum primæva Eccleſia.

34 Deindè, reformati mores Cleri, & Plebis, quæ reformatio etiam Germaniam magna parte illuſtravit.

35 Poſtremò, omnes hæreſes Concilii anathemate, quaſi fulmine ictæ, deteriori conditione furere, quàm ante, ſenſim ad vetuſtatem, & interitum tendere incœperunt. Anno 1574. confirmata eſt Synodus, cùm ultima ſeſſio inchoata fuiſſet anno 1563. die 3. Decembris, abſoluta die 4. Poſt illud tempus multò magis dividi hæreſes, & interire mutuis anathematiſmis cœpere. Uſque adeò ut nunc vix ulla Civitas in Germania inveniatur, quæ omnes eas hæreſes tueatur, in quas tum, cùm inchoaretur Concilium, conjurarunt. Nemo jam Confeſſionem Auguſtanam integram profitetur, dimidia pars Lutheranorum interea ad Calviniſmum defecit, vel ad Catholicam unitatem rediit, Calviniſmus inter Catholicos propugnari deſiit ea, qua ante pollebat potentia, quin & ipſe jam in pares factiones diviſas ruinam minatur.

36 Nona exceptio. *Qui in Concilio conſederunt; inimici ſunt, & adverſæ factiones. Non igitur audiendi ſunt nobis, nec eſt æquum nos hoſtium ſtare judicio.*

37 Utinam vel Tridentinorum vos hoſtes non eſſetis, vel illos eſſe hoſtes veſtros non fingeretis. Quomodo enim hoſtes, qui toties ad concordiam invitarunt? Qui veſtri cauſa ſumptum fecerunt, moleſtias peregrinationis ſuſtinuerunt? Errorum adverſarios fuiſſe nullus dubitat; cùm ipſi, ne dubitare quis poſſit, eos damnarint, *Sed tamen hoſtile Concilium.* Sed obſecro quodnam amicum Concilium voces? Si Calvinianus es, Lutherani ſunt tuo judicio *turbulenti veritatis hoſtes.* Si mollis Calviniſta, *Rigidi te quovis Hæretico, Turca, & Judæo deteriorem judicant.* Si Rigidus es, molles & Manichæum, & Borbonitam aſſeverant. Si Majoriſta es, aut Flavianus, aut Oſiandrinus, omnes habebis inimicos, qui tuæ factionis eſſe nolunt. Quale igitur Concilium eligis? An ex eo hominum genere, quod tibi addictum eſt, aut cui tu authoratus es? Tali Concilio vinces ſine certamine, ſine periculo, prudentiſſimè enim Judices legiſti, neminem enim admittis, niſi qui re jam ante abſolvit, niſi cui eadem tecum eſt cauſa. Et hæc contra Pareum. Vide quæ de Salvoconductu alibi ſcripſimus.

CONSULTATIO CLXIII.

De caſuum reſervatione in Sacramento Pœnitentiæ. A quibus fieri poſſit? Quid de Regularibus? Quidve de Sacerdote non approbato in articulo mortis, præſente Parocho, vel alio Sacerdote approbato? Quidve ſi Sacerdos eſſet Hæreticus, vel Schiſmaticus? Sententia Sacræ Congregationis Concilii.

1 ESſe in Eccleſia poteſtatem reſervandi aliqua peccata ſuperioribus Judicibus eſt fide definitum in Concilio Tridentino *ſeſſ. 14. cap. 7. & canon. 1.* & probatur ex antiquiſſimo uſu. Nam in Concilio Carthaginenſi *3. cap. 31.* & in Concilio Africano *cap. 20.* quod habetur *26. quæſt. 6. cap. ult.* dicitur, ut Presbyter non abſolvat pœnitentem, inconſulto Epiſcopo, niſi neceſſitate cogente, in ipſius Epiſcopi abſentia. Idem colligitur *ex can. Latorem 33. quæſt. 2.* ubi eſt ſermo de peccato matricidii, ſimul eſt in Concilio Vormacienſe *cap. 30.* Verùm in his, ac ſimilibus Decretis non eſt ſermo expreſſus de hoc Sacramento, ſed interdum de pœnitentia publica. Veriſimile tamen eſt, quando pœnitentia erat reſervata, etiam abſolutionem a culpa reſervatam fuiſſe, ut colligitur ex Cypriano *lib. 3. Epiſt. 16. aliàs 12.* & ex Benedicto XI. in *Extravag. Inter cunctas de Privileg.* ubi fit expreſſior mentio caſuum reſervatorum, ſicut & in *Clem. 1. eod. tit. & in Extrav. Et ſi Dominici de pœnitent. & remiſſ. & in cap. ſi Epiſcopus eodem titul. in 6.* Pro hac etiam ſententia refert Vvaldenſis Innocentium III. in Concione de Sanctis Apoſtolis Petro, & Paulo; citari etiam ſolet Origenes *homil. 8. in Levit. & homil. 10. in Num.* & Auguſtinus *in canon. in actione d. 1. de pœnit.* qui partim deſumptus eſt ex *Enchirid. cap. 65. & ex Epiſt. 118. cap. 3.* ſed ex iis locis non poteſt deſumi argumentum, quod admodum urgeat.

Et quamvis de hac reſervatione Hæreticus Vvicleph 2
effrutiverit id eſſe contra charitatis regulas, ut refert Vvaldenſis *tom. 2. de Sacram. cap. 149.* ubi hunc errorem ex Patribus impugnat, & Hæretici etiam hujus temporis negant Eccleſiæ hanc poteſtatem in foro interiori, eamque vocant commentum politicum, quia putant in Eccleſia non eſſe poteſtatem ad abſolvendum in hoc foro, & conſequenter negant poteſtatem reſervandi; verumtamen hi Hæretici ſupponunt falſum fundamentum, etiam diu reprobatum. Et quod de lege charitatis ait Vvicleph, nullius momenti eſt. Nam, ſuppoſita poteſtate, poteſt hæc reſervatio eſſe conveniens ad commune bonum, immò & ad privatum ſingularum perſonarum, & ideò non eſt, cur charitati repugnet talis reſervatio.

Major ratio dubitandi eſt, quia videtur hæc reſerva- 3
tio repugnare inſtitutioni, & veritati Sacramenti Pœnitentiæ. Nam eſſentialiter poſtulat & integram Confeſſionem, & integram abſolutionem, ergo etiam poſtulat integram juriſdictionem circa omnia peccata mortalia. Repugnat igitur inſtitutioni, & naturæ hujus Sacramenti dare juriſdictionem circa quædam peccata mortalia, & tollere circa alia.

At, ut diximus, certum eſt de fide, eſſe in Eccleſia 4
hanc poteſtatem, non ſolùm quoad exterius judicium, & politiam, ſed etiam apud Deum, itaut facta reſervatione, abſolutio, data ab inferiori, non ſit valida coram Deo, ex Tridentino loco citato, ubi ex natura, & conditione judicii, quæ huic Sacramento competit, & ex Eccleſiæ uſu id probatur, ac definitur extra mortis articulum Sacerdotes alios in caſibus reſervatis nihil poſſe.

Ratio autem eſt, quia cùm in hoc Sacramento re- 5
quiratur non ſolùm Ordinis poteſtas, ſed etiam juriſdictionis, quæ inferioribus a Superioribus communicari debet, conſequens eſt, ut ſuperior poſſit hanc juriſdictionem magis, vel minus limitare. Quod non repugnat huic Sacramento, ut objiciebatur. Quia quando alia peccata fuerint conjuncta cum reſervatis per ſe loquendo, ceſſare debet miniſter inferior ab uſu juriſdictionis, etiam circa alia peccata propter connexionem, totumque hoc includitur in reſervatione ipſa. Congruentia verò eſt, quia ex Concilio Tridentino viſum eſt paſtoribus Eccleſiæ hoc expedire ad rigorem diſciplinæ, & ut fideles magis contineantur ab hujuſmodi peccatis, ſaltem propter difficultatem obtinendi abſolutionem, & ut a Prælatis melius corrigantur, & ad emendationem juventur.

Difficultas tamen eſt, quomodo poſſit Epiſcopus re- 6
ſervare ſibi aliquos caſus, a quibus Parochi abſolvere non poſſint? Nam Parochi eo ipſo, quod ſunt Parochi, ſunt Paſtores, & habent juriſdictionem ordinariam in ſuum populum, quam non videntur omninò habere ab Epiſcopo, ſed ex inſtitutione Summi Pontificis, a quo provenit Parochiarum diviſio. Ad hanc difficultatem reſpondent Suarez, Vaſquez, & Navarrus apud Cardinalem de Lugo *de Sacram. Pœnit. diſp. 20. ſect. 1. n. 4. & 5.* quorum reſponſio non videtur ipſi de Lugo eſſe juxta mentem Concilii, quicquid & ipſe dicat.

Major difficultas eſt. Cùm verba Chriſti, quæ in ejus 7
perſona profert Sacerdotes conſecrando Epiſcopus: *Accipe Spiritum Sanctum, quorum remiſeris peccata, remittuntur ei, & quorum retinueris, retenta ſunt*, falſa eſſe non poſſint, omnibuſque, ac ſingulis æqualiter dicantur, ſcandaloſum videtur de novo Sacerdotibus ordinatis his verbis a Chriſto, aut Epiſcopo Chriſti nomine, qui in omnes illimitatam habet authoritatem, & juriſdictionem, alia diſtincta approbatione prævia dari, quin & datam ſæpius adimi, ſæpiuſque limitari, cùm ita quaſi contingere putetur, ut pro tempore, quo hæc impediretur falſa videatur.

8 Si in his etiam difficultas remaneret, ut facto prius diligenti examine de ordinandorum idoneitate, doctrina, prudentia, vitæ, morumque integritate, & parcior foret in admittendis subjectis ad tantæ dignitatis sublimitatem, & admissis simul, atque admittuntur, plenam quoque jurisdictionis potestatem Superiores tribuerent, cùm non sit sublimior ordo in medio Ecclesiæ supra candelabrum omnium oculis expositus, qui & lapis offensionis, ac petra scandali cunctis sua quavis insufficientia esse solet, quemadmodum & natalium splendore, modestiæ, reliquarumque virtutum candore illustratus, summum in Ecclesia lumen accendit, quod luceat omnibus, qui in domo Dei congregati sunt.

9 Quàm indignum sit hanc sublimitatem substerni pedibus eorum, qui eam talem, ac tantam æstimare neciunt, ut vel hinc in miserabilibus quibuscumque ex omni fæce hominum collatis, nullaque penitus virtute naturali, aut acquisita ornatis collatam dignitatem Sacerdotalem, immunitatemque Ecclesiasticam viliſſimis quotidie satellitum manibus tractari, ligarique necesse sit, quis est qualicumque saltem Christiani nominis dignus honore, qui non perhorrescat, ubi qualemcumque sæcularium Principum ministreculum, & hujus pediſſequum ab hac injuria videat immunes?

10 Hæc tamen, & id genus alia, quæ Sanctæ Matris nostri decori deserviunt, Christi magis immediatos ministros laicæ potestati, atque hæreticorum, aliorumque quorumcumque intuentium oculis venerabiles reddunt verbo divino ab eis prolato, ac ministerio, fidem, devotionem, reverentiamque debitam conciliare nata sunt, ejusdem Sanctæ Matris prudentissimæ directionis, pietatique relinquuntur. Videantur interim Suarez de Lugo aliique. Nobis sufficit Concilium Tridentinum definisse *dict. can.* 11. *Si quis dixerit, Episcopos non habere jus reservandi sibi casus, nisi quoad externam politiam, atque ideò casuum reservationem non prohibere, quominus Sacerdos a reservatis verè absolvat, anathema sit.*

11 Magnopere igitur ad Christiani populi disciplinam pertinere, Sanctissimis Patribus Nostris visum est, ut atrociora quædam, & graviora crimina non a quibusvis, sed a summis dumtaxat Sacerdotibus, absolverentur. Idem censuit Sacra Congregatio posse Prælatos Regulares in Regulares sibi subjectos, & sæculares inferiores jurisdictionem quasi Episcopalem in loco habente, ac nulli Diœcesano, nec ipsi neque eorum subditis subjacentes. Præsertim verò quoad illa, quibus excommunicationis censura annexa est. Unde Regulares non possunt ex Privilegiis, præsertim ex illo, quod Mare magnum appellatur, eis concessis, absolvere quemquam in casibus, quos Episcopus sibi reservaverit, de quo alibi.

12 Comprehenduntur etiam exempti, non autem qui sunt nullius Diœcesis, qui, ut supra, possunt sibi reservare casus, nec possunt absolvere ad cautelam tàm in exteriori, quàm interiori foro eos, qui incidisse videntur in Bullam Cœnæ Domini. Omnes autem, qui audiunt Confessiones possunt absolvere a casibus Episcopis reservatis virtute Bullæ Jubilæi, indicti a Summo Pontifice cum facultate absolvendi a quibuscumque excommunicationibus reservatis, etiam Sedi Apostolicæ, etiam in Bulla Cœnæ, sed non virtute Privilegiorum, & facultatum perpetuò concessarum ipsis Regularibus, & Confraternitatibus, ut puta Rosarii, & aliorum piorum locorum, ut declaravit Sacra Congregatio.

13 An autem præsente proprio Sacerdote, aut delegato, possit quilibet Sacerdos absolvere in articulo mortis, affirmant Navarr. *consil.* 15. *num.* 2. *de pœnitent. & remiss.* Henriquez *lib.* 6. *summ. cap.* 11. Rodriquez *part.* 1. *summ. cap.* 15. *num.* 1. Ledesm. *part.* 1. *summ. cap.* 15. *de pœnitent. diffic.* 2. post primam conclusionem, Vega *part.* 1. *summ. cap.* 6. *casu* 16. Joan. Sanchez *in select. disput.* 49. *num.* 5. Probatur ex Trident. *sess.* 14. *cap.* 7. in quo declaratur, quod omnes Sacerdotes absolvere possunt in articulo mortis, & quod tunc nulla est reservatio, nec adhibet ullam restrictionem. Ergo non debet restringi, ut valeat tantùm in defectu Sacerdotis, qui aliàs possent absolvere. Quia lex universalis, præsertim favorabilis, debet universaliter recipi.

14 Negant verò Sanchez *lib.* 2. *in decalog. cap.* 13. Suarez *disp.* 26. *de pœnit. sect.* 4. *num.* 4. Vasquez *in* 3. *par. quæst.* 93. *art.* 1. *dub.* 4. Coninch. *disp.* 8. *de Sacram. Pœnit. num.* 16. aliique. Probatur: *In Extravag.* 1. *§. Decernimus de sentent. excommunic.* declaratur, pœnitentes in certis casibus posse in articulo mortis absolvi, si non possint recurrere ad Superiorem, & *cap. eos, qui eod. tit.* absolutus ratione imminentis periculi a censura reservata, cessante causa, tenetur comparere coram Superiore. Ergo si sit præsens, non poterit ab alio absolvi. Item talis facultas est concessa ab Ecclesia, ut obviet necessitati, & periculo, quod moribundus moriatur sine Confessione. Ergo est concessa solùm in defectu alterius Sacerdotis.

Hæc sententia tenenda est. Unde Sacra Congrega- 15
tio Concilii *ad dict. c.* 7. *sess.* 14. censuit, Sacerdotem, alioquin idoneum, non tamen ad audiendum Confessiones approbatum, juxta *c.* 15. *sess.* 23. non posse validè a peccatis mortalibus absolvere pœnitentem, in articulo mortis constitutum, ubi citra moræ periculum haberi potest copia Sacerdotis approbati, & longè id minus, si ipsemet Parochus præsens id prohibeat, paratusque sit infirmi Confessionem audire, illumque absolvere, nec ulla subsit causa Parochum ipsum recusandi. Et omnes Sacerdotes in articulo mortis absolvere possunt, non tamen si isti Sacerdotes essent Hæretici, aut Schismatici ex sententia Sacræ Congregationis.

CONSULTATIO CLXIV.

De virtutibus heroicis Christianis, præsertim in martyribus? Ubi quæritur, cui virtuti potior laus in opere martyrii debeatur?

PRobabilis est eorum sententia, qui existimant, mo- 1
tivum, ex quo martyr mortem acceptat, esse illi arbitrarium intra genus honesti supernaturalis, itaut ex quocumque motivo voluerit, sive charitatis, sive Religionis, alteriusve cujuscumque virtutis, possit elicere, ac imperare, vel dumtaxat elicere acceptationem martyrii. Non enim martyr adstrictus est ad certi alicujus motivi honesti usurpationem. Sufficit motivum acceptandi martyrium esse supernaturale, & cum fide vera aliquatenus complicatum, atque adeò pertinens ad virtutem aliquam infusam, sive theologicam, sive moralem. Hinc adduco virtutum omnium certamen inter se contendentium, quænam in opere martyrii primas ferat, & triumphi palmam.

Primò. Fides sibi potiorem laudem deberi in marty- 2
rii opere contendit. Quia sic illa martyribus præluxit, ut quod corde crediderunt ad justitiam, ore confessi sunt ad salutem, & pro fidei Confessione tormenta, & mortem animosè subiere ipsius fidei robore firmati. Tunc enim, ut ait Cyprianus *de laud. Martyr. omne fidei robur expanditur*, & Ambrosius *serm. de Sancto Nazario, & Celso: mater martyrii fides Catholica est*, & Chrysolog. *serm.* 128. *Non tàm mors, quàm fides martyres facit*. Præclarè Laurent. Justinian. *in lign. vitæ tr. de fide cap.* 5. & initio *serm.* de S. Laurentio. *Unde illis tàm gloriosa victoria, magnanimitas tanta, atque inexpugnabile robur? Nonne utique dixerim aliundè, quàm ex illuminatione fidei?*

Secundò, contendit spes, sibi omninò adscribendam 3
in opere martyrii eminentiam. Ut enim inquit Sanctus Gregorius *lib.* 6. *moral. cap.* 16. *Spes in æternitatem animum erigit, & idcircò nulla mala exterius, quæ tolerat, sentit*. Firmissima hac spe, quæ æterna gaudia prægustabant, tormenta, & cruciatus hilari vultu, & infracto animo excipiebant in corpore, cujus instaurationem, & redivivam incolumitatem intrepidè sperabant: *Et si coram hominibus tormenta passi sunt, spes illorum immortalitate plena est*. Sap. 3. 4.

Tertiò, charitas primas sibi deberi urget. Quia ut 4
Clemens Alexandrinus *lib.* 4. *stromat. cap.* 2. ait: *martyrium perfectum opus ostendit charitatis*. Egregiè Tertullianus *in Scorpiaco cap.* 6. *Dilectio hominem martyrem excudit, in sua plane succensa fornace, igne suo & flammis, quibus correpti martyres facilè superarunt, vel dictu horrendos cruciatus, omnis timor exclusus ingruentium calamitatum, & tribulationum*. Et quidem majorem hac dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis, *Joan.* 14. 13.

Quartò, occurrit prudentia, & Principatum sibi ex- 5
postulat, quia reliquarum virtutum veluti auriga est, decorque luminosus, sine quo in tenebris, & magna imperfectione jacerent. Ille ductu, arbitrioque prudentiæ operantur, a qua opus martyrii, egregium, laudabile efficitur, in eoque ipsa est, ut in navi gubernator, & splendor, ut sol in mundo. In martyrii namque opere cernitur judicium, electio, actio, usus, in quibus est Prudentia, illa inquam, Prudentia tantopere a Christo commendata in suis Athletis: *Estote prudentes sicut serpentes*. Matth. 10. 16. Ut enim serpens totum objicit corpus saxo, baculo, gladio pro tuendo capite, vitæ origine, sic martyres exquisitissima prudentia

ſua, ne caput perdant, Chriſtum ſcilicet, Chriſtique fidem ſua corpora damno, ac periculis objiciunt.

6 Quintò, efficere nititur Juſtitia ſibi primatum deberi, quod ipſa in martyrio ſummoperè reſplendeat. Ut enim hanc virtutem martyres propugnarent tormenta, & mortem pertulere. Ideò ab Iſaia 62. 4. appellatur *fortes juſtitiæ*. Et Chriſtus *Matth.* 5. dixit: *Beati, qui perſequutionem patiuntur propter juſtitiam* cui conſonat Petrus *epiſt.* 3. 14. Per hanc virtutem effecti martyres amore communi transfuderunt in proximos quicquid habebant quadam inclementia ſui, Creatori, & creditori Deo debitum ex juſtitia reddidere.

7 Sextò, urget fortitudo. Quia ex Sanctorum Patrum, & Doctorum ſententia virtus hæc longè præ aliis uberius fulget in martyribus, cùm martyrii acceptationem fortitudini ſoleant tribuere. S. Thomas aliique communiter, qui ſtatuunt martyrium eſſe actum fortitudinis, ut elicientis. Inde illi conſtantes, ac fortes in excipiendis quantumvis immanibus tormentis.

8 Septimò, certat Temperantia, qua excelluere Martyres, dum hac virtute edocti voluptates omnes, præſertim corporeas, quæ ex guſtu, & tactu percipiuntur, reſtrinxere, excluſeruntque nimium ſui ipſorum amorem immoderatum vitæ propagandæ ſtudium ac mortis metum, ſeipſos egregiè abnegarunt, odio corpora ſua proſequentes ſancto, maximèque laudabili, & omni prorſus carnificinæ exponentes pro animæ ſalute, & Chriſti gloria. Rectè Theodoretus *lib.* 8. contra Græcos. *Quid enim eſſe martyribus temperantius poſſit, qui noluerunt ab incœptis illis, dogmatibuſque diſcedere, quæ olim bona eſſe crediderint?*

9 Non eſt meum decidere hanc litem, interim velim, ut unaquæque virtus florem ſuum conferat ad coronam tum martyribus, tum aliis Sanctis texendam. Verè inter virtutes in martyrio promicantes palma incerta, cùm martyr ex cujuſcumque motivo poſſit elicere, & impetrare acceptationem martyrii, at obſequium certum, cùm omnes ſuo more, ac modo martyribus ad tàm egregium opus obſequantur. Rectè hic Sanctus Gregorius Nazianzenus *orat.* 16. *Et quidem haud admodum promptum, & facile inter virtutes, eam, quæ cæteras vincat, invenire, eique palmam dare. Quemadmodum etiam in prato quodam plurimis, & ſuavibus floribus referto, florem omnium pulcherrimum, & flagrantiſſimum reperire, alio nimirum, aliis olfactum, & aſpectum ad ſe diſtrahente, atque ad primum illum decerpendum alliciente.* Ex amæniſſimo ergo, & florido virtutum omnium prato texendæ ſunt coronæ martyribus, Sanctiſque aliis. Singulæ virtutes, ſinguli flores erunt pulcherrimi, varii, verſicolores, ſuaviſſimè ſpirantes, ac ridentes, non ſolùm vere primo, vel æſtate, ſed hieme potiſſimùm martyrii aſperrima.

10 Quod ſi una fortitudinis, vel charitatis virtus, martyribus, cæteriſque Sanctis primas ferre contendas, non idcircò reliquarum illis neganda eſt. Nam poſita alicubi una virtute in gradu perfecto, ei omninò reliquiæ conſonant, & connectuntur exquiſitiſſima harmonia, & nexu mirabili. Quemadmodum ſi fides contentæ in idem melos ſint, una pulſa, altera etiam reſonare circumfertur, & experientia comprobatum eſt, ut ſcribit Aulus Gellius *lib.* 9. *cap.* 7. & obſervat propè ad rem noſtram Gregorius *lib.* 1. *moral. cap.* 4. inquiens: *Illi, qui chordarum harmoniam temperant, tanta hanc arte diſpenſant, ut plerumque cùm una tangitur, longè alia, ac multis interjacentibus poſita corda quatitur, cumque iſta ſonitum reddit, illa, quæ in eodem tantu temperata eſt, aliis impercuſſis, tremt. Sic ergo in Scriptura Sacra plerumque de virtutibus ſic agitur, ut dum loquendo aliud inſinuat, aliud tacendo innoteſcat.* De hac virtutum inter ſe connexione vide quæ alibi diximus.

CONSULTATIO CLXV.

De cauſis canonizandi Sanctos. Et quæ in eo, qui canonizandus eſt, requirantur?

1 AD primum, ut ſubortæ fraudes tàm hæreticorum, quàm aliorum impiorum hominum caveantur, utque ambitio cum affectu humano adjuncta evitetur, & ſimulata ſanctitas detegatur, major in Canonizatione Sanctorum inquiſitio præſtari cœpit. Hæretici enim atque ſchiſmatici cruciatus, ac necem paſſi pro Chriſti nomine aliquibus videbantur, quos tamen a Catholica fide alienos Eccleſia Catholica non recepit. Martyrem namque Chriſti, ut ait Auguſtinus *tom.* 2. *epiſt.* 61. & 166. non pœna facit, ſed cauſa. Et quicquid patiantur ii, qui extra Eccleſiam Catholicam ſunt, perfidiæ pœna, non martyrium eſſe cenſetur. Exemplum præbet Hermanus quidam Hæreticus fictæ ſanctitatis. Is enim vita functus, ſanctitatis opinionem, ac venerationem conſequutus fuit, totoque viginti annorum ſpatio retinuit, cujus corpus poſtea Bonifacius VIII. exhumari, comburique juſſit, diligentiſſima de ipſius hæreſi, fictaque ſanctitate habita inquiſitione, Platina in Bonifacio VIII.

2 Affectus item humanus cum ambitione conjunctus cauſa etiam fuit, cur ex hac vita piè decedentes, tum conſanguineos, tum affines, & amicos, tanquam Sanctos pro ſuo quiſque arbitrio, & affectu veneraretur, patrociniumque ab eis publicè imploraret, hinc perturbatione, atque confuſione ſuborta ille, qui a quibuſdam, uti Sanctus colebatur, ab aliis magno cum ſcandalo irridebatur.

3 His, aliiſque de cauſis res tanti ponderis, cujuſmodi Sanctorum canonizatio eſt, nonniſi mora interpoſita, & quidem longa, diligentiſſimaque habita perveſtigatione, mediis interea magnorum Principum, Civitatum, & Nationum ſummis precibus, ut ſcilicet veritas ipſa magis, atque magis eluceſcat, in annos plurimos differri ſolet, ac jure debet. Id, quod aliis omiſſis in Canonizatione S. Stanislai Epiſcopi Cracovienſis, & Martyris, qui anno 175. poſt martyrium Catalogo Sanctorum fuit adſcriptus, factum conſtat.

4 Ad ſecundum. Fama inculpatæ vitæ longa temporum ſerie ad finem uſque illius incluſivè nunquam interrupta, pro quovis canonizando in primis requiritur, ac poſtulatur. Vitæ autem rectitudo, catholica fide prævia factis, ac dictis comprobatur. Nam circa ſpiritualia, & corporalia miſericordiæ opera; circa item caſtitatem, ſobrietatem, & abſtinentiam; circa bonos mores, actus, & labores multos, vel pro fide, vel pro animarum ſalute conſtanter toleratos; & circa denique virtutes omnes, præſertim verò circa chriſtianam humilitatem verſatur. Vitæ namque Sanctimonia poteſt eſſe ſimulata, & ficta cujuſmodi vita hypocritarum eſt. Vera itaque vitæ integritas, & innocentia miraculis interdum illuſtratur, ac declaratur.

CONSULTATIO CLXVI.

Miracula vera pro Canonizatione Sanctorum quomodo a non veris diſcernantur? Miracula vera quomodo a bonis, & malis chriſtianis, & non vera a Magis, ac dæmonibus fiant?

DE his, aliiſque hujuſmodi plura leguntur in opere noſtro de violatæ fidei Catholicæ Sacroſancto Tribunali, quod apud Supremam Romanam Inquiſitionem adhuc retinetur, reviſendum. Porrò miraculorum inveſtigatio diligentiſſima eſſe debet, cùm tàm a malis, quàm a bonis hominibus fieri poſſint, immò & a Dæmonibus ipſis mirabilia quædam perpetrari ſoleant, quę tamen revera miracula non ſunt. Miraculum namque propriè ſumptum, ſicut docet S. Thomas, ac ceteri Doctores *part.* 1. *quæſt.* 110. *art.* 4. & *quæſt.* 114. *art. item* 4. illud eſt, quod fit prętęr totius naturę creatę ordinem, ſub quo omnis virtus creata continetur. Si enim lapis, qui ſuaptè natura deorſum tendit, non prętęr totius naturę, ſed tantùm ipſius lapidis naturę ordinem, a quopiam ſurſum projiciatur, id nequaquam miraculum dici poteſt.

2 Et quidem quatuor in miraculis pro aliquo canonizando requiruntur. Primum eſt, ut miraculum non ex arte, aut a dęmone fiat. Secundum, ut ſit contra naturam. Tertium, ut non ex vi verborum, ſicut panis in verum Chriſti corpus miraculosè tranſubſtantiatur, ſed ex merito hominis fiat. Quartum, ut miraculum ad fidei corroborationem fiat. Herba enim, ut ajunt, hominis miniſtratio tranſit in vitrum, nulla fidei corroboratione intercedente. Ita Oſtienſis *lib.* 3. *ſumm. de reliq. & vener. Sanctor.* Caſſan. *part.* 3. *catal. glor. mund. conſid.* 49. poſt Gloſſ. *in cap.* 1. *de reliq. & venerat. Sanctor. in* 6. *verb. Sedis Apoſtolicæ*. Ea itaque opera, in quibus dictę conditiones deſiderantur, miracula vera dici non poſſunt.

3 Miraculum propriè ſumptum, nonniſi a Deo fieri poteſt. Si autem ab Angelo, vel a Sancto aliquo verum fiat miraculum, id virtute tantùm divina factum fuiſſe dicas oportet. Fit quoque verum miraculum, non ſolùm a bonis, ſed etiam a malis chriſtianis. A bonis, ut ait S. Thomas *part.* 1. *quæſt.* 110. *art.* 4. nonniſi per publicam fit juſtitiam, quę in toto mundo eſt, ſicut lex publica in Civitate, hoc eſt, ut inquit Sanctus Bonaventura *lib.* 2. *ſentent. diſt.* 7. *part.* 2. *quæſt.* 2. *art.* 2. per fidem veram, quę verè juſtificat, & a veritate prędicatur, ad ipſorum Sanctitatem, necnon ad

Dei

Dei gloriam indicandam, & ad prædicatam veritatem confirmandam. A malis autem istuc ipsum, Deo concedente, fieri nonnunquam potest non propriè per publicam justitiam, sed per publicæ justitiæ signa, quia ipsi fidem habent, & opera videntur habere, Christi nomen invocantes, vel aliqua Sacramenta exhibentes.

4 Hinc S. *Matth.* 7. malos Christianos *in die judicii* dicturos hisce testatur verbis: *Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus, & in nomine tuo dæmonia ejecimus, & in nomine tuo virtutes multas fecimus?* Prophetia enim, necnon dæmones ejiciendi, & miracula faciendi facultates sunt gratiæ gratis datæ, quæ, ut tradunt Theologi omnes cum peccato mortali stare possunt. Hujus autem generis facultates malis Christianis a Deo interdum conceduntur, non ex meritis eorum, qui operantur, sed ex invocatione nominis Christi ad condemnationem eorum, qui Christi nomen invocant, atque ad utilitatem eorum, qui talia vident, & audiunt, ut quamvis ea signa facientes contemnant, Deum tamen, ad cujus invocationem tanta fiunt miracula, venerentur. Nam & Saul, & Balaam, & Caiphas prophetarunt nescientes quid ipsimet dicerent, 1. *Reg.* 10. *Num.* 23. *Joann.* 11. Pharao, & Nabuchodonosor somniis cognoverunt, *Genes.* 41. *Daniel.* 2. & in *Actibus Apostol.* 19. Filii Scævæ, Sacerdotum Judæorum Principis dæmonia ejicere videbantur. Judas denique Apostolus cum animo proditoris multa signa inter cæteros Apostolos fecisse narratur. Hæc ex Hieronymo *in Matth. lib.* 1. *cap.* 7. *tom.* 6.

5 Mali namque Christiani ex fide absque charitate, sine qua vitam æternam mereri non possunt, dictis de causis dæmones ejicere, miracula operari, & prophetare queunt. Hinc Chrysostomus de iis dixit *homil.* 14. *in cap.* 7. *Matth. tom.* 2. incerti Authoris. *Sed considera, quia in nomine Christi se prophetasse dicunt non in Spiritu. Prophetant enim in nomine Christi, sed in spiritu diaboli, quales sunt divinatores. Dæmonia ejiciunt in nomine Christi, habentes spiritum inimici. Magi autem non ejiciunt, sed ejicere videntur, colludentibus sibi dæmonibus. Faciunt & virtutes, idest miracula, non utilia, & necessaria, sed inutilia, & vana.* Ita Chrysostomus, qui malos Christianos, fidem tamen habentes, & Christi nomen in miraculis faciendis invocantes, cum magicam artem exercentibus videtur confundere. Magi enim mirabilia quædam faciunt interdum, quæ reipla miracula non sunt, eaque nonnisi per pactum, ut ait S. Thomas *d. art.* 4. *ad* 2. cum dæmone initum perpetrant. Mali verò Christiani per publicæ justitiæ signa, veluti Christi nomen invocando, vera miracula, sed divina quidem virtute faciunt. Miraculum namque propriè dictum, quod est, ut sæpè diximus, extra totius naturæ creatæ ordinem, causam habens omnibus omninò occultam, a solo Deo fieri potest, a bonis autem, & malis Christianis eo, quem explicavimus modo. Dæmones item, qui exactissima omnium rerum scientia insignes conditi fuerunt, quibus etiam integra post lapsum remanserunt naturalia, mirabilia quædam efficiunt, quæ tamen miracula non sunt, quia causam omnibus omninò occultam non habent, nec extra totius naturæ creatæ ordinem sunt, cujusmodi vera miracula esse debent, ex Theologis cum S. Thoma *loco cit. qu.* 105. *art.* 7. *in corp.* Alia alibi diximus.

CONSULTATIO CLXVII.

Opera dæmonum ab Authoribus narrata, cur miracula dici nequeant? Quot modis fiant?

1 MOdo jam dicto facta esse, credendum est opera dæmonum illa, quæ plures nominatim Augustinus *de Civitat. lib.* 18. *cap.* 16. 17. *ac* 18. de Diomedis, & Ulyssis sociis, illis in volucres, his verò a Circe in alias bestias immutatis, deque Archadibus in lupos, deque aliis in agnos conversis, narrat. Hæc, & id genus alia superficie tenus, ut ait idem Augustinus *loco cit.* hoc est dæmonum ludificatione fieri possunt. Hinc idem *in lib. de spirit. & anim. cap.* 28. de aliis dæmonum præstigiis, quæ omnes mirabili eorum perspicacitati, necnon experientiæ, tàm magno sæculorum numero exercitatæ, motuique acri corporis mirè velocitati adscribit: *Dæmones*, ait *& acrimonia sensus hoc est subtilitate cognitionis, & celeritate motus aerei corporis terrenorum corporum sensum facilè præcedunt, & quædam cogitata prænunciant quæ homines mirantur propter tarditatem terreni corporis. Accessit autem dæmonibus per tàm longum tempus, quo eorum vita protenditur, rerum longè major experientia, quam hominibus potest evenire propter brevitatem vitæ. Idcircò quædam futura prædicunt, & quædam mira faciunt, quibus homines alliciunt, & seducunt. Unde quædam mulierculæ post Satanam conversæ, & dæmonum illusionibus, & phantasmatibus seductæ credunt se, & profitentur nocturnis horis cum Diana, Paganorum Dea, vel cum Herodiade, & Minerva, & innumera mulierum multitudine equitare, earumque jussionibus obtemperare. Ipse namque Satanas, qui transfigurat se in Angelum lucis, cùm mentem cujusque mulierculæ, cœperit, & hanc sibi per infidelitatem subjugaverit, illicò transformat se in diversarum personarum species, ac similitudines, & mentem, quàm captivam tenet in somnis deludens, modò læta, & modo tristia: modò cognitas, modò incognitas personas ostendens, per devia quæque deducit, & cum solus hoc patitur spiritus infidelis, nec in animo, sed in corpore evenire opinatur. Idcircò omnis stultus, & hebes, qui hæc omnia, quæ spiritu fiunt, etiam in corpore accidere arbitratur, cùm Ezechiel, & alii Prophetæ, Joannes etiam Evangelista, & Apostoli in spiritu, non in corpore visiones viderint.* Quæ ferè omnia ex Concilio Anquirensi a Gratiano inserta leguntur in *can. Episcop.* 26. *quæst.* 5. Toto autem illo tempore, quo homines arte dæmoniaca sopiti existunt, a dæmone eorum corpora juxta naturæ exigentiam, sustentantur, aliquo scilicet alimento, & subtili quidem in ea corpora latenter immisso.

Dæmonum igitur opera miracula non sunt, quia vi- 2
res naturæ non superant, sed iis, qui talium operum causas, aut talia faciendi modum ignorant, mirabilia videntur. Ea enim Dæmones faciunt, aut humanorum sensuum illusionibus, aut naturalium rerum operatione, naturales videlicet rerum causas disponentes, miraque celeritate adjuvantes, activa denique passivis applicantes, vel corpora hinc, atque illuc deferentes. Angeli namque tàm boni, quàm mali omnium rerum cognitionem, ac scientiam callent exactissimam, eisque ad nutum, quantum ad motum, res corporeæ obediunt. Hinc dæmones ob naturalem omnibus spiritibus inditam facultatem, si a Deo interdum non impedirentur, tot, tantaque nobis inferrent damna, quot quantaque a nobis excogitari non possunt, ut videre est in libro Job *cap.* 1.

CONSULTATIO CLXVIII.

In qua fusè, & articulatim disceptatur, quæ opera admiranda possint facere dæmones, vel per seipsos, vel per Magos.

PRæter dicta in citato nostro opere de Sacrosancto 1
violatæ fidei Tribunali, in quo ea omnia, quæ ad illud pertinent hac super re accuratè discutimus, duo sunt hic ponenda ad evitandas fraudes in causis Canonizationum Sanctorum ex sacris literis manifesta. Primum est, dæmones per se ex uno loco in alium moveri, & quidem maxima celeritate. Legimus enim in libro *Job.* 1. & 2. Satan Deo interroganti, unde veniret, respondisse: *Circuivi terram, & perambulavi eam*, & Dominus in Evangelio ait, quendam spiritum nequam, egressum ab homine, quem tenebat, perambulasse per loca arida, & inaquosa, & iterum assumptis aliis septem spiritibus nequioribus se, ad eumdem illum hominem revertisse, *Matth.* 12. & *Petrus* 1. 5. admonet fideles, *ut sobrii sint, & vigilent, quoniam adversarius eorum diabolus, tanquam leo rugiens circuit, quærens quem devoret.*

Alterum est, dæmonem non solùm posse movere 2
seipsum, sed etiam alia corpora ex uno loco in alium transferendo. Id quoque ex sacris literis certum est. Dæmones enim per peccatum non perdiderunt dona naturalia. Sicut igitur Angeli naturali vi movent orbes cœlestes, sic dæmones possunt movere alia corpora, & sicut Angelus ille *Dan.* 14. Prophetam Habacuc capillo capitis apprehensum ex Judæa Babilonem usque transportavit, indeque reportavit in Judæam, ita posset dæmon idem facere. Quinimmò id eum fecisse certum est. Legimus enim *Matth.* 4. diabolum tulisse Dominum nostrum in pinnaculum templi, & in montem excelsum.

Neque hoc loco disputandum est, an talis virtus 3
motiva dæmonis sit distincta ab ejus intellectu, & voluntate, nam distinctam esse equidem arbitror, licèt plerique negent. Nec definio nunc quanta sit virtus motiva dæmonis, vel quot corpora, aut quanta movere queat, & non amplius. Id enim incognitum mortalibus puto. Existimo tamen in dæmonibus superioribus majorem esse hanc vim motivam, inferioribus verò minorem. Sicut enim eorum naturæ sunt, vel perfectiores, vel imperfectiores, ita quoque eorum po-

ten-

tentiæ ſunt vel fortiores, vel imbecilliores. Nam quia Angelus eſt terminatæ ſpeciei, ac definitæ naturæ, & perfectionis, ideò nec poteſt eſſe ubique locorum, neque poteſt quantacumque velocitate quantumlibet corpus movere.

4 Prætereà ſciendum eſt, duplicem eſſe dæmonum actionem quæ a philoſophis vocatur tranſiens. Alteram immediatam, quæ immediatè proficiſcitur a dæmone, & hæc eſt motus localis, quo movet corpora. Nam ſicut intelligentiæ non per aliqua media inſtrumenta, ſed immediatè movent orbes cœleſtes, ſic dæmones immediatè poſſunt movere corpora ſecundùm locum. Altera eorum operatio tranſiens, eſt mediata, nempè quæ motionem localem ab ipſis factam conſequitur. Dæmones enim aſſerendo in variis locis, & invicem applicando cauſas naturales, & per agentia invicem, & patientia componendo, varios producunt effectus, qui immediatè quidem exiſtunt ex cauſis naturalibus, mediatè verò a dæmonibus, qui illas cauſas præſentes fecerunt, & materiis, quæ ab illis aptæ ſunt pati accomodaverunt. His poſitis quænam opera admiranda poſſint dæmones facere, demonſtremus.

5 Principio per motum localem multa poſſunt dæmones facere, quæ fidem excedere videantur, quorum nonnulla hic ſubjiciam. Primò, poſſunt ignem ex ſuperiori aeris parte dimittere, quo multa conſummant, & perdant. Poſſunt etiam immittere vehementes ac turbulentos ventos, qui magna diruant ædificia, ſicut feciſſe legitur adverſus Job. 1. *Cecidit*, inquit Scriptura, *ignis de Cœlo, ac tactas oves, pueroſque conſumpſit, & repentè ventus irruit a regione deſerti, & concuſſit quatuor angulos domus, quæ corruens oppreſſit liberos tuos, & mortui ſunt.* Poteſt dæmon graviſſimas tempeſtates, & procellas in mari excitare, vel aquas maris ab imo commovendo, vel per concitatiſſimos ventos. Poteſt terram magnis motibus concutere, vel immittendo vehementem aliquem ſpiritum in cavernas terræ, vel in illis incluſum vehementiſſimè agitando. Sic fortaſſe fieri potuit, quod narrat Philoſtratus de duobus doliis, quæ vidit Apollonius apud Indos, quæ aperta, imbres, & ventos emittebant, clauſa verò eadem cohibebant, atque compeſcebant.

6 Secundò. Poteſt transferre ex uno loco in alium, quantumvis remotum, vel homines, vel animalia, vel quævis alia corpora. Sic diabolus Chriſtum tulit in pinnaculum templi, & in montem excelſum, & hiſtoria Eccleſiaſtica narrat, Simonem Magum a Dæmonibus per aera evectum eſſe in Cœlum. In hiſtoriis etiam Gentilium traditum eſt nonnunquam viſos eſſe dracones, & homines per aera voluntas. Quin etiam Albertus tradit aliquando Boves, ſeu vitulos pluiſſe. Quod hac ratione factum eſſe exiſtimandum eſt.

7 Tertiò. Poteſt dæmon ſubitò res præſentes è conſpectu hominum ſubtrahere, atque ita reddere inviſibiles, ſicut Apollonius cùm eſſet in conſpectu Domitiani Imperatoris, repentè ex oculis omnium exceſſit, & niſi volumus fabulam fuiſſe id, quod de Gyge memorat Plato *in 2. de republ.* & Cicero *lib. 3. de offic.* hac etiam ratione dicemus, Gygem, cùm volebat, potuiſſe latere oculos præſentium, & ſpectantium, idque feciſſe, non vi, & poteſtate ejus annali, quem geſtabat, ut illi tradunt, ſed potius dæmonum artificio.

8 Quartò. Poteſt facere, ut ſtatuæ, vel aliæ res inanimatæ ambulent, & incedant more hominum, dæmone illas movente, ad motum moderante. Sic factum eſt, quod ex Philoſtrato legitur de tripodibus lapideis, & pincernis æreis, qui apud Jarcham, præſente Apollonio in convivio per ſe movebantur, & more famulorum miniſtrantium menſis, & pocula & fercula conviviis ſuo loco, & tempore præbebant.

9 Quintò. Poſſunt facere, ut ſtatuæ, arbores, animalia loquantur more humano. Qua ratione fieri potuit, quod narrat Valerius Maximus *lib. 1. cap. ult.* de ſimulachro Junonis Monetæ, quod Romani Veiis Romam transferre religionis ergo cupiebant. Cùm enim quidam militum per jocum interrogaret illud ſimulachrum, an Romam migrare vellet, velle ſe reſpondit, qua voce audita, luſus in admirationem, & religionem verſus eſt. Simulachrum etiam fortunæ mulieris a matronis Romanis, cum æde ſua conſecratum, bis loquutum eſſe, idem Valerius Author eſt, his verbis: *Ritè me matronæ vidiſtis, ritè me conſecraſtis*: Et Cajo Volumnio, & Servio Sulpitio Conſulibus dicitur, hos humano ſermone loquutus. Bello etiam Punico ſecundo fertur Gneo Domitio bovem dixiſſe: *Cave tibi Roma.*

10 Hic quoque pertinet, quod narrat Philoſtratus, cùm Appolonius eſſet cum Gymnoſophiſtis Æthyopum, quorum princeps erat Theſpecion, ejus tacito juſſu arborem ulmum humana voce Apollonium ſalutaſſe. Nec putandum eſt vel leones, vel arbores, vel alias res inanimatas modo hominum loqui poſſe, ſed dæmonem eſſe, qui ſermones illos articulatos, & humanis ſimiles in aere formet juxta, vel intra corpora. Sic Angelus, qui occurrit Balaam, ei mortem intentans, fecit, ut ejus aſina loqueretur: Nam etiam videmus eſſe quoſdam, qui per organa, vel alia inſtrumenta muſica, tanto artificio modificare, ac temperare poſſint flatum, quo illa pulſantur, ac reſonant, ut voces, & cantus hominum æmulari, ac reddere videantur.

11 Sextò. Poſſunt facere, ut animalia mirabili quadam ratione ſeipſa moveant, & quædam agant, quæ ſine intelligentia, & ratione, nec ea quidem vulgari, ſed admodum ſolerti, ac prudenti, minimè fieri poſſe videantur. Tale eſt, quod narrat Valerius *lib. 1. cap. 8.* quod eſt de miraculis, de ſerpente illo Æſculapii, quem Romani quaſi volantem, & intelligentem, & quædam rationis, ac religionis, necnon divinitatis cujuſdam ſigna dantem, Epidauro Romam advexerunt. Hujus etiam generis eſt, quod narrat Philoſtratus *lib. 5. cap. 15.* de leone quodam manſuetiſſimo, qui loco veluti canis, in Ægypto per Urbes ducebatur, contrectantibus ſe non modò non nocens, ſed etiam blandiens, qui ad genua Apollonii, modo ſupplicantium hominum humiliter ſe abjecit, quem aſpiciens Apollonius, adeos, qui aderat: *Hic*, inquit, *Leo me rogat, ut vos doceam hominis animam illum habere. Fuit enim hic quondam Amaſis Ægypti Rex.* Quæ ſimulatque dixit Apollonius, ſeu miſerabiliter fremens, lacrymabilem rugitum edidit, tum dentibus infrendens cùm plorare videretur, ubertim lacrymas fundebat: *Hunc*, inquit Apollonius, *Leonem cenſeo Leontopolim mittendum, & in templo collocandum. Regem enim in Regiam belluam converſum, tanquam egenum mendicare ind'gnum judico.* Quæ omnia arte magica Apollonii, & opera Dæmonum facta ſunt, quo facilius error Pythagoricus de tranſmigratione animarum humanarum in varia beſtiarum genera hominum perſuaderetur.

12 Septimò, quod in hiſtoriis Romanorum legitur, Claudiam mulierem Veſtalem, quo ſuam pudicitiam probaret, navim ita hærentem in Tiberi, ut multi eam homines loco movere non poſſent, Zona ſua, quo volebat nullo labore traxiſſe. Et Tucciam item Veſtalem, aquam Tiberi hauſtam, ad Capitolium uſque cribro tuliſſe: Hæc, inquam, facta ſunt opera dæmonis, qui & navim occultè promovebat, & aquas, ne per cribrum dilaberetur, ſuſpenſam tenebat.

13 Octavò. Poteſt facere, ut ſubitò globus aliquis igneus, vel flamma appareat, vel circa aliquem fulgeat, ſicut Plinius *lib. 2. cap. 107.* Servio Tullio dormienti ex capite, flammam emicuiſſe, & L. Martio in Hiſpania interremptis Scipionibus concionanti, & milites ad ultionem exhortanti, arſiſſe ſimili modo.

14 Nonò. Poteſt aquas fluminum dirimere, & eas retropellere, itaut flumina retrofluere videantur, quod Plinius ſuo tempore accidiſſe ſcribit *lib. 2. cap. 103.* his verbis: *Amnes retrofluere, & monſtra vidit ætas Neronis Principis annis ſupremis, ſicut in rebus ejus retulimus.*

15 Decimò. Poteſt dæmon varia corpora variè formata aſſumere, eaque movere, itaut homo, vel Angelus, vel ea, aut aliud quodvis anima videatur, idque facit vel ad exterrendos, vel ad decipiendos homines. Legimus enim beato Antonio dæmones in variis animalium formis, & quidem horribilibus, ac terrificis ad eum perterrefaciendum, & a ſancto propoſito removendum apparuiſſe. Sic accipiendum eſt, quod ſcribit Valerius Maximus *lib. 1. cap. 8.* Romanis apud lacum Rheginum pugnantibus cum acie Tuſculanorum, Caſtorem, & Pollucem Romanorum partium propugnatores viſos hoſtiles copias penitus fudiſſe, & Publ. Vatinio noctu Urbem petenti, obvios eſſe factos duos juvenes excellenti forma, albis equis inſidentes, nunciantes, illo ipſo die Perſam Regem a Paulo fuiſſe captum, quod ita eveniſſe poſtea compertum eſt.

16 Undecimò. Poteſt dæmon repræſentare varias figuras cujuslibet rei, vel auri, vel gemmarum, vel dapum, vel hominum. Nam ſicut fictores, ſculptoreſve ex materiis ſibi ſubjectis varias formas, & figuras rerum effingunt, & interdum tales, ut veræ, ac naturales videantur, ſicut traditur de illis uvis a Zeuxide pictis, adeò perfectè naturales uvas reddentibus, ut eas ab avibus appetitas eſſe dicatur, ſic dæmon ex aere condenſato, vel alia quavis materia cujuslibet rei figuram effingere poteſt, cujus rei ex Philoſtrato exemplum exhibemus Lamiæ cujuſdam, quæ Menippo, quem decipere volebat, maximas opes, pretioſa ornamenta,

ma-

magnam copiam vini, & epularum ostendebat, quæ Apollonius ostendit esse tantùm inania simulachra, & imagines earum rerum, quæ videbantur.

17 Duodecimò. Possunt concitare, & conturbare humores, vel spiritus, qui sunt in corpore humano, disjungere etiam, atque distrahere partium compages, & connexiones, quare gravissimos morbos, & acerbissimos cruciatus efficiunt, sicut in iis, qui a dæmonibus torquentur, cernere licet.

18 Decimotertiò. Possunt etiam spiritus animales, qui interiorum sensuum functionibus peragendis inserviunt, ita movere, & conformare, ut res quasdam, vel præteritas, vel præsentes, vel futuras repræsentent. Possunt etiam eosdem spiritus, in quibus insunt species rerum sensibilium, extrinsecus per sensus exteriores impressæ, usque ad ipsos sensus exteriores devolvere, ita ut etiam qui vigilant, videantur sibi aliquid videre, audire, & facere, quod revera non est. Hoc enim videmus accidere in phreneticis. Quod igitur homini vi alicujus morbi contingit, dubitandum non est, etiam id dæmonum artificio in homine effici posse.

19 Decimoquartò. Possunt dormientium phantasmata movere, & conformare ad præsentandum aliqua futura, quæ dæmones cognoscunt esse futura, ut ita decipiant homines, fidem habentes somniis, & ex ipsis actiones humanas, vel suas, vel aliorum cognoscere, ac dirigere velint; atque hinc quidem ortum duxit divinatio per somnia cujus divinationis exempla sunt quamplurium apud Valerium Maximum *lib.* 1. & apud Ciceronem in libris *de divinatione*. Simili Dæmonum artificio fidem, & veritatem invenit apud Gentiles, Augurum, & Aruspicum disciplina per volatum, vel garritum avium divinans, & per inspectionem extorum animalium cæsorum, vel per electionem sortium. Ejusmodi enim rebus dæmon se ingerit, & immiscet, quo mentes hominum superstitionibus imbuat, & variis erroribus implicet. Nam quod in Romanis historiis traditur, in victimæ opimæ, quam Julius Cæsar immolaverat extis, non esse inventum cor, & in aliis vel jecur, vel principem aliam partem corporis non esse repertam, non alia ratione, quàm dæmonis occulta vi partes illas ablatas esse, credendum est.

20 Decimoquintò. Possunt dæmones sensus exteriores immutare, ac seducere dupliciter. Vel extrinsecus, objiciendo sensibus varia sensibilia non vera, hoc est, non talia, qualia videntur, sed solas eorum imagines, & simulachra. Vel intrinsecus commovendo spiritus, & humores, quorum commotione etiam sensus exteriores variè afficiuntur, & turbantur, ut non rectè judicent de suis objectis. Id, quod cernimus sensibus exterioribus phreneticorum accidere.

21 Decimosextò. Possunt varias passiones, vel amoris, vel odii, vel timoris vehementer excitare in homine, idque facere dupliciter. Aut objiciendo species rerum, quæ ad tales passiones excitandas plurimum valent. Aut interius movendo phantasmata ad similes res repræsentandas, vel agitando, & accendendo humores, qui sunt harum passionum materia, nimirum vel sanguinem, vel atram, aut flavam bilem.

22 Atque hæc sunt & alia horum similia, quæ dæmones per motum localem facere possunt, & interdum quidem faciunt. Neque enim quæcumque possunt facere, licet eis facere, sed quantum eis per divinam providentiam permissum est. Habent enim potentiam a Deo restrictam, & quasi ligatam, quam eis interdum laxare solet Deus, vel ad exercendos bonos, ut adversus Job, vel ad puniendos malos, ut adversus Achab, & Prophetas ejus. Sicut enim dæmones permissu Dei, ingressi in porcos, præcipitarunt eos in mare, sic homines in omnia malorum tàm culpæ, quàm pœnæ genera deturbarent, si eis Deus quantam vellent potentiæ, ac malitiæ suæ exercendæ potestatem faceret.

23 Per alteram porrò actionem dæmonum, quæ non est motus localis eorum, sed eum consequitur, hoc est per actiones causarum naturalium, quas dæmones invicem applicarunt, & temperarunt, mira quoque dæmones possunt efficere. Sunt enim singulares quædam virtutes occultæ, & ignotæ hominibus, sunt inquam, in certis quibusdam aquis, terris, succis, gemmis, lapidibus, herbis, lignis, animalibus, & in ipso hominis corpore mirabilium, ac penè incredibilium operum effectrices, quarum rerum exempla in citato opere nostro de sacrosancto violatæ fidei Tribunali, tractando de magia naturali, ac dæmoniaca plura posuimus, sed plurima reperiuntur apud Solinum, Plinium, & Albertum, & alios ibi adductos. Hę virtutes, quibus in rebus naturalibus insint, ubi locorum lateant, quibus cum rebus componi, misceri, ac temperari debeant, quo tempore tempestive, & opportunè ad operandum adhiberi oporteat, notissimum est dæmonibus, quas etiam undecumque & quocumque voluerint, maxima facilitate, celeritateque clam dæmones transferre possunt.

Hujusmodi autem effectus quatuor ob causas sunt ho- 24
minibus admodum mirabiles. Primò, quia sunt novi, & inusitati. Deindè, quia modus, quo dæmon illos molitur, est occultus, & invisibilis. Tum quia sicut homines variè temperando, & accomodando res naturales, possunt aliquos effectus producere, quos nonnunquam per se causę naturales produxissent, sicut patet in arborum incisionibus, in distillationibus aquarum, in ciborum, & condimentorum confectionibus, & in medicamentorum compositionibus, fit dæmones effectus aliquos singulares per causas naturales possunt producere, quos ipsi per se nunquam produxissent. Postremò, quia, ut inquit S. Thomas *lib.* 3. adversus Gentes *cap.* 103. *& part.* 1. *quæst.* 110. *art.* 2. *ad* 3. cùm Angeli, vel dæmones adhibent causas naturales ad effectus aliquos procreandos, utuntur eis, tanquam instrumentis, non secus quam medicus utitur herbis ad sanandum. Ex instrumento autem procedit effectus, non tantùm virtuti ejus respondens, sed etiam ea superior, & præstantior, nempè respondens virtuti principalis agentis, a quo movetur ad operandum illud instrumentum, quemadmodum securis non solùm secat, sed etiam facit lectum, vel mensam, vel hominis statuam, ut est instrumentum hominis ex arte operantis; & calor naturalis, qui est in semine, vel in animali, non solùm calefacit, rarefacit, aut segregat, sed etiam generat sanguinem, carnes, & ossa in virtute animæ, vel animalis, cujus est instrumentum.

Sic etiam causæ naturales interdum prodierunt ef- 25
fectus præstantiores suis ipsorum virtutibus, ex eo, quod sunt instrumenta Angelorum, vel dæmonum, a quibus moventur, & reguntur. Posset igitur dæmon plurimos morbos arte medicinæ, quam homines callent, incurabiles, magna celeritate, ac facilitate sanare. Tum quia novit optimè omnes morborum, etiam abstrusiorum, causas, & affectiones. Tum quia scit omnia genera remediorum, & idoneam eorum applicationem, sed non omnes tamen posset sanare, quia sunt morbi aliqui simpliciter incurabiles. Vide præfatum opus nostrum, ubi de philtris ad amorem, ad odium, ad morbos, & alia.

CONSULTATIO CLXIX.

Quæ dæmon nec per Magos, neque per seipsum possit efficere?

PEr motum localem, qui est immediata dæmonis o- 1
peratio transiens, multa ipse non potest facere. Ut enim inquit Sanctus Thomas in quæstionibus de potentia *quæst.* 16. *art.* 8. *& in lib.* 3. *adversus Gentes cap.* 108. non potest destruere, aut subvertere ipsum universum. Sunt enim dæmones pars universi. Pars autem non habet vim, atque potestatem in totum, cujus est pars, & ut ait Paulus ad Hebr. 2. *non subjecit Deus Angelis orbem terræ*. Nec possunt pervertere ordinem universi, cùm authore Arist. bonum universi sit ordo. Non possunt item perturbare, vel suis locis commovere principes partes mundi, ex quibus ejus integritas coalescit; Non possunt sistere Cœlum, vel motum ejus in contrarias partes agere. Non possunt elementum aliquod ex uno loco in alium transferre. Non possunt facere, ut detur vacuum, cùm vacuum tollat conjunctionem, connexionem, atque subordinationem omnium partium universi, in quo ejus conservatio, atque gubernatio consistit.

Dixi non posse dæmonem ejusmodi res facere vel 2
simpliciter, vel secundùm potentiam ordinariam eis a Deo concessam, & quam eis concedi poscit æquissima divinæ providentiæ ratio. Et cùm dæmones habeant vim motivam definitam, alii quidem majorem, alii verò minorem, non possunt quantumlibet corpus quantalibet velocitate movere, nedum in instanti. Non possunt facere, ut duo corpora sint simul in eodem loco, vel unum corpus in duobus locis simul, vel ut unum penetret dimensiones alterius. Nec potest dæmon distans a corpore, illud movere secundùm locum, quia movens, & mobile debent esse simul, alioquin posset movere per vacuum, & per quantamcumque distantiam. Non potest transferre corpus de extremo ad extremum, & non per medium.

Multa quoque sunt, quæ per alteram actionem dæ- 3
monum, quam mediatam diximus, cujusmodi est naturalis alteratio, corruptio, generatio rerum naturalium,

non

non possunt a dæmonibus effici. Et primò, non potest dæmon immediatè producere ullam formam substantialem, vel accidentalem. Cùm enim sit incorporeus, non potest immediatè alterare materiam corpoream, unde formæ naturales educuntur.

4 Secundò, non potest aliquid creare ex nihilo. Tum quia id requirit infinitam virtutem activam, qualem Deus solus habet. Tum quia nec motus localis dæmonis, neque operatio, quam per causas naturales exercet, in nihilo recipi, aut circa nihil versari possunt.

5 Tertiò, non potest ex quolibet facere quodlibet.

6 Quartò, nec per quamlibet causam, vel instrumentum potest quemlibet effectum producere, sicut medicus non potest per quemlibet medicinam quemlibet morbum sanare, nec artifex per quævis instrumenta quodcumque voluerit opus perficere. Atque hoc est, quod Augustinus compluribus locis docet, nec dæmones, nec Angelos esse creatores rerum, nec posse transmutare formas rerum, nec materiam corporalem ad nutum illis obedire.

7 Quintò, non possunt dæmones producere formas substantiales, non præviis alterationibus, & præmissis dispositionibus.

8 Sextò, nec possunt eas in instanti, aut quantumlibet parvo tempore producere.

9 Septimò, non possunt quamlibet rem naturalem immediatè in quamlibet aliam transmutare, etiam adhibendo causas naturales.

10 Octavò, non possunt animalia perfecta sine semine producere. Quare si visi sunt unquam, vel ex lapidibus, & lignis producere equos, vel leones, vel ex nubibus pluere vitulos, non est putandum sic eos fuisse generatos, sed vel alundè invisibiliter per dæmones illuc translatos, vel non fuisse vera animalia, sed eorum tantum imagines, & simulacra, cernentium oculos fallentia.

11 Nonò, nec possunt animal producere subitò secundùm perfectam ejus magnitudinem, & virtutem. Denique quod superat vires agentium naturalium, quodque naturali eorum dispositioni, & ordini repugnat, & ad quod virtus agentium naturalium nullo modo se extendit, id fieri a dæmone nequaquam potest.

12 Decimò, non potest pervertere, atque immutare ordinem, qui est inter formas, & dispositiones rerum naturalium, ut possit posteriores inducere, non inductis prioribus, aut extremas, non inductis mediis.

13 Undecimò, non potest mortuos ad vitam revocare propter causam supradictam.

14 Duodecimò, non potest impedire, ne agens naturale habens omnia requisita ad agendum, non agat.

15 Disputari posset hoc loco, an ulla res naturalis habere possit vim in dæmones expellendo, propter id, quod dicitur in libro Tobiæ *cap. 6. &* 8. de jecore cujusdam piscis, cujus fumo fugabantur dæmones in perpetuum, & de melodia Davidis, qua expellebatur spiritus malus a Saule, ac de radice Salomonis, cujus odoratu dæmon exibat per nares ejus hominis, quem tenebat. Verùm de his, aliisque rebus nostras disputationes, & sententias, mi lector, reperies, in dicto opere nostro de Sacrosancto fidei Tribunali, quod annuente Deo, saltem posthumum, lectitabis, interim lege theologum magistrum in quæstionibus *disp. quæst. 6. de miracul. art. 1.*

CONSULTATIO CLXX.

Quomodo sensus hominum a dæmone ludificentur ad ejus illusiones cavendas in probatione miraculorum pro canonizatione Sanctorum? Ubi de dæmonis præstigiis ad ejus illusiones cognoscendas.

1 QUoad sopitos, aut ludificatos tàm exteriores, quàm interiores sensus attinet Ægidius *lib. 2. sentent. dist. 8. quæst. 2. art. 5. dub. 1.* id tribus modis fieri posse tàm rationibus, quàm exemplis docet. Nos autem, præter alibi dicta, hanc rem paucis explicabimus. Humanorum itaque sensuum tum exteriorum, tum etiam interiorum ludificatio tribus modis, ratione scilicet, objecti, medii, & organi, quantum ad figuram, colorem, & imaginationem, fieri potest. Objectum, ut de sensu visu loquamur, est res sensata visibilis, quæ visui sese offert. Medium est aer perspicuus, per quem res visibilis ipsi visui offertur. Organum autem, hoc est instrumentum videndi, est oculus. Duo prima facillimè a dæmone, & quantum ad colores, & quantum ad figuras immutari possunt; ut Augustinus *lib. 18. de Civit. cap. 1.* testatur, dicens: *Quod enim homines coloribus, & corporibus veris, hoc dæmones figuris fictis facillime possunt.*

Hujus autem generis illusiones, vel per fictionem co- 2
lorum, vel per immutationem sensuum a dæmone fieri solent. Modica enim in sensu mutatio ludificat sensum ita tamen, ut quod non est, ei appareat, sicut phreneticis evenire solet, quibus, quæ revera non vident, videre videntur. Idipsum ferè nobis dormientibus accidere interdum constat, calore, qui animæ sensitivæ instrumentum est, a corde ad interiora sublato. Hinc sensus exteriores sopitos manere, necesse est.

Immutari etiam potest organum phantasticum, hoc 3
est imaginativum instrumentum, quod est medius celebri ventriculus, in quo phantasmata, sive species eorum tàm præsentium, quàm absentium a communi sensu phantasiæ, seu imaginativæ ipsi oblatæ imprimuntur. Sicut enim organo phantastico per fumositatum ascensum desiccato, dormientes sibi videre videntur, quæ non vident, ita & dæmon tali desiccatione dictum organum immutando, facere potest, ut falsæ imaginationes, aut species, quales sunt, quas dormientes videre sibi videntur, hominibus suo ipsius arbitratu, sensibus sopitis, appareant, nisi a Deo impediatur. Homines autem hunc in modum illusi, quamvis non dormiant, dormientibus tamen, sensibus immutatis, aut sopitis, assimilantur. Dæmones enim, quibus ad nutum res corporeæ, quantum ad motum obediunt, omnem figuram in quamcunque figuram, omnemque colorem, in quemcunque colorem convertere videntur humore oculorum variato, vel alterato.

CONSULTATIO CLXXI.

Vivorum, & Mortuorum apparitiones ad illusiones dæmonum in Canonizatione alicujus cavendas, explicantur.

ANgeli, sive boni, Deo jubente, sive mali, Deo 1
saltem permittente, ad alicujus mortui, vel viventis personam representandam, illi scilicet ad utilitatem, & consolationem, isti verò ad ludificationem præstandam, apparent ex Augustini sententia *lib. de spirit. & anim. cap. 29.* dicentis: *Cùm homines mortui, sive vivi hominibus dormientibus, vel vigilantibus apparent, non in ipsis rebus, ut sunt, videntur, sed in quibusdam similitudinibus rerum. Illud autem angelicis operationibus fieri credimus per dispensationem providentiæ Dei, bene utentis bonis, vel malis secundum inscrutabilem altitudinem judiciorum suorum, sive hinc instruantur mentes mortalium, sive fallantur, sive consolentur, sive terreantur, sicut unicuique vel præbenda est misericordia, vel irroganda justitia ab eo, cui misericordiam, & judicium non inaniter decantat Ecclesia.* Id Augustinus *loco cit.* ratione comprobat his verbis: Quę iterum oportet adducere: *Ibi siquidem sunt Spiritus defunctorum, ubi non vident, neque audiunt, quæ aguntur, aut eveniunt in ista vita hominibus. Ita tamen est eis cura de vivis, quanquam quid agant, omnimò nesciant, quemadmodum cura est nobis de mortuis, quamvis quid agant, utique nesciamus. Nesciunt quidem mortui, quid hìc agatur, sed dum hìc agitur, postea audire possunt ab eis, qui hinc moriendo ad eos pergunt, non quidem omninò, sed quantum finitur eis indicare, & eos oportet audire. Scire etiam possunt ab Angelis, qui hìc nobis præsto sunt, & animas nostras ad illos deferunt. Spiritu etiam Dei revelante, cognoscere possunt, quæ hìc aguntur, quæ necessarium est eos cognoscere.*

Num autem mortuorum fiant apparitiones per eorum- 2
dem præsentiam, an personas mortuorum Angeli in corporibus assumptis repræsentent, revocat in dubium Augustinus, inquiens: *Quidam etiam ex mortuis ad vivos rapi possunt, non per propriam naturam, sed per divinam potentiam. Utrum tamen ista fiant per eorum præsentiam, an per Angelos suscipientes eorum personam, affirmare non audeo. Deus enim Omnipotens, qui est ubique præsens, per Angelica ministeria usquequaque diffusa potest præbere ista hominibus solatia, quibus in hujus vitæ miseria judicat esse præbenda.*

Atque hunc in modum Sanctus Ambrosius ad Altare 3
Mediolani rem Sacram faciens, somnoque correptus, exequiis Sancti Martini Turonensis interesse potuisset, si verum esset, quod Gregorius Turonensis *lib. 1. miracul. S. Martini cap. 5. tom. 7. Bibliot. Patr.* Surius *tom. 6. die 11. Novembris*, ac Lippom. *part. 2. com. eod. die*, hac de re scribunt. Eodem namque tempore Sanctus Ambrosius inter celebrandum Mediolani, & Turonis in S. Martini exequiis, ut ajunt, visus fuit. Fieri enim potuit, ut S. Ambrosius somno consopitus, per visionem imaginativam, & virtutem quidem divinam exequias illas adeò clarè viderit, ut eis interfuisse sibi visum fuerit,

rit, ſicut dormienti, & per ſomnum aliquid videnti evenire frequenter ſolet. Perſonam inſuper, aut imaginem Beati Ambroſii miniſterio Angelico in corpore aſſumpto, repræſentatam illic fuiſſe, cenſendum eſt.

4 Hinc factum fuit, ut qui dictis exequiis adfuerunt Beatum Ambroſium eis interfuiſſe ſine dubitatione crediderunt, dummodo hiſtoria enarrata concedatur; quandoquidem Gardinalis Baronius in *adnot. ad Martyrolog.* Gregorium Turonenſem redarguit, dum S. Ambroſium ante Beatum Martinum diem ſuum obiiſſe perſpicuis argumentis demonſtrat.

5 Atque hæc dicta ſint, ut vera a falſis miracula, præſertim verò in ipſa mortuorum ſuſcitatione facilius dignoſcantur, necnon ad fallacias, & illuſiones dæmonum cavendas cautior quiſque reddatur. Opera enim dæmonum mirabilia revera fiunt, & ab iis, qui miram eorum ſcientiam cùm longa experientia conjunctam, atque poteſtatem non impeditam, ignorant, miracula, tanquam a Sanctis viris facta exiſtimantur, quæ tamen ſunt dæmonum ludificationes ad mentes hominum decipiendas præſtitæ. Vera namque mortuorum ſuſcitatio, quæ potiſſimum in canonizatione tenet locum a ſolo Deo, & a Sanctis divina tamen virtute, fieri poteſt.

CONSULTATIO CLXXII.

De ſuſcitatione Samuelis Prophetæ, incantationibus Pythoniſſæ tentata, deque aliorum mortuorum ſuſcitationibus, & apparitionibus ad illuſiones dæmonum cavendas in ſuſcitandi mortuos miraculis pro canonizatione alicujus cùm fama ſanctitatis defuncti.

1 DE Necromantia plura in ſæpè citato noſtro opere de Sacroſancto fidei Tribunali diximus. Nunc qualis, quantave ſit ejus vis, vel potius frãus, & fallacia breviter oſtendamus.

2 Necromantici profitentur, ſe animas mortuorum evocare poſſe, ex iiſque cognoſcere multa, quæ ſunt occultiſſima, vel etiam futura. Animas autem mortuorum præſertim eorum, qui flagitioſè vixerunt, aut violenta morte de vita deturbati ſunt, Magis eas invocantibus adeſſe, reſpondere, multaque manifeſtare, docet Porphyrius *lib. 2. de abſtinentia animalium*. Nam cum de pravis, & fallacibus dæmonibus dixiſſet, mox ſubdit hæc de animabus. *Tales*, inquit, *ſunt & animæ mortuorum, quæ vitiis oppletæ a corpore migrarunt, confligantur enim etiam tunc iræ, & concupiſcentiæ perturbationibus, & in naturam converſæ dæmonum, ſimiles illorum redduntur, noxiæ, ac turbulentæ in varias ſe vertunt formas, ac modo conſpicuas ſe oculis præbent, modo recedunt, & ita eludunt aciem tum intuentium, tum etiam cogitantium.* Et quodam alio loco: *Prava*, inquit, *anima, quæ corpus ſuum violenter reliquit expoliata ad hoc ipſum deinde ſe admovet, ibique moras trahit. Unde nonnunquam viſæ ſunt animæ lamentari. Nam animæ carentium Sepultura circa corpora immorantur, quibus malefici ſæpius abutuntur ad miniſterium ſuum explendum, compellentes animas a poſitione corporis, vel partis cujuſdam aſſumptione. Quocirca qui vaticinantium animalium inſinuari ſibi animos optant, præcipua illorum membra deglutientes, veluti cervorum, vel talparum, vel aliarum accipiunt, & ita præſentem ſibi faciunt animam, Dei ritu vaticinantem. Talis enim anima unà cum ſui corporis integra ſumptione in corpus humanum ſe penitus ingerit.* Hæc Porphyrius.

3 Magnam ſanè huic arti fidem facere videtur, quod legitur *lib. 1. Reg. cap. 28.* Pythoniſſam rogatu Regis Saulis excitaſſe a mortuis animam Samuelis, feciſſeque, ut Sauli de eventu impendentis belli conſulenti, quæ mox ei eventura erant, prænunciaret. Et quidem Auguſtinus *lib. 2.* ad quæſtiones Simpliciani, reſpondens ad tertiam quæſtionem, & in libro de octo Dulcitii quæſtionibus, *quæſt. 6.* diſputat in utramque partem, an fuerit ille verus Samuel, an potius dæmon ſpecie, ac figura Samuelis; propenſior tamen eſt ad credendum, illum non fuiſſe verum Samuelem, ſed ejus imaginem, & Simulachrum, arte dæmoniaca formatum, & aſpectui Saulis præſentatum, appellari autem in ſcriptura Samuelem, quod illum habitu, ſpecie, & authoritate repræſentarent. Non enim rarò tum in communi hominum loquendi conſuetudine; tum in ſacris literis rerum imagines, & ſimulachra nominibus ipſarum rerum appellantur.

4 Hoc idem citra dubitationem ullam traditur in *lib. 2. de mirabil. Sacræ ſcripturæ cap. 2.* & in *lib. quæſt. veter. & nov. Teſtam. quæſt. 27.* qui libri nomine Auguſtini in ejus operibus numerantur. Tertullianus *in lib. de anima*, non ſolùm hoc probat ſed contrariam ſententiam omninò improbat. Nam loquens de Samuele, hæc ſcribit: *Ecce hodie ejuſdem Simonis hæreticos tanta præſumptio artis magicæ extollit, ut etiam Prophetarum animas ab inferis movere ſe ſpondeant, & credo, quia mendacio poſſunt. Nec enim Pythonico tunc ſpiritui minus licuit animam Samuelis effingere, poſt Deum mortuos conſulente Saule. Abſit autem, ut animam cujuſquam Sancti, nedum Prophetæ a dæmonio credamus extractam, certi, quod ipſe Satanas transfiguretur in Angelum lucis, nedum in hominem lucis, etiam Deum ſe aſſeveraturus, ſignaque portentoſiora editurus, ad evertendos, ſi fieri poſſet, electos.* Quibus verbis, aliiſque proximè conſequentibus apertè docet, non fuiſſe illum verum Samuelem.

Sanctus Thom. *p. 1. q. 89. art. 8. & 2. 2. q. 95. art. 5.* § *ad 2. & q. 174. art. 5. ad 4.* dubitanter de hoc loquitur, ſequutus nimirum Auguſtinum. Idemque fit in decretis *can. nec mirum 25. q 1.* ſed, ut Lyrano, & Toſtato, & ni fallor, etiam Auguſtino *lib. de cura pro mortuis agenda cap. 15.* ſic etiam & mihi probabilius eſt, immò certum, fuiſſe veram animam Samuelis, quæ Sauli apparuit, exercente quidem Pythoniſſa artem ſuam magicam, ſed non ejus artis vi, & potentia, ſed Dei imperio ab inferis excitatam, quæ diſpenſatione divina Pythoniſſam, & Saulem latente, oſtendit ſe aſpectibus iniqui Regis, divina cum ſententia percuſſura, ut impius Rex, quæ poſt mortem ſupplicia ſuæ impietati debitæ paſſurus erat, tum acerbiſſimo doloris ſenſu præguſtaret. Idque etiam ſi Saul a Pythoniſſa, ut invocato dæmone, ſuſcitaret, poſtularit, dicens; *Samuelem mihi ſuſcita.* Divina enim voluntate non ad Pythoniſſæ invocationem, neque ad meritum Saulis, ſed ad Regni ſciſſuram, quam Sauli Regi Samuel, dum viveret, prædixit, confirmandam, factum fuit, ut Samuel ipſe, Propheta Domini verax, & ab ipſo dilectus, excitaretur, arte magica impedita. Hunc in modum conſultatio dæmonum ab Ochozia Rege Iſrael, ut in 4. *Regum lib.* legitur, tentata, nunciis ab eo ad Beelzebub, dum Accaron miſſis, impedita fuit, Elia propheta ad ipſum. Ochoziam allegato, qui mortem, id ei ſcire cupienti, predixit. Huic adſimile evenit Balaam, qui cùm eſſet hariolus, & magus Balac Moabitarum Rege poſtulante dæmonem pro eo conſulturus, a Deo non ſemel impeditus fuit. Hinc pro maledictione, quam Iſraeli Balac inferendam cupiebat, benedictionem, reſponſis dæmonum impeditis, tandem emiſit. Neque ad hoc probandum, aut perſuadendum opus eſt teſtimoniis, vel argumentis, cùm id in Sacra ſcriptura perſpicuè traditum ſit. Nam in *lib. Eccleſiaſtici cap. 46.* ſic legitur: *Et poſt hoc dormivit Samuel, & notum fecit Regi, & oſtendit illi finem vitæ ſuæ, & exaltavit vocem illius de terra in prophetia, delere impietatem gentis.* Et ſanè Beatus Auguſtinus libro illo de cura pro mortuis agenda, & S. Thomas 2. 2. non obſcurè ſignificant, ſi liber Eccleſiaſtici, tanquam Sacer, & canonicus recipiatur, neceſſariò ſentiendum eſſe, verum Samuelem apperuiſſe Sauli. Loquuntur autem illi conditionaliter de authoritate libri Eccleſiaſtici, non quod eum pro non Sacro, & canonico haberent, ſed quia nec Hæbræi eum recipiunt, & reponunt in libros canonicos, & quidam Catholicorum olim de ejus authoritate, dubitarunt. Quare nobis, ut de ejus libri fide, & authoritate, ſic neque de vero Samuele, Sauli poſt mortem prophanante, dubitare licet.

Nec obſtat huic ſententiæ, quod ille Samuel dixiſſe 6
legitur Sauli: *Cras tu, & filii tui mecum eritis*, cùm certum ſit, diverſas eſſe Sedes poſt mortem bonorum, & impiorum, & in Evangelio *Luc. 16.* legatur, Abraham dixiſſe illi Epuloni: *inter ſe, & ipſum, maximum, & intranſibile chaos intercedere*, hoc inquam, non obſtat. Nam illa verba Samuelis, ut rectè interpretatur Auguſtinus, reſpondens ad tertiam quæſtionem Simpliciani, non ad æqualitatem fœlicitatis, ſed ad ſimilem conditionem mortis referri debent, ut ſit ſenſus, Cras, & non amplius eris inter vivos, ſed inter mortuos, inter quos ego ſum. Quin etiam & tunc, & uſque ad Chriſti Domini reſurrectionem, omnes tàm boni, quàm mali apud inferos, licèt ſedibus diſcluſi, detinebantur.

Samuel autem, ut ait, Toſtatus in *d. c. 28. lib. 1. Reg.* 7
in corpore ſuo ſuſcitatus non fuit, ſed anima ejus in corpore aereo aſſumpto, Angeli miniſterio ex receptaculis mortuorum a Deo revocata ad ſolam Saulis prophetiam indicandam, non in Ramata, ubi Samuelis erat Sepulchrum, ſed in Endor, vultu tamen, & habitu Samuelis repræſentato, arteque magica impedita, apparuit.

Porrò Necromantia olim multis locis, & apud mul- 8
tas gentes celebratiſſima fuit, Oſthanes apud Plinium

lib. 30. cap. 2. hujus artis nobilissimus professor, promittebat quorumlibet mortuorum excitationes, & colloquia cum vivis. Et quidem majoris est admirationis, quod extremo illo capite subdit Plinius: *Adolescentibus nobis*, inquit, *visus Appium gramaticæ artis prodidit cynocephaliam herbam, quæ in Ægypto vocaretur Osyrites, divinam non in vivos modo, sed etiam in mortuos habere potentiam, eaque se evocasse umbras ad percunctandum Homerum, qua patria, quibusque parentibus genitus esset.* Cicus Asculanus in Commentariis, quos in sphæram edidit, nominat librum, qui olim extabat, & inscribebatur *Scriptura Cham*, opus magicæ, ac maleficæ impietatis plenum, continens elementa, & praxim Necromantiæ. Tertullianus *lib. de anima*, ubi de inferis, & defunctorum evocatione differit. *Publica*, inquit, *jam literatura est, quæ animas, etiam justa ætate sopitas, etiam proba morte disjunctas, & prompta humatione dispunctas, evocaturas se ab inferorum incolatu pollicetur.*

9 Fuerunt quondam multa apud varias gentes loca, Necromantiæ usu nobilitata, ubi & a defunctis oracula, & responsa petebantur. Homerus *lib. 11. Odyss.* Cymmericum oraculum ad Avernum Campaniæ lacum celebrat, quo Ulysses concessit, ut Thiresiam de reliquo itinere suo consuleret, cujus etiam meminit Strabo *lib. 5. Geographiæ*. Tesprotium in Epiro Orpheus celebre fecit, in eo manes cantu permulcendo, & Euridicæ conjugi ad superos reditum impetrasse creditum fuit, de quo etiam Virgil. *lib. 6. Æneados*. Apud Lucanum Erictone venefica Thessala mortuum evocat, qui Sext. Pompejo exitum Pharsalicæ pugnæ denunciet, Phigaria, Archadiæ Civitas, habuit hujusmodi Necromantas, a quibus occulta, & futura sciscitari usitatum fuit. Beatus Augustinus *lib. 9. de Civitat. cap. 11.* citat etiam Apulejum affirmantem, animas hominum dæmones esse, & ex hominibus fieri lares, si meriti boni sunt, lemures autem, aut larvas, si mali, qui nullis bonis sedibus in terra vagatione puniuntur, inane terriculamentum bonis hominibus, cæterum noxium malis: cùm verò incertum est, quæ cuique sortitio obvenerit, utrum lar sit, an larva, manes Deos nominant, & fanis, atque cœremoniis vulgò admittuntur, ut oracula reddant, ut in Bæotia Amphiaraus, in Africa Mopsus, in Ægypto Osiris, alius alibi gentium, Æsculapius ubique. Hæc ex Apulejo, quem ibi Augustinus verè, graviterque refellit. Et apud Tertullianum in *lib. de anima*, sic habes: *Nosomanas propria oracula apud parentum Sepulchra mansitando captare, Eraclides scribit, Celtas apud virorum fortium busta, eadem de causa obnoctare; Nicander affirmat.*

10 Verùm has omnes mortuorum, quæ arte Necromantica fiunt apparitiones, vanas, & fallaces esse, non est dubitandum; pleraque enim ab ipsis Necromantis, aliisve fictas esse, compertum est. Si quæ autem revera contigerunt, in his existimandum est, non animas defunctorum apparuisse vivis, sed ipsos dæmones tales se ostendisse Necromantis, vel eos consulentibus, tales inquam habitu, specie, ætate, voce, & affectu, quales fuerant olim mortui, cùm inter vivos versarentur.

11 Hanc ego opinionem, ut proculdubio veram putem, rationibus, testimoniisque, & experimentis adducor. Ratio nec obscura, nec sanè infirma est ea, qua Sanctus Thom. *p. 1. q. 117. art. 4.* hoc ipsum confirmat. *Non potest*, inquit, *anima separata naturali virtute sua movere aliquod corpus. Cùm enim sit naturalis forma humani corporis, non habet vim movendi secundum locum, nisi corpus, quod informat, & vivificat. Nam etiam cùm est unita corpori, si sit aliquod membrum mortificatum, non obedit animæ ad motum localem. Quare animæ defunctorum nec assumere corpora, nec cùm illis ad vivos venire possunt.*

12 Deinde Necromantæ non habent vim, & imperium in animas defunctorum, quæ sunt in Cœlo, nec quæ sunt in Purgatorio. Non enim convenit, aut decet animas Sanctorum impiis Necromantarum artibus subjacere, neque in animas, quæ sunt in inferno. Nam cùm illuc sint a Deo, tanquam in carcerem detrusæ, ut æternas scelerum suorum pœnas luant, nulla inde vi possunt efferri, nec nisi Dei mandato egredi. Non est autem credibile, Deum id concessurum Necromantis, per quos Dæmon satagit mortales decipere, & a veri Dei cultu avertere. Sic enim Deus artem Necromanticam, & per se infamen, & toties a se in sacris literis reprobatam, extremoque mortis supplicio condemnatam, non solùm honoraret, sed etiam fide, cultuque apud mortales dignam redderet. Profectò, si cui mortuorum redditus ad vivos concedendus fuit, videbatur concedendus diviti illi, cujus mentio fit apud Lucam *cap. 16.* qui obnixè rogabat Abraham, ut de iis, qui simul erant in inferno, aliquem mitteret ad amicos, cognatosque suos monendos, ut benè vivendo, diras, & perpetuas inferni pœnas evaderent, nec tamen ei concessum est.

Non inficior, animas, quæ sunt in Purgatorio, non- 13
nunquam apparuisse vivis. Id enim Beatus Gregorius *in 4. lib. dialogor.* nonnullis, & quidem certis probat exemplis. Nec equidem nego, etiam animas beatas, vel martyrum, vel aliorum Sanctorum, descendere in terras hominibus, eorum auxilium implorantibus, opem, & solatium laturas. Id enim confirmat Augustinus in *lib. de cur. pro mort. agenda cap. 16.* exemplo B. Felicis Nolani Episcopi, quem Civibus suis Nolanis, cùm a barbaris oppugnarentur, apparuisse, & subvenisse, affirmat Augustinus, se non incertis rumoribus, sed certis testibus audivisse. Hæc inquam, non nego, sed ajo, animas mortuorum, cùm apparent vivis, non id facere sua voluntate, & arbitratu, nec naturali potestate, multòque minus vi, & potentia artis necromantiæ, sed id fieri singulari quodam Dei consilio, voluntate, ac potestate.

Nec animas defunctorum interesse rebus vivorum mi- 14
nus est miraculum secundùm Beatum Augustinum loco citato, & secundùm Beatum Thomam *part. 1. quæst. 89. artic. 8. ad 2.* quam vel illuminatio cæci, vel alia, quæ in magnis Dei miraculis numerantur. Adscribam hìc in hanc sententiam Beati Augustini verba ex eo loco, quem proximè indicavi. *Verum ista*, inquit, *divinitus exhibentur, longè aliter, quàm sese habet usitatus ordo singulis creaturarum gradibus attributus. Non enim ideò putandum est vivorum rebus quoslibet interesse posse defunctos, quoniam quibusdam sanandis, vel adjuvandis Martyres adsunt, sed ideò potius intelligendum est per divinam potentiam Martyres vivorum rebus interesse, quoniam defuncti per naturam propriam vivorum rebus interesse non possunt.*

Sed audiamus Tertullianum, qui in *libro de anima*, 15
ubi de inferis, & animarum evocatione agit, hanc sententiam gravissimis, disertissimisque verbis comprobavit. *Necromantiæ*, inquit, *secunda est Idololatria, in qua se dæmones perindè mortuos fingunt, quemadmodum in ista Deos.* Quidni? cum & Dii mortui sint? *Itaque invocantur quidem defuncti, sed dæmones operantur sub eorum obtentu. Hanc autem fallaciam diaboli sub personis defunctorum delitescentis, ni fallor, etiam rebus probamus, cùm in exorcismis nostris interdum dæmon aliquem se ex hominibus affirmat, interdum gladiatorem, vel bestiarium, sicut & alibi Deum, nihil magis curans, quàm hoc ipsum excludere, quod prædicamus, ne credamus animas universas malorum ad nihilum redigi, ut & judicii, & resurrectionis fidem turbent. Et tamen ille dæmon postquam circumstantes circumvenire tentavit, instantia divinæ gratiæ victus id, quod in vero est, invitus confitetur; sic etiam in Necromantia, quæ jam quiescentes animas evellere ab inferis creditur, & conspectui exhibere, non alia fallaciæ vis est, operatior, planè. Quia & phantasma præstatur, & corpus effingitur, nec magnum illi exteriores oculos circumvenire, cui interiorem mentis aciem excæcare perfacile est: Nulli autem animæ omninò inferos patere, satis Dominus in argumento illo pauperis requiescentis, & divitis ingemiscentis, ex persona Abrahæ sanxit, non posse relegari renunciatorem dispositionis infernæ, quod vel tunc licere potuisset & Moysi, & Prophetis crederetur. Sed & si quasdam revocavit Dei virtus in documentum juris sui, non idcircò communicabitur fidei, & audaciæ Magorum, & fallaciæ somniorum, & licentiæ poetarum. Nam in hac mortuorum resurrectione, qua Dei virtus in corpora animas repræsentat solida, & contrectabili, & satiata veritate præjudicatum est, hanc esse formam veritatis, ut omnem mortuorum exhibitionem incorporalem, præstigias judices.* Ita Tertullianus.

Simulant igitur Dæmones animas defunctorum, se- 16
cundùm Augustinum, & Chrysostomum, quorum testimonia loco supracitato memorat Sanctus Thomas, quò facilius errores Gentilium animis hominum inferat ad eos decipiendos. Primum enim sic dæmon facilius homini quidquid vult persuadet. Namque homines animabus defunctorum, vel parentum, vel cognatorum, vel amicorum suorum, quos diligunt, & a quibus se diligi non dubitant, libentius, & promptius credunt, quàm dæmoni, quem naturaliter horrent. Deindè ita persuadet hominibus, infernum non esse carcerem perpetuum, ex quo non liceat aliquando egredi, nec esse adeò graves, & perpetuas inferni pœnas, sicut homines putant: Ad hæc sic facit, ut homines putent, animas etiam post mortem habere corpora, vel posse quælibet se in corpora induere, vel in

quæ-

quælibet nominum, aut beſtiarum corpora migrare, qua ſe conjicitur error Pythagoricus de tranſmigratione animarum, eoque concepto labeſcit fides, & ſpes Chriſtianæ reſurrectionis. Præterea hac ratione faciunt dæmones, ut vivi mortuos, vel tanquam terrificos, & noxios ſibi metuant, & variis ſuperſtitionibus placare, ſibique conciliare ſtudeant, vel tanquam beneficos, ſibique vel amicitia, vel neceſſitudine devinctos animum ſuperſtitioſè diligant, & colant, vel tanquam animas hominum quorumdam apud mortales, aut ſapientia, aut fortitudine, aut potentia clariſſimorum, non humanis modo, ſed divinis etiam honoribus proſequantur, atque venerentur.

17 Hugo Sancti Victoris *lib. 6. eruditionis didaſcaliæ cap.* 5. numeroſius hanc Magiæ varietatem enarrans, in hunc modum ſcribit: *Magiæ repertor primus creditur Zoroaſter Rex Bactrianorum, quem nonnulli aſſerunt, ipſum eſſe Cham, filium Noe, ſed nomine mutato. Hunc poſtea Ninus, Rex Aſſyriorum bello victum interfecit, ejuſdem codices artibus maleficiorum plenos igne cremari fecit. Scribit autem Ariſtoteles de hoc ipſo, quod uſque ab his, & vicies centum millia verſuum ejus de arte Magica ab ipſo dictata. Hanc artem poſtea Democritus ampliavit tempore, quo Hippocrates in arte medicinæ inſignis habebatur. Magia in philoſophia non recipitur, ſed eſt extrinſecus falſa profeſſione omnis iniquitatis, & malitiæ magiſtra, de vero mentiens, & veraciter lædens animos, ſeducit a Religione divina, cultum dæmonum ſuadet, morum corruptionem ingerit, & ad omne ſcelus, ac nefas mentes ſequacium impellit.* Et mox.

18 *Hæc generaliter accepta quinque complectitur genera maleficiorum, Manticen, quod ſonat divinationem, & mathematicam vanam, ſortilegia, maleficia, Præſtigias. Mantice autem quinque continet ſpecies ſub ſe. Primam Necromantiam, quod interpretatur Divinatio in mortuis. Unde eſt divinatio, quæ fit per Sacrificium Sanguinis humani, quem dæmones ſitiunt, & in eo delectantur effuſo. Secunda eſt. Geomantia, ideſt divinatio in terra. Tertia eſt, Hydromantia, ideſt, divinatio in aqua. Quarta eſt, aeromantia, ideſt divinatio in aere. Quinta eſt, divinatio in igne, quæ dicitur Pyromantia. Varro enim quatuor dixit eſſe, in quibus divinatio conſtaret, Terram, Aquam, Aerem, Ignem. Prima ergo, ideſt, Necromantia, ad Infernum videtur pertinere. Secunda ad Terram. Tertia ad Aquam. Quarta ad Aerem. Quinta ad Ignem.* At de his, aliiſque in ſuo loco, in citato nimirum opere de Sacroſancto fidei Tribunali, ſatis abundanter dictum.

CONSULTATIO CLXXIII.

Iterum atque uberius de miraculorum generibus. Supra naturam. Præter naturam. Contra naturam. Eorum gradus, ac differentiæ. Quomodo majora, & minora dicantur?

1 MIraculum, propriè ſumptum, illud eſt, ut non ſemel diximus, quod eſt præter totius Naturæ ordinem. Hoc nonniſi a ſolo Deo virtute propria fieri poteſt; a ſanctis verò, & a malis hominibus, non virtute propria, ſed divina, diverſis tamen rationibus, ut explicatum eſt. Quamvis autem miraculum ab admiratione ſortitum ſibi fuerit nomen, propriè tamen miraculum dici non debet, ſi aliquibus tantùm ipſius effectus cauſa ſit occulta. Eclipſis enim ſolis, aut Lunæ cauſa rudibus eſt occulta, Aſtrologis verò notiſſima eſt. Illud igitur, quod Naturæ vires excedit, vel præter totius Naturæ ordinem eſt, propriè miraculum tàm ſupra Naturam, & præter Naturam, quàm contra Naturam dici poteſt, ac debet, cujus cauſa ab omnibus omninò ignoratur.

2 Tribus modis, ut Sanctus Thomas 2. *ſent. diſt.* 18. *quæſt.* 1. *art.* 3. & Ægidius ibidem *dub.* 13. docent, miraculum eſſe poteſt. Supra naturam. Præter naturam. Contra naturam. Atque hiſce tribus modis converſionem Beati Pauli miraculoſam fuiſſe docet eo loco Ægidius.

3 Miraculum ſupra naturam tunc dici debet, quando natura in ſubſtantiam facti agere non poteſt, veluti eſt diviſio Maris rubri, mortuorum ſuſcitatio, idque genus alia.

4 Miraculum præter naturam illud eſt, in quo quamvis Natura quantum ad ſubſtantiam facti operari queat, illud tamen fit præter Naturæ operationem juſſu divino, ac tribus quidem modis. Primo modo præter Naturam dicitur propter exceſſum, & ſingularem facti modum, cujuſmodi fuerunt ranæ in Ægypto productæ tanta multitudine, quantam nemo antea vidit unquam. Secundo modo præter Naturam nuncupatur, quatenus miraculum ad divini nominis invocationem præfinita hora contingit. Id, quod Jeroboam declaratur exemplo, cùm ſcilicet manus ejus contra Prophetam extenſa, fuit arefacta, & ara ejus diviſa. Tertio modo præter Naturam miraculum vocitatur, dum aliquid generatim, ac universè contingit, ut eſt illud, quod in veteri Teſtamento de aqua Zelotypiæ legitur, poſt cujus potionem venter adulteræ divino miraculo putreſcebat, aquæ maledictionis virtute.

Miraculum contra Naturam appellatur, quando rei 5
aliquid ineſt, quod eſt contrarium ei, quod fit, ut exempli gratia, ſi grave, quod ſuaptè natura deorſum tendit, ſurſum moveatur, ſi virgo pariat, & hujuſmodi alia, ita ſcilicet, quod Natura manente contraria, quæ ſcilicet contrarii actus principium eſt, miraculo expreſſo ſequatur actus.

Atque hæc de tribus miraculorum generibus, quæ a 6
ſolo Deo proprio fiunt virtute, a Sanctis verò, & a malis hominibus divina virtute, diverſis tamen rationibus, ut ſæpè diximus, fieri poſſunt. A Sanctis ad eorumdem ſanctitatem indicandam, & veritatem comprobandam. A malis autem hominibus, ad ſolam prædicatam veritatem confirmandam. Mala etiam agentes, & veritatem prædicantes miracula interdum facere poſſunt ad hominum utilitatem, ad Chriſti nominis, quod invocant commendationem, & ad Sacramentorum, quæ exhibent, venerationem. Quamvis enim mali Chriſtiani, malam ſcilicet vitam degentes, miracula dictis de cauſis facere nonnunquam poſſit, falſam tamen doctrinam prædicantes, non item, ne Deus, qui in miraculis veris operatur, falſitatis teſtis exiſtat. Vide quæ alibi de hac re ſparſim diximus.

Quod verò ad miraculorum gradus, ac differentias, 7
ſi infinita Dei potentia conſideretur, nihil miraculum dici poteſt. Factum enim quodcumque, ait Sanctus Thomas *part.* 1. *quæſt.* 105. *art.* 8. divinæ potentiæ comparatum, minimum dici debet juxta ſententiam Iſaiæ dicentis: *Ecce Gentes quaſi ſtilla ſitulæ, & quaſi momentum ſtateræ reputatæ ſunt, Iſai.* 44. Si autem nonnulla, quatenus totius Naturæ vires excellunt, conſiderentur, tunc illa verè miracula dici poſſunt, ac debent. Aliqua tamen majora, aliqua verò minora miracula, in eo ſcilicet, quod illa magis, & hæc minus Naturæ facultatem excellunt, appellantur. Tribus autem modis Naturæ facultas re aliqua ſuperari poteſt. Vel quantum ad facti ſubſtantiam, id eſt, quantum ad id, quod fit. Vel quantum ad id, in quo fit, vel ex quo fit. Vel quantum ad faciendi modum.

Primo modo vires Naturæ ſuperantur, ſi Sol retro- 8
grediatur, vel in medio Cœli perſiſtat, ut in libro Joſue factum eſſe conſtat. Vel corpus humanum glorificetur, ſicut corpora Beatorum in reſurrectione univerſali fore credimus. Quæ ſana omnia vires naturæ ſuperant, locumque inter miracula obtinent.

Secundo modo vires Naturæ ſuperantur quantum ad 9
mortui ſuſcitationem, & cæcorum illuminationem, & quantum ad ejuſmodi alia. Poteſt enim Natura dare vitam, ſed non mortuo, viſum etiam præſtare poteſt, ſed non cæco. Poteſt item natura producere aurum, & arborem, ſed non ex nihilo. Hæc autem inter miracula medium tenent locum.

Tertio modo Naturæ facultas quantum ad modum, 10
ac tempus faciendi ſuperatur, ut ſi quis divina virtute, nulla curatione prævia, nulloque conſueto Naturæ ordine, aut curſu, a febre illicò liberetur. Poteſt enim medicus ſanare ægrotum, ſed non illicò, non abſque medicamento: Poteſt item Magus, vel dæmon, vel Natura ex ligno producere ſerpentem, ſed non immediatè. Superatur etiam Naturæ facultas, ſi divina virtute abſque naturalibus cauſis, aer ſtatim in pluvias denſetur, ſicut ad Samuelis, & Eliæ preces, 3. *Reg.* 18. factum eſſe perhibetur. Quamvis autem hæc inter miracula infimum obtineant locum, diverſos tamen retinent gradus, quatenus alia magis, alia verò minus Naturæ facultatem excedunt.

Miraculorum itaque unum, divinæ potentiæ compa- 11
ratum, majus alio dici non poteſt. Quia illa omnia, quatenus totius naturæ facultatem longè ſuperant, a virtute infinita fiunt. Unum tamen quantum ad rem factam, majus alio eſt. Suſcitatio enim mortui major eſt, quàm curatio Leproſi, & Leproſi major quàm ſubita ægrotantis, aut febre laborantis curatio. Idipſum ſi operandi modus conſideretur, affirmare neceſſe eſt. majus eſt enim Leproſum, vel quempiam ægrotantem ſolò verbo, quàm tactu, & per umbram majus eſſe, quàm per verbum curare, dicas oportet. Verbum nam-

que

que aliquid est; virtutem habens ab humano ore prolatum, sed umbra ipsius hominis nihil est, sed sola ex corpore interjecto lucis privatio propriè nuncupatur. Quod in *Act. Apostolor. cap.* 5. factum legitur. Quamvis enim ab Apostolis multa fierent signa, & prodigia, sicut Beatus Lucas Evangelista testatum reliquit, Petrus tamen, tanquam Apostolorum Princeps, sola sui ipsius umbra homines ab ægritudinibus liberabat, ut impleretur illud Salvatoris dictum: *Qui credit in me, opera, quæ ego facio, & ipse faciet, & majora horum faciet*. Christus namque umbra sua homines curasse non legitur.

CONSULTATIO CLXXIV.

De miraculis super ordinem Naturæ quoad operandi modum, & quoad id, in quo fit ex Testamento novo.

1 Miracula omnia, ea præsertim, quæ circa ægritudinum curationes versantur, ferè semper produci solent, dum alicujus Canonizatio proponitur in sacrorum Rituum Congregatione. Cùm autem miraculorum cognitio, sive tractatio inter primarias, maximeque arduas canonizationis partes connumeretur, ea idcircò, veluti trutina quadam, juxta proprias miraculorum conditiones suo jam loco explicatas, examinanda sunt, illis etiam additis conditionibus, quas infra narrabimus, & observandas dixerimus.

2 Miracula in primis omnia, ut sæpissimè diximus, supra totius naturæ creatæ vires esse debent, ita scilicet, ut effectus ipsi viribus Naturæ, vel in illo saltem instanti produci nequeant. Si quis enim, ut ad miracula circa ægritudinum curationes examinanda deveniamus morbo aliquo, nulla prævia dispositione, sive nulla temporis intercapedine illicò liberetur, eum miraculosè liberatum dicas, necesse est.

3 Hujus generis exempla tàm in veteres, quàm novæ legis Testamento videre licet. Nunc autem fat erit commemorare, quæ apud Evangelistas, & in Actis Apostolorum conscripta leguntur. Et primò, illud præcipu miraculum de Socru Simonis febre laborante ab Evangelistis recitatum, sed a Beato Luca magis insigniter expressum, in hæc verba: *Socrus autem Simonis tenebatur magnis fabribus, & rogaverunt illum pro ea. Et stans super illam, imperavit Febri, & dimisit illam. Et continuò ministrabat illis, Luc.* 4. *Matth.* 8. *Marc.* 1.

4 Hunc in modum, nulla scilicet temporis mora, nec dispositione medicamentum prævia, moribundum Reguli filium temporis momento sanatum constat. Postquam enim Regulus Salvatori nostro dixit. *Domine, descende prius, quam moriatur filius meus*, ad hæc Salvator: *Vade, filius tuus vivit*, & ad magnam Reguli Fidem, sine corporis Salvatoris nostri præsentia filius Reguli ab imminenti morte revocatus, quia moribundus, vel quia ut Evangelista inquit, incipiebat mori, perfectæ illicò sanitati fuit miraculosè restitutus.

5 Idipsum de Leproso manu Salvatoris mundato affirmandum omninò est. Nam ubi primum Leprosus Salvatorem nostrum adoravit, & obsecravit, dicens, *Domine si vis potes me mundare*, ad hæc duo Salvatoris verba: *Volo, mundare*, temporis momento sanatus est, Matthæo teste, *cap.* 8. qui ait: *Et confestim mundata est Lepra ejus*, nulla scilicet inter præceptum, & opus, morula intercedente.

6 Neque absimile est illud Centurionis exemplum, qui servum suum paralyticum solo Christi verbo sanari posse firma fide credens, ipsum solo verbo sanatum audire meruit his verbis Matth. 8. *Vade, & sicut credidisti, fiat tibi*. Quod Evangelista testatur, dicens: *Et sanatus est puer ex illa hora*, uno scilicet horæ momento.

7 Hoc etiam modo Publii patrem febribus, ac dysenteria, intestinorum videlicet exulceratione vexatum, ad Beati Pauli orationem, manuumque impositionem protinus sanatum in Actis Apostolorum sic legimus: *Contingit autem, patrem Publii febribus, & dysenteria vexatus jacere, ad quem Paulus intravit, & cùm orasset, & imposuisset ei manus, salvavit eum.*

8 Hæc de variis ægritudinum curationibus miraculosè prestitis, quæ, licèt medicamentis, & longo temporis intervallo vix unquam curari valuissent, absque tamen prævia medicamentorum dispositione, & nulla interposita mora, in instanti temporis nequaquam fieri potuissent. Illa enim naturæ facultatem superant, non quantum ad substantiam facti, vel quantum ad id, quod fit, nec quantum ad id, in quo fit, sed quantum ad naturalem operandi modum, & ordinem ob idque miracula sunt, & hunc in modum nonnisi divina virtute fiunt.

9 Si quis autem morbo aliquo ad invocationem Dei, vel Sanctorum a medicis non destitutus, paulatim liberaretur, tunc illud revera miraculum dici non videtur, curationem tamen, sive sanitatem illam, divina opitulante gratia, sanctisque intercedentibus, paulatim, sensimque recuperatam fuisse, credendum est. Morborum namque curatio miraculosa judicatur, si repentè, ac confestim fiat, vel a Medicis jam desperata, temporisque momento perfectè præstetur.

10 Si quis præterea tertiana, vel quartana, sive quotidiana febre laboraret, & post Sancti alicujus invocationem terminus ille febris, statis vicibus evenire consuevit, amplius non rediret, vel si febris continua esset, Sancto jam invocato, abjecta omni cunctatione, evanesceret, miraculum omninò illud est. Eoque præstantior, & evidentior, magisque miraculosa censetur curatio, quo morbus medicam omninò subterfugiens artem, principiis Naturæ curari nullo modo possit, cujusmodi est homo a nativitate claudus, vel cæcus mutus, vel surdus, & hujusmodi.

11 Quod verò ad miracula quantum ad operandi modum, & quantum ad id, in quo fit, homo, ut ait Lucas *Act. cap.* 13. ex utero matris suæ claudus, a Beato Petro sanatus fuit his verbis: *In nomine Jesu Christi Nazareni surge, & ambula*. His deinde Sanctus Lucas hæc subnectit verba: *Et apprehensa manu ejus dextera, allevavit eum, & protinus consolidatæ sunt bases ejus, & plantæ, & exiliens stetit, & ambulabat, & intravit cum illis in templum ambulans, & exiliens, & laudans Deum.*

12 Ille item alter, ut inquit Luc. *Act. cap.* 14. ex utero matris suæ claudus, his B. Pauli sanatus est verbis: *Surge super pedes tuos rectus. Et exilivit*. Eodem Evangelista teste, & ambulabat.

13 Homo etiam a Nativitate cæcus vel potius medicamento naturæ adversante, hoc est luto super oculos impositio, non virtutem habente modicam, sed solum mysterium repræsentate, supra naturæ facultatem a Christo Domino sanatus est visu recepto, ubi primum in natatoria Siloe, hoc est in piscina, aut fonte ad Sion Montis radicem sito, oculos suos ex præcepto Christi Domini lavit.

14 Hæc autem miracula de claudo, & de cæco a nativitate, quantum ad id, in quo fiunt nonnisi divina virtute fieri possunt. Quia, licèt, uti dicimus, naturam visum præstare possit, non tamen cæco a nativitate. Quamvis item membrorum rectitudinem dare queat, non tamen claudo a nativitate. Illa item miracula paulò superius enarrata, quantum ad modum operandi, hoc est sine medicamentis, ac sine perceptibili fere temporis momento præstita, vera sunt miracula; licèt enim ægritudines illæ medicamentis & longo tempore curari potuissent, illo tamen temporis momento, quo divinitus curata fuerunt, arte sanè humana, etiam principiis Naturæ mediis, curari nequivissent.

CONSULTATIO CLXXV.

An Eudæmones, sive Cacodæmones sua virtute ægritudines non a Nativitate, sed ex accidenti contractas, temporis momento, ac sine medicamentis curare possint?

1 Angeli, sive boni, sive mali, quibus quantum ad motum res omnes corporeæ ad nutum obediunt, tanta omnium rerum pollent scientia, quanta docti omnes, præsertim verò medendi artè egregiè instructi. Quicquid igitur longo temporum spatio medicinæ arte fieri potest, illud ipsum, sed multò exactius, quàm omnes, qui medicinam optimè callent, Angelos omnium medicorum scientissimos, temporis momento principiis naturæ mediis facere posse fatendum est. Angeli enim sive boni, sive mali, exactissimam omnium rerum scientiam penitus habentes, penitissimasque morborum causas cognoscentes, materiam sibi subjectam mira facultate, ac celeritate ad sanitatem suscipiendam disponunt, impedimentis, quæ medici, vel ignorant, vel amovere nequeunt, amotis, quicquid enim a Natura, medicamentis prævis, ac magno temporum intervallo effecisset, vel ignorata morbi causa, medicus nunquam efficere potuisset, Angeli, principiis Naturæ mediis, Naturam ipsam adjuvantes, statim efficiunt, & hunc in modum sua virtute sanitatem conferre dicuntur. Hujus autem generis morborum curationes miracula revera non sunt. Quia ægritudines illæ principiis Naturæ mediis curari possunt. Quæ autem iisdem principiis curari nequeunt, si sanentur, tunc effectus ipsi miracula, re ipsa dicuntur, ac sunt quidem.

2 Huc spectare videtur, quod Cornelius Tacitus *lib.* 4. *histor.* scriptum reliquit de Vespasiano Imperatore, qui

qui monitu Serapidis, quem alibi Tacitus vocat Æsculapium, Apollinis filium, ob medicinam ab ipso ampliatam, in Deorum numerum a Gente superstitionibus addicta, receptum, cuidam oris excremento visum, alteri verò pedis contactu usum manus, temporis momento, si Tacito credimus restituit. Ita enim ait Tacitus: *Ex plebe Alexandrina quidam oculorum tabe notus, genua ejus*, Vespasiano scilicet, *advolvitur, remedium cæcitatis exposcens gemitu, monitu Serapidis Dei, quem dedita superstitionibus Gens ante alios colit, precabaturque Principem, ut genas, & oculorum orbes dignaretur respergere oris excremento. Alius manu æger, eodem Deo authore, ut pede, ac vestigio Cæsaris calcaretur, orabat. Vespasiano primò irridere, aspernari, atque illis instantibus, modò famam vanitatis metuere, modò obsecratione ipsorum, & vocibus adulantium in spem induci, postremò æstimari a medicis jubet, an talis cæcitas, ac debilitas ope humana superabiles forent. Medici variè disserere. Huic non exesam vim luminis, & redituram si pellerentur obstantia; illi elapsos in pravum artus, si salubris vis adhibeatur, posse integrari. Id fortasse cordi Diis, & divino ministerio Principem electum. Denique patrati remedii gloriam penes Cæsarem, irriti, ludibrium penes miseros fore. Igitur Vespasianus cuncta fortunæ suæ patere ratus, nec quicquam ultra incredibile, læto ipse vultu, erecta, quæ astabat, multitudine jussa exequitur. Statim conversa ad usum manus, ac cæco relaxit dies.*

2 Hæc Tacitus, cui Svetonius Tranquillus in Vespasiano adstipulatur, & sanatæ loco manus, de oculis, & crure sanatis loquitur in hæc verba: *E plebe quidam luminibus orbatus, item alius debili crure sedentem pro tribunali pariter adierunt, orantes opem valetudinis, demonstratam a Serapide per quietem, restituturum oculos, si inspuisset, confirmaturum crus, si dignaretur calce contingere. Cùm vix fides esset, rem ullo modo succeßuram, ideoque ne experiri quidem auderet. Extremò hortantibus amicis, palam pro concione utrumque tentavit, nec eventus defuit.*

4 Hæc Taciti, & Tranquilli verba si rectè perpendantur, dæmonem ob facilem superstitiosorum hominum credulitatem sub Serapidis nomine in Vespasiano, dum cæcus, & manu, seu crure læsus curantur, operatum esse, illaque opera, etsi mirabilia, miracula tamen non fuisse, fatendum est. Ægritudines namque illæ testimonio medicorum, ut ait Tacitus, ope humana superabiles erant, impedimentis quæ a dæmone, & fortassè non a medicis, noscebantur, amotis. Curationes autem fuerunt mirabiles, non quoad substantiam facti, nec quoad id, in quo factæ fuerunt, sed quoad modum, & ordinem operandi hominibus tantùm ignotum, non autem naturæ. Quia hoc modo fuisset saltem miraculum illud, quod inter miracula infimum tenet gradum, uti jam suo loco explicavimus. Quamvis enim in Vespasiani sputo, & calce virtus sanandi egritudines illas revera non fuisset, cæcitas tamen, & manus, sive cruris debilitas sine intrinseco medicamento per amotionem impedimentorum præstito, curatæ non fuerunt. Impedimentorum namque amotio intrinsecè non evidenter, aut non visibiliter operata, medicamentum quoddam est. Et quantumvis interea temporis momento curatæ videantur, previas tamen dispositiones impedimentis amotis, aliqua item temporis intermissione, & non sine aliquo medicamento intrinseco, sensim factas fuisse, dicendum est.

5 Et hoc modo oculum dextrum equi cujusdam viri nominis Lenæi, ictu quodam læsum, & officio suo privatum a Dæmone sub Serapidis nomine restitutum in pristinum fuisse censendum est, ut Ælianus *lib. 11. c. 3. de animalium natura* testatur. Is enim Author post multas equi laudes enarratas, ac studiosissimam Lenæi precationem Serapidi habitam, equum, ut ipse ait, eximium, sed oculo læsum, eoque captum, fomentis denique ad Serapidis jussum redintegratum fuisse narrat his verbis: *Tum Deus utcumque magnus, non neglexit, neque contempsit brutum, mutumque animal, & pariter ipsius supplicantis misertus remedium dictat, jubetque oculum, equi, non quidem perfundi liquido ullo remedio, sed fomentis per meridiem in ambitu templi calefieri. His peractis equi oculus redintegratus est, & Lenæus Deo, ut gratum se declararet, sacrificavit. Equus jam integer saltabat, & hinniebat circa templum, jamque grandior, & formosior videbatur, seque veluti ostentans ad aram usque non sine ambitione accurrebat. Denique circa gradus se volutans, Deo servatori, quo posset modo, gratias se agere præseferebat.*

6 Quæ autem divinitus fiunt, sive a Sanctis, sive a malis hominibus, ad invocationem tamen nominis Dei juxta circumstantias jam enarratas, nulla penitus re, neque intrinsecè, neque extrinsecè morbis adhibita, solo jussu, ac temporis momento fiunt, ut videre est in illis hominibus a nativitate claudis. Nam ad sola hæc verba. *In nomine Jesu Christi Nazareni, surge, & ambula* Et *surge super pedes tuos rectus*, Act. 4. & 14. ambo exiliverunt, & ambularunt laudantes Deum.

Si qua verò corporea res adhibeatur, illud ad mysterium repræsentandum fieri, credendum, est, ut in homine illo a nativitate cæco actum vidimus. Nam, ut Sanctus Joannes Evangelista testatur *cap. 6.* Christus Dominus in cæco sanando, expuit in terram, & lutum ex sputo fecit, & linivit lutum super oculos cæci, deindè oculos in Natatoria Siloe lavari præcepit. Hinc Sanctus Augustinus in hunc locum ait: *de saliva sua fecit lutum, quia verbum caro factum est. Vel, ut indicaret se esse, qui ex limo terræ hominem formaverat*, ut ait S. Thomas, & colligitur ex Chrysostomo *homil. 9. in Marc.* apud quem fit mentio de illo altero cæco per sputum item paulatim sanato, quem, ut ibi ait Beda, *uno verbo totum simul curare poterat, paulatim curat, ut magnitudinem cæcitatis ostendat, quæ vix, & quasi per gradus ad lucem redeat, & gratiam suam nobis indicet, per quam singula perfectionis adjuvat incrementa. Vel id factum fuit propter imperfectam ipsius cæci, & offerentium fidem*, ut inquit Sanctus Thomas ex Chrysostomo, & aliis, qui citatum Marci locum interpretantur, *p. 3. q. 44. art. 3. ad 2.* & in Marchum *c. 8.* ibique Lyranus.

7

Ægritudines itaque ex accidenti contractæ, principiis autem Naturæ curabiles, quamvis curatu difficillimæ, & a medicis desperatæ, a dæmone tamen curari possunt ita verò repente, & absque ullo medicamento extrinseco, aut morbis apto, & congruenti, ut curationes ipsæ miracula videantur. Atque hoc item modo curationes a dæmone cognita in Æsculapii templo sub ficto Æsculapii Dei nomine factas fuisse censeo, sicut græca inscriptio marmore incisa, in eodemque olim templo ad Insulam Tyberinam, ubi remedia morborum vel gratiæ impetratæ scribebantur sita, nunc verò in antiquarum totius Orbis inscriptionum libro, quam Martinus Smetius edidit, græcè, ac latinè impressa, & Superioribus annis in ædibus Cardinalis Maffæi extabat Vide Theatrum *vit. hum. to. 5. pag.* 1404. *§. Tabella.*

8

9 Quare hujus generis opera, & alia item multa diligentissimè examinanda sunt, ne dæmonum fraudolentis operibus sive falsis, sive veris, ab hypocritis, aut pseudosanctis decipiamus. Cætera verò miracula, quæ principiis Naturæ mediis fieri nullo modo possunt, quatenus Naturæ facultatem omninò superant, cujusmodi sunt curationes circa egritudines a Natura contractas, mortuorumque suscitationes tantùm inquisitionem, atque investigationem non postulant. Quæ sanè miracula a Prophetis, a Sanctis Apostolis, & a Christo Domino facta in Scriptura Sacra passim leguntur *3. Reg. 17. 4. Reg. 4. & 13. Matth. 9. 27. Marc. 5. 6. 16. Luc. 3. 5. 7. Joann. 11. Act. 3. 5. 9. 14. 19. 20. Hebr. 11.*

CONSULTATIO CLXXVI.

Quomodo miracula Magorum, malorumque hominum a veris miraculis differant, & cognoscantur? De signis, & virtutibus, deque prodigiis, ac portentis, aut ostentis.

1 ITerum, ac tertiò argumentum hoc versamus, quia necessarium. Admiranda Magorum opera, non solum Ethnici, sed etiam nostri Theologi interdum vocant miracula, vel quia veris miraculis sunt similia, vel æstimatione hominum, quod ea ipsi nec facere, nec quemadmodum facta sint intelligere possunt, non Naturæ, sed divinitatis opera existimantium.

2 Et sanè nonnulla faciunt Magi in speciem non dissimilia iis, quæ faciunt Sancti. Nam Magi Pharaonis similiter, ut Moses, & virgas suas verterunt in serpentes, & aquam mutarunt in sanguinem, & magnam ranarum vim subitò produxerunt, *Exodo* 7. Sanant nonnunquam Magi ægrotos, & Dæmones ex corporibus hominum ejiciunt. Nec tamen hæc operum similitudo facit, ut Magorum opera vera sint miracula, alioquin miraculum non esset idoneum declarandæ, probandæque Deitatis, atque veritatis argumentum, quare ratio fidei, ac doctrinæ christianæ, quæ miraculis tanquam veris divinæ potentiæ sigillis obsignatur, omninò periret. Docere igitur breviter convenit cum alibi præsertim, ac prolixè id docuimus in nostro opere de Sacrosancto fidei Tribunali cur hujusmodi Magorum facta non sint miracula, & quibus rebus differant, quibusve notis, atque insignibus a veris miraculis internoscantur.

3 Tripliciter potest intelligi, aliquod esse miraculum. Primò, simpliciter, & absolutè, nempè comparatione cujuslibet naturæ. Hac significatione nullum planè est

eſt miraculum. Nihil enim eſt, quod divinæ potentiæ, & ſapientiæ comparatione, miraculum dici queat. Nam miraculum alicui dicitur, quod ejus, & facultatem, & intelligentiam excedit. Deus autem nihil eſt, quod admirari poſſit, quippè cùm, & cauſas omnium, quæ ſunt optimè noverit, & ipſe Princeps cauſa ſit efficiendi omnia. Nam qui per ludum, & jocum, ut eſt in proverbiis Salomonis *cap.* 8. ex nihilo mundum condidit, quid ei magnum, nedum miraculum eſſe queat? Cùm eſt apud Iſaiam *cap.* 40. *& in lib. Sapientiæ cap.* 9. *Omnes gentes, totuſque terrarum Orbis apud ipſum ſit tanquam gutta roris antelucani, & quaſi pulvis, & tanquam inane, & nihil.*

4 Deinde poteſt appellari miraculum reſpectu hominum, qui quæ ſunt ipſis inuſitata, & quorum cauſas ignorant, quoniam ea maximè admirantur; dicunt miracula. Qua ratione non modo Dæmonum, & Magorum, ſed etiam Sapientum hominum inventa quædam nova, & artificioſa opera, qualia fuerunt illa Architæ, & Archimedis, aliorumque, de quibus alibi, miracula nominantur, ſed verè, ac propriè miraculum dicitur opus, quod ideò verè, ac meritò mirandum eſt, quia omnis Naturæ creatæ vim, atque poteſtatem excedit.

5 Hoc autem multis modis poteſt evenire. Nam exceſſus naturæ creatæ, vel eſt in eo, quod fit, quale nullo modo natura poteſt facere, cujuſmodi eſt, ut duo corpora ſimul ſint in eodem loco, & ſe permeent, vel ut corpus humanum evadat immortale, impaſſibile, & glorioſum, & alia hujuſmodi, de quibus ſæpè diximus, quæ quidem tenent primum locum, & gradum in miraculis. Vel exceſſus eſt non in eo, quod fit, ſed in eo, vel ex quo, vel in quo res fit. Vel exceſſus eſt in modo, vel ordine, vel in alia qualibet circumſtantia, aliiſve rebus, cum quibus omnibus naturaliter opus illud fit, de quibus pariter alibi exemplum attulimus, quæ ut modo melius intelligantur, latius explicabimus.

6 Dæmonum, & Magorum miracula, non vera, differunt a veris miraculis, quæ in ſcripturis, & hiſtoriis Eccleſiaſticis a ſervis Dei facta legimus, his quinque modis. Dignitate virtutis efficientis. Qualitate eorum, qui faciunt. Diverſitate factorum. Modo faciendi, & fine, cujus gratia fiunt vera miracula, cùm omnis naturæ creatæ vim exuperent, ſolius Dei poteſtate poſſunt effici. Nam quamvis per Angelos, vel ſervos Dei fieri videantur, illi tamen non agunt virtute ſua, ſed Dei, cujus ſunt adminiſtri, & tanquam inſtrumenta. Magi autem opera ſua faciunt, vel virtute quarumdam rerum naturalium, quibus utuntur occultè, vel opera dæmonum, qui clam Magis auxiliantur. Vera miracula, licèt interdum faciant etiam homines mali, rarò tamen, nec niſi ad confirmationem veritatis, & divinæ virrutis declarationem, ferè autem Magi homines ſunt flagitioſi, & malefici, quos proindè divinis, humaniſque legibus conſulere, & adire prohibemur.

7 Quæ faciunt Magi, vel ſunt tantùm phantaſtica, & ſimulata, & ideò nec diuturna, vel ſunt pernicioſa, vel inutilia. Vera autem miracula ſunt opera ſolida, & vera, utiliſſima hominibus, & nonniſi magna aliqua neceſſitate, & utilitate facta. Magi opera ſua faciunt, vel per cauſas naturales, vel ope dæmonum, utuntur multis præſtigiis, mendaciis, ludificationibus hominum, figuris, characteribus, verbis, vel nihil, vel abſurda ſignificanribus, aliiſque ſuperſtitioſis cæremoniis, miſcentque ſacra profanis, namque nonnulla verba ſacra, quæ uſurpant, adjunctis ſuperſtitionibus fœdant, & contaminant. Docent enim ea dici debere ſub certo quodam conſtellationnm ſitu, certoque loco, & tempore, toties ſigno Crucis facto, tot candelis accenſis adhibitis, vel filis, aut velis, vel chartis, quas vel pueri, vel virgines tantùm tetigerint. Adhibent etiam quædam, quæ nihil prorſus ad effectum producendum pertinent, ſed ridiculam habent vanitatem. Dicunt enim, oportet tali hora, & toties, & tali aqua lavare faciem, radere capillos, hac, vel illa veſte indui. Sed quod impietatis pleniſſimum eſt, ſanguinem ex humano corpore mittunt, eoque libamina quædam conſecrant, nomina quorumdam dæmonum uſurpant, quibuſdam animalibus familiariter utuntur, & cum eis colloquuntur, dæmonibus ſacrificant, nomen, & fidem Chriſti abjurant, prohibent homines ſignare ſe ſigno Crucis, aliaque faciunt, partim ſuperſtitioſa, partim ridicula, partim penitus execranda. Nihil tale Sancti faciunt edendis miraculis, ſed vel interiori, vel etiam exteriori ſupplicatione, & invocatione divinæ virtutis, vel facto ſigno Crucis, vel aliquibus verbis ſacris recitatis, miracula operantur.

8 Ad extremum cur, vel dæmones, vel Magi faciant illa ſua miracula, non eſt obſcurum, nimirum vel lucri, vel gloriæ, & honoris cupiditate, ſibi divinum nomen, & cultum aucupantes, vel ut veritatem pervertant, & falſitatem hominibus perſuadeant, vel ad patranda maleficia, veluti furta, adulteria, homicidia. Sancti autem faciunt miracula non ſua cauſa, cùm & divitias contemnant, & honores fugiant, ſed ut Deum honorent, Eccleſiam ædificent, hominesque non ſolùm corpore, ſed multo etiam magis animo juvent.

Qui igitur ſanæ mentis eſt, & ſtudioſus veritatis, 9
amatorque virtutis, non erit ei difficile vera miracula a falſis diſcernere. Qui autem flagitiosè vivit, & Chriſti doctrinam odit, nec ſtudio veritatis, ſed vanæ curioſitatis cupiditate miracula quærit, is juſto Dei judicio permittitur, ut quia veritati conſentire, & acquieſcere noluit, circumveniatur mendaciis, & falſis miraculis perſuaſus, perverſam doctrinam, falſaque dogmata, piis, veriſque repudiatis, amplectetur. Hoc eſt enim, quod docuit S. Paulus 2. *epiſt. ad Theſſal. cap.* 2. præmonens venturum Satanam, vel Antichriſtum *in omni virtute, in ſignis, & prodigiis mendacibus, & omni ſeductione iniquitatis*, non quidem omnibus, *ſed iis, qui charitatem veritatis non receperunt, ut ſalvi fierent; his enim mittet Deus operationem erroris, ut credant mendacio, judicentur omnes, qui non crediderunt veritati, ſed conſenſerunt iniquitati.*

Idipſum docet Auguſtinus, qui inter miracula Mago- 10
rum, & Sanctorum hominum diſcrimen in 83. *quæſt.* libro affert his verbis: *Cùm talia faciunt Magi, qualia nonnunquam Sancti faciunt, talia quidem viſibiliter eſſe apparent, ſed & diverſo fine, & diverſo jure fiunt. Illi enim faciunt, quærentes gloriam ſuam, iſti quærentes gloriam Dei, & illi faciunt per quædam poteſtatibus conceſſa in ordine ſuo, quaſi privata commercia, vel beneficia, iſti autem publica adminiſtratione, juſſu ejus, cui cuncta creatura ſubjecta eſt.*

Eadem ferè habet D. Thomas *lib.* 2. *ſent. diſt.* 7. *q.* 3. 11
art. 1. ubi ſic exactius rem hanc definit. Quantum ad efficaciam, & durationem differunt miracula bonorum hominum, & Magorum. Quia miracula a bonis hominibus facta, nonniſi virtute divina fiunt, cujuſmodi eſt ſuſcitatio mortui, & id genus alia, virtutem naturæ activam excedentia, quæ dæmones revera facere non poſſunt, niſi præſtigiis quibuſdam, hoc eſt incantationibus, & illuſionibus, quæ diù durare non poſſunt.

Differunt etiam quantum ad utilitatem quia bonorum 12
miracula nonniſi utilitatem afferunt, cujuſmodi ſunt admirabiles ægritudinum curationes; Magorum autem ſigna ſunt noxia, & vana, dum volatum affectant, & oſtentant, ſtupidaque hominum membra efficiunt.

Differunt etiam quantum ad operandi modum. Boni 13
enim homines Dei nomen piè, ac reverenter invocantes miracula faciunt. Magi verò quibuſdam utuntur deliramentis, dum ſe cultris incidunt, & alia id genus turpia operantur.

Differunt tandem quantum ad finem. Quia bonorum 14
miracula ad Catholicæ fidei ædificationem, atque ad rectos mores propagandos efficiuntur. Magorum verò ſigna nonniſi manifeſtum fidei, & honeſtatis detrimentum afferre ſolent.

Quoniam verò miracula modò virtutes, & ſigna mo- 15
dò prodigia, & portenta vocitantur; ideò quid horum unumquodque ſibi velit declarandum eſt. Miracula omnia quatenus totius naturæ vires excedunt, ſi conſideretur illud, quod fit, virtutes nuncupantur. Si autem conſideretur illud, propter quod miracula, ad aliquid videlicet ſupernaturale indicandum, fiunt, tunc miracula vocantur ſigna, quatenus per illa aliquid ſupernaturale ſignificatur. Miracula denique per excellentiam, quatenus aliquid præoſtendunt, portenta, ſive oſtenta dicuntur. Quatenus autem futura prædicunt, prodigia nuncupantur. Portendunt enim, & quaſi prædicunt aliquid futurum.

CONSULTATIO CLXXVII.

Specimina aliquot, præter alia alibi adducta, miraculorum variarum ſanationum, quæ ad ſecundum, ac tertium miraculorum gradum pertinent.

PRæſervationis a morte alicujus poſt invocationem ſer- 1
vi Dei veneno ſibi præparato, & propinato, quod probatur tum authoritatibus, tum rationibus. Primò, ut inquit Baccius *de ven. capit.* 4. Hercul. Saxonia *lib.* 10. *pract. med. cap.* 38. & Amatus Luſitanus *curat. med. cent.* 2. *curat.* 72. cùm venenum ſit res non naturalis, quæ quomodolibet corpori humano admoveatur, naturam illius ſua malignitate corrumpit, ac deſtruit, neceſſariò mortem debere inferre. Secundò, Paul. Ægid. *lib.* 5. *c.* 29. agens de vi veneni, inquit ſi expectatur, nihil planè in

medicina ſpei eſt ægris propter moram jam deploratis, deſperatiſque, quæ in caſu de applicandis præſidiis non ſolùm eſſe debet omnimoda, ſed nihil auxilii applicari.

2 Quod clariùs evinceretur ex ſequentibus. Primò, ſi natura debet prævalere ipſo veneno, ut ſuccedat ſanatio, id fieri non poteſt, niſi vel aliqua evacuatio ſuperveniat; puta vomitus; aut alia expulſio idonea, unde æger melius ſe habeat, quod eſt indicium ſpei ad ſalutem. Vel vis veneni in aliqua aliam ægritudinem degeneret, quorum cùm nihil unquam eveniſſet, remanet evidens miraculum in hac ſanatione.

3 Secundò, ſolent evaſi a veneno propinato remanere aliqua morboſa diſpoſitione per longum tempus infecti, ut tabe, contumaci icteritia, ac ſaltem corporis debilitate. Quod non ſolùm remanere non debet in ſanato, ſed in illomet inſtanti, quo ſe commendat ſervo Dei, liberè lecto ſurgere debet.

4 Tertiò, brevitas temporis, qua activitatem ſuam vis veneni demonſtrat, oſtendit eſſe venenum agens a proprietate, ſive a tota ſubſtantia, non ſolis qualitatibus manifeſtis quibus facilius eſt adverſari ſuis contrariis. Et quia venena, quæ tota agunt ſubſtantia, ſunt omnium inſenſiſſima. Unde celerrimus ſuccedere venenatis interitus ſolet, ut inquit idem Baccius *loco citato c.* 18. nil aliud eſt verendum, quàm interitus, dum morbus non dat inducias, ut adhiberi poſſint præſidia.

5 Si ergo conſtiterit tàm de extremo propinationis, quàm de peſſima veneni qualitate, quod patientem in manifeſto vitæ diſcrimine conſtituat, fateri oportet præſervationem a morte fuiſſe ſupra vires naturæ, ac proindè hoc miraculum ſecundo generi adſcribendum.

6 Subitæ reſtitutionis judicii. De quo miraculo dubitare non licet, cùm agatur de ſubita, & perfecta ſanitate dementiæ, quæ ſatis dignoſcitur ex ingenti furore, ceteriſque effectibus, Rota *deciſ.* 2. *num.* 4. poſt Zacch. *qq. medicoleg. tom.* 2. *pag.* 365. & inſanabilis natura eſt, ut tradit etiam Paulus de Caſtro *in l. qui teſtamento* 20. *§. nec furioſus num.* 3. *ff. de teſtam.* ubi ait: *qui ſemel incipit fatuizare, nunquam liberatur*, & in Schola Medicorum hæc inſania cum furore vocatur ex græco idiomate *Mania*, quæ præſertim, quando confirmata eſt, difficillima curatu cenſetur ab Avicenna adducto per Jacob Sylv. *de malenchol. morb. curat. pag.* 413. Daniel. Sennert. *tom.* 3. *lib.* 1. *par.* 4 *cap.* 15. *de mania*, & Joan. Fort. *tom.* 1. *cent.* 1. *conſult. & reſponſ. medic. obſer.* 19. ubi de mania loquens, ait: *Affectus quidem curatu difficillimus. Etenim totum ſanguinem depurare difficile quidem, ſed intemperiem auferre admodum laborioſum evadit, quæ etſi ad habitum redigantur, impoſſibile.* Tunc enim toto vitæ curriculo delirio detineretur, modò manico, modo melancholico, præterquamquod brevi tempore fato cedere poſſet. Et hanc maniam facilè oriri etiam ex nimio ſtudio, docet Sennert. *tom.* 2. *lib.* 2. *part.* 3. *cap.* 4. Quamobrem repentina, & perfecta ſanatio auxilio alicujus ſervi Dei implorato, tribuenda eſt. Et ſimile miraculum celebratur a Clemente V. per Canonizationem Sancti Petri Cœleſtini *Conſtit.* 4. *Bullar. tom.* 1. *§.* 16. his verbis; *Quidam factus ita furioſus, & amens, ut ne ſeipſum, aut alios offenderet, funibus, & catenis ferreis ligaretur. Adductus ad dicti fratris præſentiam, cùm comediſſet de pane per ipſum exhibito ſic eſt curatus perfectè, ut de dicta infirmitate nil ulterius unquam ſenſerit.*

7 Cæterum inhærendum non eſt in abſtracto theoriis medicorum, quæ ex variis facti circumſtantiis, ut notat Tiraquell. *de nobilitate cap.* 31. *num.* 442. *& ſeqq.* omni caſu non ſunt aptabiles, ſed in omni dementia habendum eſt in concreto judicium medici, qui dementem curavit, & ſolemni juramento adſtrictus, penſatis omnibus, ſanationem dementiæ, ſeu maniæ certo ſervi Dei miraculo tribuit, eique propterea fides præbenda eſt, tanquam perito in arte, & de ipſa infirmitate verſato *l. ſeptimo menſe*, ibique Bald. *ff. de ſtat. homin.* Specul. *tit. de probat. p.* 2. *§. ult.* Rota *dec.* 207. *n.* 6. *part.* 2. *diverſ. & dec.* 38. *n.* 6. coram Ubaldo, ac in durioribus terminis Auditores ejuſdem Rotæ in Relatione Canonizationis San. Thomæ de Villanova poſt Contelor. *pag.* 667. 679. Sanctæ Mariæ Magdalenæ de Pazzis *ſub §.* 1. poſt obitum in fine, Sancti Cajetani Thienæi *tit. de mirac. ſuper* 1. *mirac. §. ſanationem*, venerabilis ſervi Dei Gregorii Papæ Decimi *ſuper* 13. *miraculo*, *§. Quæ omnia*, venerabilis Ancillæ Dei Catharinæ Ricciæ *p.* 3. *ſuper* 3. *mirac. ſub §. defectum*, & ex relationibus Sanctæ Franciſcæ Romanæ, Sancti Caroli Borromæi, & Sancti Ignatii Lojolæ firmat Contelor. *cap.* 18. *n.* 12.

8 Præſertim ſi remedia per eumdem medicum ſub initium morbi præſcripta, nihil profuerint; Unde facilius ſubſequuta ſanatio tribuenda eſt invocationi ſervi Dei. Exemplum extat Lucæ *cap.* 8. de emorrhoiſſa, *quæ in medicis erogaverat omnem ſubſtantiam ſuam, nec ab ullo potuit curari.* Quem locum exponens Sanctus Bonaventura, ait: *Probabile, ſi curabilis fuiſſet ægritudo, quod per artem fuiſſet curata; attamen ars non profuit. Ubi natura arti non proficit, magis nocet.* Unde ex medicaminum inutilitate augetur ratio miraculi, ex iis etiam, quæ de ipſo ajebat Sanctus Gregorius Nazianzenus in vita ſcripta a Cardinali Baronio *cap.* 19. *in* 2. *tom.* menſe Maji apud Henſchenium, & Papebrochium, videlicet: *Adſum hic tibi æger, Chriſte, a medicis veniens, nullum autem fructum conſecutus, quàm quod nihil pluris facere didici, quàm te a quo, ut cætera profiſciſcuntur omnia, ſic etiam remediorum vires. Saltem tu mihi Salvator dic verbum aliquod, & conſolidabor.* Et plenè firmant Auditores Rotæ in relationibus Canonizationum Sancti Andreæ Corſini apud Lezanam *conſult.* 1. *num.* 261. & 269. & Sanctæ Thereſiæ ſub *mirac.* 11. poſt obitum. Idque planum fit ex pluribus Canonizationum diplomatibus, nempè Sancti Cœleſtini ex *Conſtit.* 4. *Clementis V. §.* 15. *Bullar. tom.* 1. Sancti Raymundi ex *Conſtit.* 77. *Clementis VIII. §.* 44. & 49. *tom.* 25. Ignatii Lojolæ ex *Conſtit.* 3. *Urbani VIII. §.* 36. *tom.* 4. & Sanctæ Roſæ Limanæ ex *Conſtit.* 37. *Clemen. X. §.* 54. & 57. *tom.* 6.

Liberationis ab imminenti periculo mortis. Libratis 9
enim ſingulis facti circumſtantiis tàm circa primum, & ſecundum extremum, quàm circa invocationem ſervi Dei, undequaque refulgebit miraculum liberationis ab imminenti, & inevitabili periculo mortis, cùm etiamſi adhibita fuiſſent medicæ artis præſidia, difficillimè æger, præſertim infantulus, a tali periculo ereptus eſſet ex caſu relato a Schenchio *obſer. med. lib.* 3. *obſer.* 4. recenſente: *Concubina cujuſdam nobilis cùm in ultimo menſe partus gravida foret, poma cruda immatura, quæ a Divo Joanne nomen habent, cùm avidius ſine maſticatione deglutiiſſet, gulæ ita infracta ſunt, ut noctu pene ſuffocata, voce quoque in totum ſuppreſſa, anhelitu impedito, animam agere videretur. Ad quam noctu evocatus, ſpeculo in os immiſſo, nihil quicquam in gutture inſpicere potui, permanſerat in tali anguſtia, & ſine voce per duas horas. Sed cùm forte fortuna propè lectum animadvertiſſem poma illa cruda adeſſe, interrogavi, numquid ex iis quædam devoraſſet? Annuit autem, cùm eloqui non poſſet, digitoque monſtrabat de gutture hærere, cùm neque per os cerviſiam ſumere poſſet, ea ipſa ad nares regurgitante, oxymel continuò lambendum dedi, quo ructibus emiſſis, tandem per continuum uſum oxymelitis, pituita craſſa per os exeunte, mox poma inciſa per acetum in ſtomachum delapſa ſunt, & anhelitum, ac vocem recuperavit, & præter omnium opinionem a præfocatione hoc præſidio liberata fuit.* Idque etiam patet ex pluribus, & arduis remediis, ac inſtrumentis, quorum nullum adhibitum eſt pro extrahendis è gutture rebus ſimilibus caſu deglutitis, quæ inſinuantur a Sennerto *tom.* 3. *lib.* 2. *p.* 1. *c.* 23. *verſ. Inanimata.*

Quapropter harum rerum extractio ſola ope ſervi 10
Dei ſequuta, ejuſdem miraculo referenda eſt, ut ſimilis periculi evaſio extollitur in relatione Sancti Iſidori apud Contelor. *de canonizat. Sanct. pag.* 751. & a Leone Decimo pro Canonizatione Sancti Franciſci de Paula *Conſtit.* 38. *§.* 28. *Bullar. tom.* 1. & *in lect.* officii de Sancto Blaſio ad diem 3. Februarii, ubi inter Sanctos ab eodem Sancto refertur. *In illis puer fuit, qui deſperata a medicis ſalute, tranſverſa ſpina faucibus inhærente, animam agebat.*

Subitæ ſanationis morbi in oculis. Ex hac ſanatione 11
miraculum evidenter emergit, propterea quod oculorum ſuffuſio eſt humorum circa pupilam congelatio, quæ viſivam virtutem impedire ex Aetio *tetrabil.* 2. *ſerm.* 3. *cap.* 51. cujus morbi curationem difficillimam, præſertim in pueris, affirmant Galen. *lib.* 14. *method. medendi cap. ult.* Jonſtonius *lib.* 4. *ideæ medic. art.* 2. Arculan. *in* 9. ad Almanſorem. Cùm itaque remedia ab initio applicita nihil præſidii attulerint, ſed morbum auxerint, nec aliud fuerit adhibitum tempore invocationis, nec paulò antea, ſubita, & perfecta ſanatio non alio pharmaco, quàm de Cœlo a ſervo Dei præſtito, tribuenda eſt. Et hanc liberationem ab oculorum caligine miraculo adſcripſerunt Clemens IV. pro Canonizatione Sanctæ Hedvigis *Conſtit.* 9. *§.* 14. *Bullar. tom.* 1. Leo X. pro Canonizatione Sancti Franciſci de Paula *Conſtit.* 38. *§.* 24. *eod. tom.* 1. & Urbanus VIII. pro Canonizatione Sancti Ignatii Lojolæ *Conſtit.* 3. *§.* 40. *tom.* 4.

Et notandum eſt, quod ſi ſtatim poſt imploratam 12
opem, vel admotam Imaginem alicujus ſervi Dei fuerit ſublata malitia morbi, ſufficeret ad rationem ſubitæ, & miraculoſæ ſanationis, ut poſt plures Auditorum Rotæ relationes firmat Contelor. *cap.* 17. *num.* 14. Sed etiamſi ipſe morbus receſſerit, licèt cum aliqua virium debilitate, quam etiam in inſtanti ſublatam eſſe non requiri, tra-

tradunt Auditores Rotæ in relatione Canonizationis Sanctæ Mariæ Magdalenæ de Pazzis *in 2. mirac. in vita §. nec aliquod*, & in relatione Canonizationis Sancti Ludovici Bertrandi *ſub 9. mirac. poſt mortem, §. maxime non excluditur*, aſſerentes, quod virium recuperatio paulatim facta, non derogat perfectioni miraculi, & in relatione Sancti Andreæ Corſini apud Lezanam *d. conſ. 1. ſub n. 193.* & Contelor. *d. c. 17. n. 16.* Sufficit ergo, quod vis morbi in inſtanti tollatur ad hoc, ut ſupra ejus vires ſanatio contigiſſe dicatur. Quia natura non poteſt in inſtanti ſanationem operari, ſed omnis alteratio, & mutatio per ipſam fit in tempore, ut ex Avicenna inquiunt Auditores Rotæ in d. relatione Sanctæ Mariæ Magdalenæ de Pazzis *in 7. mirac.* in vita, & in *3. poſt obitum §. hæc ſanatio.*

13 Sanationis hæmorrhagiæ. Nam River. *in prax. medic. lib. 2. cap. 7.* ait, *hæmorrhagiæ nimis copioſæ, & vehementes, peſſimæ ſunt, ad convulſionem deferunt*, & Ludovic. Mercat. *pract. med. lib. 1. de intern. morb. curat. cap. 25. de fluxu ſanguinis narium litt. C.* inquit. *Quo factum eſt, ut ſanguine immodicè fluente corpus in graviora pericula promptius dilabatur.*

14 Idcircò cùm ſanguis repentè cohibitus fuerit cum perfecta robuſta, & continuata valetudine patientis, id tantummodò fieri potuiſſe liquet divina ope, & hoc ipſum miraculum ſanatæ fluxionis ſanguinis è naribus probant Auditores Rotæ in relatione Canonizationis Sancti Caroli Borromæi *part. 3. tit. de mirac. in vita mirac. 1.* Sancti Joannis de Deo *in 5. mirac. poſt obitum.*

15 Nec officit, quod Zacutus *in prax. med. admirand. lib. 1. obſer. 72.* narret, curaſſe mulierem gracilem, quæ ſeptendio 31. libras ſanguinis per nares emiſerat.

16 Primò, quia Zacutus non refert ſanguinem fluxiſſe per narem, quo caſu talis fluxus mortiferus reputatur. Secundò, quia in caſu curationis Zacuti effluxio non fuit ita vehemens, & abundans. Nam ſpatio ſeptem dierum, quot fluxus duravit, emittere debuiſſet, longè majorem quantitatem libris 31. ſi ſanguis emanaſſet ea copia, & impetu, quibus profiliit ſanguis ſanati ope ſervi Dei. Tertiò, quia a Zacuto adhibita fuerat longa curatio per totum tempus ſeptem dierum per varia, & fortia remedia adſtringentia, & præ cæteris applicitum fuit cauterium, veluti author ibidem narrat.

17 Sic alter caſus ex eodem Zacuto relatus a Riverio *in prax. medic. lib. 4. cap. 7.* circumſtantiis ſanati per miraculum deſtitutus eſt, & illi vetulæ datum fuit ſtercus aſininum per os cum Saccharo ſpatio ſeptem dierum, ut narrat idem Riverius, propterea non idem judicium efformandum eſt in ſanatis ope ſervorum Dei ex circumſtantiis nimis diverſis, Gloſſ. *in Extravag. antiquæ* Joannis XXII. *v. cenſendum* ſed ut Sanctus Auguſtinus *de doctr. Chriſt. lib. 3. cap. 12. tom. 3.* rectè docet: *Facta judicantur ex circumſtantiis.* Et Sanctus Bernardus *epiſt. 73.* ſcribit *In ſimilibus enim factis cauſa diſſimilis ſimile recuſat judicium.*

18 Subitæ ſanationis eryſipelatis graviſſimi in capite. Nam ex Hipocrate *6. aphor. 5. 26.* habetur *Eryſipelas ab exterioribus ad interiora converti, malùm eſt.* Quamobrem cum non ſuppuraverit, nec per externas partes eductum fuerit, ſed admota ſervi Dei Imagine, vel Reliqua retroceſſerit, ex materiæ illius ad interiora recurſu, in lethale periculum Æger incidit, ut docent Sennert. *to. 1. lib. 2. cap. 16.* & Jo: Fort. *conſult. & reſponſ. med. t. 1. cent. 1. obſer. 95.*

19 Præſertim ex madefactione partis affectæ cum vino ſtillatitio; nam in curatione talis morbi omnia calida vitanda ſunt; quia ea in bilem facilè convertuntur, & incendium augent, ut tradit Villacorta *tom. 1. diſp. 6. dub. 2. de curat. Eryſipelatis.* Quare ſubita, & continuata ſanatio ſervi Dei auxilio tribuenda eſt. Maximè extante circumſtantia repentini redditus, & receſſus morbi ex appoſito, ac deinde ſublato laneo funiculo, ut ſimilis circumſtantia extollitur in fine §. lectionis officii de Sancto Baſilio ad idem 14. Junii, qua miraculi comprobatione carebat ſanatio ſimilis eryſipelatis ope Sanctæ Thereſiæ a Moniali obtenta, quæ pro illius Canonizatione inter miracula recenſetur a Gregorio XV. *Conſt. 20. ſub §. 18. Bullar. tom. 4.* & latè Auditores Rotæ in relatione Canonizationis ejuſdem Sanctæ *tit. de mirac. art. 2. mirac. 2. in vita*, & S. Petri de Alcantara *p. 2. art. 2. mirac. 5. poſt obitum.* Atque hujuſmodi ligamina nullius eſſe virtutis ad pellendos morbos, ſusè probat Caſpar a Reyes *elyſ. jucund. q. camp. q. 23. præcipuè n. 10.*

20 Patentque miraculum, ſi ſtatim poſt appoſitam Reliquiam, vel invocationem ſervi Dei infirmum vim cœleſtem illius experiatur, & ſomnus placidus contra ſolitum præcedentium noctium ſubſequatur, ab eadem Reliquia, vel invocatione mirè productus, adeòut diluculo expergefactus integrè ſanum ſe habeat, ut in ſimili obſervarunt Auditores Rotæ in relatione Canonizationis Sancti Andreæ Corſini apud Lezanam *d. conſult. 1. n. 261.* recenſentes. *Propinavit cibum puella, & jam obdormivit* & clariùs exponitur in diplomate Canonizationis Sancti Ludovici Bertrandi Epiſcopi Tholoſatis *Bullar. tom. 1. Conſtit. 2. Joannis XXII. §. 27.* ubi dicitur, *dormire cœpit, & expergefacta a morbo penitus eſt curata*, & pro Canonizatione Sancti Thomæ Aquinatis idem Joannes XXII. *Conſtit. 11. §. 15.* inquit, *Emiſſoque voto, cùm nocte ſequuta dormiſſet, in craſtinum ſe liberatam ſancti meritis reperiit, ut optabat.*

Sanationis attracti. Et quidem paralyſim curatu difficilem eſſe, utpotè ortam ex variis morbis productis, præcipuè a lue venerea, ex qua ſæpè nervorum contractio naſcitur, firmat Zacutus *tom. 2. prax. biſtor. lib. 1. cap. 10. de paralyſi*, Sennert. *tom. 3. pract. lib. 1. par. 2. cap. 27. de paralyſi*, Jo: Fort. *tom. 2. conſult. & reſponſ. medic. cent. 1. conſult. 32.* & River. *in prax. med. cap. 5. de paralyſ.* ubi ait, paralyſis ab humore pituitoſo nervorum ſubſtantiæ impacto, genita, curatu difficilis eſt, quia ægerrimè diſcutiuntur propter frigiditatem partis, ejuſque debilem expultricem, quæ remediis cooperari debet; & ſitum ſpinæ, nervorumque profundum ita, ut ad eas partes vis remediorum integra pervenire non poſſit. 21

Maximè ſi morbus non ceſſerit remediis exhibitis. Paralyſis autem cùm vehementioribus non ceſſerit medicis auxiliis, inexpugnabilis cenſenda eſt, inquit Jo: Fort. *to. 1. conſult. medic. cent. 1. conſult. 54.* 22

Sanatio autem paralyſis non ſemel a Sede Apoſtolica inter miracula recenſita fuit, & præſertim pro Canonizatione Sancti Thomæ de Villanova, ut ex relatione auditorum Rotæ poſt Contelor. *de Canonizat. Sanctor. pag. 402. & 690.* ubi agebatur de paralyſi brachii ad dies decem, & octo tantùm protracta, & pro Canonizatione Sancti Paſchalis Baylon ex alia relatione Auditorum Rotæ *in 5. & 6. mirac. poſt obitum*, & pro declaratione martyrii B. Joſaphat Polocenſis, ex relatione eorumdem Auditoruum Rotæ *par. 4. verſ. ab extremo*, ac ſæpè in aliis. 23

Miraculum autem undequaque coruſcat ex ſubita integrarum virium recuperatione exemplo paralytici a D. Petro valetudini reſtituti *in act. Apoſtol. 9.* ubi Cornel. a Lapide *pag. 95. col. 2. littera D.* exponens verba, *ambulans, & exiliens*, inquit, *Duplex fuit miraculum. Prius, quod claudo reſtituta ſit pedum rectitudo, & firmitas. Poſterius, quod illicò promptè inceſſerit, immò exilierit. Qui enim diu non ambularunt, eſto ſanati ſint, & valeant pedibus, ut incarcerati, tamen ex longa diſſuetudine ambulandi expeditè incedere nequeunt, ut experientia cunctis, &c.* Et apprimè favet ſimile miraculum a Congregatione Sacrorum Rituum approbatum pro Sancti Franciſci Saleſii beatificatione, quod legitur in actis Canonizationis illius. Agebatur enim de paralyſi Claudi Juliani, & ibi dicitur, *qui tertia vice delatus a matre ad ſepulchrum Saleſii cùm illud oſcularetur conſolidatis baſibus, & plantis, momento ſurrexit, & exiliens fletit, & ambulavit.* 24

Et ſanè cùm validiores corporis partes, fuerint frigidæ, ac emortuæ, innatus calor in illis partibus abſumptus fuerit, ac propterea non remaneat amplius poſſibilitas naturalis enutriendi eaſdem partes frigidas, & emortuas, ſignum etenim indicans partem aliquam eſſe depauperatam calido innato, ac vitali, ſi cum fruſtratoria nutritione conjuncta ſit motus impotentia ex Hippocrate *lib. 2. prædict. 2. 5.* docentes: *Quibus cura cum hoc, quod movere non poſſunt, morboſa corporis pars attenuatur, hi in ſanitate reſtitui non poſſunt*, & ex Galeno *lib. de tremor. & palpit. lib. 3. ſect. 1. c. 3.* habetur: *Convulſiones, quarum ſiccitas cauſa eſt, minimè medicaberis.* Et rurſus *lib. 12. method. med. c. ult. in fin.* idem Galenus de hac convulſione inquit: *Quæ ex remotarum partium ſiccitate provenit, inſanabilis eſt.* Idemque comprobant Petrus Foreſt. *lib. 10. obſervat. 106.* Jacob Holler. *in ſchol. ad c. 12. lib. 1. de morb. intern. tit. de convulſ.* Ludovic. Duret. *in ad not. ad eumd. Holler.* & Jodoc. Lemn. *lib. 2. obſer. med. p. 34.* ad rem addit: *Quælibet reſolutio nervorum mediocris vix ſanatur, vehemens ſanari non poteſt.* 25

Et quod revera hujuſmodi partes fuerint emortuæ, affirmare debet medicus, aperteque patebit ex deperditione motus, cùm vita explicetur per motum activum & provenientem ab intrinſeco, ut in Geneſ. 1. 21. legitur: *Creavit Deus omnem animam viventem, atque motabilem*, ac in *Levit. c. 11.* dicitur, *quæ in aquis moventur, & vivunt.* Unde poſt Ariſtotelem *lib. 1. de anima text. 51.* D. Thom. *p. 1. q. 18. art. 8. & in com. lib 1. de anima text. ult.* ait: *Vivere propriè eſt eorum, qui habent motum, & operationem ex ſeipſis ſine quo moveantur ab aliis.* 26

27 E contrario igitur, ubi motus deficit, vita abeſt, & quod aſſeritur de toto homine, proportionabiliter aſſeri debet de partibus emortuis, ut tradit Paul. Zach. *queſt. medicol. lib. 4. tit. 2. q. 8. n. 41.* ubi aſſignans diſcrimen inter paralyſim, & atrophyam, quod ſcilicet iſta ſit partis alicujus conſumptio, & ariditas, quæ amplius nutrimento non fruitur, oſtendit, hanc priorem fore exiſtimandam paralyſim propter vitæ carentiam in illa parte, his verbis: *Non multum abeſt a paralyſis natura atrophya, hoc eſt partis conſumptio, in qua paſſivè corpus, & corporis pars aliqua non amplius nutrimento fruitur, & naturaliter ſemper aliquibus decedentibus, nullis verò in eorum loco ſubeuntibus ſumma macies oritur*, ut Cornel. Celſus dicebat *lib. 3. c. 22. Pars ergo, quæ atrophya laborat, vita carere dici poteſt, cùm vita per nutritionem exiſtat.* Et reſtitutionum talium partium ſic deperditarum idem auctor *ibidem* miraculo adſcribit.

28 Ac ita quidem, ut nullo pacto morbus reputari poſſit torpor, qui conſiſtit in levi imminutione motus, ut explicat Riverius *prax. medic. cap. 5. §. duplex item*, ubi loquens de paralyſi imperfecta, eam ſic deſcribit: *Altera imperfecta, in qua functiones iſtæ tantùm imminuuntur, etſi levis ſit earum imminutio, nondum paralyſis, ſed corporis, vel ſtuporis nomen obtinet.* Quando igitur non adeſt ſola functionum naturalium imminutio, ſed totalis impoſſibilitas ob partes frigidas, & emortuas, hoc caſu vera paralyſis, & curatu difficillima exiſtimatur ab eodem Riverio *d. cap. 5. §. Quod prognoſin*, dicente: *Paralyſis ab humore pituitoſo nervorum ſubſtantiæ impacto curatu difficilis eſt, &c.* & id pro miraculo habitum fuit in Canonizatione Sancti Joannis de Deo in attracto ſolùm in cruribus, qui reptans incedebat, & Chirurgus eum morbum *Cianca*, qui eſt idem, ac torpor, nuncupavit, illiuſque miraculi approbatio patet ex Bulla Canonizationis, ibi: *Duo ex pluribus miraculis poſt conceſſam venerationem a Deo editis in antedicta Congregatione maturè diſcuſſis, &c. probarat. Primum videlicet inſtantaneæ Sanationis Joannis de Marino cruribus, ac tybiis impotentis, & attracti.* Quinimmò in talis morbi ſanatione ad conſtituendum miraculum, opus non eſſe, ut in inſtanti fiat, planè tradit Cardinalis de Lauræa *in 3. ſent. to. 4. diſp. 20. de mirac. art. 20. n. 862. & ſeqq. & n. 867. & 868. ac 874.*

29 Unde ſi ſanatio trium dierum ſpatio ſucceſſiſſet, non excluderetur inſtantaneitas, habito reſpectu ad diuturnitatem, & gravitatem morbi præcedentis abſque ullo medicæ artis auxilio. Quandoquidem adverbium ſtatim, illicò, incontinenti, ac ſimilia in ſanationibus miraculoſis non phyſicè, ſed moraliter accipienda ſunt ſecundùm qualitates morborum, quibus penſatis ſit locus arbitrio Judicis, ut tradit Malvet. *de Canoniz. Sanct. dub. 3. §. 3. n. 3. & 4. inter tract. gener. tom. 3. pag. 83.* inquiens: *Concluſio eſt, quod dictio mox, ſtatim, & ſimiles in materia indifferenti recipiunt interpretationem arbitrio Judicis*, Gloſſ. *in cap. an ſic v. incontinenti de appellat. Ita in hac materia Judex debet arbitrari qualitatem febris, an ſit magna, vel parva, vel fortè quartana, quæ cum difficultate ſolet recedere. Item an febricitans ſit valdè gravatus adeò, quod Medici deſperent de ejus ſalute, & ſic de ſingulis, ex quibus Judex poterit arbitrari infirmum potius gratia divina, & ſic ſupernaturali ſanatum.* Idemque tenet Contelor. *cap. 17. n. 13.* libenter itaque id admittendum eſt in hoc pertinaci morbo, qui non eſt ſimplex febris, ſed attractio, & deperditio medietatis corporis cùm ſuis circumſtantiis, quibus concurrentibus inſtantanea ſanatio dicitur, quæ in triduo, aut in fine tridui ſuccederet, idem Malvet. *loc. cit. n. 28.* & Laurea *d. diſp. 20. art. 20. n. 800.* Qui *n. 864.* hæc ſubdit: *Advertе 3. quod dupliciter accidere poteſt, ut miraculum non ſequatur ſtatim, ſeu illico ad invocationem. Primò, quia facta invocatione, ſeu applicatione non ſequitur, ſed ſit aliquod remedium, vel accidit criſis, vel morbi periodus advenit, & tunc nullatenus eventus ille cenſendus eſt miraculoſus, ſed naturalis, vel ſaltem dubius. Secundò, accidere poteſt, ut poſt invocationem in illa die, vel hebdomada, vel menſe obtineatur eventus, at medio illo tempore neque fuit applicatum remedium, neque accidit criſis, neque conſtat de periodo, & tunc eventus ille erit miraculoſus, neque officii, quod in prima invocatione, ſed in poſtrema accidit eventus, quia, ut dicemus, id ex duplici capite potuit prævenire, vel ex defectu fidei, ſeu fiduciæ in patiente, aut invocante, vel ex Dei providentia exigente majorem diſpoſitionem in patiente, vel probante illius patientiam.*

30 Neque id tribuendum vehementi imaginationi, alioquin actum eſſet de miraculis, & hoc ipſum cuperent hæretici, qui Pomponatio duce, omnia miracula nedum Sanctorum, ſed & ipſius Chriſti Domini vi imaginationis eveniſſe dictitant, ut admonent Paul. Vecch. *obſer. med. in Sacr. Script. obſer. 32. §. 4.* Emanuel Valle *de incantat. ſeu Enſalm. opuſc. 1. ſect. 2. c. 4. n. 6. & ſeqq.* & Caſpar a Reyes *in elyſ. jucund. q. camp. q. 50. n. 22.*

Quinimmò ex ipſa ingenti fiducia miraculum certius 31
redditur. Nam *Matth. 9. 2.* ſcriptum eſt: *Videns Jeſus fidem illorum*, dixit paralytico: *Confide, fili.* Quæ verba explicans ibidem Cornel. a Lapide, inquit, *Paralyticus hic jam habebat fidem, & ſpem in Chriſto, ſed Chriſtus jubet, ut illam corroboret, & adaugeat.* Et poſt pauca ſubdit: *Paralyticum excitavit ad actum magnæ fidei.* Rurſus *in 2. ad Cor. 3.* proprius ad rem noſtram ſic differit: *Talis eſt fiducia, quæ ſuggeritur Sanctis a Spiritu Sancto ad facienda miracula, quia Deus non tantùm in impetrante, ſed in ſuſcipiente miraculum, aliudve donum Dei quaſi congruam diſpoſitionem exigere, ac præmittere priuſquam donare, & inſpirare ſolet, ut anima per abundantiam hanc ſe dilatans, & erigens, miraculi, vel doni illius fiat capax.* Unde Caſſianus *collat. 9. cap. 92.* rectè dixerat: *Signum futuræ impetrationis eſſe, quando Spiritus Sanctus movet ad petendum magna fiducia, & quaſi ſecuritate impetrandi.* Quamobrem concludendum eſt cum Auditoribus Rotæ in relatione Canonizationis S. Caroli Borromæi *part. 3. tit. de mirac. in 11. mirac. §. ſecundo valdè, & 13. mirac. §. tertia tandem, & 14. mirac. §. quarta circumſtantia*, affirmantibus: *magna fides infirmi veriſimilius reddit miraculum.*

Subitæ ſanationis ulceris cancroſi. Et quidem gan- 32
grænam, quàm periculoſum eſſe malum cuivis facilè patet, inquit Sennert. *tom. 5. pract. lib. 5. part. 2. capit. 19. in prognoſt. num. 1.* rationem ibidem reddens, *niſi cùm citiſſime auxilium feratur in ſphaulum brevi degenerat, & patiens plane emoritur.* Et ſimilem ſanationem ulceris ſæpius miraculum exiſtimarunt Auditores Rotæ in relationibus Canonizationum Sanctæ Mariæ Magdalenæ de Pazzis 2. & 8. *mirac. in vita*, Sancti Ludovici Bertrandi *tit. de miracul. miracul. 11.* B. Andreæ Avellini *part. 3. eod. tit. mirac. 2.* S. Eliſabeth. Reginæ Portugaliæ *3. mirac. in vitt.* & Sancti Franciſci Xaverii *11. mirac. poſt obitum*, ſuper quo miraculo ſcripſit Angel. Victor. *conſult. 25.*

Subitæ ſanationis a fortiſſima apoplexia. Pondus mi- 33
raculis ſatis apparet ex ipſo apopletico morbo. Etenim Zacutus *tom. 2. prax. hiſtor. lib. 1. cap. 7. in princip.* ait: *Nullus eſt morbus gravius apoplexia, hoc illius nomen apertè ſignificat. Apoplexia enim vox græca eſt, quæ percuſſionem ſignificat. Quare apopletici vocantur, quaſi percuſſi, ſumpta ſimilitudine ab animalibus, quæ in Sacrificiis ante aras cædebantur, quæ percuſſa ſtatim in terram conſidebant.* Cauſam verò hujulmodi fuiſſe in patiente phlegmatum copiam, ut admonuit Sennert. *tom. 3. pract. lib. 1. par. 2. cap. 33. de apoplex.* ex eo liquere poterit, ſi medicus ad expurganda è ſtomacho eadem phlegmata, potionem præſcripſerit, & ex ſymptomatibus patebit fortem fuiſſe hanc apoplexiam, & ex Hippocrate *2. aphor. 42.* habetur: *Apoplexiam fortem ſolvere impoſſibile eſt, debilem, non facile*, & ſimilem morbum infantibus magis periculoſum exiſtimat idem Sennertus *lib. 4. tract. de infantibus morb. p. 2. cap. 10. in prognoſt. num. 1.* Et propterea apoplexiæ ſanationem miraculum cenſuerunt Auditores Rotæ in relatione Canonizationis Sanctæ Mariæ Magdalenæ de Pazzis *miracul. 7. in vita*, Beati Andreæ Avellini *mirac. 16. poſt mortem*, Beati Felicis Capucini *mirac. 3.* & Venerabilis Nicolai Factoris *mirac. 11. in vita.*

Subitæ liberationis a periculoſſimo puerperio. Nam 34
omnis partus difficilis, periculoſus, & cum mater, tum fœtus in eo periclitantur, ſolentque gravia mala vaſorum uteri, & aliarum partium in abdomine, ut & pulmonum ruptiones provenire, ait Sennert. *tom. 4. pract. lib. 4. par. 6. ſect. 6. cap. 4. de part. diffic. natural. qu. 4. in prognoſt. num. 1.* ubi ex Guil. Fabricio refert fœminam è partu difficili intra 24. horas mortuam fuiſſe, & River. *tom. 4. obſer. & curat. ſingul. obſer. 93. pag. 487.* ad liberandam a partu difficili mulierem per triduum laborantem, cujus vires admodum dejectæ erant, plura remedia adhibuiſſe, teſtatur. Et in geminorum puerperio, eos, & matrem facilè interire probat Zacch. *q. medicoleg. tom. 1. lib. 1. tit. 2. q. 7. n. 14.* & latiùs *lib. 7. tit. 3. q. 4. n. 11.*

Et ſimilem liberationem a lethali puerperio miraculum 35
reputarunt Auditotes Rotæ in relatione Canonizationis S. Caroli Borromæi *mirac. 14.* & B. Jacobi de Marchia *miracul. 7.*, & exprimitur pro Canonizatione Sancti Raymundi a Clemente VIII. *Conſtit. 77. §. 46. Bullar. tom. 3.* his verbis: *Altera item honeſtæ conditionis fœmina, Romæa appellata, Beati Raymundi opem experta eſt. Nam cùm maturo jam fœtu acerbiſſimis pariendi doloribus premeretur, &c. tribus integris diebus, ac noctibus graviſſimo cruciatu torqueretur, nihil propius factum eſt, quàm ex hac vita decederet. Nam ob languentis ſtomachi faſtidium, cibos omnes, hauſtuſque reſpuebat, atque a ſenſibus alienata,*

mata, vociſque uſu privata, jacebat exanimis, quo tàm præſenti uxoris ſuæ periculo Michael vehementer animo conſternatus, ad templum illico excurrit, Beati Raymundi opem, ſubſidiumque implorans, qui ſimul, ac domum rediit, Romea feliciſſimum partum edidit, atque omni dolore eſt liberata.

36 Subitæ ſanationis diuturnæ Iſchiadis, ſeu Rheumatiſmi. Relevantia hujus miraculi patet ex cauſa, & origine morbi, ut ſi ex menſtruorum defectu per integrum vitæ curſum, vel per longum tempus. Siquidem River. *in pr. med. lib. 15. cap. 6. de hyſteric. paſſion. in princ.* ait: *Dum ſemen, & ſanguis menſtruus præter naturam retinentur in mulieribus, putreſcunt, ac corrumpuntur, necnon malignam, & venenatam qualitatem acquirunt, unde vapores maligni elevantur & ad varias corporis partes deferunt propter nimium conſenſum, quem uterus habet cum omnibus propemodum partibus.* Et ex Democrito *in epiſt. ad Hippocratem* ſubdit: *Secentarum ærumnarum, atque calamitatum eſſe uterum*, & deindè fusè refert diros effectus paſſionis hyſtericæ, qui morbos incurabile gignunt.

37 Idque ſive morbus ſit iſchiadichus rheumaticus, cùm ſit ejuſdem generis, quia uterque provenit ex eodem humore per articulos deſcendente, periculo plenus eſt. Et ſanationes ſimilis morbi exiſtimarunt miraculoſas Auditores Rotæ in relatione Canonizationis Sancti Cajetani *tit. de miracul. mirac. 4.* Sancti Franciſci Borgiæ *part. 3. art. 2. mirac. 5.* Sanctæ Franciſcæ Romanæ *art. 6. mirac. 6. poſt obitum*, & Venerabili ſervi Dei Hieronymi Æmiliani *num. 48.*

38 Dubitandum non eſt, *tametſi*, &c. ſunt verba Auditorum Rotæ in relatione S. Hiacynti *§. Circumſtantiæ, quædam nebulæ difficultatum, ut illuſtriora miracula remaneant, tolerandæ videantur*. Siquidem nihil inter homines ſic eſt indubitatum, ut non poſſit ſuſcipere quandam ſollicitam dubitationem, inquit Imperator *in auth. de tabel. cap. 2. §. 3.* quod effectum uti perpetuò menti tenendum, haud ſemel repetit Gloſſ. *in cap. bonæ memoriæ v. recepit de elect. & in cap. cum dilectus v. judicanda de purg. can. & in can. Lotharius ſub initio 2. q. 1. & in can. pudenda v. notiſſimum 24. q. 1. & in Extravag. Sedes Apoſtolica* Joannis XXII. *v. poſſet*.

39 Cordium in malo pertinacium repentinæ, atque adeò prodigioſæ converſiones. Sive enim cum Sancto Thoma 2. 2. *q.* 178. *art.* 2. miraculi veritatem metiamur ex ſupernaturali hominum utilitate, ſive cum eodem *p.* 1. *q.* 105. *art.* 8. ex altiori ſupra naturam exceſſu, quid vel hominibus utilius, vel ultra naturæ metas altius ſpectari poteſt ea mutatione dexteræ Excelſi, qua obdurari peccatores ad ſolum aſpectum, vel contactum alicujus ſervi Dei, immò ad primum eminus conſpectum ictu ſubitaneo compuncti lachrymis permaduerunt, ejularunt ſingultiones, ejularunt vitæ præteritæ fœditates.

40 Primum miraculum in Cana Galileæ Sanctus Ambroſius *ſerm. 2. Epiphan.* magnum planè ſignum appellat. Nam hoc ſigno utique Reſurrectionis myſterium continetur. At nemo dubitat longè præclarius idem contineri myſterium in ſubita converſione peccatoris, qua videlicet non corpus è pulvere, ſed anima mortua è luto fæcis reſuſcitatur ad vitam. Unde & illi miraculo in Cana Galileæ hoc tanquam excellentius præfert ibi Ambroſius: *Si glorioſam eſt*, inquit, *aquam in vinum mutare, quanto eſt glorioſius peccata in juſtitiam commutare, & mores potius temperare, quàm pocula?* Subſcribit his Gregorius *homil. 29. in Evangelium*, hanc regulam ſtatuens: Miracula tantò majora ſunt, quantò ſpiritualia. Tantò majora ſunt, quantò per hæc non corpora, ſed animæ ſuſcitantur.

41 Obſervat Sanctus Hieronymus *in Matth. cap. 12. num. 38.* quod phariſæi dicentes Chriſto: *Magiſter volumus a te ſignum videre*, tacitè reſpexerint ad miraculum Samuelis *1. Reg. cap. 12. v. 16.* qui olim increpans univerſum populum fecerat è Cœlo æſtivo tempore contra naturam loci mugire tonitrua, coruſcare fulgura, imbres ruere. Huc enim ſpectat, eodem interprete, quod Marcus, & Lucas, ille *capit. 8. verſ. 11.* hic *cap. 11. v. 16.* non qualecumque ſignum, ſed ſignum de Cœlo petitum fuiſſe commemorant. Fortè invidis Judæis grandius apparebat portentum Samuelis præ illis, quæ a Chriſto exhiberi conſpexerant, ita viſum Hieronymo qui ſic ait: *Signa poſtulant, quaſi quæ viderant, ſigna non fuerint*. Paulò aliter viſum Chryſoſtomo *in d. c. 12. Matth. Ambulans*, inquit, *ſi mens tua aliquo cogitatu fuerit occupata, quamvis omnes videas tranſeuntes, tamen neminem videas. Sic & Judæi frequenter ſigna videntes, adhuc ſigna petebant. Quia hoc videbant, quod videre nolebant*. Nec tamen inficiari quiſquam poterit, revera grande fuiſſe portentum Samuelis. Hoc enim ipſemet Prophetæ fatebatur, ibi: *Nunc ſtate, & videte rem iſtam grandem, quam facturus eſt Dominus in conſpectu veſtro. Dabit voces, & pluvias*, &c.

Verùm audiamus in citatum *cap. 12. Reg.* Magnum 42
Gregorium definientem multo grandiora eſſe, quæ in cordibus hominum obſtinatorum operatur illud arcanum tonitru ſupernæ converſionis. Majus quippè miraculum eſt intimo ſonitu inſenſibilem montem concutere, quàm colliſis per ventum nubibus tonitruum inſonare, præſertim, cùm, teſte D. Ambroſio *lib. 1. Hexam. cap. 17.* ſurdiora ſint corda hominum, quàm dura ſaxorum. Atqui talia ſunt corda ſaxea, ſurda, inſenſibilia, quibus ad alicujus ſervi Dei conſpectum, aut tactum repentè immugit illud prævalidum converſionis tonitru, irradiat coruſcum fulgur terrifici luminis, exundant pluviæ lachrymoſæ contritionis.

Ejuſcemodi converſionis ſupra quævis alia miracula 43
præcellentiam in converſo Apoſtolo Paulo doctiſſimè ponderat Chryſoſtomus *in cap. 9. Act. v. 5.* audetque interrogare quid hoc mirabilius fieri poſſit? Comparat deindè miracula Chriſti, ante, & poſt Crucem edita, hæcque illis majora pronunciat eo, quod ante Crucem non aliter mortuos ad vitam revocaverit Salvator, quàm adhibito, vel contactu manus, vel ſaltem vocis imperio, poſt mortem verò ſufficere voluit ſolam tranſeuntis Petri inanem umbram, ut comprobaretur illud Jo: *cap. 14. v. 12. Majora horum faciet*. Nec tamen id ſufficit Chryſoſtomo, niſi ex huic majori umbrarum miraculo diſertè præferat Pauli converſionem: *Nam Pauli mentem pellexiſſe, atque expugnaſſe, majus ſignum fuit, quàm umbrarum opera mortuos ſuſcitaſſe*. Quod ſic aſſertum ſuum probat. Nam illic quidem ſequebatur natura, neque imperanti contradicebat, hic verò in poteſtate liberi arbitrii poſitum erat, ut perſuaderetur, vel non perſuaderetur. Unde magna virtus ejus, qui perſuaſit, oſtenditur. Multò quippè majus fuit voluntatem convertiſſe, quàm naturam correxiſſe.

Hoc aurei oris apodicticum argumentum planè pro- 44
ſequitur S. Thomas *par. 1. d. quæſt. 105. art. 4. & 1. diſt. 47. art. 4.* ut demonſtret ſolius infinitæ, ac divinæ virtutis eſſe in liberam noſtram voluntatem dominium exercere. Quod pridem apud Indos Calanum Gymnoſophiſtam agnoviſſe, ac Magno Alexandro prolixis literis objeciſſe recenſet, ac ponderat Ambroſius *in Pſalm. 118.*

Concludamus ex his cum citato Chryſoſtomo: *Majus* 45
igitur cæteris ſignum fuit Paulum, &c. Ut enim in toto naturæ ambitu juxta Divum Bernardum *lib. medit. c. 17.* nihil humano corde, ſeu libero arbitrio ſublimius, nihilque Deo propius, aut ſimilius, ita naturam altiſſimè tranſcendat, neceſſe eſt quicquid efficaci, ac ſubita mutatione rebellem ejus contumaciam flectit ad meliora. Hanc humanorum cordium admirabilem victoriam tanti facit ipſemet Deus cordis noſtri, ut videatur in ea quatuor altiora gratiæ ſuæ trophæa, atque vexilla tranſtuliſſe. Hinc Teſte eodem Chryſoſtomo loco citato *in Matth.* fecit de Piſcatore primum Eccleſiæ Paſtorem, de Perſequutore Magiſtrum Gentium, & Doctorem, de Publicano primum Evangeliſtam, de Latrone primum Cœlicolam.

Ut ergo ſuorum ſervorum mirabilem ſanctitatem Do- 46
minus commendaret, cæteris ejus miraculis hoc adjungit miraculorum genus altiſſimum, converſiones ſubitas rebellium voluntatum, quæ quidem inter prodigia loco ſupremo Apoſtolico examini ſunt proponenda. *Ingentia enim miracula*, teſte Cyrillo Alexandrino *in cap. 9.* Joannis, *ægrè fidem faciunt*.

Inſtantaneæ ſanationis brachii ſicci, aridi, ac paraly- 47
tici tactu corporis, vel invocatione ſervi Dei. Hęc infirmitas, tanquam proveniens ex fortiſſima apoplexia, utpotè ſenſuum omnium tàm externorum, quàm internorum ruina, & quę ſemper in paralyſim terminatur ſecundùm Zachiam *quæſt. medicoleg. lib. 9. conſ. 25. num. 7. & conſ. 29. num. 5. ac conſ. 30. num. 2.* naturaliter curari minimè poteſt.

Nec obſtat Tulpius *obſervat. medicoleg. lib. 3. cap. 49.* 48
ante finem, qui teſtatur, quod exarefacto brachio nautæ per ſolam impoſitionem cucurbiculæ corneæ tantùm caloris, & ſanguinis ad cutis extrema attractum fuiſſe, ut exuvium illud brachium tantum virium, ac roboris acquiſiverit, ut is ſtatim potuerit navigare. Unde liquet magna cum facilitate poſſe naturaliter contingere prædictorum ſanatio.

Nam hic Author loco citato non adverſatur, dum in 49
aſſerta nautæ virium acquiſitione in brachio præceſſit impoſitio illius cucurbiculæ corneæ, nec pariter aſſerit ſanum, & illæſum remanſiſſe, & in omnem caſum prædicti exempli nullam habendam rationem ſuadetur

primo, in jure non exemplis, ſed legibus eſſe judicandum *leg. nemo, Cod. de ſent. & interloc. omn. Judic.* ibique Bald. *num.* 3. ait, locum a veritate vincere locum ab authoritate, quia exempla non arctant regulam *leg. regula* 8. *§. fin. ff. de damn. infect.* Neguſant. jun. *reſp.* 215. *num.* 2. *&* 3.

50 Secundò, argumentum ab exemplo, & ſimili non procedere in caſibus a jure expreſſis. Quia caſus proviſus, & expreſſus facit ſilere, & ceſſare tacitum, Bald. *in leg. data opera num.* 11. *Cod. qui accuſ. non poſſ.* Quod præcipuè locum habet, quando authoritas, ſive exemplum vincitur per rationem manifeſtam, & neceſſariò inferentem, ut ait idem Bald. *in l. conventiculum numer.* 25. *Cod. de Epiſc. & Cleric.*

51 Etenim cùm infirmitas hæc in prædicto brachio, ſenſu, ac motu privato, præceſſerit ex apoplexia in paralyſim terminata, ex cujuſvis morbi terminatione tàm propter debilitatem partis, quàm caloris nativi impotentiam, & humoris ad reſolutionem repugnantiam, inſanabilis prorſus eſt, tantò magis quando partes ſenſu, ac motu animali carent, & influxu deſtitutæ, nec perfectè vivifico calore illuſtratæ, marceſcere neceſſe eſt, & in priſtinum reduci nequeunt, cùm non benè nutriantur, ut in hoc caſu, quo brachium jam ſiccum, & aridum devenerat.

52 Conſtito itaque de evidentia ſtatus præcedentis infirmitatis, humanis remediis inſanabilis, per teſtes conteſtata, & ſubſequuta illicò ſanatione ex imploratu opera ſervi Dei, vel tacto ejus corpore, aut reliquiis, meritò reponendum eſt in ſecundo gradu miraculorum. Aſſimilatur enim miraculo relato in lectionibus Feſti Inventionis Corporis Sancti Stephani Prothomaryris, in quibus hæc verba leguntur: *Memorati memoriam martyrii Lucillus Epiſcopus, populo præcedente, atque ſequente, portabat fiſtula, cujus moleſtia jamdiu laboraverat, ubi ſanctas attigiſſet reliquias, repente ſanata eſt.* Ac alteri relato per Divum Bernardum vita Sancti Malachiæ, quod in ejus tumulatione accidit, dicentem: *Interim parantur exequiæ, offertur pro eo Sacrificium, conſummantur ex more omnia cum ſumma devotione, ſtabat eminus, puer, cui emortuum pendebat a latere brachium, magis illi impedimento, quam uſui, quo comperto innuit, ut accederet, & apprehenſam aridam manum applicuit ad manum Epiſcopi, & vivificabit eum, nempè vivebat in mortuo gratia ſanitatum, & manus ejus fuit mortuæ manui, quod mortuo homini Eliſeus.*

CONSULTATIO CLXXVIII.

An probent miraculum alicujus ſervi Dei unus teſtis de viſu, alter de ſolo auditu a patre, ſive a matre ipſius ſanati? Vel ſaltem adminiculentur hiſtoria vitæ ſervi Dei a pluribus viris ſcripta?

1 AD primum reſpondeo, negativè ex notatis *in cap. licèt ex quadam de teſtibus*, atque ex regula ſtatuta per Farinacc. *eodem tract. quæſt.* 69. *cap.* 1. *numer.* 2. fruſtraque adminiculantur dicto eorum, qui hiſtoricè ſcripſerunt ipſius vitam, cùm neque, concurrente fama, teſtimonium de auditu alieno faciat probationem ad Textum *in cap. tàm literis in princip. de teſtib.* cum ibi notatis per Gloſſ. *verſ. auditu*, Oſtienſ. *numer.* 2. Bald. *numer.* 1. Abb. *num.* 5. & Aretin. *num.* 3. alioſque relatos a Farinac. *dict. quæſt.* 69. *cap.* 1. *num.* 2. teſtante de communi. Maximè quia nec ſufficiens probatio miraculi dicitur ea, quæ fundatur in dicto unius teſtis de viſu, & aliorum, ſicque plurium de auditu alieno, ſicut conſtanter aſſerit Caſtellin. *de dilatione parte tertia propoſit.* 3. Et meritò quidem. Quia ex communiori ſententia teſtimonium de hujuſmodi auditu non facit ſemiplenam probationem æquivalentem alteri teſti de viſu, veluti, rejecta contraria opinione Alberici, concluditur Pacian. *de probat. lib.* 1. *cap.* 6. *numer.* 46. *cum ſeqq.* & Farinac. *loc. cit. num.* 42. *&* 43. teſtantes de communiori.

2 Verùm quod Scriptores nullam fidem faciant, nego cum Contellorio *de Canonizat. Sanctor.* aſſerente, quod quando cum dicto unius teſtis concurrit publica vox, & fama, probata ſaltem per duos teſtes, tunc miraculum remaneat probatum, in cujus dicti confirmationem refert plures relationes Sacræ Rotæ, & authoritates *cap.* 17. *num.* 2. *cum ſeqq.* Multoque magis credendum erit Scriptoribus, qui nullo modo præſumuntur ita immemores ſalutis æternæ, ut poſteritatem mendaciis decipere voluerint.

CONSULTATIO CLXXIX.

An teſtes domeſtici legitimè probent miraculum ſanationum? Quinam dicantur domeſtici? Quid ſi loquerentur aſſertivè? Si infirmus ſe ſanum ſiſtat coram Judicibus Apoſtolicis?

R Eſpondeo affirmativè. Domeſtici autem non ſolùm dicuntur illi, qui ſunt de eadem familia; quique ſub familiæ appellatione continentur, ut in *l. pronunciatio, §. familiæ ff. de verbor. ſignific. & in l. ædiles, §. familiæ, ff. de ædil. ædict.* Verùm etiam ii, in quos jus habemus quibus notatur *in l. præſenti, §. ſane, Cod. de his, qui ad Eccleſ. confug.* Quod latiùs explicat Jo: Sicard. *in l. etiam* 2. *num.* 5. *Cod. de teſtib.* 1

Quare Baldus tenet, omnes illos, qui ut vulgò dici ſolet, vivunt in eadem domo ad unum panem, & ad unum vinum, domeſticos dici poſſe per Textum *in cap. in literis n.* 1. *de teſtibus* quem ſequuti ſunt Felin. *ibid. n.* 1. Salyc. *in dict. leg. etiam poſt princip. C. eodem*, & Maſchard. *de probat. concluſ.* 533. *num.* 7. *lib.* 1. 2

Ideò in probandis factis domeſticis, non ſolùm admittuntur, verùm etiam præferuntur aliis, tanquam integræ fidei, omnique exceptione majores, cùm ſemper magis informati præſumuntur, ut inquit Bald. *in leg. Lucius num.* 5. *ff. de his, qui notantur infames, & in l. data opera num.* 55. *Cod. qui accuſ. non poſſ.* Nellius *de teſtibus num.* 199*r* & Farinac. *eodem tract. quæſt.* 55. *inſpect.* 1. *num.* 50. Et ſignatè in probatione infirmitatis, ſicut poſt Bertachinum, quem allegat, tenet Diaz. *regul.* 742. *fallent.* 22. *ac ſeqq.* & Farinac. *num.* 48. Et propterea ratio ſcientiæ ſemper attendenda eſt, quia ſunt domeſtici. 3

Præſertim, ſi loquantur aſſertivè, dicendo aliquid factum, vel dictum, præſumitur fuiſſe præſentes, & plenam probationem conſtituunt, etiamſi non dicant, quia fuimus præſentes ſecundùm Bald. *in cap. tertio loco numer.* 6. ibique Felin. *numer.* ac Dec. *numer.* 39. *de probat.* Quam opinionem, tanquam veriſſimam, quando teſtis deponit de iis, quæ ſenſus viſu, vel auditus percipiuntur, etiamſi nullam redderet rationem ſcientiæ, tenet Farinac. *cod. tr. qu.* 70. *num.* 254. 4

Ac præſertim, ſi infirmus ſanum, ac illæſum coram Judicibus Apoſtolicis ſe exhibuerit, ut magis eluceſceret miraculum. Quæ Judicum oculis inſpectio ſatis, ſuperque foret pro concludenti probatione facti miraculoſi. Etenim ocularis inſpectio Judicius præterri debet cuicumque alio generi probationum, ſecundùm Bald. *in l. contra negantem num.* 10. *in fin. Cod. ad leg. Aquil.* cum ſimilibus relatis a Hieronymo Monte *in tr. fin. regund. c.* 30. *num.* 2. *& ſeqq.* 5

Tantoque magis, ſi hujuſmodi depoſitiones exceptæ fuerint coram prædictis Judicibus Apoſtolicis pro confectione proceſſus, a Congregatione Sacrorum Rituum delegatis, & a Notario, cauſæ Actuario ab iiſdem deputato, ſubſcriptæ, itaut de hujuſmodi inſpectione judiciali nulla dubitatio remaneat, ſi ipſemet Actuarius fidem faciat. 6

CONSULTATIO CLXXX.

An primum extremum miraculi, nempè infirmitas, probetur ex aſſertione Sacerdotis, infirmi, ac ſanati per inſtrumentum publicum rogata cum præſentia teſtium? Unicus teſtis, an & quatenus probet miraculum? Quatenus illud prbet notorietas facti?

N Egativè reſpondendum videtur, ſi nullus ex teſtibus deponat ex certa ſcientia per ſenſum proprium quia viderit, ſed ſolùm ex aſſertione dicti Sacerdotis, ſicque per ſenſum alienum, ideòque nihil probant, ſicut ex verbis *canon. teſtes* 3. *quæſt.* 9. *& cap. licet ea quadam de teſtib.* arguunt Joan. Andr. *numer.* 2. & Butr. *num.* 1. *in* 2. *notab.* aliiſque relatis a Farinac. *de teſtib. cap.* 69. *numer.* 3. Cùmque ratio licentiæ debeat eſſe manifeſtior dicto ipſius teſtis, ut Judex inde, veluti ex certo moveatur ad ei credendum, id minimè aſſequi poteſt, ſi illud fundetur in ſola aſſertione aliena, juxta animadverſionem Bartol. *tract. de teſtib. num.* 10. cujus poſt alios meminit Farinac. *loc. cit. num.* 3. 1

At nihilominus affirmativè reſpondendum cenſeo. Probatio namque per inſtrumentum publicum dicitur clara, evidens, & evidentiſſima, ad tradita per Gemin. *conſ.* 21. eamque facit manifeſtam, certam, liquidam, & indubitatam, ut aſſerunt Pariſ. *conſ.* 170. *numer.* 8. *lib.* 4. Natt. *conſ.* 523. *num.* 28. *lib.* 3. & Purpurat *conſ.* 2

conſ. 34. *in fin.* aliique paſſim, Abb. *in cap. cùm olim de cenſib. numer.* 10. amplians etiam reſpectu eorum, quæ ex inſtrumento indirectè probantur. Quia cùm productio inſtrumenti ſit de actis, acta verò faciant notorium, ſanè ex productione inſtrumenti inſurgit notorium. Quare inſtrumentum publicum facere probationem probatam, ſæpiſſimè firmavit Rota, præcipuè *deciſ.* 96. *num.* 1. & *deciſ.* 590. *num.* 1. *par.* 1. & *deciſ.* 2. *num.* 4. & *deciſ.* 430. *num.* 1. *par.* 4. *tom.* 2. & *dec.* 17. *num.* 1. & *deciſ.* 220. *num.* 1. & *deciſ.* 234. *num.* 1. & *deciſ.* 238. *n.* 9. & *deciſ.* 356. *n.* 2. *par.* 5. & *deciſ.* 122. *n.* 1. & *deciſ.* 327. *n.* 1. *par.* 6. *recent.* Ac ita, ut probatio per ſcripturas, inſtrumenta publica, ſeu documenta authentica in concurſu prævaleat probationibus per teſtes ad textum *in l. cenſus, ff. de probat.* Rota coram Seraph. *deciſ.* 33. *num.* 7. Cavaler. *deciſ.* 294. *num.* 1. & coram Coccino *deciſ.* 235. *num.* 17. & *in recent. deciſ.* 582. *n.* 1. *par.* 1. Quia cùm probatum per ſcripturas non indigeat alia probatione, ſtruſtra recurritur ad probationem per teſtes, cùm illa ſit magis tuta, ſincerior, & expeditior. Rot. *dec.* 34. *num.* 1. *par.* 1. & *deciſ.* 589. *num.* 2. *par.* 2. & *deciſ.* 46. *num.* 13. & *deciſ.* 235. *num.* 12. *par.* 5. *recent.*

3 Immò Sacerdoti referenti factum in perſona propria plenè creditur in materia difficilis probationis, ut eſt iſta facti miraculoſi, Simoneta *in relat. S. Franciſci de Paula*, Rota in relationibus Sancti Hiacynthi *in* 2. *mirac.* S. Raymundi *par.* 2. Sancti Caroli *mirac.* 18. Sanctæ Franciſcæ Romanæ *mirac.* 8. Sanctæ Thereſiæ *mirac.* 3. Sancti Ignatii *mirac.* 2. Sancti Franciſci Xaverii *mirac.* 9. Gregorii Papæ X. *mirac.* 3. §. *neque dubitavimus*, Beati Jacobi de Marchia *mirac.* 3. Beati Cajetani Thienæi *mirac.* 1. & 2. & B. Andreæ Avellini *mirac.* 4. pluribuſque comprobat Contilor *de Canoniz. Sanctorum cap.* 18. *num.* 18. *ac ſeqq.*

4 Idque potiſſimum, ſi agatur de depoſitione Sacerdotis recepta per Notarium publicum cum interventu teſtium, qui in verbo Sacerdotis, & cum juramento, ut moris eſt, haud dubiè narravit præcedentem ſtatum infirmitatis, & ſequentem iſtantaneæ ſanationis, cui propterea omnimoda fides adhibenda videtur. An autem, & quatenus credendum ſit unico teſti aſſerenti in ſua perſona patratum eſſe miraculum, quando aliter probari nequit, cùm de facto proprio deponat alibi diſſeruimus.

5 Quinimmò, quando cum dicto unius teſtis concurrunt indicia, & adminicula, præſertim notorietas, ac publicitas facti miraculoſi, ex quibus Judex poteſt animum ſuum informare, quod teſti ſit credendum, concurrente præcipuè communi reputatione, miraculum probari, teſtatur Contilor. *de Canoniz. Sanctor. cap.* 18. *num.* 17. Subdens, quod Leo III. fidem adhibuit unico teſti, dum S. Suvitbertum Canonizavit, & Innocentius III. in Canonizatione S. Homoboni fidem pariter adhibuit teſtimonio Orberti Presbyteri, qui fuerat patrinus dicti Sancti, atque Bonifacius IX. in probandis miraculis Sanctæ Brigidæ admiſit teſtimonium filiæ, ut refert Panvin. *in relat. S. Bonaventuræ par.* 2. *art.* 4. Simonet. *in relat. S. Franciſci de Paula in fine.*

6 Nam ſi in factis, ac materiis antiquis ratione difficilis probationis quælibet negativa probatur per publicam vocem, & famam ſicut poſt Martinum de Fano, Bartolum, Baldum, Alexandrum, Decium, & alios tradunt Herculan. *de negativa num.* 290. juncto *n.* 309. Pacian. *de probat. lib.* 1. *cap.* 49. *num.* 47. Sanè fortior, ac concludentior cenſenda eſt probatio per notorietatem facti, non indigentem probatione, Bartol. *in leg. Si verò §. qui pro rei qualitate num.* 1. *ff. de integr. reſtit.* & *in leg. emptorem num.* 4. *ff. de act. empt.* Bald. *in l. non idcirco n.* 3. *C. de contraben. empt. in leg. Cives n.* 1. *C. de appellat.* & *in leg.* 1. *num.* 7. *Cod. quand.* & *adverſus quoſ.* Nam, ut ait *in leg. eis, cui bonis n.* 2. *ff. de teſtam.* notorium æquiparatur ſententiæ quoad liquidationem facti, & *in l. ea quidem num.* 22. *C. de accuſ.* cùm impoſſibile ſit notorium non eſſe notorium, negatio illius nihil operatur. Nam, ut ſubdit *num.* 19. notorium eſt communis, ac indubia certitudo rei, de qua quæritur, indubiam ideò fidem faciens, ut negari, vel inficiari non poſſit, concludens id procedere non ſolùm in notorio actus de præterito, quando notorium ex manifeſtis quondam principiis, & tunc non negabilibus procedit.

7 Quod corroboratur ex Sacra Scriptura, *Act. cap.* 3. referente miraculum patratum ab Apoſtolo Petro in perſona claudi, exiſtentis ad portam Templi. Siquidem ex ſola notorietate, ac publicatione facti, convicti remanſerunt Judæi, qui miraculi veritatem denegare conabantur, & hoc argumento notorietatis uſus eſt contra eos, Petro Apoſtolo dicente: *Et in fide nominis ejus, hunc, quem vos vidiſtis,* & *noſtis confirmavit nomen ejus,* & *fides, quæ per eum eſt, dedit integram ſanitatem iſtam in conſpectu omnium veſtrum*, & intra *cap.* 4. *Videntes autem Petri conſtantiam*, & *Joannis, hominem quoque videntes ſtantem cum eis, qui curatus fuerat, nihil poterant contradicere*, & *conferebant ad invicem dicentes. Quid faciemus hominibus iſtis, quoniam quidem notum ſignum factum eſt per eos, omnibus habitantibus Hieruſalem manifeſtum eſt, non poſſumus negare.*

Signum ergo, ſeu miraculum quod patens, & notum 8
fuit omnibus habitantibus in loco, in quo patratum fuit miraculum, negari, vel inficiari non poteſt, cùm hujuſmodi notorietas indubiè fidem faciat, & concludentem miraculi veritatem præbet. Conſtito itaque tàm de primo extremo, quàm de aliis requiſitis, miraculoſa, & inſtantanea ſanatio recenſenda eſt.

Quare ex his non obſtat unicitas in hoc ſubſtantiali 9
adeout res ipſa maneat incerta, neque ideò ad finem, de quo agitur, atendenda juxta monitum Sixti Pontificis, de quo Gratian. *in §. His ita reſpondetur* 30. *quæſt.* 5. & Sancti Joannis a Capiſtrano *in ſpeculo conſcient. §. reſtat. num.* 185. *tractat. tom.* 2. *fol.* 348. *a tergo*, nempe: *Incerta nemo Pontificum judicare præſumat. Et quamvis vera ſint, non tamen credenda, niſi quæ veris inditiis comprobentur, quæ manifeſto judicio convincuntur, niſi quæ judiciario ordine publicantur.*

CONSULTATIO CLXXXI.

An, & quatenus ſanatio ab ariditate crurum aliorumve membrorum ex appoſitione terræ ſepulchri alicujus ſervi Dei ſupra, vel ultra naturæ vires cenſenda ſit?

NEgativè reſpondendum videtur. Quia hoc mirum 1
tribui poteſt nativæ indoli terræ prædictæ, quam medicamenti vires ſubire, ait Auguſtinus de Angelis *in lection. meteorolog. diſput.* 4. & de impreſſionibus terreis *lect.* 1. *num.* 19. Mirandas enim terræ proprietates variis in locis inveniri, notat Caſpar a Reyes Francus *in campo elyſio q.* 34. *num.* 15. & nos alibi.

At verò affirmandum puto ſi ſolo tactu terræ ſepul- 2
chralis ſtatim ſanatio omni ex parte perfecta probetur. Quare, etiamſi daretur, quod abſolutè negatur, quod nativæ indoli terræ prædictæ ineſſet virtus ſanandi infirmos, attamen hoc ſolo tactu, & in inſtanti fieri minimè poteſt.

Authores verò, quos in contrarium adduxi, & ad- 3
duci poſſunt, ſolùm loquuntur de terra apta ad diſſecandum cadavera, & ea præſervanda a putredine, de qua nos alibi. Quod ſanè latius probavimus, cùm de miraculo multiplicationis terræ ſepulchralis alibi egimus.

Cumque igitur aliquis ſervus Dei in illa terra ſepul- 4
tus fuerit, terraque ſolita diſtribui infirmis ſit illamet, quæ ab ejus ſepulchro extrahitur, & crura tangit infirmi, ſi in ea adeſſet aliqua vis naturæ indolis, proculdubio eſſet exſiccandi, & conſummandi citius. At cruribus jam exſiccatis, & aridis, non poteſt ſuſcitare partes illas jam emortuas unico illius tactu exteriori.

Eòque magis, ſi crura, aliaque membra multo tem- 5
pore permanſerint ſemper immobilia, & ſicca cum abolitione totali nutritionis, motus, ac ſenſus, quæ ſunt infallibilia ſigna demortui alicujus membri in vivente corpore. Hæc autem ſymptomata, quamvis disjunctim data, poſſunt ſuperari ab arte, vel ab ipſa Natura, ſimul tamen ex collectione ſumpta, nunquam poſſunt naturaliter admittere regreſſum ad gradum vitalem, quando jam ejus relatis privatio ſucceſſit, & partes infirmæ non moventur, niſi a movente extremo, quia ſunt expertes vita. Ea namque non habent vitam, quæ ab extra tantummodò moventur, ſecundùm Divum Thomam *in* 2. *de anima libr.* 1. *text.* 3. Nam in eis deficit principium intrinſecum motus, quod eſt ipſe calor nativus. Calor enim naturalis eſt principium, quod movet in homine ex Averroe 7. *phyſic. textu* 32.

Nam, præter influentem, innatus etiam calor in il- 6
lis partibus abſumitur, ac propterea non remanet amplius poſſibilitas naturalis renutriendæ partis, & ſic velut emortua, amplius reviviſcere non poteſt, ſignum quippe indicans, partem aliquam eſſe depauperatam calore innato, ac vita, ſi cum fruſtratione nutritionis conjuncta ſit motus impotentia ex Hippocrate, qui *lib.* 2. *prædict.* 2. 5. ait: *Quibus unà cum hoc, quod movere non poſſunt, morboſa corporis pars attenuatur, hi ſanitate reſtitui non poſſunt.* Quo modo prænunciandi ſolùm in deploratis utitur Hippocrates.

Et

7 Et quidem certum id eſt, ſi crura, aliave membra ſint arida. Nam illud, quod aridum eſt, perfectè etiam ſicum eſt, itaut ſit congelatum ob defectum propriæ humiditatis, Ariſtot. 2. *de generat. & corrupt.* 5. 1. *capit.* 2. *text.* 11. Quæ ariditas nunquam reperta fuit in arte, vel ope naturæ ſanatis. Quod comprobatur exemplo virentis arboris, cui ſi exſiccetur aliquis ramus uſque ad ariditatem, nunquam amplius reviviſcere poteſt. Et ſimilitudo procedit, quia alterius poteſtatis actus, & functio eſt quid commune animalibus, ac ſtirpibus, ut per Alexand. *Alphrod. in* 1. *de anim. capit.* 21. Quare præter ariditatem partis naturaliter excluditur renutriri, ac reviviſcere. Quia viventis forma in ſubjecto realiter, & ſubſtantialiter mutato, atque deſtructo inhabili ad naturalem vitam.

8 Ex quibus hujuſmodi miraculum reponendum eſt in ſecundo ordine. Tamdiù enim vivimus, quamdiù nutrimur, & hoc poſſe evenire in partibus tantùm abſque eo, quod eveniat in toto, clarè patet. Quia partes corporis propter partes animæ ſunt ſecundùm D. Thom. 3. *de anim. lib.* 14. *text.* 46.

CONSULTATIO CLXXXII.

An Teſtes deſumpti ex proceſſu, authoritate Ordinarii confecto, in cauſis Canonizationis Sanctorum, attendendi ſint?

1 NOn videntur attendendi, quia in cauſis Canonizationum ſolùm inſerviunt loco denunciationis facti, quæ Summo Pontifici fieri debet, antequam cauſa committatur, non autem vim probationis obtinet, reſervatæ ſoli Romano Pontifici, ex notatis per Oſtienſ. ac cæteros Canoniſtas *in cap.* 1. *de Reliq. & venerat. Sanctor.*

2 At verò attendendos eſſe, autumo. Nam licèt Epiſcopi nequenat aliquem Sanctorum Ordini adſcribere, cùm ille actus ſit reſervatus ſoli Summo Pontifici, poſſunt tamen informationes capere de ſanctitate vitæ, moribus, & miraculis ejus, qui petitur beatificari, vel canonizari, quod quæ eorum proceſſibus fides adhibita fuerit, & faciant pleniſſimam probationem, patet ex pluribus relationibus Sacræ Rotæ, relatis a Contelorio *de Canonizat. Sanctorum cap.* 4. *num.* 20. & 21. *in fin.* addito in ſpecie in relationibus Sanctorum Hiacynthi, & Raymundi fidem adhibitam fuiſſe proceſſibus, factis per Vicarios eorumdem, quod repetit Lezana *conſult.* 1. *numer.* 212. *in fine*. Quin etiam Contilor. *dict. cap.* 4. *num.* 23. aſſerit, idem cenſuiſſe Congregationem Sacrorum Rituum die 7. Auguſti 1596. & probaſſe Clementem Octavum, ac propterea in cauſa Canonizationis Sancti Didaci peractæ a Sixto Quinto, habitum fuiſſe pro valido antiquum proceſſum Compluti factum authoritate Archiepiſcopi Toletani ante annos 170. circiter.

3 Et meritò quidem, dum hjuſmodi teſtes, morte præventi, non poſſunt repeti coram Judicibus Apoſtolicis. Quo caſu etiam de jure, non ſolùm faciunt per ſe ſemiplenam probationem, juxta theoricam Bartoli *in leg. admonendi numer.* 45. *ff. de jurejurand.* quam probant Jaſon ibi *numer.* 98. *cum ſeqq. & in leg.* 2. *num.* 24. *Cod. de eden.* Alexand. *in leg. ſæpè numer.* 71. *poſt. med.* ubi Bartol. *ff. de re judic. & conſil.* 156. *numer.* 7. *volum.* 2. Imol. *in cap. fin. num.* 7. *de jurejurand.* Felin. *in capit. cauſam, quæ numer.* 19. *de teſtibus, & in capit. quamvis numer.* 1. *de ſentent. & re judic.* cum utrobique notatis per addentem, concludendo non eſſe ab hac opinione diſcedendum in conſulendo, & judicando, Marſil. *ſingul.* 279. *num.* 8. *ſingul.* 435. *num.* 1. Dec. *conſil.* 42. *num.* 14. & *conſil.* 109. *num.* 2. atque Aymon. *conſ.* 585. *num.* 7.

4 Immò pleniſſimam, quando depoſitio prædictorum teſtium judicialiter excepta fuit cum legitimo contradictore, quo teſtes fuerunt examinati cum interrogatoriis Promotoris Fiſcalis Menſæ Epiſcopalis, ipſoque in omnibus actibus citato; Quare benè probant æque, ac ſententia lata in cauſa ſtatus, ad Textum *in leg. ingenuum*, ubi notant omnes *ff. de ſtat. hominib. & in leg.* 1. *§. penult. in fine ff. de liber. exhib.* Gloſs. *ultim. in capit. quamvis*, ibique Felin. *ſub. numer.* 9. *de ſentent. & re judic.* Alexandr. *in dict. leg. ſæpè cum ſimilibus.* Etenim a pari procedunt ſententia, acta, & probationes, Butr. *in dict. cauſam quæ num.* 4. *de teſtibus*, Alexand. *loc. cit. num.* 125. Gratian. *diſcept.* 869. *num.* 16. Achill. *deciſ.* 5. *in fin. de judic.* Gregor. XV. *deciſ.* 535. *num.* 9. Rota *deciſ.* 271. *num.* 2. *par.* 1. *recent.* & coram Bichio in Britonorienſi fideicommiſſi 24. Martii 1642. *§. deletaque cauſa.*

Sublatis igitur omnibus contrariis, firma remanet probatio infirmitatis arte humana, & natura inſanabilis, atque adeò ejus ſanitas in ſecundo gradu miraculorum ponenda. 5

CONSULTATIO CLXXXIII.

An liberatio a periculoſo partu, edito fœtu mortuo in utero, poſt imploratam opem alicujus ſervi Dei, vel applicatam ejus imaginem, aut reliquiam adſcribenda ſit miraculo?

NOn videtur. Nam facilis eſt curatio in hoc caſu, quam deſcribit Zacutus Luſitanus *in prax. hiſtor. lib.* 3. *cap.* 17. *de fœtu mortuo, verſ. Curatio pag.* 509. *colum.* 1. Necnon etiam refert Joann. Skenkius *obſervat. medic. lib.* 4. *de partu obſerv.* 12. *pag.* 567. pluraque exempla matrum, quæ ſuperſtites fœtum mortuum diu in utero geſtarunt, recenſet idem Skenkius *loc. cit. de fœtibus in utero putrefactis obſerv.* 4. & 5. 1

At ego affirmandum puto. Quo in caſu plurimi facienda eſt depoſitio obſtetricis ob ſuam peritiam, ac experientiam, pro miraculo hujuſmodi partum habentis. Ab experientia enim validum eſſe argumentum, tradunt Riminald. Sen. *conſil.* 657. *num.* 8. *vol.* 6. & Surd. *conſ.* 132. *num.* 23. Cùm experientia ſit omnium rerum mater, & magiſtra, faciatque artem, cognitioque veritatis ex ea ſequatur, Bald. *conſ.* 136. *num.* 2. *lib.* 2. & Barboſ. *axiom. jur.* 88. *per totum*. 2

Nec dicatur, facilem eſſe hujuſmodi curationem. Nam dato, quod affertur de retentione fœtus mortui a prædictis medicis, verum ſit, ſi diligenter ponderentur etiam ſcripta, apparebit fœtus hujuſmodi extruſos fuiſſe, vel præcedentibus triplicatis balneis, variis herbarum generibus compoſitis, paulatim in fruſtula, vel excitato abſceſſu fuiſſe excreto, vel ferro unco extractos, quemadmodum præcipit Hippocrat. *lib. de exect. fœt.* Paulus *lib.* 6. *cap.* 74. Celſus *lib.* 4. *cap.* 29. Ædius *Tetrabil.* 4. *ſerm.* 4. *c.* 23. Avicenna 21. 3. *tract.* 1. *c.* 4. Raſis 22. *Contin. tr.* 7. *cap.* 5. 3

Ex quibus apparet ex oppoſito facilitas hujuſmodi partus, in quo nullo ex prædictis modis fuerit enixa mulier, ſed ſtatim, ac invocaverit ſervum Dei, in inſtanti emiſit mortuum fœtum, quod non erat naturaliter expectandum. Nam ſi in naturali partu tot ſcopuli obſtant, emergunt ærumnæ, dolores, anguſtiæ, quanto magis in violento, & morboſo ingruere debent immania, anxietas ingens, acerbi cruciatus, deliria, aliave funeſta accidentia, quæ mortem horrore plenam minantur? 4

Propterea ſolent, debentque auxilia celeritate, ac ſumma efficacia præſcribi. Nam ſi pro naturali partu requiruntur matris, & infantis robuſtæ vires, ut ait Gallenus *lib.* 5. *aphor.* 55. Quid erit expectandum ubi non ſunt auxilia congrua adminiſtrata, ubi mater vi corporis, animique dejicitur, & fœtus extinctus, immò putrefactus? 5

Quare ſupernaturali tantùm virtute fœtum hujuſmodi emergere dicendum eſt, implorata ope ſervi Dei, vel applicata ejus imagine, aut reliquia ſuper ventre, matre læta, & valida remanente, maxima cum admiratione adſtantium, præcipuè obſtetricis. Ideòque miraculo adſcribendum. 6

CONSULTATIO CLXXXIV.

An liberatio a morbo nephritico cum ſuppreſſione urinæ per triduum, emiſſo, poſt invocatum auxilium alicujus ſervi Dei, calculo inſtar olivæ, adſcribenda ſit miraculo? Ubi quid ſi teſtis non reddat rationem per ſenſum corporis, & auditum?

VIdetur non mereri miraculi nomen. Nam Tulpius *obſervat. medic. lib.* 3. *cap.* 7. refert mulierem agentem annum octuageſimum nonum, ubi per triennium integrum animosè tuliſſet in veſica urinaria calculum ponderantem tres uncias cum duobus dragmis, illum feliciſſimè enixam fuiſſe, ac quotidie in publicum prodiiſſe, frequentaſſeque Sacras conciones, ac ſi nihil vitii eſſet perpeſſa. Pluresque etiam hiſtorias emiſſorum calculorum ingentium refert Skenkius *obſervat. medico-leg. lib.* 3. *titul. Curatio nephriticorum obſervat.* 6. 1

At verò id quoque miraculo adſcribendum eſſe cenſeo. Nec exempla relata officiunt, cùm prædicti Medici intelligendi ſint loqui de iis ſolùm, qui ante emiſſionem prægrandis calculi, ut plurimum lapillos, vel ſolos, vel multos ſimul conglobatos pluries antea excuſſerunt, unde ab his dilatati ureteres aptiores fiunt, per 2

quos tutò tranſire poſſit magnus calculus, ſi quis tandem in renibus producatur.

3 Secus autem dicendum eſt de eo, qui nullibi conſtat unquam ante calculo laboraſſe, ſed prima vice maximum calculum cum ingentibus, ac diuturnis cruciatibus explodiſſe, miraculosè a mortis periculo evaſiſſe fatendum eſt. Quando enim in anguſto uretere præ ſcabbritie, ſeu magnitudine calculus impactus remanens tranſmeare nequit, urinam ſupprimit, ac mortem infert, ut teſtantur Trincavellius 10. *de morbis cap.* 9. Parcus 24. *chirurg. cap.* 19. Foreſtus *lib.* 24. *obſervat. medic.* 29. Accedentibus præſertim in limine inſtantaneæ ſanationis vehementi rigore, maximo languore ob lancinantes dolores, & ſyncope cum dolore, cruciatu, vigiliis per longum tempus, adeòut imbecillimus, incurabilis potius recenſendus eſſet.

4 Immò hujus miraculi magnitudo augetur ex ſuppreſſione urinæ cum vehementi rigore. Id enim ſignum lethale eſſe, aſſerit Hippocrates *lib.* 1. *de prædict. & in coactis prænot.* ubi ait ſuppreſſæ cum rigore urinæ malæ, tum aliàs, tum ſi antea ſopor apprehenderit. Nam fere ſemper huic malo ſuppreſſionis urinæ comitatur ſomnus gravis, qui mortis imminentis eſt ſignum ex Ludovico Mercato *lib.* 4. *de intern. morb. curat. cap.* 12. cùm ſit argumentum putrefactionis evaporantis ad caput, quæ rigori conjuncta lethalis eſt ex Hippocrate ſuperius allegato.

5 Etenim ſuppreſſionis tempus trium dierum non poteſt, qui mortem afferat, ad ſummum quarta die, prognoſticante Roderico Fonſeca *lib. de calculo cap.* 21. qui ita inquit: *Manifeſtum eſt, ſi duo inſignia ſymptomata huic malo copulentur, magnus ſcilicet dolor, & urinæ retentio, nec lapis ullo remedio promoveatur, perſeverantibus ſymptomatibus, mors quartum diem non tranſcendet.* Ideò ſi ſanatio quarta, vel quinta die contigerit, miraculum eſſe dicendum eſt.

6 Quod verò ad teſtes, ſi deponant per verba præſentiam importantia, quamvis ea non fuerit explicite narrata, utique ex neceſſitate dicendum eſt, quod fuerint præſentes omnibus iis, de quibus deponunt juxta doctrinam Baldi *in capit. tertio loco de teſtibus*, ubi in difficilioribus terminis ſic ait: *Mirabile eſt, quia non depoſuerunt per ſenſum corporis, nec de ipſorum præſentia. Sed reſpondeo, quod tacitè hoc videntur dixiſſe. Nam cùm ipſi eſſent de Conventu, & dicant, quod totus Conventus, &c. & quod vox fuit unanimis, &c. includunt de neceſſitate reipſa fuiſſe præſentes, &c.* Additque *num.* 60. uti notabile, ac menti tenendum, quod ubi teſtis non interrogatur de præſentia, & loquitur aſſertivè, præſumitur fuiſſe præſens. Id ipſum docet Felin. *ibidem num.* 4. egregiè comprobans, quod etſi teſtes non reddant rationem per ſenſum corporis, & auditum, tamen benigna interpretatione inſpecta, ſatis videntur hoc aſſerere, ac Dec. *num.* 39. & *ſeqq.* hoc latè comprobat, advertens *n.* 41. & 42. dicta teſtium benignè interpretanda, & juvanda eſſe, non cavillanda, & quod ratio teſtis adaptari debet ad id, quod dicit, ſe ſcire. Idemque tradit Frinac. *de teſtib. q.* 70. *n.* 154.

7 Quod ſi admittitur etiam, ubi teſtis nihil dixit de proprio viſu, fortius admittendum eſt, ſi faciat mentionem de viſu; Idque comprobatur ex alia receptiſſima concluſione, quod ubi teſtis deponit de re ſenſu corporis perceptibili, probatio eſt perfecta, etiam abſque redditione cauſæ ſcientiæ, dum teſtis de ea non fuerit interrogatus, Barboſ. *in leg. ſolum num.* 3. *de teſtibus*, Gomez. *var. tom.* 3. *cap.* 12. *num.* 10. Vivius *opin.* 898. *n.* 1. ubi de communi, Farinac. *dict. quæſt.* 70. *num.* 93. Contilor. *de Canoniz. cap.* 25. *n.* 72. ac Rota *deciſ.* 286. *n.* 9. coram Merlino.

8 Accedente maxima veriſimilitudine, ſi nempè teſtes ſint domeſtici, ac famuli, pluries viderint infirmum tali morbo laborantem. Similitudo enim plurimum confert ad probationem, *leg. ob carmen, §. fin. ff. de teſtibus*, Roland. *conſ.* 49. *n.* 41. & *ſeqq.* Corn. *conſ.* 23. *n.* 6. *vol.* 4. Cravett. *conſ.* 95. *n.* 10. Maſcard. *concluſ.* 1370. *n.* 8. *de probat.* Rot. *dec.* 18. *n.* 16. *p.* 4. *recent. tom.* 2. & *dec.* 263. *n.* 6. *par.* 7. ac Surd. *dec.* 235. *n.* 5.

9 Eoque præſertim ſi coadiuvetur probatio ex inſpectione oculari facta per Judices remiſſoriales infirmi, in cujus corpore veſtigia, & ſigna, exempli cauſa, lepræ a qua mundatus fuerat, remanebant, ex ſcriptoribus hoc factum referentibus, & ſimilibus. Quamvis enim hæc conſiderari non poſſent, niſi tanquam adminicula, plurimum tamen ea conferunt ad perficiendam, & magis concludentem reddendam probationem, Abb. *in c. præterea n.* 7. *de teſtibus*, Butr. *in c. cum cauſa n.* 12. *de probat.* Bald. *conſil.* 400. *num.* 9. *vol.* 5. Maſcard. *de probat. concluſ.* 55. *num.* 5. & *ſeqq.* & firmavit Rota *deciſ.* 205. *num.* 29. *ac deciſ.* 417. *num.* 4. *tom.* 2. & *dec.* 192. *num.* 23. *par.* 5. *ac deciſ.* 169 *num.* 13. *par.* 6.

CONSULTATIO CLXXXV.

An mundatio a lepra, applicatis ei reliquijs, aliiſve rebus, quæ eas tetigerint, ſit miraculo abſcribenda?

HAc de re tertio edico, id eſſe miraculum magnum, ac ſecundi generis, data probatione facti omninò concludenti, ac perfecta, cùm verè incurabilis ſit lepra, præſertim dum eſt confirmata, ut ferè omnes Medici fatentur, & præ aliis ex antiquis Ætius *Tetrab.* 4. *ſer.* 1. *cap.* 120. *de Elephantiaſi* loquens, *eſt autem gravis morbus, & ex eorum numero, qui incurabiles exiſtunt*, & Paulus Ægineta *lib.* 1. *c.* 1. ejuſdem Ætij authoritatem ſequutus, inquit: *Rectè mea ſententia Cappadox Ætius memoriæ prodidit auxiliorum vim morbis fortiorem eſſe oportere, ideòque elephantiam nulla curari, ut qua nulla potentior medicina reperiatur.* Et Raſes *lib.* 9. ad Almenſorem Regem *c.* 13. aſſerit: *Hæc paſſio poſtquam manſiva fuerit, incurabilis eſt.* 1

Manſivam autem fuiſſe elephantiaſim, ſeu lepram, qua quis affligitur, clarè dignoſcitur, ſi Teſtes deponant plura fuiſſe applicata remediorum præſidia abſque ullo fructu. Et ex recentioribus Jacobus Vvecherius ſuæ ſyntaxis *lib.* 1. *par.* 2. in qua habet, quod *elephantiaſis inveterata nunquam curatur*, & inveteratæ nomine eam intelligit, quæ per plures menſes duravit, ut ibi videre eſt, & Felix Platerus *lib. de vitiis cap.* 4. oſtendens difficultatem maximam præſervationis a lepra, ſic aſſerit: *Multò minus ſi confirmata ſit, curari poterit*; ac ſubdit, *nec dum qui eam curarent hactenus inventi fuerunt.* Unde patet tutam non eſſe opinionem Caſparis Reys *in ſuo Campo elyſio quæſt.* 60. *num.* 4. quod facilè poſſit remediis naturalibus ſanari, ideòque miraculi eſſentiam funditus deſtruit. 2

Præſertim verò, ſi teſtes aſſerant fuiſſe deperditam, omnem ſpem, eo quia facta experientia, nulla medicamenta juvaverant, quemadmodum fuerat in hac ſpecie ponderatum in relatione Sancti Franciſci Xaverii ad probandam incurabilitatem ſimilis morbi *miraculo* 9. *poſt mortem*, §. *Eoque magis.* 3

Tantò magis, ſi fuerit infans, qui utero matris leproſum elephantiaſi poteſt evadere, dum concipitur menſtruationis tempore, ut tradit Ludovic. Mercat. *de mulier. affect. lib.* 3. *cap.* 7. Roderic. Caſtrenſ. *lib.* 3. *de nat. mulier. c.* 4. Bernard. Gord. *in lilio medic. par.* 1. *c.* 22. Hieronym. Mercurial. *lib.* 4. *de morb. mulier. cap.* 1. Ac etiam hæreditario jure a leproſis parentibus, vel ab altero eorum dumtaxat contrahi valeat, juxta ſententiam *Aver.* 3. *Collig. cap.* 7. 4

Sique lepra ſuſceperit jam magnum incrementum, ita ut humor cholericus in toto corpore ſparſus jam putrefieret, ut ulcera ſubſepuuta indicabunt. Nam Avicenna *lib.* 4. *fen.* 3. *tract.* 3. *cap.* 1. *in princip. & in fine*, aſſerit eſſe difficilis curationis, ea ratione motus, quia ſi cancer, inquit, qui eſt lepra membri unius, eſt de illis, quibus non eſt ſanatio, quod dicemus de lepra, quæ eſt cancer totius corporis? 5

Ideò cùm a morbo inſanabili contigerit curatio in inſtanti, hoc miraculum eſſe inſtar illius, quod narrat *Matth. c.* 8. *Marc. c.* 1. & *Luc. cap.* 5. pro certo ſtatuendum eſt. Cùmque a morbo inſanabili contigerit perfecta undique, ac inſtantanea curatio, verum miraculum conſtituendum eſt ad inſtar undecim leproſorum in novo Teſtamento, a ſervatore noſtro ſanatorum, quorum curatio omni ex parte fuit ſupernaturalis, ſicuti refert Paulus Zacchias *q. medicoleg. lib.* 4. *tit.* 1. *q.* 8. *n.* 59. 6

Et magnitudo hujus miraculi augeretur, ſi patratum fuerit ſola applicatione terræ ſepulchralis ſervi Dei, foliorum florum ex ejus ſepulchro, ac ſimilibus. Hoc enim miratus eſt Sanctus Gregorius Nazianzenus, loquens de miraculis patratis ad martyrum ſepulchra *ſerm. de ſummiſ. anim. caſt. temp.* ita inquiens: *Magna ſunt hæc, ſed quod ad Reliquias ſpectat, majora his addimus, quod non tantùm tenuis pulvis ex oſſibus Martyrum, capillus, vel pannus vilis talia præſtent, ſed etſi ſuper illorum ſepulchra flores, vel alia hujuſmodi admoveantur, tantùm ex his, quæ intus ſunt Sacris Reliquiis virtutem hauriunt, ut ad animarum, corporumque ſalutem conſequendam, ac inſuper ad mortuos ſuſcitandos, poteſtatem accipiant.* 7

Meritò igitur cum Theologis hujuſmodi mundatio præcum perfecta ſanatione tot ulcerum reponenda eſt in ſecundo ordine miraculorum, utpotè omninò excedens facultatem totius naturæ creatæ, quantum ad id, in quo fit. 8

Dato

9 Dato autem, quod lepra hodie non dicatur morbus contagiosus, & incurabilis, possitque curari, adhuc miraculum ratione instantaneæ illius curationis erit renunciandum. Natura enim non potest in instanti operari tàm mirabilem curationem, neque in illo temporis momento arte humana, etiam validissimis artis mediis curari potest, sed longo temporis intervallo, etiam ratione ulcerum. Quia non possunt illicò, ac repentè sola florum, aliorumve rerum applicatione ad sanitatem perduci, sicque necessariò miraculum concurrere fatendum quidem est. Quia ulcera nunquam curantur, nisi prius abstergantur, & a sordibus purificentur, exiccetur, & ad cicatricem perducantur, ut ex Hipocrate *lib. de ulceribus*. Quæ omnia licet a Natura, & ab arte fieri possint, debito tamen tempore fieri debent. Ideòque ratione modi, quo hujusmodi curatio succedit, semper pro miraculo habenda est, saltem in tertio miraculorum ordine reponenda.

CONSULTATIO CLXXXVI.

An pulsationes, sonitus, crepitus, strepitus, rumores, tinnitus, concussiones, & id genus alia, quæ audiuntur intus arcas, sive sepulchra, in quibus quiescunt corpora quorumdam servorum Dei, sint adscribenda miraculo?

1 NEgativè respondendum videtur. Nam prætermissa suspicione Alberti Magni *lib. 2. miracul.* admonentis, hæc multoties esse deceptiones hominum, & Sacerdotum ad pecuniam, sive honorem aucupandum, quod Pomponatius *de imaginat. cap. 10. pag. 146. versic. Verùm.* testatur nostris temporibus aliquando contigisse, exemplumque addit Polidor. Virgil. *de prodig. pag. 247.* sub finem, dicitur, hanc prodigiosam pulsationem, quatenus supponitur indicare prosperos, aut sinistros eventus in salutem, sive perniciem Reipublicæ, in sententia Aristotelis, naturaliter fieri ab intelligentiis mediantibus corporibus cœlestibus, ut latè probat Pomponatius *loco citato*. Et quatenus diceretur, id auditum ab omnibus pro responso ad eorum preces, id facilè potest tribui vehementi imaginationi, qua credunt exaudire ictus optatæ pulsationis, strepitus, sonitus, &c. Nam per phantasiam multa nos agere, & pati contingit, teste Aristotele *lib. 3. de anima cap. 3.* inferente ex hoc, quod imaginationes immanentes, sensibus similes sunt. Quare etiam *lib. de motu animal. cap. 6.* fatetur phantasiam alterare sensus & meditationes, & Thomas Fienus *de virib. imaginat. quæst. 4. sub versic. Probatur secundò* ex eodem *lib. 3. de anima cap. 5.* arguit, phantasiam posse operari secundùm naturam talis sensibilis, qualis fit imaginando. Leges aliquando, annuente Deo, quæ nos mira scribimus de hujusmodi prodigiis, deceptionibus, viribus imaginationis in nostro opere de Sacrosancto fidei Tribunali.

2 Nec dissimilia narrantur de sepulchro Pionis filii Heraclis apud Urbem Pioniam, unde fumus sponte exilit, dum cives illi parentant, quod vidisse testatur Pausanias *in Bæotica lib. 9. pag. 357. sub versic. est ibi modica*, in tumulo penes Insulam Lipari, in quo cymbala cum crotolorum boatu exaudire ex Aristotele refert Nicolaus Leonicus *de vana histor. lib. 1. c. 89.* In sepulchro Ajacis penes littus sigæum, quo vox trunculenta emissa fugere coegit pastores Phrygios, qui illius memoriam maledictis lacesserant, teste Philostrato in primo dialogo Heroicorum.

3 Et Cicero *lib. 1. de divinat.* asserit, quod paulò ante Leuctricam calamitatem passam a Lacedemoniis, arma sonuerant in Herculis Fano. Plutarchus in vita Timoleonis refert, quod Adrianitæ apertis portis evocarant Timoleonem, quia visum fuit, ostiis Templi patefactis, Deum pili cuspidem concussisse, & Julius Obsequens *de prodig. c. 31.* enarrat, statuam Martis tàm Lavinii, quàm Faleriæ excussisse hastam, quam manu tenebat sub Consulatu Gnei Servilii, & undecimo Consulatu Quinti Flaminii *c. 34.* idem contigisse Prænestæ Consulibus Q. Fabio Maximo, ac tertio M. Claudii Marcelli, *c. 35.* arma magnum sonitum edidisse in Templo Jovis Vicillini Comitatus Cassani sub Consulatu Q. Fabii Maximi, & undecimo Sempronii Gracchi, *c. 43.* magnum strepitum cum horrendo rumore accidisse in Templo Junonis Lanuvii, Consulibus Cornelio Cethego, & P. Sempronio Tuditano, *c. 60.* hastas Martis ibidem contremuisse sub Consulatu L. Æmilii, Pauli, & Gnei Bebii Pamphilii, *c. 104. & 110.* Bis hastas Martis per se motas, & concussas fuisse, semel Consulibus Mario, & Q. Lactantio, iterùm Consulibus P. Crasso, & Q. Scevola, & *c. 113.* Fesulis ingratum strepitum auditum fuisse sub telluri, Consulibus C. Claudio, & M. Perpenna. Oracula quoque Dodonæa Jovis Hammonis per tinnitus elebetibus æneis ad numerum, sive casu, sive consultò, edi consuevisse memorant Alexander ab Alex. *genial. dier. lib. 6. c. 2. vers. Quotiescumque oraculum edebatur*, ibique Tiraquellus *in adnot. versic. lebetes æneos.*

Ex his enim liquet hujusmodi pulsationes, sonitus, strepitus, rumores, &c. non posse miraculo adscribi, 4
dum constat, non dissimiles olim auditos, tinnitosque etiam ad numerum editos minimè habitos fuisse pro miraculis, sed priores pro accidentibus prodigiosis dumtaxat, noviissimos autem ad casum, vel studiosum artificium, quale mathematicis instrumentis quotidie fieri videmus

Et quidem in Belgio habent Urbes præcipuè in Turri Templorum cymbala ænea complura, quæ ita ordine modulato temperantur, ut priusquam horologium grandiori sono horas narret, misceant dulcem strepitum, & musicum hymnum æneis labris emodulentur. Inclinare autem solent, dum rota versatur, cujus pars convexa, cùm sit claviculis artificiosè asperata, dispositio ritè funiculos ferreos, vertigine sua mordet, ac deprimit, funiculi verò dum inclinantur, sustollunt alligatos malleolos, atque hi, postquam remiserit impetus, supra ipsas nolulas, cadunt, statimque æra personant numerosè. Sed & licèt iis nolulis canere, motis taxillis libera manu, & micantibus digitis. Quemadmodum in musico organo fieri consuevit. Quæ harmonia tàm læta, & tàm genialis potest audiri jam Romæ in ædibus Barberinis. Nam ad horas quascumque, aut quoties phanasco, seu cytharedo libuerit, modulabitur. Hinc egregium Epigramma 62. Josephi Silos *centur. 3.* de horologio organum singulis horis personante apud Antonium Cardinalem Barberinum. 5

Tegmate, quæ celso vocalis machina surgit
Quam belle harmonico dividit ære diem.
Namque ubi labentes horas notat aurea cuspis.
Organa dulciſono carmine pulsa canunt.
An resonat dum currit iter revolubile tempus,
Ut sibi ceu relevet tædia longa via?
Fluxilis an vitæ, ut tristes tibi temperet horas
Tinnula mellifluo verberat æra sono?
Fallimur, Insidiæ sunt hæ variabilis ævi,
Et nova sirenum musica monstra vides.
Namque tuam tempus vorat inter cymbala vitam.
Cuspide & exorta dum canit hora, necat.

At nihilominus, seclusis fraudibus, & impostoris improborum hominum, hujusmodi pulsationes, sonitus, strepitus procurantium ad pecuniam, & honorem aucupandum, teste enim Lactantio Firmiano *divin. Institut. lib. 1. cap. 4. voluntas fallendi, & mentiendi illorum est, qui opes appetunt, lucra desiderant.* Et paulò post: *A quibus abfuit studium lucri, abfuit etiam studium, & causa fallendi.* Et probato per legitimos testes, quod nulla arte humana eveniant, dubitandum non est, quin inter miracula debeant referri. Nam cùm sit effectus admiratione plenus, & habeat causam omnibus occultam, ei profectò convenit definitio miraculi tradita a Bagnes, & ab aliis in S. Thom. *p. 1. q. 105. ar. 7.* Et quatenus velimus investigare causam, sive authorem hujusmodi pulsationis, sonitus, strepitus, eisdem convenit altera definitio, quam tradit idem Div. Thomas *loc. cit. ar. 2.* quod miraculum dicitur aliquid arduum, & insolitum præter facultatem, sive ordinem naturæ, ac spem admirantis proveniens. 6

Aut enim hujusmodi strepitus, sonitus, concussiones, pulsationes tribuuntur corpori alicujus servi Dei, & tunc inter miracula resurrectionum, vel secundi gradus, quæ juxta D. Thomam *dict. quæst. 105. articul. 8.* circa subjectum, in quo fiunt, consistunt, sunt connumerandæ, quia cùm servi Dei corpus in arca, vel in sepulchro mortuum existat, non potest, ut vivum operari absque eo, quod supernaturaliter vivificetur. 7

Aut adscribuntur animæ ipsius servi Dei, & tunc violenter pariter adscribendæ miraculo secundi gradus. Quia cùm anima hominis, separata a corpore, non possit localiter corpora movere, ut per Div. Thom. *par. 1. qu. 117. ar. 4.* Fienum *de virib. Immaginat. c. 2. q. 8. & q. 12.* sequitur, quod nec etiam possit hujusmodi strepitus, sonitus, ac pulsationes naturaliter dare. 8

Aut tribuuntur immediatè Deo, & tunc inter miracula tertii gradus, quæ secundùm D. Thomam *d. q. 205. art. 8.* consistunt circa modum, & ordinem faciendi, possunt numerari. Nam licèt in arca, vel sepulchro possit naturaliter sonus audiri, quia tamen naturaliter non datur sonus absque motu ex Aristotele *de anim. lib. 2. cap. 4.* nec motus absque morte, ex eodem *de physic. audit. lib.* 9

lib. 7. c. 1. cùm in illis audiatur prorſus abſque naturali motore, conſequitur, quod ille ſonus ſupernaturaliter exiſtimari debeat ex traditis a Divo Thoma *dict. qu. 105. ar. 8.* in reſponſione *verſ. & cùm ſtatim*, & Zachia *lib. 4. qu. medico-legal. qu. 2. n. 2.*

10 Nec officit, motorem eſſe Deum. Nam effectus ſupernaturalis non ideò dicitur miraculum, quia producitur a Deo, cùm ejus reſpectu nihil debeat reputari miraculum; Sed quia Deus hujuſmodi effectum operatur contra Naturam, ſive præter ordinem a ſe in creatione mundi decretum. Non enim eſt miraculum, quod grave, nulla arte humana mediante, aſcendat, aut leve deſcendat reſpectu omnipotentiæ Dei. Quia ſicut diſpoſuit, quod leve aſcendat, aut grave deſcendat, ſic potuiſſet contrarium ſtatuere, ſed quia id evenit contra ordinem ab eodem in creatione mundi conſtitutum ut per D. Thom. *d. q. 105. art. 8.*

11 Neque obſtat, quod hujuſmodi ſonitus, pulſationes, &c. non ſint inter miracula recenſendæ, cùm poſſint contingere mediantibus intelligentiis, quæ ſicut poſſunt naturaliter corpora movere, ita poſſunt percutere arcam, vel ſepulchrum, & efficere, ut ſonus percuſſionis audiatur.

12 Nam effectus intelligentiarum, præſertim Angelorum qui etiam naturaliter poſſunt contingere, debent aliquando nuncupari miracula reſpectu obedientiæ præſtitæ a natura, ſive intelligentiis ad divini nominis invocationem, ſive Dei juſſum, & in terminis earum rerum, quæ fieri poſſunt ab intelligentiis. Angeli Sacroſanctam Domum Luretanam in Illyricum primò, deinde in Italiam tranſportarunt, & nihilominus id ſupernaturaliter contigiſſe, nemo non fatetur. Angeli pariter, aſſumpto corpore aereo pro S. Iſidoro ararunt, & Rota in relatione de illius Canonizatione in primo miraculo id recenſet inter miracula, ea quidem ratione, quia licèt non ſit extra ſphæram naturę Angelicæ aſſumere corpus apparens, quando tamen talis aſſumptio eſt ad aliquem ſanctum effectum, tunc ſit virtute divina & talis aſſumptio, ſive actus ſuperat vires naturæ Angelicæ, & ſic omninò ad miraculùm referendus eſt ex Divo Auguſtino, D. Thoma per Bagnes allegatis. Templum in mari conſtructum, in quo fuit repoſitum corpus S. Clementis, fuit ſimiliter ab Angelis naturaliter conſtructum, & tamen Catholica Eccleſia ſupernaturaliter id eveniſſe affirmat in Lectionibus Breviarii Romani, quæ in ejus die feſto recitantur, idque nedum ex ratione adducta a Rota, ſed etiam quia, licèt Angeli poſſint movere naturaliter corpora, nihilominus cùm unuſquiſque ſit deputatus a Deo ad proprium officium, non poſſunt ad aliud opus ſe convertere, niſi præter ordinem naturæ a Deo conſtitutum, atque adeo nonniſi ſupernaturaliter ad tradita per D. Thomam *d. q. 105. ar. 7.* ibique Bagnes.

13 Et quidem hujuſmodi miracula non conſiſtunt in eo, quod Angeli faciunt, quæ ſibi ſunt naturalia, ſed in eo, quod nulla præcedente cauſa naturali abſtrahant ſeſe a munere ſibi injuncto a Deo in creatione univerſi, & ſigant in hoc Mundo inferiori, quæ illis Deus jubet. Nam quando corpora, ſive Angeli obediunt Deo in aliquo opere, etiam eis naturali peragendo ex ſolo juſſu divino, ut quando belli victoria reportatur auxilio Angelorum, & quando repente imbres Cœlo mittuntur, nulla præcedente cauſa naturali, tunc effectus prædicti miraculis ſunt adſcribendi juxta D. Thomam citata *q. 105. art. 8.*

14 Nec dubitandum hujuſmodi pulſationes, ſonitus, ſtrepitus ab Angelis fieri, ſi agatur de referendo inter ſanctos aliquem Beatum. Quia cùm certum ſit Beatum frui beatifica viſione, ex quo fuit a Summo Pontifice ex legitimis probationibus ſuper illius ſanctitate vitæ, virtutibus, ac miraculis ad numerum Beatorum adſcriptus, nullo modo credendum eſt per malos Genios ad ejus ſepulchrum hujuſmodi ſonitus, ac pulſationes fieri, ex quibus cultus, ac veneratio erga Beatum in dies magis ac magis augeatur, nec ſineret Deus homines diù ſic a dæmone decipi, ſi ad malum finem ab eo fierent.

15 Eoque præſertim, ſi teſtes deponerent, ſe magna cordis lætitia ex hujuſmodi pulſationibus mirificè affectos fuiſſe. Nam ſicut inter ſigna, quæ a Theologis myſticis dantur, an viſiones ſint bonorum, an malorum ſpirituum, illud præcipuum eſt, quod ſi ex eis oriatur cordis lætitia, tunc quidem bonæ ſunt cenſendæ, ut præ cæteris ait Sancta Tereſia in vita a ſe ſcripta *c. 15.* paulò poſt principium, ſi verò mœſtitiam afferant, malæ. Sic etiam dæmones dum exorciſmo ab obſeſſis corporibus excutiuntur, ſonitus, ac ſtrepitus edunt, non lætitiam, ſed terrorem incutiunt.

16 Atque ex his reſpondetur exemplis, quæ adduximus ex Pauſania, & aliis. Nam effectus illi, ſi veri fuerint a dæmone emanarunt, & ideò non ſunt miracula, ut per S. Thomam, & alios alibi a nobis adductos. Valdè enim intereſt, an Angeli hæc faciant, an dæmones. Nam Angeli, qui ſunt ad proprium officium a Deo deſtinati, dicente Divo Paulo: *omnes ſunt adminiſtratores ſpiritus*, non poſſunt ſe ingerere in hoc mundo inferiori ad aliquod opus peragendum, ne quidem naturale, niſi deſerendo proprium officinm, atque adeò præter ordinem a Deo ipſis injunctum, & abſque ſpeciali Dei juſſu, ex Lactan. Firm. *divin. inſt. lib. 2. c. 16.* & Bagnes in D. Th. *q. 53. ar. 1. dub. 3.* ac proinde abſque eo, quod miraculum cenſeri debeat. Dæmones verò qui per univerſum vagantur ex eodem Lactan. *loc. cit.* poſſunt hæc facere, at ſine miraculo. Tum quia naturaliter operantur. Tum quia non pervertunt ordinem Naturę, deſerendo ſuum officium, cùm nulli ſint quaſi addicti.

Nec refragatur, quod hujuſmodi ſonitus, compulſa- 17
tiones, ac ſtrepitus poſſint eſſe phantaſticæ. Nam licèt imaginatio alicujus poſſit hujuſmodi effectus ſibi affingere, ut quam plurimis relatis exemplis tradit Coel. Rhodig. *antiqu. lect. lib. 17. c. 2. & 3.* Thom. Fienus *de virib. imaginat. q. 10. concluſ. 36.* non tamen poteſt efficere, ut aliorum imaginationes idem percipiant, cùm anima, ſive illius potentiæ non poſſint movere ullo modo phantaſiam, ſive aliorum potentias animales, aut ipſam animam, & quatenus corpora aliena moveant, nonniſi per ſenſus exteriores id efficiunt, ut docet idem Fien *q. 2. concluſ. 12. & q. 12. concl. 59.* Et quidquid eſſet de unica, vel binis vicibus, & in unius, vel alterius hominis imaginatione, ſecus eſſet de multiplici, ſatiſque frequenter pulſatione ex auditu ab hominibus quam plurimis perfecti judicii, perfectæque prudentiæ, ac imaginationis per vehementiam non depravatæ temporibus omninò diverſis.

Neque item refragatur, quod fortaſſe non ſit notus 18
finis, ob quem hujuſmodi ictus, ſive pulſationes fiant, ideoque cenſeri non debeant miracula. Nam ſi finis eſſet certus, ac exploratus, ille operaretur tantummodò ut poſſent vocari prodigioſæ, cùm prodigium ſit quoddam inſolitum, certè rem aliquam portendens. At inde non ſequeretur, quod eſſet miraculum, niſi aliunde conſtaret, cùm interdum prodigia non ſint miracula, ut ſunt Cometæ, ac hujuſmodi alia, quapropter miraculum in hiſce pulſationibus non conſiſtit in certitudine finis, ſed in eo, quod fiant a Deo, vel corpore, vel anima alicujus ſervi Dei, abſque dubio ſupra Naturam contingit, & quatenus ab Intelligentiis, id fieri ab Angelis, non a dæmone.

Minus refragantur prodigia, quæ pluries eveniſſe di- 19
cuntur. De ſepulchro enim Pionis nil mirum, cùm collocatum fuiſſet apud Inſulam Lipariam, quæ ex ſulphurea materia non modò fumum, & ignem, ſed boatus emittit. De voce truculenta ſemel emiſſa è ſepulchro Aiacis, de unico armorum ſtrepitu in Herculis fano exaudito, de triplici excuſſione ſtatuæ Martis, de Oraculorum quaſi vocibus, de ingenti ſtrepitu ſemel audito ſub telluri, quis non dixerit poſtremum hunc ex terræ vaporibus eveniſſe? Et nuper antequam a Veſuviano Monte ignis erumperet, rumor magnus exauditus fuit; alia verò aut arte dæmonum, ita permittente Deo, aut eorumdem illuſione eveniſſe.

His autem robur accedit, quia conſuevit Deus per- 20
mittere, ut hujuſmodi ſonitus, ſive pulſationes ad Sanctorum Sepulchra audiantur. Narrat enim Uvadingus *in annal. Minor. tom. 7. anno 1491. num. 40.* de Beato Euſtochio ſequens miraculum in hæc verba: *Perpetua quidem hæc illa reputo miracula, quod integro, pulchro, odorifero, molli, aſpectu gratiſſimo in diem hunc perſiſtat corpore, & quod pulſata ſenſibiliter arca, in qua jacet perpetuo præmoneat aliquam ex Sororibus deceſſuram. Exploratum eſt, nullam eo loco objiſſe, quin ſonitum hunc admirandum omnes præſenſerint. Hujus prodigioſæ præmonitionis experimentum, quod nollet, in ſe probavit Leonora Oſoria, Siciliæ Proregina, Joannis de Vega conthoralis, quæ Monaſterium ingreſſa anno 1560. ad locum tranſpulſari interius audivit, & expavit, paulò poſt Panormum profecta, ex hac vita deceſſit.*

Scribit item Didacus Lopez in vita Sanctæ Thereſiæ 21
lib. 2. c. 4. ſub initio, quod in arca, in qua corpus hujus ſanctæ primo loco ſub humo collocatum fuit, ſæpiſſimè auditæ fuerunt hujuſmodi pulſationes donec ſupra terram fuit poſitum. Et inferius eodem capite ait, quod cùm Joannes Cavillus Theſaurarius Eccleſiæ Abulenſis in Capitulo Generali Diſcalceatorum Carmelitarum inſtaret pro translatione corporis dictę Sanctæ ex Alba ad Civitatem Abuſenſem eadem hora, qua literas patentes ad id obtinuit, Moniales Monaſterii Albæ audierint tres ictus in arca, ubi corpus Sanctæ in earum Eccleſia quieſcebat.

Ache-

22 Acheruntii, quæ eſt Civitas Lucaniæ, ſeu Baſilicatę, quam appellant, in feſto Patroni, ſeu Divi Tutelaris, ſub altari ſtrepitus inauditur inſtar murmuris magni, quaſi clamor ſit interfectorum Apocalypſis dicentium: *Vindica ſanguinem noſtrum Deus noſter.*

23 In Hiſpaniæ Oppido Udilla, ſito ad ripam Iberi, haud procul Cæſarauguſta, eſt noſtra, & avorum memoria percelebris campana, quæ nobiliſſimos quoſque eventus, ſeu triſtitium, ſeu lætorum pro Chriſtiana Republica prænunciat ſonitu, nullo impellente. Auriti, & oculati teſtes plurimi hoc ſerio affirmant. Vairus ſe ait *lib. 2. de faſcino c. 14.* hujus rei teſtimonium per publicos tabelliones tranſmiſſum a Proregibus illius Regni ſæpius legiſſe. Joannes Mariana *lib. 21. de reb. Hiſpan. c. 1.* pulſum eam ediditſe ſponte, ſcribit pridie quam capti Reges, & iterum ſonuiſſe, quo tempore compoſito Mediolani fœdere Aragonius in libertatem eſt reſtitutus. Joannes Euſebius Nierembergius *de mirac. natur. in Europa lib. 1. c. 8. Quid opus eſt*, inquit, *aggerere Authores, cùm teſtatiſſima res ſit, & ipſe quater, aut quinquies noſtris diebus audivi pulſatam, quod fide publica, & multis teſtibus comprobatum Regibus noſtris renunciatum fuit inſigni aliquo eventu ſubſequente.* Sic ipſe, qui apud Japones ſcribit admirationi eſſe campanam adſimilem, qua tumultus ait, & ſimultates enunciari.

24 Salerni Cœnobium eſt Dominicanorum, cui fama eſt, tum ab inſigni theſauro, nempe manu D. Thomæ Aquinatis, tum a nolula, quæ ſune nullatenus revincta, ſonum edit quoties eſt moriturus aliquis Religioſorum ex ea familia. Si æger quiſpiam decumbit, ſalva res videtur, ſed magnopere anceps, ſi omnes valent proſperè. Aliquando ibi externus religioſus ſolicitus de primitiis poſtridie in Templo futuris, ab Ordinis Neomyſta, turrim Campanarum aſcenderat, ſignum videlicet daturus, & prolapſus inde momento interiit, pro cujus funere illa eo die pariter audita fuerat.

25 Ferunt etiam, cùm noctu diriperetur argentea theca in qua includebatur manus D. Thomæ, campanulam eamdem ſponte ſonuiſſe, veraque dediſſe indicia, manè fuit manifeſtum. Poſtquam enim diluculavit, reperta eſt manus ſuper aram abſque argentea ejus hierotheca.

26 Joannes Lupus, Epiſcopus Monopolitanus, perhibet, ejus ingenii campanulum ſponte vocalem in Cordubenſi Cœnobio S. Dominici ultro tinniendo, fatur ſemper portendere mortem aut alicujus Religioſi ex ea familia, aut primarii ſaltem viri ex ordine Dominicanorum.

27 Idem Epiſcopus in Monaſterio Camorenſi hujus etiam Ordinis in Hiſpania pulſu ſuo, ait, triduo ante præmonere aliam nolulam, quando ibi ex domeſticis aliquis eſt è vivis exceſſurus.

28 Surius in vita Sancti Meinulphi *tom. 5.* ſcribit, eſſe campanulam in Parthenio Cœnobio Saxoniæ Bodkenſi, ſeu Budicenſi, cui magna eſt reventia, vel ideo, quia ſanctimonialibus ſpontaneo ſtrepitu prædicit mortem imminentem.

29 In Stiria eſt monaſterium aliud Sanctimonialium Ordinis Sancti Benedicti, quod Goſſenſe appellatur, & in quo ſola, quando ex hac vita migratura eſt loci Antiſtita, major campana duobus, aut tribus hebdomadis ante obitum, nemine trahente, funebrem ſonum edi. Id verò anno 1611. Patres Societatis annuis literis Provinciæ ſcripſerunt contigiſſe, qui adſtiterunt Antiſtitæ morienti, atque eam Sacra exomologeſi expiarunt.

30 Legitur etiam Campanas aliquoties ſponte ſua ediditſe ſonum, uti cùm Romæ obiit Sanctus Alexius, vel in paterna domo ignotus, & pannoſus in humili ſtrato. Id evenit perinde in obitu Sancti Alberti Ordinis Carmelitarum, atque inſuper ad Sacras reliquias S. Vunebaldi Abbatis ex Surio in *Auguſto*, & *in Decembri*.

CONSULTATIO CLXXXVI.

An teſtes deponentes de ſolo auditu alieno, publicaque voce, & fama, admitti poſſint ad probandum miraculum? Quidve ſi adeſſent alii teſtes de viſu, & certa ſcientia? Et an circumſtantiæ miraculi debeant plenè, & concludenter probari? Quotque teſtes requirantur ad probationem miraculi? Opinio teſtium an probet factum? Quid de teſte impubere? An, & quatenus probet? Quidve de teſtimonio puberis de viſis in pupillari ætate? Quid de infante?

1 QUod ad primum attinet, certum eſt nullam eorum rationem habendam eſſe per textum in *c. tam literis in principio*, ibi: *nihil eſſe contra Lucanum electum ſufficienter oſtenſum, niſi de auditu, & fama de teſtib.* cum notatis per Gloſs. *d. v. de auditu*, Oſtienſ. *num. 2.* Bald. *num. 1.* Abb. *n. 5.* & Aretin. *num. 3. in 2. notab.* aliosque relatos a Farinacio, teſtante de communi eodem tractatu *qu. 69. c. 1. num. 22.* Pertritumque etiam eſt, nullam ſufficientem probationem in factis recentibus oriri ex voce communi, & fama publica *l. 3. §. ejuſdem ff. de teſtib.* Gloſs. *in c. 1. v. famæ*, ibique poſt antiquiores Dec. *n. 36. de appell.* Bald. in *l. milites 7. n. 1. C. de qu.* Rota *dec. 16. de probat. in nov.* Caſſador. *dec. 2. eod. tit.* Gregorius XV. *dec. 325. num. 15.* & *dec. 387. num. 13.* Quod fortius urget, dum agitur de probatione miraculi, requirente certam ſcientiam veritatis facti, quod dicitur miraculosè patratum, ut evitetur omnis ſuſpicio eluſionis in fama, qua, ut plurimum ſolent homines decipi ex notatis ab Angelo Roccha *de Canonizat. S. Sanctor. c. 25.* & Zacchia *qu. medicoleg. lib. 4. tit. 1. qu. 8. n. 1.* Quare ubi requiritur ſcientia vera, ac certa, non ſufficit ſcientia per famam, Gloſs. *in Clem. cauſa v. plena de elect.* quam ita intelligunt Cardinalis *ibi v. Intimatio q. 14. n. 5.* & Imola *n. 79.* Felin. in *c. Cùm contingat n. 4. de reſcript.* Buratt. *dec. 459. n. 6.*

Verùm id accipiendum eſt, quando ad probandum 2
factum miraculoſum adſunt tantummodo teſtes de auditu, & publica voce, & fama, ſecus verò quando adſunt alii teſtes de viſu, ac certa ſcientia. Tunc enim ſicut teſtes de auditu debent conjungi ad plenam probationem faciendam, ita multò magis debent conjungi teſtes deponentes de publica voce, & fama, cùm majorem gradum probationis efficiant, quàm teſtes de auditu, Farinac. *dict. qu. 69. num. 16.* adeòut, ut multis in caſibus unus teſtis de certa ſcientia, & duo de fama publica ſufficiant ad plenam probationem faciendam, ut tradit Gabr. *de probat. concluſ. 1. n. 8.* Greg. *dec. 258. n. 2.* & *dec. 273. n. 1.* ibique Add. *n. 9.* Quare probatio non debet tantùm reſidere in duobus teſtibus, ſed etiam in aliis, qui partim deponerent de viſu, & partim de auditu, & in aliis teſtibus de auditu, & publica voce, & fama. Nam ſimul juncti, prout conjungi debent, non eſt dubium, quin indubitatam conſtituant probationem, Gabr. *loc. cit. concl. 1. n. 1.* Gregor. *dec. 345. num. 2.* & *31.* Nec teſtes dicerentur ſingulares, ſi nonnulli ex ipſis, præter depoſitionem de actibus præciſis, teſtarentur etiam de aliis actibus in genere, tempore non adjecto. Unde reduci poterunt ad alios actus, per cæteros teſtes ſpecificè expreſſos, & ſic redderentur conteſtes in eodem actu, nempe in eodem genere miraculi. Admittunt enim Doctores, quod ſi unus ex teſtibus deponant de certo actu, adjecto certo die, loco, ac tempore, alius verò deponat de eodem actu, non tamen recordatur de tempore, & loco, ii teſtes præſumuntur conteſtes, & non ſingulares, Crot. *de teſtib. qu. 7. n. 221.* Aymon. *de antiq. temp.* aliique per Farinac. relati eodem *tr. qu. 64. n. 74.* Præſertim ubi agitur de probatione actus miraculoſi ſucceſſivi, & quaſi continui, quo caſu teſtes, tempus præcisè non exprimentes, non dicuntur ſingulares, ſed probant, ut per innumeros, quos adducit, ac ſequitur Farin. *d. q. 69. n. 90.*

Præterea quamvis agitata ſit inter Doctores controver- 3
ſia, an probent teſtes, qui nullo modo de tempore deponunt, & pro affirmativa, nempe quod in teſtibus regulariter non ſit de ſubſtantia tempus, teſtantur Præpoſitus, Bald. Nellius, aliique relati a Farinacio *dict. qu. 64. num. 92.* Pro negativa verò, quod teſtes non deponentes de tempore, minimè probent, tradunt ii, quos citat Farinac. ibidem *num. 94.* & *ſeqq.* Concordantur tamen, quando tempus non eſt de ſubſtantia facti, de quo agitur, ut per Farinac. *num. 96.* Si igitur teſtes rectè, ac concludenter deponant de eodem miraculo ſucceſſivo, & in hoc verè ſint conteſtes in hoc, & in illo actu individuali, cum omnes tendant ad idem genus miraculi, eſt facienda omnis interpretatio, ut teſtes dicantur conteſtes, & non ſingulares, Bald. *in d. l. de quibus n. 38. ff. de legit.* Quod veriſſimum fatetur cum aliis a ſe relatis Farinac. *d. q. 64. in fine.*

Ad ſecundum. Certum item exiſtimo, quod circum- 4
ſtantiæ miraculi debeant plenè, & concludenter probari abſque ulla prorſus hæſitatione. Nam reſpiciunt eſſentiam miraculi, qua ratione monuit Troyl. Malvet. *de Canoniz. Sanctor. dub. 3. num. 64. tom. 14. fol. 101. atergo*, quod in miraculis probandis fieri debet examinatio teſtium ſuper ſingulis circumſtantiis, ſubdens, ita intelligendum eſſe dictum Bartoli *in tractat. de teſte §. Qualitas, ſive ſubſtantia*, & Martini Laudenſii *in Canonizatione S. Bernardini.*

Hinc non videtur attendenda opinio teſtium, ſi de- 5
tegatur erronea, tanquam inducta a principiis non evincentibus factum, aſſerente Baldo in *l. ſcire leges num. 3. ff. de legibus*, quod opinio ſit motus animi elicientis ſibi aliquam concluſionem ex aliquibus principiis, quæ cùm poſſint

poſſint eſſe fallacia, ſequitur illi minimè ſtandum eſſe in materia requirente probationem neceſſariam, non præſumptivam, adeòut veritas probanda ſit concludenter, non conjecturaliter ſola præſumptione, quæ idem Bald. in *l.* 1. *num.* 28. *C. de ſerv. fugit.* notat differre inter ſe, ſubdens propterea in *l. proprietates n.* 6. *C. de prob.* quod notitia veritatis non debet eſſe in teſte per rationem diſputandi, ſed in ipſius veritatis actu cadente ſub ſenſu, cùm veritas dicatur vera entitas, non autem conceptus mentis ſe applicantis ad alterum extremorum juxta deſcriptionem opinionis relatam ab eodem Baldo in *l. plagis n.* 8. *C. ad l. Flav. de plagiar.*

6 Quoad teſtes impuberem dicendum videtur, quod impubes, nondum ſuperato anno decimo quarto, non eſt admittendus ad ferendum teſtimonium, ad textum in *l.* 3. *§. lege Julia*, juncta Gloſſa *v. impubes*, ac *v. lubricum*, & in *l. inviti in fine ff. de teſtib.* cum aliis plena manu congeſtis a Farinaccio *de teſtib. q.* 58. *n.* 1. Præſertim ſi in eo comprobetur dictum Alber. de Malet, Campeg. Æmilian. Cagnol. & Clar. cujus meminit Farinac. *d.* 58. *n.* 59. Quod ſi facta ſint talia, quæ non cadant in ſenſum, ac intellectum pupilli, ejus teſtimonium ſuper illis non valeat, quamvis ſubjiceretur examini jam pubes effectus.

7 Et quoad teſtem puberem deponentem de viſis in pupillari ætate, idem dicendum videtur. Obſtat enim communis aſſertio Scribentium, quod non valeat teſtimonium puberis de viſis in pupillari ætate, quando erat proximus infantiæ, ut inquiunt Alber. *d. l.* 3. *§. a lege Jul. n.* 26. & Florian. *ibidem n.* 5. *de teſtib.* Aretin. *in l. ad teſtium n.* 3. *ff. de teſtam.* Jo: Faber *in §. teſtes autem n.* 2. Angel. Aretin. *n.* 4. *Inſtit. de teſtam. ord.* Abb. *in c. Cum nobis n.* 6. ibique Felin. *n.* 9. *de præſcript.* aliique, etiam teſtantes de communi, quos recenſet Farin. *d. q.* 58. *num.* 62.

8 Quod fortiùs aſſerendum videtur de infante. Indubitatum quippe eſt, infantem nullam fidem facere de viſis tempore infantiæ. Nam talis ætas quicquid videt, ignorat, *l.* 1. *§. Impuberes C. de falſ. monet.* per quam Bald. *in l. teſtium n.* 9. *C. de jur. delib.* negat credibile eſſe teſtimonium infantis ſicut præter Alber. Jo: Fabr. Aretin. & Felin. *loc. cit.* tradunt in ſpecie Bartol. *d. §. l. Julia n.* 1. Dec. in *l.* 2. *§. Impuberes n.* 1. *ff. de reg. jur.* Feder. Sckenk. *de teſtib. n.* 15. Campeg. *eod. tr. reg.* 250. Clar. in *§. fin. q.* 24. *n.* 18. Vivv. *comm. opin. v. teſtis eſſe non poteſt pupillus*, Farin. *d. n.* 62. Didac. de Narbona in *annal. an.* 7. *q.* 44. *num.* 2.

9 Et quamvis Joan. Andreas in *addit. ad ſpecul. tit. de teſtib. §.* 1. *num.* 35. *lit. V.* dixerit, infantem, effectum majorem, poſſe deponere de viſis in infantia, ſi talia ſint, quæ cadant in intellectum, ac ſenſum ipſius, utpotè memoria parentum, ac ætas Socii coætanei in Scholis, non tamen ejus aſſertio procedit in aliis exigentibus animadverſionem, ut ibidem ſubdit Joannes Andreas, & obſervant Felin. in *d. c. Cum nobis n.* 9. *de præſcript.* Alber. de Malet. *de teſtib. n.* 22. eodemque tract. Campeg. *reg.* 112. *fol.* 6. dictaque regula 250. Æmilian. *par.* 1. *ver. teſtis adductus ſub n.* 10. & 11. Farinac. *dict. qu.* 58. *num.* 63. *cum ſeqq.* & Narbon. *d. q.* 44. *num.* 15.

10 Et nihilominus tenendum eſt, quod, ſi quis examinaretur, dum eſſet impubes, nondum completo decimoquarto anno, & ſic proximus pubertati, illius teſtimonium, ſi non eſt habendum, tamquam dictum integri teſtis, faceret ſaltem aliquale judicium, & admitti debet, Farinac. de *teſtib. qu.* 58. *num.* 18. prout etiam teſtis non eſſet deducendus ab aliis ex eo, quia propter defectum ætatis non debuerat examinari, ſi fuerit examinatus, Parte non opponente, quo in caſu nulli dubium eſt, quin ex ejus dicto reſultet indicium ad probandum ea, ad quæ fuit inductus, Farinac. *d. q.* 58. *num.* 290. præſertim ſi teſtaretur de iis, quæ cadebant in illius ſenſum, ac intellectum, & de facto tàm gravi, ac immemorabili, faciliſque recordationis, Farinac. *loc. cit. numer.* 63.

11 Idque multò magis dicendum eſt de teſtibus, qui viderunt, ac ſibi evenerunt in puerili ac infantili ætate. Quia cùm eorum dictum ſit circa ea, quæ cadebant in eorum ſenſum, ac intellectum, rectè poſſunt de illis ferre teſtimonium, Farinac. *d. q.* 58. *num.* 63.

CONSULTAIO CLXXXVIII.

1 *Intra quod tempus proceſſus Canonizationis confici debeat?*

2 *Ad probandum miraculum quot teſtes ſufficiant?*

3 *An apponendo diadema capiti alicujus Beati, ac exhibendo illi, vel ſubſcribendo illius imagini titulum Sancti, tranſgrediantur limites Beatificationis?*

AD primum. Debet abſolvi intra terminum novem menſium, juxta declarationem Alexand. Stiath. in *prax. c.* 6. relatam a Farinac. *de teſtib. q.* 77. *num.* 137. & numeratur a die præſentationis remiſſorialium, & ſi aliàs oppoſitus fuerit textus in *l.* 1. *& l. fin. C. de dilat. & can. ſpatium* 3. *q.* 3. quod intelligendum eſt a die conceſſæ dilationis. Defectus verò exhibitionis remiſſorialium, coram binis dumtaxat ex tribus deputatis, ceſſat ex claulula *ſeu duobus ipſorum*, appoſita etiam in inſcriptione literarum. 1

Ad ſecundum. Duo tantùm ſufficiunt, cùm quilibet actus duobus teſtibus concludentiſſimè probetur, *c. novit. ille de judic. c. in omni, & c. licet de teſtib.* Et in ſpecie, quod miraculum duobus teſtibus comprobetur, firmarunt *d.* Collectar. in *cap.* 1. *de reliq. & vener. Sanctor. num.* 6. Felin. in *dict. c. licet num.* 21. Gabr. *de teſtib. concl.* 2. *num.* 49. Panvin. *in relat. S. Bonaventuræ p.* 2. *art.* 4. Caſtellan. *de Canoniz. q.* 7. *§. Quæro*, Rota in relatione Sancti Raymundi *p.* 2. *art.* 8. & in relatione S. Iſidori Agricolæ *in* 4. *miraculo* poſt mortem, & in relatione Sancti Ignatii Loyolæ in primo miraculo, & in relatione Beati Andreæ Avellini in 1. & 13. *miraculo*, & alibi pluries, teſte Contiloro *de Canoniz. Sanctor. c.* 28. *num.* 3. 2

Ad tertium, Affirmativè reſpondendum videtur. Nam Imago Beatificati cælatur, aut pingitur cum radiis tantùm, Canonizati verò cum diademate circum caput, ut inter eos appareat differentia, teſtibus Troylo Malvetio *de Canoniz. Sanctor. dub.* 1. *num.* 19. *ac* 20. *tr. tom.* 14. *fol.* 92. & Contilor. *eod. tr. c.* 2. *num.* 10. & *ſeqq.* Cumque Beatificatio, & Canonizatio differant eſſentialiter inter ſe, ut inquiunt Scauhus *de notis, & ſignis Sanctit. ſect.* 1. *c.* 8. *lit. B. pag.* 97. & 98. ac Lezana *conſult.* 1. *n.* 60. *cum ſeqq.* non eſt Beatificato tribuendum nomen Sancti, quod ab Eccleſia uſurpatur pro ſuperiori reſpectu inferiori, prout *d. c.* 8. *pag.* 98. animadvertit Scauhus ſub eam *lit. B.* 3

At verò quoad diadema, etiamſi vera eſſet diſtinctio Malvetii circa ſignorum ſignificationem, nihilominus dum nulla lege prohibetur pingi Beatos cum diademate, poteſt, nulla habita ratione diſtinctionis pingi a pictore imago alicujus Beati cum eo ſigno, ex quo omnia cenſentur permiſſa, quæ non reperiuntur prohibita, Oldrad. *conſ.* 228. *n.* 1. Anchar. *conſ.* 243. *in princip.* Alex. *conſ.* 57. *n.* 2. *vol.* 1. Præſertim quia pictores ſupra capita Beatorum promiſcuè quodlibet ſignum ad ſuum libitum pingere conſueverint, ut aſſerit Contilor. *loc. cit. cap.* 2. *num.* 12. 4

Quod verò ad pronomen Sancti, cùm illud a Surio, Lippomano, & a Sanctis Patribus indifferenter omnibus tum Canonizatis, cum iis, qui cum fama Sanctitatis obierunt, tribuatur, utique poterit præponi nomini illius, qui a Sede Apoſtolica titulo Beati fuit inſignitus abſque eo, quod tranſgrediantur limites Beatificationis, cùm dici poterit non fuiſſe additum ad ſignificandam ſolemnem Canonizationem, ſed potius gloriam, qua in Cœlis fruitur, prout propriè in aliquibus Regionibus illud nomen accipitur. Quandoquidem in interpretatione verborum magis inſpicienda eſt ſignificatio Regionis, in qua proferuntur, quàm alterius, ſeu propria ipſius verbi, ut per Alexand. *conſ.* 131. *n.* 4. *vol.* 6. Surd. *dec.* 227. *n.* 4. Rota *dec.* 390. *num.* 7. *recent.* 5

An autem Canonizatio differat eſſentialiter a Beatificatione alibi diſceptavimus. 6

CONSULTATIO CLXXXIX.

An puer ſubmerſus in mari, in puteo aquæ, muſti, ſpatio trientis, vel quadrantis horæ, vel ſemiquadrantis, unco per veſtes extractus, lividus, & lingua exorta, ſi invocato auxilio alicujus Servi Dei, non moriatur, id miraculo ſit adſcribendum?

AFfirmo, & confirmo, quod alibi de hac re diſſerui. Poteſt enim iteratò cum fructu idem argumentum verſari. Ut autem id probem, præfari primum oportet, quod calor, in quo præſertim vita animalium, ſanguine præditorum, conſiſtit, adeo eſt vehemens in 1

cor-

corde hominis ob ejuſdem ſanguinis abundantiam, ut niſi continua reſpiratione, & expiratione refrigeretur, illicò perire neceſſe ſit ex ſententia Ariſtotelis *de reſpir. c. 2. in fine, c. 7. & c. 10.* Fernel. *in phyſiol. tit. de fun. & humor. lib. 6. cap. 16.* ſub initio. Quodque tanta eſt in homine reſpirationis neceſſitas, ut licèt in hiſtoriis, recenſitis a Zacchia *quæſt. medicoleg. lib. 4. tit. 1. q. 7. n. 9. & ſeqq.* ſcriptum reperiatur abſque potu, ac cibo, qui pariter ſunt plurimum neceſſarii ad vitam conſervandam, ut per Zacch. *loc. cit. n. 2. & 22.* multos homines naturaliter diù vitam duxiſſe, de quo nos alibi fuſiſſimè, nihilominus tamen abſque reſpiratione nullum, ne quidem exiguo temporis ſpatio vixiſſe legitur, immò nec poſſe vivere communis eſt omnium tàm Philoſophorum, quàm Medicorum ſententia, cùm reſpiratio ſit ipſa vita, Ariſtot. *loc. cit.* & eodem *tit. de reſpir. c. 15. in fin.* Belvacen. *de natural. hiſtor. lib. 24. c. 52.* Galen. *lib. 1. de reſpir. c. 12.* Hieron. Faber. *eod. argum. lib. 1. c. 1.* Fernel. *ibidem lib. 5. c. 17.* Zacch. *d. lib. 4. tit. 1. q. ult. n. 42.* Sicut enim, ut ait Cęl. Rhodigin. *antiq. lect. lib. 1. c. 20.* ex Ariſtotele, & Pico Mirandulano motus primi mobilis vita eſt omnibus, ita evidentiſſima, & communis operatio vitæ intimus motus. Ceſſante autem Cœlo nec cætera movebuntur. Sic in minori item mundo, ſi ceſſet motus cordis, omnes alii motus ceſſare perneceſſe eſt. Nec lapis itaque deorſum deſcenderet, neque aſcenderet ignis. Quod mirum utique eſt, ſed verum, ſi motus quieſceret primus. Eſt autem primum, quod in uno quoque genere eſt cauſa reliquorum, quæ ſub ea continentur ſerie, licèt non omnia eandem cauſæ habeant rationem. Unde nil mirum, niſi nonnulli ex antiquis Philoſophis Univerſum exiſtimarunt animatum, cùm non incongruè ipſe motus ejuſdem anima dici poſſit, ac hominem appellarunt Microcoſmum, cùm ad illius ſimilitudinem fuerit creatus.

2 Deinde quia nulla datur ſub aquis reſpiratio defectu materiæ ipſius reſpirationis, quæ eſt aer ambiens ſecundùm Ariſtotelem *de reſpir. c. 5.* Quia cùm unum quodque elementum in ſuo loco, ſive regione naturaliter permaneat, non poteſt aer ſub aquis, niſi violenter attractus, exiſtere, & quatenus aliqua detur ſub aquis reſpiratio, ut ex Plinio *lib. 9. natur. hiſt. c. 7.* aſſerente, pisces in aqua reſpirare, illam tamen non eſſe ſufficientem & proportionatam ad refrigerandum vehementem calorem cordis hominis, itaut ex defectu reſpirationis, & refrigerationis non moriatur, ex mox dicendis patebit.

3 Ad hæc, quia juxta doctrinam Fernelii *loc. cit. c. 17.* facultates motivæ in homine ſunt triplicis generis. Prima, quæ ſemper ad ſtatutum illi tempus a Natura operatur, nec valet ab homine impediri, ut eſt pulmonum, & arteriarum pulſatio. Secunda, quæ eſt abſolutè ipſi homini libera, & voluntaria, ut ambulatio, & locutio. Tertia, quæ quidem eſt eidem homini voluntaria, ſed non abſolutè, ut ſunt lotii, & excrementorum, ac etiam reſpirationis retentio. Poteſt enim homo hujuſmodi facultates motivas ad tempus prohibere, ſed neceſſitate cogente, poſtquam aliquo intervallo temporis illas compreſſit, demum exercere compellitur. Verum quanto tempore poſſit homo dictas facultates compeſcere, quiſque poterit proprio experimento judicare, & quicquid ſit de excrementorum compreſſione, reſpirationem certè nedum quarta, ſed ne vigeſima quidem horæ parte comprimere poſſe, cognoſceret.

4 Poſtremò, quia maxima eſt differentia inter eos, qui ſuffocantur in aqua ex defectu reſpirationis, ac illos, qui laqueo, fumo carbonis, ſive alterius ſimilis rei, aut Syncope, apoplexia, & aliis hujuſmodi. Nam licèt aliquo ex his morbis, ſive accidentibus impediatur reſpiratio, dummodo in totum non tollatur, poteſt nihilominus infirmus vivere, cùm exiſtendo in loco, ubi eſt aer ambiens aliqualiter, licèt inſenſibiliter, poſſit reſpirare, prout neceſſariò fatendum eſt, reſpirare illos, qui poſt longum deliquium abſque ſignis reſpirationis recipiunt ex integro vires, cùm alioquin aſſerendum eſſet eos vixiſſe abſque reſpiratione. Quod nemo dixerit. At id non accedit in ſuffocatis in aqua; quia cùm in ea non adſit aer, nullo modo poſſunt reſpirare, atque adeò breviſſimo tempore illis mori neceſſe eſt.

5 Ex his autem certum remanet, non poſſe puerum præcipuè ne per quadrantem quidem horæ in mari, in puteo aquæ, muſti permanere abſque eo, quod moriatur, cùm impoſſibile ſit tanto tempore naturaliter vivere ſine reſpiratione, quæ vitæ comes eſt neceſſaria, qua carere non poſſumus, vel per temporis minimum, teſte Ariſtotele *lib. 6. de reſpir. cap. ult.* Galeno *lib. 1. de reſpir. cap. 12. & de utilit. reſpir. lib. 1. cap. 1. de uſu par. lib. 4.* Fernel. *loc. cit. lib. 6. cap. 16.* Hortmannus ex ſententia Schenkii, & ipſe Horſmannus *comm. lib. de uſu partium.* Gal. Laurentius *cap. de pulmon.* ac Hieronym. Fabricius, qui in *lib. de reſpirat. c. 1.* ſic ad rem differit: *At verò a reſpiratione maximum, & præcipuum fructuum animalia percipere hinc dignoſci licet, quod, præciſis cruribus, protinus ambulatio, manibus verò amputatis, extemplo apprehenſio deperditur, ſic oculo exempto, ceſſat viſio, lingua verò amiſſa, locutio perimitur, at reſpiratione, vel parvulo intervallo cohibita extemplo & vitam, & locutionem, & inceſſum, & apprehenſionem, & uno verbo dicam, vitam ipſam deperdi videmus eatenus, ut reſpirationem a vita, & vitam a reſpiratione ſeparare, itaut viventem non ſpirare, & ſpirantem non vivere ſit impoſſibile.*

Hæc ratio inſuper addi poteſt. Quia inſpiratio, ac reſ- 6
piratio fit a neceſſitate, mediis, materia, & inſtrumentis. Inſpirationis autem materia eſt aer, qui nullus ſub mari, ſub puteis aquæ, vel muſti exiſtit. Inſtrumenta verò cùm moveantur ab inſtinctu, a natura, & a neceſſitate, ſcilicet ad cordis æſtuantis flabellationem, ſequanturque cordis, primi motoris motum, certè moventur ad exigendum, exugendumque aerem, qui nullus eſt ſub aqua, cùm occupetur ab aqua. Etenim Spiritales partes primùm, poſtea totum corpus in aqua enatant, & ſubmerguntur, ſicque cor, exiſtente flabellandi neceſſitate ex defectu aeris non potentis ſub aqua exiſtere, & ex inhabilitate inſtrumentorum, non potentium ſequi motum cordis, cor ſuffocatum iri neceſſe eſt.

Neque obſtat Zacchia *qu. medicoleg. lib. 4. tit. 1. qu.* 7
ult. num. 28. dum ex eo non videtur attendenda opinio teſtium ſuper morte ex ſuffocatione, qui infantem extractum viderunt lingua extra os porrecta, & ſine motu, cùm potuerit utrumque accidere ex generato vapore muſti. Nam loquitur de eo, qui quaſi mortuus reputatur ex ebrietate, vapore vini, aut cereviſiæ, ſulmiſque ictu. His enim caſibus reſpiratio non ceſſat, ſicuti ceſſat in ſuffocato. Alibi reſpondemus Alexandro Benedicti, Sckenkio, Chriſtophoro a Vega, & Petro Foreſto.

Minuſque dicatur ſub aquis dari aliquam reſpirationem 8
per ea, quæ tradit Plinius *lib. 9. cap. 7.* in quæſtione, an piſces reſpirent. Nam quicquid de Plinii affirmativa opinione quoad piſcium reſpirationem, quam nec ipſe vult pro vera affirmare, cùm pro negativa militet Ariſtotel. *de reſpirat. cap. 12.* certum omninò eſt, poſſe hominem ſub aquis aerem, quem intrinſecus retinet, emittere, & expirare, ſed cùm non habeat branchias, aut fiſtulam, certum pariter eſt, non poſſe eamdem aerem reſumere, aut cum illo reſpirare, quia loco aeris, vel ſimul cum ejus minima quantitate longè majorem aquæ bibat, & repleat concavitates corporis, in quibus aer expulſus exitabat, adeòut paulatim aere emiſſo, non moriatur.

Quod ſanè mirabilius eſſet, ſi poſtquam puer fuerit ex- 9
tractus, aquam, aut muſtum non evomeret, cùm illud toto tempore, quo in eo ſubmerſus fuit, non biberit. Si in muſto, non in aqua maneret ſuffocatus. Nam dum bibit muſtum, neceſſe eſt dicere, id accidiſſe, vel quia objerit ſtatim, vel quia in eo ſteterit per quadrantem horæ ſine reſpiratione. Si primum, illius vita inter miracula reſurrectionum debet numerari. Si ſecundum, cùm id naturaliter contingere non poſſit abſque eo, quod moriatur, ſaltem ſupernaturaliter a morte fuiſſe præſervatum, dicendum eſt.

Eoque magis, ſi non in aqua, ſed in muſto fuerit ſub- 10
merſus. Nam cùm homo ſuffocari poſſit non ſolùm ob impedimentum reſpirationis, ſed etiamſi aer ambiens ſit vel in extremo calidus, vel frigidus, ut per Belvacenſ. *in ſpecul. hiſtor. lib. 24. c. 54.* dum fuerit duplex in puero ſuffocatio ex defectu ſcilicet aeris ambientis, ut ex vapore calidiſſimo muſti, utique vel de reſurrectione, vel de præſervatione a morte non eſt dubitandum.

Quare probatis precibus alicui ſervo Dei porrectis, & 11
inſtantanea reſurrectione abſque aliquo medicamento, vel humana ope, ex invocatione enim alicujus ſervi Dei miraculum ad ipſius interceſſionem ſequutum dici, habetur in relatione Beati Thomæ de Villanova per Coccinum, Sacræ Rotæ Decanum, impreſſa apud Contilorum *de Canonizat. Sanctorum*. Hac etenim ratione per Sanctos miracula fieri dicuntur, dum Deus ad eorum invocationem, ſed per eorum merita miracula dignatur operari, ut per eumdem Contilor. *loc. cit. c. 17. n. 4.* Et probatis extremis, nempe pueri morte, & invocatione, ſive voto emiſſo illi, de cujus beatificatione, vel canonizatione tractatur, ſatis probatum miraculum aſſerit Contilor. *loc. cit. c. 18. n. 13.* & Gloſs. in *can. nihilominus 3. q. 9.* relata a Panvin. *in relat. S. Bonaventuræ p. 3. art. 4. in fin.* quibus addo Rotam in relat. S. Ignatii *mirac. 2.* Beati Jacobi de Marchia *mirac. 5.* Beati Petri de Alcantara *mirac. 9.* poſt mortem, & B. Andreæ Avellini *mirac. 4.* Videndus Troilus Malvet. *de Canoniz. Sanctor. rub. 4. n. 71. tr. tom. 14. fol. 102.* ubi agitur de teſtibus deponentibus vidiſſe mortuum, & paulò poſt ad præces, ſive interceſſionem alicujus ſervi Dei, reſurrexiſſe.

CON-

CONSULTATIO CXC.

An, & quateuus ſanatio inſtantanea a nervorum convulſione, pluribus annis confirmata cum manuum, pedumque attractione, ac lingua ad loquendum impedita, implorato alicujus Servi Dei auxilio, ſic miraculo adſcribenda? An, & quatenus adhibenda ſit fides aſſertioni dicentis, quod aliquis Servus Dei ſibi apparuerit, ac præſervaverit ab infirmitate, a periculo, a morte?

1 AD primum negandum videtur. Nam certum eſt, quamlibet ſpeciem convulſionis enumerata a Sennerto *inſtit. mediç. lib. 2. part. 3. ſect. 2. cap. 5.* arte medica ſanari poſſe ex traditis ab eodem *mediç. pract. lib. 1. part. 2. cap. 28.* Zachuto *tom. 1. de mediç. princip. hiſtor. 51. & 52.* Alexandro de Benedicto *de omn. morbor. ſign. lib. 1. cap. 44. ac ſeqq. & lib. 20. cap. 5.* ac Ludovico Mercato *tom. 6. lib. 1. de internorum morbor. curat. cap. 15. de convulſione*. Data enim poſſibili curatione ex medicamentis adhibitis ſpatio alio aliquot dierum, non debet pro miraculo aſſeri, quod virtus Naturæ, illis adjuta, valet efficere.

2 At eſſe miraculo adſcribendam, concurrentibus infraſcriptis circumſtantiis, reſpondendum cenſeo. Pro qua re præmittendum eſt, quod convulſio, quæ græcè ſpaſmos dicitur, præ cæteris provenit ex omnibus cauſis, quæ immodicè corpus exivant, ut per Galen. *3. progn. com. 36.* Nam tunc ob nimiam ſiccitatem fit nervorum attractio, in qua præſertim conſiſtit morbus convulſionis, ac inſuper quod ſicuti nervus deſtinatus motioni alicujus partis corporis, magis afficitur, ita quoque pars illa magis attrahitur, & oſtenditur, ut quia nervi deſtinati ad monitionem manuum, pedum, ac linguæ ſint magis affecti, quàm cæteri.

3 Præmittendum item eſt, quod inter cauſas exiccantes connumerantur omnes paſſiones animi, & præcipuè timor vehemens ex Galeno *loc. cit.* ac Pacet. *in chirurg. tit. de vuln. in univerſ. lib. 2. cap. 25. de convulſ. cauſ.* Quia omnis calor, & ſpiritus ad cor recurrit timoris cauſa, & aliquando adeò vehementer, ut illud ſuffocet, Fernel. *in phyſiol. tit. de morb. cauſ. capit. 18.* Unde multoties convulſio provenit.

4 Præmittendum etiam eſt, quod convulſiones ex ſiccitate provenientes ferè immedicabiles ſunt, Galen. *lib. de timore, palpitat. & convulſ. propè fin.* ubi convulſiones, quarum ſiccitas cauſa eſt minimè medicaberis. Nam ſic affecti citiſſimè itereunt, nec medicamenta ſibi ipſis utilia excogitare permittunt. Et convulſio, quę multas partes, præſertim crebro vicinas, occupat, periculoſa eſt, tàm etiam illa, quæ maſculos thoraicis obſidet, nam metuitur, ne ob difficilem reſpirationem æger ſuffocetur, Lazar. Meyſon. *in breviar. medic. libr. 1. cap. 6. §. Diagnoſis, ſi a copioſo ſanguinis fluxu*, & Hippoc. *ſect. 5. aphor. 3. & ſect. 7. aphor. 9.* aut immodica purgatione ex eodem *ſect. 5. aphor. 1. & 4. & ſect. 7. aphor. 24.* convulſio generetur, ut plurimum lethale ſignum eſt. Tum quia talis convulſio ab inanitione oritur. Tum quia fieri poteſt, ut illa interdum ab irritatione eveniat commotis humoribus acribus, ac bilioſis, & ad partes nervoſas translatis, vel a qualitate maligna medicamenti, ut ex aſſumptione hellebori, & antimonii contingit, Meyſon. *loc. cit.* Convulſio verò, quæ pernicioſam phrenetidem ſequitur, lethifera eſt. Hinc Aetius *tetrab. 2. ſerm. 1. cap. 131.* ait, ex iis, qui ita *convulſi ſunt, neminem ſervatum eſſe ipſe vidi, neque qui vidiſſet, audivi.*

5 Ac demum præmittendum, quod quatenus curentur, non poſſe, niſi longo tempore curari, tradit Pacet. *ibidem lib. 2. cap. 1.* ex ſententia Hippocratis, aſſerentis, quod abſoluta. & prorſus confirmata ſiccitas inſanabilis eſt, quæ non omninò, ac prorſus confirmata, non eſt interdum, & ſi cum difficultate curationem admittat, cùm longum tempus ad ſiccitatem removendam ſit opus.

6 Ratio autem eſt. Quoniam ad tollendam confirmatam convulſionem, cujus cauſa vehemens fuit ſiccitas, maxima humiditas neceſſaria eſt, ideòque non valet cum illa, quæ regulariter in corpore humano extitit, ſanari. Tum quia non eſt ex ſe ſufficiens. Tumquia nec intrinſecus, neque extrinſecus poteſt taliter augeri, ut maximam ſiccitatem in inſtanti humectet. Quod ſecus eſt in convulſione orta ex frigiditate, aut humiditate. Nam tunc ſicuti calor naturalis poteſt brevi tempore vehementiſſimè accendi motu, ira, aliiſque ſimilibus cauſis, ſic poterit in inſtanti exiccare humiditatem, aut expellere, aut tollere frigiditatem.

His igitur ſic præmiſſis, manifeſtè liquet, quod cùm timor, ac conſequenter ſiccitas fuerit cauſa convulſionis, vel quæ ſequitur phrenetidem, aliæque ſuperius enumeratæ, quatenus arte medica poſſint ſanari, nihilominus ſi infirmus ante inſtantaneam ſanationem fuerit ab ea oppreſſus, ut non potuerit loqui, ambulare, ac operari, nec medicamenta adhibita illi profuerint, quinimmò in pejori forſan ſtatu, quam eſſet in principio morbi, eum conſtituerint. Quod deponere medicus debet, proculdubio dicendum eſt, ſanationem ſequutam in inſtanti, non contigiſſe naturaliter, ſed miraculo eſſe adſcribendam. Unde miraculum hujus ſanationis non conſiſtit in eo, quod infirmitas eſſet inſanabilis, ſed quod non potuerit in inſtanti ſanari. 7

Eoque magis ſi periti in arte aſſerunt, morbum aliquem curatu impoſſibilem, aut difficillimum eſſe, non videtur hæſitandum, attentis facti circumſtantiis, de eventu miraculoſo, cùm medicus ipſe talem judicaverit, cui ſtandum eſt in his, quæ reſpiciunt ſuam artem, Anchar. *conſ. 331. num. 6.* Bald. *conſ. 136. num. 4. & conſ. 237. ante med. lib. 2.* Clar. *recept. ſent. §. homicidium num. 43.* paſſimque alii, & in hac ſpecie Rota, & Congregatio Sacrorum Rituum plurimi ſemper fecerunt peritorum, medicorumque judicium, præſertim in relatione S. Ignatii *miraculo 1.* B. Thomæ de Villanova *miraculo 1.* apud Contilor. *de Canonizat. Sanctor. pag. 677.* Addo Angelum Victorem *conſult. medic.* Beati Paſchalis Baylon *mirac. 7.* eundemque Contilor. *cap. 18. num. 129.* Et ad inducendum miraculum non eſt neceſſaria impoſſibilitas curationis morbi, ſed ſufficit, quod maximè difficilis extiterit ex deductis per Zacch. *qu. medicoleg. lib. 8. q. 8. num. 4.* Quod magis comprobaretur, ſi infirmus ſanitatem in omnibus membris uno, eodemque inſtanti recuperaverit, quod certiſſimum miraculum dicendum eſt ex copioſè congeſtis a Contilor. *loc. cit. cap. 17.* 8

Eſto igitur, quod aliquæ convulſiones ſanabiles dici poſſint, conſiderandæ tamen ſunt in facto plures circumſtantiæ, ex quibus ſanatio redditur miraculoſa, nempe aſſertio Medici de morbo incurabili, vel cura difficillimo, deque medicamentis fruſtra adhibitis, reputatio ipſius medici pro eventu omninò miraculoſo, efficaces preces ſervo Dei porrectæ, ſanitatis recuperandæ in eo ſpes omnis collocata, indubitabilis inſtantaneitas, qua immediatè poſt ſervi Dei imploratam opem, vel illius apparitionem ſalutem penitus recuperavit. Quæ omnia cùm ſint ex cauſa ſupernaturali, ac ſupra vires totius Naturæ creatę, conſtituunt verum miraculum ex Div. Thoma *part. 1. quæſt. 107. artic. 8. & quæſt. 110. art. 4. & 22. quæſt. 178. art. 2.* Glol. *in cap. un. v. Sedis Apoſtolicæ de reliq. & vener. Sanct. in 6.* aliiſque congeſtis a Contilor. *d. cap. 18. numer. 2.* Præcipuè ſi ſanctio fiat ſubitò, ac in inſtanti, & ſit undique perfecta ex perpenſis a Zach. *loc. cit. lib. 4. tit. 1. quæſt. 8. num. 7, ac 9.* 9

Neque ſcrupulum injiciunt adhibita medicamenta. Nam cum ex Medici aſſertione omninò ad curam inſufficientia habita fuerint, & ex Galen. *2. aphoriſm. in textu com.* gravitas major, & morbi pernicies arguitur, ſi medicamenta adhibita nihil profecerint, & de miraculis Rota judicaverit, licèt medicamenta adhibita fuerint, præcipuè in relatione S. Caroli *miracul. 6.* & S. Ignatii *mirac. 8.* & Hieronymi Æmiliani *mirac. 7.* poſt obitum, ubi conſiderata fuit relatio Chirurgi ſuper qualitate morbi, & inefficacia remediorum. 10

Ad ſecundum, reſpondeo. Quando ex natura miraculi aliter id probari non poteſt, ut contigit in revelationibus, & apparitionibus illius, de cujus betificatione, vel canonizatione agitur, tunc ſufficit unicus teſtis ad probandam revelationem, vel ſanationem ex apparitione ſequutam, ut expreſsè ſcripſit Contilor. *de Canoniz. Sanctor. cap. 18. num. 18.* authoritate Rotæ in relatione Sancti Raymundi *part. 2. artic. 8. in rac. 8. & artic. 4. mirac. 9.* in relatione Sancti Caroli *part. 3. mirac. 4.* in relatione Sancti Ignatii *mirac. 2. & 3.* in relatione Sanctæ Thereſiæ *de mirac. titul. de aliquibus mirabil.* in relatione B. Petri de Alcantara *part. 2. de aliquibus apparit. in fin.* & in relatione S. Didaci *§. 10. in fin.* 11

CONSULTATIO CXCI.

An, & quatenus ſanatio a vulnere lethali, emiſſis precibus ad aliquem Dei ſervum ſtatim conſolidato, cicatrice tantùm apparente, ſit ſupra vires Naturæ?

1 REſpondendum videtur, ſanationem hanc naturaliter contigere poſſe, addita fiducia vulnerati. Cùm enim vulnus non læſerit aliquam partem nervoſam, nec ulla ex parte liberum capitis motum impediverit, & magnum ſanguinis profluvium inde exierit, facillimè poterit ſanari. Narrat enim Alexander Benedictus *lib. cap.* 48. ſub initio, vidiſſe vulneratos poſt ſanguinis copioſum profluvium ſine contractionis metu paucis diebus liberatos, ſubdens quoque in Caſtris vidiſſe Chirurgum curantem nobilem adoleſcentem, cujus vulneri ad cohibendum ſanguinis profluvium amici linteolos admoverant, ſtatim illos amoviſſe, & ſimulando neſcio quid, in vulnere digito perquirere, ut fruſtrando eluderet amicos vulnerati, conquerentes de larga ſanguinis profuſione, donec permitteret ſanguinem pro ægri viribus citra animi deliquium fluere, quo æſtu ægrotantem tutum a ſpaſmo reddidit, ut octavo die ſanus per cubiculum deambulaverit. Quod exeo repetit Sckenckius *obſerv. med. lib. 5. tit. de vuln. obſerv.* 3.

2 Deque vulnere abluendo cum vino meminit Hieronymus Fabricius ab Aquapendente *lib. 2. cap.* 10. *de vulner.* relatus a Sckenckio *loc. cit. obſerv.* 18. Vinum enim, ſicut potentia calidum eſt, ita potentialiter reductum ad actum per ſe calefaciendo exiccat, ut ratiocinatur Zachutus *de medic. princip. hiſtor. lib. 2. hiſt.* 74. *in paraphr. ſub lit. A.* adnotans cum Hippocrate *lib. de ulcerib.* quod ulcera vino ſunt exiccanda, non prætermittendo, quod vulnerum coglutinatio ſolius naturæ opus eſt, teſte Sannerto *inſtit. medic. lib. 5. p. 2. ſect. 3. cap.* 7. qui etiam Medicinæ practicæ *lib. 1. p. 1. cap.* 17. *num.* 8. docet, vulnera capitis in occipitio, nempe poſteriore illius parte, non eſſe periculoſa, quia ibi os firmius eſt.

3 At nihilominus, ſi conſtiterit, quod vulnus fuerit lethale, aut difficilis curationis, quod medicamenta vulneraria fruſtra adhibita fuerint a perito Chirurgo, cujus atteſtationi ſtandum eſt, cùm hoc ſit de iis, quę concernunt ejus peritiam ex alibi adductis, quibus addo *l. ſemel, C. de re milit. l. 1. ff. de ventr. inſpic.* Gloſſ. *in §. præterea Inſtit. de rer. diviſ.* Bart. *in l. Divus ff. de extraord. crim. in l. nulli, C. ne Sanct. baptiſm. in l. 1. C. de condit. ob cauſ. in l. 1. ff. ad municip. in l. ſi tibi §. ſi quædam ff. de pact.* Angel. *in l. ſi cum dotem §. Maritus ff. ſolut. matr.* Becc. *conſ.* 44. *num.* 10. Gregor. XV. *deciſ.* 125. *num.* 9. ac probata inſtantanea vulneris ſanatione, vel quod non potuerit tàm citò naturaliter ſanari, ſanatio dicenda erit ſupernaturalis, atque adeo miraculoſa.

4 Nec obſtat exemplum relatum ab Alexandro Benedicto ad corroborationem ſui dicti, quod vulnera etiam lethalia poſſint ſanari. Nam miraculum hujuſmodi conſiſtit vel in inſtantanea, vel in præpropera ſanatione, in qua fundantur miracula, quæ dicuntur tertii generis. Et propterea cùm idem Alexander aſſerat ſe vidiſſe vulneratos poſt ſanguinis copioſum profluvium ſine contractionis motu paucis diebus liberatos, & paulò poſt in exemplo allato, vulneratum, octavo die ſanum per cubiculum deambulaſſe, inde argui poteſt, non poſſe paucis horis vulnus lethale ſanari, atque adeò ſanatio illicò, vel breviſſimo temporis ſpatio abſque ullo medicamine ſequuta, relicta tantùm minima cicatrice ad majorem miraculi evidentiam, non poteſt contingere, niſi ſupernaturaliter exponderatis per Contilor. *de Canoniz. Sanct. cap.* 17. *num.* 14.

5 Minus officiunt, quæ dicuntur de ablutione vulneris cum vino. Conſtat enim nullius eſſe ad medelam vulneris efficaciæ. Quinimmò periti teſtantur potius obeſſe. Eſt enim apud Chirurgos tritum, quod in vulneribus, præſertim altis, debeat prius deveniri ad medicamenta expurgantia, ut eſt uſus tormentinæ, ac ſimilium, adhibitis etiam minutiſſimis panniculis, ſive lineamentis, ut ſanguis, & materia purulenta paulatim extrahatur, deinde ad reſtringentia, inter quæ vinum. Itaque ſtatim adhibitum vinum ſubitò vulnus reſtringendo, corruptum ſanguinem putredini magis exponit. Idque præſertim ſi vulneratus dolorem non perceperit. Ex hoc enim magis miraculum comprobatur ex Contilor. *loc. cit. num.* 19. Hæc enim eſt natura miruli, ut fiat ſine dolore illius, in quo patratur. Nec dici poterit læſam non fuiſſe aliquam partem nervoſam, ſi contrarium teſtetur peritus, cui omninò fides adhibenda eſt ex jam dictis.

CONSULTATIO CXCII.

De Canonizatione Sanctorum. Martyres vindicati. Miracula poſt mortem. Proceſſus Canonizationis. Ritus ejuſdem. Canonizatio de Cœlo. Canonizatio miraculis confirmatur. An miracula ſint neceſſaria in Eccleſia? A Joanne Calvino tentata mortui reſuſcitatio.

1 ECcleſię conſuetudo fuit, vel in ejus prima ætate, ut in Dyptica non tranſcriberentur, niſi magno cùm delectu, nomina eorum, quibus, ac veneratio deberetur. Quod adeò verum eſt, ut Martyres ipſi ſine maturitate ſuffragiorum, eum honorem non conſequerentur. Etenim de iis Epiſcopus ad Primatem referebat, & Primas re diſcuta cum aliis nationis Epiſcopis, de cultu eorum decernebat, Baron. *anno Chriſti* 312.

2 Reprehenſionem ideo meruit Romæ Lucilla, potentiſſima fœmina, quod viſa eſſet Liptana exoſculari Marryris cujuſdam nondum *vindicati*, ut loquitur Optatus Milevitanus, ideſt nondum declarati, ſeu approbati. Ex qua re conjicere ſit, ne ex privata quidem pietate id olim licuiſſe. At calculo Eccleſiæ accedente, implorabantur ex veteri Eccleſiæ diſciplina, quæ *habet*; inquit ſanctus Auguſtinus *de verb. Apoſt. ſerm.* 17, *cap.* 4. *ut, cùm Martyres recitantur ad altare Dei, ibi non pro ipſis oretur. Injuria eſt enim pro Martyre orare, cujus nos debemus orationibus commendari.*

3 Id præſertim decernebatur, cum frequentia erant miracula ac Sacras eorum exuvias: *Si quis eſt forte*, ait Sanctus Joannes Chryſoſtomus, de S. Babyla Martyre agens *orat. contra Gent. qui mortuorum reſurrectionem neget, cùm viderit Martyris noſtri facta illuſtriora eſſe poſt obitum, in poſterum erubeſcat. Qui Martyr ſtrenui alicujus bellatoris more, trophæis trophæa conjunxit, magnis majora, & mirabilibus mirabiliora?*

4 Jam de vera virtute, ac Sanctimonia eorum, qui in divos tranſcribi debent, Sacra Romæ Tribunalia diſquirunt, & coacto Sacræ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium Senatu, cui quoque interveniunt Epiſcopi, quotque in Urbe fuerint, in ſuffragia itur, ac demum ipſe Romanus Pontifex, cujus ore loquitur Deus, nomina Sanctorum ſine errore pronunciat. Verùm de hac re infra.

5 Hæc autem noſtrum Divorum apotheolis, vel ut caſtigatiori vocabulo utamur, Canonizatio, viſa eſt interdum cœlitus etiam confirmari. Nempè in Sicilia obierat Albertus, vir religioſiſſimus ex Ordine Carmelitarum, & cùm de ejus ſupremis honoribus ageretur, Clerus quidem tenax diſciplinæ ſeverioris, ordinarium Sacrificium pro defunctis ei deſtinaverat, etſi erat illuſtris opinio de illius ſanctitate. Contra, populus univerſus judicabat eximi eum debere a conditione communi. Ergo in re ancipiti Conſilia conferunt Siciliæ Rex Fridericus, & Vindericus Epiſcopus Meſſanenſis. Et quia prodigia obveneruut, ſono ſpontè dato ab ipſis nolulis Templorum in ejus obitu, & emiſſa odoris fragrantia ex corpore ipſius, ſtatuerunt Deo rem committi debere, indicto tridui jejunio. Cùm ecce tibi, dum erant ſupplices in Templo Clerus, & Populus, aderantque Rex, atque Antiſtes, de Cœlo ſunt allapſi pueri duo, amicti albis ſtolis auro intextis, ac de aeris pegmate, ſive odæo enunciaverunt in Alberri funere cantandum eſſe: *Os juſti meditabitur ſapientiam*, & mox in Cœlum recepti ex omnium conſpectu abjerunt. Quo circa Aris, & Templis dignus ſumma Populi, & Cleri gratulatione Sanctus Albertus habitus eſt, & tàm Fridericus, quàm Antiſtes Vindericus Apoſtolicæ Sedis conſenſum pro ejus perpetuo cultu, ac veneratione impetrarunt, Surius *in Auguſto*.

6 Sed Cœlum videatur etiam Imperatrici Cunegundæ, quę virgo vel in ipſo conjugio vixit, ſuffragium dediſſe pro ejus apotheoſi. Etenim circa ſepulcrum illius, quicquid fuit pulveris, aut glebę immutatum eſt divinitus in thuris ſuaviſſimi ubertatem. Id verò expendens pro concione in Sacra Lateranenſi Æde Innocentius Pontifex, meritò interpretatus eſt, fuiſſe argumentum ejus, tum ſanctimonię, tum virginitatis, Deo enim, ac Superis ſolet thus adoleri, Surius *in Martio*.

7 Confirmata quoque miraculis eſt ipſamet ritè facta a Romano Pontifice inauguratio Sanctorum. Vverdę in Germania puerum in Rheno ſubmerſum, rurſus vitę compotem fuiſſe ope Sancti Vviberti, dum

is a

is a Leone Romano Pontifice ibidem coram Carolo Magno, ac flore Imperii in Sanctorum album referretur.

8 Sed coronidis loco ſit miraculum, quod Ulyſſippone in Luſitania cum ingenti omnium lætitia, & admiratione evenit divinitus. Quo die Gregorius Romanus Pontifex ejus nominis Nonus, Spoleti Sanctum Antonium, civem Urbis illius, & Religioſum Ordinis Sancti Franciſci, numero Cœlitum aggregavit. Nimirum conſcia ejus rei Civitas Ulyſſipponenſis eſſe humanitus non potuiſſet, & tamencùm ejus Sancti Viri patria eſſet, excitata eſt ad publica felicium gaudia, ſono hilari, ac feſtivo omnium æneorum cymbalorum, quibus erant inſtructæ Sacrarum Ædium turres. Edito autem ſpontè tinnitu, exciti omnes ſunt ex domibus, atque officinis, & cum hilaritate, atque tripudiis per compita, & plateas curſitarunt ludibundi, etſi paſſim omnes ignorabant, ex qua potiſſimum cauſa exultim ea præter ſolitum hilaria celebrarent. Poſteà tempore ſuo de Sancti Antonii apotheoſi certiores facti, eo paſſim die peractam animadverterunt, quo illi tanta cum innocentia, & prorſus ex Numinis inſtinctu fuerunt exhilarati.

9 At non ita Sectarii, qui miracula, inquiunt Eccleſiæ Romanæ pleraque ſunt otioſa ſpectacula, quæ ſpectantibus afferunt ſtuporem abſque utilitate. Horum, ajunt, quis fructus? Nempè his artibus plebs attonita percellitur, & erroribus implicatur. Hinc de cereo Atrebatenſi, qui coram Icone Beatiſſimæ Virginis Deiparæ aliquot jam ſæculis ad dies ejus celebriores, & ſacratiores accendi, atque ardere, neque tamen conſumi. Quid facilius ajunt, quàm candelæ ſemi conſumptæ ſubſtituere alteram? Et de ſanguine ſancti Januarii Martyris, qui Neapoli colliquefieri in phiala ſolet, quando eſt coram cranio ejus, quid, inquiunt, faciliùs, quàm injicere calcem in lagenam, quæ ſic excitet bullas, ut liquor fervere videatur?

10 Addunt. Deus in deſerto promulgavit legem ſuam multo cum terrore inter flammarum globos, & fulgura, ac tonitrua, tubæquè clangorem. Sed noluit hæc prodigia eſſe perpetua. Majeſtas enim illa terrifica, & miracula, cum quibus lex primò publicata eſt, creaverunt fidem, & authoritatem legi divinæ in ſequentia ſæcula. Idcircò quando Rex Joſias legem Dei oblivione penè ſepultam, protulit in lucem, nulla ad creandam ei authoritatem facta ſunt miracula, cùm antiqua ſufficerent. Hæc ipſi.

11 At Catholici reſtitutam eſſe legem, aſſertamque morum diſciplinam, & factam inſignem Templi, atque Altaris repurgationem opera Joſiæ Regis, ſed non ſine præviis miraculis, affirmant. Joroboam adeant Sectarii *3. Reg. 13.* & diſcent vaticinii miraculo fuiſſe prænunciata omnia illa, quæ facturus erat Joſias. Item confirmatum fuiſſe vaticinium ſigno abſciſſæ aræ, atque effuſione cinerum ejus, & præterea prodigio arefactæ manus ejuſdem Regis Joroboam, quam extenderat adverſus virum Dei, quæ mox ei etiam reſtituta eſt. En quatuor miracula. Deinceps conſequuta ſunt innumera Eliæ, Eliſæi, Iſaiæ, Jonæ, atque aliorum in omni ſemper ævo miracula, ut non jactent Sectarii, poſt promulgationem legis factam in Sinai vertice, manum Dei omnipotentem inaruiſſe, ſicut inaruerat manus Joroboam, & ſicut aridæ fuerunt Lutheri, & Calvini manus, expertes iſtiuſmodi operum divinorum.

12 Quinimmò Novatores, hoc eſt falſi Evangelii præcones, mirum eſt, ut pruriant ad famam miraculorum, qua appendice, tanquam pendulo ſigillo Apoſtolatum ſuum erranti plebeculæ commendent. Neque tamen auſi unquam ſunt arrogandis ſe ingerere, niſi illis, quæ ſucum, & fraudem olent. Nam quis neſcit energumenos inſaniam, & ſanitatem ponere, deponere pro re nata, & cujuſque ſtomacho? Et tamen in ſolvenda hac obſidione Lutherus plauſum captavit, quàm ineptè? Alius ante me riſit. Sed alius ei ſuccenturiandus eſt, Coapoſtolus ejus Calvinus, ſi diis placet, cum eodem cocci. no eidem theatro inducendus. Scilicet hic Logodædalus Doctorum, & nihil, niſi fermentum, hoc æſtro vehementer incitatus mortuum animavit in hunc modum. Cùm Eccleſia egreſſus ſcholam erronibus aperiret quidam Brulæus ad eum Octuno Genevam migravit orientis erroris ſtudioſus, nec minus Calvini gratiam captans, quo ſcilicet commendatus ei veniret in partem peculii pauperum, cujus ille loculos geſtabat. Calvinus ei, atque etiam uxori pronus pollicetur ſubſidia omnia ad benè, beatèque vivendum, tantùm, ut ipſi operam ſuam ei commodarent ad rem, quam per ipſos fieri vellet, ſed opus eſſe fide, & magna taciturnitate. Illi è contra totos ſe vendere, obæratos fateri, duceret quò vellet, ſe itineri expeditos. Quid hæreamus? Hic Brulæus morbum ſimulans lecto ſternitur, & dolet altum, gravius, graviuſque dietim, ut jam denique timeretur in populum Proſerpinæ referendus.

13 Miniſtelli interim pro noſtris populo eum commendare, ut precibus morbum, ſtipe egeſtatem ejus ſublevarent. Tentatum id omne, ſed fruſtra, morbus inexorabilis fuit, & denique Brulæum ad manes tranſmiſit, ſuper quo admonitus clam Calvinus, quaſi rerum omnium ignarus, foras graditur auræ captandæ, ſed ſtipatus ſatellitio amicorum, ſine quibus vix pedem domo efferebat. Ibat autem de induſtria eo urbis, ubi funus eſſe ſciebat & tamen eò appulſus, cùm ejulatus audiret quaſi novitate perculſus, vultum in ſcapulas vertit, a ſequentibus ſciſcitatus, quid murmuris ibi audiret? Fuit autem, ut ipſe edixit, uxoris ejulatus, quæ fictitiis lamentis miſellam, & deſolatam viduam egregiè exprimebat. Id, cùm Calvinus audiviſſet, viſus eſt vicem ejus dolere, unde etiam domum ejus ſubiit, ubi in genua provolutus cùm circumfuſa caterva Dei miſericordiam in ſubſidium defuncti elata voce imploravit, etiam illud eum obteſtans, ut poliminio vitæ hujus hominis teſtatum mundo vellet, ſe Joannem Calvinum peculiaris notæ amicum eſſe, atque ab ipſo ſingulariter ad Evangelii Miniſterium, ſive Eccleſiæ reformandæ vocatum.

14 Quæ cùm oraſſet propius Brulæum acceſſit, & aprehenſa illius manu in Dei, & Jeſu Chriſti nomine imperavit, ut ſe erigeret in pedes, & graderetur. Sed interpoſuit paululum moræ mortuus, unde hic imperium repetivit, iterùm eumdem ſermonem dicens. Sed Brulæus iteratas moras adjecit, quod etiam tertiò fecit, & ſi alter acer inſtaret, ac tantum non admoneret factæ ſtipulationis. Sed ille adhuc proſtare, pallere.

Nec magis incepto vultum ſermone moveri.
Quam ſi dura ſilex, aut Marpeſia cautes.

quum etiam uxor non deſtiterit interim eum fodicare, pungere, ſurſum, prorſum verſare, ſed ille non ſegnius ſtertere, gravitare, nec quidquam, niſi pati, quippè jam expiravit. Tàm egregiè fabulam egit, ita graphicè mortuum expreſſit.

15 Quod cùm uxor ejus vera re ita geri comperiſſet, tum enim verò illa ſeriò plangere, ex animo ululare, Calvinum proſcindere, impoſtorem, & homicidam vocare, cujus fraudibus ipſa mariti orbitatem incurriſſet. Nam & omnem rei ſeriem ſtirpitus orſa, ad exitium uſque elata voce declamavit, neque aut minis terreri, aut pollicitationibus ullis invitari potuit ad tacendum. Quò ſe vertere decimus tertius Apoſtolus hìc, quintus Evangeliſta Calvinus? Mactata hoſtia lenior ſenſim ſe ſubduxit, in vulgus ſpargens viduam illam mariti obitu lymphatam, adeoque excuſandam. Illud certum eſt conventum deinde cum ea, ut urbe abſcederet, & re ipſa Octunum regreſſam. Ita Hieronymus Bolſec. in vita Calvini, Brerdembard. *lib. 7. collect. cap. 3.* & Baron. in portentis jucundis *portent. 9.*

16 Sed pergunt Sectarii. Idem factum, inquiunt, in prædicatione Evangelii, cujus prima prædicatio facta ab Apoſtolis, & Apoſtolorum Diſcipulis fuit miraculis illuſtris, quorum doctrinam ſi quis amplectitur, eorumque veſtigiis religioſè inſiſtit, injuſtè ab eo requiruntur miracula, cùm miracula facta a Chriſto, & Apoſtolis iſtam doctrinam abundè confirment.

17 Sic ipſi. At noſtri mirantur, cur injuſtitiæ nos arguant, qui poſſumus juſtiſſimè miracula requirere in gratiam illorum, qui aut nullatenus, aut perperam credunt? Nimirum ſemper Eccleſia eſt habitura vim hanc effectricem miraculorum, eaque imprimis teſſera gloriabitur, ſed a ſectarum colluvie diſcriminari. *Signa eos, qui crediderint*, inquit Chriſtus Dominus Marc. *capit. ult. hæc ſequentur. In nomine meo dæmonia ejicient, linguis loquentur novis, Serpentes tollent, & ſi mortiferum quid biberint, non eis nocebit. Super ægros manus imponent, & benè habebunt.* Alibi plus adhuc pollicetur Joan. 14. *Qui credit in me*, ait, *opera, quæ ego facio, & ipſe faciet.* Quæ divinæ promiſſiones non pertinent ad eos tantùm, qui crediderunt in primitiva Eccleſia, ſed ad eorum quoſcunque ſeros etiam nepotes. Eſt verò ſenſus, non ſingulos quidem *diſtributivè*, *ſed collectivè* univerſos, compotes futuros hujus poteſtatis, ut videlicet potiri videatur ſic Eccleſia perpetuò gratia miraculorum.

18 Hæc verò eſt omnium Catholicorum ſententia, quam egregiè proſequitur Chryſoſt. *in pſalm. 110. Quid eſt*, inquit,

inquit, *memoriam fecit mirabilium ſuorum?* Nunquam, ait, *miracula facere intermiſit. Hoc enim eſt, fecit memoriam. Non ceſſavit, non deſtitit per omnem generationem facere miracula, & per res admirabiles excitare craſſiores. Qui eſt enim excelſo animo, & philoſophiæ dedito, non habebit opus ſignis, hebetiores enim ſunt, qui non viderunt, & crediderunt. Quoniam autem ipſe non eorum tantummodo curam gerit, ſed etiam creſſiorum, in omni ferè generatione non ceſſat facere miracula.* Poſt hæc enumerat Chryſoſtomus, quæ in Paleſtina, quæ in Babylone, quæ poſt tranſmigrationem, quæ tempore Machabæorum, quæ in ipſo Chriſti Domini adventu, quæ deinceps uſque ad ſuam ipſius ætatem evenerunt divinitus, præſertim ad S. Martyris Babylæ ſepulchrum.

19 Ad hæc ſectarii. Ejus eſt, inquiunt, edere miracula, qui nova profert, & populis inaudita. Nos aſſentimur equidem, dummodo vera proferat. Quia cauſa duntaxat veritatis confirmandæ miracula fiunt. Mox ita pergunt ſectarii. Cujus rei gnarus Satan, multa per veteres hæreticos fecit miracula, qui in hac parte ſe orthodoxis Superiores eſſe gloriabantur, ut docet Tertullianus *de præſcript.* & adverſus Marcionem; ſed miſerè ad Tertulliani librum de præſcriptionibus provocant; nam cùm in eo volumine ſectarios noſtros deſcribat graphicè, aſſerens eos *ſine Eccleſia, ſine Matre, orba fide, extorres, & quaſi ſibilatos vagari*, addit, *notata ſunt etiam commercia hæreticorum cum Magis quamplurimis.* En ipſos ad ſigna ea tantum ablegat, quæ fiunt per privatos contractus cum reprobis Angelis, & quæ utique non ſunt vera miracula. De iiſdem, quando in futuro judicio reddent rationem, præſertim ipſius fidei, quam a ſe corruptam, confirmare voluerunt adulterinis miraculis. *Quid illi dicent*, inquit, *qui illam ſtupraverint adulterio hæretico Virginem & aditam a Chriſto?* Et tum ait reſponſurum utique Deum: *Prænunciaveram planè, futuros fallaciæ magiſtros.* Atque his conſentanea ſcribit Tertullianus adverſus Marcionem.

20 Fruſtra etiam ſectarii quærunt patrocinium in Sancti Auguſtini diſſertatione contra literas Petiliani Donatiſtæ *lib.* 2. *cap.* 55. Ibi admittit potius in Eccleſia Dei miracula eſſe, ſed probat, magis oportere gloriari de charitate. In epiſtola verò ad Clerum Hipponenſem *epiſt.* 137. miracula fatetur in Africa deſiderari, ſed non in univerſa Dei Eccleſia, quod ſectarii falsò aſſerunt. Nam ibi meminit ſtatum de miraculis S. Felicis Nolani, & de aliis, *quæ nos*, inquit, *novimus Mediolani ad memoriam ſanctorum*, nempè Gervaſii, & Prothaſii.

21 Sed quanta eſt eorum nequitia, dum provocant ad librum Sancti Auguſtini de vera Religione, ubi aſſerit Deum non permiſiſſe, ut miracula perſeveraverint uſque ad ſua ipſius tempora, reticent verò id a S. Auguſtino fuiſſe revocatum in libro 1. *retract. cap.* 13. Codicem adeat quiſquis de vera ejus ſententia certius cognoſcere voluerit. *Quod dixi*, inquit, *nec miracula iſta in noſtra tempora durare permiſſa ſunt, ne anima ſemper viſibilia quæreret, & eorum conſuetudine frigeſceret genus humanum, quorum novitate flagravit. Verum eſt quidem. Non enim nunc uſque cùm manus imponitur baptizatis, ſi accipiunt Spiritum Sanctum, ut loquantur linguis omnium gentium; aut nunc uſque ad umbram tranſeuntium Prædicatorum Chriſti ſanatur infirmi, & ſi quæ talia tunc facta ſunt, quæ poſtea ceſſaſſe manifeſtum eſt. Sed non ſic accipiendum eſt, quod dixi, ut nunc in Chriſti nomine fieri miracula nulla credantur. Nam ego ipſe, quando iſtum ipſum librum ſcripſi, ad Mediolanenſium corpora Martyrum in eadem Civitate, Cæcum illuminatum fuiſſe jam noveram, & alia nonnulla qualia tàm multa etiam iſtis temporibus fiunt; ut nec omnia cognoſcere, nec ea, quæ cognoſcimus, enunciare poſſimus.*

22 Parum hoc videatur, niſi lectarii, ut adſtruan fidem errori ſuo, ſtuduerint etiam ipſa Sacræ Scripturæ oracula mutilare. Si totum Novum Teſtamentum, inquiunt, pervolvas, comperies, nulla noviſſimis temporibus prædici miracula, niſi falſorum Doctorum. Tum de his ajunt, vaticinium illud eſſe: *Dabunt ſigna magna, & prodigia itaut in errorem inducantur, ſi fieri poteſt, etiam electi*, Matth. 24. In Apocalypſi aut ajunt, hæc item referri, *cap.* 13. de Beſtia priori: *Fecit ſigna magna, ut etiam ignem faceret de Cœlo deſcendere interram in conſpectu hominum.*

23 Enim verò dum hoc aſſerunt, aut nequam, aut in Scriptura ſacra infantes ſunt. An non pronunciatur, ſigna ſequuntura eos, qui crediderint? An non eſt in Apocalypſi 11. quod jam adſcribo? *Hi ſunt duæ olivæ, & duo candelabra in conſpectu Domini terra ſtantes, & ſi quis voluerit eis nocere, ignis exiet de ore eorum, & devorabit inimicos eorum. Et ſi quis voluerit eos lædere, ſic oportet eum occidi: hi habent poteſtatem claudendi Cœlum, ne pluat diebus prophetiæ eorum, & poteſtatem habent ſuper aquas convertendi eas in ſanguinem, & percutere terram omni plaga, quotieſcunque voluerint.* Nulla ne ergo noviſſimis temporibus erunt miracula, niſi falſorum Doctorum? Nulla in toto novo Teſtamento prænunciantur?

Nihilominus nos impudentiæ audent inſimulare, 24
dum ſubit animum admiratio, inquiunt, qua fronte Pontifices audeant ponere miracula inter notas veræ Eccleſiæ, cùm Paulus velit Eccleſiam, quæ adhærebit filio perditionis hac nota diſcerni. Atqui hoc falſiſſimum eſt. Nam S. Paulus eum, ait, *ſignis mendacibus* debere diſcriminari ab Eccleſia, verorum utique miraculorum effectrice. Vera ſiquidem erunt miracula illa, quæ paulò ante recenſui de duobus Athletis illis, qui dicuntur pugnaturi contra filium perditionis, & qui ſuperata morte imbui de integro ſpiritu vitæ, & ad Cœlum ſcandere vehiculo nubium videbuntur. At de his hactenus. Mordicus duntaxat Sectarii aerem feriunt. Noſtra interim Eccleſia Apoſtolica Romana gloriabitur, ſe hac miraculorum prærogativa interſtingui a perfidia ſectarum, alibi ſi fiant, ludibria erunt, ac meræ dæmonum præſtigiæ. Eſt hæc ratiocinatio, ſanè gravis, & pertinens Sancti Auguſtini *lib. de unit. Eccleſ. cap.* 16. *Quæcunque talia*, inquit, *in Catholica fiunt, ideò ſunt approbanda, quia in Catholica fiunt.*

CONSULTATIO CXCIII.

1 *An aliquis ob miraculorum evidentiam a Sede Apoſtolica in Sanctorum numerum referri poſſit?*
2 *Quid de habente donum ſcientiæ, ac prophetiæ?*
3 *Quidve de eo, qui pro ſancto a principibus viris? & a Populo denunciatur?*

AD primum certum eſt, quod ſanctitas ſine miraculis eſſe poteſt, ut de ſancto Joanne Baptiſta, & pleriſque aliis conſtat. Certumque item eſt, miracula etiam a non ſanctis, immò a malis hominibus fieri poſſe, ut alibi oſtendimus. Homines autem tribus modis mali eſſe poſſunt. Vel ob malam doctrinam. Vel ob pravam vitam. Vel ob inanem gloriam. Homines mali primo modo ſunt dæmonem in arte magica invocantes, qui vera miracula facere non poſſunt. Hæc enim nonniſi virtute Dei fieri poſſunt Angelorum miniſterio, ſanctiſque orantibus, ac impetrantibus ea, quæ ad horum invocationem fiunt, ut docet Auguſtinus *lib.* 22. *de Civit. cap.* 9. & nos alibi. 1

Homines mali ſecundo modo poſſunt ad invocationem nominis Chriſti, & Sanctorum vera miracula facere ad bonorum hominum utilitatem, ut ipſi Deum venerentur, & in fide, ac doctrina vera per ipſa miracula confirmentur. Miracula enim, teſte Hieronymo *lib.* 1. *in Matthæum cap.* 7. non ſemper ad meritum illius, qui operatur, ſed ad condemnationem invocantium, & ad eorum, qui miracula vident, & audient utilitatem fiunt. 2

Homines tertio modo quanta maxima ſanctitate ſint, nonnunquam de aliquo miraculo inani gloria captos fuiſſe, legitur, ut apud Lucam 10. videre licet, ubi Salvator noſter lætitiam, qua ob ſpiritus ſibi ſubjectos, diſcipuli affecti videbantur, reprehendit, quod ea lætitia, ut Doctores exponunt, inanem gloriam ſaperet. Hinc ait Chryſoſtomus: *Cùm cætera vitia in ſervis Diaboli locum habeant, ut, vana gloria etiam in ſervis Dei locum tenet.* Quare etiamſi hujus generis homines hac in re boni non ſint, ad teſtificationem tamen ſanctitatis, ac doctrinæ veritatis multa ſigna, & miracula eis a Deo conceduntur. 3

Quamvis igitur hominibus malis miracula interdum facere concedatur, aliqui tamen ob miracula evidenter facta in Sanctorum numerum referri poſſunt, ac debent, nulla in primis re vitæ Sanctitati adverſante, cùm miracula ſigna ſint teſtificationis ſanctitatis, ac doctrinæ veritatis Sanctorum manifeſta. Quoniam verò miracula dictas ob cauſas ab hominibus etiam non ſanctis nonnunquam fieri poſſunt, cùm ſint gratiæ gratis datæ, quæ cum peccato ſtare queunt, ideò miracula poſt mortem facta majorem ſanctitatis evidentiam, quàm quæ in vita ſunt patrata, preferunt, atque idcircò relationem inter ſanctos facilius admittunt. 4

Ad ſecundum. Canonizatio charitatem, & ſanctitatem poſtulat, ſine qua ſcientiæ donum, ac prophetiæ datur ſecundùm Apoſtoli ſententiam 1. Corint. 13. *Et ſi habuero prophetiam, & noverim myſteria omnia, & omnem ſcien-* 5

ſcientiam. Et ſi habuero omnem fidem, itaut montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil ſum. Quamvis enim vita æterna, quæ ſanctis datur, ſcientiæ donum habenti videatur promitti. Eccleſiaſt, 24. *Qui elucidant me, vitam æternam habebunt*, ſcientia tamen, aut doctrina non ex ſe tantùm, ſed igne charitatis accenſa, præmium illud æternæ vitæ promeretur, & conſequitur.

6 Hujus generis erat doctrina Pauli, qui in fide, ac veritate Doctor Gentium fuit. Nam ſicut ferrum ignitum non eſt aliud quàm ignis, ut ita Chryſoſtomus *hom. 3 d. laudib. Pauli*, ita ejus doctrina igne charitatis accenſa aliud, quàm charitas non erat. Nemo itaque propter ſolum ſcientiæ donum canonizari poteſt. Hinc Gregorius IX. de ſanctitate ſine ſcientia, quam doctam imperitiam, vel imperitam doctrinam appellare poſſumus, in Canonizatione S. Franciſci Aſſiſinatis ait, quod ille feliciter migravit ad Dominum, multos præveniens ſcientia præditos, ſcienter neſcius, & ſapienter indoctus, ut refert Gerardus Voſſius, & conſtat ex regeſto anni ſecundi ejus Pontificatus in *Bibliot. Vatican.* ſapienter quidem inſtar Apoſtoli ſciebat, qui ſcribens ad Corinthios 1. 2. ait: *Non judicavi me ſcire aliquid inter vos, niſi Jeſum Chriſtum, & hunc crucifixum.* In Chriſto enim crucifixo veterem hominem noſtrum Cruci affixum diſcimus, ut ſcilicet deſtruatur opus peccati, & ultra non ſerviamus peccato, quæ quidem ſcientia, ut inquit Paulus 1. *Corinth.* 2. in myſterio abſcondita eſt. Hinc ſicut literarum ignorantia ſanctitatem interdum admittit, ita literarum peritia nonnunquam ſanctitatem excludit. Huc ſpectare videtur illud Beati Hieronymi *epiſtol.* 2. ad Nepotianum: *Nec ruſticus, & ſimplex frater ideo ſe ſanctum putet, ſi nihil noverit; nec peritus & eloquens lingua æſtimet ſanctitatem. Multò melius eſt è duobus imperfectis ruſticitatem Sanctam habere, quàm eloquentiam peccatricem.* Atque hæc de ſcientiæ dono ſine ſanctitate, Canonizationem non admittente.

7 Ad ſecundum. Quamquam Spiritus Sanctus in animas ſanctas ſe transferat amicos Dei, ac prophetas conſtituendo, ut in libro Sapientiæ *cap.* 7. legitur, ſpiritus tamen ſanctus non ſe transfert in animas eorum, quibus donum prophetiæ datur, nec eos amicos Dei conſtituit, niſi quando ad mentem recipientis illuſtrandam prophetiæ donum confertur, non autem quando ad aliorum tantùm inſtructionem datur. Et licèt a Divo Petro 2. 1. dicatur: *Non enim voluntate humana allata eſt aliquando prophetia, ſed Spiritu Sancto inſpirati loquuti ſunt ſancti Dei homines*, aliud tamen eſt loqui in Spiritu ſancto, aliud verò in virtute Spiritus Sancti. Sancti enim homines loquuntur vera in Spiritu Sancto, ſed mali homines loquuntur vera virtute nominis Chriſti, & virtute Spiritus Sancti, non in Spiritu ſancto. Hinc mali homines a Div. Matthæo *capit.* 7. in univerſalis judicii die dicturi ſunt, *Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus?* Quibus reſpondebitur a Domino: *Neſcio vos.*

8 Nemo igitur propter ſolum ſcientiæ, ac prophetiæ donum abſque ſanctitate canonizari poteſt. Sola enim vitæ Sanctitas, & planè clariſſima, longa temporum ſerie ad finem uſque vitæ incluſivè, nunquam interrupta cum miraculis, Canonizationem a principibus viris, ſive ab Imperatore, a Rege, atque item a Provinciis, & Regnis, & a populis Civitatum, aut locorum, ſuppliciter, ac frequenter poſtulatam, ordineque judiciario, ac ritu ſolemni celebrandam, admittit.

9 Ad tertium. Cùm Canonizationis opus maximum ſit, ac difficillimum inter ea, quæ in Eccleſia Dei fieri ſolent, ideo maximam poſtulat maturitatem, diligentem ſcilicet rerum geſtarum, vitæque illius, qui catalogo Sanctorum eſt adſcribendus, non ſemel repetitam inquiſitionem. Teſtes enim fallere, & falli poſſunt aliquo indecenti affectu perſuaſi, ut proinde dicat Beatus Joannes Apoſtolus 1. 4. *Nolite omni ſpiritui credere, ſed probate ſpiritus, ſi ex Deo ſint.* Induſtriæ igitur celeritas, ac diligentiæ tarditas, quæ veram faciunt maturitatem has ob cauſas in Canonizatione jure, meritoque deſiderantur, hoc eſt propter ſanctitatis, & miraculorum veritatem, operis arduitatem, ac fidei firmitatem, atque conſtantiam. Hinc Auguſtinus *libr. de vera religion. capit.* 25. nos admonet, ut quibus credendum ſit, quod ad miracula, & inviſibilia pertinet, diligenter videamus, omni ſcilicet adhibita maturitate ſapientiſſimo Salvatoris noſtri documento, qui non ſtatim, ſed cœremoniis præviis Lazarum a morte ſuſcitavit. Nec item Chananææ filiam ſtatim ſanavit, ſed, ut ait Chryſoſtomus *homil.* 53. *in Matth.* 15. quantò magis mulier ſuppliciter orabat, tantò magis Chriſtus ſanitatem reddendam negabat.

Propter fidei quoque firmitatem, atque conſtantiam 10
roborandam Canonizatio item differri debet. Chriſtus, ut inquit Chryſoſtomus in citatum Matthæi locum, mulierem illam Chananæam clamantem, non ſtatim exaudivit, ut fides illius promulgaretur, ut quam intus moveret, Chriſti divinitatem, & humanitatem confiteretur verbis illis: *Miſerere mei, Domine, fili David.* Hinc ipſa meruit audire; *O mulier, magna eſt fides tua. Fiat tibi ſicut vis*, Matth. *ibid.* Ex hac autem prorogatione frequentia miraculorum augetur, eorumque veritas magis eluceſcit, operumque miſericordiæ fama multò magis divulgatur, ac fides de operibus miſericordiæ canonizandi in cordibus tandem Populorum confirmatur, roboraturque, ac ſanctitas declaratur. Temporis namque diuturnitas magiſtra eſt veritatis, immò filia temporis ex Aulo Gellio *libr. duodecimo noct. Attic. capit.* 11.

Idque ut alibi diximus exemplo de quodam Herman- 11
no hæretico, fictæ ſanctitatis homine comprobatur, quem poſt falſam a populis ſanctitatem viginti annorum ſpatio prædicatam, Bonifacius VIII. exhumari, comburique juſſit, diligentiſſima de ipſius hæreſi, fictaque ſanctitate habita inquiſitione ex Platina in Bonifacio Octavo. Tempore item Alexandri III. ut habetur in *cap. Andivimus de reliq. & vener. Sanctor.* quidam in ebrietate, ac ſeditione occiſus, tanquam Martyr colebatur. Et Sancti Martini ætate ignotus quidam, etiam tanquam Martyr honorabatur, de quo ita Sulpitius Severus teſtatur de *vit. Sancti Martini cap.* 8. & *tom.* 7. *Bibliot. veter. Patr. Deinde Martinus ſuper ſepulchrum ipſum aſtans, oravit ad Dominum, ut quis eſſet, vel cujus meritis ſepultus, oſtenderet. Tum converſus ad lævam, vidit prope aſſiſtere umbram ſordidam, trucem. Imperat, nomen, meritumque, ut loqueretur. Nomen edicit, de crimine confitetur, latronem ſe fuiſſe ob ſcelera percuſſum, vulgi errore celebratum, ſibi nihil cum Martyribus eſſe commune, cùm illos gloria, ſe pœna retineret. Mirum in modum vocem loquentis, qui aderant, audiebant, perſonam tamen non videbant. Tum Martinus quid vidiſſet, expoſuit, juſſitque ex eo loco altare, quod ibi fuerat, ſubmoveri, atque ita populum ſuperſtitionis illius abſolvit errore.*

Sanctorum itaque Canonizatio longa temporum, aut 12
ſæculorum ſerie jure differri ſolet, ac debet. Exemplo ſint S. Hiacynthus, qui anno Domini 1257. obiit, deinde anno 1594. in Sanctorum numerum relatus. B. Raymundus anno 1275. die Epiphaniæ ex hac vita migravit, anno 1601. fuit ſanctorum cœtui adſcriptus.

Quamvis autem res ita ſeſe habeat, ob admirandam 13
tamen ſanctitatis, & miraculorum evidentiam, ſive ob martyrium, cunctis interdum difficultatibus, quæ Canonizationem prorogare ſolent, non minus diligenter, quam citò ſuperatis, brevi temporis intervallo nonnulli cum Sanctis fuerunt enumerati. Horum è numero eſt Antonius Luſitanus, qui eodem anno, quo ex hac vita deceſſit, Spoleti Sanctis adſcriptus fuit a Gregorio IX. Hujus Canonizationis autographum jamdiu Anagniæ aſſervatum fuit, nunc vero in Bibliotheca Vaticana juſſu Gregorii XIII.

Petrus Martyr Veronenſis ex ordine Prædicatorum 14
anno poſt martyrium primo nondum exacto, in ſanctorum Ordine poſitus fuit ab Innocentio IV.

Thom. Cantuarien. anno poſt Martyrium ſequenti ab 15
Alexandro III. in Sanctorum Concilio fuit collocatus.

Eliſabeth Vidua Ordinis Minorum fuit in ſanctas relata anno poſt obitum quarto a Gregorio IX.

Bellinus Epiſcopus Patavinus Sanctis adnumeratus 16
fuit biennio poſt martyrium ab Eugenio III. vel, ut alii volunt, anno primo poſt martyrium, hoc eſt, anno 1550.

Franciſcus Author Ordinis fratrum Minorum diem 17
ſupremum obiit anno 1226. quarto die menſis Octobris, & cœleſtes honores ei decrevit Gregorius IX. anno 1228. die 16. Julii.

Homobonus Cremonenſis, qui anno 1197. e vita pro- 18
fectus eſt, ab Innocentio Tertio inter ſanctos fuit relatus anno 1198.

Birgitta Vidua mortalitatem explevit anno 1373. die 19
23. Julii, & in Catalogo Sanctorum anno 1390. a Bonifacio IX. fuit adſcripta.

Ubaldus Epiſcopus Eugubinus extremum vitæ ſpiri- 20
tum edidit anno 1169. & a Cœleſtino Tertio in Sanctorum numero fuit repoſitus anno 1192.

Dominicus Ordinis Prædicatorum Inſtitutor anno de- 21
cimoquarto poſt ejus exceſſum, nempe anno 1221. a Gregorio

gorio Nono Sanctorum honorem, cultumque obtinuit anno 1234.

22 Thomas Aquinas anno quinquagesimo postquam abiit è vita, ritè inter sanctos relatus fuit a Joanne XXII.

23 Antonius, Archiepiscopus Florentinus, post annum sexagesimum sui obitus, ab Adriano VI. Sanctis fuit adscriptus.

CONSULTATIO CXCIV.

De miraculis diligenter etiam atque etiam examinandis in Canonizatione Sanctorum. De modo illa examinandi: Et quæ necessaria sint pro Sanctis in Ecclesia militante declarandis?

1 TAnta in miraculis examinandis debet adhiberi diligentia, quanta maxima esse potest ob summas, & quidem plurimas, quæ in dies oriri solent difficultates, quemadmodum ea, quæ de veris miraculis, necnon ludificationibus admitendis, dæmonum opera, antea demonstravimus. Hinc Sacrum Concilium Trident. *sess. 25. de reliq. & vener. Sanct. propè fin.* nulla nova miracula admittenda esse decernit, nisi recognoscente, & approbante Episcopo, qui simul, atque de iis aliquid compertum habuerit, adhibitis in consilium Theologis, aliisque piis viris, ea faciat, quæ veritati, ac pietati consentanea judicaverit.

2 Testes insuper in hanc rem, tàm gravem, & arduam, adhibendi sunt de singulis miraculorum circumstantiis, summa diligentia interrogati, qui ut clariorem veritatis, rerumque gestarum testificationem efficiant, conteſtes de una, & eadem re esse debent, & plures quidem. Si enim unus de re singulari, alter verò de re altera testetur, tanquam testes singulares, nihil profectò probant, Archid. in *canon. nec mirum 26. quæst. 5.* Bald. *in leg. solam de testib.* passimque alii, è quorum numero item sunt, qui in aliqua testificatione scientiæ causam non reddunt. Pluris enim est oculatus testis unus, quàm auriti decem, ut etiam Poetæ ajunt, Plaut. *in Trucul.*

3 Porrò Gregorius IX. dum S. Franciscum Perusii, S. Antonium Spoleti, S. Dominicum Reatæ, S. Elisabeth Perusii inter Sanctos retulit, regulam canonizandi posteris fermè constituit, ut videre est ejus literis Apostolicis, quas ex Bibliotheca Vaticana desumptas Gerardus Vossius, vir pius, & eruditus, in lucem emisit. Nos ea tantùm hoc loco apponimus, quæ in eisdem literis ad Canonizationem S. Antonii pertinentibus scripsit in hæc verba; *Ad hoc, ut sanctus habeatur apud homines in Ecclesia militante, duo sunt necessaria, virtus morum, & veritas signorum, merita videlicet, & miracula, ut & hæc, illa sibi ad invicem conteſtentur, cùm nec merita sine miraculis, nec miracula sine meritis plenè sufficiant ad perhibendum inter homines testimonium sanctitatis. Sed cùm merita sanè præcedant, & clara succedunt miracula, tunc certum præbent indicium sanctitatis, ut nos ad ipsius veneration-em inducant, quem Deus ex meritis præcedentibus, ac signis subsequentibus exhibet venerandum. Quæ duo ex verbis Evangelistæ plenius colliguntur: Illi autem profecti prædicaverint ubique, Domino cooperante, & Sermonem confirmante, sequentibus signis, Marc. 16.* Hæc Gregorius IX.

4 Quæ sanè omnia, & fusius quidem a Divo Thoma 2. 2. *quæst. 82. art. 8.* B. Antonino *p. 3. tit. 12. cap. 8. §. 1.* & ab aliis enarrantur. Ex eo etiam, quod Chrysostomus de sanctitate scriptum reliquit, colligi potest, quid pro sancto declarando requiratur. Ait enim *homil. in psalm. 144. Quid est Sanctus? Rectus, purus, mundus ab omni reprehensione alienus, qui nullam ulli omninò præbet ansam.*

CONSULTATIO CXCV.

Qui Ordo judiciarius in Canonizatione observari consueverit? Actiones in ea requisitæ. Et an Ordo judiciarius tàm in Canonizatione Martyrum, quàm Confessorum observandus?

1 ORdo judiciarius duobus modis considerari potest. Primò, quoad inquisitionem, aut discussionem causæ canonizationis. Secundò, quoad causam, ut ajunt, motivam. Primo modo judiciarius ordo tàm in canonizatione Martyrum, quàm Confessorum observandus est. Secundo modo non item. Quando enim aliquis pro Martyre canonizandus est, non solùm causa, propter quam fuerit passus diligentissimè est investiganda, quia causa, non pœna facit martyrem, ut ait Augustinus *ep. 61. & 166.* sed modus item patiendi est accuratè inquirendus. Multi enim hæretici passi sunt, & patiuntur pro Christo, dum ejus doctrinæ, ac præceptis adversantur, de quibus inquit Apostolus *ad Rom. 10. Zelum quidem Dei, sed non secundùm scientiam.* Quam in rem Glossa inquit: *Stultum est Dominum legis venerari, & legem ejus, ac doctrinam persequi, & falsificare.* Causa igitur, & modus patiendi omni cura, & diligentia investigari debent, nisi causa adeò esset manifesta, ut aliqua probatione, aut inquisitione non indigeret. An autem in Martyre canonizando requirantur miracula, fusè alibi differui.

Quod verò ad causam canonizationis motivam, idem or- 2
do judiciarius tàm in canonizatione Martyrum, quàm Confessorum observari minimè debet. Nam finalis Martyrii causa est defensio, atque confessio veritatis fidei Christianæ, necnon eorum, quæ fidei adnectuntur, cujusmodi sunt ea, quæ de Joanne Baptista a Marco Evangelista scripta leguntur. Is enim, quamvis nullum patraverit miraculum, & Christum, aut Christi fidem negare coactus non fuerit, veritatem tamen, atque justitiam negare cogebatur. Herodes namque nolebat, ut Joannes diceret; *Non licet tibi habere uxorem fratris tui.* Quoniam verò pro tali veritate passus est, ipsum ob talem causam Augustinus *in psalm.* 140. Martyrem Christi effectum fuisse, affirmat.

Causa itaque motiva illius, qui pro Martyre cano- 3
nizandus est, talis esse debet, qua existente, nulla alia inquisitione prævia, pro martyre canonizandus est, etjam nondum baptizatus, cui, ut Augustinus ait, *epist.* 108. passio pro baptismo reputatur, qui non acquæ, sed sanguinis baptismus est.

Et licèt martyrium tàm bonis, quàm malis commu- 4
ne sit, martyrii tamen causa extrinseca, & finalis, quæ est confessio Christianæ fidei, & pro veritatis fidei defensione mortem obire, omnibus communis non est, veluti nec etiam charitas, quæ est meritoria, & intrinseca martyrii causa, opus videlicet martyrii meritoriè imperantis. Hinc S. Hieronymus *in cap. 5. epist. ad Galat.* relatus *in can. Vide 1. qu. 1.* de opere sine charitate facto ait: *Vide quantum bonum est charitas. Si ita Martyrium ferimus, ut nostras velimus ab hominibus reliquias venerari & si opinionem vulgi sectantes intrepidi sanguinem fuderimus, & substantiam nostram usque ad mendicitatem propriam dederimus, huic operi non tàm præmium quàm pœna debetur, & perfidiæ magis tormenta sunt, quàm corona victoriæ.*

Martyrium itaque pro Christo, proque fidei confes- 5
sione, charitate intercedente susceptum, cùm ex se causa sanctitatis existat, facit, ut aliquis nulla alia, ne operum quidem misericordiæ inquisitionis prævia, an neque miraculorum? (Quæ tamen pro Confessoribus canonizandis est necessaria) pro martyre canonizari possit, ac debeat.

CONSULTATIO CXCVI.

Quænam actiones in Sanctorum Canonizatione requirantur?

ACtio prima. Ante omnia Principes, aut Optima- 1
tes cum populis locorum Romano Pontifici Servum Dei canonizandum proponunt, ejusdem vitæ probitatem, opera, & miracula explicantes. Id pluribus mensibus, atque annis interjectis frequenter, ac supplicitèr faciendum est, ut ea prorogatione veritas rei clariùs in dies eluceat. De hac prima actione tempore Sixti V. extat exemplum. Nam Philippi Secundi Hispaniarum Regis, & Civitatis, ac Regni Valentiæ nomine sub die 23. Junii anno 1586. in consistorio secreto per Procuratorem, Advocato consistoriali accedente, supplicatum fuit, ut res de Beati Ludovici Bertrandi vitæ sanctitate ab eodem Pontifice aliquot viris fide dignis in Regno Valentiæ pro eodem Bertrando canonizando committeretur. Idipsum eodemque modo anno 1604. die 4. Februarii in consistorio item secreto, Clemente VIII. sedente, per duos Nuncios, vel Oratores, Mediolanensi Advocato consistoriali postulante, supplicitèr actum fuit, ut acta videlicet de vita, & miraculis B. Caroli Borromæi pro eo canonizando exhibita diligenter examinarentur.

Actio secunda. Si fama sanctitatis crebrescente, ma- 2
gnaque miraculorum facta in dies accessione, supplicibus postulationibus, & indefinenter quidem insistatur, Romanus Pontifex in consistorio, quod secretum vocant, S. R. E. Cardinalibus canonizationem suppliciter, ac tot vicibus postulatam, proponere consuevit, eodem in consistorio decerni solet, & in Patriam, & Provinciam illius, qui canonizandus est, pro notitia eorum,

quæ

quæ denunciata fuerunt, suscipienda scribatur. Publica sanctitatis, & miraculorum fama, populorumque erga canonizandum devotio, & id genus alia, Episcopis, & honestissimis viris, vitæque integritate insignitis diligenter, ac generatim investiganda committi solent.

3 Actio tertia. Si Episcopi, ac viri integerrimi ea omnia, quæ de servo Dei canonizando scripta jam fuerant, vera esse respondeant, & omninò affirment, in consistorio item secreto S. R. E. Cardinales a Romano Pontifice rogantur, num scilicet sanctitatis, & miraculorum fama speciatim investiganda committi debeat.

4 Actio quarta. Si veritatis indagatio speciatim committenda censeatur, iisdem, vel aliis Episcopis, ac viris integerrimis scribendum est, ac diplomate Pontificio mandandum, ut veritatem ipsam, primum de fama, deinde de vita, hoc est de misericordiæ operibus cum vera animi dimissione, vel humilitate conjunctis. Postremò de miraculis, & quidem omnia diligenter, exactè, prudenter, ac fideliter juxta formam in diplomate præscriptam, necnon juxta articulos in eodem diplomate comprehensos, inquirant. Omnia hunc in modum examinata, necnon sigillis munita, & inclusa ad Romanum Pontificem mittuntur.

5 Actio quinta. Hæc tandem ad Romanum Pontificem missa, in Romana Curia aliquot Sacræ Rotæ Auditoribus, quos Papa, Capellanos, sive Sacellanos appellat, authoritate, prudentia, & doctrina insignibus, a Summo Pontifice committi solent, ea tamen lege, ut omia diligenter perpensitent, titulos item, ac notas, & conclusiones inde conficiant, suumque iis in rebus omnibus judicium sincerè subjiciant.

6 Actio sexta. Omnia præfatum in modum ab Auditoribus Sacræ Rotæ diligenter examinata, & juxta examen, vel ut ajunt processum de vita canonizandi formatum dispositа, jussu denique Summi Pontificis in Congregatione Sacrorum Rituum a S. R. E. Cardinalibus severo, ac censorio judicio, legitimaque cognitione iterum multorum mensium intervallo, diu, ac singillatim examinantur, ac perpenduntur, an scilicet omnia exactè sint ab Auditoribus Sacræ Rotæ comprobata, vel nonnulla ex iis rebus animadversione digna censeantur, ita verò, ut Canonizatio jure admitti queat.

7 Actio septima. His ritè peractis Congregationis Sacrorum Rituum Decanus in consistorio secreto coram Summo Pontifice, universoque Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium Collegio refert sententias in ipsa Congregatione prolatas circa examen, & Sacræ Rotæ Auditorum relationem, in qua processuum acta, & probationes expenduntur, & judicium super Canonizatione facienda interponitur ad Sacrorum Canonum Ritualium Sanctæ Romanæ Ecclesiæ præscriptum. Si autem Summo Pontifici Canonizatio celebranda videatur, id in sequenti Consistorio, quod semipublicum vocitatur, definiri solet.

8 Actio octava. Ad Consistorium semipublicum tàm Cardinales, quàm Prælati convenire solent. Patriarchis itaque, Archiepiscopis, Episcopis, & Abbatibus, qui mithræ, ac pastoralis baculi usum habent, tunc in Urbe commorantibus, ad Consistorium semipublicum convocatis, Romanus Pontifex narrat ea, quæ in causa Canonizationis acta sunt, ac legitimè probata, secreta tamen definitione suppressa, quæ in præcedenti Consistorio facta jam fuit, omniumque tàm Cardinalium, quàm Prælatorum sententias exquirit.

9 Actio nona. Certa deinde in eodem Consistorio semipublico dies Canonizationis assignatur, qua omnes in certam Ecclesiam, Romanus Pontifex, Cardinales, & Prælati cum universo Clero, & Populo conveniant.

10 Actio decima. S. D. N. Papa sermonem habet, acta recitat, & probationes commemorat, adstanteque omnes ad exorandum Deum cohortatur, ut in eo tàm gravi, tamque arduo negotio divinam sibi opem largiatur. Denique omnes genibus flexis orant, & cantatur hymnus: *Veni Creator Spiritus*.

11 Actio undecima. Hymno decantato, Summus Pontifex ab oratione surgens, illum de quo agitur, Sanctum esse, definiendo declarat, Sanctorumque catalogo adscribendum, & tanquam Sanctum colendum, ipsiusque festum diem singulo quoque anno celebrandum esse decernit.

12 Actio duodecima. His ritè, ac piè peractis, sententia scilicet Canonizationis pronunciata, Hymnus, *Te Deum laudamus* decantatur, quo tandem expleto, Romanus Pontifex in honore Sancti Canonizati Missam ritu maximè solemni decantat, atque hunc in modum Canonizatio præsens in tempus absolvi, terminarique solet.

CONSULTATIO CXCVII.

De rebus, quæ pro celebranda Canonizatione fieri solent. De Consistoriis. De Suffragiis. De septem honoribus, qui Canonizatis debentur. Et quatenus, etiam a Sede Apostolica non Canonizatis, debeantur.

QUamvis ordo judiciarius modò in Canonizatione 1
Sanctorum observari soleat, in primitiva tamen Ecclesia dicta omnia non observabantur, quia Sancti eo tempore, plerumque martyrio erant insigniti, in quibus canonizandis tot examinanda non videbantur. His etiam accedit, quod ex fidei fervore, ac Christi meritis miracula, aliaque opera majorem in modum erant evidentia, quæ idcircò aliqua tergiversatione occultari non poterat, quinimmò eò magis elucebant, quò magis occultabantur. Nunc verò, sapientissimè quidem, dum aliquis in Sanctorum numerum est referendus, omnia ad hanc rem præstandam necessaria, inter doctissimos, ac piissimos viros, per quam diligentissimè librantur, atque hanc ob causam multi sanè Conventus haberi solent, tresque S. Rotæ Auditores juris peritissimi, tanquam Judices integerrimi a Summo Pontifice diliguntur, ut acta omnia de viro canonizando allata cognoscant, atque expendant in primis, an ritè, ac rectè condita, & an legitima sint testimonia, sive ad probationes idonea.

Deindè verò postquam de omnibus hisce rebus inter 2
Judices disceptatum est, omnia ad Summum Pontificem referuntur, ac tribus Cardinalibus ad hanc rem præsertim delectis recensentur, ac explicantur. Postremò ab iisdem Cardinalibus, quorum primus est Episcopus Cardinalis, secundus Cardinalis Presbyter, tertius Cardinalis Diaconus, necnon ab aliis è Congregatione Sacrorum Rituum Cardinalibus omnia summa cura cognoscuntur, & maturissimè judicantur. His tandem, sed longo post tempore omni ex parte examinatis, & absolutis tria in primis Consistoria ad rem hanc perficiendam celebrari solent, quorum primum, secretum, alterum publicum, tertium semipublicum appellant.

In primo Consistorio unus ex tribus Cardinalibus de- 3
legatis, Judicibus in Congregatione antiquior, sive primarius, orationem habet, in qua de viri canonizandi vitæ sanctitate, fideique integritate, in qua re totius negotii summa consistit, necnon de laudabili ejus obitu, deque miraculis, sive in morte factis, sermonem habet, de quibus specimen mox dabo. His omnibus recitatis, Cardinales sententias proferunt, num in iis, quæ ad canonizationem pertinent, sit ulterius procedendum. Denique juxta Cardinalium consilium, & assensum, quid hac re faciendum sit, decerni solet.

In secundo Consistorio Advocatus Consistorialis actio- 4
nem habet, in qua vel alicujus Regis, aut Principis, qui virum illum canonizandum curat, ardentissimum, ac perpetuum desiderium cum Christiano zelo conjunctum, egregiè commendatur, ejusdem viri canonizandi sanctimonia, admirabilium virtutum promerita, & miracula, præsertim insignia, enarrantur. In peroratione autem vel Regis, ac Regni, seu Principis, aut Provinciæ, necnon Civitatis nomine postulatur, ut vir ille tantoperè in sanctitate vitæ laudatus, in sanctorum numerum referatur. Tum inde Secretarius Apostolicus ex præscripto Summi Pontificis respondet, Christianamque postulantis pietatem, diuturnamque rei tàm piæ postulationem laudat, & tandem propensam Papæ in eo canonizando voluntatem declarat. Sed hujus generis negotium tàm grave, tamque arduum, maturius, ac diligentius considerandum esse ostendit. Hinc denique Sacrum Cardinalium Collegium, Patriarchas item, Archiepiscopos, Episcopos, & Abbates hortatur, ut in eam tanti ponderis rem pro suffragiis ferendis toto mentis conatu incumbant, ac Deum in primis orent, ut sanctitatis suæ mentem lumine Divino illustret, quo rectius actionem tantam dirigat, tum ad ipsius Dei gloriam, tum etiam ad Ecclesiæ Sanctæ amplitudinem, Christianæque pietatis fructus uberrimos.

In tertio Consistorio suffragia feruntur, an ille, de 5
quo agitur, in Sanctorum numerum sit referendus, in hoc consistorio non solùm Cardinales, verùm etiam Patriarchæ, Archiepiscopi, Episcopi, & Abbates pro suffragiis ferendis acciti, conveniunt. Prothonotarii Apostolici eidem Consistorio intersunt, ad fidem circa ea, quæ ibi decernuntur, exhibendam. Auditores autem S. Rotæ, præsertim illi, quibus cura judicandi fuit, ad idem

consistorium admittuntur, ut si in processu aliqua oriretur controversia, vel difficultas, eam explicent, ac declarent. Ante verò quàm suffragia ferantur, Summus Pontifex a solio suo habet orationem, in qua de re ad tàm gravem, tamque arduam actionem pertinente, verba facit. Deinde pro Sancto canonizando sententias dici jubet. Tum suo quisque statim ordine sententiam dicit.

6 Ubi verò primùm Romanus Pontifex singulorum sententias audivit, certam canonizationis diem decernere solet, ac locum, vel hoc ipsum propediem decernendum promittit, omnesque tàm Cardinales, quàm Prælatos cohortatur, ut orationibus, ac jejuniis, aliisque piis operibus operam navent, Deum humillimè obsecrantes, ut de canonizatione proposita, omniumque sententiis comprobata, quod faciendum sit, Sancti spiritus doceat illustratione.

7 Decreto canonizationis pronunciato, Indulgentia visitantibus Ecclesiam, & sepulchrum, ubi corpus canonizati requiescit, concedi solet. Deinde Missa solemnissimo ritu a Summo Pontifice decantatur, multaque item alia ante, & post decreti pronunciationem fiunt juxta ritum in Sacrarum Cœremoniarum libro præscriptum. Honores autem, qui exhibentur canonizatis ex vi decreti, necnon ex ipso Sanctorum jure sunt hujusmodi,

I. Canonizati Catalogo Sanctorum adscribuntur, hoc est jubetur, ac statuitur, ut ab omnibus publicè colantur, ac dicantur Sancti.

II. In publicis Ecclesiæ precibus invocantur.

III. Templa, & Aræ Deo in eorum memoriam, & honorem eriguntur.

IV. Sacrificia tàm sacrosanctæ Ecclesiæ, quàm laudum, & precum, quod passim officium, & Horæ Canonicæ nuncupantur, Deo in eorum honorem publicè offeruntur.

V. Dies festi in eorumdem honorem celebrantur.

VI. Imagines eorumdem pinguntur, addito certo quodam lumine in signum gloriæ, quam habent in Cœlo.

VII. Eorumdem Canonizatorum Reliquiæ pretiosis thecis includuntur, publicè in Ecclesia honorantur.

8 Hæc a Cardinali Bellarmino in primo de Beatitudine Sanctorum libro ennarantur, ubi etiam Sanctos nondum Canonizatos cultu non publico, sed privato coli posse, rationibus, atque exemplis probatur. Id quod in eo item, quod *in 3. decretal. lib. de Reliq. & vener. Sanct. cap.* 1. legitur, colligi potest. Ibi enim Alexander III. dum publicum nondum Canonizatis cultum exhiberi prohibet, privatum permittere censetur, sicut etiam Doctores eo in loco affirmant. Cultus verò publicus non est ille, qui coram aliis exhibetur, sed qui totius Ecclesiæ nomine, & tanquam ab Ecclesia institutus. De quo nos alibi.

9 Et, quamquam Sanctos, nondum Canonizatos credere, ac vocare Sanctos liceat, eos tamen, tanquam Sanctos ab Ecclesia catalogo Sanctorum adscriptos prædicare non licet, & quamvis nonnulli honores modo commemorati iisdem non Canonizatis privatim exhiberi possunt, tertius tamen, & quartus eis nullo modo dari posse videntur. Templa enim, & Altaria, & sacrificia ex sui natura sunt publici cultus, quia nullum sacrificium in Ecclesia est, nisi commune, & a Deo ipso institutum. Templa verò, & Altaria ad Sacrificium referuntur.

10 Quamvis denique Sanctos nondum Canonizatos privatim invocare liceat, in Litaniis tamen publicis non licet, nec etiam in sacro officio, nisi id a Summo Pontifice expressè concedatur; Unde non solùm divinum officium, sed etiam Missæ Sacrum in eorum memoriam, ac festos dies celebrari, eorumque Imagines depingi posse concessit Clemens VII. Sigismundo Poloniæ Rege suppliciter postulante, in memoriam Sancti Hiacinthi.

11 Ut autem pro Sanctis Canonizatis habeantur, sufficit, quod in eorum honorem Templa, & Altaria tantùm a Deo sint constituta, cùm illa publicum cultum nomine Ecclesiæ denotent, & erectio Altaris cum Imagine alicujus Sancti signum est Canonizationis. Canonizatis enim tantùm Ecclesia ea permittit, ut ex Petro Damiani docet Baronius ad an. 993. *§. non est autem*, quem refert, ac sequitur Molfes. *cons.* 45. *num.* 32. Vel quod Sacrificium in illorum memoriam Deo sit oblatum, quod magis, ac præcipuè ipsum nomine Ecclesiæ cultum confirmat, cùm nullum in ea fiat Sacrificium, quod non sit commune a Deo institutum, & Templa, & Altaria ad ipsum referuntur, ut jam diximus.

12 Nec obstat, quod quamplures Sancti non sint a Sede Apostolica Canonizati, neque eis ab Ecclesia universali præfati honores exhibeantur. Quia nedum Ecclesiæ particulares, sed etiam Ecclesia universalis venerantur Sanctos antiquiores, non ex vi legis, vel alicujus decreti Summorum Pontificum, non ex antiqua consuetudine, cum expresso, vel saltem tacito Sedis Apostolicæ consensu, sine quo illa nulla esset, ut in hac specie Bellarmin. *loc. cit. cap.* 8. ex Div. Thom. 1. 2. *qu.* 97. *art.* 3. Molfes. *cons.* 46. *num.* 12. & fusè Lezana *consult.* 2. *n.* 11. *& seqq.* ubi in terminis Sanctorum suæ Religionis Carmelitanæ, qui a Sede Apostolica non fuerunt Canonizati, sed ex antiqua consuetudine, ab eadem Religione coluntur, probat hanc consuetudinem sufficere, ut eorum festa celebrentur, & officium recitetur.

Hæc autem consuetudo debet esse immemorabilis. 13
Nam ea probata, censetur probatus justus titulus *cap.* 1. *ad fin. de præscrip. in 6.* Maschard. *de probationib. concl.* 1229. *num.* 8. & justitiam permanentem habere censetur, ac tituli defectum supplet, Covar. *de præscript. part.* 2. *§.* 3. *num.* 9. itaut alius titulus non requiratur, Gabr. *com. conclus. de præscript. concl.* 1. *num.* 4. & 47. Rot. *dec.* 977. *num.* 4. *p.* 1. *& dec.* 41. *num.* 2. *& 3. p.* 2. *& dec.* 631. *num.* 3. *in fin. part.* 4. *recent.* quidquid dixerit Paul. Rubr. *ad dec.* 14. *num.* 20. *p.* 2. *rec.* Habetque locum etiam in reservatis Principi, *l. hoc jure, §. ductus aquæ ff. de aqu. quotid. & æst. cap. super quibusdam*, ibique Glos. *v. non extat memoria de ver. signif.* nec requiritur probatio scientiæ Principis, Dec. *cons.* 2. *lib.* 1. & ex cursu tanti temporis præsumitur justus usus, & quod intercesserit authoritas, & consensus Pontificis ex congestis a Rot. *d. dec.* 31 *num.* 3. *p.* 2. *recent.* & in terminis immemorabilis tituli Beatitatis acquisiti ante decretum Alexandri III. *in cap. Audivimus de Reliq. & vener. Sanct.* tradit Scacch. *de cult. & vener. Sanctor. sect.* 1. *cap.* 8. *vers. Si verò titulum fol.* 49. *lit. C.*

Extatque etiam in hac specie Constitutio Urbani VIII. 14
quæ incipit *Sanctissimus*, edita 4. Aprilis 1625. ubi Summus Pontifex postquam prohibuit venerationem, & cultum hominum, qui obierint cum fama sanctitatis, vel martyrii a Sede Apostolica non Canonizatorum, nec Beatificatorum, subdit hæc verba, *declarans id, quod per suprascripta præjudicare in aliquo non vult, neque intendit iis, qui aut per communem Ecclesiæ consensum, vel immemorabilem temporis cursum, aut Patrum, virorumque Sanctorum scripta, vel longissimi temporis scientia ac tolerantia Sedis Apostolicæ, vel Ordinarii colunter.* Quod tempus longissimum, illiusve immemorabilem cursum idem Urbanus in alia sua Constitutione, cujus initium est, *Cœlestis Jerusalem*, emanata 5. Julii 1633. declaravit, debere esse illud, quod excedit metam centum annorum.

Hæc autem scientia, & tolerantia, magis presumi- 15
tur, quando hic cultus adhibitus est notorie. Quia tunc verisimile est, Summum Pontificem illum scivisse, Capyc. *dec.* 4. *num.* 30. Menoch. *præsumpt.* 132. *n.* 71. Et multò magis presumitur scientia, & tolerantia Ordinarii, quando hic cultus publicè est exhibitus in locis suę jurisdictionis, cùm non sit verisimile, quod res tanti ponderis, quę publicè fit, ab eo fuerit ignorata, & ex dicta Constitutione Urbani, *Sanctissimus*, alternativè sufficit sententia Sedis Apostolicæ, aut Ordinarii ob dictionem, *vel*, quę ex sui natura, maximè quando inter diversa replicatur, est disjunctiva, seu alternativa, ut per Barbos. *dict.* 414. *num.* 1. *& seqq.* sufficitque ut altera pars verificetur.

Quę quidem omnia procedunt tàm de consuetudine, 16
qua Sancti coluntur ab Ecclesia universali, quàm de ea, qua illos venerantur Ecclesię particulares, etiamsi in Kalendario, & Martyrologio Romano descripti non sint. Sed probatur primò, ex Constitutione Gregorii XIII. quę incipit, *Emendato in Kalendario* impressa in principio Martyrologii, a Cardinali Baronio notis illustrati, ubi Summus Pontifex postquam decrevit, ut in peragendo divino officio de Sanctis in Choro illud tantùm Martylogium adhibeatur, ne existimetur, ut perpendit Lezana *loc. cit. num.* 23. non posse fieri officium de Sanctis, in ipso Martyrologio non appositis, ac ita subdit: *Si quos alios habuerint Sanctos in suis Ecclesiis, aut locis celebrari solitos, eos in hunc librum ne conferant, sed separatim descriptos habeant.* Ex cujus Constitutionis verbis elicitur, ut ait Scacch. *ibidem sect.* 11. *cap.* 4. *vers. Verò contra hoc*, a Gregorio prohibitum esse conscribi in hoc Martyrologio nomen cujusvis Sancti, licèt de eo in aliqua Ecclesia officium recitetur. Nam aliud est legitimo loco legi, aliud nomen ejusdem imprimi. Illud enim respicit Horarum Canonicarum recitationem, & Vesperas illius diei. Unde ubi aliquod officium Vesperarum dicitur, ex rubrica primo loco legi debet in Martyrologio, licèt in

lectio-

lectione ipſius Martyrologii ejuſdem diei ultimum locum, aut nullum haberet. Hoc verò nempè impricum mere nomen illius in eodem Martyrologio reſpiceret quandam extenſionem cultus, quod nemini abſque Sedis Apoſtolicæ conſenſu, ne quidem Epiſcopis, permittitur.

17 Et propterea verum eſt, ſubdit Scacc. *v. ſeqq.* non valere argumentum ad effectum Canonizationis a recitatione officii ad impreſſionem in Martyrologio, quamvis, ſi officium conſtaret recitari de licentia Sedis Apoſtolicæ, eſſe validum argumentum ad extenſionem cultus Sancti, de quo recitatur in particulari Eccleſia, & propterea in Martyrologio poſſit deſcribi de licentia ejuſdem Sedis, ad quam pertinet extollere, ac extendere cultum Sanctorum.

18 Deinde probatur ex Rubrica ipſius Martyrologii §. 4. in qua hæc habentur: *Feſta, de quibus eo die fit officium, ſemper primo loco ponuntur, quod etiam ſervandum erit, & in feſtis mobilibus, quæ pronunciandа ſunt, ut infra dicetur, & in Sanctis propriis particularium Eccleſiarum in hoc Martyrologio non appoſitis, qui in iis tantùm Eccleſiis, & locis ubi præcipuè eorum memoria celebris habetur, legi poterunt, etiam primo loco, ſi de illis ibidem agatur. Si verò non agatur, poſt Sanctos in hoc Martyrologio deſcriptos Ordine ſuo, videlicet Martyres poſt Martyres, Confeſſores poſt Confeſſores, Virgines poſt Virgines.*

19 Ac, licèt Scacchus *d. ſeſſ.* 11. *cap.* 4. *in fine*, dicat, hanc Rubricam, debere intelligi de Sanctis Canonizatis, vel receptis ab Eccleſia Romana ut Canonizatis, ſi tamen, quod ipſe tradit, verum eſſet, iidem Sancti fuiſſent deſcripti in ipſo Martyrologio, & per totam Eccleſiam Univerſalem colerentur, atque adeò intelligenda eſt de Sanctis, de quorum Canonizatione non conſtat, ſed de conſuetudine in aliquibus Eccleſiis coluntur. Quinimmò ipſe Scacchus *ibidem*, rurſus affirmat ex eadem Rubrica poſſe ob hanc conſuetudinem in particularibus Eccleſiis legi in Martyrologio Sanctorum nomina, qui in illis coluntur per univerſalem Eccleſiam extendi, ipſos in Martyrologium prædictum abſque licentia Sedis Apoſtolicæ inſerendo.

20 His accedit, quod in eadem Rubrica Martyrologii §. 5. præſcribitur, ut quælibet lectio quotidiana debeat terminaris his verbis: *Et alibi aliorum plurimorum Sanctorum Martyrum, & Confeſſorum, atque Sanctarum Virginum, &c.* Quæ clauſula eſt antiquiſſima, & legitur in vetuſtiſſimis Martyrologiis, ac præcipuè in ſingulis lectionibus Martyrologii Adonis, & in quodam vetuſtiſſimo Martyrologio manuſcripto, quod ſervatur in Archivio S. Mariæ de Pulſano Montis Gargani in Apulia, ut teſtatur Joannes Grimaldus Societatis Jeſu in vita S. Rugerii Epiſcopi Cannenſis, ſive Canuſini *adnot.* 1. *in fin.*

21 Sub his autem verbis legitur implicitè in ſingulis Eccleſiis memoria cujuslibet Sancti, qui in aliqua particulari Eccleſia tantùm colitur, Scacch. *loc. cit. ſect.* 1. *capit.* 7. *verſ. Communis quoque Eccleſiæ praxis fol.* 81. *lit. N. & fol.* 82. *lit. A.* cujus hæc ſunt verba: *Communis quoque Eccleſiæ praxis plauſum populorum de ſanctitate alicujus prædefuncti roborat, atque confirmat, ut nulla indigere Beatificatione, aut Canonizatione ferè videatur, qui communi populorum voto Sanctus cenſetur, vel ei de beatificatione, aut alicujus talis Dei ſervi Canonizatione agatur, præſtantiſſimum inde argumentum, & validum pauciri conſtat. Per totam namque Eccleſiam diverſis in Epiſcopatibus, Civitatibus, Oppidis, ac locis plures Dei ſervi coluntur, ad eorumdem honorem Horæ Canonicæ recitantur, & Miſſæ Sacrificium ad illorum memoriam ſupremo Numini offeruntur, de quorum Beatificatione, ac Canonizatione nihil certi habetur, quia etiam plurimorum talium Sanctorum Dei nomina ſub titulo ſanctitatis in Martyrologiis leguntur, quorum quidem tanta eſt multitudo in diverſis Orbis regionibus, ut propterea in fine lectionis ejuſdem Martyrologi addatur: Et alibi aliorum plurimorum Sanctorum Martyrum, & Confeſſorum, atque SS. Virginum, quibus quidem ſub titulis comprehenduntur quotquot per Orbem ſanctitatis ſub titulo a fidelibus venerantur.*

22 Poſtremò probatur ex Rubrica prima Breviarii Romani *de offic. duplic.* quæ ſic ait: *Officium fit duplex, &c. & in feſtis Sanctorum, qui apud quaſdam Eccleſias, Religiones, vel Congregationes conſueverint ſolemniter celebrari cum officiis propriis a Sede Apoſtolica approbatis, aut ex ejuſdem Sedis authoritate receptis, vel recipiendis, ſervata tamen forma hujus Breviarii, alioquin de communi, etiamſi prædicta in hoc Kalendario non ſint deſcripta.* Ex quibus clarè apparet, poſſe etiam recitari officium duplex de Sanctis non Canonizatis a Sede Apoſtolica, qui de conſuetudine alicujus particularis Eccleſiæ, Religionis, vel Congregationis ſolemniter coluntur, quamvis in Kalendario Romano non ſint deſcripti, ut eamdem Rubricam in terminis prædictorum Sanctorum ſuæ Religionis Carmelitanæ conſiderat Lezana *d. conſult.* 2. *num.* 2.

Nec refragatur, quod alia ſit ratio Martyrologii, 23
alia Kalendarii Romani, cùm in hoc tantùm Sancti, quorum recitatur officium Eccleſiaſticum, in illo verò omnes Sancti ab Eccleſia univerſali approbati ſcribi conſueverint, ut expendit Baron. in eodem Martyrologio die 22. Junii in notis Sanctorum decem millium crucifixorum ſub initio, atque adeò hæc Rubrica intelligi debet, quod habeat locum in Sanctis non deſcriptis in Kalendario, dummodò tamen ſint appoſiti in Martyrologio Romano, & non eſt inferenda ad Sanctos in hoc non relatos, & qui ab Eccleſia univerſali non coluntur.

Nam reſpondetur, eamdem Rubricam neceſſariò in- 24
telligendam eſſe etiam de Sanctis in ipſo Martyrologio Romano non deſcriptis, quos Eccleſiæ particulares tantùm venerantur, alioquin repugnaret dictæ Conſtitutioni Gregorii XIII. emendato jam Kalendario, & ipſius Martyrologii Rubricæ §. 4. modò recenſitis, in quibus ſtatutum eſt, poſſe dici officium de Sanctis, qui tantùm ab Eccleſiis particularibus coluntur, etiamſi in Martyrologio prædicto non legantur.

Eſt tamen verum ex iis, quæ tradit Lezana *cit. con-* 25
ſult. 2. *num.* 35. ponderando prædictam Rubricam in terminis prædictorum Sanctorum ſuæ Religionis non Canonizatorum, quod, ut illius diſpoſitio locum habere poſſit, requiritur qualitas cultus ſolemnis, quæ in ea exprimitur, ſubditque, cum Gavanto mox citando, quod hæc ſolemnitas importat reſpectu Cleri ſæcularis feſtivitatem ipſius Cleri, vel Populi cum pompa exteriori, puta cum proceſſione, apparatu, concurſu, & hujuſmodi aliis, & ita declaraſſe ait ex eodem Gavanto Congregationem Sacrorum Rituum 28. Auguſti 1628. Reſpectu verò Regularium, vel Congregationum ſignificat ſingularem quemdam cultum communem aliis feſtis in Kalendario deſcriptis, & ex prædicta Rubrica, ſufficitque pro his Sanctis, quorum feſta ſolemniter celebrantur, quod ſi non habeant officia propria, ſumantur de communi.

Nec etiam, ait Lezana *loco citato num.* 24. eidem 26
Rubricæ obſtare, quod Beatus Pius Quintus, in ſua Conſtitutione, quæ incipit: *Quod a nobis*, edita anno 1568. ſtatuerit, recitantes officium, conformari debere cum Breviario Romano, non obſtantibus conſuetudinibus in contrarium. Quia, ne idem Summus Pontifex videatur ſibi ipſi in eadem Conſtitutione, ac Rubrica contrarius, dicendum eſt, eum non excludere conſuetudines in ipſa Rubrica commemoratas. Diſpoſitio enim generalis ex ratione particulari reſtringitur *l. Cùm Prætor, §. Dulciſſimus, ff. de legat.* 2. *l. Si de re certa, Cod. de tranſact.* Et non comprehendit caſum ſpecialiter definitum *leg. Cùm in teſtamento, §. fin. ff. de hæred. inſtit. l. ſervo manumiſſo, ff. de pecul. leg.* Et reſcripta Summorum Pontificum debent exponi juxta communis juris regulas, *cap. Cùm cauſam de reſcript. & cap. licet de præben.* Rubricæ autem Breviarii ſunt veluti juris communis totius Eccleſiæ regulæ, ut per Thom. a Jeſu *in reg. Carmel.* quem refert, ac ſequitur Lezana in ſæpè *cit. conſul.* 2. *d. num.* 24.

Idemque in terminis, quod ſcilicet B. Pius V. in ſua 27
Conſtitutione non deroget conſuetudinibus feſtorum ſolemnium Sanctorum, quæ ſervari præſcripſit in eadem Rubrica, & in aliis ſubſequentibus, nempè *tit.* 2. *de offic. ſemidupl. num.* 1. ibi, *Officium fit ſemiduplex, &c. & in feſtis propriis quorundam locorum, ſeu Congregationum, quæ ſolemnius apud illas, quàm ſimplicia conſueverunt celebrari. Et tit.* 7. *de octav. num.* 1. ibi, *fit de Octava in Paſchate, &c. Et in feſtis aliorum Sanctorum, quæ apud quaſdam Eccleſias, Congregationes, & Religiones conſueverunt ſolemniter cum octava celebrari*, docent Gavant. *in com. Rubr. Breviar. ſect.* 2. *cap.* 2. de Bulla Pii V. & uſu ejuſdem Breviarii *num.* 27. his verbis: *Dices, in Rubricis habentur ſæpius hæc verba, ut tit.* 1. *num.* 1. *tit.* 2. *num.* 4. *Et alibi, Feſta Sanctorum, quæ conſueverunt celebrari. Ergo concedit Pius V. retineri has conſuetudines. Reſpondeo, quod ſic ſe habet textus*, celebrari conſueverunt ſolemniter, vel ſolemnius. *Tum quia alioquin Pius Quintus ſibi eſſet contrarius, ſi in Rubricis concederet conſuetudines, quas abrogavit in Bulla. Non enim abrogavit conſuetudines ſolemnes, quas concedit in Rubricis. Tum quia verè conceſſit retineri feſta Sanctorum in locis propriis, non autem quæcumque feſta, ſed ſolemniter celebrata.* Subditque Gavantus *num.* 28. quod, licèt in

eiſdem

eiſdem Rubricis *tit. 7. num. 4.* habeantur præcisè ſine adverbio *ſolemniter* hæc verba, *conſuevit celebrari*, & *tit. 5. num. 1. conſuetum celebrari*, tamen poſteriores textus pendent a prioribus. Et ideò in eodem ſenſu accipiendi ſunt, ac priores, qui addunt dictum adverbium, ne inter ſe pugnent.

28 Minuſque obſtare poterit huic conſuetudini recitando officio hujuſmodi Sanctorum, quod Doctores *in d. cap. 1. de Reliq. & vener. Sanctor.* negant, poſſe dici officium, pro Sanctis non Canonizatis, & qui ab Eccleſia univerſali non coluntur. Quia pro eorum cultu deficit communis conſenſus ipſius Eccleſiæ, & ideò pro Sanctis Canonizatis dici tantùm poſſe, inquit Gloſſa *in cap. 1. v. Sedis Apoſtolicæ eodem tit. in 6.* prout, & alii Doctores docent. Nec Ordinarii, inconſulta ipſa Sede Apoſtolica, propriis Kalendariis Sanctorum officia addere poſſunt. Nam id prohibuit Sac. Congregatio Rituum octava Aprilis 1628. apud Barboſ. *in ſumm. dec. Apoſtol. v. officium divinum collect.* 542. *num.* 17. ac refert Gavant. in indice decretorum ejuſdem S. Congregationis *num. 33.*

29 Nam reſpondetur, Gloſſam, & Doctores *loco citato* non poſſe intelligi de Sanctis, qui ex immemorabili conſuetudine, non ſolùm ab Eccleſia univerſali, ſed etiam ab Eccleſiis particularibus coluntur, alioquin adverſarentur prædictis Conſtitutionibus Urbani VIII. incipien. *Sanctiſſimus*, & *Cœleſtis Jeruſalem*, ac Gregorii XIII. incipien. *Emendato jam Kalendario*, ac dictæ Rubricæ 1. Breviarii Romani *de offic. duplic. & d. §. 4.* Rubricæ Martyrologii Romani, vel ſaltem ex earum diſpoſitionibus Gloſſæ, ac Doctorum doctrina locum habere deſinit, & prædictum decretum Congregationis Sacrorum Rituum anni 1628. poſſet intelligi, quod Ordinariis non ſit permiſſum abſque conſenſu Sedis Apoſtolicæ addere Kalendariis officia Sanctorum ab ipſis compoſita, ut colligitur ex illis ſubſequentibus verbis: *Niſi ea dumtaxat, quæ Breviarii Romani Rubricis, vel Sacrorum Rituum Congregationis, ſeu Sedis Apoſtolicæ licentia concedantur.*

30 Sed dato, quod indifferenter intelligatur, ex eo decreto, prohibitum eſſe Ordinariis concedere facultatem recitandi Officia pro Sanctis, etiam de communi, inconſulta Sede Apoſtolica, id tamen non habet locum in caſu conſuetudinis immemorabilis illa recitandi, ob quam ejuſdem Sedis licentia interceſſiſſe præſumitur. Alioquin prædictum decretum non ſolùm diſpoſitionibus quoque memoratarum Conſtitutionum Urbani VIII. & Gregorii XIII. ac Rubricarum Breviarii, & Martyrologii Romani repugnaret, ſed etiam eſſet contrarium alteri decreto ejus S. Congregationis in Viſenſi 2. Julii 1605. apud eumdem Barboſam *loc. cit. num.* 11. cujus verba ſunt: *Officium pro Sanctis, etiam non Canonizatis, poteſt recitari de communi, ubi viget conſuetudo immemorabilis recitandi.*

31 Et quidem hæc conſuetudo immemorabilis venerandi Sanctos non canonizatos a Sede Apoſtolica incepit ab initio naſcentis Eccleſiæ quoad Martyres, habuitque originem, etiam ab Apoſtolis. Quare ſciendum eſt duobus modis Canonizationes Sanctorum in Eccleſia Dei introductas eſſe. Particulariter, & univerſaliter. Particulariter, ut in uno loco particulari, ſcilicet in una Diœceſi, vel Provincia colantur, honorentur, & habeantur pro Sanctis. Et hoc modo in primordio Eccleſiæ Martyres canonizabantur ab Epiſcopis, in quorum Diœceſibus paſſi erant, cùm ad eos id munus pertineret, ut notant Canoniſtæ *in cap. fin. de ſer.* & tradunt Bellarm. *controv. tom. 1. controv. 7. gener. lib. 1. cap. 7. ac* 10. & alii, quos refert Malvet. *de Canoniz. Sanctor. dub. 2.* Molan *in Natal. Sanctor. Belgii 23. Maji*, Divus Auguſtinus *in brevic. collat.* cum Donaſtitis *collat. 3. cap. 13.* Optat. Milevit. *lib. 1.* contra Donaſtitas, aliique apud Molfeſ. *conſ. 46. num.* 10. patetque ex Epiſtola Pii Summi Pontificis ad Juſtum apud Baron. *ad annum 136. num. 3.* ibi, *Cura autem Sanctorum Martyrum corpora, ſicut membra Dei, quemadmodum curaverunt Apoſtoli Stephanum, carceres Sanctorum viſita, ne aliquis tepeſcat in fide, Martyria Sancta Spiritu Sancto proba.* Sanctus quoque Cyprianus *Epiſt. 37.* ad Presbyteros, & Diaconos Carthaginenſes, quam ad rem hanc refert Baron. *in Martyrolog. cap. 4. & ad annum 253. num. 40.* ſic ait: *Denique dies eorum, quibus excedunt, adnotate, ut commemorationes eorum inter memoriam Martyrum celebrare poſſimus.* Idemque ſervatum fuit, ut inquit ipſe Baronius *ad ann. 254. num. 57.* a Gregorio Thaumaturgo de populari lætitia in Natalitiis Martyrum, teſte Gregorio Nyſſeno in vita ejuſdem Gregor. ita de eo ſcribente: *Deſcendit rurſus in Urbem, & omni circa regione undique peragrata, ac perluſtrata, additamentum, quaſi corrolarium ſtudii ſui erga Numen divinum inſtituebat, apud omnes, ubique populos, ſanciens, ut nomine eorum, qui pro fide certaſſent, dies feſti, atque ſolemnes Conventus celebrarentur, cumque alii in alium locum corpora Martyrum deduxiſſent, per anniverſarii circuli ambitum congregati lætabantur, in honorem Martyrum ferias agentes.*

Sed longè ante Pii Summi Pontificis, ac Cypriani, 32
& Gregorii Taumaturgi Epiſcoporum tempora, egregiam a majoribus eidem rei navatam eſſe operam, adeòut non modò ab Epiſcopis, Præſulibus, aliiſque, qui in Eccleſia illuſtriores erant, ſed etiam ab infimi Ordinis hominibus Martyrum acta conſcriberentur, & ſtatim ac paſſi erant, illorum oſſa, vel cineres honorificè ſervarentur, colerentur ac in ipſorum honorem ſacrificia a Chriſti fidelibus Deo offerrentur, tradit idem Baronius, ex Pontio, Cypriani Decano *ad annum 258. num. 5.* qui ad *annum 58. num. 93.* ait, hanc conſuetudinem ab Apoſtolis emanaſſe his verbis: *Non negligenda in primis videntur, quæ de his apud Clementem*, nempè *Conſtitut. lib. 8. cap. 39. ſcripta leguntur, manaſſe hæc ſcilicet ex Apoſtolorum inſtitutis, cùm antiquæ traditioni Sanctorum Natalitiis celebrandis complures antiqui ſcriptores adſtipulentur, nemo certè, niſi Apoſtolorum authoritate rem tantam in nova Eccleſia, abſque ullo divinæ ſcripturæ exemplo, introducere præſumpſiſſet, neque rurſum ab univerſali Eccleſia recepta eſſet, niſi id omnes ex Apoſtolica traditione manaſſe noviſſent.*

Idemque Baronius Martyrologio *cap. 4.* ſub initio 33
ait, quod ſicut olim Romæ fuit commiſſum Notariis negotium de conſcribendis Natalitiis Sanctorum Martyrum, ita hoc idem fuit impoſitum in aliis Eccleſiis alicui ex earum Clero, ut quotannis eodem recurrente die in cujuslibet Sancti Martyris memoriam Deo offerent Sacrificium. Et eodem *cap. 4.* ita proſequitur. *Ex prædicta igitur nota dierum Natalium Sanctorum Martyrum pro commemorationibus faciendis, Martyrologii ſcribendi provenit occaſio. Cùm enim frequens eſſet Martyrum numerum, decem enim illis, quas numerant, perſequutionibus, in unaquaque Provincia necatos fuiſſe quamplurimos, nemo poterit dubitare, atque in chartis Eccleſiæ ſingulorum nomina, & dies, quibus Martyrium conſummaſſent, notata haberentur, ex eiſdem Eccleſiaſticis monumentis pridie dies Natalis, ut hodie fit in Martyrologio, annunciabatur in Eccleſia, quorum Natalitia recenſenda eſſent die ſequenti, eorumdemque una cum ſacrificio foret commemoratio facienda, ejuſmodi Eccleſiaſticas tabulas, quibus ſingulorum Martyrium Natalitia conſcripta haberentur, faſtos fuiſſe appellatos, optimè, eruditeque notat Pamelius in d. Epiſt. 37. Cypriani. Ille enim in lib. de coron. Martyr.* hæc ait: *Habes tuos cenſus, tuos faſtos, nihil tibi cum gaudiis, &c.*

Ita **Baronius**, qui ſubdit *loco cicato*, quod hæc anti- 34
quitas veneranda, & ab Apoſtolis manans, ſemperque ſervata, ac propagata traditio non tantùm egit; ut anniverſaria celebritate Sanctorum commemoratio ageretur, ſed etiam, ut in ipſorum honorem memoriæ paſſim erigerentur. Memoriæ enim vocabantur Eccleſiæ, quæ in Sanctorum Martyrum honorem Deo conſecrabantur, ut teſtatur D. Auguſtinus *de Civit. lib. 2. cap. 10.* Et hic quidem laudabilis uſus ab Apoſtolorum temporibus viſus eſt duxiſſe initium, ea nimirum occaſione, quod veneranda Martyrum corpora ſub altaribus recondi conſueverunt ſecundùm illud Joannis in Apocal. *cap. 6. Ubi ſub Altare Dei animas interfectorum propter teſtimonium, quod habebant*, ut omnes præſertim antiquiores tàm græci, quàm latini declarant interpretes. Ex cujus Sacræ Scripturæ *in Apocal.* authoritate infert Baronius *loco citato num. 7.* quod licèt Felix primus decreverit, ut quotannis ſacrificia Martyrum nomine celebrarentur, ut ait Platina in ejus vita, longè tamen ante Felicis tempora Eccleſia ejuſmodi inſtitutionem ſibi vindicavit, & hujus Summi Pontificis decretum ſtabiliviſſe potius videtur, quod abſque ſcripto Canone, traditione tantùm ſimpliciter ſervabantur.

Modus autem hic antiquus canonizandi Sanctos fuit 35
prius introductus, quoad Martyres, quam quoad Confeſſores. De illis enim, non autem de iſtis Eccleſia ab initio feſtum celebrare cœpit, & poſt multos annos a Chriſtianæ Religionis fundatione in Pontificatu Bonifacii IV. ſub anno 608. ignorabatur, fuiſſe generaliter conſtitutos dies feſtos pro Sanctis Confeſſoribus, ex quo cùm ab eodem Bonifacio Pantheon in honorem Beatæ Virginis, & omnium Sanctorum conſecraretur, titulus fuit ei datus Sanctæ Mariæ ad Martyres, nulla habita Sanctorum Confeſſorum commemoratione, Platina *de vit. Pontific.* in principio vitæ ejuſdem

Boni-

Bonifacii, Innocentius III. *de myſter. Miſſ. lib. 3. cap.* 10. & D. Auguſtinus *de Sanct. Virg. cap.* 45. Et ex eadem ratione in Canone Miſſæ Sanctorum, & Sanctarum Martyrum memoria tantùm, & non Confeſſorum recenſetur. Quia tempore, quo idem Canon fuit compoſitus, nullum feſtum de Sanctis Confeſſoribus celebrabatur, & quod hæc Sanctorum Martyrum commemoratio in Canone Miſſæ ſit vetuſtiſſima, tradit quoque Durandus *de ritibus Eccleſ. Cathol. lib. 2. cap. 35. num. 3.*

36 Hujuſmodi autem mos particulariter Canonizandi ceſſavit, & ut Sanctorum Canonizatio fieret cum omni omninò diligentia, & ne populo detur errandi occaſio, ita ut non Sancti pro Sanctis haberentur, & ob alias rationes, quas refert Tuſchus *v. Canonizato concl.* 41. & ante eum Gloſſ. *in d. cap. 1. d. v. Sedis Apoſtolicæ de Reliq. & vener. Sanctor. in 6.* fuit ſecundus modus canonizandi univerſaliter præſcriptus ab Alexandro III. ac Innocentio III. *in cap. 1. & 2. eodem tit.* ut ſcilicet nullus pro Sancto colatur, niſi fuerit Canonizatus a Sede Apoſtolica, ad quem pertinet ſolum decernere, quid credendum, quidvè agendum ſit de rebus, quæ fidem, ac Religionem reſpiciunt, ut per Doctores adductos a Molfeſio *d. conſ. 46. num. 11.* Atque hi ab univerſali Eccleſia, ſeu fidelium Congregatione, uti Sancti coli debent.

37 Et nihilominus certum eſt ante prædicta Alexandri III. & Innocentii III. decreta aliquos Sanctos fuiſſe a Summis Pontificibus Canonizatos, qui fuerunt undecim, quorum novem enumerantur a Rocca *de Canoniz. Sanctor. in Catal.* a Summis Pontificibus ab anno 804. uſque ad 1601. Canonizati, & duo alii fuerunt ab ipſo prætermiſſi, quorum Conſtitutiones ſunt inter congeſtas in Bullario *tom. 1.* Ante verò annum 804. non legitur aliquis in Sanctorum numerum ab ullo Summo Pontifice adſcriptus, ut ait ſe credere Bellar. *dict. cap. 8.* ac refert quoque Surius *tom. 2. cap. 9.* licèt Auctores in id non convenire, tradat Molfeſ. *eodem conſ. 46. num. 15.* Nam aliqui exiſtimant Beatum Trudpertum anno 770. fuiſſe Canonizatum a Stephano Papa Tertio, ut ex libello Sanctorum Eccleſiæ Conſtantienſis, nondum typis excuſo, habetur. Ii autem primi undecim Sancti Canonizati ſunt ſequentes.

S. Svitbertus a Leone III. anno 804. 9. Septembris.

S. Uldaricus, Auguſtæ Vindelicorum Epiſcopus, a Joanne XV. anno 993. menſe Februarii.

S. Simon, Monachus Treverenſis, a Benedicto IX. anno 1035.

S. Stephanus, primus Hungarorum Rex, & S. Emmericus ejus filius ab eodem Benedicto IX. anno 1036. 4. Novembris.

S. Vvolfangus, Ratiſponæ Epiſcopus, a Leone IX. anno 1049.

S. Gerardus, Epiſcopus Tullenſis ex Colonia Agrippina ab eodem Leone IX. anno 1052.

S. Antilanus, Epiſcopus Zamorenſis, ab Urbano II. circa annum 1088.

S. Petrus, Epiſcopus Anagninus, a Paſchale II. anno 1110. 4. Januarii.

S. Hugo, Epiſcopus Gratianopolitanus, ab Innocentio II. anno 1134. 22. Aprilis.

S. Henricus primus, Romanorum Imperator, ab Eugenio III. anno 1152. 13. Martii.

38 Poſt prædicta verò decreta Alexandri III. & Innocentii III. ii, qui fuerunt in Sanctorum numerum cooptati ab eodem Alexandro, ſunt Eduardus Anglorum Rex, Bernardus Abbas Claræ Vallis, Thomas Epiſcopus Cantuarienſis, & M. Galganus Eremita, reliqui fuerunt Canonizati a Summis Pontificibus ſucceſſoribus, itaut omnes, computatis prædictis undecim Sanctis ante Alexandrum Tertium uſque ad Pontificatum Urbani VIII. incluſivè, qui fuerunt congeſti a Rocca *loco citato*, & referuntur in prædictis Conſtitutionibus Apoſtolicis, in Bullario poſitis, ad ſeptuaginta duos tantùm aſcendant, præter aliquos Regulares Martyres ab eodem Urbano Octavo Sanctos declaratos, & ſi qui hunc numerum excedunt, perpaucos eſſe, ait Rocca eodem *Catalog.* in fine, & de his a Summis Pontificibus in Sanctorum numero ante tempus Alexandri III. adſcriptis, poterunt videri Trithemius *in lib. de viris illuſtribus*, Demochares *in tabul. Epiſcopor. Aurelian. num. 5. lib. de omnib. Epiſcopat. German. capit 9. & ſeqq.* ac Molan. *ib append. ad Martyrolog. Uſuardi*. Cæteri verò innumerabiles Sancti Martyres, & Confeſſores ab Eccleſia univerſali, & Eccleſiis particularibus; ſive ſint in Kalendario, & Martyrologio Romanis, ſive non, deſcripti, de conſuetudine coluntur.

At deindè, tradentibus Divo Auguſtino *dict. collat.* 23. 39 Molan. *loco citato*, & Baronio *in notis ad Martyrolog. 2. Aprilis v. Sanctorum numero*, alius mos fuit in Eccleſia Catholica introductus in Canonizatione Martyrum. Cùm enim quis martyrio occubuiſſe, Epiſcopus, ſub cujus ditione id contingebat, rem deferebat ad Primatem, qui, convocato Epiſcoporum ſuffraganeorum Concilio, ejus martyrium illis communicabat, & ſi, re benè perpenſa, decernebatur, paſſum inter Sanctos in tota Eccleſia habebatur. Hunc morem cœpiſſe in Africa tradit Baron. *ad ann. 302. num. 126.* quem in aliis Provinciis ſervatum quoque credit, & hanc fuiſſe veterem praxim Eccleſiæ, affirmat Scacch. *dict. ſect. 1. eodem cap. 7. fol. 28.* & Molfeſ. *dict. conſ. 46. num. 13.* ait idem antiquitus fuiſſe poſteà quoque introductum pro Sanctis Confeſſoribus. Si quis enim cum opinione ſanctitatis obierat, & in vita, & poſt mortem miraculis claruiſſet, res hæc agebatur, ac diligenter diſcutiebatur in Synodo, ſive Concilio Provinciali, & ejus aſſenſu iſte elevabatur, ideſt canonizabatur cum mirabili gaudio, ac concurſu populorum.

Et ideò innumeros Sanctos Confeſſores non a Sede 40 Apoſtolica, ſed hoc modo in Sanctorum numerum relatos univerſalis venerata eſt, ac veneratur Eccleſia, quorum plurimi referuntur a S. Gregorio Turonenſi in Hiſtoria Sanctorum Patrum, & a Sancto Gregorio Papa *in lib. dialog.* & inter eos plures Sancti inſignes conſpiciuntur, quales ſunt, Antonius Abbas, Hilarion, Gregorius Nyſſenus, Joannes Chryſoſtomus, Auguſtinus, Hieronymus, Ambroſius, aliique.

Nec obſtat, quod hujuſmodi conſuetudo colendi 41 Sanctos non Canonizatos a Sede Apoſtolica, magno periculo falſi cultus exhibendi iis, qui verè Sancti non ſunt, neque cœleſti gloria fruuntur, ſubjaceat, prout aliquando contingit in Eccleſia, ut alibi retulimus. Ideòque ſemper hac in re Eccleſia magnam adhibuit diligentiam, ne falſis Sanctis cultus aliquis adhiberetur, ut patet ex pluribus Conciliis, quæ refert Lezana *d. conſult. 2. num. 28.* & ex Concil. Trident. *ſect. 25. de invoc. vener. & Reliq. Sanct.*

Quia reſpondetur cum eodem Lezana *loco citato nu-* 42 *mer. 29.* quod caſus prædicti, aliique conſimiles particulari Dei providentia fuerunt manifeſtati, & verba illa, quæ Auguſtino tribuuntur, *multorum corpora honorantur in terra, quorum animæ torquentur in gehenna*, Bellarm. *dict. lib. 1. de Sanct. & Beatit. cap.* 10. teſtatur, quod nunquam in operibus Sancti Auguſtini reperire potuit, & etiamſi reperirentur, ſubdit, intelligi debere de impiis, qui ſuperbiſſimis ſepulchris honorantur in terris, quorum animæ in gehenna torquentur, vel de corporibus defunctorum fraude aliqua pro Corporibus Sanctorum ſuppoſitis, vel de Martyribus Donatiſtis, qui ab hæreticis, uti Sancti honorabantur, & ſi prædicta urgerent, neceſſariò ſequeretur, quod ſolùm ii, qui a Sede Apoſtolica ſunt Canonizati, ab Eccleſia coli deberent & tamen verum eſt, innumeros non Canonizatos ab eadem Sede ex longæva conſuetudine cum ejus tacito, vel expreſſo conſenſu, legitimè præſcripta ab Eccleſia, uti Sanctos, coli, & honorari. Prætereà caſus prædicti rarò eveniunt, & ideò non poſſunt vitiare factum legitimum ex immemorabili conſuetudine, ut in terminis docet Molfeſ. *dict. conſ. 46. num. 68.* Lex enim attendit ea, quæ ordinariè, non quæ rarò contingunt, *leg. nam ea, ff. de legibus.*

Minuſque obſtat, ſi nullibi extaret eorum memoria. 43 Nam ſatis notum eſt, acta Martyrum, quæ Romæ juſſu Clementis, & in aliis Provinciis juſſu aliorum Romanorum Pontificum congeſta ſunt, magnam jacturam paſſa eſſe tempore Imperatorum, qui Chriſtianos perſequebantur, præſertim Diocletiani, ut tradit Baron. *ad ann. 60. num. 45.* his verbis: *At non Romæ tantùm, & locis extra Urbem poſitis, ſed in aliis Civitatibus, atque Provinciis ſub eodem Nerone paſſi Martyres reperiuntur. Nam tradit Oroſius lib. 7. cap. 7. per omnes Provincias pari perſequutione chriſtianos vexari a Nerone mandatum eſſe. Horum enim magna ex parte nomina exciderunt, exuſtis Eccleſiarum monumentis a Diocletiano Imperatore, ut ſuo loco dicemus, adeòut vix paucorum habeatur mentio in Romano Martyrologio; ſed omiſſis cæteris, cùm noſtri ſit inſtituti omnium Eccleſiarum Martyres omnes proſequi, quæ pertinent ad ea, quæ Romæ geſta ſunt, tantummodò nunc proſequamur.*

Videatur etiam idem Baronius ad *Martyrolog. cap. 3.* 44 ubi fusè agit de jactura actorum Martyrum, quorum plura non ſolùm fuerunt flammis tradita, ſed etiam alia diminuta conſpiciuntur, ita ut quo martyrii genere aliqui eorum, quos etiam Eccleſia univerſalis venera-

ratur,

ratur, obiere, ignoretur, ut inquit idem Baron. *ad annum* 302. *num.* 128. & ad Martyrolog. *cap.* 8. ubi refert Gregorium Papam *lib.* 7. *Regist. epist.* 29. ad Eulogium Episcopum Alexandrinum, hoc sic attestantem : *Nos pene omnium Martyrum distinctis per dies singulos passionibus collecta in uno Codice nomina habemus, atque quotidianis diebus in eorum veneratione Missarum solemnia agimus. Non tamen in eodem volumine quis, qualiter sit passus, indicatur, sed tantùm locus, & dies passionis ponitur. Unde fit, ut multi ex diversis Terris, atque Provinciis per dies, ut prædixi, singulos cognoscantur coronati.* Et quo tempore fuerint aliqui ex prædictis Martyribus passi, etiam ignoratur, ut habetur in Martyrologio in eisdem notis, nempè Bassæ, & Sociorum 10. Augusti, ab eodem Baronio instructis. Sufficitque ergo traditio, sive consuetudo immemorabilis de eorum cultu.

45 Nunc præsto, quod promisi, specimen nempè relationis, quæ sive spectes vitam, sive virtutes, sive miracula, sive genus ipsum dictionis, sive omnia, sive singula, verè mirabilis est. En illa

RELATIO FACTA

in Consistorio secreto coram S. D. N.

GREGORIO PAPA XV.

A Francisco Maria, Episcopo Portuensi S. R. E. Cardinali a Monte.

Die 24. *Januarii* 1622. *super vita, sanctitate, actis Canonizationis, & miraculis*

BEATI FRANCISCI XAVIER,

è Societate Jesu.

46 Divinæ providentiæ consilio statutum est, Beatissime Pater, ut Christus Deus, & homo ineffabili mysterio in tempore de Virgine natus, suæ legis splendore humanum genus ad salutem illustraret, quem propterea æterni Patris nomine ita Isajas alloquitur. *Ecce dedi te in lucem gentium, ut sis salus mea usque ad extremum terræ.* Non tamen omnibus per seipsum Christus hoc beneficium contulit, sed intra Judææ fines se continuit, inde verò Apostolos, tanquam sol, splendidissimos radios misit in universum mundum prædicare Evangelium, nec Apostoli, electi a Deo nuncii, omnes Orbis terræ Provincias peragrarunt, sed cùm falli non possit divini oraculi vox, quæ de illis prædixit : *In omnem terram exivit sonus eorum, & in fines Orbis terræ verba eorum*, Apostolis Apostolici viri successerunt, qui ab hac Sancta Sede missi Christum Dei, salutem, ac veram mundi lucem aliis subindè Provinciis prædicarunt.

47 Hos inter servus Dei Franciscus Xaverius ita eluxit, ut in eo divini oraculi pars illa impleta esse videatur : *Et in fines terræ verba eorum*. Divino enim beneficio segregatus in Evangelium Dei, qua immensa patent Oceani littora ad Orientem solem deduxit sonum Apostolorum : *Et in fines Orbis terræ verba eorum*. Nam, ut taceam Indos, Brachmanas, & Malabares, ad quos aliqua Evangelii fama olim emanavit, & multorum sæculorum ætatibus obliterata, Xaverii prædicatione revixit, ipse primus Paravis, Malais, Jais, Acenis, Mindanais, Mobruensibus, ac Japonibus Apostolico sanè spiritu, & virtute Evangelicæ lucis fulgorem induxit, & salutem annunciavit. Ultra quas Provincias ad Orientem solem nihil reliquum Orbis terrarum habet.

48 Nuncius tamen ille hinc discessit Apostolicus, a Paulo Tertio Pontifice Sumo missus, ut illis gentibus salutem nunciaret, & Apostolus inde revertitur. Hoc enim nomen Apostolicis factis primum in Lusitania obtinuit, deindè in India, Japonia, Sina, & reliquis Orientis Provinciis conservavit. Communi enim omnium consensu, nonnisi Apostolus nominatur, meritòque tàm honorifica appellatione dignus censetur, qui Apostolico planè spiritu in tot Provinciis Evangelium prædicavit, ita Domino cooperante, & sermonem servi sui confirmante sequentibus signis, ut multa centena hominum millia doctrina, & miraculis, Apostolorum miraculis simillimis, ab idolorum servitute ad veram libertatem filiorum Dei traduxerit, in fide instituerit, & propria manu baptizaverit, inter quos Reges, ac Principes non pauci numerantur. Quod Apostoli nomen ab hominibus servo suo tributum insigni miraculo Deus confirmasse videtur, cùm illi non solùm miraculorum, sed etiam linguarum dona concesserit, quibus olim Apostolos Hierosolymis ad prædicationem Evangelii armavit.

Apostolus igitur ad hanc Sanctam Sedem revertitur, 49
qui Apostolicus Nuncius ab illa missus est, ut fructum afferat, & fructus ejus manet, quem tu Summe Sacerdos benedicas, & Deo offeras. Illius enim fructus sunt tot millia hominum Catholicæ Ecclesiæ aggregata, tot illustrium virorum victoriæ, qui in illis Provinciis, in quibus Evangelium prædicavit, pro fide tuenda sanguinem profuderunt, hodieque profundunt, constantia, & patientia, qua innumeri Confessores inter acerbissimas persequutiones fidem tuentur, illius etiam fructus est nomen, & fama, quam Apostolicæ sanctitatis, ubique obtinuit, & desideria totius Ecclesiæ de illius Canonizatione, nulla etiam natio est in Orbe Christiano, quæ Xaverium, eximiè Sanctum, non prædicet, cupiatque plenos illi Beatorum honores ab hac Sancta Sede pro tantis meritis tandem decerni.

Hæc igitur celebris fama, communique Ecclesiæ vox, 50
ac desiderium Pauli V. sel. record. animum inclinarunt, ut ad preces totius Societatis Jesu, illiusque Præpositi Generalis in ordinem ad Canonizationem de vita, & sanctitate hujus heroici viri, juxta Sacros Canones inquiri jusserit, propterea que fabricatis processibus de jure, ac stylo necessariis, illisque maturè per plures annos discussis, hodie in eo statu causa versatur, ut legitimè instructa videatur, & jussu Sanctitatis vestræ coram amplissimo Sacro Senatu illius statum relaturus, brevitati consulendo, tripartito ordine illum explicabo.

Primò, vitam, actiones heroicas, virtutes hujus servi Dei proponam.

Secundò, res in hujusmodi causa ordinatim gestas.

Tertiò, miracula insignia, a Deo ejus intercessione facta, ut si priora duo Sanctitas vestra approbatione digna esse judicaverit, & hanc postremam partem recensendam decreverit, rogatis de more singulorum Reverendissimorum Dominorum meorum sententiis, quid pro Dei gloria, & Catholicæ fidei exaltatione magis expediat, deliberare, & statuere possit.

De vita,

In ea Navarræ parte, quæ trans Pyreneum Montem 51
ad Hispaniam pertinet, natus est servus Dei Franciscus Xaverius anno Domini millesimo quadringentesimo nonagesimo septimo in Castello Xavier, a nobilibus parentibus Joanne Jasso, regii ejusdem Provinciæ Consilii Præside, & Maria Azpilcueta, Xaverii oppidi, & aliorum circa locorum dominis, a quibus piè educatus, & christianæ disciplicæ rudimentis diligenter instructus, ubi ætas adolevit, Lutetiam Parisiorum missus est, ut in celebri illa academia literarum studiis animum excoleret. Cùmque de eo domum revocando pater cogitaret, Maria Magdalena, Francisci soror, quæ Gandiæ discalceatarum virginum magna sanctitatis fama Monasterium regebat, de patris consilio, ac fratris futura gloria divinitus edocta patrem scripsit, Parisiis Franciscum omni ope foveret, ut in studiis pergeret, etiamsi opus esset domesticum censum in ea re axhaurire, quia nimirum electus a Deo novi Orbis Apostolus erat.

Parisiis ergo amicitiam contraxit Franciscus cum Ignatio Loyole, Societatis Jesu postea parente, & fundatore, qui eum ad divinam gloriam procurandam socium a Deo multis obtinuit, precibus, & lacrymis, spiritualibusque exercitationibus instruxit. Quibus ille tantum profecit, ut Evangelicæ perfectionis amore incensus, sæculi honoribus, ac divitiis contemptis, durum, ac vile vitæ genus, eodem Beato Ignatio duce, animosè aggressus sit, & constanter prosequutus. Victum emendicando quærebat, orationi, ac divinis rebus vacabat semper, corpus jejuniis, aliisque pœnis affligebat.

Egressus Parisiis in Italiam venit, & dum peregrinandi in Palæstinam tempestatem expectat cum sociis, ut Turcarum conversione ibi incumberent, cujus rei voto se adstrinxerant, Venetiis, Bononiæ, aliisque Urbibus præclaro sanctitatis exemplo, & spiritus ardore concionando, aliisque pietatis, & charitatis officii proximorum saluti indefesso incubuit studio. Venetiis ad titulum paupertatis Sacerdos creatus, magno humilitatis, & charitatis exemplo ægrotis in hospitali domo inservivit, illis familiaribus assistens, quorum aspectum propter insanabiles morbos, ac vulnera reliqui ferre non poterant, & ut glorioſiorem de se victoriam repor-

reportaret, ſæpè aquam hauſit, qua eorum vulnera laverat.

Sublata igitur navigandi eo anno ſpe, Romam cum aliis ſociis venit, quemadmodum inter omnes convenerat, ut ſe Summo Pontifici ſiſterent, offerrentque in quaſcumque vellet Provincias emandare ad proximorum ſalutem procurandam, vitamque hic ſpiritualibus exercitationibus, ac laboribus pro divina gloria ditiſſimam, cæterum pauperrimam, & aſperam dum agerent, jactis primis Societatis Jeſu fundamentis, Joannis Luſitaniæ Rex, Orientalis Indiæ converſioni maximè intentus, a Paulo Papa III. ſuppliciter petiit, ut ex Ignatii Sociis, quos ſanctitatis, & doctrinæ fama ad eam expeditionem aptiſſimos judicabat, aliquos ſibi mitteret, qui Evangelium vaſtiſſimis illis in Provinciis promulgarent.

In quam rem Ignatius, cui Summus Pontifex negotium commiſerat, Franciſcum nominavit, qui Apoſtolici Nuncii dignitate, ac poteſtate a Pontifice inſtructus Indiæ Apoſtolus juxta ſororis vaticinium, a Deo electus, ſine mora proficiſcitur, eaque ſanctitatis, & Apoſtolici ardoris ſigna exhibuit in Luſitania, ut communi omnium voce Apoſtolus dictus ſit, quod nomen non ſolùm ipſe dum vixit, & poſt obitum obtinuit, verùm in illius memoriam, ac venerationem, qua Luſitanum Imperium per Europam, Africam, Aſiam, & novum patet Orbem, omnes de Societate Jeſu Apoſtolii nominantur; tantum enim fidelis Dei ſervus Apoſtolicis factis, & ſanctitate promeruerit, ut non ſolùm ſibi glorioſum nomen, ſed ſuis etiam comparaverit.

Ex Luſitania in Indiam ſolvit, nec ullis regii Prætoris precibus adduci unquam potuit, ut viatici nomen aliquid acciperet, præter vilem centonem. Mendicando victum quærebat in navi, in publico dormiebat, nautico funè pro lecto utens, ægrotis omni ope ſemper præſtò erat, illis cibos, ſi indigerent, non ſolùm a ditioribus procurabat, ſed propria etiam manu, & induſtria parabat, ac dividebat, non veritus etiam illorum veſtes lavare, aut aliquod officii genus, quamvis viliſſimum, illis exhibere, in quibus prudens Chriſti ſervus ipſum Chriſtum ſemper agnovit, & veneratus eſt. Ut Sacramenta illis miniſtraret, periclitantibus adeſſet, & mærentes ſolaretur, totas noctes vigilabat indefeſſus, diebus in ſummo labore, & oratione tranſactis; Unde aliqui dicere ſoliti ſunt, Franciſci delitias eſſe præter orationem, ægrotis inſervire. Quod vivendi inſtitutum non ſolùm in hac, ſed in omnibus navigationibus, in quibus deinceps magnam vitæ partem poſuit, conſtantiſſimè retinuit. Nec ſolum in Mari ejus charitas ita in pauperes, & ægrotos eluxit, ſed dum in Urbibus moraretur, nihil ab hoc inſtituto unquam remiſit. Quin omnibus omnia factus, ut Chriſto omnes lucrifaceret, reliquos homines, qui vel propter pinguiorem fortunam, vel propter valetudinem ea opera non indigebant, alii non minoribus officiis proſequutus ſemper eſt, nullique unquam labori pepercit, quo proximorum ſaluti prodeſſe poſſet.

Indiam ut attigit poſt tàm longam navigationem, quæ annum tenuit, curando corpori nullum tempus dedit, ſed ignem, quem in illas Provincias mittere venerat, ſtatim cepit ſpargere. Pueros ac rudem plebem per urbem tintinnabulo vocabat, cogebatque in aliquam Eccleſiam, in qua omnes doctrinam Chriſtianam edocebat ea ſpiritus efficacia ut latiſſimè in omnium corda penetraret, veluti doctrina ipſa Apoſtolorum Orationes per plateas, ac domos, ut decantarent, omnibus perſuaſit, & in domibus ſuis familiaribus eas traderent. Qui mos ab eo inductus, hodie in India, magna Dei gloria, perſeverat.

Adultos ad confeſſionem, ac pœnitentiam peccatorum, chriſtianæque vitæ ſanctitatem omnibus officiis invitabat. Ethnicos ab Idolorum ſervitute ad veram filiorum Dei libertatem indefeſſo ſtudio, & per aperta vitæ diſcrimina vocare nuſquam deſtitit, in ignota, & abditas penetrans Provincias, nudis ſæpè pedibus, laceris veſtibus, & mendicis. Qua in re ita ſervi ſui conatibus Deus adfuit, clariſſimis, & Apoſtolorum ſimilibus miraculis ſermonem illius, ubique confirmans, & interius auditorum corda movens, ut multa centena hominum millia, ad fidem converterit, & baptizaverit, multos vitiorum cæno pertinaciter immerſos, magnis ad id ſuſceptis peregrinationibus, navigationibus, & corporis afflictionibus, extraxerit.

Multa ſunt Regna, & Provinciæ, & Inſulæ, per quas Cœli, ac Romanæ Sedis Nuncius verbum Dei ſeminavit. Tandemque dum aditum Evangelio quærit in vaſtiſſimum Sinarum Imperium, laboribus ſupra humanas vires pro Dei gloria factus, & cœleſti Chriſti vi-

dendi ardore extenuatus, in Sanciana deſerta Inſula ad patriam, & nuptias Agni evocatus fidelis ſervus, in gaudium Domini introivit.

De Virtutibus.

Apoſtolici hujus viri clariſſimarum virtutum inſignibus excellens ſanctitas per RR. PP. Rotæ Auditores firmata, & per Sacram Rituum Congregationem legitimè comprobata, apertè ex dicendis manifeſtatur.

De Fide.

Fides in excellenti gradu in eo floruit, quam non 52
ſolùm per Sacramentorum devotam ſuſceptionem, & indefeſſam miniſtrationem profeſſus eſt, ſed heroicis etiam operibus, ſuſceptis ad eam prædicandam per barbaras, & ignotas provincias, ac maria magnis peregrinationibus, & navigationibus per aperta vitæ pericula, & ſine ullo humanæ opis auxilio, exprimens in ſeipſo Evangelicæ doctrinæ, quam prædicabat, puritatem, ac ſanctitatem, attulitque ejus fides in millia millium per vaſtas illas provincias propagata, & allatura in poſterum eſt fructum benedictionis in horrea Domini. Ex quibus rebus ea virtus eminenter in illo claruiſſe patet.

De Spe.

Firmiſſimam habuiſſe ſpem, planum eſt, cùm in eo 53
omnia illa abundanter concurriſſe probentur, quæ cum tali Spe indiſſolubili nexu ſociantur, nempè deſpectus temporalium rerum, voluntaria ærumnarum perpeſſio, aggreſſio difficilium, ſecuritas in periculis, gaudium in adverſis. Nam deſpectus temporalium apparet, quod ſpretis mundanis honoribus, divitiis, feudalibus caſtrorum ſucceſſionibus, dignitatibus, & commodis humilem vitam, religioſamque paupertatem ſub obedientia in viridi ætate eſt amplexus. Quoad voluntariam ærumnarum perpeſſionem, evidentiſſimè conſtat illa, quia cunctis rejectis commodis, ærumnas plurimas, maximoſque labores propter Chriſtum voluntariè ſuſcepit, ut inferiùs ſuo loco deſignabitur, itaut quanto majores illius fuerunt labores, & graviores ærumnæ, tantò etiam in eo ferventiorem Spem fuiſſe, affirmandum ſit. Quoad aggreſſionem difficilium illam docent plurima ardua, & difficilia, & humanas vires prorſus excedentia, quæ toto vitæ curſu perfeciſſe probatur, inter quæ unum tantùm, ne longior ſim, narrandum cenſui, videlicet admirabile illud, quod cum magnis itineribus per montium cacumina numeroſus Badagarum exercitus in Regnum Travancoridis, atque Promontorium Comorini furens excurreret in ruinam Chriſtianorum, quos ipſe baptizaverat, Xaverius ſolus invictæ in Deum fiduciæ clypeo tectus, obviam barbaris proceſſit, militeſque ſeverè increpuit. Stetit illicò exercitus immobili veſtigio, nec progredi ulterius potuit, quin etiam ducibus pergere volentibus reſpondebant milites, progredi ſe nequaquam poſſe, & cernere è regione aſtantem cum Xaverio virium quendam magnum, & majeſtate terribilem, nigra veſte indutum, qui eos terrebat, neque ardorem ex vultu, atque oculis emicantem ferre ſe diutius poſſe. Quod cùm ipſi etiam duces experirentur, retroceſſit totus exercitus, atque ab incœpto deſtitit, victorque Xaverius Chriſtianos, quos Chriſto pepererat, a cæde, & rapinis liberavit.

Aggreſſionem difficilium oſtendunt etiam cum admiratione tot peregrinationes ſuſceptæ ad infideles populos, incognitos, & barbaros cum aperto vitæ periculo, ſolo ſtudio divinæ gloriæ propagandæ. Securitatem in periculis in illo floruiſſe, certiſſimum eſt, cùm probetur ſine cura fuiſſe in mediis curis, & ſæpiùs ſine metu fuiſſe imminente naufragio, ſecurum ingruentibus hoſtibus, ſecurum in infirmitatibus ipſis, itaut firma ſpes in Deo, quæ in illo vigebat, certam ſecuritatem in periculis ei præſtaret, non ſecus, quam anchora navi in fluctibus præſtat, & in Domino confidens nihil timeret, poſſetque cum David canere: *Si exurgat adverſus me prælium, in hoc ergo ſperabo.*

Poſtremò quoad gaudium in adverſis, illud eminenter probat continua hilaritas animi, promptaque voluntas, quibus non ſolùm ſine mœrore, ſed cum Apoſtolo ad *Roman.* 5. glorians in ſpe filiorum Dei, tot labores, & ærumnas, ac pericula, & adverſa paſſus eſt, juſtè, ac piè vivens in hoc ſæculo, expectans beatam ſpem, & adventum magni Dei, qui ſervum, quem vigilantem, & laborantem cum gaudio invenerit, ad gaudium vocat æternum.

Cha-

Charitas.

Charitatem, virtutum præſtantiſſimam, ſervum iſtum Dei habuiſſe in eminenti gradu tàm erga Deum, quàm erga proximum, evidenter probatum eſt.

De Charitate in Deum.

54 Nam quoad Deum, charitatem illius oſtendit exacta obſervantia mandatorum ipſius etiam Dei, & Domini Noſtri Jeſu Chriſti approbatione, qui dixit Jo: 25. *Qui habet mandata mea, & ſervat ea, ille eſt, qui diligit me.* Quàm exactè verò fidelis iſte ſervus Domini mandata ſervaverit, colligitur ex puritate conſcientiæ, ex aſſidua meditatione divinæ legis, ex horrore cujuſque, etiam leviſſimæ tranſgreſſionis, ex ſtudio, quod adhibebat, ut ab aliis divina præcepta ſervarentur, ex voluntaria paupertate, caſtitate, & obedientia, in quibus tantùm excelluit, ut non ſolùm is, qui exadverſo eſt, nihil habens de illo dicere, obmuteſceret, ſed omnium lingua, ac vocibus tàm a chriſtianis, quàm ab idololatris, nonniſi Sanctus communiter diceretur, quæ fama nonniſi exactiſſima divinæ legis obſervatione colligi poteſt.

Probant eamdem charitatem frequentia, & familiaria colloquia, quæ longa, & quam aſſiduè cum Deo habebat, in quibus Dei amore taliter incedebatur, ut ſæpè vultu inflammato, oculis ad Cœlum affixis, diutiùs a terra elevaretur, quaſi in Cœlum, ubi erat illius theſaurus, & propterea cor, etiam corpus raperetur, & ſæpè non valens reſiſtere abundantiæ dulcedinis divini amoris, clamaverit: *Satis eſt, Domine, ſatis eſt.*

Oſtenditur eadem charitas per extinctionem timoris in ſubeundis periculis, & arduis operibus aggrediendis amore Dei. Nam perfecta charitas foras mittit timorem, ille verò tantùm abfuit a timore, ut propter Deum non timuerit naufragium, peregrinationes per invia, & deſerta loca non formidaverit, nec feros ethnicorum mores expaverit, quamvis ab omnibus uno conſenſu exitium ſibi imminere denunciaretur. Nec minus elucet ejus eximia in Deum charitas ex contemptu rerum humanarum, & mortis, qui in tota hujus ſervi Dei vita ita elucet, ut verè cum Apoſtolo poſſet dicere: *Quis nos ſeparabit a charitate Chriſti? An anguſtia? An fames? An nuditas? An periculum, &c. In his omnibus ſuperamus propter eum, qui dilexit nos.*

Nec minus eamdem teſtabatur charitatem continuò de Deo meditando, dulces de illa ſermones habendo, cunctos ad illius amorem hortando, jaculatorias orationes ex inflammato pectore etiam in mediis turbis emittebat tanta dulcedine, ut audientes ad Dei amorem accenderet, quin & dormiens in has voces frequenter erumpebat, *Mi Jeſu, Dulcis Jeſu*, non ſolùm in vigilia, ſed in ſomno Jeſum in ore, & corde habebat, quod ardentiſſimæ charitatis ſignum eſt clariſſimum.

De charitate in proximum.

55 Charitas verò in proximum ferventiſſima in eo probatur non ſolùm ex præmiſſis de charitate erga Deum, ſed etiam ex piis operibus, in quibus ſe continuò exercuit, ſerviendo ægrotis hoſpitalium locorum, illis cibum propriis manibus miniſtrando, ſordes illorum purgando, lectulos verſando, & ſternendo, ſinu, amplexuque fovebat, quantumvis ulceroſos, & tabidos, cum illis crebrò pernoctabat, extremum agentibus ſpiritum aſſiſtebat, mortuos abluebat, & ſepulturæ tradebat, omniaque alia, quantumvis vilia ſervitia, & charitatis officia eiſdem præſtabat indefeſſus Dei ſervus, omnibus omnia factus.

Nec minus eadem charitas in proximos colligitur ex beneficentia, qua maximè eluxit in pauperes, illis non ſolùm, quæ habebat benignè dividendo, ſed etiam ab aliis, ut illis darent, ſæpiſſimè oſtiatim poſtulando, omnia in egenos, ac deſolatos diſtribuendo, tanto amoris ſenſu, & voluptate, ut non ſolùm Pater pauperum communiter diceretur, ſed etiam illius delitias pauperes eſſe, & orationem permulti affirmarint. Eximia pietate fugit erga carceratos, illos crebrò viſitabat, verbis conſolabatur, cibo, potuque reficiebat, ſpirituali alimonia confirmabat, cauſamque illorum, quantum modeſtè poterat, agebat, idque tàm ſedulò, ut ſæpiſſimè domum rediret poſt occaſum Solis, quin tàm longa ſentiret jejunia, cujus potiſſimum cibus erat Chriſti voluntate facere.

Ardentem charitatem etiam in proximos probavit per tantum tempus pueros chriſtianæ fidei elementa docendo, rudibus adultis chriſtianam legem uberius explicando, peccatores omni conatu ad officium revocando, infidelibus, diſcuſſis errorum tenebris, Evangelicam lucem aperiendo, vehementiſſimo zelo animarum, quo ſemper flagraſſe oſtendunt, ſatis quæ hactenus diximus, & alia charitatis officia, quibus nil aliud quærebat præter animarum ſalutem, quas ita diligebat, ut ſanguinem pro illis dare paratum ſe oſtenderet ipſis periculis, & laboribus, quos intrepidus ob illarum ſalutem aggrediebatur, armatus Domini exemplo, *qui prior dilexit nos, & lavit nos a peccatis ſanguine ſuo.*

De orandi ſtudio.

Habuit hic ſervus Dei eminenter orandi ſtudium, 56
quod charitatem individuè comitatur, cùm nemo amet, qui non cupiat cum eo eſſe, & agere, quem amat, cumque per orationem cum Deo ſimus, & agamus. Excelluiſſe igitur illum tàm in vocali, quàm in mentali oratione probatur non ſolùm ex frequenti aſſiduitate, ſed etiam ex ferventi efficacia, & declaratione, quibus orare ſolitum fuiſſe, conſtat. Tantum enim ei cordi fuit aſſidua frequentia orandi, ut nullæ difficultates, nullæ occupationes, nulla negotia, quamvis ardua, nullumque tempus illum ab ea retrahere poſſent, ubicumque locorum eſſet. Quod ſi aliquando ſolitum, & præfinitum tempus orandi, & meditandi propter occupationes, quas Eccleſiarum ſollicitudo, & proximorum amor ingerebant, defluxiſſet, aliud pro illo reponebat, & cùm aliter non poſſet, illud nocturnæ quieti ſubtrahebat, noctes integras ſubindè orationi dans, vel majorem illarum partem, ſæpiuſque obſervatum fuit poſt graves, & multiplices diurnos labores a media nocte uſque ad lucem oraſſe, Chriſti exemplum ſequutum, qui pernoctabat in oratione Dei, immò in mediis etiam ipſis tempeſtatibus nihil commotus animo orationem continuabat. De nocte ſurgens in hortis domorum Societatis deprehenſus fuit ſæpè, ubi libero, & fulgenti Cœlo fruens totus in contemplatione divinæ pulchritudinis reperiebatur, & ut diutius hoc potiretur bono, binas tantùm, vel ad ſummum ternas horas quieti dabat, ut reliquum temporis meditando, orandoque conſumeret.

Fervens autem efficacia cum delectatione in orando, ſatis demonſtratur tàm ex prolixitate orandi per integras noctes, ut ſupra, quàm ex illius externa facie, ex qua in ipſo actu ardor orationis ita apertè emicabat, ut totus cœleſti quodam igne exardeſceret, ac in præſentes quoque flammas pietatis emitteret, qui illius aſpectu ad pietatem, & Dei amorem accendebantur. Illam etiam probat extaſis, quam patiebatur orans, & miſſam celebrans, itaut planè a ſenſibus abſtraheretur, nec miniſtrum veſtem identidem ſuccutientem adverteret, nec ad ſe rediret, niſi poſt horam. Orando talibus affluebat gaudiis, ut vix illis ferendis mortale pectus ſufficeret, & ob id auditus ſæpè fuit, dum ſecretò oraret, dicere: *Non plus Domine. Satis eſt Domine*, & ſimilia, de quibus jam diximus.

De humilitate.

Humilitatis dono, ſanctitatis fundamendo, ampliſſi- 57
mè dotatum fuiſſe oſtenditur, cùm in interna, & externa mirificè excelluerit.

Ac primò demiſſiſſimè de ſeipſo ſentiebat, & viliſſimum omnium, & peccatorem maximum reputabat, omnibus inferiorem ſe eſſe affirmabat, & nihil erat tàm vile, & abjectum, quo ſe dignum non putaret, nihil honorificum, quo ſe indignum non judicaret, itaut nulli præeſſe vellet, ſed omnibus ſubeſſe cuperet, omneſque propterea, ut Superiores, revereretur.

Secundò, eamdem probavit humilitatem honorificaque ſpernendo, ad ſua laudes, non ſecus, ac alii ad probra, erubeſcens, ſi quid eſſet, unde laus ipſi aliqua poſſet pervenire, ut in faciendis miraculis, ſtudioſè id factis, & verbis celabat, & ſociorum, aliorumque meritis, & interceſſionibus adſcribebat.

Authoritatem ampliſſimam Legati Apoſtolici, qua inſtructus in Indiam miſſus fuerat, non ſolùm non jactavit, ſed data opera, texit, quaſi gladium in vagina, adeòut per decem annos nemo illum Nuncium Apoſtolicum ſciverit, præter Epiſcopum Goanum, nec niſi ſemel, ultimo quaſi remedio ad Dei gloriam procurandam, ea poteſtate uſus eſt, re prius cum Epiſcopo Goano communicata, & illius permiſſa arbitrio.

Eadem

Eadem humilitas ostenditur ex propria sui abjectione. Nam Christum imitatus, cùm dives esset, omnium egenus fieri voluit, & dum lautè ex suo posset, ex alieno precariò victitare maluit, abiectissimo vestitu semper usus. Patet etiam ex quotidianis exercitiis, & actionibus, quibus sollicitam operam præstitit tàm in Indica navigatione, quàm in domibus hospitalium Indiæ, viliora quæque ministeria, ut jam dictum est, hilariter, & sponte eligendo, ex humili reverentia ostenditur, qua semper veneratus est Episcopos, Sacerdotes, & Superiores, quoscumque adeò, ut cùm Beato Ignatio, suo Superiori, scriberet, nonnisi genibus flexis scriberet, reverentiæ causa. Multaque sunt alia, è quibus plenissimè colligitur, Christi vestigia Xaverium fuisse sequutum, qui de se dixit: *Mitis sum, & humilis corde.*

De paupertate.

58 Paupertatem Evangelicam, quam vovit, perfectissimè abillo servatam fuisse, demonstrat ratio vitæ, quam semper servavit in victu, vestitu, supellectili, itineribus, habitatione. Victus namque fuit parcissimi, non eo solùm, ut corpus affligeret, sed etiam, ut voto paupertatis satisfaceret, utque verum pauperem ageret, quodcumque sibi ab aliis ultro submistrabatur, & ea, quæ solitus erat ipse per se mendicare, aliis pauperibus distribuebat, contentus ipse quolibet vili cibo, & pane obvio, ut latius dicemus, dum de pœnitentia agetur.

In vestitu verò non minus tenax paupertatis apparuit. Erat enim plerumque attritus, relartus, & assumentis variis intersectus in summa optimarum vestium copia, quæ certatim illi ab omnibus offerebantur.

In supellectili præterea ejus paupertas valdè resplenduit. Ejus in cubiculo nihil aliud elucebat, nisi ipsa paupertas, nudi namque erant parietes, lectulus potius ad arcendum somnum aptus, quàm ad conciliandum, utpotè sine culcitra, sine lodicibus, vilibus tantùm stragulis duro cervicali adjuncto, & præter ista, non aliud quidpiam erat in cubiculo, quàm pauci libri, sibi, vel aliis necessarii.

In itineribus conficiendis, quæ tàm longa, tàm multa, tàm difficilia fuere, tot longinquis peregrinationibus in ultimas terras suscepit, studium paupertatis suum maximè probavit, nullo alio vectore, quàm baculo pro equo, & vehiculo usus est, pedes semper incedendo, & non rarò sine calceis, sine alio tegumento plantarum. Viaticum non in pera, & sacculo, sed in Dei benignitate, & aliena pietate repositum habebat, nullum secum ferre solitus, nisi ubi per deserta, & invia loca esset incedendum, & tunc nil aliud parabat quàm cibum castrensem & castigatissimum. Et in toto longo, ac impedito itinere Meacensi assa tantùm victitavit oriza. Nec viatoriæ vestes luculentiores erant, quàm cibus, adeò pannosus se in viam dabat, ut aliquando pueris ridiculo esset, & Lusitania in Indiam solvens, precario semper in navi victitavit, nec ab illo instituto precibus Regii Prætoris ullatenus adduci passus est. Idem institutum in navigationibus reliquis servavit, nunquam aliò divertere solebat, quàm in publicas domos hospitalium, ut quemadmodum precariò vescebatur, ita mendicato hospitaretur. Hoc in Italia, hoc in Lusitania, hoc in India semper præstitit.

De mortificatione, ac pœnitentia.

59 Mortificationi studium, ac opera pœnitentiæ in eo tales fuisse constat, quales ad insignem, & excellentem requiruntur sanctitatem.

Primò, eximia fuit in eo abstinentia cibi, cùm non solùm carnis, & vini, sed etiam panis triticei usum procul a se abdicaverit. In privata domo, & quoties apud alios non vesceretur, de industria insulsis, ac vilibus utebatur cibis, ac parcissimè.

Secundò, manifestè colligitur ex maceratione carnis; corpus enim frequentissimè flagellis cædebat, quandoque æneo filo contextis, quæ etiam ferreis punctis, & stellulis de industria exasperabat ita, ut sanguinem copiosè profunderet. Somno nonnisi brevissimo corpus recreabat, incommodè vel humi, vel fune nautico jacens, vel lectulo vilibus stragulis, ut supra dictum est, parato, reliquum noctis orationi, & contemplationi dabat, vel ægrotis visendis. Quin extra solitum suum longè plura & majora pœnitentiæ opera exercebat. Sæpiùs namque per plures dies ab omni cibo abstinuit, & aliquando a Dominica passionis usque ab Sabbathum majoris hebdomadæ, sæpè per biduum, vel triduum, quandoque per quatuor totos dies, præsertim in principio suæ conversionis, quando etiam, ut doloris sensu magis cruciaretur, funiculus sibi adeò arctè coxendices, & lacertos constrixit, ut cùm plures dies eo in cruciatu iter agendo perseverasset animo repentè destitutus præ doloris magnitudine in media via conciderit, vinculis in carnem tàm altè depressis, ut medici vulnus insanabile judicaverint, actumque de ejus vita esset, nisi miraculosè vincula rupta fuissent sine ope artis humanæ.

De fortitudine, & magnanimitate.

Fortitudine, magnanimitate, & patientia in laboribus tolerandis, & superandis heroicè, ac insigniter a Deo donatus fuit, mundum vicit sui ipsius abnegatione. Christum sequutus, honores, ac dignitates sibi oblatas sprevit constanter, vitam religiosam, vilem, & pauperem elegit, & fortiter retinuit, eluxitque sæpè ejus animi fortitudo, quod plagis, & pustulis pauperum mendicorum lavatis, aquam ipsam, qua illas abluerat, non semel biberat. 60

Nec solùm tàm gloriosa de seipso victoria ejus emicuit invictus animus, sed etiam in aggrediendis rebus arduis propter Dei amorem, & in superandis difficultatibus. Longinquas regiones, ac provincias adiit, vitæ spreto periculo, nec barbarum, & efferum in hospites incolarum ingenium timuit ad christianam mansuetudinem invitare, a quibus sibi mortem paratam esse audiebat. Ab anno millesimo, quingentesimo quadragesimo primo, quo in Indiam navigavit usque ad annum millesimum quingentesimum quinquagesimum secundum, quo diem clausit extremum, multas diversarum nationum & linguarum Provincias prædicandi Evangelii causa peragravit, contractis etiam ob assiduos labores morbis gravissimis, sæpiùs naufragium passus est, æstus, frigoris, nuditatis, vigiliarum, sitis, famis incommoda diutissimè sustinuit, nudis pedibus inter vepres, & sentes longissima itinera perfecit, contumeliis, probris, irrisionibus, & omnis generis illusionibus, & injuriis appetitus, verbera insuper, lapidationes, ac sputa passus, omnia semper non solùm æquo animo, sed sibi plaudente, illius verè discipulus, qui Apostolis dixit: *Cùm vos oderint homines, & cùm separaverint vos, & exprobraverint, & ejecerint nomen vestrum tanquam malum propter filium hominis gaudete, & exultate*; Deoque propterea in omnibus gratias hilaris, & humilis agebat, & pro illusoribus, ac persequutoribus deprecabatur.

De fama sanctitatis, & nomine Apostoli.

Propter hæc non immeritò, Beatissime Pater, non solùm vastissimas Orientis Provincias, sed Occidentis etiam eximia sanctitatis fama, vivus, & mortuus complevit. Unde non alio nomine etiam vivus communiter vocabatur, nisi Sanctus tàm a Christianis, quàm ab infidelibus, qui omnes in angustiis illum etiam absentem invocabant, illi ægros, ac mortuos offerebant, ut sanitatem, & vitam restitueret, & quidquid illius habere poterant religiosè asservabant, 61

Mortuus omnium prædicatione est celebratus, corpus ejus Malacæ, & Goæ eximia veneratione exceptum est tanto populorum concursu, ut cùm primum Goæ expositum fuit, per multos dies cancellis, lictoribus, armato milite concursus fuerit compescendus, qui usque ad hanc diem maximus est, confluentibus ex tota India multis cujuscumque conditionis, sexus, & ætatis ad ejus sepulchrum, ut testantur vota soluta, tabellæ appensæ, & peregrinationes solemnes, vestes, superpelliceum, & alia, quibus usus est, pro reliquiis religiosè venerantur omnes, multaque propterea, ac magna a Deo beneficia comparant, loca etiam, quibus ille aliquando diversatus est, piè ab omnibus religiosa frequentia coluntur.

Imagines ipsius tàm publicè, quàm privatim devotè a populis visitantur, & coluntur, & in promontorio Comorini in Ecclesia Cottatæ illius Imago in tanta veneratione est, ut ethnici, & fideles propterea ad Ecclesiam illam religiosè peregrinentur, nec alio nomine illam appellent, nisi Ecclesiam magni Patris. Donaria illi offerunt, vota solvunt, ac beneficia a Deo illius intercessione postulant, & non vulgaria singulis diebus obtinent. Tanta veneratione christiani, & erhnici oræ Travancoridis propè promontorium Comerinum colunt, & venerantur Xaverium, ut cùm in interiori-

rioribus locis dictæ oræ duodecim Ecclesiæ fuerint destructæ, & nunquam deinceps renovatæ, solùm Ecclesia, ubi est posita Imago illius hucusque intacta persistit.

Accedit illustre testimonium præcipuorum ætatis nostræ scriptorum de insignibus virtutibus hujus eximii viri, & de opinione sanctitatis, quam habet in toto Orbe christiano. Quadraginta sunt, ferme omni exceptione majores, utpotè Cardinales, Episcopi, Sacerdotes, Religiosi, Jurisconsulti, aut alia prærogativa insignes, qui singulares testimonium de ejus sanctitate protulerunt, omnes ordinatim nominatim in jam dicta relatione Auditorum Rotæ.

Concurrit vehemens desiderium, & summa expectatio totius ubique Ecclesiæ ob continuatam perseverantiam prædictæ opinionis sanctitatis, quæ non solùm ejus morte latius propagata est, sed in dies magis, ac magis propagatur.

Postremò, superadditur honestissimus titulus Apostoli, quem summo consensu Hispaniarum populi, ac Indiæ illi detulerunt, apud quos non alio appellatur nomine, nisi Apostolus, quod non solùm mirabili præsagio Mariæ Magdalenæ ejusdem Xaverii sororis, natu majoris, de quo supra egimus, verum insigni miraculo Christus illi confirmasse videtur, cùm illum linguarum dono exornavit, quo Apostolos ad prædicationem Evangelii instruxit.

De Dono linguarum.

62 Diversarum namque gentium linguis, quas non didicerat, cùm eas Evangelii causa adiret, ita eleganter, ac expeditè loquebatur, ac si ibi natus, & educatus esset, & contigit non rarò, ut eum concionantem diversarum nationum homines, sua quisque lingua planè, & politè loquentem audiverit, id, quod pro maximo miraculo ab ea gente habitum, non solùm auxit venerationem Xaverii, sed multos etiam ad fidem convertit. Voluit enim Deus, qui illum ad prædicationem Evangelii in illis provinciis segregarat, ut sicut in cæteris Apostolicum spiritum acceperat, sic etiam dono linguarum Apostolicis similis esset, & ut non solùm spiritus fervore eximio, sed etiam variis linguis magnalia Dei, ubique loqueretur.

De gestis in causa.

63 Quibus sic summatim relatis de vita, heroicis virtutibus, & actionibus hujus servi Dei Xaverii.

Ad secundam partem circa res ordinatim gestas in hujusmodi causa deveniendo juxta præmissum ordinem, Sanctitati vestræ exponitur, qualiter anno a Xaverii obitu sexagesimo, cùm fama sanctitatis, & miraculorum, undique more Christiani populi celebris esset, placuit felic. record. Paulo Quinto ad preces Societatis Jesu committere Dominis Cardinalibus Sacræ Rituum Congregationi Præfectis, ut super recognitione processuum per ordinarium Indiarum Goæ, Coccini, Bazaini, & Malacæ ad instantiam Joannis Lusitaniæ Regis, ut dictum est, fabricatorum, ac super fama sanctitatis, & miraculorum, ac populorum, devotione in genere inquirerent, ac referrent, an talia viderentur, ut ad specialem inquisitionem procedendum foret, quæ Sacra Congregatio, annuente eodem Paulo Quinto sub die vigesima Martii anno millesimo sexcentesimo decimo deputavit bonæ memoriæ Cardinalem Pamphilium, qui authoritate Apostolica, ac ejusdem Sacræ Congregationis Rituum nomine per seipsum, vel aliquem Prælatum, seu Prælatos ab ipso eligendos in Urbe, cum notarii deputatione prædicta omnia perageret, qui Cardinalis, electo prius Nicolao Rogeto in Notarium, ad omnia prædicta absolvenda deputavit Rotæ Auditores Horatium Lancellottum, deindè Cardinalem, in cujus locum subrogatus fuit Joannes Baptista Coccinus ejusdem Rotæ Decanus, Franciscum Sacratum, tunc Archiepiscopum Damascenum, modò ob ejus insignia in Ecclesiam merita, Cardinalem, & Joannem Baptistam Pamphilium, coram quibus exhibitis per legitimum procuratorem articulis super generali inquisitione famæ sanctitatis, & miraculorum Xaverii, examinati fuerunt duodecim Testes cum interrogatoriis, & servatis aliis de jure servandis.

Mortuo Cardinali Pamphilio, eadem Sacra Rituum Congregatio sub die prima Septembris subrogavit Cardinalem Lancellottum, a quo deputato Joanne Viseto Notario in locum Nicolai jam defuncti, productisque processibus hujus causæ informativis, illisque fideliter interpretatis a deputato interprete, & in forma recognitis, absoluta quoque generica informatione Romæ, ut supra sumpta, eadem Congregatio, referente eodem Cardinali Lancellotto, decrevit, sufficienter, & abundanter constitisse de fumo sanctitatis vitæ, morum, & miraculorum, ac populorum devotione erga servum Dei Xaverium, proindè posse ad specialem inquisitionem procedi.

Unde idem Paulus Quintus per speciale rescriptum commisit eisdem tribus Auditoribus, ut causam hujusmodi reassumentes, omnia acta, & processus viderent, nova jura in Curia, & extra compulsarent, novos etiam Testes interrogarent, literasque remissoriales, & compulsoriales, prout opus esset, decernerent, & relaxarent, prout præviis legitimè productis articulis pro speciali inquisitione decretæ, ac relaxatæ fuerunt ad Archiepiscopum Ulysipponensem, ad Episcopos Pampilonensem, Bajonensem, & Jacensem pro Civitate Pampilonæ, ad Archiepiscopum Goanum, seu ejus Vicarium pro Civitate Goæ in India, ad Episcopum Coccinensem sive ejus Vicarium in India pro Civitate Coccini, ad Episcopum Malacensem, sive ejus Vicarium pro Civitate Malacæ item in India.

Quibus literis sic expeditis, dum in partibus exequutioni mandantur, fuerunt hic Romæ ab eisdem tribus Auditoribus alii examinati Testes super articulis in specie, ipsis prius citatis, & cum interrogatoriis, & aliis de jure requisitis.

Transmissis deindè ad Urbem processibus remissorialibus, & compulsorialibus, qui vigore dictarum literarum in partibus fabricati sunt, illisque per fidelem portitorem consignatis, ac per deputatos ab Auditoribus fideliter interpretatis, productis, & recognitis, instante procuratore Societatis Jesu, nomine etiam Serenissimi Hispaniarum Regis, & aliorum multorum Principum, ac totius Indiæ Cleri, ut ad ulteriora procederetur, tres Auditores prædicti, visis omnibus, & singulis processibus jam dictis, illisque maturè discussis, & examinatis, in pluribus Congregationibus, singillatim singulos legitimos, & legales, testesque in illis contentos ritè, ac rectè examinatos, ac esse in forma probanti declararunt, & examinatis virtutibus, & actionibus per particularia dubia cum longa temporis maturitate, causa demum instructa juxta canonicas sanctiones, de sanctitate, ac excellentia vitæ, ac miraculis constare censuerunt, suamque super præmissis relationem fecerunt eisdem felic. record. Paulo Quinto, quam relationem sanctitas vestra mensibus elapsis ad eamdem Rituum Congregationem, discutiendam remisit.

Nos verò, Beatissime Pater, relatione Auditorum Rotæ accepta, & super illa pluribus habitis sessionibus, diligenter, & accuratè discussis eorumdem Auditorum assertionibus, & conclusionibus, unanimi voto censuimus, omnes supradictos processus authenticos, & validos esse, prout etiam censuimus probationes, in illis processibus contentas, super sanctitate, excellentia fidei, & præclaris miraculis servi Dei Francisci Xaverii fuisse legitimas, & sufficientes. Quæ si Sanctitas vestra talia esse statuat, ut ad Canonizationem sufficere videantur, quæ superstunt tertio loco dicenda, de miraculis in particulari breviter prosequar.

De miraculis.

Ex multis miraculis, quæ in processibus continentur 64
in vita, & post mortem, a servo Dei Xaverio patrata, pauca hęc collegimus.

De miraculis in vita.

Primum. *Aqua salsa maris, facto signo Crucis efficitur dulcis.*

Cùm Pater Franciscus Xaverius ad Sinas contenderet in magna navi Sanctę Crucis, in qua quingenti erant vectores, cessantibus ventis tanta fuit malacia, ut per quatuordecim dies eodem hærere loco navis coacta fuerit, neque in illa maris vastitate ullus locus, vel insula appareret, unde possent auxilium petere: propterea aquæ penuria ita laboratum est, ut præ siti multi jam ex vectoribus morerentur. Adeunt igitur omnes Xaverium, & enixè petunt, ut tanto malo opem ferat. Ille post longam orationem benè in primis sperare jussit de Divina Providentia, eos non esse perituros certò affirmans, deindè vocato Navarcho, & nautis, reliquisque vectoribus, jubet illos sumere aquam ex mari, atque dolia, urnas, ac vasa omnia navis impleri, quam cùm degustassent salsam repererunt, tunc Xaverius elevatis in Cœlum ocu-

oculis, magna in Deum fiducia, facto ſigno Crucis aquam maris, quam in vaſis illis collegerant, benedixit, & præcepit, ut iterum deguſtarent, cui obtemperantes, aquam illam dulciſſimam, & optimam reperunt, quo miraculo vectores Xaverium Sanctum acclamarunt, & Mahomettani aliquot, qui aderant, cum uxoribus fidem receperunt, aquam deindè illam, quæ abundè ſuperfuit ex navigatione, in varias provincias, & Urbes Indiæ diſtribuerunt, qua multi ægroti ſanitatem miraculosè receperunt.

Secundum. *Puer mortuus ad vitam revocatur.* 65

Puer quidam peſtilenti febri correptus Mutano in Oppido Indiæ Orientalis, veſte funebri, hoc eſt ſindone de more illius gentis abvolutus, & conſutus per viginti quatuor horas aſſervatus, ſepulturæ mandandus effebatur magno parentum ejulatu. Occurrit Xaverius, qui tunc in eodem Oppido operam navabat convertendis Ethnicis, & erudiendis in fide chriſtiana iis, quos baptizarat. Itaque parentum orbitatem miſeratus genibus flexis, & oculis ad Cœlum elevatis, Deum oravit pro pueri vita, & corpus aqua benedicta aſperſit, deindè juſſit funebrem veſtem reſcindi, & cùm cadaver appareret, Cruce illud ſignans, atque manu apprehendens, in nomine Jeſu vivere jubet, & ſtatim puer ſurrexit vivus, eumque ſanum, & viventem parentibus tradidit, & in memoriam, & honorem hujus miraculi eo in loco Crux ab incolis erecta fuit magna omnium celebritate.

Tertium. *Mortuus, qui per diem fuerat ſepultus, ſu-* 66 *ſcitatur.*

Cùm ſervus Dei in promontorio Comorino concionem ad populum haberet in Eccleſia, in qua die præcedenti ſepultus fuerat quidam defunctus, ipſeque Xaverius difficultatem magnam pateretur in convertendis Ethnicis, qui aderant, oravit aliquantulum pro eorum converſione, & peracta oratione, ut ad Chriſtum illos adduceret, juſſit, ſepulchrum, in quo cadaver defuncti jacebat, aperiri, & populo ſignificavit, placuiſſe Deo, iterum mortuum illum ad vitam revocare, ut ipſi converterentur. Patefacto igitur ſepulchro, & reſciſſa veſte funebri, qua defunctus erat involutus apparuit cadaver. Tunc verò oratione a P. Franciſco pro vita illius Deo facta, ſtatim ſurrexit vivus. Quo viſo miraculo vehementer omnes admirati ſunt, Deum laudantes, & admirantes Xaverii ſanctitatem, & infideles illi, atque multi alii propter hoc miraculum chriſtianam fidem ſuſceperunt, & baptizati ſunt ab eodem Patre.

Quartum. *Dum Miſſam celebrat altius cubito a terra* 67 *elevatur.*

Dum Xaverius Tevanapatano in portu oræ Coromandellis, & aliis etiam in locis Indiæ Orientalis Miſſæ Sacrificium celebraret, viſus eſt ab univerſo populo, qui aderat Miſſæ, altius cubito ſuſtineri divina vi ſublimis a terra. Quam rem omnes habuerunt pro miraculo, & dono particulari Xaverio conceſſo, eumque deinceps, ut virum ſanctum venerati ſunt, crediderunt que famæ, quæ de illius ſanctitate, & miraculis vulgabatur.

Quintum. *Puer in puteo ſuffocatus, & mortuus ad vi-* 68 *tam revocatur.*

In ora Piſcariæ Indiæ Orientalis apud Oppidum Combuturæ, cùm puer filius mulieris ejuſdem loci indigenæ caſu in puteum cecidiſſet, & jacens per multas horas ſub aquis ſuffocatus eſſet, mater, & ejus cognati mortuum inde extraxerunt, cumque eum ad ſepulturam flentes deducerent, accurrit Dei ſervus Xaverius ex proxima Eccleſia Sancti Stephani, qui venerat ad celebrandam Miſſam, quem cùm vidiſſet Mater pueri, eum deprecatur, ut vitam filio reddat. At ipſe lachrymis matris commotus, & miſertus pueri caſum propè accedens, oculis elevatis, in genua provolutus, pro vita pueri orat, ejuſque manu apprehenſa, inquit: In nomine Jeſu Chriſti ſurge, & confeſtim puer ſurrexit vivus, & illum ſanum tradidit matri ſuæ, & cognatis. Omnes ergo, qui aderant, tanto miraculo obſtupefacti, cœperunt clamare miraculum, & gratias Deo egerunt, qui meritis, & interceſſione P. Xaverii illud operatus eſt. Xaverius verò præcepit eis, ne cuipiam rem geſtam narrarent.

Sextum. *Cæco viſus reſtituitur.* 69

Dum Xaverius in Japonia Ethnicis fidem prædicaret, mercator quidam, quem a multis annis apud omnes conſtabat eſſe cæcum, ad eum acceſſit, petens, ut vellet ſibi viſum reſtituere, quo jamdiù omninò carebat. Xaverius recitato prius ſuper eo quodam Evangelio, fecit ſuper ejus oculos ſanctiſſimum ſignum Crucis, quo peracto, ſubito, & eodem momento aperti ſunt oculi ejus, & cœpit videre, ac ſe domum recepit juſſu ejuſdem Patris Xaverii. Sequenti verò die venit prædictus cæcus ad Eccleſiam, quærens iterum P. Xaverium oculis tamen apertis, & claris, & proſtratus ad illius pedes ſimul cum tribus filiis, maximas ei gratias egit pro tanto accepto beneficio, affirmans ſe melius videre, quàm antea, cùm nondum in illam cæcitatem incidiſſet, & poſtea deduxit uxorem, & totam ſuam familiam, petens a Xaverio, ut vellet eos baptizare, quemadmodum factum eſt, & vulgata fama hujus miraculi inter alios Ethnicos, commoti ſunt vehementer quamplurimi, & pluſquam trecenti convenerunt Xaverium, petentes ſacrum baptiſmum, quos omnes ille baptizavit.

Septimum. *Mendicus ulceroſus miraculosè ſanatur.* 70

Cùm in promotorio Comorini occurreret Xaverii mendicus toto corpore ulceroſus, Pater illius plagas, & puſtulas magno charitatis ſenſu lavit, & ut majorem de ſe victoriam reportaret, hauſit aquam, qua laverat. Poſtea in genua provolutus, enixè precatur ad Deum pro ſalute dicti pauperis, qui ſtatim fuit liberatus ab omnibus plagis atque ulceribus.

Octavum. *Cancer marinus deperditum in mari Cruci-* 71 *fixum Xaverio miraculosè defert.*

Cùm Franciſcus Xaverius in Inſulis Molucis ageret, atque ex Amboino ad Baranulam Inſulam navigaret, ſæva tempeſtas exorta eſt, ad eamque ſedandam imaginem Crucifixi longam uno digito è collo detraxit, atque in mare immiſit, dumque illam manu detinet deſuper ex navigio, fortè accidit, ut ex manu diaberetur, atque in medium mare decideret; Qui caſus Xaverium tantopere afflixit, ut magni doloris ſigna dederit. Sequenti verò die ad Inſulam Baranulam perveneruntin qua eſt oppidum Tamalo, quod vectores navigii, nautæque petebant. Quare navigio ad terram applicato, deſcendens Xaverius cum Socio per ipſum littus iter faciebat, quo Tamalum perveniret, dumque medium milliare peregiſſent, atque a loco amiſſi Crucifixi multis jam milliaribus diſtarent; ecce tibi marinus Cancer cum prædicto Crucifixo e mari erumpit in littus, quem chelarum utrinque morſibus elevatum, & erectum geſtabat, & ſic ad Xaverium feſtinus accurrit, atque ante ipſius conſpectum ſtetit; at Xaverius in genua ſe provolvit, cancer verò expectavit quouſque Xaxerius Crucifixum ex ipſius chelis apprehenderet, quo peracto, ſtatim in mare, unde exierat, ſe recepit. Tunc Xaverius deoſculatus, & amplexatus Crucifixum, brachiis ad pectus in modum Crucis porrectis, humi proſtratus per ſemihoram in oratione ſtetit. Idem fecit ſocius, qui ad latus adhærebat, gratias agens Domino Jeſu Chriſto pro tam inſigni miraculo.

Nonum. *Scapha tempeſtate abrepta miraculosè redit ad* 72 *navem.*

Cùm Xaverius ad Sinas contenderet in Navi Odoardi a Gama, ſæviſſima orta tempeſtate, itaut omnes de ſe actum eſſe exiſtimarent, gubernator, ne repentina procellæ vis ſcapham auferret eam rudentibus ad onerariam religari juſſit, navantes operam ſcaphæ nox oppreſſit, nec ita multò poſt abruptis retinaculis ſcapham tempeſtas abſtulit tanto impetu, ut pene temporis momento omnium conſpectum effugerit. Ut verò quiſque cognatos, neceſſarioſque in ſcapha habebat, certatim eorum caſum deplorare cœperunt. Xaverius ergo univerſos collacrymantes intuens, bonum eos habere animum juſſit, ac prædicit fore, ut ante triduum filia reremearet ad matrem, his verbis ſignificans ſcapham ad onerariam redituram.

Poſtero die prima luce Xaverius læto vultu prodiit in medium, & navarchum rogat, ut jubeat aliquem malo conſcenſo ſpeculari, num ſcapha compareat, & ubi renunciatum eſt ex malo eam non conſpici, in cubiculum ſe abdidit, ibique lacrymas bonam diei partem in oratione extraxit, inde læta nuncians, ipſos non multò poſt ſcapham eſſe viſuros, navarchum rogat, ut vela dimittat, & ſchapham expectet, reclamantibus cæteris, quod fruſtra jam expectaretur ſcapha, & quod ſine manifeſto periculo onerariæ expectari non poſſet. Navarchus, qui precibus Xaverii defatigatus, vela demitti juſſerat, intermiſſo temporis ſpatio, cùm ſcapha nec adhuc conſpiceretur, & navis jam periclitari videretur, ſæviente adhuc mari, tolli propere vela imperat. Inſiſtit Xaverius rogans nautas, ut adhuc paululum expectent, certò affirmans, ſcapham nullo periculo onerariæ non multò poſt affuturam. Cùmque naturæ deſperata re, ac ſtimulante metu, nihilominus vela ſuſtollerent, Xaverius accurrens, manuque antennis injecta, per Chriſti mortem, & vulnera obſecrare inſtitit, ne pigeret etiamnum morari paruiper. Illi obtemperarunt, ipſe ſemel, atque iterùm, interea,

dum ſcapha expectaretur, & nullibi conſpiceretur, & omnes ibi ſine periculo ſe immorari non poſſe cenſerent, ſublatis in Cœlum manibus enixè orabat Navarchum, cæteroſque bono animo eſſe jubens. Interea navis expectans ingentibus agitabatur fluctibus impune, jamque per tres fermè horas dilata omnium expectatione, pro deſperata res erat, cùm repente quidam ſcapham apparere, atque adventare proclamant. Tum vero læti omnes Deo, Franciſcoque gratulari cœperunt, ut ſcapha in conſpectu omnium fuit, confeſtim ad eam excipiendam navis in obliquum ſtatuitur, ut illa, Deo ducente, rectè ad onerariam tendit, adventanti alacres nautæ funem de more eminus injicere parabant, cùm Xaverius nihil fune opus eſt, inquit, ipſa per ſe ſpontè accedat ad onerariæ latus. Idque omnibus miraculo attonitis ita evenit, atque ita aptè ſe applicuit, ut miſeri illi commodè exciperentur, quin etiam in mediis fluctibus, retinente nemine, tamdiu ſtetit, quoad religaretur ad navim, ut ſatis appareret ejuſdem, cujus adducta fuit precibus, eam retineri.

73 Decimum. *Super urbe Tolo pluit cineribus.*

Cùm Franciſcus Xaverius in Molucas Inſulas penetraſſet, & primus illas gentes ad Chriſtum adduxiſſet, urbs Tolus, in qua ad vigintiquinque hominum millia baptizaverat, ſuaſu cujuſdam tyranni fidem Chriſti deſeruerat, civeſque Eccleſia deſtructa, Cruces, & Sacras Sanctorum Imagines per ludibrium fregerant, quam rem ægerrimè ferens Franciſcus, dolenſque de injuria Deo illata, & de pernicie illarum animarum, poſtquam irritas ſuas preces vidit, quibus rebellium animos ad reſipiſcendum, quoad potuit, pertentavit, Chriſtianos milites ad vindicandam Dei injuriam promiſſione victoriæ excitavit. Viginti igitur Luſitani cum aliquibus Molucarum indigenis, qui omnes numerum quadringentorum explebant, expeditionem adverſus Tolum ſuſceperunt, Franciſco ſuadente, & comite, ac felicem belli exitum promittente.

Erat arx Toli in edito loco poſita non minus armis, quàm ſitu munita. Acceſſerat hoſtium fraus. Nam ea parte editæ rupis, qua ſola adiri poterat, ſtimulos ferreos ſuppoſuerant, in quos ſeſe induerent, qui propè arcem conarentur accedere. Vix Chriſtiani ad Tolum acceſſerant, cùm Franciſco ad Deum preces fundente, ex vicini montis vertice cum horrendo mugitu, & fragore magnum erupit incendium, & ingens cineris, ac pumicum vis ejecta, quod nunquam in iis partibus eveniſſe conſtat, non modò ſtimulos ferreos cooperuit, ſed etiam arcis faſtigium æquavit.

Per idem tempus terræ motus inſolitus tectorum urbis ingentem edidit ſtragem, itaut pleroſque hoſtium pavor compulerit in fugam, cineres deindè, ac pumicum copia congeſta, facilem in mœnia aſcenſum dedit. Quare arx, oppidum, totaque regio ſine ullo certamine fuit ſubacta, & cives, qui tali prodigio perterriti, urbem deſeruerant, & in proximas ſylvas ſe abdiderant, ad Xaverium ſtatim ſupplices accurrerunt, & ad ejus pedes proſtrati, delicti veniam petierunt. Xaverius igitur eoſdem cum Eccleſia reconciliavit, impoſita ſalutari pœnitentia, ut templa everſa reficerent, & ſuſceptam ſemel Chriſti fidem in poſterum ſanctè, piéque colerent.

Communis omnium, etiam barbarorum, conſenſus fuit, hanc memorabilem victoriam divina, non humana ope obtentam fuiſſe, & tàm opportunè flagrantis montis auxilium cum ſubita cineris, & pumicum congerie miraculosè interceſsione, ac precibus Xaverii evenisſe, qui divinam opem ſuis orationibus conciliarat, ut cujus belli author extiterat, præcipuus quoque ſuis orationibus eſſet adjutor.

De miraculis poſt mortem.

74 Primum. *Corpus incorruptum perſeverat.*

Mortuo Patre Franciſco Xaverio in Inſula Sanciani propè Sinas, ejus corpus in capſa lignea, viva calce injecta, ſub terra ſepellitur, ut quamprimum, exeſa carne, oſſa poſſent in Indiam deportari. Quatuor inde poſt menſes effoditur, apertaque capſa, & excuſſa calce, prorſus integrum corpus reperitur ſine ulla tabe, ac ſi tunc humatum eſſet, itaut color vivax, caro recens, veſtimenta nulla ex parte læſa eſſent.

Injecta iterùm calce in eadem arca Malacam defertur, ibique aperta arca integrum ſicut antea invenitur. In templum deindè Dominæ Noſtræ de Monte defertur, excuſſaque calce in novo loculo ſepelitur. Novi verò loculi brevitas coegit eos, qui funeri operam dabant, corpus nonnihil comprimere, atque inflectere, quod cauſæ fuit, ut ex humeris repente effluxerit ſanguis.

Cùm ergo ibi aliquandiu jacuiſſet, nono poſt obitum menſe, ſepulchro pateſacto non minus integrum ex humo, quam antea ex calce inventum eſt, & velum, quo ejus facies cooperta fuerat, propter ingeſtæ, compreſſæque terræ pondus in humatione, recenti imbutum cruore.

Quo moti miraculo, qui aderant, novam curarunt arcam intus, foriſque ſerica, & aurea veſte coopertam. Sic in Indiam delatum Coccini portum primum appulit, confluentibus devotione, & admiratione civibus ad contuendum corpus. Inde Goam exportatum, celebrique, ac feſta pompa a Prorege, & omnibus Ordinibus exceptum in Eccleſiam Societatis Jeſu defertur, ubi affluentis populi cupiditati, ut ſatisfieret, corpus validis cancellis munitum per totum triduum oculis omnium exponi neceſſe fuit.

Et quoniam rei miraculum excedebat fidem, de mandato Proregis ab inſigni medico corpus inſpectum, pertentatumque fuit, & compertum incorruptum, ſuccoſum & molle, integris, ac ſolidis inteſtinis, ex quibus per parvum vulnus inflictum, manabat ſanguinis, nullo balſami, oleive indicio. Exacto triduo, arca propè aram maximam ad dexteram in ſepulchro per eos die parato, ad tempus condita eſt. Poſtea Vicarius Generalis Epiſcopi Goani, Sede vacante, & Inquiſitor Generalis aperto ſepulchro, multis collucentibus facibus pro ſuo munere, atque officio pertentarunt corpus iterum, ac denuò, nihilque non integrum repererunt.

Secundum. *Corpus ejus ſuaviſſimum emittit odorem.*

Dum corpus Xaverii in Inſula Sanciano, vel Malaca loculo includitur, vel ab eo extrahitur, ſimiliter dum Malacam, & exindè in Indiam navi advehitur, vel Goæ viſendum exponitur, aut ibidem in capſa viſitatur, licèt nullo odoramentorum genere curatum eſſet, ſuaviſſimum tamen odorem ex ſe remittebat, itaut omnium ſpiritus ſuſcitaret, & confortaret, nec poterant diſcernere, cujuſnam rei tàm ſuavis ille odor eſſet.

Tertium. *Adventu corporis Xaverii Malacæ ceſſat repente peſtis.*

Cùm Malacam urbem in India Orientali celeberrimam, & frequentiſſimam ſæva peſtis invaſiſſet, quod propter Civium peccata eventum illi antea diſcedens Xaverius prædixerat, brevique tempore quamplurimi paucis admodum ſuperſtitibus periiſſent, nec dum deſæviret lues; ſed maximè in dies graſſaretur, ut primum corpus Patris Franciſci, quod ex Sinis in Indiam afferebatur, eo appulit, & ex navi in urbem delatum fuit, ſtatim ac ſubitò contagioſus ille morbus omninò ceſſavit, nec ab ea die mortuus ullus, aut morbo correptus fuit, ſed adeò tota lues extincta eſt, ut tàm peſtiferi morbi deinceps ne veſtigium ullum ſuperfuerit.

Quartum. *Ex digito pedis Xaverii Defuncti recens ſanguis effluit.*

Cùm Goam Xaverii corpus Malaca adveniſſet, & in Eccleſia fuiſſet expoſitum, magnaque populi multitudo devotione commota ad deoſculandum illius pedes acceſſiſſet, devota quædam mulier, fervore devotionis adducta, digitum pedis morſu apprehendit, & dentibus nixa eſt evellere fruſtulum, quod pro reliquia ſibi conſervaret, ex quo morſu recens effluxit ſanguis, ac ſi maneret de corpore vivo. Quo viſo miraculo, omnes, qui præſentes aderant, valdè ſunt admirati, & maximam inde devotionem erga Xaverium conceperunt.

Quintum. *Puer utroque crure, ac pede ſiccis, & aridis ad ſepulchrum Xaverii miraculosè ſanatur.*

Puer Ventura Goæ natus in domo Dominæ Joanne Fonſecæ quem illum, ut filium diligebat habebat a nativitate utrumque pedem, & crura omninò ſicca, & arida, neque amplius digito craſſiora, itaut per quinquennium ſemper humi manibus reptare cogeretur, nec erectum in pedes illum continere poterant, quin ſtatim caderet. Multis remediis fruſtra tentatis ad Xaverii opem Joanna confugit, puerum magna fide, ac devotione illi commendans, ſepulchrum illius cum puero per novem dies viſitaturam ſe promittens; cùmque votum cœpiſſet adimplere, tertia jam die, qua ſepulchrum viſitabat, puer in ejus gremio exiſtens, repente ferream ſepulchri cratem manibus apprehendens, ſuis ſtare pedibus, & ambulare cœpit, & ſtatim omninò ſanus evaſit, itaut per ſe deinceps ſine aliquo adminiculo ambulaverit, & inde melius ſemper ſe habens, intra novem illos dies, quos promiſerat crura carne repleta ſint, & ſic perpetuò valens, & ſanus deinde vixit.

Sextum. *Lampades ſola aqua repletæ ante imaginem Xaverii ardent.*

In Eccleſia Cottatæ oræ Travancoridis in India Orientali lampades poſitæ ante imaginem Patris Xaverii ſola aqua benedicta repletæ, ſæpè ardere viſæ ſunt, &

per

per multas horas, ac si oleum haberent, & hoc in fidei christianæ confirmationem, & ad ostendendam sanctitatem Patris Xaverii multis Ethnicis, Mahometanis & Christianis videntibus, & admirantibus, quorum aliquot, præsertim ex infidelibus, invitati a Christianis ad videndum miraculum, ut experimentum facerent de illius veritate, aquam subindè mutarunt, & nova elychnia in dictis lampadibus imposuerunt, quæ nihilominus arserunt, ut antea, & dum essent extinctæ, igne interdum ex seipsis concepere.

80 Septimum. *Infans mortuus, ad vitam revocatur.*

In Regno Travancoridis Indiæ Orientalis infans unius mensis magno ventris profluvio, & febri laborans emoritur. Ejus cadaver inhumatum seponitur, tradendum postea sepulturæ, & per septem, & amplius horas manet contectum linea tela, quæ fuerat ad vestem funebrem consciſſa ab ipsomet parente juxta morem illius gentis. Interim cùm parens filii mortem acerbè ferret, monetur ab amicis, ut filium Patri Francisco voveat, quippè qui posset illi vitam reddere, cur tot, & tanta miracula patrasset. Parens magna fiducia de Xaverio concepta, vovit ipsum Xaverii Ecclesiæ, quæ apud Cottatæ oppidum est, magnam eleemosynam, si vitam filii reddat. Insuper se filio nomen Francisci impositurum. Dumque multis lachrymis precatur Xaverium coram filii cadavere, ut suæ consulat orbitati, cernitur repetente puer aperire oculos, movere manus, pedesque, ac voculas, & lamenta puerilia edere. Accurrunt undique circumstantes, videntesque puerulum non modò vivum, sed omninò sanum, & valentem, acclamant, & mirantur tantùm miraculum. Parens suscitatum filium duxit ad Ecclesiam Xaverii, & ibi illi impositò Francisci nomine, & collata eleemosyna, vota se exolvit, atque omnes maximam exindè erga Xaverium concipiunt devotionem.

81 Octavum. *Cæcus visum recepit ante imaginem Xaverii.*

Quidam Malabaris nomine Chiambaratecute, Thesaurarius Sanctæ Crucis oppidi Colechæ Regni Travancoridis in India Orientali, dum festos ignes componit ad Ecclesiæ prædictæ festivitatem celebrandam, sulfureus pulvis inopinatò accensus, vultum illi pene totum combussit, & visum oculorum omninò ademit, itaut nihil prorsus posset cernere. Cùmque aliquot jam annos cæcus perseveraſſet, apparet illi in somnis Pater Xaverius, eumque monet, ut ad Ecclesiam ipsius visitandam pergat, fore enim, ut hac oratione lumen oculorum recipiat. E somno experrectus ducem itineris statim accipit, atque in Ecclesiam Cottatæ contendit, in qua Xaverius magna veneratione colitur. Ibi per novem dies commoratus, assidua precatione Xaverii opem, & patrocinium implorat, & dum ante Xaverii imaginem orat, decussa caligine oculorum, lumen repentè recipit, & gratiis pro beneficio actis, domum suam revertitur absque ullo itineris duce, quæ a dicta Ecclesia sex leucas distat, eamque devotionem animo erga Xaverium concipit, ut in illius honorem multa carmina, & laudes lingua malabarica composuerit.

82 Nonum. *Leprosus miraculosè sanatur.*

Franciscus Peremal natione Chiavallacaire in India Orientali, homo adhuc Ethnicus, cùm toto corpore lepra esset affectus, & pustulis plenus, atque ab omni remedio humano desperatus, ac sæpiùs fidem christianam suscipere detrectasset, monitus in somnis a Patre Xaverio, adivit Ecclesiam Cottatæ, cujus oppidi erat indigena, & ibi ungens se oleo lampadis, atque prostratus ante Xaverii imaginem, dum illius opem implorat, repentè mundatur a lepra, & integram sanitatem recuperat. Quo viso miraculo, se convertit ad fidem, & duos inde post menses baptizatur.

83 Decimum. *Dysenterica ungens se oleo lampadis Xaverii, perfectè sanatur.*

Francisca Rebilla dysenteria, seu fluxu sanguinis tres menses continuos non sine ventris tumore laborarat, cujus morbi vis cùm eam in vitæ discrimen adduceret, nec amplius medicamenta ei prodesse viderentur, feria quinta majoris hebdomadæ venit ad Patris Francisci imaginem in Capella quadam Ecclesiæ Societatis Jesu Coulani appensam, vota inibi Deo nuncupat, enixeque Xaverii auxilio pro recuperanda salute imploratо, cum acerbo ventris dolore, prout dysentericis evenire solet, se premi sentiret, ungit se oleo lampadis Patris Francisci magna fide, ac certa fiducia recuperandæ salutis, & repentè omni dolore liberatur, atque ex illa hora prorsus ab ea infirmitate convalescit, adeòut nulla deinceps hujusmodi tumoris, & dysenteriæ sensérit incommoda.

Pro tribus sequentibus miraculis.

Lucia de Villanzan Sinica annorum centum, & viginti cognovit Patrem Franciscum Xaverium, dum in India prædicabat, & ab eo in fide Christiana fuit instructa, & ob id magnam erga Xaverium devotionem concepit. Eo deinde mortuo, honestè semper, & laudabiliter vixit, frequentando Sacramenta, confessionis, & Eucharistiæ & inserviendo pauperibus, aliisque operibus pietatis vacando. Cumque medaliam in qua effigies erat Patris Francisci obtinuisset in urbe Coccini duodecim ante annis ea tangebat infirmos, vel aquam, cui eadem medalia injecta fuerat, potandam præbebat, vel ea lavabat partes modo affectas, nulla tamen utens illicita cœremonia, aut superstitiosa modo, sed magna humilitate, & reverentia signans eos signo Crucis dicens: In nomine Jesu, & Patris Francisci Xaverii tibi restituatur sanitas, qua indiges. Quare prævia humilitate, ac devotione, sinceraque fide hujus mulieris, dignatus est Deus opera mirabilia facere meritis, & intercessione Xaverii, ut ex dicentis patefit. 84

Undecimum. *Laborans inveterato, & ulceroso cancro repentè sanatur.* 85

Gondisalvus Rodriquez de Valle Coccinensis accola maximum, & ulcerosum a multis annis habebat cancrum, cordi proximum, itaut nec manducare, nec quiescere, nec aliis actibus naturalibus uti illo modo posse propter magnos dolores, sumptisque fruſtra variis medicamentis, motus fama miraculorum, quæ fiebant virtute medaliæ Patris Francisci, convenit prædictam Luciam, eamque genibus flexis precatur, ut medaliam cancro applicet, cui ut illa morem gereret, facto prius Crucis signo, cancro ulceroso, medaliam impositi verbis prolatis: In nomine Jesu, & Patris Francisci Xaverii tibi reddatur sanitas. Statim, & eodem momento liberatus fuit, & penitus sanitati restitutus.

Duodecimum. *Habens crura ulcerosa & laborans dysenteria, miraculosè sanatur.* 86

In Urbe Coccini Emanuel Rodriquez bonorum quinquaginta septem, habens crura ulceribus plena, variis per aliquot annos in vanum tentatis mendicamentis, ita in dies habebat pejus, ut nervis contractis, crus unum brevius altero evaserit, quo neque poterat incedere, neque terram tangere. & propterea gestatoria sede deferebatur, quibus malis ventris profluvium, seu dysenteria accessit, propterea a Medicis prostrata omninò valetudine, derelictus est, cùm nulla jam subesset spes recuperandæ sanitatis, tandem fiducia meritorum, & intercessionis Patris Xaverii ductus ad prædictam Luciam, ab eo petiit devotè, ut medaliam sibi applicaret, cui illa morem gessit, facto prius super cruribus signo Crucis cum verbis: In nomine Jesu, & Patris Francisci &c. & aquam deinde potandam dedit, in qua fuerat injecta medalia, statimque liberatus est a dictis ulceribus, & dysenteria, & intra triduum perfectam omninò recuperavit sanitatem, & sanus perseverans nullo deinde impedimento ambulabat.

Decimum tertium. *Mulier paralytica, & cæca sanitatem, ac visum oculorum recuperat.* 87

In eadem Urbe Coccini Maria Diaz, uxor Joannis de Carvaglio, per septem annos paralytica ita laboraverat ex dimidia corporis parte, ut nec manum, nec pedem, nec quicquam ab eo latere movere posset. Item ita amiserat visum oculorum, ut a septem annis esset omninò cæca. In his infirmitatibus constituta, adita Lucia prædicta, penes quam medaliam esse sciebat, cum magna fide precata est, ut dictam medaliam suis oculis, & membris affectis applicaret, & aqua illius prædictas partes lavare dignaretur. Quod cùm eadem sæpius, & per septem continuos dies effeciſſet, imponens medaliam super oculos, & partes affectas, signans eas Signo Crucis, invocato Xaverii nomine, & eadem lavans, statim melius habere cœpit, & intra illud septiduum recuperavit visum oculorum, ac perfectam sanitatem recepit, & baculum, quo antea ægra membra trahebat, reliquit in Ecclesia Societatis Jesu in memoriam accepti beneficii.

De miraculosis Prædictionibus.

Ex miraculosis prædictionibus hujus servi Dei aliquot principaliores etiam referemus.

Prima.

88 Cùm infideles barbari Aceni è Somatra Insula Malacam venissent ad probandum cum classe, quæ constabat navibus sexaginta, & quinque millibus armatorum, inter quos erant Turcæ, & Jannizeri non pauci, aliquot Christianorum, naves in Portu Malacensi incenderunt, & in captos Christianos eximiæ crudelitatis exempla in odium Christianæ fidei ediderunt. Quare hortatu Patris Francisci Xaverii milites Christiani non amplius triginta supra ducentos in octo naves distributi, barbaros insecuti sunt, licèt re in urbis consilio agitata, civibus universim temerarium videretur, tàm paucos adversus tantam classem hujusmodi expeditionem suscipere.

Præterea cùm Lusitana classis è portu solvere, Prætoria biremis, spectante Civitate in ipso portu, incerta quo casu, aperitur, & submergitur, salvis tamen militibus, quo infortunio excitatus populus infelicem portendi ratus eventum, temerarium judicabat contra validam Acenorum classem tàm pauco navigiorum numero velle contendere.

Franciscus tamen Lusitanorum militum animos ad pium bellum accendens, ut Acenos Christi acerrimos hostes superbè abeuntes insectarentur, iis præcipit, promittens certam Christi ope victoriam, eademque die pro una biremi amissa, duas venturas, & classi esse adjungendas pronunciat. Et ecce ante solis occasum Franciscus a Cœlo admonitus, biremes duas Lusitanas, unam Didaci Suarii nobilis institoris, alteram Joannis ejusdem filii procul in mari conspicit, ex Molucis Patene venientes, instructas militibus, & bellico apparatu, alterum tamen tenebant, cursum ulterius dirigentes, ne vectigal solitum, seu portorium Malacæ pendere cogerentur. Conscendit illico lembum Xaverium, ad Didacum Suarez contendit, eumque ad bellum suscipiendum pro Christi nomine adhortatur. Ille Xaverii rogatu omni tributo exolutus a Præfecto urbis Simone Mello, Malacam cum suis biremibus appellit, bellique focium se offert reliquis Lusitanis. Hanc igitur tumultuariam militum manum Christi cohortem Xaverius appellavit. Abiere milites Patris promissis, ac sanctitati freti. Cumque jam unius, & dimidiati mensis spatio nihil de illis sciretur, famaque ab infidelibus vulgata, nostri ab Acenis trucidati crederentur civitas universa mærebat, & mulieres viros suos pro mortuis lamentabantur, multique ad artes illicitas, & magicas recurrebant, ut aliquo modo scirent quid saltem de illis actum esset.

Die igitur quadam Dominica sub finem concionis, ea ipsa die, & hora, qua nostri ad flumen Parles, quod Malaca distat trecentis miliaribus, promissam a Francisco victoriam, non sine miraculo obtinebant, occisis quatuor millibus barbarorum, & captis, vel demersis cunctis eorum navibus, postquam Xaverius modicam astantium fidem reprehendit, divini spiritus instinctu ad Crucifixi effigiem conversus cum effusa corporis actione vaticinans, primum classium congressum verbis describere per ambages cœpit, ac si in ipsa pugna præsens adfuisset auditoribus admirantibus. Postea ardentibus oculis, vultuque propugnantibus orat, factoque deprecandi fine, corporis deficiens actione, caput quasi fatigatus, summa suggesti sponda pauliper inclinavit. Deinde inusitata oris hilaritate insurgens: Recitare, inquit, unum Pater, & Ave, & agite Deo quantas maximas potestis gratias pro victoria, quam nostri hac ipsa hora de Acenis reportarunt, tribus tantùm, aut quatuor ex nostris in bello desideratis, & tali die vobis aderit ea de re nuncius. Diem etiam definivit, quo nostri reversuri erant spoliis onusti.

Vaticinationem multiplici successu exitus comprobavit. Nam biduo, triduove post, eo die quo Pater prædixerat, nuncius advenit, nostrique spoliis onusti dicta subinde die reversi sunt, collatisque invicem rebus, ac circumstantiis omnibus, constitit eadem ipsa hora, qua Pater Franciscus Malacæ in tanta locorum distantia pronuncieverat, victoriam contigisse illudque pro maximo miraculo universa Civitas habuit, cùm nonnisi divina revelatione, quæ pronunciata sunt a Francisco sciri potuissent.

Secunda.

89 Cùm Pater Franciscus navi Jacobi Pereiræ, qui a Sancta Cruce nomen erat, veheretur, obortaque gravi tempestate nautæ, ac reliqui vectores timerent, ne procellæ impetus navem discerperet, ipse omnes hoc metu liberavit, & eam benedicens prædixit, navem illam non in mari tempestatis vi, sed in navali dissolvendam. Deindè Pereiræ navarcho pertinacissimo denunciat naufragium alterius navis, quæ unà cum ipsis è portu solverat, & brevi se illius calamitatis conspecturum indicia. Nec multò post sedata procella, viderunt super undas tabulas, & cadavera fluentia certissima dissipatæ navis indicia.

Cæterùm navis illa Pereiræ annos propè triginta Patri Francisco superstes, quamvis vetusta, & cariosa, fluctibusque labefactata ex tot cursibus, ac tempestatibus incolumis semper evasit, qui vectores, institoresque dictæ prædictioni confisi in illam certatim suas merces imponebant, ac sine metu naufragii, jacturæque ultrò, citròque commeabant. Quocumque appellebat navis, tumultu, & plausu populi excipiebatur, & tota jam India illam vocabat navem Sancti Patris. Demùm Duci cuidam Diensi divendita, post multas navigationes, cùm Coccinum appulisset, ibique in navali subducta esset, ut quassata reficeretur, ibidem seipsa dissoluta est, & sic Xaverii vaticinationem comprobavit.

Tertia.

Cùm Xaverius Malaca ad Amboinum Insulam traji- 90
ceret, cum eo profectus est Joannes de Araujo Mercator Lusitanus. Sub idem verò tempus classe Hispanorum una, & altera Lusitanorum ad Amboinum appulsis, cœpit læva lues complurimos utriusque classis absumere. Itaque Xaverius de more res necessarias, & medicamenta a divitibus conquisita, egentibus ægrotis suppeditabat, a divite Araujo ejusmodi eleemosynas potissimum petens, qui tamen sua tenaciùs conservans, jam ægrè præstabat Xaverio, frequentius petenti, metuens, ne sibimetipsi aliquando deessent. Unde cuidam Francisco Paleæ Xaverii nomine pro infirmo roganti vinum, ægrè dedit, admonens, sed id Francisco tum quidem dare, sed ea conditione, ut imposterum aliud tale ab eo non postularet. Quod ubi Xaverio nunciatum est ab eodem Francisco Palea, Xaverius repente, Quid? Existimat, inquit, Araujius, possessionem eorum, quæ habet, fore diuturnam, & consumptum se esse suum vinum? Errat certò. Sciat, se in hac ipsa Insula esse moriturum, & ejus bona in usum pauperum cessura, & posteà eum monuit, ut libenter pro infirmis petita præstaret, animæque suæ consuleret; quandoquidem illa esset ultima terra, in quam de navi descensurus erat.

Prædictioni respondit eventus. Discedens enim Pater Franciscus ex Amboino in Molucam, in eadem Insula reliquit Araujium. Postmodum cùm in Ternate Insula, quæ una est ex Molucis, post multos dies Sacrum faceret in magna populi frequentia post offertorium, convertens se de more ad populum, dixit: Orate fratres pro anima Joannis de Araujo, qui modò in Amboino expiravit, & commendate illam Deo. Heri Sacrum pro illo feci, & hodie iterum facio. Ad hæc mirati qui aderant, post mutuos præ stupore intuitus, quæsivere inter se, qua tandem ratione id scire Franciscus potuisset, cùm ab eo loco distaret Amboinus passuum millibus amplius ducentis, & neminem, per eos dies inde venisse constaret, admiratione deinde in expectationem versa, notatur res, diesque ab iis, qui audierant, & tamdiù fuere de re dubii, donec interjectis duodecim diebus, navi ex Amboino vectus Raphael Carvallius, Araujii mortem nunciavit, id, quod etiam ex literis a Joanne Derio ad Xaverium missis, & a Carvallio delatis certò constitit, illum nimirum esse mortuum in loco Tibiquisanis ejusdem Insulæ, & temporibus præterea, ac rebus inter se computatis, omnia cum Francisci prædictione congruere comperta sunt. Quare nemini dubium fuit, quin id Xaverius divinitus cognovisset, adeòque illum, tanquam prophetiæ dono præditum, omnes suscipere cœperunt.

Quarta.

Meliapore quidam mercator erga Patrem Franciscum 91
maximè pius, illum salutavit in digressu, volens navigare Malacam, instanterque petiit aliquid conservandæ illius memoriæ causa. Xaverius e collo detractam precariam coronam ei dedit, commendans, ut eam magni æstimaret, & simul ei promisit, quod quandiù illam apud se haberet, non esset in mari periturus. Quod ita prorsus evenit. Nam in ea navigatione, cùm jam esset propè Malacam, longissimè a Meliapore, navis, qua vehebatur, vi tempestatis abrepta, in mari periit, & desiliens mercator cum nonnullis aliis vectoribus

ribus in tabulata, quæ ex lignis raptim compoſuerant in alto mari alienato a ſenſibus animo deliquium, ſeu animi extaſim paſſus eſt, in qua ſibi videbatur propriis oculis inſpicere P. Xaverium, & cum illo colloqui in eodem loco, a quo profectus fuerat, & a Xaverio acceperat precariam coronam. Demum quintopoſt die, ex quo deſiliit in ea tabulata, ab illa animi eſtaſi velut ab alto ſomno experrectus, repentè ſe vidit in littore Nagapatani prope Meliaporem ſalvum, & incolumen, ereptum a fluctibus, amiſſis, marique abſumptis reliquis omnibus, qui cum eo in tabulata deſilierant, Quia neque amplius illi, neque ea comparuerunt.

Quinta.

92 Cùm Pater diſcederet ex Moluco, & trajiceret in Inſulam Mori, lætis omnibus, qui navigio vehebantur, in medio curſu certo quodam die quaſi indignans ſurrexit, & ſcindens veſtem exclamavit: Jeſu. Illi homines, qui occidunt illos homines. Cæterum vectores novitate permoti, ad Xaverium accurrunt, & quid rei eſſet, percunctantur. Tunc ille in ſe rediens, re diſſimulata, nihil eſſe reſpondit. Verùm cùm navis ad Inſulæ portum appulit, comperiunt quoſdam Luſitanos in littore a latronibus fuiſſe interfectos eo ipſo tempore, quo Pater prædicta verba protulerat in navi.

Sexta.

93 Joannes Durus mercator adoleſcens ex Ceilano profectus in urbem S. Thomæ, convenit P. Franciſcum Xaverium, ut cum illo confiteretur. Confeſſione peracta a Franciſco petit, ut ſemel vitæ Socium accipiat, quod tandem poſt multas preces obtinuit, & opes ſuas in pauperes diſtribuere cœpit. Poſteà tamen a communi hominum hoſte ſollicitatus, a Franciſci obedientia ſe abduxit, & cùm in quædam peccata incidiſſet, mercibus in naviculam occultiſſimè impoſitis Xaverio inſcio, ut credebat, parabat fugam. Tum Pater occultæ fugæ conſilium divinitus cognoſcens, ſubitò per puerum, eum jamjam e portu ſoluturum, ad ſe vocari jubet. Quo nuncio vehementer admiratus conſtitit dubius quid ageret. Sed rem diſſimulans tandem decrevit ad Franciſcum vocantem ire, quem vix limen domus attingentem, aſpiciens Pater: Peccaſti, inquit, peccaſti. Quibus ille auditis, ſubmiſſo capite reſpondit: Verum eſt, peccavi. Cui adjunxit Franciſcus: Accede igitur ad confeſſionem. Quibus verbis Durus adeò fuit commotus, ut domum profectus, eo ipſo die navigium vendiderit, & facta confeſſione, atque in pauperes mercibus diſtributis, Socium ſe, ut anteà Xaverio conſtanter adjunxerit.

Cum illo itaque trajecit in Inſulas Molucas, & iterùm Malacam venit. Inde deſertam inſulam delatus, cùm in æde quadam Sacra moraretur de nocte graviter tentatus fuit a dæmone, &, incertum vigilans, an ſomnians, inſolita aliqua vidit, nec ita multo poſt, cùm ſua delicta, de more confiteretur, viſionem celavit. At Xaverius, re divinitus cognita, in confeſſione ex eo quærit, quidnam rei in deſertæ inſulæ templo ei contigerit? Nihil verò, inquit, ille. Cùm Pater inſtaret iterum, ac ſæpiùs, ſemper viſionem celavit. Tandem Franciſcus, ut vidit illum ex compoſito viſa celare, ipſemet omnia enarrare cœpit. Quod audiens Durus, obſtupuit, & cognovit Deum in Franciſco habitare, ac demum cum illo rediit in gratiam, cui poſteà Xaverius denunciavit, fore, ut Franciſcanorum inſtitutum, ac diſciplinam amplecteretur, ibique æternam ſalutem eſſet conſequutus. Prædictioni non defuit eventus. Durus enim Religionem S. Franciſci ingreſſus eſt.

Septima.

94 Cùm Xaverius aliquando Machai apud Sinas Petrum Vellium latrunculis ludentem in domo alia conveniret, ab eo petiit eleemoſynam ad opus faciendum. Ei Vellius tradidit clavem arcæ nummariæ, auferre jubens quot vellet nummos. Xaverius adivit domum illius, & trecentis nummis aureis ex arca depromptis, Vellio reddidit clavem, qui rediens domum, & aperiens arcam nummariam, nullam pecuniam ex ea cognovit defuiſſe, & ſciſcitanti a Xaverio quantum auri abſtuliſſet, Pater reſpondit, ſe deprompſiſſe trecentos aureos, cui Vellius, ſe reperiiſſe dixit omnes quotquot habebat in arca nummos, nulloſque defuiſſe, additque ei ſe arcæ clavem eo animo tradidiſſe, ut ex æquo dimidiam triginta millium aureorum, qui aderant partem ſibi demederet, cui Xaverius: Ego verò tibi Velli, in Dei nomine polliceor, nunquam Deum tibi defuturum, dum vixeris, & tibi ſemper ſuppeditaturum abundanter ea, quæ tibi opus erunt, & omnes tibi liberali animo, & voluntate largituros. Quinimmò divinitus ſupremum vitæ diem agnoſces. Nec Vellium Franciſcus fefellit. Quia, licèt ei acciderint multa, quibus eſſet caſurus in paupertatem, niſi omnes eum liberaliter juviſſent, nihil tamen illi aliquando pro ſua familia defuit.

Multos igitur poſt annos divinitus de inſtanti morte Vellius præmonitus rem ſuam familiarem magna ex parte in pauperes prius diviſit, Miſſas celebrari pro anima ſua juſſit, propinquis, & amicis ultimum vale dicens, Xaverii prædictionem, ejuſque eventum lætus iis expoſuit, qui eum delirare credebant. At verò cùm interfuiſſet Miſſæ, ſolemni ritu defunctorum celebratæ, ipſe ſe in feretro compoſuit tapete coopertus, mortem ſenex expectans. Finita Miſſa, & dicto a Sacerdote reſponſorio: Requieſcat in pace, accurrerunt famuli ejus, ut auferrent tapetem, credentem vivum eſſe. Sed ille jam animam Creatori ſuo reddiderat, quæ res comprobavit Xaverii vaticinationem.

Hæc ſunt, Pater Beatiſſime, quæ ex legitimis actis hujus caulæ dicenda fuerunt de vita, & moribus ſervi Dei Franciſci Xaverii Societatis Jeſu, ac de miraculis, illius interceſſione, & meritò factis. Quibus latius in pluribus Congregationibus diligenter perpenſis, atque diſcuſſis, Cardinales Congregationis Sacrorum Rituum in eam ſententiam unanimiter venerunt: Poſſe Sanctitatem Veſtram, ſi ei placuerit, ad ulteriora procedere, & Canonizationem ſervi Dei Franciſci Xaverii juxta Romanæ Eccleſiæ Sacros Ritus perficere, ac ſolemniter celebrare.

CONSULTATIO CXCVIII.

1 *An conductores bonorum Eccleſiæ, vel Clericorum pro bonis conductis gaudeant immunitate a vectigalibus, &c.*

2 *Et quid de Colonis?*

AD 1. Affirmo cum Poſt. *conſ.* 184. *num.* 9. ac Bruno, qui alios adducit *in tract. juper ſtat. quod ſtant. majcul. fœmin. non ſucced. art.* 8. *quæſt.* 22. *n.* 107. Quicquid Carol. de Graſſ. *effect.* 3. *num.* 147. & alii apud ipſum cum ſuis illi frivolis diſtinctionibus contra ſentiunt. Semper enim comprobaretur, quod Clerici ſaltem indirectè gravarentur, dum hujuſmodi conductores gravantur, quia non ita facilè reperirent, quia ſua bona conducerent, ideòque cogerentur ea locare tanti minoris, ut de colonis Clericorum tradunt Vinc. de Ann. *ſing.* 99. Bertach. *in tract. de gabell. part.* 7. *num.* 15. Federic. de Sen. *conſ.* 111. Carolus de Graſſ. *loco cit. num.* 71. Bellet. *part.* 1. *diſq. Cleric. num.* 5. & Megal. *conſ.* 75. *num.* 6. Atque ita ſæpè declaravit Sacr. Congregatio Immunitatis, ut alibi retuli, ac denique in Hydruntina, ut ex ſubjecta epiſtola.

All' Arcivescovo Otranto. Illuſtre, e Reverendiſſimo Sig. come fratello. E' ſtato più volte dichiarato da queſta Sacra Congregazione dell' Immunità Eccleſiaſtica, che gli affittuarii de' beni degli Eccleſiaſtici godono l' eſenzione da' peſi per i frutti raccolti ne' medeſimi beni. Onde dopo eſſerſi udita l' informazione di V. S. ſopra il memoriale del Sacerdote Baſilio Ferrari affittuario d' una Maſſaria del Cherico Pietro Angelo Romano da San Pietro in Galatina, luogo di coteſta Diocese, hanno queſti Eminentiſſimi miei Signori ordinato, che ſi mandi a V. S. l' incluſo documento de' Decreti, affinchè ella ſi conformi alla diſpoſizione de' medeſimi, con largli pienamente oſſervare. Glie le ſignifico, e me le offero. Di V. S. Roma 6. Decembr. 1695. come Fratello Affettuoſiſſimo G. Card. di Carpegna. G. Vallemani Segret.

Ita reperitur in libro decretorum Sacræ Congregationis ſuper Immunitate Eccleſiaſtica, & controverſiis juriſdictionalibus ſub die 14. *Februarii* 1628. *videlicet Agrigentina, Clerus: Sacra Congregatio cenſuit, affictuarios bonorum Eccleſiaſticorum, ſive Clericorum non teneri ad ſolutionem gabellarum pro fructibus recollectis in eorumdem bonis.* 2

Et ſub die 17. Septembris 1632. Fanen. *Clericus Caſtracanius, Sacra Congregatio ſecundùm ea, quæ proponuntur, cenſuit, affictuarios bonorum Oratoris gaudere debere exemptionibus, privilegiis, & immunitatibus pro dictis bonis ipſi Oratori competentibus. In quorum fidem, &c. Datum Romæ hac die ſexta Decembris* 1695. *G. Cardinalis Carpineus. I. Valemanus Secretarius.*

Ad 2. Etiam affirmativè. Tum ex iis, quæ alibi adduxi. Et tum quia cùm hujuſmodi vectigal ſit onus mixtum, quod imponitur perſonæ pro rebus, illudque dividatur, exigaturque, habita ſolùm ratione bonorum 3

poſſeſſorum, ut docent Doctores relati a Cohel. *ſuper Bul. Boni regiminis cap. 35. num.* 1. ut proindè huic oneri non ſupponantur fructus, ſed prædia ipſa ratione fructuum, ex Petr. de Ubald. *in tract. de collect. num.* 6. & 7. Et collectæ pro onere mixto petendæ ſint juxta deſcriptionem bonorum, ac vires patrimonii ſingulorum, relatam in publicas tabulas, quas æſtimum appellant, ideò Eccleſiaſticorum Coloni ad hujuſmodi collectarum, ſive vectigalium ſolutionem non tenentur. Quia, cùm, ut prædiximus, collectæ imponantur perſonæ pro rebus, utique non ad Colonum partiarium, ſed ad dominum prædii, ſolutio illius pertinet, per Text. *in l. hi penes, Cod. de agnit. & cenſ. lib.* 12. Ibique Gloſſ. *verba recepta*, & Jo: de Plat. Add. ad Bart. aliique nominatim Eugen. *conſ.* 9. *num.* 8. *lib.* 1. ubi de communi.

4 Collectarum autem ſolutionem ad eum pertinere, qui pro ſuo nomine poſſidet, non autem ad habentem nudam detentionem, probatur *in l. final.* ubi Bald. *C. ſine cenſu, vel reliq. compar. non poſ. l. Quæſo*, ibique Bart. *ff. de uſufr. leg.* Afflict. *deciſ.* 252. *num.* 4. Oſaſch. *dec.* 8. *num.* 6. Surd. *conſil.* 282. *num.* 27. *vol.* 2. Felic. *in tractat. de Societ. cap.* 27. *num.* 47. Quod autem Coloni habeant nudam detentionem, conſtat ex *l. tertia §. ex contrario*, ubi Gloſſ. *ff. de acquir. poſſeſſ.* Menoch. *de recup. remed.* 1. *num.* 63. Unde Locatori, non Conductori imponi collectam, tradunt paſſim Doctores, præcipuè Bald. *in leg.* 1. *Cod. de annot. & tribut. lib.* 10. Boſſ. *de Principe num.* 126.

5 Et quidem cùm regula imponendi collectam ſit, ut æſtimentur, ac ponantur in æſtimo ſingulorum bona, ut ſecundùm talem æſtimationem imponatur collecta, quæ idcircò dicitur per æs, & libram Bart. *in leg.* 1. *num.* 3. *ac ſeqq.* ibique Add. *Cod. de mul. & in quo loc. lib.* 10. Bald. *in leg. propter honorem, Cod. qui bona ced. poſſ.* Jo: de Plat. *in l. Indictionem propè fin. C. de annot. & tribut.* Hinc collecta dicitur ſequela æſtimi, Decius *conſ.* 285. *num.* 5. Natt. *conſ.* 286. *num.* 7.

6 Atque ex his redditur planè impoſſibile, ut Coloni Clericorum ratione prædiorum, quæ colunt, ad collectam adſtringi poſſint, cùm prædia Clericorum in æſtimo deſcribi nequeant. Nam per hujuſmodi deſcriptionem infertur ſubjectis, *cap. Cùm venerabilis de cenſibus*, Bald. *in cap. fin. de cauſis poſſeſſ. & propriet.* Et æſtimatio, ac deſcriptio bonorum dicitur actus juriſdictionis, Corn. *conſ.* 199. *num.* 11. *vol.* 1. Alex. *in leg. Si ſe non obtulit num.* 15. *ff. de re judic.* Surd. *conſ.* 162. *num.* 28. *vol.* 2.

7 Et propterea jure, ac meritò Sacra Congregatio Boni Regiminis, teſtante Sperello *deciſ.* 85. *num.* 19. & 20. & Sacra Congregatio Immunitatis in Piſaurenſi 16. Decembris 1626. teſte Rubeo *in addit. ad deciſ.* 412. *n.* 22. & 26. *part.* 9. *tom.* 1. *recent.* declararunt, quod quoties bona, ſive aliqua ex allibratis, & in æſtimo deſcriptis ad Clericos pervenerint, cenſeantur vel ipſo jure ab æſtimi libro delata, vel ſaltem facta interpellatione ad Clerici, vel Prælati inſtantiam delenda ſint, de quo etiam nos alibi.

8 Porrò, quod revera Coloni Eccleſiaſticorum collectari non poſſunt, docent Bart. *in l. placet in fin. C. de Sacroſanct. Eccl.* latè Sylan. *conſ.* 9. Lotter. *de re benef. quæſt.* 31. *numer.* 46. pro qua opinione triginta octo Doctores conſtipat Sperell. *deciſ.* 41. *a num.* 48. eamque comprobat, & contrariis reſpondet, concluditque, quod temerarium eſſet ab hac opinione in conſulendo, ac judicando recedere, addo ego, & Sacrilegium rationem materiæ. Et in ſpecie, quod coloni, affictuarii, mezardi, vel partiarii bonorum Eccleſiaſticorum gaudeant immunitate a collectis tàm ordinariis, quàm extraordinariis pro portione colonica decrevit Sacra Congregatio ſuper Epiſcopis in Oppidenſi 18. Septembris 1618. de qua Diana *part.* 5. *reſolut. moral. in reſol. Sacr. Congregationis num.* 16. & *part.* 3. *tit.* 1. *de immun. Eccleſ. reſolut.* 19. *ſub initio.*

9 Aliter enim Immunitas Eccleſiaſtica læderetur. Cùm enim certiſſimi juris ſit, quod collectæ non reſpicat fructus, ſed rem ipſam, atque adeo, quod onus illas ſolvendi ſpectet ad Dominum fundi, non autem ad Colonum ex legibus, Doctoribus, & Sacrarum Congregationum declarationibus, quibus adſtipulantur Paul. de Caſtr. *in leg. ex conducto in princip. ff. de loc.* Natt. *conſ.* 409. *num.* 7. *vol.* 2. aliique copioſè congeſti a Sperello *dec.* 40. *num.* 56. ſequeretur, quod ſi Colonus expenſas pro ſolutione collectarum ſubiret, poſſet a Domino repetere, & ſic a Communitatibus authoritate laicali Clerici indirectè gravarentur, quod fieri nequit, Bartol. *in l. impenſæ ff. de impenſ. in reb. dot. fact.* Alex. *in l. divortio §. Impendi n.* 3. *ff. ſolut. matrim.* Menoch. *de arbitr. caſ.* 215. *n.* 4. Joſeph. Ludovic. *dec.* 24. *n.* 9.

Nec prædictis obſtaret conſuetudo aliqua, etiam immemorabilis, cujus vigore aſſereretur jus imponendi collectas Eccleſiaſticorum Colonis. Nam hujuſmodi conſuetudo eſt abuſus omninò damnatus a Sacris Canonibus, de qua nos ſæpè alibi. Conſtat enim, quod ſi conſuetudo non ſit rationabilis, non ſubſiſtit, ſed eſt corruptela extirpanda *cap. fin. de conſuetud.* ubi Doctores communiter, & Novel. 34. *cap.* 1. *infine*. Tunc autem eſt irrationabilis, quando inducit aliquid contra jus Divinum, & Eccleſiaſticum. Hæc autem conſuetudo inducit vectigalia prohibita imponi Clericis jure Divino, & Eccleſiaſtico, ut alibi quoque probavimus. Et ideò non poteſt ſuffragari, ſed eſt extirpanda *d. cap. fin. de conſuetud.* Præterea Communitates, quæ acquiſiverunt ex conſuetudine, vel ex præſcriptione jus collectandi contra aliquos, non poſſunt illo uti contra alios, qui collectas non ſolverunt, cùm conſuetudo, ac præſcriptio non recipiant extenſionem, ut in hac ſpecie tradunt Bald. *conſ.* 227. *lib.* 2. Mart. *conſ.* 55. *num.* 5. Cravet. *conſ.* 111. *num.* 15. Dec. *conſ.* 215. *num.* 5. ubi ait, quod ex pluribus actibus exactionis factæ contra alios, non eſt inducta conſuetudo exigendi contra omnes. Conſuetudo enim eſt ſtricti juris, Caren. *reſolut.* 32. *num.* 6. Thomat. *dec. March.* 131. *num.* 39. *ac dec.* 240. *num.* 4. Et ideò non extenditur de re ad rem, neque de perſona ad perſonam, Thomat. *d. deciſ.* 131. *nu.* 39. ac Rotæ *deciſ.* 94. *num.* 3. & *ſeq. part.* 4. *recent. tom.* 2.

10

CONSULTATIO CIC.

1 *An denunciatio pro accuſatione, & denunciator pro accuſatore habendus?*

2 *An denuncians cogi poſſit ad crimen delatum probandum, & in judicio contra delatum probandum?*

3 *Si denuncians non probat delictum delatum, an, & qua pœna affici debeat?*

4 *Quando Judex arbitrium ſuum formabit in puniendo falſum accuſatorem, falſumque denunciatorem?*

PRo reſolutione harum quæſtionum non deſunt ex Doctoribus, qui ad quæſtionem hanc primam ſimpliciter affirmativè reſpondeant, & ad hoc allegant textum in *l. Cùm patronum §.* 1. *ff. de jurep.* ubi expreſsè cavetur, quod qui nomen detulit, accuſare videatur, Farinac. *quæſt.* 16. *num.* 17. 1

Idque extendunt ſive de proceſſu, ſive de effectu loquantur, Rosbach. *in proceſſ. crimin. cap.* 1. *num.* 1. ubi tradit, quod denunciator, qui ratione officii ad denunciandum non tenetur, ſit ad inſtar accuſatoris, itaut debeat aſſiſtere denunciationi, ſicut accuſator accuſationi ſuæ. Et *num.* 16. quod in talibus denunciationibus denunciatio plus ſapiat accuſationem, quàm inquiſitionem, itaut denunciatio nomine, & effectu ab accuſatione non differat. 2

Similiter Boſſius *in prax. crimin. tit. de denunciat. n.* 1. cum aliis quibuſdam ait, quod modus procedendi per denunciationem ſundet proceſſum ordinarium, & denunciator fiat accuſator. Pariter, quod accuſationis, & delationis effectus quoad delicti punitionem unus, ac idem ſit, deducit ex *leg.* 1. *in fin. ff. quod quiſque jur. & l.* 1. *vel* 5. *§. docetur, ne quis eum, qui in jus voc.* Farinac. *d. quæſt.* 16. *num.* 17. ubi propterea infert, idem judicandum de tali denunciatore ſicut de accuſatore. Quod ante ipſum quoque tradidit Clar. *§. fin. quæſt.* 7. *in fin.* quod ratione calumniæ condemnandus ſit, ut accuſator. 3

Contrarium tamen, & quod denunciator non ſit ad inſtar accuſatoris, apparet primò, ex ipſa diverſitate nominis, quæ arguit diverſitatem rerum, *leg. ſi idem* 7. *Cod. de codicill. leg.* 6. *ff. de teſtament. tut.* Tuſch. *litt. D. concluſ.* 517. Et quod accuſator publicè prodeat, & delinquentem palam in judicio accuſet, denunciator autem clam Judicem informet, & in ſecreto id, quod ſcit, indicet. 4

Quoad proceſſum autem, falſum eſſe, quod aliqui dicunt, & modum procedendi per denunciationem non eſſe modum ſeparatum ab inquiſitione, tradunt Carpzov. *part.* 3. *crimin. quæſt.* 108. *num.* 54. & rectè: Nam in accuſatione procedi ſolet ordinario modo, uti in cauſis civilibus, oblato libello, facta litis conteſtatione, probatione, reprobatione, donec ſententia feratur, idem Carpzov. *d. part.* 3. *quæſt.* 103. *num.* 15. & 17. Aliter ſe res habet in denunciante, qui nihil horum facere tenetur, ne quidem libellum edere, Rosbach. *d. c.* 11. *n.* 16. Sed denunciationem ſimpliciter in ſcriptis offerre, Clar. *d. §. fin. q.* 7. *n.* 11. & Judici viam aperire ad inquirendum ex officio, Clar. *loc. cit. n.* 2. *in fin.* Ulterius autem nihil facere tenetur, ſed Judici faciendum relinquit, cujus partes ſunt, 5

inqui-

inquirere de delicto, examinando testes, in denunciatione nominatos, & alios, a quibus veritas haberi potest, Clar. *ibidem num.* 70. Unde hoc inter accusatorem & denunciatorem interest, quod accusator inscribere se cogatur, accusationem suam probare, fisco assistere, judicium interdum suis sumptibus prosequi, denunciator verò nihil horum præstare cogatur, sed dumtaxat obligatur, ostendere ea, quæ de illo crimine novit, atque etiam nominare testes, criminis hujusmodi conscios.

6 Et quamvis quoad hoc videatur inter accusatorem, & denunciatorem aliqua conformitas, quod etiam ille non opus habeat formare aliquam conclusionem, vel petitionem, Vvesemb. *num.* 12. *ff. de accus.* sed sola ejus narratio absque omni petitione, & conclusione admittatur, Gall. *lib.* 1. *observ.* 16. *num.* 18. *& seq.* Negari tamen non potest, quòd accusator saltem Judicis officium in cognoscendo, & judicando implorare debeat, Carpzov. *d. quæst.* 103. *num.* 17. qui *quæst.* 106. *num.* 14. & 15. expressè tradit, in libello accusatorio conclusionem ponendam, qualem petitionem faciendam, & saltem in genere eam pœnam petendam, quam lex ipsa præscribit, atque determinat, ita videlicet, ut delictum officio Judicis puniatur. In denunciatione autem deferens absque tali imploratione, & petitione defert, & delictum cum indiciis solummodo Magistratui suggerit per superius tradita.

7 Ex quo deducitur, quod denunciatio propius accedat ad inquisitionem, & quod nihil aliud operetur, nisi quod succedat loco diffamationis, vel querelæ, & sic aperiat viam Judici ad inquirendum ex officio contra aliquem. Quod admitti potest, quando Judex procedit per inquisitionem propter denunciationem, secus autem si procedat super denunciatione, prout loquitur Mascard. *concl.* 507. *num.* 9.

8 Neque his obstat textus in *leg. Cùm patronum §.* 1. *ff. de jurepatron.* a Farinacio allegatus. Nam hic textus neque sub isto titulo, neque sub alio *in ff.* reperitur, & textus in *leg. Cùm patronus* 22. *§.* 1. *de oper. libert.* nihil simile continet. Neque textus in *leg.* 1. *in fin. ff. quod quisque, & leg.* 1. *vel* 5. *§. docetur, ne quis eum*, a Farinacio allegati plus dicunt, quàm quod verba cum effectu sint accipienda. Si autem alius textus habet, quod is, qui nomen detulit, accusasse videatur, responderi potest verbum *videtur* esse notam improprietatis, & id, quod videtur tale, non esse tale per tradita a Gaill. *lib.* 2. *observ.* 11. *num.* 4.

9 An autem denuncians cogi possit ad crimen delatum probandum, & in judicio contra delatum procedendum, affirmativè respondendum videtur, idque per textum in *leg. ab accusatione* 6. *§.* 3. *ff. ad S. C. Turpil.* ubi nunciatores, qui per notoria indicia produnt, notoriis suis assistere jubentur, hoc est, qui magistratui delicta indicant quasi certis elogiis, & notoriis argumentis deprehensa, uti explicat Vvesemb. *num.* 9. *ff. eod. tit.*

10 Ad idem adducitur textus in *leg. Divus* 6 *ff. de custod. reor.* Ex quibus deducit Maschardus *concl.* 506. *n.* 1. & Farinac. *quæst.* 16. *num.* 16. quod denunciatores debeant probare id, quod denunciant, præsertim si sint privati, & spontè crimina denuncient, secus si ex necessitate, vel debito officii. Tunc enim sufficere putant testes, de delicto informatos, nominare. Concordat Clarus *§. fin. quæst.* 7. *num.* 10.

11 Contrarium autem, quod denunciator non cogatur denunciationem suam probare, nec fisco assistere, neque litem suis prosequi sumptibus, sed dumtaxat obligetur ostendere ea, quæ de illo crimine novit, atque etiam nominare testes, criminis hujusmodi conscios, supra tradidimus. Quò faciunt scripta a Maschardo *d. concl.* 506. *num.* 2. quod de consuetudine denunciator non teneatur probare quod denunciat, sed solùm nomina testium dare Judici. Similiter Clarus *d. quæst.* 7. *num.* 10. expressè refert, licèt de jure (secundùm ipsum) denunciator teneatur probare, vera esse, quæ in sua denunciatione continentur, communem tamen usum, & praxim hoc non admittere, sed sufficere, quod nomina testium, vel nomina eorum a quibus id intellexit, Judici aperiat.

12 Illa distinctio magis tolerari posset, quàm tradit Mascard. *d. concl.* 506. *num.* 4. quod a probatione denunciator liberetur, si fumus in dubio, ipsum carere dolo, secus si de illius calumnia, vel dolo constet.

13 Neque his obstat textus in dicta *leg.* 6. *§.* 3. *ff. ad S. C. Turpil.* quo Clarus deducit *d. quæst.* 9. *num.* 10. quod denunciator de jure scripto teneatur probare, vera esse ea, quæ in sua denunciatione continentur. Nam textus ille nihil de probatione dicit, sed hoc tantùm, quod Magistratui suis illis argumentis in inquisitione assistere cogatur. Unde Judex plerumque mandat ipsimet denuncianti, ut melius se informet.

Minus facit *d. leg. Divus ff. de custod. reor.* ut cuilibet inspicienti patebit, neque enim in terminis hoc dicit, ad quod a Doctoribus allegatur, neque etiam rectè argumentum ex ea ad id stabiliendum ducitur. 14

Ex quibus patet, quod denunciator ad palam procedendum contra denunciatum, & probandum delictum regulariter non sit urgendus. 15

Quæres fortasse: si denuncians non probat delictum delatum, an, & qua pœna affici debeat?

In accusatione res est clara per textum in *leg.* 1. *§.* 2. *& 3. ff. ad S. C. Turpil.* quod calumniatoribus pœna irrogetur, si nimirum falsa crimina intendunt. Non tamen utique qui non probat, quod intendit, proinus calumniari videtur. Nam ejus rei inquisitio arbitrio cognoscentis committitur, qui reo absoluto, de accusatoris incipit consilio quærere, qua mente ductus ad accusationem processit, & siquidem justum ejus errorem repererit, absolvit eum. Si verò in evidenti calumnia eum deprehendit, legitimam pœnam ei irrogat. 16

In denunciatione res est magis dubia. Vvesembecius *num. 9. ff. ad S.C. Turpil.* ita scribit: Nunciatores etiam, qui absque inscriptione, & metu similitudinis supplicii per notoria indicia produnt, hoc est indicant Magistratui delicta, quasi certis elogiis, & notoriis argumentis deprehensa, iidem illis argumentis suis in inquisitione assistere coguntur *d. leg.* 6. *§.* 1. *eod. tit.* Quod si calumniosè detulisse deprehendentur, impunitam eorum audaciam remanere non oportet, *leg.* 1. *Cod. de Curio & Statut. lib.* 12. *& l. D. Adrianus de custod. reor.* 17

Præter hæc stant rationes pro, & contra. Nam pro affirmativa, & quod falsò denunciantes puniri debeant, facit id, quod aliàs nullus vir honestus a falsis delationibus, & calumniis esset tutus. Pro negativa, quod si denunciatores severè punirentur, nemo quenquam, etiam notoriè improbum, & infidelem ministrum, vel officialem delegaturus esset ex timore subsequutæ pœnæ. Vide Clarum *§. final. quæst.* 81. 18

In proposito autem liberandus putatur delator propter publicam famam, & indicia. Quando autem accusator, vel denunciator pro se habet evidentia indicia, puta famam, vel auditum a fide dignis, vel quid simile, excusabitur, etiamsi deficiat in probatione, post Cravet. *cons.* 178. Guidop. *decis.* 446. Clar. *§. fin. qu.* 62. *num.* 8. Oportet enim, ut quis calumniæ pœnæ subjiciatur, in evidenti calumnia deprehendi, aliàs si per errorem, quem detulit calumniator non censetur per *l.* 1. *§.* 3. *ff. ad S.C. Turpil.* Gregor. Tolos. *lib.* 32. *cap.* 7. *num.* 8. ubi recitat verba Ciceronis pro Roscio Amer. dicentis: *Accusatores multos esse in Civitate, utile est, ut non plane illudamur ab accusatoribus. Innocens est quispiam, veruntamen, quanquam abest a culpa, suspicione tamen non caret, tametsi miserum est, tamen ei, qui accusat, possum aliquo modo ignoscere.* Cùm enim aliquid habeat, quod possit criminosè, ac suspiciosè dicere, apertè calumniari, ac sciens ludificari non videtur, præsertim quia is, qui non probavit delictum imputatum, non est in vera, sed tantùm in præsumpta calumnia, quando non constat, quod scienter innocentem detulerit, ut per Clar. *d. quæst.* 62. *num.* 4. 19

Quæ autem alia delatorem excusent a pœna calumniæ, vide plenius apud Menochium *de arbitr. cas.* 198. *num.* 13. *& seq. consil.* 322. Clarum *d. quæst.* 62. *num.* 8. Farinacium *quæst.* 16. *num.* 32. 74. *ac seq.* ubi videbis quod præter indicia, & præsumptiones, famam, auditum a fide dignis, querelas, testimonium unius testis, deceptionem testium, errorem, rescriptum Principis, ac necessitatem officii excusationem præstare velint, Menochius *d. cas.* 198. *num.* 12. generalem conclusionem facit, quod deferre quilibet possit in iis casibus, in quibus Judex ex officio procedit. Et Farinacius *num.* 61. quod si quis habuit indicia sufficientia ad inquirendum, ex iis ad accusandum, vel denunciandum commotus, a præsumpta calumnia excusetur, si postea in probatione succubuit. 20

Quamvis autem olim calumniator ad pœnam talionis fuerit condemnatus, ideò ad talem pœnam, qualem delatus sustinere debuisset, si de crimine imputato convictus fuisset, *leg. final. vers. sed quisquis Cod. de accusat. leg. fin. Cod. de calumniat.* hæc tamen pœna hodie non ampliùs frequentatur, Farinac. *de accusat. lib.* 1. *tit.* 2. *quæst.* 16. Oldendop. *class.* 1. *act.* 10. *in affin. remed. num.* 10. *in fin.* Sed in extraordinariis criminibus calumniator extra ordinem pro arbitrio Judicis, & qualitate delicti punitur per *l.* 1. *§.* 1. *l. si quis repetere, l. fistellio, l. & in privatis ff. ad S.C. Turpil.* Idque non tantùm obtinet in accusatore, sed etiam in denunciatore, 21

qui non ex neceſſitate officii, ſed ſponte accedit ad denunciandum. Is enim ratione calumniæ eodem modo condemnandus eſt, ſicut accuſator, ut per Clar. *d. §. fin. q. 7. n. 12.* per Faricac. *q. 16. n. 17. 18. ac 19.*

22 Ex quibus omnibus patet, cùm certa pœna in jure determinata non reperiatur, arbitrariæ pœnæ locum eſſe, *argum. cap. ſuper his de cauſ.* ut cæteri ſimili pœna deterriti ad temerarias denunciationes, & aliorum infamiam non facilè proſiliant, *arg. cap. fin. de calumn.* Venator *in analyſ. jur. Pontif. tit. de accuſat. in fin. & effect. denunciat.*

23 Quomodo autem Judex arbitrium ſuum formabit? Et ad quod extendet? Ad hoc reſpondet Farinacius *d. q. 16. num. 5.* quod Judex imponere poſſit modò pecuniariam, modò corporalem pœnam juxta facti, & perſonarum qualitatem, Julius Clarus *q. 81. verſ. ſed quæro nunquid 3. prope fin.* refert alium ad catenam infamem, alium per triennium ad triremes fuiſſe condemnatum. Et quamvis aliis exiſtiment hanc pœnam uſque ad mortem extendi poſſe, Farinac. tamen *d. n. 5.* nunquam falſum accuſatorem (nedum denunciatorem) ad mortem condemnaret, ſi ex ſola accuſatione nullus mortuus fuerit, niſi cùm falſa accuſatione magnam falſitatem commiſcuiſſet, & de capitali pœna actum, & falſitas in egregias perſonas commiſſa fuiſſet. Id *num. 6.* facilius concedit, quod ſi quis conſueverit falſas proponere accuſationes, acriùs puniendus ſit, quàm ſi ſemel tantùm calumniatus ſit, & *num. 7.* quod is, qui officiales, ac Judices querelatur, gravius puniri debeat, quàm qui privatus accuſat; mitius autem, qui neceſſitate officii id facit, quàm qui ſponte ad denunciandum accedit, *ibidem num. 16. & 17. n. 7.* addit, quod de conſuetudine nunquam falſo accuſatori mortis pœna infligatur, ſed vel pecuniaria, vel corporalis pro motu Judicis. Et ex Boſſio refert, quod Advocatus quidam, qui inſtigatus erat, ut plures falſæ accuſationes contra bonum officialem moverentur, a Ditione Mediolanenſi perpetuò exulare juſſus fuerit, & ad omnia damna, expenſas, & intereſſe damnatus. Plura de pœna calumniatorum vide apud Farinac. *d. q. 16.* Menoch. *de arbitr. lib. 2. cent. 4. caſ. 322.* vide etiam alibi *noſtram Conſult. de pœna Talionis.*

CONSULTATIO CC.

De Imperatoris, Regum, ac Principum officio in protegendo Romanam Eccleſiam, Sedem Apoſtolicam, ejuſque immunitatem, libertatem, ac juriſdictionem. A quo tempore, & qualiter Imperatores Eccleſiam Romanam defenderint. Joannis Papæ, & Juſtiniani Imperatoris epiſtolæ, quæ habentur ſub titul. de Summ. Trinit. Codic. Juſtinian. an ſint genuinæ? Quomodo Eccleſiaſtica protectio a Græcis Imperatoribus ad Gallorum Reges translata fuerit? Ubi vera cauſa translationis Imperii Græci ad Germanos. Alia præcipuè de Patriciatu.

1 HUjus rei antiquitas ex eo ſatis manifeſta evadit, quod in Concilii Melevitani, quod Divo Auguſtino Præſide in Numidia ab Epiſcopis totius Africæ tempore Conſulatus Arcadii, & Honorii anno poſt natum Chriſtum 402. circa tempora Innocentii Primi Papæ habitum eſt, & *tom. 1. Concil.* extat inter alia *c. 16.* ſtatutum fuerat, ut omnibus Eccleſiis a Principe defenſores, atque protectores poſtularentur. Verba Canonis ita habent: *Placuit etiam, ut petatur a glorioſiſſimis Imperatoribus, quo jubeant Judicibus dari petitos ſibi defenſores ſcholaſticos, qui in actu ſint, vel in officio defenſionum cauſarum Eccleſiaſticarum more Sacerdotum, ut provinciæ iidem ipſi, qui defenſionem Eccleſiarum ſuſceperint, habeant facultatem pro negotiis Eccleſiarum, quoties neceſſitas flagitaverit, vel ad obſiſtendum callidè decipientibus, vel obrepentibus, vel ad neceſſaria ſuggerenda, ingredi Judicum ſecretaria.* Hactenus verba Canonis.

2 Sic etiam conſtat in ſequenti tempore Anaſtaſii Papæ in Concilio Carthaginenſi quinto poſt Conſulatum Cæſarii, & Attici ſexto Kalendas Junii anno ſalutis noſtræ 398. celebrato, quod reperitur *Concil. tom. 1. pag. 262.* legationem ad Imperatores Arcadium, & Honorium pro petendis defenſoribus Eccleſiæ, decretam fuiſſe. Eodem enim in Concilio, ut *cap. 9.* habetur ſubſequens decretum hac de re ſancitum, ſic habet: *Ab Imperatoribus univerſis viſum eſt poſtulandum propter afflictionem pauperum, quorum moleſtiis ſine intermiſſione fatigatur Eccleſia ut defenſores eis adverſus potentias divitum cum proviſione Epiſcoporum delegentur.* Hæc quidem Patres in eodem Concilio congregati decreverunt, quæ & obtinuiſſe videtur. Nam de magiſtratu in Africa, qui loco Imperatoris dicebatur defenſor Eccleſiæ Poſſid. in vita Sancti Auguſtini *capit. 12.* meminit, & perſeveraſſe in poſterum ejuſmodi in Eccleſia Defenſores Sanctus Gregorius pluribus Epiſtolis fidem facit, ut ex eis refert Cardinalis Baronius ad annum 398. *num. 33.*

Ex his igitur antiquiſſimis Conciliorum decretis primò firmiſſimè contra Andreæ Kinchii pronunciatum inſtituta defenſionis Eccleſiæ ad tempora Pipini, & Caroli Magni referentis, ſumitur, cùm ea Concilia quadringentis, eoque amplius ante Caroli Magni ævum annis celebrata fuerint, eoque tempore Protectorum Eccleſiaſticorum uſus viguerit. 3

Denique id ipſum quoque ex vetuſtiſſimis diplomatibus, & multis antiquorum Galliæ Regum exemplis evincitur. Quamvis enim non dubitemus antiquiora etiam, quæ adhuc non vidimus, priſcorum Protectorum mentionem facientia extare documenta, illud tamen certò conſtat, non ſolùm tempore Dagoberti Regis, qui teſte Nauclero *vol. 2. gener. 23.* circa annum Chriſti 600. in Auſtraſia regnavit, & ſic ducentis annis ante Caroli Magni Imperium vixit, Protectorum Monaſticorum conſtituendorum morem viguiſſe, immò multò etiam ante Dagoberti Regis ætatem apud Gallorum Reges Eccleſiaſticas Protectiones in uſu fuiſſe, non ſolùm Moloaldus Treverenſis Eccleſiæ Archiepiſcopus, ſed & ipſe Dagobertus duobus ſubſequentibus diplomatis, evidentiſſimum facit. In his enim apertiſſimè continentur, ab anterioribus etiam Francorum Regibus, Sigeberto, Theodeberto, Theoderico, & Lothario ipſius Dagoberti genitore, Treverenſi Eccleſiæ Duces Moſellanicos in Protectores *uſitato*, ut literæ habent, *more*, datos atque aſſignatos fuiſſe. 4

Ea ipſa diplomata in majorem rei fidem integra leguntur apud Franciſcum de Roſiere *ſtemmat. Lotharing. ſub num. 1. & 2.* Diploma ſecundum datum fuit 3. Idus Novembris anno ab incarnato Domino 623. cui ſubſcripſere Dagobertus, Rex Francorum, Cunibertus Archiepiſcopus Colonienſis, Atto Epiſcopus Metenſis, Pipinus Epiſcopus Spirenſis, Arnulphus Dux Auſtriæ Moſellanicæ, Pipinus Dux Haſbaniæ Majordomus, ac roboratum ſex ſigillis, uno aureo, quinque cæreis. Primum quod & aureum Dagoberti eſt, habens inſculptum Scutum Liliis plenum. Secundum, tertium, quartum, quæ & cærea Epiſcoporum ſunt ſigilla, in quibus impreſſæ ſunt Epiſcoporum ſedentium figuræ. Quintum, quod & cæreum D. Arnulphi, in quo impreſſum eſt ſcutum ornatum cruce, & Carbunculo, ſextum, quod & cæreum Domini Pipini, in quo eſt impreſſum ſcutum munitum faſcia. 5

Sed ut alia ejuſmodi Conſtitutionis Protectionis exempla de Pipino, Carolo Magno ejus filio, itemque Ludovico, qui pariter ex more, & conſuetudine majorum ſuorum Protectiones Eccleſiarum inſtituerunt, ut eorumdem diplomata apud eumdem Franciſcum de Roſiere ſub *num. 9. 12. & 18.* infarta edocent, omittamus, illud etiam non minimum continuatæ vetuſtatis Protectionum Eccleſiaſticarum momentum præbet, quod multo tempore etiam ante Carolum Magnum, Conſtantinopolitanos Imperatores Catholicos in actu inaugurationis non minus atque a Carolo Magno, ejuſque ſucceſſoribus, fieri conſuevit de protegenda Eccleſia ſolemne Sacramentum præſtiterunt, nominatim adſeverante multorum inſignium authoritate ſtipato Marquardo Freher. in ſuis ad Petrum de Andiar. *de Imperator. Roman. not. lib. 2. cap. 1.* ubi is loquens de proceſſu Coronationis Conſtantinopolitanorum Cæſarum, ait, coronandos electos Imperatores juraſſe Patriarchæ ante omnia de conſervanda religione orthodoxa, quod teſtatum facit diverſis in locis Paulus Diaconus Aquilejenſis in hiſtoria ſua Lombard. & Zonaras *hiſtor. Byzantin.* Jurabant autem, non ut noſtri, per ſacroſancta Evangelia, ſed per Sacroſancta & vivifica Crucis ligna, ut ex Paulo Diacono notat Marquardus Freher. *dict. cap. 6.* Præterea cavebant etiam de confirmandis juribus, & privilegiis Eccleſiæ, ut refert Nicetas Aconitan. *in hiſtor. ſua Byzantin. fol. 268.* His peractis benedicebantur, ungebantur, & coronabantur ſtemmate aureo regio in ſummo Sanctæ Sophiæ Templo manu Patriarchæ qui & ipſe plerumque antea in Concilium electionis adhibitus fuerat, teſte eodem Paulo Diacono loco citato.

Quorum omnium rituum verba formulæ ſolemnia minutatim cognoſci poſſunt, tum ex illis Byzantinis ſcriptoribus, jam laudatis, tum è Cruopalate, ſive Georgio Codino *comment. de official. Palat. Conſtantinopol. & Offic. magn. Eccleſ.* & Leuclajo in *Pandect. Turcar.* 7

Immò

8 Immò verò non solùm Christianis Imperatoribus, sed nec Ethnicis apud Romanos olim, nisi juratis Rempublicam administrare licuisse, scriptores testantur. Quod nominatim de Trajano, qui post tyrannidem Neronis, Caligulæ, & aliorum Senatui Romano, antequam Imperii gubernacula susceptisset, fidem suam juramento obstrinxit ex adductis ibi Authoribus probat Anton. Coler. *de jure Imperii Germanici sect. 5. concluſ. 32.* ubi tenetur, postmodum Imperatores Græcos hos sequutos esse, dum Pontificibus Romanis jurare soliti sunt, quod scilicet fidem Catholicam tueri velint. Idemque testatum facit Richardus Dieterus *de Summa Summi Imperii potestate concluſ. 73.* ubi ait, nullum præter Turcicam, ita stupidam, ac barbaram esse gentem, quæ non in regibus suis inaugurandis, aliquam ab illis fidem, ac juramentum exigat, Author *vindicat. contra Tyran. qu. 3.* Bodin. *de Republ. cap. 8.* Petr. Syring. *de pac. Relig. concl. 19. lit. B.*

9 Et hujusmodi jurandi morem, non solùm in Imperatoribus, ac Regibus, sed etiam minoribus Magistratibus, usu receptum fuisse, credendum est. Jurabant enim, non solùm Athenienſium Prætores, ut ait Suidas, nisi ea præstarent, propter quæ magistratum gererent, se auream statuam dedicaturos esse in Urbem Delphis, & Olympiæ, sed etiam Lacedemoniorum Primates, ut testatur Aristoxenus Pythagoricus in *lib. apophthegmat.* ante susceptum Imperium, juramentum præstabant, se imperaturos juxta leges Civitatis, prout ex iis refert Gregorius Draudius in *Scheda Regia Agapeti Diaconi, Aphoriſm. 13.*

10 Quod verò ad Imperatorum de Ecclesiis, ac Religione Christiana defendenda jusjurandum attinet, dubium non est, ejusmodi jurandi consuetudinem apud Christianos Imperatores in usu continuò permansisse. Hinc non obs re Sigismundus Seld. *in consil. de Cæsarum, & Paparum potestate part. 3. & 4.* meminit Constantini Magni, & aliorum Constantinopolitanorum Imperatorum temporibus, cùm Ecclesia Romana bonis temporalibus non admodum esset aucta, & Pontifices debitæ observantiæ cultu Imperatores prosequebantur, illi verò ultro fidem Christianam defenderent, optimum ubivis in orbe Christiano rerum omnium fecisse statum, & negotia fidei optimè processisse. Id, quod & Petrus Anchar. in *Clem. unic. de jurejur. notab. 17.* testatur.

11 Præsertim autem post Imperatores Orientales tale juramentum pro defensione Ecclesiæ Apostolicæ Leoni III. Papæ Carolum Magnum in Coronatione anno 800. præstitisse Historici testantur, cujus tenor apud Spondanum in *epit. annal. Eccleſiaſtic.* Baron. eodem anno *num. 3.* extat. Et sic quoque Othonem Imperatorem Joanni Papæ juraſſe, Goldast. *tom. 2. part. 5. Conſtitut. Imperat.* refert. Ferdinandum I. Imperatorem juramentum illud Pontifici præstitisse, Seld. *loc. cit. part. 28.* testis est. Et illud quidem inveteratum jurandi morem, Ethnicis, ut dictum est, Imperatoribus, Græcisque usurpatum, & post illos a Carolo Magno restitutum, atque ab omnibus postmodum Cæsaribus, ac Romanorum Regibus usitatè receptum, in præsens adhuc vigere, notorium est.

12 Verùm enim verò, non attento etiam juramento, quod ab omnibus Imperatoribus jam inde a Constantino Magno de protegenda Ecclesia Romana, Sede Apostolica, & Papa, præstitum fuisse ostendimus, ex eo etiam firmissimum id fit, quod Imperatoribus ipso jure absque ullius jurisjurandi Religione, tutela, ac defensio Ecclesiarum, maximè verò Romanæ, Sedisque Apostolicæ, & Papæ ex officio incumbat, *l. 1. 3. quæſt. 10. & tot. tit. Cod. de Summ. Trinitat. & cap. Clerici de jurepatr. cap. Convenior §. ultim. v. bonus Imperator auxilium quærit Eccleſiæ 23. quæſt. 8.* textus *in Clemen. unic. verſ. Ipſius Eccleſiæ debeant eſſe promptiſſimi defenſores de jurejur.* & in *Conſtitut. Friderici Imperat. de pace tenenda, & ejus viol. in princ.* ibi: *Eccleſias, ſive Eccleſiaſticas perſonas ſublimare, & ab incurſu, & invaſione quorumlibet defenſare intendentes.* Idque adeo, & tanta cum obligatione, ut Papa eosdem Ecclesiam non defendentes, excommunicare possit per tradita a Hieronym. de Cæval. *in ſpecul. comm. opin. tom. 4. concluſ. 333. numero 10.* Immò & deponendi eosdem potestatem habeat, ut voluit Restaur. Castal. *de Imperat. quæſt. 8.* Guid. Panzirol. *conſ. 119. num. 32.* Petr. de Fideic. *quæſt. 12. num. 282.* Joan. Montaigne *tract. de Parlament. num. 16.* Quod tamen aliis Electoribus, penes quos electio est Imperatoris, etiam tribuere videntur, qui hac sibi competente potestate usi, Vvenceslaum Imperatorem inter alias causas ob non præstitam Ecclesiæ defensionem anno 1400. depositum fuerunt, ut per Goldast. *part. 1. fol. 158.* Quod ipsum innumeri scriptores cum antiquiores, nominatim Alvarot. *tract. feudal. tit. de pac. tenend. inter ſubditos num. 7.* Innocent. in *cap. licet ex ſuſcepto de for. compet.* Hier. Balb. *de coronat. part. 35.* Joan. de Lignano *tract. de bello cap. 15.* Cardinal. *in dict. cap. unic. de jurejur. notab. 19.* August. de Ancon. *de poteſtat. Papæ quæſt. 35. argument. 6.* Dec. in *cap. recepimus num. 17. de Privileg.* Lupold. de Beben. Episcopus quondam Bambergensis *de jure Regni cap. 3. & 9.* Tum moderni, Gaspar Leipold. *de concur. juriſdiction. quæſt. 19. §. his verò,* Menoch. *de arbitr. Judic. caſ. 338. num. 7.* ubi ad alios quoque Principes hoc extendit per *can. Principes, can. Regum, can. Adminiſtratores 23. quæſt. 5.* Petr. de Andal. *de Imper. Rom. lib. 2. c. 18.* Quirin. Cubach. *Juriſp. Germanopubl. cap. 23. num. 27.* aliique passim testantur.

Hinc Cardinalis Baronius *ad ann. 422. num. 3.* scribit Ecclesiæ, Religionis, & jurium Ecclesiasticorum defensionem, solidum esse ad substinendum Imperii molem fundamentum, ac sustentaculum, quo si careat, corruat, necesse est, idque cum in aliis mundi Proceribus, tum evidenter in Galliæ Monarchis ostendi posse, ait. Quandiu enim defensores Ecclesiarum, & rerum Ecclesiasticarum vixere Francorum Reges, & Imperii Principes, ut Pipinus, Carolus Magnus, Ludovicus Pius, & alii, qui legibus, armis, multoque sanguine bona Ecclesiastica illibata servarunt, felices illi fuere, eorumque hostes victi jugo submissi, nomenque Franchorum summa gloria toto orbe diffusum, ubi verò direptione rerum Ecclesiasticarum adversus Deum conflatum est bellum, imbelles populi, Reges socordes, & obtusa eorum facta sunt arma, ut pluribus exemplis ostendit Baron. *ad ann. 945. num. 33.* 13

Maximè autem supremam Romanæ Ecclesiæ Protectionem Imperatori, ac Regi Romanorum primitus semper attributam fuisse, præ cæteris solidè comprobant textus in *cap. Venerabilem verſ. nunquid de elect.* Andr. Knich. de *Sax. non provoc. jur. ver. Ducum Saxoniæ cap. 5. num. 557.* Etherius *de juriſd. cap. 1.* Hinc Pipino, & Carolo Magno, magnorum, ac præcipuorum Ecclesiæ Romanæ Protectorum nomen, Othoni verò magno Defensoris, Henrico II. seu Sancto Advocati Sancti Petri titulum attributum fuisse, aliosque Imperatores eodem olim usos fuisse ex Reinerii Annalibus, Dithmarso, & Fabricio ostendit idem Knichius. Sic & Ludovicum I. Imperatorem Catholicæ fidei propugilem, Michael de Cæsena *in liter. ad Regem Rom. & Principes Alemann.* apud Golstad. *Monarch. S. Rom. Imper. tom. 2.* salutat. Quinimmò Imperatores, ipsi Protectores, ac defensores Ecclesiæ sese passim appellarunt, Ecclesiæque protectionem jure quasi divino a divina providentia ad se pertinere, sæpius professi sunt. 14

Hac ratione Justinianus *in l. 1. C. de offic. Præf. Afr.* servum Ecclesiæ se vocat, atque *Novel. 3. in fin.* non minorem sibi horumque sanctissimis Ecclesiis profunt, quàm animæ suæ curam sibi profitetur. Quo pertinet id, quod Carolus Magnus in *reſcripto. de non adorand. Imag.* contra Synodum Patrum Græcorum in *Concil. Francf. ann. 794.* dato, & a Golstado *Conſtitut. Imper. tom. 2.* relato sic rescribit: *Quoniam Eccleſiæ in ſinu Regni gubernacula, Deo tribuente, ſuſcepimus, neceſſe eſt, ut in ejus defenſione ob exaltationem ejus, Chriſto auxiliantem, toto anniſu certemus, ut ab eo boni ſervi, & fideles nomine cenſeri valeamus.* 15

Eleganter id ipsum testatur generatim de Imperatoribus loquens Albertus Primus, Rodulphi, Primi filius, in diplomate per Cardinalem Baronium ad annum 996. *ſub num. 48.* allato, quod inter alia sic habet. *Recognoſcens igitur, quod Romanum Imperium per Sedem Apoſtolicam de Græcis translatum eſt in perſona Magnifici Caroli in Germanos, & ejus eligendi Romanorum Regem, in Imperatorem poſtmodum promovendum, certis Principibus Eccleſiaſticis, & ſæcularibus eſt ab eadem Sede conceſſum, a qua Reges, & Imperatores, qui fuerunt, & erunt pro tempore recipiunt gladii temporalis poteſtatem ad vindictam malefactorum, laudem vero honorum, pia devotione, & ſincero corde profiteor, quod Romanorum Reges, in Imperatores poſtmodum promovendi per Sedem eandem, ad hoc potiſſime, ac ſpecialiter aſſumantur, ut ſint S. R. E. Protectores, Catholicæ fidei, ac ejuſdem Eccleſiæ præcipui defenſores &c.* 16

Idem expressim profitetur Fridericus I. Imperator in Epistola sua anno Christi 1159. ad Antipapam, & Cardinales Romanos, qua eosdem ad Concilium Papiense invitat, conscripta sequentibus verbis: *Fridericus &c. In hoc itaque ſacratiſſimo propoſito conſtituti, cum omnibus Eccleſiis in Imperio noſtro conſtitutis debeamus patrocinari Sacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ, tantò propenſius debemus providere, quanto ipſius cura, & defenſio a divina providentia creditur nobis eſſe commiſſa ſpecialius.* 17

Evi-

18 Evidenter hoc ipsum patet testimonio Sigismundi Imperatoris in Epistola anno 1413. Carolo Franciæ Regi ad invitandum eum ad Concilium Constantiense missa, quæ sic habet, *Inter profectò curas varias, &c. Postea verò cùm ad Imperialia gubernacula fuissemus assumpti, id, quod erat nobis in desiderio transivit in præceptum cùm teneamur Sanctam Matrem Ecclesiam per imperiale Officium tueri, cujus etiam Canones Sanctorum Patrum nos appellant Advocatum, & Defensorem.*

19 Accedit prædictorum Imperatorum testimoniis invictissimi, & Triumphatoris Cæsaris Caroli Quinti authoritas, qui, cùm per peculiarem quandam, & elegantem ad Collegium Cardinalium 20. Novembris anni 1559. Bruxellis datam epistolam eoidem, post Pauli III. Pontificis Maximi obitum, ad novi, & idonei electionem cohortaretur, inter alia hisce verbis, se Ecclesiæ Protectorem ex veteri majorum instituto esse pronunciat: *Etsi*, inquit, *nihil dubitamus, vos pro vestro officio in Rempublicam Christianam, & pietate, provinciam hanc ea prudentia, & maturitate gesturos, qua & præsens Reipublicæ Christianæ Status, & omnium de se expectatio postulat, ac neque nostris monitis ad eam rem opus esse arbitremur, attamen, ut in mentem venit nos Advocati Ecclesiæ munus, & provinciam sustinere, eoque nomine ex veteri majorum instituto in partem hujus solicitudinis vocatos esse, non potuimus, neque certè debuimus officio nostro deesse, quin huic rei omnium maximæ, gravissimæque partes nostras interponeremus. Quod, ut eò magis præstare cupiamus, & studium religionis nos incitat & muneris nostri ratio, ac jurisjurandi religio, qua Ecclesiæ Dei, & huic Sanctæ Sedi devincti sumus, ad hoc quasi adigunt, & impellunt.* Et quæ sequuntur elegantissima de Pontificis eligendi qualitatibus inter Epistolas Mundi procerum, *fol.* 305.

20 Illud sanè in aperto quoque est, adeò Imperatores non erubuisse munus hoc protectionis de se ipsis prædicare, ut etiam in literarum inscriptionibus cum titulis aliis hunc Defensoris Ecclesiæ coniungere, & cum defensionis onere atque Ecclesiæ cura, & testamento, ac dispositione inter vivos filiis mandata ad posteros transire voluisse. Quod de Carolo Magno Spondanus in anno Christi 794. *nom.* 2. & in anno 806 *numer.* 3. & de Ludovico Pio Goldast. *Constitut. Imper. tom.* 2. *part.* 20. in ejusdem Ludovici Pii *de pac. public. & divis. regn. fac. int. fil. anno* 837. ordinata Constitutione testatur, constatque istam testamenti Carolini de obligatione, defensionis Romanæ Ecclesiæ periodum in omnibus postea successorum divisionibus repetitam fuisse, ut speciatim notat Pithæus in partitione facta a Ludovico Imperatore inter tres suos Filios, Pipinum, Ludovicum, & Carolum, de qua Baronius ad annum 838. *numer.* 1. *ac* 2. Quin & illud gravatim Recessus Imperiales evolventi haud obscurum est, Cæsares non olim dumtaxat, sed & hodie quoque in Protectoris Ecclesiarum titulis plausisse, eosque publicè usurpasse. Id, quod primò ostendit Recessus de anno 1518. Deinde in Recessu Ratisponensi de anno 1543. Item Recessu Augustano de anno 1530. sic etiam in Recessu Spirensi de anno 1529.

21 Cùm igitur tàm ex legum authoritate, quàm ex propriis Imperatorum testimoniis, Imperiique Recessibus, manifestum sit, jus, & obligationem defensionis Ecclesiarum Imperatoribus, non ut aliis, ex vinculo specialis conventionis, sed jure Imperialis a Deo concessæ potestatis, competere, & necessitate officii incumbere nemo sanè inficiabitur, Ecclesiasticam Protectionem, licèt absolutam rerum vetustarum cognitionem assequi non proclive sit: sub initio statim Christianorum Imperatorum, inter quos Constantinum Magnum, familiam duxisse constat non autem temporibus primum Pipini, ac Caroli Magni usu introductum fuisse. Et de Constantino Magno extat testimonium Sigismundi Imperatoris in Reformatione sua *cap.* 10. *lib.* 2. *pag.* 115. *edit. Basil.* in qua de Imperatore Constantino fidei Christianæ Protectore constituto agit.

22 Quod ipsum authoritate etiam Christophori Gevvoldi confirmatur, *commentar. de Roman. Imper. Septimviratu cap.* 8. *pag.* 168. *edit. ultim Ingolstad.* adducens ex Reginaldo Polo *lib.* 2. *defens. Ecclesiastic.* insignem pro Sede Apostolica locum, qui in fine de Regibus, & Principibus sæcularibus loquens ait, eos a Deo Nutricios Ecclesiæ, Sedisque Apostolicæ Protectores esse constitutos, notabiliter subdit, hanc praxim, hoc est Protectorum Romanæ Ecclesiæ semper a Constantino Magno usque, ad nostra tempora ita obtinuisse, piosque, ac Catholicos Imperatores, Reges, Principes omnes proprium hoc officium sibi vindicasse, nec non ut facerent a Pontificibus Romanis requisitos fuisse. Quo pertinet id, quod Platina in vita Gregorii Tertii scribit. *Conjueverunt*, inquit, *Pontifices Romani si quid mali ab externo hoste immineret, auxilia ab Imperatore Constantinopolitano petere.* Id, quod Lupold. Bambergen. in *libr. de veter. German. Princip. in Fide Christi Zelo* multis exemplis declarat.

Ab hac sententia non abhorrent ea, quæ in literas 23
retulit Matth. Boetius inter *Arum. discurs. Acad. volum.* 1. *de nat. jur. Majestat. cap.* 3. *conclus.* 40. ubi Protectionem Ecclesiæ Romanæ a potestate Patriciatus a Constantino Magno, Zosimo *lib.* 2. *histor. Ecclesiast.* & Goldast *in Ration. ad. Bullam. Hadriani I. ver. Dignitatemque Patriciatus* testibus introducti originem suam ducere, asserit. Quo tendunt ea, quæ scribit Ludolp. de Bebemburg. *de jurib. Regni, & Imperii Roman. cap.* 13. ubi ex *glos.* 2. *can. Hadrianus distinct.* 63. asserit per hunc Patriciatum intelligi Protectionem Ecclesiæ Romanæ, quam habeat Rex Romanorum, vel Imperator ab Ecclesia Romana. Quia enim temporibus Græcorum Imperatorum Patricii in omnibus Reipublicæ ut patres Filiis prospicienbant, Petr. Gegor. Tholosan. *Syntagmat. jur. lib.* 47. *cap.* 16. *num.* 2. per textum in §. *generaliter titul. constitut. quæ dig. in Authent. collat.* 6. Et quem populus Romanus Patricium, illum Pontifices protectorem, nominabant. Ejus appellationis hanc esse rationem arbitror, quod quemadmodum apud Ethnicos Romanos Sacrorum procuratio, tuitioque incumbebat Patriciis, itæ non inconveniens erat, ut in Religione Christiana, qui Ecclesiam defenderet, Patriciatus indigitatione notaretur.

Ordiendo igitur a primo Christianæ professionis Im- 24
peratore Constantino Magno, qui anno Christi 306. totius exercitus suffragantibus votis, Constantino vita functo, imperium accepit, historiæ ostendunt, sub eo Romani Imperii populos rerum statu adeo tranquillo potitos esse, ut defensione armata iis temporibus non eguerint, id, quod annuit Eusebius in Vita Constantini *lib.* 2. *cap.* 19. præter alios Gaspar Bruschius *in chronograph. Monast. Sancti Maximini* testatur hoc ipsum Monasterium Ordinis primum & regulæ Orientalium Monachorum, nunc verò Benedictinæ professionis ab ipso Imperatore Constantino sub perpetuo duraturam protectionem Imperatoriam susceptum fuisse: idipsum adstruit Michael Buchinger. in *histor. Ecclesiastic.* sub Papa Sylvestro Primo propè finem. Quibus addo P. Coccium Societatis Jesu Theologum, qui in Vita Dagoberti Regis Francorum pronuper in lucem data *cap.* 22. protectionem Imperatoribus commissam Ecclesiasticam jam olim sub ævum, Imperatoris Constantini Magni usitatam fuisse, testatur.

Quantoperè autem Imperator Constantinus Magnus 25
Christianam religionem restituerit, Ecclesiamque diris antea Ethicorum persequutionibus prostatam erexerit, quamque strenuum sese Ecclesiæ, ac Religionis Christianæ Protectorem exhibuerit, nominatim testatur Eusebius *lib.* 3. *cap.* 3. his verbis. *Quemadmodum*, ait, *probitatis hostis dæmon gravi in prosperum Ecclesiæ statum exardescens invidia tempore pacis, & lætitiæ, seditionis procellas, & tumultus intestinos contra illam excitavit, sic Imperator, Deo charus Constantinus, ea, quæ ad suum spectabant officium, minime neglexerit, sed omnia contraria his, quæ antea a tyrannica crudelitate admissa instituit, & quemque Ecclesiæ hostem inimicumque facile devicit &c.*

Quo autem vita functo, ejusdem filios Constantinum, 26
& in primis Constantem Imperatores, non minori Ecclesiam, & Religionem Romanam cura protexisse, Theodoretus *lib.* 2. *cap.* 5. hisce verbis edocet. *Athanasius ad Constantem accedens, de factionis Arrianæ insidiis conqueri, bellum contra fidem Apostolicam excitatum lamentari, & tum patris, tum magni Concilii Niceni, quod ille convocaverat, ei in memoriam reducere cœpit. Talia cum gemitu, & lachrimis apud Constantem Imperatorem elocutus, eum ad patrem æmulandum excitavit. Nam simul atque ista audivit, literas scripsit ad fratrem, quibus eum hortabatur, ut hæreditatem pietatis paternæ, integram, inviolatamque servaret. Illum enim Imperium pietate stabiliviſſe, tyrannos, qui Romanos oppressérant, profligasse, & barbaros undique in suam potestatem redegisse. Quibus literis persuasus Constantius mandatum dedit, ut Episcopi, tàm Prientis, quàm Occidentis, Sardicam, quæ est in Illyria urbis Daciæ primaria adventarent. Nam aliis multis morbis vexabatur Ecclesia, ad quos curandos Concilium necessariò requirebatur.*

Ex quo apparet, Constantem, Magni Constantini di- 27
gnissimum filium, qui & parentis, ut rectè Baronius ad annum 350. *n.* 6. asserit, pietatem in his visus est plurimum

mum ſuperaſſe, haud enim invidioſa erit hujuſmodi comparatio. Nam gloria Patris eſt Filius ſapiens *Prov. verb.* 15. dum adeò coluit officiis Athanaſium exulem, ut etiam adverſus Conſtantinum fratrem paratus eſſet pro uno Athanaſio illi bellum inferre, non deſtitiſſe totum Orientem, & Occidentem commovere, donec Oecumenico Sardicenſi Concilio coacto Arianorum violentos retuderit impetus, & Orthodoxos calumniam paſſos, a ſuis ipſorum ſedibus ejectos Epiſcopos, ſententia abſolutos, in proprias Eccleſias, invito, & moras nectente Conſtantio, adverſantibus, & reclamantibus Arianis, poſtliminio reſtituerit, quos olim primò pater Conſtantinus imprudens deceptus ab Euſebianis ejecerat, & deinde eorumdem inſtigatione perfidorum Conſtantius frater majore jactura, atque ignominia proſcripſerat.

28 Quin etiam Conſtantium lege publica lata juſſiſſe omnia ubique claudi Deorum templa, manifeſtè edocet ad Taurum Præfectum Prætorio ab eodem Imperatore ſcripta *l. 4. de pagan. in Cod. Theodoſ.* quæ ſic habet: *Placuit omnibus locis, atque urbibus univerſis claudi protinus templa, & acceſſu vetitis omnibus licentiam delinquendi perditis abnegari, volumus etiam cunctos ſacrificiis abſtinere. Quod ſi quis forte aliquid hujuſmodi perpetravit, gladio ultore ſternatur. Facultates etiam perempti fiſco decernimus vindicari, & ſimiliter affligi rectores Provinciarum ſi facinora vindicari neglexerint.*

Datum Kalendas Decembris Conſtantio IV. & Conſtante AA. Coſſ.

29 Tertiò, jam ulterius incœpta Imperatorum ſerie pergendo, omiſſo Juliano Apoſtata, & perſequutore Eccleſiæ, in quo Conſtantini linea defecit, Jovianus eum in Imperio anno 363. inſequutus, ſummis etiam viribus Eccleſiam protexit, atque fidem Chriſtianam propagavit. Id quod ex Sozomeni *lib. 6. cap. 6.* apertè teſtimonio colligitur. *Cùm præterea*, inquit, *experientia didiciſſet Jovianus Imperium propter iram divinam in Julianum, qui ante ipſum regnaverat, accenſam eſſe, acerbè afflictatus eſt, adjecta tamen omni cunctatione, ſcripſit ad Præſides Provinciarum, uti ad Eccleſias frequenter convenirent, divinum Numen ſtudioſè colerent docerentque ſuos ſolam Religionem Chriſtianam, verum Dei cultum in ſe complecti. Eccleſiis inſuper, & Clericis, viduis, & virginibus immunitatem reddidit, & quidquid vel ad commodum, vel ad honorem Religionis Catholicæ, ac Romanæ Eccleſiæ ſpectabat, quod a Conſtantino, ac liberis ſuis ſancitum fuerat, a Juliano autem poſtea everſum, ſummo ſtudio redintegravit, atque reſtituit.*

30 Illud etiam propenſum Joviani Imperatoris erga ſtatum Eccleſiaſticam animum declarat, quod is legem cuſtodem ſacrarum Virginum, ut tradit idem Sozomenus *dict. lib. 6.* adverſus earum raptores ſeveriſſimam promulgari juſſerit: *Miſit*, inquit, *item ad Secundum Præſidem Generale edictum, quo jubebat, ut qui ſacram Virginem, vel ad nuptias contrahendas pollicere conaretur, vel laſcivo quodam obtutu aſpiceret, maximè omnium, ſi per virum rapere tentaret, captus ſupplicio mulctaretur. Iſtam legem ideo tulit, quod quidam improbi viri, regnante Juliano, tales Virgines, vel vi vel perſuaſione in hanc corruptelam inductas, ſibi connubio junxiſſent, quemadmodum fieri ſolet, cum Religionis ſtatu perturbato turpis libido, id genus ſceleris conſciſcendi impunitatem ponit.*

31 Extat quidem legis hujus pars illa de iis, qui adeo execrandum ſcelus vel tentare præſumpſerint tàm in *Cod. Theodoſiano*, quàm Juſtiniano *lib. 6. Cod. de Epiſcop. & Cler.* deſcripta his verbis. *Imperator Jovianus Auguſtus Secundo Præfecto Prætorio. Si quis non dicam rapere, ſed attentare tantùm jungendi cauſa matrimonii ſacratiſſimas Virgines auſus fuerit, capitali pœna feriatur.*

32 Summa ſanè, & illa laude digna habentur, quæ ab eodem Joviano Primum, ut Imperium adeptus eſt, ut decebat Chriſtianum Principem, Decreta fuiſſe, teſtatur Gregorius Nazianzenus in *orat. de laude Athanaſii*, per hæc verba: *Hoc porrò Juliano nimirum extincto, Imperator alter exoritur, nequaquam ore impudens, quemadmodum is, de quo ante verba fecimus, nec duris, & ærumnoſis operibus, & edictis Iſraelem opprimens, ſed mira pietate, animique lenitate præditus. Qui, ut præclariſſimum Imperii ſui fundamentum jaceret, rectamque legum ſanctionem, unde conveniebat, auſpicaretur, cum omnes alios Epiſcopos, tum eum nempè Athanaſium ante omnes, qui omnibus virtute antecellebat, & citra dubitationem ullam pietatis cauſa bello vexatus fuerat, ab exilio revocat. Quin etiam ſuæi noſtræ unitatem a multis laceratam, & perturbatam atque in ſexcentas opiniones, parteſque diſtractam, ſibi tradi poſtulavit, ut maximè quidem univerſus Orbis, ſi fieri poſſit, in fidei negotio conſentiret, ſpirituſque auxilio in unum coiret, ſin minus, ipſe certè optimæ parti ſeſe adjungeret, ſimulque & ei robur afferret, & ab ea viciſſim acciperet, excelsè ſimul, & magnificè de rebus maximis cogitans.* Hæc Nazianzenus.

Quartò inſuper, cùm poſt Joavianum altero ſtatim 33
Imperii ſuſcepti anno Valentinianus anno Chriſti 364. & ab eodem in conſortem Imperii aſſumptus frater germanus Valens, uterque ab initio Catholicus, imperare cœpiſſent, ipſis pariter protectionem Eccleſiæ, & hominum Eccleſiaſticorum in primis curæ fuiſſe ex eo liquet, quod ſacras Virgines, viduas, & pupillos a cenſu capitationis ſtatim exemptos eſſe voluerint, dum ad Vincentium Præfectum Prætorio Galliarum *l. 4. de cenſib. Cod. Theodoſ.* ſequentem in modum reſcripſerunt. *In virginitate perpetua viventes, & eam viduam, de qua maturitas pollicetur ætatis nulli eam eſſe nupturam, a plebejæ capitationis injuria vendicandos eſſe decernimus, item pupillos in virili ſexu uſque ad viginti annos ab iſtiuſmodi functione immunes eſſe debere. Mulieres autem, donec virum unaquæque ſortitur.*

Datum 10. *Kalend. Decembris Valentiniano, & Valente AA. Coſſ.* Addiderunt inſuper, ne Chriſtiani ab Exactoribus die Dominico conveniri poſſent *l.* 10. *de exact. Cod. Theodoſ.*

Idque ex aliis etiam duobus reſcriptis ad Prætextum 34
Præf. Urbi datis manifeſtum evadit, quorum altero Hæreticos ab Urbe pelli, altero autem Baſilicam Urbis a Schiſmaticis occupatam, Damaſo Pontifici Romano, reſtitui juſſit. Utrumque extat cum aliis in pervetuſto Codice Vaticano, in quo ſcriptæ ſunt Epiſtolæ complurium Romanorum Pontificum, quorum prius ita habet.

Imperator Prætextato. Diſſentionis authore ſublato, omnis cauſa diſcordiæ ſopienda eſt, ne aliqua remanente materia, nihil proſit è medio ſuſtuliſſe fomitem jurgiorum, Prætextate, parens chariſſime. Quamobrem præcelſa ſublimitas tua, Defenſoris Eccleſiæ Urbis Romæ, ſive Damaſi, ſacræ legis Antiſtitis, petitione perſpecta, qua una tantùm Eccleſia ex Catholicæ Religionis obſequio a diſſidentibus adhuc dicitur retentari. Quoniam pro publica ſecuritate metuendum eſt, ne aliquis hinc iterum tumultus oriatur, quandoquidem non parva ſit ſeparationis effigies, ut tale aliquid putetur occluſum Damaſo, eam jubebit aperiri, ut ſinguli, univerſique cognoſcant, quo unitas ſtudio colenda ſit, qua omnibus pace vivendum, cùm Eccleſiis reſtitutis pleniſſimam poſtulet Congregationem, ubique promiſſa concordia. Hæc de reddenda Baſilica Valentinianus. De pellendis verò ab Urbe ſociis Urſicini ad eundem quoque Prætextatum ſic ſcripſit. 35

Ea nobis innata eſt moderatio, ut publicam diſciplinam ſine cujuſquam calamitate munire cupiamus. Itaque quoniam animarum adverſarum occaſionibus non favemus Urſicini ſociis, & miniſtris, quos præcelſa ſublimitas tua propter quietem Urbis æternæ de medio putavit eſſe tollendos, Romæ tantùm, cujus tranquillitati ſtudemus, excepta ubicumque voluerit abſque Religionis injuria, ut peregrinari potius, quàm exulare videantur, proprio liceat jure verſari, Prætextate, parens chariſſime. Neque enim intereſſe noſtra, quem habitationis eligant locum, dummodo incentivis diſſenſionis oblatis, firma ſit rurſus in plebe concordia.

Datum pridie Id. Jun. AA. II. Coſſ.

Non tamen inficiari poſſumus, Valentem poſtea anno 370. cùm ab Eccleſia Catholica deſciviſſet, & Arrianis adhæſiſſet, protectionis debitæ oblitum contra Orthodoxos vehementiſſimas excitaſſe perſequutiones, & Valentinianum etiam in Eccleſia defenſione remiſſiorem factum, indulſiſſe Hæreticis, & Gentilibus. 37

At quintò, cùm, Valentiniano è vita ſublato, Gratianus ejuſdem filius anno 385. Imperator inauguratus eſſet, qui aliquot annis unà cum patruo Valente, & Valentiniano fratre Imperium adminiſtravit, is non minus etiam ſe ſtrenuum Eccleſiæ Romanæ Protectorem, ac defenſorem uti ex variis illis Reſcriptis infra incertis, colligitur, exhibuit, idque dilucidè teſtatur Sozomenus *lib. 7. cap. 1.* ubi inquit: *Gratianus interim unà cum fratre univerſum Romanum Imperium adeptus, cùm patrui ſententiam non probaret, qua ille pertinaciter Catholicos fuerat perſequutus, qui Religione ab ipſo diſſenſerant, omnibus iis, qui ab illo vivente Religionis ergo in exilium pulſi fuerant, reditum ad ſuas Eccleſias conceſſit.* Quod ipſum etiam expreſſius innuit in libris ad Gratianum datis S. Ambroſius, qui *Epiſt. 26.* inter alia hæc habet: *Reddidiſti Eccleſiæ perfidorum ora, atque, quod utinam! & corda clauſiſti.*

Quin & idem Imperator Gratianus ſtatim, extincto 39
orthodoxæ fidei perduelle Valente, legem tulit, eaque

Hære-

Hæreticos Eccleſias Catholicis cedere juſſit, de qua quidem lege hæc Theodoretus *lib. 3. cap. 2. Conſcripſit legem, qua jubebat, tum paſtores, ejectos in exilium, redire, ſuiſque gregibus reſtitui, tum Sanctas Eccleſias tradi iis, qui Damaſi communionem amplexarentur.* Hic Damaſus, Epiſcopus Romanus, fuit in illius Eccleſiæ adminiſtratione ſucceſſor Liberii, vir ſanè propter vitæ præſtabilis ornamenta inſignis, qui, quoad ejus fieri poterat, doctrinam Apoſtolicam aſſiduè tutatus eſt. Ut autem lex, quam dixi, majorem haberet authoritatem, miſit cum ea Ducem Saporem, virum id temporis propter nominis, & famæ celebritatem facilè præſtantiſſimum, cui dedit in mandatis, ut tum Arrianæ blaſphemiæ præcones, tanquam feras quaſdam agreſtes, è Sacroſanctis Templis exigeret, tum optimos paſtores Sanctis eorum gregibus reſtitueret.

40 Inde verò è prælio, quo Gothos anno 379. vicit, reverſus, aliam legem promulgavit, qua Hæreticorum omnium ora blaſphema compeſcuit, ad Heſperium Præfectum Prætorio ita ſcribens in *l. 5. de hæretic. C. Theodoſ. & l. 2. C. Juſtin. eodem tit. Omnes vetitæ legibus, & divinis, & Imperialibus hæreſes perpetuò conquieſcant. Quiſquis opinionem plectilibus Dei profanus imminuit ſibi tantummodo nocitura ſentiat, aliis obfutura non pandat. Quiſquis redempta venerabili lavacro corpora, parata mortè tabeſcat, id auferendo, quod geminat, nempè baptiſmum ſibi ſolus talia noverit, alios nefaria inſtitutione non perdat, omneſque perverſæ iſtius ſuperſtitionis magiſtri pariter, & miniſtri, ſeu illi Sacerdotali aſſumptione Epiſcoporum nomen infamat, ſeu quod proximum eſt, presbyterorum vocabulo Religionem mentiuntur, ſeu etiam ſe Diaconos, cùm nec Chriſtiani quidem habeantur, appellant. Denique antiquato reſcripto, quod apud Sirmium nuper emerſit, ea tantùm ſuper Catholica obſervatione permaneant, quæ perennis recordationis pater noſter, & vos ibi victura in æternum æquæ numeroſa juſſione, mandavimus. Datum III. Non. Auguſti Mediol. Accept. XIII. Kalend. Septembris Auſonio, & Olybrio Coſſ.* Hæc ex Cod. Theodoſiano antiquiori deprompſit Cardinalis Baronius.

41 In Codice autem Juſtiniano *d. l. 2. de hæretic.* cùm hæc habeantur ſummatim conſtricta, his additur iſta appendix. *Hæreticorum autem vocabulo continentur, & latis adverſus eos ſanctionibus ſuccumbere debent, qui vel levi argumento a judicio Catholicæ Religionis, & tramite detecti fuerint deviare.* Quin & antea idem Imperator pro Clericorum immunitate *l. 24. de Epiſcop. & Cleric. Cod. Theodoſ.* ita reſcripſit: *Presbyteros, Diaconos, ſubdiaconos, atque Exorciſtas, & Lectores, Oſtiarios etiam, & omnes perinde, qui primi ſunt, perſonalium munerum expertes eſſe præcipimus.*

Datum XIII. Non. Martii Gratiano Quarto, & Merobaud Coſſ.

42 Sextò, adſcitus a Gratiano poſtmodum in Collegam Imperii anno Chriſti 379. Theodoſius, militis cujuſdam ſtrenuiſſimi ejuſdem nominis, quem Valentinianus ad oppugnandum Firmum Tyrannum in Africam miſerat, filius, non minus acri etiam ſtudio Eccleſiæ protectionem geſſit, nihilque antiquius habuit, quàm de fide Catholica benè mereri, de quo Sanctus Auguſtinus de *Civit. lib. 5. cap. 26.* ſic ait: *Inter hæc omnia ex ipſo initio Imperii ſui non quievit, juſtiſſimis, & miſericordiſſimis legibus adverſus impios laboranti Eccleſiæ ſubvenire, quam valens Hæreticus favens Arrianis vehementer afflixerat, cujus Eccleſiæ membrum eſſe magis, quàm in terris regnare gaudebat.* Hujus autem rei fidem facit aurea illa ſanctio in *l. 2. de fid. Cathol. Cod. Theodoſ.* ab eo Theſſalonicæ promulgata, quæ ſic ſe habet.

43 *Impp. Gratianus, Valentinianus, & Theodoſius AAA. ad populum Urbis Conſtantinopolitanæ. Cunctos populos, quos Clementiæ noſtræ regit temperamentum, in tali volumus Religione verſari, quam divinum Petrum Apoſtolum tradidiſſe Romanis, Religio uſque nunc ab ipſo inſinuata declarat, quamque Damaſum ſequi claret, & Petrum Alexandrinæ Epiſcopum, virum Apoſtolicæ ſanctitatis. Hoc eſt, ut ſecundùm Apoſtolicam diſciplinam, Evangelicamque doctrinam Patris, & Filii, & Spiritus Sancti unam Deitatem ſub parili Majeſtate, & ſub pia Trinitate credamus. Hanc legem ſequentem Chriſtianorum Catholicorum nomen jubemus amplecti, reliquos verò dementes, veſanoſque judicantes, Hæretici dogmatis infamiam ſuſtinere, ac conciliabula eorum, Eccleſiarum nomen accipere, divina primum vindicta poſt etiam motus noſtri, quem ex cœleſti arbitrio ſumpſerimus, ultione plectendos.*

Dat. III. Kalend. Martii Theſſalonicæ, Gratiano A. Quintum, & Theodoſio A. Primum Coſſ.

44 Nec in eo ſolùm Theodoſius, egregius Eccleſiæ Protector, ac Defenſor ei laboranti præſtò fuit, ſed in compeſcendis, ac funditus extirpandis ejuſdem hoſtibus, omnem movit lapidem, ut nominatim teſtatur Marcellinus Comes *in Chron.* anno Chriſti 380. cùm ait: *His Conſulibus, Theodoſius Magnus, poſtquam de Scythis, & Gothis triumphavit, expulſis continuò ab Orthodoxorum Eccleſiis Arrianis, qui jam ferè per quadraginta annos eas ſub Arrianis Imperatoribus tenuerant, noſtris Catholicis Orthodoxis reſtituit Imperator menſe Decembris.*

Similiter ab eodem præſtita Eccleſiæ Protectio, ac propugnatio evidentius adhuc colligitur ex alia ejuſdem ſanctione in *l. 3. de fid. Cath. Theodoſ.* qua is Imperator anno 381. cùm ſciret complures Hæreticos ſub Catholico nomine adhuc retinere Eccleſias, ſpeciatim Sacerdotes aliquos, quorum fidem ſpectatam habuit, nominavit, ſancivitque, ut qui eorum communione jungerentur, iidem Catholici haberentur, & Eccleſiis præficerentur. Sanctio autem hæc eſt. 45

Theodoſius Imperator ad Auſonium Proconſulem Aſiæ. Epiſcopis tradi omnes Eccleſias, mox jubemus, qui unius Majeſtatis, atque virtutis Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum confitentur ejuſdem gloriæ, claritatis unius, nihil diſſonum, profana diviſione facientes, ſed Trinitatis ordinem perſonarum aſſertionem, & divinitatis profitentes, quos conſtabit communione Nectarii Epiſcopi Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ, nec non Timothei intra Ægyptum Alexandrinæ Urbis Epiſcopi eſſe ſociatos, quos etiam in Orientis partibus Pelagio Epiſcopo Laodicenſi, & Diodoro Epiſcopo Tarcenſi, nec non in Aſia Proconſulari, atque Aſiana Diœceſi Amphilochio, Epiſcopo Iconienſi, & Optimo, Epiſcopo Antiocheno in Pontica Diœceſi, Helladio, Epiſcopo Cæſarienſi, & Otreio Meliteno, & Gregorio Epiſcopo Niſſeno, Bretannio Epiſcopo, Scythiæ, Marmano, Epiſcopo Marciopolitano communicare conſtiterit. Hos ad obtinendas Catholicas Eccleſias ex communione probabilium Sacerdotum oportebit admitti. Omnes autem, qui ab eorum, quos commemoratio ſpecialis expreſſit, fide communionis diſſentiunt, ut manifeſtos Hæreticos ab Eccleſiis expelli, neque his penitus poſt hac obtinendarum Eccleſiarum Pontificum, facultatemque permitti, ut veræ, ac Nicenæ fidei Sacerdotia caſta permaneant, nec poſt evidentem præcepti noſtri formam malignæ locus detur aſtutiæ. 46

Datum III. Kalendas Auguſti Heracleæ, Eucherio, & Syagrio Coſſ.

Denique ne plura hìc accumulemus, acerrimum ſtatus Eccleſiaſtici Protectorem fuiſſe Theodoſium palam facit reſcriptum ejus ad Optatum Præfectum Auguſtalem Ægypti de Eccleſiaſtico jure illibatè ſervando in *leg. 3. de Epiſcop. judic. Cod. Theodoſ.* his verbis: *Graviter admodum mota eſt noſtra clementia quædam ab his, qui Epiſcoporum ſibi nomina vindicant, perpetrata, & contra leges non minus divinas, quàm humanas improbata temeritate commiſſa. Vexatos etiam nonnullos Orthodoxorum Clericos, quorum ætas huic injuriæ a Sacerdotio repugnabat, flagitatos itineribus, quæſtionari dedito, atque hæc omnia per eos commiſſa, qui ad tegumenta frontis, Sacerdotii nominis titulos præferrebant. Denique lectis in Conſiſtorio precibus, quibus Epiſcopalis pietas aliquid poſtulans refragatur, denegatque, idcircò continua lege ſancimus, nomen Epiſcoporum, vel eorum, qui Eccleſiæ neceſſitatibus ſerviunt, ne ad judicia, ſive Ordinariorum, ſive extraordinariorum Judicum pertrahatur. Habent illi Judices ſuos, nec quicquam his publicis commune cum legibus, quantum ad cauſas tamen Eccleſiaſticas pertinet, quas decet Epiſcopali authoritate decidi. Quibuſcumque igitur mota fuerit quæſtio, quæ ad Chriſtianam pertineat ſanctitatem eos decebit ſub eo Judice litigare, qui Præſul eſt in ſuis partibus omnium Sacerdotum, id-eſt, per Ægypti Diœceſim, Optate chariſſimè, ac jucundiſſimè. Quare laudabilis authoritas tua arbitrio temperato, quidquid negotiorum aliunde incidet, terminabit, habituro Pontificum Sacræ diſceptationis Timotheo Epiſcopo, quem ſibi omnes etiam ſuo judicio prætulere. Eſt enim vir, cum omnium Sacerdotum ſuſceptatione venerandus, tum & noſtro judicio approbatus.* 47

Ex quo colligitur Theodoſium infenſiſſimo accepiſſe animo, quod Epiſcopi deferrent ad Præfectos, vel ipſum Imperatorem exceſſus Collegarum, vel crimina inferioris Ordinis Sacerdotum, ſubterfugientes Epiſcopale judicium, eoſque rejicit Imperator, ne audiri patitur a Præfectis, quos & dato reſcripto convenit ab Eccleſiaſticis judiciis penitus abſtinere, quæ ad Epiſcopos Eccleſiaſticarum rerum, ac perſonarum legitimos Judices deferri mandavit. Vide etiam ejus ſanctionem de immunitate Eccleſiarum in *l. pateant de his, qui ad Eccleſias confug. Cod. Theodoſ.* a Gothofrido recognito. 48

Septimò, inſuper tribus iſtis Imperatoribus, Gratiano ſcilicet anno poſt Chriſtum natum 383. Valentiniano 49

anno

anno 392. Theodoſio autem anno 395. vita functis, cùm piiſſimi Theodoſii filii Arcadius ætatis annum agens vigeſimum primum, & Honorius anno natus decem Imperium eodem anno ſuſcepiſſent, Arcadius natu major, parentis maxime pii inſiſtens veſtigiis, nihil prius habuit, quàm Eccleſiæ ſedulam curam, ac protectionem ſuſcipere, Chriſtianamque Religionem, fidemque Catholicam ſartam tectam ſervare, ac ſaluberrimis communire legibus. Nam mox in ipſo Imperii ingreſſu contra hæreticos graviſſimam tulit legem, atque ad Ruffinum Præfectum Prætorio in *l. 26. de hæretic. Cod. Theodoſ.* Anno Chriſti 395. menſe Martio in primis iſta reſcripſit.

Omnes pœnas, cuncta ſupplicia, quæ ſanctionibus divæ recordationis genitoris noſtri adverſus hæreticorum ſunt pertinaces ſpiritus conſtituta, noſtro etiam decreto reparantes decernimus. Quicquid etiam his eſt contra meritum delinquentium ſpe correctionis ſpeciali quadam ſanctione conceſſum id irritum eſſe. Eunomianorum verò perfidam mentem, & nequiſſimam ſectam ſpeciali commemoratione damnamus, ſtatuimuſque omnia, quæ contra illorum veſaniam decreta ſunt, illibata cuſtodiri, illud addentes, ne quis memoratæ ſectæ militandi, aut teſtandi, vel ex teſtamento ſumendi habeat facultatem, ut ſit omnibus commune damnum, quibus etiam communis eſt Religionis furor, ceſſante videlicet, ſi quid a patre noſtro quibuſdam fuerat ſuper teſtandi jure beneficio ſpeciali conceſſum.

Datum 3. Idus Martii Conſtantinopoli Olybrio, & Probino Coſſ.

50 Et rurſus ſubſequenti anno eorumdem petulantiam cùm illi procaciter accepta a Præfecto licentia ſe inferrent in urbem, cohibuit, dato ad Clearchum Urbi Præfectum adverſus eoſdem ejuſmodi reſcripto in *l. 30. de hæretic. Cod. Theodoſ.* quo & ipſe Præfectus puniendus eſſet. *Cuncti hæretici proculdubio noverint omnia ſibi loca hujus Urbis adimenda eſſe, ſive ſub Eccleſiarum nomimine teneantur, ſive quæ Diaconica appellantur, vel etiam Decanica, ſive in privatis domibus, vel locis privatis Fiſco noſtro adcorporandis. Præterea omnes Clerici hæreticorum ex Sacratiſſima Urbe pellantur, neque his finibus liceat convenire. Ad hoc iis interdicatur omnibus ad litaniam faciendam intra Civitatem noctu, vel interdiu profanis coire Conventibus. Statuta videlicet condemnatione centum librarum auri contra officium ſublimitatis tuæ, ſi quid hujuſmodi fieri in publico, vel in privatis ædibus concedatur.*

Datum 5. Non. Martii Conſtantinopoli Arcadio IV. & Honorio III. Coſſ.

51 Nec verò remiſſiori ſtudio Eccleſiæ protectionem geſſit Honorius. Nam ſtatim etiam patrocinii Eccleſiaſtici muniis Imperii ſui primordia conſecrans, nominatim Eccleſiæ ſervientibus protectionem deferri peculiari reſcripto præcepit, ſimulque omnia a prædeceſſoribus Imperatoribus Catholicæ Eccleſiæ collata privilegia anno ſalutis 395. cofirmavit *l. 29. de Epiſcop. & Cler. Cod. Theodoſ.* inſerta ad Hiericum ita reſcribens; *Quæcumque a parentibus noſtris diverſis ſunt ſtatuta temporibus, manere inviolata, atque incorrupta circa ſacroſanctas Eccleſias præcipimus. Nihil igitur a privilegiis immutetur, omnibuſque qui Eccleſiis ſerviunt, tuitio deferatur, quia temporibus noſtris addi potius reverentiæ cupimus, quàm ex his, quæ olim præſtita ſunt immutari.*

Datum 10. Kalendas Aprilis Mediolani, Olybrio, & Probino Coſſ.

52 Immò verò, ut idem certiſſimum Eccleſiæ Protectorem ſeſe oſtenderet, adverſus perturbatores Eccleſiarum, & inferentes injuriam in perſonas, ac loca ſacra capitale ſtatuit ſupplicium. Reſcriptum deſuper ab utroque Imperator datum a Sancto Gregorio Papa citatur, & in *Epiſtol. 53. lib. 11.* ad Joannem recitatur his verbis: *Arcadius, & Honorius Auguſti Theodoro Præfecto Prætorio. Si quis in hoc genus ſacrilegii proruperit, ut in Eccleſias Catholicas irruens Sacerdotibus, & Miniſtris, vel cultoribus ipſis, vel cultui ipſi, locoque aliquid importet injuriæ, quod geritur, a provinciæ rectoribus animadvertatur, atque ita provinciæ moderator Sacerdotum, & Clericorum, & Catholicæ Eccleſiæ miniſtrorum, loci quoque ipſius, & divini cultus injuriam capitalis in cunctos, ſeu confeſſos reos ſententiæ noverit vindicandam.* Et poſt pauca: *Sitque cunctis laudabile, factas atroces Sacerdotibus, aut Miniſtris injurias, veluti publicum crimen inſequi, atque de talibus reis ultionem mereri &c.*

Datum 6. Kalendas Maji, Mediolani Honorio Auguſto quater, & Eutychiano ter Coſſ. Ita apud D. Gregorium.

53 Sic idem Imperator Honorius anno ſubſequenti 401. immunitatem conceſſit Clericis, & Monachis, ad Pompejanum Proconſulem talem in modum reſcribens *l. 36. de Epiſcop. & Cleric. Cod. Theodoſ.* inſerta: *Quicumque Catholicæ Religionis Clericis inter eum modum, unde victus emendi, vendendique uſum lege prefinitum exercent, ab auraria penſione habeantur immunes. Ab his quoque, quos a publici laboris actu, & gradus clericatos, & quod non minus eſt, ſanctior vita defendit, præcipimus temperari, nec etiam ullum eorum, qui excepti legibus probabantur, ſubjacere patimur injuriæ &c.*

Datum prid. Id. Julii Mediolani poſt Conſulatum Stilichonis, & Aureliani VV. CC.

Hæc ſcribens pro Catholicis tantùm Africanæ Eccle- 54
ſiæ Imperator, tacitè admonitos voluit Donatiſtas, ut alienos ab Eccleſia, ab Imperatore rejectos haberi, ut ita ea vexatione tributorum ad mentem integram redire deberent. Quod verò iiſdem, quibus Clericos privilegiis frui voluit eos, *quos*, inquit, *ſanctior vita defendit*, eſſe Monachos intelligendos, omnes puto conſentient. Pluſque adjecit Imperator præcitatis legibus, alia etiam pro rebus, ac perſonis Eccleſiaſticis reſcripta in *C. Theodoſ. ſub legib. 40. & 41. eod. tit.* ne ſcilicet bona Eccleſia tica diverſis aliis, præter canonicam penſionem, teneantur obligata muneribus, neve Clerici apud aljos Judices, quàm Epiſcopo, judicio poſtulentur. Voluit enim Honorius Eccleſiaſticum judicium Epiſcopis in omnibus illibatum ſervari, & ut ſacroſanctum inviolatum cuſtodiri. Ipſa reſcripta omitto. Qui ea legere ambit, ad fontes ipſos recurrat.

Ut tamen penitus de ſolicita hujus Imperatoris in 55
Eccleſiam Romanam protectione conſtet, prætermittere non poſſum, quin in plenam protectionis probationem epiſtolas huic argumento in primis inſervientes his attexam, quas nimirum anno 419. Bonifacius Pontifex eo tempore Romanus, ad Imperatorem optimum ſcripſit, & hic contra ad eumdem reſcripſit, quæ ita ſe habent.

Bonifacius Epiſcopus Honorio Imperatori. Eccleſiæ me, cui Deus noſter Sacerdotium meum, vobis res humanas regentibus, deputavit, cura conſtringit, ne cauſas ejus, quamvis adhuc corporis commoditate detinear, propter conventus, qui Sacerdotibus univerſis, & Clericis & Chriſtianæ plebis perturbationibus agitantur, apud aures Chriſtianiſſimi Principis deſint. Si quidem ſecus, quàm oporteat eveniat, non vos id facere, qui cuncta æqua moderatione componitis, ſed nos per noſtram tacentem deſidiam videbimur, quid civitatis quietem Eccleſiæ pervertere valeat, admiſiſſe. Cùm enim humanis rebus divinæ cultor Religionis, Domino favente, præſideas, noſtra culpa erit, ſi non id ſub veſtra gloria, quam certum eſt divinis ſemper rebus animo promptiore faviſſe, firmo, ac ſtabili jure cuſtodiatur, quod per tot annorum ſeriem, & ſub illis etiam Principibus obtinuit, quos nulla noſtræ Religionis cura conſtrinxit, ideſt, ut fidens utar licitis, ut ſub veſtræ imperio clementiæ minimè quæ ſunt illicita formidantur. Ipſa enim Eccleſia devotionem tuam, chriſtianiſſime Imperator, meo quidem ſermone, ſed ſuo venerabili appellat affectu, quam Chriſtus Deus veſter noſtri fidus victor, & gubernator Imperii, uni deſponſatam ſibi, & intactam virginem ſervat, ne in eam aliquos inſidiantium procellarum fluctus illidi, & quietam faciem tempeſtatis inſolitæ rumore turbari contingat, glorioſiſſime, & tranquilliſſime Imperator Auguſte.

Ipſa ergo, quæ uni deſponſata, veſtra tamen mater eſt, Eccleſia, hac pietatem veſtram legatione, quam ſuis Sacerdotibus commiſit, appellat, præterita, præſentiaque repetit. Vobis, inquit, glorioſè imperantibus crevit meus, qui modò tuus eſt, populus, tam fidus Deo, quàm tibi, qui es Princeps Chriſtianus. Ecce enim inter ipſa myſteria, inter preces ſuas, quas pro veſtri felicitate dependet Imperii, teſte apud quem, & de cujus Sede agitur, Sancto Petro, ſolicitis pro Religionis obſervantia vocibus clamat, cum ſolicita petitione miſcetur oratio, ne hos, varias in res ſemel effuſa diſtrahat a cultu ſolito, tentatore ſolicitante, diſcordia. Angeretur pluribus, Princeps Chriſtianiſſime, mater Eccleſia, niſi apud te ſuarum eſſet ſecura cauſarum, & niſi in oppreſſionibus idolorum, in hæreticorum correctionibus, fide tua divino cultu pariter cum imperio ſemper florente viciſſet. Habet refugium, pium tuæ manſuetudinis animum, cum ſuæ Religionis veneratione conjunctum, cum quicquid huic proficiat, vos agatis, & conferatis fratribus, & conſacerdotibus meis probatiſſimis viris, a me, & ab omnibus, qui Eccleſiam faciunt, hujuſmodi legatis, quibus precamur. Sacræ cauſam Religionis perſequentibus, in urbe veſtræ manſuetudinis, hoc animo, quo poſtulatis annuitis, in perpetuum ſtatum Univerſalis Eccleſiæ conſulatis. Datum Kalendis Julii.

His

56 His Bonifacii literis perceptis Honorius Imperator eidem hunc in modum respondit : *Victor Honorius , inclytus triumphator , semper Augustus Sancto , & venerabili Bonifacio , Papæ urbis æternæ . Scripta beatitudinis tuæ debita reverentiæ gratulatione suscepimus , quibus recensitis egimus omnipotenti Deo maximas gratias , quod sanctimoniam tuam post longum incommodum optatæ redditam didicimus sanitati , & ideo reverentibus venerabilibus viris gaudium nostrum sacrorum apicum attestatione signamus , ac petimus , uti quotidianis orationibus Apostolatus tuus , studium , ac votum suum , circa salutem , atque Imperium nostrum dignetur impendere . Illud autem pietati nostræ satis placitum esse cognosce , quod sanctimonia tua de Ecclesiarum , aut populi perturbatione solicita est , quæ , ut ne aliqua ratione possit evenire , satis clementia nostra credit esse provisum . Denique beatitudine tua prædicante , id ad cunctorum Clericorum notitiam volumus pervenire , ut si quid forte Religioni tuæ , quod non optamus , humana sorte contigerit , sciant omnes ab ambitione esse cessandum . At si duo contra fas temeritate certantes , fuerint ordinati , nullum ex his futurum penitus sacerdotem , sed illum solùm in Sede Apostolica permansurum , quem ex numero Clericorum nova ordinatione divinum judicium , & universitatis consensus elegerit . Unde id observandum est , ut omnes tranquillam mentem , & pacificos animos ex serenitatis nostræ admonitione custodiant , nec aliquid seditionis conspirantibus , tentare conentur , cùm certum sit , nulli partium sua studia profutura .* Hæc Honorius ad Bonifacium , de futura Sede vacante solicitus .

57 Octavò, præterea humanis exempto Arcadio , postquam Theodosius ejusdem filius cum Honorio patruo Imperii habenas suscepit , exemplo majorum singularem etiam sese exhibuit hominum Ecclesiasticorum Protectorem , ac cultorem , attestante id Socrate *hist. lib. 7. cap. 22.* ubi inter alia scribit, Theodosium adeo pium fuisse , *ut omnes Dei Sacerdotes honorificè coluerit , ac protexerit* . Hinc etiam rectè Baronius ad annum 423. *num. 3. & 4.* attestatur , Theodosium proinde Imperium defendisse , tuendo Ecclesiasticam Immunitatem, & Religionem . Cui rei testimonio est ipsius Theodosii ad Acacium Beræcensem Antistitem , & alios Orientis Coepiscopos , & Anachoretas anno 432. data epistola, quæ extat apud Concilium Ephesinum *edit. Pelt. to. 5. cap. 10.* quæ est hujusmodi .

58 *Nihil omninò eorum omnium a nobis est prætermissum , quæ Religionis Christianæ causa nostro studio effici debuerant . Atque hoc ipsum Sanctitas vestra cum a Joanne , piissimo Ecclesiæ Antiochenæ Episcopo , tum a cæteris quoque sanctis Episcopis , qui apud illum versantur , dilucidè cognoscere poterit . Acciderunt autem nonnullæ inter quosdam circa Religionis negotium difficultates , & controversiæ , quas quidem è vestigio de medio tollere , & abolere exoptabamus , verum negotiorum magnitudine , & multitudine impediti , quod volebamus , & conabamur , conficere non valuimus . Certa nihilominus , fixaque stat sententia , ab hoc conciliandæ pacis studio non prius desistere , quam misericors Deus vestris intercedentibus precibus , Ecclesiis unionem , & pacem restituere dignabitur . Decet proinde vestram sanctitatem omni diligentia , studio , ac contentione hæc a Deo deposcere , vosque probatos Romanæ Religionis Sacerdotes esse manifesto argumento declarare .* Hactenus Theodosius ad Acacium, & alios , ut habet inscriptio, aliarum Provinciarum Episcopos , & Solitarios .

59 Quod verò ad hanc Theodosii Augusti epistolam spectat , velim nomenclaturam observet alienus a Religione Catholica Romana lector , qua Imperator fidem Catholicam propriori vocabulo *Romanam Religionem* appellat , propriori , inquam , quoniam dicendo tantùm fidem Catholicam , cùm omnes ferè hæretici eam apud se esse profiteantur, haud facilè illos distingues eo nomine , dum agitur cum ipsis , a veræ pietatis cultoribus , secus autem voce illa *Romanæ Religionis* , quæ peculiaris, & propria est orthodoxorum .

60 Nonò , postquam Valentinianus III. Theodosii hujus ex Sorore Placidia nepos , ab eodem anno post natum Christum 425. Augustus appellatus , imperii coronam accepisset , tanquam verus etiam Ecclesiæ Protector , non minus ac alii hactenus enarrati Imperatores , pro acceptis a Deo insignibus, pias valdè edidit sanctiones , quibus concessa Ecclesiis privilegia illibata esse voluit , ea de re ad Bassum Comitem rerum privatarum sequentem in modum rescribens *l. 47. de Episc. & Cleric. Cod. Theodos. Privilegia Ecclesiarum omnium , quæ seculo nostro tyrannus invaderat , prona devotione revocamus , scilicet ut quidquid a divinis Principibus constitutum est , vel quæ singuli quique Antistites pro causis Ecclesiasticis impetrarant , sub pœna sacrilegii jugi solidata æternitate serventur . Clericos etiam , quos indiscretim ad seculares Judices debere deduci , infaustus præsumptor edixerat , Episcopali audientiæ reservamus . Fas enim non est , ut divini muneris ministri temporalium potestatum subdantur arbitrio &c.*

Datum 8. Idus Octobris Aquilejæ D. N. Theodosio A. XI. & Valentiniano Cæs. Coss.

Ut autem Urbis Roma ab omnium hæreticorum illu- 61
vie purgaretur , idem Imperator adversus eosdem ejusmodi promulgavit edictum *l. 61. de hæret. Cod. Theodos. Manichæos hæreticos , schismaticos , omnemque sectam Catholicis inimicam ab ipso aspectu Urbis Romæ exterminari præcipimus , ut nec præsentiæ criminosorum contagione fœdentur . Circa hos autem maximè urgenda commotio est , qui pravis suasionibus a venerabilis Papæ sese communione suspendunt , quorum schismate plebs etiam reliqua vitiatur . His conventione præmissa viginti dierum condonavimus inducias , intra quos , nisi ad communionis redierint unitatem , expulsi usque ad centesimum lapidem solitudine , quam eligunt , macerentur .* Dat. 6. Kalend. *Augusti Aquilejæ . Theodosio A. XI. & Valent. Cæs. Coss.*

Sequenti verò mense de iisdem ad Proconsulem Af- 62
ricæ ejusmodi rescriptum dedit *l. 63. Cod. eod. omnes hæreses omnesque perfidias , omnia schismata , superstitionesque Gentilium , omnes Catholicæ legis inimicos infectamur errores . Si quos verò hæc quoque clementiæ nostræ statuta pœna comitetur & noverint sacrilegæ superstitionis authores , participes consocios præscriptione plectendos , ut ab errore perfidiæ , si ratione trahi nequeunt , saltem terrore revocentur , & universo supplicationum aditu in perpetuum denegato criminibus debita severitate plectantur , &c. Dat. prid. non. Augusti Aquilejæ D. N. Theodos. A. XI. & Valentiniano Cæs. Coss.*

Idem quoque Valentinianus , cùm Theodosius Im- 63
perator ab Eutychete , atque Dioscoro deceptus , & in transversum actus , Flaviani Episcopi Constantinopolitani injustam damnationem ratam habuisset , & nonnulla etiam quoad fidem minus rectè agerentur , in Synodo Ephesina ad eumdem pro defensione , & pro Romano Pontifice , tanquam egregius Romanæ Ecclesiæ Protector , sequentem in modum scripsit .

Domino meo Theodosio , gloriosissimo Victori , ac Triumphatori perpetuo , Imperatori , & Patri Valentinianus gloriosus Triumphator semper Augustus , & filius . Cùm advenissem in Urbem Romam ad divinitatem placandam , sequenti die ad Basilicam Apostoli Petri processi , & illic post venerabilem noctem diei Apostoli , & a Romano Episcopo , & ab aliis cum eo ex diversis Provinciis congregatis rogatus sum scribere vestræ mansuetudini de fide , quæ cùm sit conservatrix omnium animarum , dicitur perturbata , quam nos a nostris majoribus traditam , debemus cum omni competenti devotione defendere , & dignitatem propriæ venerationis Beato Apostolo Petro intemeratam , & in nostris temporibus conservare , quatenus beatissimus Romanæ Ecclesiæ Episcopus , cui Principatum Sacerdotii super omnes antiquitas contulit , locum habeat , ac facultatem de fide , ac Sacerdotibus judicare , Domine Sanctissime Pater , & Venerabilis Imperator . Hæc enim gratia secundùm solemnitatem Conciliorum , & Constantinopolitanus Episcopus eum per libellos appellavit propter contentionem , quæ orta est de fide .

Huic itaque postulanti , & juranti salutem nostram communem annuere negavi , quatenus ad tuam mansuetudinem meam petitionem ingererem , ut prædictus Sacerdos congregatis ex omni Orbe etiam reliquis Sacerdotibus intra Italiam , omni præjudicio summoto , a principio omnem causam , quæ vertitur solicita probatione cognoscens , sententiam ferat , quam fides , & ratio vestræ divinitatis expostulat . Non debet enim nostris temporibus contra Religionem turbatam petulantia prævalere , dum incommota fides hactenus fuerit conservata . Ad perfectionem verò agnitionem vestræ dignitatis direximus etiam gesta , per quæ desideria , & acclamationes omnium pietas vestra cognoscat . Extant hæ litteræ *tom. 1. Conciliorum ante Chalc. Conc.*

Decimò insuper , cùm post defunctum Theodosium 64
Imperii Romani Scepturum Martiano anno scilicet 450. delatum fuisset , is etiam , tanquam verus Ecclesiæ Protector nihil antiquius habuit , quam dissipatam Ecclesiam Romanam adhibito in consilium Leone Papa , synodoque universali indicenda componere , uti ipsemet Imperator in sermone ad Episcopos in Concilio Chalcedonensi *Act. 1.* habito, dilucidè testatur , cujus hoc est initium .

Ubi primum divino judicio ad Imperium sumus electi , inter tantas necessitates Reipublicæ nulla nos magis causa constrinxit , quàm ut Orthodoxa , & vera fides christiana ,

quæ

quæ ſancta, atque pura eſt, indubitata omnium animis inſideret, & cætera, quæ recitat Baronius ad *annum* 451. Deindè ejus in tuenda fide Catholica ſtudium ardentiſſimum ex eo etiam comprobatur, quod ſimul, ac in Imperium electus eſt, recens obortos Eutychianos hæreticos graviſſima in eos promulgata ſanctione, quæ eſt ultima in *Cod. Juſtin. de Apoſtat.* reprimere ſtuduit. Ea lex ita ſancit: *Eos qui Catholicarum Eccleſiarum Clerici, vel Orthodoxæ fidei Monachi, relicto veræ Orthodoxæ Religionis cultu, Apollinaris, vel Eutychetis hæreſim, & dogmata abominanda ſecuti fuerint, omnibus pœnis, quæ Superioribus legibus adverſus hæreticos conſtitutæ ſunt, jubemus teneri, & extra ipſum ſolum Romani Imperii repelli, ſicut de Manichæis præcedentium legum ſtatuta ſanxerunt. Dat. Kalend. Auguſti Valentiniano VII. & Avieno Coſſ.*

65 Rurſum verò eodem ſui Imperii exordio idem Martianus ad præcipuum Eccleſiæ viſibile caput convertens oculos, ejus nutu cuncta agere ſtatuens animo ad S. Leonem, Romanum Pontificem, has litteras dedit ante Concilium Chalced. *tom.* 1. Conciliorum: *Ad hoc maximum Imperium venimus Dei providentia, & electione Senatus excellentiſſimi, cunctæque militiæ; Unde pro reverenda, & catholica Religione chriſtianæ fidei, cujus auxiliis virtutem noſtræ potentiæ confidimus gubernari, tuam ſanctitatem principatum in Epiſcopatu divinæ fidei poſſidentem, ſacris litteris in principio juſtum credimus alloquendam, invitantes, atque rogantes, prout firmitate, ſtatuque noſtri Imperii æternam divinitatem tua ſanctitas deprecetur, ut tale propoſitum, atque deſiderium habeamus, quatenus omni Imperio, errore ſublato per celebrandam ſynodum, te auctore, maxima pax circa omnes Epiſcopos fidei catholicæ fiat, ab omni ſcelere pura, & integerrima conſiſtens, Actu Conſtantinopoli Conſulatus Valentiniani perpetui Auguſti.*

66 Quod ipſum etiam manifeſtè edocet ejuſdem Martiani fragmentum ſanctionis de Eccleſiarum privilegiis in Juſtinianeum Codicem illatum *l.* 12. *Cod. de Sacroſanct. Eccleſ.* his verbis: *Imperatores Valentinianus, & Martianus Augg. Palladio Præfecto Prætorio. Privilegia, quæ Generalibus Conſtitutionibus univerſis Sacroſanctis Eccleſiis Orthodoxæ Religionis retrò Principes præſtiterunt, firma, & illibata in perpetuum decernimus cuſtodiri. Omnes ſanè pragmaticas ſanctiones, quæ contra Canones Eccleſiaſticos interventu gratiæ, vel ambitionis elicitæ ſunt, ſuo robore, & firmitate vacuatas eſſe præcipimus. Et quia humanitatis noſtræ eſt, egenis proſpicere, ac dare operam, ut pauperibus alimenta non deſint, ſalaria etiam, quæ Sacroſanctis Eccleſiis in diverſis ſpeciebus de publico hactenus miniſtrata ſunt, jubemus nunc quoque inconcuſſa, & a nullo prorſus imminuta præſtari, liberalitatique huic promptiſſimè perpetuam tribuimus firmitatem. Dat. Ætio, & Studio Coſſ.*

67 Quam quidem legem, ut dicamus a Martiano potius, quàm a Valentiniano ſancitam, cùm utriuſque Imperatoris habeat nomina inſcripta, Præfecti Palladii nomen, ad quem data eſt, Martiani eſſe, neceſſariò fateri admonet. Etenim ipſe Conſtantinopoli gerebat præfecturam, ut ex *Novellis* ejuſdem Martiani Imperatoris apparet.

68 Denique ne plura de hujus Imperatoris Martiani egregiè perfuncta protectione conſecter, haud illi ſatis viſum fuit, fidei Catholicæ ſe exhibuiſſe protectorem, ſed & perſonas etiam Eccleſiaſticas priſtinæ reſtitui voluit jurium libertati, antiquatis legibus illis adverſus libertatem Eccleſiaſticam, ab aliis Imperatoribus antea promulgatis, quibus & interdicebatur Clericis, ne quid ex teſtamento relictum a viduis caperent. Itaque iſta ad Palladium Præfectum Prætorio Martianus *Novell. tit.* 5. reſcripſit.

Sæpè materiam ſcribendis, ferendiſque legibus negotia inopinato exorta, ſuppeditant, & aut novas conſtitui ſanctiones, aut durius, & aſperius latas faciunt abrogari. Æqualis enim in utroque æquitas eſt, vel promulgare, quæ juſta ſunt, vel antiquare, quæ gravia ſunt. Nuper cùm de teſtamento clariſſimæ memoriæ Hipatiæ, quæ inter alios virum Religioſum Anatolium presbyterum in portione manifeſta bonorum ſuorum ſcripſit hæredem, ampliſſimo Senatu præſente, tractaret pietas mea, & dubium videretur, ac veræ eſſe deberent hæ voluntates viduarum, quæ teſtamento ſuo aliquid his Clericis relinquunt, quiſub prætextu Religionis hujuſmodi fœminarum domos adeunt, cùm lex divæ memoriæ Valentiniani, & Valentis, Gratiani Eccleſiaſticos, vel eos, qui ſe continentium volunt nomine nuncupari, nihil quacumque liberalitate viduarum extremo judicio permittat adipiſci, contra verò hæc divæ memoriæ Valentiniani, Theodoſii, & Arcadii Conſtitutio legeretur. Inſpicientibus, & affirmantibus nobis latoris animum, viſum eſt, juſta, ac rationabili pœnitentia priorum Conſtitutionum vigorem antiquare voluiſſe. Nam cùm in prima lege viduarum tantummodò mentio facta ſit, in ſecunda autem tantummodò diaconiſſarum, intelligitur, eam Conſtitutionem, quæ viduarum, & diaconiſſarum meminit, de lege utraque dixiſſe.

Quod cum de voluntate latoris, & de ſanctione legis nobis videretur, univerſum teſtamentum nobis juſſimus relegi, atque replicari, & cùm apertum fuiſſet, alias quoque partes ejuſdem voluntatis ita juſtè, ac prudenter inſtitutas, ut nullum benè de ſe meritum neglexerit, multa Sacroſanctis Eccleſiis, multa pauperibus, multa Monachis Religionis intuitu, multa captivorum redemptioni, commota miſerabili eorum ſorte, contulerit, multa libertis ſuis eadem latorum ſibi obſequiorum contemplatione præſtiterit; alteram quoque partem inſtitutionis, in qua Anatolium presbyterum reliquit hæredem, advertimus ordine fuiſſe diſpoſitam. Ea enim mobilia, quæ plurimis juſtè, ac piè reliquit, per hunc voluit univerſa compleri, ut non ſolùm hæredis, ſed etiam diſpenſatoris fungatur officio. Ideòque hujuſmodi clariſſimæ memoriæ Hypatiæ voluntate etiam in ea parte, qua Anatolium presbyterum inſtituit hæredem, mea authoritate firmavi.

Sed ne in poſterum, vel ex prioribus Conſtitutionibus, 69
quarum fecimus mentionem, & quas nunc præcipio penitus abrogari, vel ex præſentis negotii dubitatione aliquid fortè relinquatur ambiguum, ſecuritati, vel fiduciæ morientium providentes, generali, perpetuoque victura hac lege ſancimus, ut ſive vidua, ſive diaconiſſa, ſive virgo, Deo dicata, vel Sanctimonialis mulier, ſive quocumque alio nomine religioſi honoris, vel dignitatis fœmina nuncupetur, teſtamento, vel codicillo ſuo, quod tamen alia omni juris ratione munitum ſit, Eccleſiæ, vel martyrio, vel Clerico, vel Monacho, vel pauperibus aliquid vel ex integro, vel ex parte in quacumque re, vel ſpecie crediderit relinquendum, id omnibus modis ratum, ſignatumque conſiſtat, ſive hoc inſtitutione, ſive ſubſtitutione, ſive legato, aut fidei commiſſo per univerſitatem, vel ſpecialiter, ſive ſcripta, ſive non ſcripta voluntate fuerit relictum, omni in poſterum de ejuſmodi negotio, ambiguitate ſummota: donationibus etiam, vel qualibet liberalitate tàm viduarum, quàm diaconiſſarum, ſive virginum, quæ Deo dicatæ ſunt, vel Sanctimonialium quæcumque in Eccleſiam, vel martyrium, vel Clericum, vel Monachum, vel pauperes collata fuerint, pari robore firma eſſe præcipio, Palladi, parens chariſſime Auguſtorum Illuſtris igitur; & magnifica authoritas tua, ea, quæ generali legis hujus ſanctione decrevi, edictis ex more propoſitis ad omnium notitiam faciat pervenire. Dat. 10. *Kalend. Maji Conſtantinopoli, Anthemio viro clariſſimo Conſule.*

Undecimò, poſtquam Martianus ab amicis Ætii, 70
dolo Maximi cujuſdam Senatoris ex ſtirpe illius Maximi Tyranni, ut ſcribit Procopius de *bello Vvandalico lib.* 1. quem Theodoſius è medio ſuſtulit, occiſus, atque Leo Tribunitius, Thrax ipſe quoque genere, anno humanæ ſalutis 457. Imperator Romanorum ſalutatus fuit, ſtatim ad eum Sanctus Leo Romanus Pontifex literas ex more gratulatorias dedit, hortatuſque eſt ad protectionem ejus, quam unà cum Imperio acceperat a prædeceſſore Martiano Auguſto, fidem Catholicam, defenſionemque Chalcedonenſis Concilii, quod tantoperè hæretici cum in Ægypto, tum in Palæſtina labefactare conati ſunt. Leo Auguſtus igitur tanto exitatus claſſico, licèt ſpontè curreret, vehementius tamen, in opus fertur. Quamobrem nihil & ipſe antiquius habuit, quàm fidei orthodoxæ conſulere, & quibus eam valeret viribus obfirmare, atque ſolidius ſtabilire. Ad id præſtandum ſalubre illud conſilium iniit, ut ſanctionem ampliſſimam ederet, qua ſignificaret, ſe confirmare omnia a prædeceſſoribus Imperatoribus adverſus hæreticos promulgata decreta, atque in primis, quæ pro firmitate Chalcedonenſis Concilii haud pridem a Martiano Auguſto ſancita, fuiſſent edita.

Adjecit poſtea, ut ad Metropolitanos omnes Orien- 71
tales literas daret, quibus reliqui pariter admonerentur Eccleſiarum minores Epiſcopi, ut cujus eſſent fidei redditis literis facerent manifeſtum, ex quo alterum de duobus efficeretur, ut vel in hunc modum calculo omnium Orthodoxorum iterùm ipſorum confeſſione Chalcedonenſe Concilium firmaretur, & proindè ac præſentes eſſent in Synodo ſua ſcriptione fidem Catholicam communirent, vel ex hoc, qui eſſent hæretici palam fierent, detectique tum ſententia Epiſcoporum, tum etiam legibus Imperatorum è gradu, ſedeque protinus pellerentur. Horum omnium fidem faciunt literæ Alexandrinorum, & Ægyptiorum Orthodoxorum ad ipſum Leonem Imperatorem poſtea redditæ, extantes inter epiſtolas illuſtrium perſonarum pro Concilio

cilio Chalcedonensi *tom. 2. Concilior.* in quartum exordio ista narrantur.

A suprema gratia modo divinitus confortatus, juste non cessas pro communi utilitate cogitare, post Deum cunctorum venerabilis Imperator. Quapropter etiam omnis fortitudo verborum suis vincitur actibus, quibus divinitas exornatur, & verba ad hoc eis necessaria non sunt, quibus opera facere noscuntur judicium. Nuper enim electus a Deo, & purpura exornatus optimum judicasti propositum tuum magnum ostendere, quem ipse omnium Creator elegit benignis initiis largitorem remunerando honorum, quando repente in ipso principio voce vestra ex scripto procedente piissima ad Sanctissimos Metropolitanos Episcopos infrangibilem Ecclesiæ Catholicæ crepidinem roborastis, & priorum omnium piissimorum Principum constituta pro Orthodoxa Religione firmastis.

Insuper & iis, quæ nuper a sanctæ memoriæ Martiano Principe nostro sancita sunt consona decernentes, nihil aliud estis mercati, quam pacem omnium, & stabilitatem Reipublicæ frænantes linguas eorum, qui adversus Ecclesias Christianas consurgunt, & blasphemant Deum, aut in eum quocumque modo delinquunt. Injuria namque Dei manifesta est hæreticorum abscindentium semetipsos a rectæ fidei sententia. Quapropter hanc optime scientes, venerabilis Imperator, maligni prolem existere, insidiantis quieti Sanctarum Christi semper Ecclesiarum, eamque immutilatam pacem consistere non sinentis, rectè providentiam tuam studuisti mox adhibere, ei per omnia resistentem, quod est opus piissimorum Principum, pro Orthodoxa fide pugnantium, & resistentium primitus malis extrinsecus venientibus, & animabus fidelium adversantibus.

72 Hæc de institutione Leonis Imperatoris ipso Regni sui exordio fidem Catholicam confirmantis, optimique Principis specimen edentis, hic poteris relinquentis exemplum Imperatoribus, quodnam tantæ molis regimini debeant subjicere fundamentum, ut sit ab omni hostium turbine inconcussa, atque stabilis permansura.

73 Nec minus etiam ardens Leonis Imperatoris in defendendis Ecclesiis studium indicat sanctio ejus de Ecclesiastica Immunitate servanda ad Eurythrium data, ad quam cùm extet *l. 6. C. de his, qui confug. ad Eccl.* eò lectorem remittimus.

74 Eo autem tempore, præter Imperatores, alios etiam peculiares extitisse Ecclesiarum Protectores, atque defensores, verba ejusdem legis apertè innuunt. In eadem enim *sub §. 2.* incip. *quod si finibus*, ibi, *Religiosus Oeconomus, seu defensor Ecclesiæ*. Et rursus *in §. 6.* incip. *quod si hoc facere* i his verbis, *studio, & providentia viri Reverendissimi Oeconomi, sive defensoris Ecclesiæ diligentia.*

75 Quod autem antiquitus Protectores Ecclesiarum, œconomi etiam dicti fuerint, testatur Nicol. Camurat. his verbis: *Advocati antiquitus Ecclesiis, & Cœnobii a Regibus præficiebantur, erantque tanquam procuratores, œconomi, & administratores Ecclesiasticorum proventuum, &c.* Cùm ergo textus in prædicta *l. 6.* manifestò indicet, temporibus prædicti Leonis Imperatoris, & sic plusquam trecentis annis ante Pipinum, & Carolum Magnum certos Ecclesiarum Protectores extitisse, certum est.

76 Remanserunt denique ejusdem Leonis Imperatoris egregia pietatis monumenta in pluribus Religionibus ab eo editis sanctionibus, nec non in sacris ab ipso erectis ædibus, ut inter alias, quam pro Clericis, & Monachis *in l. 33. C. de Episc. & Cler.* sanxit, ne ad sæcularia judicia traherentur, & aliæ ad eorumdem bona spectantes. Illæ etiam adhuc extant, quibus Sanctas Ecclesias, & domos hospitales Constantinopolitanæ Civitatis privilegiis honestavit *l. 36. C. eod. tit.*

77 Duodecimò, postquam Leo Imperator inter vivos esse desiit, subsequutus duobus Cæsaribus, Zenone, cujus Imperium septemdecim annos duravit, & Anastasio, qui annis viginti septem regnavit, quorum uterque hæreseos contagione conspersus fuit, hic quidem verus simulator Orthodoxæ Religionis, sub iis, inquam, protectio Ecclesiastica aliquot annorum curriculo nonnihil quievit, & neglecta jacuit, miserandusque Christianæ Reipublicæ status extitit, universo Orbe hæreticorum dominiis subjecto, Italiam namque, Urbemque Romam Herulorum Rex Odoacer Arianus in potestate habebat, qui eamdem mutato nomine a se Odoacriam deodminavit, Sebast. Munster. *Cosmograph. lib. 3. de Italia.* Sic quidem Romanum Imperium in universum sublatum, & oppressum, defecit circa annum Christi 471. Odoacer enim in Urbe Roma Regni Sedem constituens, in eadem annos quatuordecim dominatus est, idque tanta cum potentia, tantisque viribus, ut nullis Zenonis, Imperatoris Constantinopolitani, vel consiliis, vel armis ejici potuerit. Hallius itidem Princeps Burgundiones, & Gotti, iidemque Ariani, & Franci adhuc gentiles partiti erant. Hispania pariter Gothos, Arrianos dominos patiebatur, Africæ etiam Genericus, dirus tyrannus Arrianusque, & Ecclesiæ persequutor infestissimus præerat, Vict. *de persequut. Vandal. lib. 1.* Universum verò Orientale Imperium Zenonem, & post ipsum Anastasium Eutychianos hæreseos simulata perfidia substinuit, Baronius *ad ann. 476. n. 6.*

Decimotertiò, postquam extinctis istis Ecclesiæ Catholicæ hostibus, magis, quàm Protectoribus, anno post natum Christum 518. Justinus ad Imperii fastigium evectus est, sub eo neglecta aliquot annorum interstitio protectio Imperatoria, magnoperè rursus effulsit, uti rei argumento sunt literæ ab Hormisda Pontifice Maximo ad eumdem anno 519. missæ, quæ extant *tom. 1. epist. Rom. Pontif. epist.* 34. quarum hoc est initium. 78

Hormisda Episcopus Justino Augusto. Sumptum de Imperii vestri ortu lætitiam, quamvis apud nos pollentem merito præcedenti quoque geminastis alloquio, reciproca devotione testati jam tum sequutura providimus, quæ nunc de Ecclesiasticæ unitatis affectu cœlestis gratiæ inspirante significasti. Habes ergo, clementissime Imperator, præsentem de tali voto jam gloriam, sed expectatur de perfectione perpetua. Hæc sunt validissima Imperii vestri fundamenta, quæ in ipso nascentis Regni vestri principio, divinam universis præferunt sancta dispositione culturam. Tenete itaque hanc piæ sollicitudinis curam, & pro Catholicorum pace, sicut cœpistis, insistite, quia Deus noster, qui vobis hunc tribuit animum, eligit etiam, per quos præstet effectum. Nam & Episcoporum vota, precesque nobis effusas gratanter amplectimur, qui tamen loci sui consideratione communiti ea desiderent, quæ dudum ut sequi vellent, Sedis Apostolicæ exhortatio crebra non defuit. Et quoniam clementiam vestram id cupere, illos etiam hæc didicimus postulare, quæ res hactenus Ecclesiarum pacem sub contentiosa obstinatione diviserit, nec pietatis vestræ, nec illorum refugit, velut latenti causa, notitiam.

Quid igitur facere debeant, & literis vestris, & libelli, quem direximus serie continetur. Hæc si Deo nostro, & clementia vestra adjuvante susceperint, & sequuntur, poterit ad eam, quam maximo desideramus ardore, perveniri concordiam: Filius præterea noster V. C. Gratus, Sacri Consistorii Comes, & Magister Scrinii memoriæ ostendit in se vestrum allegationis suæ maturitate judicium, cujus mora sensibus vestris, eo referente, melius asseretur. Hæc ad Justinum Hormisda.

Contestantur etiam Justini Imperatoris susceptæ in Ecclesiam, ac Religionem protectionis pium affectum, ea quæ idem Summus Pontifex ad eumdem Imperatorem dicto anno elegantissimè præscripsit. Earumdem literarum ex Codice Vaticano Cardinalis Baronius depromptarum, atque ab anno 519. insertarum verba, quibus laudabile amplexæ a Justino protectionis Christianæ institutum comprobatur, ita habent. 79

Hormisda Justino Augusto. In tantum pro gratia divinitatis gloriæ vestræ famam constat extensam, & ita vos, suffragante vitæ merito, laudabiliter mundo contigit innotescere, probatissimorum hominum opinione vulgante, ut super vos potius credatur dilatatum culmen Imperii, quam per Imperium vos aliquid dicat agnosci. Certum est quidem hujusmodi protectione vestra pristino splendori accessisse decoris cumulum. Sed sicut tenuistis olim moribus principatum, sic cum vos per ora gentium impatiens secreti magnitudo detulerit, ad nos quoque sicut mysticè loquuntur scripturæ, testimoniis suavitatis vestræ advenit, &c.

Nec verò censendum est Imperatori Summum Pontificem iis verbis esse blanditum. Is enim, ut ardentissimus Cleri protector ac fidei Catholicæ non defensor modò, sed etiam restaurator vigilantissimus, primo statim Imperii sui anno gravissimum promulgavit edictum, quo jubebantur exules omnes fidei causa sub Anastasio condemnati, ad propria postliminio redire debere, pristinosque gradus, atque honores recipere, subrogati verò in ipsorum locorum hæretici procul pelli, aliisque pœnis exagitari. Insuper addidit, ut lege pariter confirmaret Sacrosanctum Chalcedonense Concilium, juberetque ipsum in Sacras inferi tabulas, & ab omnibus observari, utque pax tutissima omnibus Ecclesiis redderetur. At licèt non extet ipsum quidem edictum, mentio tamen ejus habetur in actis magni Sabæ. 80

Mox etiam idem, qui zelo Catholicæ fidei æstuabat, Catholicus Imperator, post promulgatum primum edictam pro fide Catholica, ejusque cultoribus, secundum adjecit, quo exagitavit Severianos hæreticos, vel alios Ecclesiæ Catholicæ perduelles, dum vetuit, ne hæretici fungi publicis muneribus possent, ab omnique 81

nique essent militia alieni. Non extat ipsum quidem, verùm ejus meminit Justinianus in Constitutione a se sancita adversus omnes hæreticos, ubi cavit, ne dotalia privilegia hæreticis mulieribus prodessent.

82 Decimoquintò, cùm deinceps Justinus morbo, senioque gravatus Justinianum ex sorore nepotem anno Dominicæ Incarnationis 527. Imperii successorem delegisset, eumdem Avunculi seu exempla nihil eorum, quæ ad Ecclesiæ, fideique Catholicæ tuitionem spectarunt, misisse, notorium faciunt ea, quæ eo imperante, Joannes Ecclesiæ Romanæ summus Antistes ad eumdem Justinianum, nec minus hic ad istum præscripsit. Extat utriusque epistola sub finem *l.* 7. *C. de Summ. Trin.* quæ cùm longiores sint, earum dumtaxat primordia hic apponere placuit. Ea igitur, quam Papa Joannes ad Justinianum dedit epistola incipit.

83 *Inter claras sapientiæ, ac mansuetudinis vestræ laudes, Christianissime Principum, puriore luce, tanquam aliquod sidus, irradiat, quod amore fidei, quod charitatis studio edocti Ecclesiastici disciplinis Romanæ Sedis reverentiam conservatis, & ei cuncta subjicitis, & ad ejus deducitis unitatem, ad cujus authorem, & hoc est Apostolorum primum, Domino loquente præceptum est: Pasce oves meas. Quam esse omnium verè Ecclesiarum caput, & Patrum regula, & Principum statuta declarant, & pietatis vestræ reverendissimi testantur affatus. Patet igitur in vobis impletum fore, quod scripturæ loquuntur Proverb. 8. Per me Reges regnant, & potentes scribunt justitiam. Nihil est enim, quod lumine clariore præfulgeat, quàm recta fides in Principe. Nihil est, quod ita nequeat occasui subjacere, quàm vera Religio. Nam cùm authorem vitæ, vel luminis utraque respiciant, rectè tenebras respuunt, & nesciunt subjacere defectui, &c.*

84 Textus autem Imperatoris Epistolæ talis est: *Reddentes honorem Apostolicæ Sedi, & vestræ Sanctitati, quo semper nobis in voto fuit, & est, & ut decet patrem, honorantes vestram beatitudinem, omnia, quæ ad Ecclesiarum statum pertinent festinavimus ad notitiam deferre vestræ sanctitatis. Quoniam semper nobis fuit magnum studium unitatem vestræ Apostolicæ Sedis, & statum Sanctarum Dei Ecclesiarum custodire, qui hactenus obtinet, & incommodè permanet, nulla intercedente contrarietate. Ideòque omnes Sacerdotes universi Orientalis tractus & subjicere, & unire Sedi vestræ Sanctitatis properavimus. In præsenti ergo, quæ commota sunt, quamvis manifesta, & indubitata sint, & secundùm Apostolicæ vestræ Sedis doctrinam ab omnibus semper Sacerdotibus firmè custodita, & prædicata, necessarium duximus, ut ad notitiam vestræ Sanctitatis perveniant. Nec enim patimur quicquam, quod ad Ecclesiarum statum pertinet, quamvis manifestum, & indubitatum sit, quod movetur, ut non etiam vestræ innotescat Sanctitati, quæ caput est omnium Sanctarum Ecclesiarum. Per omnia enim, ut dictum est, properamus honorem, & authoritatem crescere vestræ Sedis. Manifestum igitur facimus vestræ Sanctitati, &c.*

85 Etsi verò hanc epistolam Justiniani ad Joan. Pontificem illamque ab ipso ad eum redditam Franciscus Hortmannus *lib.* 1. *cap.* 1. *respons. amicabil.* Romanæ Ecclesiæ authoritatem labefactare satagens, partum esse suppositicium, aliquot inductis argumentis ostendere nitatur, in eo tamen operam, oleumque perdidit. Nam è contra Cujacius *observ. lib.* 2. *cap.* 26. prædictas epistolas agnoscit genuinas, sequutus sententiam Alciati, qui *lib.* 4. *parerg. cap.* 25. hæc de his habet.

Sunt qui & suspectam habeant Joannis Pontificis epistolam, quæ sub tit. de Summa Trinitate in Justiniani Codice sita est, dicuntque in antiquis Codicibus non inveniri, quod ut arbitror, eo faciant, ut illos adjuvent, qui Romani Pontificis authoritatem deprimunt, quo nomine alios quoque authores depravato ab eis deprehendi, ut Othonis Frisingensis Chronica, & Lygurini poetæ carmina quædam. Ego in antiquis plurimis eam extare scio, nec ulla suspicione convelli posse. Quod si unus, aut alter Codex non habeat, id scriptorum incuriæ tribuendum, qui eam quandoque omiserint, quod non multum ad legalis scientiæ materiam pertineret, non tamen ideò hæsitandum est, quin genuinus, germanusque Joannis sit fœtus. Hucusque Alciatus, cui absque hæsitationis scrupulo Cujacius non tantùm, ut diximus, inhærens, adstipulatus est, verum etiam ex epistola ejusdem Joannis Pontificis ad Senatores ejusdem sententiam firmius roboravit, ac penitus stabilivit.

86 Manifestè insuper per Justinianum susceptæ Ecclesiasticæ protectionis studium evincit de eodem Imperat. in Synodo Romana ab Agatpone Papa pronunciatum præconium. In Epist. enim, quæ extat recitata in *Synod.* 6. *Act.* 4. ad Heraclium, & Tiberium Imperatores post recitatos Sanctos Orthodoxos Episcopos, qui adversus hæreticos pro fide Catholica certamen injerunt, mox de Justiniano hæc subdit: *Et pro omnibus æmulator veræ, & Apostolicæ fidei piæ memoriæ Justinianus Augustus, cujus fidei rectitudo, quantum pro syncera confessione Deo placuit, tantum Rempublicam Christianam exaltavit. Et utique ab omnibus gentibus ejus religiosa memoria veneratione digna censetur, cujus fidei rectitudo per augustissima ejus edicta in toto Orbe diffusa laudatur, quorum unum, quod ad Zollum Alexandrinum Præsulem adversus Acephalorum hæresim missum est pro Catholicæ fidei rectitudine satisfacere sufficiens, cum hac nostræ humilitatis suggestione vestræ tranquillissimæ christianitati dirigentes per præsentium latores offerimus, &c.*

Tom. X.

Et in alia rursus epistola in eosdem Augustos Roma 87
ex Synodo centum vigintiquinque Episcoporum missa, Theodosii Magni, atque Martiani fidei Catholicæ præstantiam prædicavit, hæc de Justiniano mox infert, cùm præfert ibidem: *Sicut extremi quidem, præstantissimi tamen omnium magni illius Justiniani, cujus ut virtus, ita & pietas omnia in meliorem ordinem restauravit, cujus instar fortissimæ vestræ clementiæ principatus virtutis quidem conatibus Rempublicam Christianam tuetur, & restaurat in melius, pietatisque studiis Catholicæ succurrit Ecclesiæ.* Hæc sunt ex Agathone Romano Pontifice Justiniani præconia.

Non quidem nos præterit, eumdem Justinianum pau- 88
cis ante obitum suum annis, ubi semel pacis, & concordiæ Ecclesiasticæ ineundæ velamento, cœpit cum hæreticis habere consuetudinem, quos procul pellere, & more Catholicorum Imperatorum in exilium mittere debuisset, eorum venena minus cautè evitasse, dumque adversantes sibi Romanos Pontifices aversari cœpit, ac persequi, factum esse, ut tum majorem fiduciam conciliaret hæreticis, tum etiam adversus eos clamantium ora Orthodoxorum obstruxerit, ex quibus partes hæreticorum redditæ fuerint firmiores. Sed & quo quidem essent inter se conflictantes hæretici ad invicem separati, æquè factum est, ut quod consuevit in ludis Circensibus, alteri ipsorum parti, adversus alteram fautorem se Imperator addixerit, hincque infelix in hæresim se præcipitem dedit.

Postquam denique Justinus secundus ejusdem Justinia- 89
ni ex sorore nepos, extincto avunculo, Imperii habenas anno Domini 565. excepit, jam inde a Constantino Magno mirificè exculta, & per prædictos Imperatores continuò propagata Ecclesiastica Protectio, hoc ipso imperante Justino a Græcis Imperatoribus ad Gallorum Proceres translata fuit.

Cùm enim invitatione, ac Consilio Narsetis Italiæ 90
Exarchi anno 568. Longobardi in Italiam irrupissent, eamque fermè totam occupassent, adeòut Constantinopolitani Imperatores omni propemodum Imperio, ac jurisdictione exuti fuissent, indeque Pontifices Romani Longobardorum injuriis, & oppressionibus undique circumsepti, a Byzantinis Principibus, prioribus Ecclesiæ Romanæ Protectoribus, nihil amplius auxilii, ac protectionis expectare, ac habere possent, necessariò ipsis ad aliorum potentiorum, minorique locorum intervallo dissitorum Regum præsentanea extra ordinem Protectionis, & defensionis, a Prædecessoribus Imperatoribus ad illud usque tempus laudabiliter ac sufficienter continuata, atque exhibita subsidia quærenda, & arctiùs sibi providendum, suadente, accogente necessitate compulsi fuerunt. Ex qua rerum mutatione evenit, ut Imperialis protectio Summi Pontificis, ac Romanæ Ecclesiæ apud Græcos Cæsares remissa, ac deficiens, ab iisdem ad Germanos transierit. Qua occasione autem eadem Protectio sub præfato Justino a Græcorum Imperatoribus ad Gallos primum Principes, ac Reges devoluta fuerit, narrandum nunc est.

Cùm multos post annos Italia, atque Ecclesia Ro- 91
mana propter insatiabilem Longobardorum dominandi libidinem multis, iisque fœdis per eosdem vulneribus lacerata fuisset, Luitprandus Longobardorum Rex, non eam solùm Italiæ partem, quæ Græcis Imperatoribus antea subjecta fuerat, in suam potestatem redegit, sed captis etiam finitimis, circumquaque Civitatibus, Romanos ingressus fines, vastato agro, ubi quoque obsidionem admovit, castrisque in Campo Neronis locatis multos Romanorum Nobiles Longobardorum more attonsos, ad se attraxit.

His pressus angustiis Gregorius ejus temporis Ponti- 92
fex Romanus, omni Imperatoris Constantinopolitani destitutus auxilio, aliundè opem, ac defensionem quærere coactus fuit. Gerebat autem illa tempestate summum in Francia Magistratum Carolus cognomento Martellus, Caroli Magni Avus, qui vulgò Major Domus appellabatur, ac jus omne Regni domi, forisque administrandi habebat, ad hunc igitur, ut refert Cronica God-

fridi, Gregorius properè Legatos Anaſtaſium Epiſcopum, & Sergium presbyterum maritimo itinere deſtinavit, atque honoris ejus gratia claves Sancti Sepulchri, aliaque munera auguſtiſſima miſit, obteſtans, ut ſibi, atque afflictis Eccleſiæ rebus ſuccurreret, & Urbem obſidione Longobardorum eximeret.

93 Ea res, ut nova, ſic mirabilis, atque honorifica illo tempore viſa, Carolus quanto ea res honori, & Regi, & ſibi futura eſſet, intelligens, quod primus è Francis a Pontifice Romano eſſet ad amicitiam appetitus, Legatos liberaliſſimè excepit, & fœdere cum Eccleſia icto, eos extemplo cum ſuis remiſit, datis muneribus, quæ Pontifici redderent, & mandatis, quæ ad Luitprandum ſuper Romano bello deferrent. Grata Luitprando ea legatio fuit, Caroloque petenti, ut Romana ditione ſine maleficio cederet haud gravatè conceſſit, oppida tamen quatuor, quæ occupaverat, nempè Ameriam, Ortam, Polimartium, & Bledam ſibi retinuit, atque inde Papiam Auguſto menſe ſeptima Indictione repetiit, teſte Carolo Sigonio de Regno Italiæ *lib. 3.*

94 Quod autem prædictus Carolus Martellus non ſtatim arma ſumpſerit adverſus Luitprandum, ea de cauſa factum eſt, quod Carolus eumdem Regem in præliis adverſus Saracenos, magno diſcrimine, dubiaque valdè alea, ſæpè commotis, fideliſſimum habuerit adjutorem, Pontifici tamen non defuit, ſed principio ſtatim Luitprandum Regem amica exhortatione ab Urbis obſidione retraxit, ut teſtatur Munſter. *Coſmograph. lib. 2.*

95 Nec verò Martellus ſolùm eo, ut dictum eſt, modo, Romanam Eccleſiam juvit adverſus Luitprandum, ſed & Pipinus ejuſdem filius, ac Carolus Magnus nepos ſeſe acerrimos, ac promptiſſimos Protectores exhibuerunt. Cùm enim Aiſtulphus, Longobardorum Rex anno poſt natum Chriſtum ſeptingenteſimo quinquageſimo tertio cum ingenti exercitu Romanam in ditionem irrupiſſet, eoque ipſi Urbi admoto ultimum Pontifici, ac Romanis excidium, ac ſervitutem, niſi ipſius ſe poteſtati remitterent, comminaretur, ſummis oppreſſus difficultatibus Stephanus II. Pontifex Romanus, convocato populo, & inſtituta ſupplicatione, nudis pedibus, & capitibus omnium cinere, humilitatis argumento, conſperſis, ad præſepè in Baſilicam itionem fecit, divinam opem, ac miſericordiam invocando, eaque re ritè perfecta, cùm ſpes nulla, eſſet, ut Imperator Conſtantinopolitanus jura Imperii quæ in Italia reſidua erant a Longobardis invaſa, defenderet, divinitus propè admoneri viſus eſt, ut Anteceſſorum ſuorum exemplo auxilium a Francis poſtularet.

96 Itaque ipſe Pontifex, nulla mora interpoſita, ad Pipinum, Caroli Martelli filium in Galliam properavit, ipſumque, ut cauſam Sancti Petri, & Eccleſiæ Romanæ adverſus Longobardos ſuſciperet, rogavit, cui peroranti mox annuendo Pipinus reſpondit, ſe daturum operam, ut & ipſe Pontifex, & tota Italia intelligat ſibi neque erga Eccleſiam fidem, & protectionem, neque in Italia defendenda virtutem defuiſſe. Quod & re ipſa Aiſtulphum duplici bello reprimens, atque univerſas Eccleſiæ Romanæ ditiones ab eo occupatas reſtituens præclarè reipſa præſtitit.

97 Nec minor poſtea ipſius Caroli in defendenda Sede Romana virtus extitit. Cùm enim Hadrianus Pontifex anno 773. eumdem ut avi, patriſque inſiſtens veſtigiis, rebus Eccleſiæ per Deſiderium Longobardorum Regem vehementer afflictis contra eundem jampridem ſaluti, ac libertati Italiæ inſidiantem, & multis Eccleſiæ Oppidis occupatis, ipſi etiam Romanæ Urbi extrema minitantem ſuccurreret, per legatos imploraſſet, is mox, ut ex Alcuino præceptore ejus habetur *in can. hortatu 23. quæſt. 8.* dicti Hadriani precibus inductus eidem defenſionis præſidia liberaliter deferens. Deſiderium, ut quæ Romanæ Eccleſiæ ademerat, ſine mora reſtitueret, per Nuncium ſtudioſè commonuit. Reverſis autem cum irrito reſponſo legatis, ubi eum de ſua pertinacia nihil remittere velle acceperat, decreto adverſus eundem bello, arma intentiori, quàm unquam antea ſtudio, ad Eccleſiam defendendam aſſumpſit, Deſideriumque cum omni exercitu apud Vercellas fuſum, & victum, Papiam Regni Longobardici Sedem, quo effugerat, ſexto obſidionis menſe, cœpit, eòque anguſtiæ adegit, ut ſe, uxorem, liberoſque in ſuam poteſtatem dedere cogeretur. Et hæc quidem victoria finem Longobardorum Regno attulit anno poſtquam Italiam occupaverant ducenteſimo ſexto, Chriſti verò ſeptingenteſimo quarto, quod & inde a Deſiderio ad Carolum, & a Longobardis ad Francos devenit.

98 Cùm autem dictus Imperator Carolus Magnus his factis Romanam Sedem magnis non ſolùm belli, & cladium difficultatibus, liberaſſet, & opibus etiam, ac temporali ditione extuliſſet; quippè Ravennam, cum Exarchatu, Flaminiam, & Picenum Provincias Longobardis ereptas, Sedi Romanæ liberaliſſimè largitus eſt, viciſſim ab eadem Sancta Sede tanquam ſingularis Protector, atque optimè cum patre, avoque de Romana Eccleſia meritus, magnis honoribus, ac dignitatibus auctus fuit. Francorum enim primò, mox Longobardorum Rex invictus, Patricius Romanorum poſtea creatus, ac proclamatus eſt, Godfrid. Viterb. *Pathæi p. 17. Conſtantini*, inquit, *Imperii anno tertio idem Carolus Rex Romam veniens ab Hadriano honorificè ſuſcipitur, ibidem Sancto Paſchate celebrato, Pipinus filius ejus Italiæ, & Ludovicus alius ejus filius in Regem Aquitaniæ inungitur. Ipſe autem Carolus, univerſo Romano populo acclamante, Patricius Romanus appellatur.*

Fuit autem Patriciorum dignitas ea tempeſtate apud 99
Græcos Imperatores ſumma poſt Imperatoriam, prout innuit Imperator Zeno *in leg. nemini C. de Conſulib.* 12. ubi vocat Patriciatus honorem ſublimem, qui cæteris omnibus anteponitur. Inde & lege cautum, ut qui ea donati fuerant, ſupra ipſos Præfectos Prætorios ſederent *l. ult. eod. tit.* Quod etiam teſtatur Zoſimus *lib. 2. hiſtor. Eccleſiaſt.* Hinc Theodoricus, & Athalarius Gothorum Reges Patriciatum, ab Anaſtaſio Imperatore conceſſum, valdè ſibi honorificum eſſe duxerunt, ut colligitur ex Caſſiodoro 8. *var.* Et Carolus Magnus Francorum, Longobardorumque Rex, quaſi tanto faſtigio aliquid accedere poſſet Romanorum Patricius dictus audiit, Marquard. Freher. *orig. Palatin. p. 1. cap. 1.*

Unde patet prædictam Patriciatus dignitatem a tem- 100
poribus Conſtantini Magni Romano in Imperio ſupremi, ac ſplendidiſſimi tituli fuiſſe, ut fuſiùs tractat Onuphrius Panvinius *in lib. de Comitiis Imper. tit. de Orient. Imp. orig. & Occid. excid.* & Goldaſt. *tom. 1. Conſt. Imper.* in notis ad Bullam Hadriani I. *§. Dignitatemque Patriciatus.* Honorabantur autem Patricii ab Imperatoribus loco Patris, & quod ipſos in arduis rebus conſulerent, & vice parentis eſſent, quorum loco hodie Cardinales Romæ ſucceſſiſſe videntur, qui & ipſi Summo Pontifici aſſiſtentes magnis in negotiis conſulunt, ut exiſtimat Guidus Panzirol. *in Comm. ad notitiam Imper. cap. 2.*

Ab Imperatore autem Patricii Codicillis creabantur, 101
& ea adepta dignitate ſolvebantur patria poteſtate *leg. Sancimus, l. fin. C. de Conſul. §. filius fam. inſt. quib. mod. patr. poteſt. ſol.* In Iſtoria Pauli Diaconi *de reb. geſt. Longobard.* forma dignitatis Patriciatus conſtituendæ talis habetur: *Patricii dignitas*, inquit, *diſponenda eſt, quatenus illa non vili perſonæ, nec alicui concedatur ignoto, ſit enim valdè notus Imperatori, ſit fidelis, & prudens, non elatus, Protoſpatarius veniens ante Imperatorem oſculetur ſuum humerum, & dicat. Maximè Imperatorum, adeſt, quem vocaſti. Tunc ſtet ad ſiniſtram Imperatoris illius Hipparchus, quem nos dicimus Præfectum, & dicat ei Imperator cum Protoſpatario, futurum Patricium adducito. Dum autem venerit Patricius, in primis oſculetur pedes Imperatoris, deindè genu, ad extremum oſculetur ipſum. Tunc oſculetur omnes Romanos circumſtantes, & dicant omnes: Beneveniatis. Nobis nimium laborioſum eſſe videtur, conceſſum nobis a Deo miniſterium ſolùm procurare. Quo circa nobis adjutorem facimus, & hunc honorem tibi concedimus, ut Eccleſiis Dei, & pauperibus legem facias, & inde apud altiſſimum Judicem rationem reddas. Tunc induat eum Imperator mantu, & ponat ei in dextro indice annulum, & det ei in bombacinum propria manu ſcriptum: Eſto Patricius, miſericors, & juſtus. Tunc ponat ei in caput aureum circulum, & dimittat.*

Multò autem ampiior honoris hujus ſplendor fuit, 102
quàm Patriciatus priſcorum Romanorum a Romulo inſtituti, quem Accurſius, & ejus aſſeclæ cum hoc confundentes miris involvunt tenebris.

Fuit tamen, & apud veteres quoque Romanos diver- 103
ſa Patriciorum uſurpatio. Cùm enim primò Romulus Rempublicam ſuam ordinaret, illuſtres genere, ac virtute celebres, opibuſque, ut tunc ferebant tempora, abundantes, quibus eſſent liberi, ſecrevit ab obſcuris, egenis, & humilibus, & hos vocavit Patres, alios plebejos, exemplo ab Athenienſium Republica ſumpto, in qua bifariam erat diſtributa Reipublicæ multitudo, in Patricios ex illuſtribus, familiis, pollentibus opibus, apud quos fuit Civitatis regimen, & in cæteros cives ruſticos, quibus nullum erat in Republica ſuffragium, licèt tandem ii quoque ad magiſtratus gerendos admiſſi ſint, Dionyſ. Halycarnaſ. *lib. 2.* Poſteà, teſte Livio *lib. 1.* Patricii dicti ſunt Senatorii Ordinis viri, quique ab iis progeniti fuerunt. Et alibi idem *lib. 10.* Patricios dictos dicit, qui patrem, avumque ciere poſſent.

Quod

104 Quod verò officium fuerit tùm Patriciorum, tùm Plebejorum Halicarnaseus his verbis indicat: *Romulus*, inquit, *postquam discrevit potiores ab inferioribus, mox legibus latis præscripsit, quid utrisque faciendum, ut Patricii sacra curarent, Magistratus gererent, jus redderent, secum Rempublicam administrarent, res urbanas obirent. Plebeis verò ab his negotiis immunes, quippè qui talium imperiti essent, nec vacaret eis propter inopiam, agros colerent, pecora alerent, exercerent quæstuosa opificia, ne seditiones orirentur, sicut in aliis Civitatibus, dum humiliores protruduntur a potentioribus, aut egeni, ac viles excellentioribus inviderent, &c.* Hæc ille, qui tamen paulò post scribit etiam hoc interfuisse inter Patricios, & Plebejos, ut quoties Patricii convocarentur a Regibus, precoquemque suo, ac paterno appellarit nomine. Plebejos verò ministri quidam cornibus bubulis concinentes in concionem contraxerint.

105 Et hæc quidem primis temporibus differentia inter Patricios, & Plebejos fuit. Procedente autem tempore, & impetratis a Patriciis Tribunis plebis plurima dignitatum, & honorum ornamenta, ut sacrorum quorundam curationem, Magistratus Curules, Consolatum, Dictaturam, Censuram, & cætera, quæ antea solis Patriciis concessa erant, per Tribunos suos Plebs Patribus extorsit, sicuti etiam connubiorum inter Patricios, & Plebejos comunionem, ut testatur Livius *lib.* 4. ac Joan. Roman. *antiquit. Rom. lib.* 5. *cap.* 37.

106 Porrò Carolus Magnus non semel tantùm, sed sæpius Pontificum defensionem subeundo, Romanam Ecclesiam, ejusque Antistites in securitatem restituit. Cùm enim Leo III. Papa, subsequentibus temporibus anno scilicet 799. Paschale Primicerio, & Campulo conjurationis authoribus, universo inspectante Clero, & populo, dum ex veteri Ecclesiæ instituto ab æde S. Laurentii ad templum S. Gregorii publica processio fieret, ex insidiis adortus miserè tractatus, ac Urbe expulsus, ad Carolum in Germaniam auxilii implorandi gratia, confugisset, ab eodem adjutus, in pristinum dignitatis locum repositus fuit.

107 Huic beneficio, ut Leo Pontifex condignam gratiam referret, ut jam antea, teste Spondano ad annum septingentesimum nonagesimum sextum, dono vexilli honoraverat, ita tunc Imperatorio titulo per trinam Romani populi acclamationem insignitum, aurea corona pretiosissima, & augustali chlamyde exornavit, & eo ipso recepto ab illo solemni fidelis defensionis juramento, Protectorem Romanæ Ecclesiæ constituit, ut præter alios, cum historicos, tum cæteros authores, testatur Sigonius *in histor. de Regno Italiæ lib.* 4. *ad ann.* 799.

108 Formula autem juramenti talis fuit: *In nomine Christi spondeo, atque polliceor ego Carolus Imperator coram Deo, & S. Petro Apostolo, me Protectorem, & defensorem fore hujus Sanctæ Romanæ Ecclesiæ in omnibus utilitatibus, quatenus divino fultus fuero adjutorio, prout sciverò, poteroque.*

109 Sed & ante Carolum ex eo, quod Carolus Martellus, Avus, & Pipinus Caroli parens, Romanis Pontificibus, quoties opus habebant, præsidiis suis præstò semper fuerint, per Stephanum II. Papam, iidem defensoris, ac tutoris titulo decorati fuerant, ut nominatim testatur Ludulphus de Bebemb. *de jurib. Regni cap.* 3. & *lib. de rel. antiq. Princip. cap.* 4. ubi hoc nomine Carolus Martellus, Pipinus, Carolus Magnus, Ludovicus, Otthones, Henricus Tertius, & Lotharius Tertius laudantur.

110 Ex quibus clarissimè constat Ecclesiarum Protectiones tunc primum initium sumpserunt, cùm Græci Imperatores quos Ecclesia Romana, teste eodem Leone Papa Protectores jampridem constitutos habuit, ejusdem patrocinium deseruissent, necessarium protectionis officium Ecclesiæ debitum, unà cum novi Imperii fastibus acclamante, & petente populo Romano, in supradictum Carolum Magnum ab Orientalibus Imperatoribus translatum fuit, id, quod evidenter comprobat ipsius Leonis Papæ ad Carolum susa querimonia, quam verbotenus ex Sigonio loco citato depromptam hic subjicere non gravabor. Ea autem sic habet.

111 *Et quidem diffiteri non possum, debuisse me his calamitatibus obruptum, ad Imperatoris, hoc est Constantinopolitani, fidem, auxiliumque confugere, quem Tutorem, ac Patronum sibi Ecclesia jampridem habebat constitutum. Verum præterquamquod Imperatores jamdudum ita se adversus Ecclesiam gerunt, ut plus ab iis detrimenti metuendum, quàm auxilii expectandum esse videatur, nota etiam ejus, qui nunc rerum potitur, ut in muliebri spiritu, animoque infirmitas ab hujusmodi me consilio capiendo deterruit. Gratias autem Deo ingentes ago primum, quod ne-*

fariis me latronum è manibus, præter opinionem omnium, incolumen conservavit, deinde quod Imperatore Ecclesiæ patrocinium deserente, tum extitisti, qui ad ejus salutem, dignitatemque tuendam, non solùm opes, ac virtutem incredibilem, sed studium etiam, ac fidem adhibes singularem. Hæc igitur, ne me opinio fallat, te per omnia Sacra, perque avitam patriamque in protegenda Ecclesia gloriam oro, &c.

Quin hoc ipsum etiam non obscurè testatur Sigonius 112
dicto *lib.* 4. ubi inquit, *Dignitatis Imperatoriæ titulum in Momyllo Augustulo ultimo Occidentis Imperatore ante trecentos ferme annos sub Regno Gothorum in Italia defecisse, in eodem Occidente Pontificem in Carolo Magno renovasse, ut haberet Ecclesia Romana adversus infideles, Hæreticos, ac seditiosos Tutorem, cujus officium repudiasse jampridem Imperator Orientis videretur.*

His insuper accedunt authoritates Polydori Virgilii, 113
ac Sebastiani Munsteri, ille *de rer. invent. lib.* 4. *cap.* 10. apertè id affirmat his verbis: *Cùm paucis post annis Gregor. III. ac nonnulli alii deinceps Pontifices Longobardorum injuriis pressi, nihil auxilii a Constantinopolitanis Principibus haberent, ad Carolum I. Martellum, & Pipinum, deindè ad Carolum Magnum ipsius Pipini filium Francorum Reges confugere coacti sunt. Quas ob res Leo III. ipsum Magnum Carolum fecit Imperatorem, cujus successores consueverunt itidem Pontificis electionem confirmare. Atque sic usu venit, ut tum primum Tutela Romani Pontificis ab Imperatoribus Constantinopolitanis ad alios translata sit.*

Hic verò *Cosmograph. lib.* 2. *de Italia* sic habet: *Lon-* 114
gobardi, qui jese jam in Italiam insinuaverant, Ravennam forti manu obsident, oppugnant, & tandem capiunt, simulque Imperatorem omni jurisdictione Italica privant, sicque factum est, ut Luitprandus, Longobardorum Rex, regnandi cupidine, & ambitione flagrans eam Italiæ partem, quæ Constantinopolitanis Imperatoribus ante subjecta fuerat, suo regno vindicaret, & finitimis Urbibus circumquaque captis, ipsam quoque Romanam Urbem obsidione premeret. Quod videntes Veneti, Romanus Pontifex, & reliqui Populi Italiæ auxilium, & defensionem quærunt, non apud Imperatorem Constantinopolitanum, quod is negligens esset ad tuendam Italiam, vel, ut alii dicunt, quod simultas quædam nata esset inter Romanum Pontificem, & Imperatorem ratione Imaginum Sanctorum, sed Papa legatum misit ad Carolum Martellum regiæ domus in Galliis Præfectum, rogavitque illum, ut laboranti Romæ, & Ecclesiæ succurreret. Nec sprevit Pontificis preces Carolus, quin Luitprandum Regem amica exhortatione retraheret ab Urbis obsidione, & Romam gravi periculo liberaret. Et tunc quidem Ecclesiæ tutela primum ab Imperatoribus Græcis ad Gallorum Principes est translata. Hactenus Munsterus.

Constat igitur ex his omnibus, quod Ecclesiæ Ro- 115
manæ Protectio a Sede Apostolica Regibus Francorum, & Carolo Magno speciali quadam prærogativa, & per quandam excellentiam attributa fuerit, & peculiare ejusmodi Apostolicæ Sedis defendendæ concessum ipsis Privilegium eo tempore in maximum Pipini, filiorumque, ac posterorum suorum honoris augmentum cesserit, quemadmodum etiam iidem Reges summo in Romanam Ecclesiam zelo, & communi illorum temporum devotione, ejusdem Protectionem maximo consensu susceperunt, & quamvis Imperatores facti, jure, ac majestate Cæsarea Ecclesiam sibi defendendam esse, non ignorarent, ad specialem tamen ejus tuendæ obligationem singulari se obstringere jurejurando voluerunt. Hinc adflictis Pontificibus, & adversa fortuna jactatis Principibus, ab omni ævo semper in Gallorum amicitia tutissimum, ac fidelissimum perfugium fuit. Nam hoc Gallorum ingeniis insitum, ut miserorum calamitatibus maximè omnium commoveantur, & adflictos contra potentiorum oppressionem tuendos suscipiant. Imitatores enim Dei sunt Reges Galliarum, cui proprium est misereri, & parcere.

Nec minori prærogativa hodie gaudet Augustissima 116
Domus Austriaca, cujus in Ecclesiam protectio, & pietas omnibus in comperto est. Hujus Aquila alis suis fidem Christianam circumvolitavit, Ecclesiam Romanam protexit etiam ad eas Orbis regiones, ad quas Aquilæ Romanæ pervenire non potuerunt. Ex eo quod Indiæ, atque Ecclesiæ Occidentalis Reges Austriaci Protectores evaserint; ex primo auro in Castellam ex ea advecto; facta est hierotheca, in qua Augustissimam Eucharistiam Ecclesia Toletana pro more retectam proponit. Laborabit posterorum fides, ut credat, quod refert alloquens Philippum IV. Scribonius *polit. Christian. in præfat. Memineris te ab iis venire, qui in solo Occidente supra septingenta Templorum millia, ditissima pie-*

late extruxerunt, & a Jacobo Aragonio, qui solus bis mille Templa Dei felici, locuplete, ac regia manu ædificavit. Nusquam clarius fulget, quàm in aris, deliubris, & divorum simulachris Austriacum aurum. Addit Surius *in annal. Tot hominum millia in novo Carolino* (sic Americam, Caroli V. armis subjectam nuncupat) *Christi fidem complexa, atque hoc admirandum Eucharistiæ mysterium istic veneratos fuisse, quot esse possint Christiani in veteri Orbe nostro.* Quare frendeat Orbis, Orcus, Religiosima hæc domus perstabit, quam Lipsius vocat, Domum ad summum fastigium genitam, quæ ut alius rectè asserit, una de manu Orientem, altera Occidentem ferre videtur. At de hoc alii.

Finio hanc Consultationem: Deus omnium bonorum dator, qui Imperia legitima, sine quibus nec domus ulla, nec Civitas, nec gens, nec hominum universum genus, nec rerum natura omnis a te ex nihilo creata, stare potest, prudentia tua dispones, ac gubernes, Te publica voce oro, & obtestor, ut quod optimum Hispaniis, atque adeò toti Catholico Orbi dedisti, id proprium nobis facias, tuisque beneficiis faveas, & tantis muneribus diuturnitatem addas, simplexque, & unum omnia ista complexum votum perficias, Regem nostrum Carolum II, ejusque Domum Augustam serves Nam ejus salute, pacem, concordiam, securitatem, opes, & cætera Ecclesiæ Romanæ optatissima, contineri agnoscimus, ac profitemur. Proindè illius consilia ad regendum Imperium moderari, prolemque Augustam ei concede, per quam fides Catholica instauretur, nova Sectarum monstra, nova Religionum commenta aboleantur, tandemque sublata scissura, pax in Domo Dei, in conscientiis quies, securitas in Republica Christiana constituatur. Amen.

Hoc meum votum, hicque finis Tomi Decimi.

ALIE-

ALIENA

Omnibus amicis noſtris, ſi minus ad referendam gratiam ſatisfacere poſſumus, ad prædicandam certè, & habendam ſatisfacere poſſumus, ac debemus. In gratiam igitur amici mei Dominici Sabbatini, viri docti, ac pii, ſubjectas juris allegationes celebris Romani Advocati Octavii de Jandis, decreta, ſententias, aliaque in ejus, aliorumque cauſis emanata pro bono publico huc adducere operæ Pretium duxi. Ea hæc ſunt.

ROMANA JURIUM PAROCHIALIUM.

Stantibus, &c.

Dubia, an liceat Miniſtris Conſolationis

1 *Benedicere mulieres poſt partum, & ova tempore Paſchali?*
2 *Retinere Confeſſarios in Eccleſia ad audiendas Populi Confeſſiones?*
3 *Facere Proceſſionem per Parochiam intra octavam Sanctiſſimi Corporis Chriſti, & præſertim die, quo fit per Eccleſiam Parochialem?*
4 *Aſſociare cadavera alibi tumulanda cum Cruce, & ſtola ab Hoſpitalibus ad locum Catenæ, & impedire Parochum, ne accedat pro illis ad januas Hoſpitalium?*

EMinentiſſime Domine, tàm ex diſpoſitione juris, quàm Concordiæ anno 1664. celebratæ cum authoritate, & Decreto hujus S. Congregationis inter Eccleſiam Parochialem S. Nicolai in Carcere, & Archihoſpitale Conſolationis videtur negativè reſpondendum præinſertis dubiis, quæ ad ſupplicationem Domini Dominici Sabbatini moderni Parochi S. Nicolai in Carcere, & Principalis mei proponuntur, prout ex conſueta benignitate, & Juſtitia Eminentiſſimorum Patrum ſupplices ſperamus.

Quoad primum enim de benedictione mulierum puerperarum, quæ aliàs ſub vocabulo purificationis appellatur, dubium non eſt, incumbere Parocho privativè quoad omnes Clericos tàm ſæculares, quàm regulares, quia eſt quid Sacramentale dependens a Sacramento Matrimonii, ſitque publicè cum ſuperpelliceo, ſtola, & aqua benedicta, quæ ſunt juriſdictionis, & ſecum fert oblationem candelæ benedictæ, ideò ſpectat ad Parochum, qui eſt Miniſter Sacramenti Matrimonii, habetque juriſdictionem, & intentionem fundatam ſuper omnibus oblationibus intra fines ſuæ Parochiæ, ut ſeptem adductis fundamentis, pluribuſque congruentiis latiſſimè probat Pignatell. *tom. 5. Conſult. 76. per tot.* ubi *ſub num. 17.* refert ita deciſum a S. Congregatione Concilii in Antuerpien. die 18. Novembris 1662. Genuenſ. *in prax. cap. 72. num. 13* latè Bordon. *conſ. 16. a num. 1. per tot.* Nicol. *inter ſtoſcul. v. Parochus ſub num. 17.* plures cumulans reſolut. S. Congregationis Epiſcoporum, & Regularium.

Idemque videtur dicendum de benedictione ovorum, quæ ſimiliter fieri conſuevit cum oblationibus fidelium, ac proindè ſoli Parocho incumbit, non autem aliis, niſi de Parochi licentia, idem Pignatel. *d. Conſult. 76. ſub num. 16. tom. 5.* & relatis declarationibus S. Congregationis Epiſcoporum, & Regularium Nicol. *ubi ſupra, v. Hoc etiam cum pluribus ſeqq.* ubi de benedictione ovorum, & ciborum Paſchalium, & Genuenſ. *cit. cap. 72. num. 13. in praxi.*

Et quoad ſecundum, quidquid ſit in Regularibus, quibus ex Privilegio eſt indultum poſſe audire Confeſſiones abſque licentia Parochi ſtatim, ac ſunt approbati ab Ordinario, ut poſt alios Summos Pontifices declaravit ſanctæ memoriæ Clemens X. *Conſt. 7. §. 4.* reſpectu Confraternitatum fuit ſæpè deciſum non poſſe in earum Eccleſiis per ſuos Capellanos Confeſſiones audire, vel alia Sacramenta miniſtrare, & ſimilia, quæ ad ſolum Parochum ſpectant abſque expreſſa licentia Ordinarii, & ipſius Parochi, ut poſt Decretum Concilii Lateran. *in c. Omnis utriuſque ſex. de pœnit.* reſpondet S. Congregatio Rituum in Cæſarauguſtana 14. Januarii 1612. & in Neapolitana 18. Maji 1602. apud Lezanam *tom. 2. cap. 15. num. 22. v. ſeptimus, & n. 29. v. tertio*, Barboſ. *in Sum. Apoſt. v. Confratres collect. 207. num. 17. & in tr. de jur. univerſ. Eccleſ. lib. 2. cap. 11. n. 10.*

Quoad tertium de Proceſſione intra octavam Ss. Corporis Chriſti, licèt Confraternitatibus permittatur intra ambitum Eccleſiæ, exeundo ab illius janua, & per eam redeundo non tamen eis licèt, etiam durante octava prædicta ſupplicationem ducere per Parochiam, niſi accedat Parochi licentia, ut ex pluribus reſolut. S. Congreg. Rituum probat Pignatel. *tom. 4. Conſult. 85. per tot.*

Potiſſimum verò eadem die, qua ſimilis proceſſio fit per Eccleſiam Parochialem, nam licèt permiſſum eſſet hanc ſupplicationem ducere, non tamen permittendum eſſet abſolutè, ſed quatenus honorificè duci poſſit, & diverſis tantùm diebus, quia incongruum prorſus videtur geminas eodem tempore fieri Proceſſiones in eadem Parochia, ut ex Concil. Trident. *ſeſſ. 13. cap. 15.* notat idem Pignatel. *Conſult. 99. num. 3. per tot.*

Ad quartum modica denique videtur ſubeſſe difficultas, quia ubi cadavera ex electione morientium in Archihoſpitali Conſolationis alibi, quàm in eorum Eccleſiis tumulantur nequeunt eorum Rectores, cum ſtola, cotta, & propria Cruce aſſociare dd. cadavera per vias publicas, ſed hoc ſpectat ad Parochum, ut magiſtraliter firmavit Rot. favore Parochi S. Bartholomæi in Inſula contra Hoſpitale Sancti Joannis Colabitæ in Romana Jurium Parochialium 4. Julii 1653. coram Zarate inter ejus impreſſa *dec. 45. a n 40. uſque ad 54.* repetita *in rec. dec. 348. n. 34. cum plurib. ſeqq. part. 11.*

Præmiſſa verò, quæ ex ſola juris diſpoſitione ſunt certa, redduntur certiora, inſpecto Inſtrumento concordiæ inter Parochum S. Nicolai in Carcere, & Archihoſpitale Conſolationis anno 1664. celebratæ, ubi fuit ſpecialiter Conventum, quod in poſterum liceat Priori, Capellanis, & Confeſſariis, &c. in dicta Eccleſia, & Hoſpitali degentibus, omnibus infirmis tàm de familia, quàm exteris, &c. qui curandi, ſeu ſerviendi cauſa accederent intra limites ejuſdem Eccleſiæ, & Hoſpitalium &c eorumque habitationem tantùm, & non aliàs Sacramenta adminiſtrare, &c. Et curam animarum in illis exercere intra dictam Eccleſiam, & Hoſpitalia eorumque habitationes ſolummodò; ſunt verba Inſtrumenti relati *in Summario n. 1.* ex quibus patet jus miniſtrorum dicti Hoſpitalis eſſe reſtrictum ad infirmos, & alias perſonas degentes in ipſo Hoſpitali, ac intra limites eorum Eccleſiæ, & Hoſpitalis cum dictionibus *taxativis tantùm, ſolummodò, & non aliàs*, quæ excludunt prorogationem, ut in his terminis reſpondit Rot. *d. dec. 45. n. 43.* coram Zarate, conſequenter eis permiſſa non ſunt ſpectantia ad Parochum, qualia ſunt benedictio mulierum poſt partum, ovorum tempore Paſchali, Proceſſio per Parochiam, & Confeſsiones Populi, eo invito, exercere, quoad perſonas extraneas non degentes in Hoſpitali, & extra loca præfinita, cùm ipſi non habeant Parochiam, nec Territorium, ut proſequitur Rota coram Zarate *d. dec. 45. a n. 43. uſque ad fin.*

Quinimmò tranſigentes in eadem Concordia explicarunt, *quod Parochus S. Nicolai habeat jus adminiſtrandi Sacramenta, & curam animarum exercendi in tota Parochia S. Nicolai, valeatque tranſire, & liberum habere acceſſum, & receſſum per viam ante, & circa Eccleſiam Conſolationis, & utrumque Hoſpitale tàm hominum, quàm mulierum, & expreſſe declarando vias prædictas eſſe de Parochia S. Nicolai abſque eo, quod præmiſſorum cauſa, & occaſione moleſtari, & impediri poſſit, neque ſuper prædictis Domini Cuſtodes Hoſpitalis jus aliquod habere poſſint, & valeant, prout iidem Domini Cuſtodes nominibus, quibus ſupra, per ſe, vel per alios, &c. non moleſtare, nec impedire promiſerunt, nec moleſtari, & impediri facere, ſed verſa vice licitum ſit miniſtris dictorum Hoſpitalium, &c. liberè extrahere ex dictis Hoſpitalibus, eorumque habitationibus cadavera decedentium, & per dictas vias circa dictum Hoſpitale, & Eccleſiam cum Cruce, & ſtola ſolemniter*

mniter, & liberè deferre ad effectum illa tumulandi in dicta Ecclesia Sanctissimæ Consolationis, quia sic, &c. sunt pariter verba transactionis *d. num.* 1.

Unde oritur resolutio quarti dubii respectu cadaverum, quæ in aliis Ecclesiis, quàm Beatæ Mariæ Consolationis ex morientium electione tumulantur. Super his enim transactio nullum jus tribuit DD. adversariis, utpotè restricta ad ea tantùm cadavera, quæ in eorum Ecclesia sepeliuntur, cùmque ex prædictis viæ publicæ, quæ sunt propè Ecclesiam & Hospitalia declarentur de Parochia, & Parochus debeat per eas habere liberum accessum, & recessum, impedire non valent occasione levandi cadavera, deferenda ad alias Ecclesias, quin accedat usque ad januas Hospitalis in viam publicam respondentes, quia id esset violare conventionem, & literam concordiæ, undique custodiendam a transigentibus, ut in terminis jurium Parochialium est lex *in c. fin. de pact. lib. 6.* Rota *dec. 22. num. 6. part. 2. div.*

Ex quibus etiam ruit prætensio, quam habent adversarii levandi ab Hospitalibus dd. cadavera, alibi tumulandi, & illa associandi cum stola, cotta, & propria Cruce per viam publicam usque ad locum Catenæ distantem per sexaginta circiter passus a januis Hospitalium, ibique, & non anteà consignandi Parocho, quem cogunt expectare in platea valdè distanti; tum quia id repugnat concordiæ, quæ concedit Parocho liberum accessum, & recessum per omnes vias prædictas, tanquam de Parochia, tum quia debet Parochus cum aliis vocatis ad funus accedere domum, ex qua illud levandum est, non autem expectare per vias, ex sententia Sacræ Congregationis apud Barbos. *de offic. Paroch. par. 3. cap. 26. num. 64. cum tribus seqq.* tum denique, quia in funeralibus deferenda est unica tantùm Crux illius Ecclesiæ, ad quam corpus transfertur, idem Barbos. *d. c. 26. num.* 28.

Accedit prædictis Decretum hujus Sacræ Congregationis, quod præcessit d. concordiam præscribens modum ineundæ transactionis cum dictionibus taxativis, & excludentibus quodcumque præjudicium Ecclesiæ Parochialis, ex illius sola lectura præsens controversia potest definiri, ut *in Summario num.* 2.

Quare, &c.

Faustus Guidottus.

Eminentissimi, e Reverendissimi Signori.

Pratticandosi da' Ministri dell' Ospedale, e Chiesa della Consolazione di Roma, esistente dentro la Parochia di S. Nicolò in Carcere Tulliano molti gravi abusi di sommo pregiudizio al jus Parochiale di detta Chiesa contro la Concordia fatta trà il Capitolo, e 'l Parocho di esse con li Ministri del mentovato Ospedale con l' approvazione di questa Sacra Congregazione sotto li 21. Agosto 1664. cioè.

Sacra Congregatio Visitationis Apostolicæ approbavit transactionem inter Custodes Hospitalis Beatæ Mariæ de Consolatione, & Capitulum, & Canonicos, ac Parochum Collegiatæ Ecclesiæ S. Nicolai in Carcere quoad capita infrascripta.

Primum, ut utraque Pars cedat liti.

Secundum, Custodes quolibet anno in festo S. Nicolai tribuant Curato Calicem valoris decem aureorum, vel ejus pretium arbitrio ipsius, ita tamen, ut si per mensem ante diem festum hujusmodi non declaraverit cum intimatione se velle pretium in pecunia numerata, tenentur Custodes tribuere Calicem. Quod si cessaverint per triennium, tunc sit in facultate Capituli, & Curati redire ad primæva jura, perindè ac si transactio non emanasset.

Tertium, ut Presbyteri Capellani a prædictis Custodibus pro tempore deputati, atque ab Ordinario approbati, possint audire Confessiones non tantùm Infirmorum, sed etiam Ministrorum, ac servientium Hospitalis in eo degentium, ejusque Sacramenta Eucharistiæ, & Extremæ Unctionis ministrare, ac decedentes tradere Ecclesiasticæ sepulturæ, absque eo, quod Curatus prædictus possit quidquam prætendere ratione quartæ funeralium.

Ultimum, ut cæteris omnibus in præsenti transactione non expressis jura Parochialia ipsi Capitulo, & Curato salva, & illibata esse intelligantur absque eo, quod nulla fiat dismembratio: Oretenus dictum est de notula Communicatorum in Paschate, & numeri animarum Ecclesiæ, & Hospitalis antedictis quotannis Curato S. Nicolai tradenda.

De Ecclesia filiali nulla fiat mentio in transactione, cùm non fiat erectio Parochialis per viam dismembrationis a Paro.hia S. Nicolai.

Item reliqui articuli de Parochianis S. Nicolai eligentibus sepulturam in Ecclesia Hospitalis, & de Infirmis, & Ministris Hospitalis sepulturam eligentibus in Ecclesia S. Nicolai, vel in alia Ecclesia nulla fiat mentio in Concordia, sed relinquantur in dispositione juris.

Ita reperitur in regesto authographo Sacræ Congregationis Visitationis Apostolicæ habitæ die 21. Augusti 1664. In quorum fidem, &c. Romæ hac die 2. Aprilis 1687.

Locus ✠ Sigilli.

B. Panciaticus Secretarius.

Per tanto Domenico Sabbatini, moderno Parocho di essa Chiesa, Oratore umilissimo dell' EE. VV. per la giusta difesa del jus Parochiale, per ovviare alli continui scandali, che producono detti abusi, inherendo alla pendenza della lite avanti questa S. Congregazione, citati prima li Ministri suddetti, e 'l loro Proccuratore *respectivè* avanti Monsignor Auditore di Nostro Signore, ed ottenutone sotto li 5. del corrente mese di Settembre il solito Decreto, Proccuratore presente, per la remissione della causa all' EE. VV. citati hora, ed intimati nuovamente li detti Ministri, e per essi il loro Proccuratore avanti questa Sacra Congregatione, Ponente l' Eminentissimo, e Reverendissimo Sig. Cardinal Bichi, supplica umilissimamente l' EE. VV. per la dichiarazione degl' infrascritti dubij, *prout de jure.*

1. *An liceat Ministris Consolationis benedicere mulieres post partum, & ova tempore Paschali.*

2 *Retinere Confessarios in Ecclesia ad audiendas Populi Confessiones.*

3 *Facere processionem per Parochiam intra octavam Corporis Christi, & præsertim die, quo fit per Ecclesiam Parochialem.*

4 *Associare cadavera alibi tumulanda cum Cruce, & stola ab Hospitalibus ad locum Catenæ, & impedire Parochum, ne accedat pro illis ad januas Hospitalium.*

Sacra Congregatio Visitationis Apostolicæ ad singula dubia superiùs proposita, Ponente Eminentissimo Bichio in hunc modum respondet, videlicet.

Ad primum *Negativè.*

Ad secundum *Negativè, nisi de licentia Eminentissimi Vicarii.*

Ad tertium *Negativè, præterquam intra Ecclesiam dumtaxat.*

Ad quartum *Negativè.*

Datum die 15. Septembris 1695.

Locus ✠ Sigilli.

I. Caracciolus Secretarius.

His accedit infrascripta sententia Auditoris Cameræ Apostolicæ, quæ est hujusmodi.

Die 23. Decembris 1695.

Christi nomine invocato. Pro Tribunali sedentes, & solum Deum præ oculis habentes per hanc nostram definitivam sententiam, quam de jurisperitorum consilio in his scriptis ferimus in causa, & causis, quæ primo, & in prima coram nobis, seu alia veriori versæ fuerunt, & vertuntur instantiæ inter R. D. Dominicum Sabbatinum Parochum, & perpetuum Vicarium S. Nicolai in Carcere Tulliano Urbis actorem ex una, & Venerabile Archihospitale, & Ecclesiam B. Mariæ Consolationis, ejusque Ministros, & officiales reos Conventos partibus ex altera, de & super exceptionibus per supradictos reos Conventos oppositis ad mandatum de exequendo Decreta Sacræ Congregationis Visitationis Apostolicæ inter dictas partes emanata sub die 15. Septembris 1695. seu, &c. in quibus definitum, & declaratum existit, non licere Ministris Consolationis benedicere mulieres post partum, & ova tempore Paschali, minusque retinere in Ecclesia Confessarios ad audiendas Populi Confessiones, nisi de licentia Eminentissimi Cardinalis Vicarii, & non licere dictis Ministris facere Processionem per Parochiam intra octavam Corporis Christi, & præsertim die, quo fit per Ecclesiam Parochialem, nec associare cadavera alibi tumulanda cum Cruce, & stola ab Hospitalibus ad locum Catenæ, & impedire Parochum, ne accedat pro illis ad Januam Hospitalium a nobis per Decretum relaxatum, rebusque aliis, &c. Dicimus, pronunciamus, decernimus, declaramus, & definitivè sententiamus præfatas

exce-

exceptiones per dictos reos Conventos, ut ſupra oppoſitas, fuiſſe nullas, irritas, injuſtas, & de facto datas, & non obſtitiſſe, neque obſtare exequutioni dicti mandati de exequendo. Immò ab illis ſupradictum Dominum Dominicum Sabbatinum actorem abſolvendum, & liberandum fore, & eſſe prout abſolvimus, & liberamus, ac præfatis reis Conventis ſuper eiſdem exceptionibus perpetuum ſilentium imponendum fuiſſe, & eſſe duximus, prout imponimus, ac pro impoſito haberi volumus, & mandamus; Victoſque victori in expenſis condemnamus, quarum taxatio nobis, vel cui de jure in poſterum reſervamus non ſolùm præmiſſo, ſed alio omni meliori modo, &c.

Ita pronunciavi ego Carolus de Marinis Auditor Cameræ.

Romana Jurium Parochialium.

Eminentiſſime Domine. Negligentibus olim, ut in re communi paſſim contingit, pluribus Eccleſiarum, etiam Majorum Urbis Capitulis onera curæ eiſdem incumbentis, in graviſſimam animarum perniciem, Beatus Pius V. cui præ cæteris ardentiùs illa cordi fuit, perpetuas Vicarias in pluribus præfatis Eccleſiis authoritate Apoſtolica conſtituit, & expreſsè erexit, ad hunc finem, ut Cura proprio jure Vicariis perpetuis incumberet, & eo diligentiùs, ac vigilantius illam gererent, quo magis ſuam, & propriam, & ad ſeipſos ſpectare, ipſiſque incumbere noviſſent.

Singuliſque Vicariis hujuſmodi certas portiones ex Eccleſiarum redditibus aſſignavit, & ulterius omnia, & ſingula emolumenta, & obventiones, quæ ratione Curæ, & adminiſtrationis Sacramentorum, ac officiorum funeralium, exceptis, & reſervatis tantùm anniverſariis ad eaſdem Eccleſias pertinerent, per ipſos Vicarios jure, & authoritate propria percipienda, exigenda, & levanda, ac in ſuos uſus, & utilitates convertenda, dictamque portionem, & emolumenta nominatim pro congrua dictorum Vicariorum aſſignare, & conſtituere expreſſit, quemadmodum latius habetur ex ipſa Conſtitutione munita ampliſſimis clauſulis, & Decreto irritanti la 139. *Bullar. tom.* 2.

Inter præfatas Vicarias adeſt illa antiquiſſimæ Parochialis Eccleſiæ, & Collegiatæ Sancti Nicolai in Carcere ex Titulis, & Diaconiis Cardinalitiis, cui Vicariæ propter poſtmodum vicinarum Parochiarum ſuppreſſionem aliæ Curæ acceſſerunt unitæ a Summis Pontificibus, nempè medietas Curæ Sanctæ Martinæ a Sixto V. & totalis cura Sanctæ Mariæ in Vincis a Clemente VIII. *Summario num.* 1. & ex cura Sancti Laurentii de Cabaluccis ipſi Capitulo a Gregorio XIII. annexa, certa portio ſcutorum decem annuorum eidem Vicario, & omnia incerta emolumenta ſub onere adminiſtrationis pariter perpetuò aſſignata fuerunt *Summ. numero* 2.

Inſuper eidem Vicario pro juribus Parochialibus, & funeralibus competentibus in Hoſpitali Sanctæ Mariæ Conſolationis, in quibus uſque de anno 1625. manuteneri obtinuerat, fuit ab hac Sacra Congregatione per concordiam Decretum, ut Hoſpitale quolibet anno præſtaret Calicem valoris ſcutorum decem, vel ejus pretium arbitrio ejuſdem Vicarii *Summ. num.* 3.

Cùm autem de anno 1665. excitata fuerit controverſia a Reverendiſſimo Capitulo ſuper præfatis emolumentis, hæc Sacra Sacra Congregatio die 27. Auguſti declaravit omnia ad Vicarium ſpectare, etiam pro Eccleſiis unitis; Sola verò emolumenta pro ſubterratorio, ſeu loco ſepulturæ Capitulo reſervavit. Verùm non acquieſcente Vicario, deventum fuit ad quandam pactionem, & compoſitionem, vita tantùm Parochi duraturam *Summ. num.* 4.

In hoc ſtatu Reverendus Dominus Sabbatinus de hac Vicaria a Sanctiſſimo nuper provius, & ſpecialiter juſſus, ut jura Vicariæ tueretur, nec aliqua concordia ſupprimeret, inſtat humiliter in præſenti pro declaratione, quod omnia emolumentia etiam ſubterratorii, & d. Calicis hodie pariter controverſi ad ipſum Vicarium pertineant, & exaudiendus omninò videtur.

Quo enim ad emolumenta, & in ſpecie pro ſubterratorio habent iſti Vicarii perpetui ad eorum favorem clariſſimam literam, & conceſſionem dictæ Conſtitutionis Beati Pii, qui nominatim pro congrua ipſorum aſſignavit, ut prædictum eſt, omnia, & ſingula emolumenta, & obventiones, quæ ratione Curæ, & adminiſtrationis Sacramentorum, & Officiorum funeralium, exceptis anniverſariis, ad Eccleſias pertinuiſſent, ut *in §. 3. verſ. Item*; Ex quibus verbis omninò veniunt ſubterratoria, quia hæc nil aliud ſunt, quàm emolumenta pro ſubterrandis cadaveribus, ſeu pro jure ſepulturæ, ut clarè probat ſtatutum Cleri Romani *cap. 6. §. 10. num.* 5. ibi, *ſubterratorium, ſeu jus ſepulturæ*, quæ dictio, *ſeu*, ſtat expoſitivè, & denotat materiam ſynonimam inter duo verba idem ſignificantia, ex traditis per Barboſ. *d.* 362. *num.* 7. Rota coram Coccino *deciſ.* 1045. *num.* 11. Pamphil. *dec.* 446. *num.* 3. & 8. & *dec.* 556. *num.* 5.

Derivat quidem ſubterratorium a verbo ſubterrare, quod ſignificat humo mandare, ſepelire, Terræ infodere, ſeu ſubtus Terram ponere, prout explicat du Freſne *in Gloſſar. ad med. & in fine latin. ſcript. tom.* 3. *lit. S. verb. ſubterrare*, & idem prorſus denotat, ac funerare, ſeu funeſtare, quæ verba pariter humo mandare deſignant, idem du Freſne *d. Gloſſar. tom.* 2. *liter. F. verb. funeſtare.*

Proindè dum Vicariis perpetuis conceſſa ſunt omnia emolumenta, quæ ratione Curæ, & adminiſtrationis Sacramentorum debentur Eccleſiæ Parochiali, venit ſubterratorium, ſeu jus ſepulchri, quod ratione Curæ, & adminiſtrationis Sacramentorum Eccleſiæ, & Parocho debetur *cap.* 1. *cum ſeqq. de ſepultur. cap. cùm quis in* 6. & *Clement. dudum eodem tit. Clement. ultim. in fin. de Relig. domib.* Genuen. *in prax. cap.* 6. *num.* 1. Barboſ. *de Paroch. part.* 3. *cap.* 26. *num.* 34. Gratian. *diſceptat.* 94. *num.* 74. Sperell. *deciſ.* 87. *num.* 8. Cardin. de Luca *de Paroch. diſc.* 23. *num.* 7. Rota coram Seraphin. *dec.* 1135. *num.* 3. Priol. *dec.* 365. *eodem num. in recent. deciſ.* 348. *num.* 9. *part.* 11.

Attentis præſertim illis verbis univerſalibus geminatis omnia, & ſingula, quæ ex ſua generalitate omnia prorſus complectuntur, Gloſſ. *in Clement. dudum de ſepultur. verb. funeralibus*. Et ponderata illa unica exceptione, & reſervatione anniverſariorum, quæ confirmat omnia, & ſingula emolumenta fuiſſe conceſſa, Rota coram Gregorio *deciſ.* 254. *num.* 4. Priol. *deciſ.* 365. *num.* 5. & 762. *num.* 11. & *in recent. dec.* 762. *num.* 11. *part.* 18.

In individuo autem, quod ſupradicta Conſtitutio Piana comprehendat, & aſſignet ſubterratoria, & omnia funeralia Vicariis perpetuis, firmat Cardin. de Luca *de Paroch. diſcurſ.* 22. *num.* 4. *verſ.* 4. *in eleemoſynam dari ſolita pro ſepultura*, Gratian. *diſc.* 925. *num.* 18. Rota coram Coccino *deciſ.* 1179. *verſ.* 4. ubi de ſubterratoriis, & *deciſ.* 1368. *per tot.* ubi pariter omnia poſſeſſa, & funeralia conceſſa decidit Rota ex generaliter dictorum verborum.

Conceſſis namque omnibus funeralibus, indubitatè venire dedet ſubterratorium, ſeu jus ſepulturæ, & ſubterrationis, quæ eſt principalis pars funeris, & funeralium, Calderin. *conſ.* 4. *de ſepultur.* Lavor. *in ſuis lucubrat. tom.* 1. *titul.* 2. *cap.* 3. *num.* 191. Azor. *inſtit. moral. part.* 2. *lib.* 9. *cap.* 14. *quæſt.* 13. *verſ. funeralium*, Barboſ. *appell*, 117. *num.* 3. Samuel. *de ſepult. tr.* 1. *controv.* 10. *concluſ.* 2. *num.* 5. Rodrig. *reſol.* 18. *num.* 3. Murg. *diſqu. moral. tom.* 1. *tract.* 9. *ſect.* 1. *§.* 1. *num.* 5.

Jureque optimo Pontifex omnia emolumenta largitus fuit Vicariis perpetuis, quia ob negligentiam Capitulorum in Conſtitutione expreſſam, ipſi conſtituti fuerunt veri Parochi, a Pontifice intitulati, cum authoritate, & jure proprio percipiendi omnia emolumenta ad præciſum effectum, & finem, *ut eo diligentiùs, ac vigilantiùs curam gerant, quo magis eam propriè ad ſe pertinere, & ſibi incumbere noverint.* Quapropter omnis cura in eos translata eſt, & ſunt veri Curati, & Parochi actu, licèt denominentur Vicarii juxta doctrinam Innocentii *in c. cùm non ignores num.* 3. *verſ. etſi eſt, de præbend.* quam latiſſimè ſequitur, & comprobat Lotther. *de re benef. lib.* 1. *quæſt.* 20. *a num.* 112. *cum pluribus ſeqq.* ubi ait translationis vim conſiſtere in intitulatione Vicariæ perpetuæ, & in exercitio, ac exactione jure proprio, ex quibus arguit, quod licèt Cura originalis habitu dici poſſit pertinens ad Collegiatam, tamen poſt Vicariam conſtitutam, ut ſupra, Cura actu præſentiali ſpectat ad Vicarium. Rot. *in rec. deciſ.* 579. *num.* 2. *part.* 2.

Et pariter in individuo, quod noſtri Vicarii ſint veri Parochi, tenet Rubeus apud Gratian. *diſcept.* 298. *ſub num.* 76. *verſ. idem* Rota coram Coccino *d. deciſ.* 1179. *ſub num.* 2. ibi, *Vicario ſeu Parocho.*

Nullatenus refragante nominatione Vicariæ, quia dum eſt perpetua, & jure proprio exercetur, dicitur verus titulus, & verum beneficium Eccleſiaſticum, Navarr. *conſ.* 9. *num.* 2. *de præbend. lib.* 3. Rebuff. *in prax. benefic. tit. de Vicar. perpet. num.* 15. Spad. *conſil.* 147. *num.* 21. *lib.* 3. Garz. *de benef. par.* 9. *cap.* 2. *num.* 286. & *par.* 10. *cap.* 2.

cap. 2. num. 10. Vivian. *de Jurepatr. lib. 2. cap. 2. num. 42.* Gonzal. *ad regul. Cancellar. gloss. 5. §. 3. numer. 19.* Tondut. *qu. beneficial. part. 2. cap. 1. §. 5. num. 15.* Peutinger. *dec. 53. a num. 79.* Cherubin. *in compend. Bullar. ad eamdem Constit. 139. Beati Pii schol. 1.* ubi determinat istas Vicarias esse vera beneficia.

Nomina etenim Parochi, Rectoris, & Vicarii sunt prorsus synonima, & idem præferentia Gloss. *in Clem. 1. §. nonnulli verb. Rectoribus*, & ibi Vitalin. *numer. 35. de excessib. Prælat.* Rebuff. *de congrua num. 112.* Cævall. *commun. quæst. 757. num. 54.* Rub. apud Gratian. *discept. 298. num. 72.*

Et juxta superiùs tradita constans semper fuit intelligentia hujus Constitutionis in Tribunalibus. Rota siquidem coram Coccino in relatis decisionibus 1179. & 1268. omnia funeralia Vicario, seu Parocho Sanctæ Mariæ in Vialata adjudicavit, & in specie subterratoria, seu emolumenta pro jure sepulturæ. Ulterius Audit. Cam. per sententiam idem definivit, & pronunciavit pro Vicario Sancti Angeli in foro Piscium, & ei pariter subterratoria concessit. Summario *num. 6.* Quæ sententia, & res judicatæ, utpotè emanatæ in causa status, citatis legitimis contradictoribus, afficiunt omnes, & firmant intelligentiam dictæ Constitutionis juxta textum *in l. Ingenuum, ff. de stat. hominum*, Rot. coram Coccino *dec. 905. num. 10. dec. 1292. num. 6. & in rec. 139. num. 10. & dec. 274. part. 17.*

Verùm pro hac intelligentia nulla remanet difficultas, dum habemus Decretum hujus Sacræ Congregationis a sanctæ memoriæ Alexandro VII. confirmatum, quod favore Vicarii Sancti Joannis Lateranensis declarat, sunt verba præcisa, & decernit emolumenta quæcumque Parochialia, ac incerta funerum tàm Parochialium, quàm exterorum qui ad Basilicam Lateranensem, pro Ecclesiastica sepultura deferendi, aut aliàs tumulandi fuerint, spectare ad ipsum Vicarium curam animarum pro tempore exercentem, juxta Constitutionem Pii Papæ V. &c. exclusis Capitulo, & Canonicis ab omni participatione præmissorum, ut in Summario *numero 7.* quod Decretum ponit rem in claris, & uti a Pontifice editum facit legem declaratoriam, etiam in cæteris observandam, Rota coram Dunozetto Juniore *dec. 72. num. 3.* Castill. *dec. 39. num. 16.*

Demùm hac eadem intelligentia resultat ab usu inveterato, & observantia continua, dum omnes Vicariæ a Beato Pio erectæ, exceptis duabus, aut tribus concordatis, percipiunt emolumenta subterratorii, exclusis omninò Capitulis, ut ex attestationibus *Summario num. 8.* de quibus etiam testatur Cardinalis de Luca *de Parochis disc. 22.*

Neque resistit, quod obventiones subterratorii præstentur pro loco sepulturæ, itaut debitæ videantur Canonicis, tanquam Dominis Ecclesiæ materialis, quemadmodum sensisse prætenditur hæc Sacra Congregatio de anno 1665. & quod aliàs Parochiani sepeliri debeant in Cœmeterio.

Siquidem, quidquid dicendum sit ex primo antiquiorum Antistitum instituto, an mortui in Cœmeterio, vel Ecclesia sepeliendi veniant, dum ipsa Cœmeteria primitus Templa erant, in quibus omnia Sacra peragebantur promiscuo Oratorii, & Cœmeterii nomine appellata, teste Nicephor. *lib. 8. cap. 13.* S. Clemens *lib. 7. Constit. Apostol. cap. 29.* Euseb. *histor. Ecclesiast. lib. 6. cap. 13. & lib. 9. cap. 2.* cum aliis relatis per Samuel. *de sepultur. centur. 2. num. 2. & 3.* Et quamvis medio tempore Cœmeteria ab Ecclesiis separata fuerint, & singulis personarum generibus stabilita, vetita specialiter sepultura in Ecclesiis, eaque solùm ibi concessa Episcopis, Sacerdotibus, & laicis dumtaxat miraculorum signo notatis ad text. *in cap. 1. de consecr. Eccles. cap. Si Civitas de sentent. excommunic. cap. nullus 13. quæstion. 2.* Samuel ubi supra *num. 4. & 5.* allegans Divum Chrysostom. Evagr. & alios, Murg. *disquisit. moral. tom. 1. tractat. 3. disquisit. 3. conclus. 1. & 2.* Rota coram Zarate *dec. 45. num. 19.*

Attamen ad tenorem ultimi, & observati ad præsens Ecclesiarum usus, vel mitigato medii rigore, vel restituto primo statu omnibus Christifidelibus in communione, morientibus tumulari in Ecclesiis libera facultas concessa est, ut juxta Sancti Gregorii Magni animadversionem propinqui, amici, & cæteri fideles sepulchra in Ecclesiis conspicientes, ut hac præsentanea visione excitati, pro mortuis preces effundant, & ad benè vivendum, & moriendum tali memoria ducantur, *cap. Ecclesiam de consecrat. distinct. 1. cap. ex parte, leg. Cùm liberum de sepultur.* Gloss. *in cap. Cùm gravia 13. quæst. 2.* & ibi Turrecremat. Durant. *de rit. lib. 1. cap. 22. num. 7.* Samuel *de sepultur. dict. controv. 2. num. 7. & 8.* Lavor. *var. lucubr. tit. 2. cap. 5. num. 107.* Barbos. *de Paroch. cap. 26. num. 8.* Rota coram Zarate *d. dec. 45. num. 14. & in recent. dec. 561. num. 1. part. 4.*

Hinc autem mos inolevit retinendi in Ecclesiis particulares sepulturas, quas vocant communes, & quidem distinctas ad honestatem servandam juxta Defunctorum dignitatem, & sexum, alias nempè pro Sacerdotibus, alias pro parvulis, alias pro masculis, & alias pro fœminis, quæ specialiter in omni Ecclesia Parochiali constitutæ, & necessariæ sunt, prout adsunt in nostra ex notatis per Ricc. *resol. 215. num. 5. part. 1.* Barbos. *de offic. Paroch. par. 3. cap. 26. num. 1.*

Prædictis itaque suppositis distinguendi planè sunt in hac materia duo casus, quantum ad subterratoria, seu emolumenta, quæ deberi possunt pro loco sepulturæ. Primus est si agatur de emolumento pro habendo sepulchro in loco particulari, & nobiliori Ecclesiæ, seu monumento, urna, statua, & similibus, & in his terminis pro loco sepulturæ, & pro illo honore merè profano, licèt congruum aliquod emolumentum recipitur, quod debitum est Ecclesiæ independenter a cura, & ab administratione Sacramentorum, seu jure Parochiali sepulturæ, Abb. & cæteri Doctores *in cap. abolendæ de sepultur.* Sylvest. *v. sepultura quæst. 1.* Cajetan. *v. simonia*, Genuen. *in prax. cap. 40. num. 19. in 1. edit. aliàs 32. in 2.* Sanchez *de matrimon. tom. 3. lib. 9. disput. 15. num. 42. & conf. lib. 1. cap. 3. lib. 14. num. 1.* Ledesma *in sum. part. 2. tract. 12. conclus. 34.* Gratian. *discept. forens. tom. 1. cap. 210. num. 25.* Lavor. *var. lucubrat. tom. 2. titul. 2. cit. cap. 10. num. 25. & 26.* Mancin. *de jur. Sacro differt. 30.* Samuel. *de sepultur. tom. 2. controvers. 13. sub num. 1. & 2.* Barbos. *de Paroch. cap. 26. num. 16.* Lotther. *de re benef. lib. 2. quæst. 4. num. 10.* Noguerol. *allegat. 36.* cum aliis latè citatis per Salgad. *in Labir. cred. part. 3. cap. 5. num. 46.*

Secundus casus emergit, dum cadavera sepeliuntur in foveis communibus, & destinatis, & pro istis locis, seu sepultura in eis nihil prorsus debitum est Ecclesiæ ad textum literal. *in c. abolendæ de sepult.* cujus dispositio congruit *cap. 7. Ecclesiastici*, ubi habetur, mortuo non prohibeas gratiam, idest gratis sepulturam, & alibi: quid Terræ Terram vendis? De quibus *in c. in Ecclesiastico* cum antecedenti, & pluribus sequentibus *13. quæst. 2.* Sylvest. *v. Simonia quæst. 11.* Gulielm. Redoan. *eodem tractat. 3 cap. 6. num. 15.* Suarez *tom. 1. de Relig. lib. 4. cap. 14. num. 22.* Filliuc. *tom. 3. tract. 45. cap. 5. num. 26.* Mancin. *d. differt. 30.* Samuel. *de sepult. tom. 2. controv. 13. num. 6.*

Ex his intelligendum est Decretum de emolumentis pro loco sepulturæ, nempè pro loco particulari, & nobili, non autem pro sepultura in Ecclesia in foveis destinatis, & communibus pro quibus nihil recipi potest, & in hoc sensu verè editum fuisse Decretum, constat ex traditis per Cardin. de Luca in ea causa pro Vicario scribentem citato *disc. 22. numero 9. de Paroch.* qui enunciatis omnibus emolumentis, & in specie sepulturæ, ea omnia spectare ad Vicarios firmat, & descendendo ad nostrum Vicarium Sancti Nicolai in Carcere, ait in omnibus favorabiliter ab hac Sacra Congregatione obtinuisse.

Nec aliàs dici potest controversa emolumenta obvenientia Ecclesiæ Parochiali sub titulo subterratorii deberi pro loco sepulturæ. Nam verius est esse eleemosynas, seu partes funeralium, quæ complectuntur omnes oblationes, & commoda funeris quomodocumque ad Ecclesiam, in qua Defunctus tumulatur, pertinentia, ut in terminis quartæ latè probat Carrac. *de quarta funeral. qu. 3.* Barbos. *de offic. Paroch. cap. 25. num. 26.* Guttier. *de juram. p. 2. qu. 4. n. 3.* cum aliis, quos refert, & sequitur Panimoll. *dec. 5. annot. 4. n. 24.*

Sive dentur Ecclesiæ ante, dum cadaver est in feretro, sive in ipsa sepultura, vel demum postea usque ad trigesimum diem, Barbos. *d. cap. 25. num. 36.* Rota *dec. 501. num. 2. part. 13.* & sub nomine quartæ funeralis hujusmodi subterratoria deberi Vicario, probat Rota coram Coccino *d. dec. 1179. vers. 4.*

Idque evidentissimè comprobatur ex duplici demonstratione. Altera nempè, quod illud adhuc exigitur a Parocho, etiamsi in alio loco sepeliatur, cùm ei debeatur portio de omnibus *Clem. dudum de sepult.* cum aliis supra citatis. Altera quod Parocho debetur hoc subterratorium, etiamsi Defunctus in ipsamet Ecclesia Parochiali sepeliatur in loco particulari, vel in sepulchro majorum, ut colligitur ex statu Cleri *d. sum. n. 5.* & communi observantia, quæ sunt demonstrationes evidenter probantes, quod obventiones subterratorii non dentur pro loco sepulturæ communis, cùm prorsus absurdum foret, & implicans, ut quis ad illud teneretur,

tametsi

tametsi alio in loco sepulturam, vel in eadem Ecclesia illam haberet in loco proprio, & sepulchro majorum. Quapropter dicendum est, hoc emolumentum provenire ex jure Parochiali, in quo Ecclesia nullam habet participationem.

Addimus ex abundanti, quod cum Vicarius perpetuus sit verus Parochus, & habet jus humani cadaveris in dicta Ecclesia independenter a Capitulo, & Canonicis ex concessione Beati Pii, præsertim quia cura, administratio Sacramentorum, & jus sepeliendi individua prorsus sunt, in necessarium antecedens habere etiam debet sepulturas materiales in Ecclesia existentes, sine quibus jus Parochiale, & sepeliendi explicare non posset, Gratian. *discept.* 615. *numer.* 70. dum sepulturæ ex dictis sint unum ex iis, quæ necessaria sunt ad constituendam curam, & jus Parochiale, & in vanum allegatur Cœmeterium, quia hæc hodie inserviunt ad expurgandas, & exonerandas sepulturas communes, prout verè ad hunc solum effectum habile est Cœmeterium S. Nicolai sepulturis destitutum, & ab antiquissimo tempore ad hunc usum non habitum, ut deponunt Testes *summ. num.*

Cæterùm cùm non minus Cœmeterium, quàm septa Ecclesiæ constituant unum, & idem corpus circa jus sepulchri, eædem rationes, & jura, quæ super Ecclesia competunt, & competerent super Cœmeterium, cùm hoc ab illa non distinguatur, latè Rota coram Zarate *decis.* 45. *num.* 15.

Hactenus de subterratoriis; Quo verò ad pertinentiam recensiti Calicis, res est magis plana, nam lite orta inter Venerabile Hospitale Beatæ Mariæ Consolationis, & Vicarium Curatum Sancti Nicolai, prætendentem uti authoritatibus, & juribus Parochialibus in dicto Hospitali tanquam existente intra limites suæ Parochiæ, ac consequi emolumenta funeralium, & sepulturæ pro ægrotis in eo morientibus, fuit deventum ad concordiam, in qua Custodes d. Hospitalis ratione jurium Parochialium, & administratione Sacramentorum se obligarunt annuatim tradere unum Calicem valoris scutorum decem aureorum; Unde sicuti jura Parochialia, & emolumenta provenientia ab administratione Sacramentorum spectabant ad Parochum, ita & ad eum spectare debet ista annua præstatio, quæ illorum loco fuit subrogata, ad Text. *in leg. Cùm quis, §. Injuriarum, ff. si quis caution.*

Et ad hunc effectum emanavit a Sacra Congregatione Visitationis Apostolicæ beneplacitum super celebratione dictæ concordiæ, quod datur *in summ. numer.* 5. ibi, *Ubi Custodes tribuant Curato Calicem valoris scutorum decem aureorum, vel ejus pretium arbitrio ipsius*, & in tertio Capitulo præfatæ concordiæ, ibi, *absque eo, quod Curatus prædictus possit quidquam prætendere ratione quartæ funeralium*: Unde cùm præfatus Calix, seu valor decem aureorum annuatim solvatur a prædicto Hospitali intuitu quartæ funeralis, quæ ex supra deductis debetur Vicario independenter a Capitulo, videtur per necessarium consequens ad ipsum Vicarium spectare, non autem Capitulo adversario.

Quare, &c.

Octavius de Jandis Advocatus.

De mandato Illustris. & Reverendiss. D. A. Cam. & ad instantiam Rever. D. Joannis Bernardini Durantis Curati Sancti Angeli in foro Piscium principalis, ad cujus favorem fuit lata sententia, tenoris sequentis videlicet: Christi nomine invocato pro Tribunali Sedentes, & solum Deum præ oculis habentes per hanc nostram definitivam sententiam, quam de juris Peritorum consilio pariter, & assensu ferimus in his scriptis in causa, & causis, quæ primo, & prima coram nobis vertuntur, & versæ fuerunt instantiam inter Reverend. D. Joannem Bernardinum Durantem Parochum, seu Vicarium perpetuum Curatorem Ecclesiæ Sancti Angeli in foro Piscium Urbis actorem ex una, & RR. DD. Capitulum, & Canonicos ejusdem Ecclesiæ reos conventos partibus ex altera, de & super jure percipiendi propria authoritate levandi, & exigendi, ac in proprios usus, & utilitatem convertendi omnia, & singula emonumenta funeralia, intorticia, facultas, & candelas, omniaque alia cum cadavere invecta, & illata, & obventiones omnes, & eleemosynas, seu jura pro loco sepulturæ, & tumulationis, atque omnium, & quorumcumque officiorum, funeralium, quæ ipsa die humationis cadaverum celebrantur, nec non quartam funeralem, rebusque aliis, &c. ad curam animarum spectantibus, & pertinentibus, dicimus, pronunciamus, decernimus, & declaramus, & definitivè sententiamus prædicta omnia, & singula emolumenta, & obventiones præfato Joanni Bernardino, ac in dicta Cura, & Vicaria perpetua successoribus competiisse, & spectasse, ac competere, & spectare occupationes, detentiones, molestias, vexationes, perturbationes, ac impedimenta quæcumque per dd. Capitulum, & Canonicos, de & super præmissis illata, præstitas, & factas fuisse, & esse illicitas, indebitas, & injustas, temerariasque, & de facto factas, easque facere dictis Capitulo, & Canonicis minimè licuisse, & licere. Propterea d. Joannem Bernardinum ab imperitis absolvendum, & liberandum fore, & esse, prout absolvimus, & liberamus, dictisque Capitulo, & Canonicis perpetuum silentium imponendum fore, & esse, prout imponimus, illosque ad restitutionem omnium, & singulorum prædictorum emolumentorum perceptorum a die motæ litis, ac in futurum percipiendorum usque ad actualem præsentium partitionem condemnandos fore, & esse, prout condemnamus, & mandatum desuper necessarium, & opportunum relaxamus. Victosque Victori in expensis condemnamus, quarum taxationem nobis, vel cui de jure reservamus, & ita dicimus, pronunciamus, decernimus, & declaramus, & indefinitivè sententiamus, isto non solùm, sed & omni, &c.

Ita pronunciavi Ego Palutius Palutius Albertonius Auditor. Tenore præsentium.

Mandatur Reverendis Capitulo, & Canonicis Sancti Angeli in foro Piscium, & aliis, ad quos spectat, quatenus statim visis, & sub mille ducatorum auri Reverendæ Cameræ Apostolicæ applican. & pro illis mandati exequutivi, & in juris subsidium excommunicationis, aliisque &c. pœnis debeant, & quilibet eorum adamussim, & inviolabiliter observasse, illique, & aliis in omnibus, & per omnia paruisse, & obediviſſe, debitæque exequutioni demandasse, suosque plenarios effectus sortiri feciſſe, & pro effectu portionis hujusmodi, & in exequutione præinsertæ sententiæ, & juxta illius formam quidquid per d. RR. DD. Canonicos de emolumentis in præfata sententia enunciatis a die motæ litis perceptum fuerit d. Domino Joanni Bernardino instanti restituisse, & restitui feciſſe. Necnon mandatur Baroncellis, exequutoribus, & subexequutoribus, cæterisque Justitiæ Ministris, ut sub pœnis, & censuris antedictis cogant, & compellant eosdem RR. Canonicos ad reficiend. d. D. Instanti scuta undecim sine præjudicio aliarum expensarum in hujusmodi causa factarum pro expensis præsentis mandati pro omnium, & singulorum bonorum dd. Canonicorum ablatione, &c. Quæ sic ablata, &c. deponantur, &c. ad effectum, &c. & insuper inhibetur eisdem RR. Capitulo, & Canonicis, omnibusque aliis, & singulis in exequutione præsentium nominan. & cognominan. ne sub jam dictis pœnis audeant d. R. D. Joannem Bernardinum instantem contra formam d. sententiæ molestare, vexare, & perturbare, seu emolumenta in eadem sententia enunciata percipere quovis prætextu, &c. absolutionem, &c. Quoniam stante præfata sententia servatis servandis, ac eisdem Canonicis citatis, & relatis lata, & alias, prout in actis Rev. Dom. ita mandavit hac die 20. Martii 1662. Olimpiades Petruccius Notarius, &c. Ostendatur per tres dies.

P. Palutius Albertonius Auditor ante etiam domidimissa D. Assentio copia.

Loco ✠ Sigilli.

Decretum ad favorem Vicarii perpetui Sancti Joannis Lateranen. emanatum a san. mem. Alexandro VII. de anno 1659.

QUo cura animarum per Viros idoneos, & probatos accuratiùs exerceatur, ac ejusdem onera faciliùs supportentur Sanctissimus Dominus Noster declarat, & decernit emolumenta quæcumque Parochialia, & incerta tàm funerum Parochianorum, quàm exterorum, qui ad Basilicam Lateranensem pro Ecclesiastica sepultura, aut aliàs tumulandi fuerint, spectare ad ipsum Vicarium curam animarum pro tempore exercentem juxta Constitutionem Pii V. & decretum visi-

visitationis Urbani VIII. 28. Septembris 1630. & 31. Martii 1639. exclusis Capitulo, & Canonicis ab omni prorsus participatione præmissorum, &c.

Ita reperitur in libro Visitationis Apostolicæ Basilicæ Lateranensis existen. in Secretario S. Congregationis Visitationis Apostolicæ. In quorum fidem, &c. Romæ hac die 25. Octobris 1687.

Loco ✠ Sigilli.

B. Panciaticus Secretarius.

Die Lunæ 23. Septembris 1630. coram Eminentiss. & Reverendiss. DD. Cardinalibus Sancti Onuphrii Ginetto, & DD. Vicegerens Episcopus Tigrinus Torniellus, Patres Capuccini, & Commissarius pro Vicario perpetuo Sacrosanctæ Basilicæ Lateranensis, contra Capitulum, & Canonicos Vicario deberi omnia, & singula emolumenta, & obventiones, quæ ratione exercitii curæ, & administrationis Sacramentorum, & officiorum funeralium, &c. etiam accedentium extra Parochiam, quæ ipsa die humationis cadaverum celebrantur. Anniversaria verò ad Basilicam pertinere, ostendatur decretum etiam sub pœna suspensionis, & alias &c.

Aliud adest sub die 31. Martii 1639. incipien. parito decreto, &c.

In causa Romana funeralium inter Capitulum, & Canonicos Collegiatæ Ecclesiæ SS. Quirici, & Judittæ ex una, & Josephum Guarnerium ipsius Vicarium ex altera. Proponente Eminentiss. & Reverendiss. D. Cardinali Colloredo, Sac. Congregatio Visitationis habita die 23. Novembris 1690. examinatis juribus hinc inde deductis, rescripsit. Emolumenta pro jure sepeliendi, & pro subterratoriis in sepulturis communibus spectare ad Vicarium, exclusis Capitulo, & Canonicis a participatione ipsorum. In quorum, &c.

Responsum D. Advocati Octavii de Jandis in causa Romana Pretatici. Pro admodum R. D. Dominico Sabatino Vicario perpetuo, seu Parocho insignis Ecclesiæ Collegiatæ Sancti Nicolai in Carcere contra Judæos detinentes Domos Ghetti parvi ad Portam Leonam. Ubi agitur

De Pretatico a Judæis præstando Ecclesiis Parochialibus, intra quarum fines domos habitant, vel detinent, aliàs a Christianis habitari solitas, seu de refectione damnorum, & interesse, quæ dictæ Ecclesiæ patiuntur in deficientibus oblationibus, & emolumentis Christianorum debita ex justitia naturali, dispositione Sacrorum Canonum, & Conciliorum, communi opinione Doctorum, consuetudine Urbis, & decretis Apostolicis.

Rejicitur contraria opinio Ricciuli *de Jure personarum extra Eccles. Grem. existen. lib. 2. cap. 9.* & Cardinal. de Luca *de Paroch. discurs. 29.* & utrumque eorum fundamentum ex authoritate, & ratiocinio deductum.

Datur vera intelligentia, & concordantia utrique textui *in cap. nimis prava penult. de excess. Prælat.* & *in cap. quanto 18. de usuris.*

Et demum probatur competere manutentionem Ecclesiæ in quasi possessione exigendi tale Pretaticum, tametsi a multo tempore exactio intermissa fuerit.

Romana Pretatici.

Facti species.

Ob impia scelera a Judæis sparsim tunc per Urbem habitantibus patrata, san. mem. Paulus IV. & B. Pius Summi Pontifices decreverunt inter alia providè sancita illos certo in loco recludere, ut qui aliàs abusi fuerant christiana pietate, eos in testimonium fidei, & conversionis incitamentum, tolerante dignoscerent operis effectu, quamdiù in suo errore perstisterent, ex hac custodia habitationis, & carcere nocturno propriam servitutem, seu verius dispersionem, quemadmodum præfati Pontifices exprimunt in Constitutionibus desuper editis, quæ sunt ex Ordine Bullarii tertia Pauli IV. & septima Beati Pii. Adeòque de facto intra ambitum utriusque Septi, seu Ghetti, alterius videlicet Magni nuncupati ab antiquo foro per flumen ad Pontem quatuor Capitum, & alterius Parvi ad Portam Leonam, occlusi fuerunt propè eorum clausuram, jam olim a Romanis, & ab ipso Augusto iisdem ferè de causis Transtyberim inter vilissimas artes designatam, ex qua, (ut ad præsens) sulfurata per Urbem venditando ramenta, eaque ruptis vitris commutando, Victum unicè quæritabant, ut ex illis Martialis carminibus *lib. 1. epigramm. 4.*

Hoc quod Transtyberinus ambulator,
Qui pallentia sulfurata fractis
Permutat vitris.

ibi passim colligunt Interpretes, & signanter Ramirez Prado, & Antiquarii, de quibus videndi Cardinal. Baron. *tom. 1. Annal. in apparit. pag. mihi 18.* Severan. *de sept. Eccles. Urb.* de regione Transtyberim *pag. 300.* Nardin. in Roma antiqua *lib. 7. cap. 11.* Martinell. *in Rom. Sac. pag. 163.* Gaspar. Alver. in Roma in omni stat. *part. 1. pag. 162.* & *part. 2. pag. 403.*

Cùm autem ex recessu Christianorum e domibus utriusque Ghetti Judæis assignati, quamplurima damna, & præjudicia passæ fuerint circumstantes Ecclesiæ Parochiales Sancti Angeli in foro Piscium, Sancti Nicolai in Carcere, Sanctæ Mariæ de Planctu, & S. Mariæ in Monticellis, Sancti Thomæ de Cinciis, & Sancti Gregorii ad Pontem quatuor Capitum in deficientibus proventibus, & emolumentis Parochialibus, quæ Christiani ibidem degentes intra fines cujusque Parochiæ sitis Ecclesiis præstabant de vivariis, & mortuariis, cœperunt usque tunc ad formam juris, & forsan consuetudinis aliarum Parochialium pro quadam compensatione, seu istorum damnorum refectione, undique justa, & æqua, exigere certam semestrualem præstationem in pecunia sub nomine Pretatici per ipsos Judæos soluta in Capita, vel in familias, quæ subindè iteratis etiam transactionibus antiquis, & recentibus cum nonnullis prædictarum Ecclesiarum Parochis a Judæis approbata extitit, & ulterius comprobata fuit a Summis Pontificibus Urbano VIII. & Innocentio X. qui talem præstationem, & Pretaticum, pro rata tamen domorum Parochiæ assignarunt, & pluries ipsa Sacra Congregatio visitationis Apostolicæ super hoc Pretatico rescripsit, signanter de anno 1660. mandato in ejus solutione servari solitum, illudque propterea canonizando tum in genere, tum in specie, & in utraque præstatione per capita, seu per familias, prout constat ex ipsis instrumentis literis Apostolicis, & decretis in forma authentica exhibitis, relatis in fine.

Insignis Collegiata, & Parochialis Ecclesia Sancti Nicolai in Carcere ex Ghetto parvo ad Portam Leonam intra suæ Parochiæ fines constituto, Domibusque in eo sitis a Judæis illas detinentibus ab antiquissimo tempore Pretaticum exigere consuevit, non tamen per capita, sed per Domos, & familias in præstatione semestruali antiquorum bononenorum sex pro quolibet, ibique justificat præsertim a principio cadentis sæculi ex antiquis libris introituum Ecclesiæ a Parochis pro tempore descriptis, ubi accuratim apparent adnotatæ solutiones a Judæis factæ, semperque continuatæ usque ad annum dumtaxat 1677. quo tempore Parochus de ea cura provisus, diversis lacessitus infortuniis passus fuit exercitii privationem, Cura sub œconomo sequestrata, ad quam nuper assumptus admodum Reverendus D. Dominicus Sabatinus in tutandis, exquirendisque juribus suæ Ecclesiæ diligentissimus, post alias causas feliciter peractas, vel concordatas, ad restaurandum quoque hoc intermissum Pretaticum se convertens, judicialem instantiam contra Judæos illud solvere renuentes, instruxit coram Eminentiss. Urbis Vicario pro manutentione Ecclesiæ in quasi possessione exigendi, & pro sententia declaratoria in meritis; Ast opponentibus Judæis quoad merita Pretaticum omni Jure indebitum definiri a Ricciullo *de Jur. person. extra grem. Eccles. existent. lib. 2. cap. 9.* & Cardin. de Luca *de Parochis decis. 29.* Et manutentionem ex intermissa ultra decennium exactione, & amissa propterea etiam civili possessione nullatenus competere ex tradit. per Post. *de manut. observ. 58. a num. 1.* quæsivit a me in præmissis ex pura veritate.

RE-

RESPONSUM.

An controverſum Pretaticum debeatur, & an competat Eccleſiæ manutentio?

SUpradeductis itaque ſtantibus materia hac ſatis peregrina, & exemplari, accurratè penſata, in utroque puncto ad favorem Eccleſiæ contra Judæos de jure verius exiſtimo reſpondendum.

Reſpectu namque primi ſuper meritis, & petitorio, moveor ex eo, quod dum Judæi habitant, vel detinent Domos, in quibus olim Chriſtiani habitabant, neque amplius habitare poſſunt, ſicuti æquum non eſt, quod propter illos Eccleſiæ Parochiales damnificentur, & præjudicentur in iis oblationibus, proventibus, & emolumentis Parochialibus, quæ Chriſtiani habitantes præſtabant, & præſtarent, ita rigor ipſæ juſtitiæ naturalis ſuadet, quod iiſdem Judæi teneantur reficere, & compenſare hujuſmodi damna, & præjudicia Eccleſiis per eorum habitationem illata, quæ in Urbe ſub nomine Pretatici ab eis præſtari ſolet, ut ſic Parochiales Eccleſiæ conſerventur indemnes, neque propter Judæos valeant ſuis juribus fraudari, quemadmodum definivit Innocentius III. in Concilio Lateranenſi, de quo in *cap. Quanto 18. §. final. de uſur.* ibi: *Judæos decernimus compellendos ad ſatisfaciendum Eccleſiis pro Decimis, & oblationibus debitis, quas a Chriſtianis de domibus, & poſſeſſionibus alias percipere conſueverunt, antequam ad Judæos quocumque titulo deveniſſent.* Et addit Pontifex rationem juſtitiæ, & æquitati nixam, *ut ſic* nempe *Eccleſiæ conſerventur indemnes.*

Idem prius ſanciverat Alexander III. in *cap. de terris 16. de decim.* ubi expreſsè mandando, quod Judæi ſolvant decimas prædiales, ſubnectit generalem rationem, *ne forte occaſione Judæorum Eccleſiæ valeant ſuo jure fraudari.*

Concordat Gregorius IX. *cap. penult. de exceſs. Prælat.* vetans Eccleſiis compenſationem damnorum, quæ eis inferunt Religioſi domos habitantes, ſicuti exigunt de Judæorum domibus.

Præ cæteris autem hæc damnorum refectio ſtabilita habetur ex Concilio Viennenſi ſub Clemente IV. relato inter Concilia generalia *tom. 7. pag. 870. col. 1. in fin.* cujus hæc ſunt aurea verba: *Judæi Sacerdoti Parochiali, infra cujus Parochiæ terminos manſerint pro eo quod loca, in quibus Chriſtiani habitare debebant, occupant juxta quantitatem damni, quod ei ex hoc inferunt, ad arbitrium Diœceſani loci, omnis proventus, quos a Chriſtianis, ſi ibidem manerent, Sacerdos perciperet, refundere compellantur: Decimas etiam prædiales cum omni integritate perſolvant*, & notat in Epitome Conciliorum Gregor. de Rives *verb. Judæi de Concil. Vienn. num. 17.* cui eadem verba refert ad unguem, & Bzov. *Annal. Eccleſ. tom. 13. ad annum 1297. num. 20.*

Hanc Sacror. Canonum diſpoſitionem explicando comprobant Gloſſæ literales in *dict. cap. Quanto in figuratione caſus in fin. verſ. & ſic nota, & verbo deveniſſent de uſur. dict. cap. penult. de exceſſ. Prælat. verb. domibus, & in cap. tua 26. verſ. prætextu verſ. & Judæus de decimis.*

Et juxta prædicta ex Sacris Canonibus, Conciliis, & Gloſſis deducta invaluit ſententia communis, quod Judæi habitantes, & detinentes Chriſtianorum domos teneantur reficere Eccleſiis Parochialibus damna, quæ in deficientibus oblationibus, & proventibus a Chriſtianis præſtari ſolitis inferuntur, de qua Anan. in *dict. cap. Quanto de uſur. num. 3.* Butr. *num 7.* Boich. *num. 1.* Abb. *num. 4.* Hoſtien. *num. 6.* Zabarella *num. 2.* Anchar. *num. 7. & 8.* Jo: Andr. *num. 1.* Barboſ. *num. 1.* Gonzal. *verb. oblationes, & in dict. cap. de terris de decim.* Butr. *num. 2.* Boich. *num. 1.* Abbas *num. 5. & 6.* Anchar. *numer. 1.* Jo: Andr. *num. 1.* Barboſ. *num. 1.* Lap. *alleg. 62. num. 2. verſ. nec prodeſt dicere*, ibique Mandoſ. *lit. N.* Oldrad. *conſ. 91. per tot.* Mantuan. *conſil. 188. numer. 3.* Bellencin. *de charit. ſubſid. quæſt. 67. numer. 1. & ſeqq.* Piringh. *in method. jur. Canon. lib. 3. tit. 30. ſect. 1. numer. 36.* Nicol. *inſtitut. canon. tom. 2. lib. 3. titul. 30. numer. 5. in fin.* Rebuff. *de decim. quæſt. 5. num. 11.* Bonacin. *de præcept. Eccleſ. tom. 2. quæſt. 5. punct. 3. num. 6.* Azor. *inſtitut. moral. part. 1. lib. 7. cap. 35. quæſt. 3.* Barboſ. *de Paroch. part. 3. cap. 28. §. 3. & de jur. Eccl. lib. 3. cap. 26. §. 3. num. 3. & 4.* Paulut. *in juris prud. Sac. lib. 6. tract. 10. cap. 3. ſub num. 8.* & latiſſimè in puncto Pretatici Urbis a Judæis debiti Eccleſiis Parochialibus Pignatell. *conſult. 70. tom. 5.* & antea *conſult. 177. num. 64. tom. 1.*

Quod ſi contrarium teneretur, ſeu practicaretur undique abſona eſſet injuria Eccleſiarum, & valdè aperta iniquitas contra ipſarum jura, & emolumenta, quandoquidem non ſolùm adverſus omnia principia naturalia, & Eccleſiaſtica propter perfidos Judæos Parochialium Eccleſiarum conditio evaderet deterior, quod dictum abominabile prorſus eſt: ſed immò poſſent in propriis proventibus, juribus, & juriſdictionibus ad nihilum quandoque reduci eo poſſibili caſu, quo omnes Parochiæ domus a Judæis detinerentur; Tunc enim Eccleſiæ remanerent privatæ ſuis juribus Parochialibus, & omnibus emolumentis, in quibus ſi per Judæos damna emergunt, meritò de rigore juſtitiæ diſtributi æ, & ipſius naturalis æquitatis, ut dictum eſt, ne uni per alterum iniqua eveniat conditio, *leg. Se a cum concord. ff. ad Vellejan.* reficienda ſunt per eos, qui illa cauſarunt debita compenſatione, & refectione a ſacris Canonibus, & Conciliis ſancita, & communi omnium Doctorum ſententia comprobata, veluti ratiocinantur ſupra relati authores, & præſertim Jo: Andr. Abbas, & Hoſtienſ. *in cap. Quanto 16. de uſur.*

Accedit præfatis ipſa Urbis, Curiæque conſuetudo; nedum univerſalis antiquiſſima reſpectu Judæorum Ghetti magni, qui Pretaticum a vetutiſſimo tempore conſueverunt præſtare, & ſolvere Parochis Sancti Angeli in foro Piſcium, S. Mariæ in Monticellis, Sancti Gregorii ad Pontem quatuor Capitum, & aliis ſupra relatis, approbata pluries mediantibus iteratis tranſactionibus ab ipſis Judæis celebratis cum aliquibus ex dictis Parochis ſuper quantitate, & modo ſolvendi, præſertim de anno 1604. 1614. & 1643. canonizata in Tribunali Eminentiſs. Vicarii per Decreta interpoſita a R. P. Viceſgerente, immò ab ipſis Pontificibus, Urbano VIII. & Innocentio X. qui ſpecialibus literis Apoſtolicis in forma Brevis hujuſmodi Pretaticum pro Eccleſia S. Mariæ in Monticellis confirmarunt, de quibus exibentur documenta authentica, & teſtatur Pignatell. *citat. conſult. 70. a num. 4. tom. 5.* & antea *conſult. 177. num. 64. in fin. tom. 1.*

Sed quæ fortius urget, concurrit ulterius individua conſuetudo etiam antiquiſſima reſpectu Pretatici præcisè debiti a Judæis ex domibus hujus Ghetti parvi ad Portam Leonam & ſoluti noſtræ Venerabili Eccleſiæ Parochiali S. Nicolai in Carcere, ejuſque Parochis; dum conſtat a libris Eccleſiæ, & Teſtibus, quod ab initio præſertim hujus ſæculi uſque ad annum 1677. illud fuit continuò præſtitum, & ſolutum a Judeis ibidem degentibus, vel domos detinentibus, quę conſuetudo univerſalis, & ſpecialis in hac materia potiſſimè ſpectanda, totum operatur, juxta Text. *in dict. cap. Quanto*, ibi, *conſueverant. De uſur.* & benè Abb. *n. 4. ibid.* Boich. *in dict. cap. de Terris de dec.* Pignatell. *allegat. conſult. 177. num. 64. in fin. tom. 1. & conſultat. 70. num. 4. & 5. tom. 5.* Et generaliter in terminis Decimarum Rota coram Coccin. *deciſ. 1609. num. 1. & deciſ. 1776. num. 7.*

Demum habentur etiam plures reſolutiones Sac. Congregationis Viſitationis, quibus hujuſmodi Pretaticum approbatum fuit, quoties in controverſiam deduci contigit, mandando deſcribi capita Hebreorum, & juxta ea quandoque ſolvi, & poſtmodum objicientibus Hebreis ſolutionis uſum alquando per familias, decernendo de anno 1660. ſervari ſolitum, ita canonizato Pretatico in genere, & in ſpecie pro numero perſonarum, ſeu familiarum ex uſu, & ſolito: Et conformes hujuſmodi declarationibus S. Congregationis ponderandę ſunt laudatę literę Apoſtolicę in forma Brevis, quibus Pontifices Pretaticum hoc comprobarunt, unde illius juſtitia vindicata remanet ab omni dubietate, & manifeſtè in eo confirmata juſtitia, & equitas naturalis, ac diſpoſitio utriuſque juris ſcripti, nempe in Sacris Canonibus, Conciliis, & non ſcripti in antiqua, & inveterata conſuetudine, & decretis S. Congregationis, ac Pontificiis literis, quę omnia expenduntur a Pignatello ſępè allegata *conſult. 70. num. 5. & 6. tom. 5.*

Nullatenus refragantibus Ricciullo *de jur. perſon. extr. grem. Eccleſ. exiſt. lib. 2. cap. 9.* preſertim *ſub num. 3.* & eo citato Cardin. de Luca *de Parocho diſc. 29.* qui tueri conantur opinionem contrariam, Judeos videlicet, non teneri ad controverſum Pretaticum, ſeu indemnitatem Eccleſiis pro damnis, & præjudiciis emolumentorum, & proventuum, quę patiuntur ex eorum habitatione in domibus intra fines Parochię exiſtentibus a Chriſtianis habitari ſolitis, & predicta emolumenta preſtantibus.

Iſto-

Istorum namque Doctorum opinio ex prædictis appareret apertè repugnans ipsi Justitiæ, & æquitati naturali, & de directo contraria dispositioni Sacrorum Canonum, & Conciliorum, communique sententiæ omnium Canonistarum, & Doctorum, qui intrepidè, & absque ulla hæsitatione ad tenorem illorum, firmant Judæos teneri ad hanc indemnitatem, & compensationem, ut illicò demonstratur. Nam in dicto *cap. Quando de usur.* Innoc. III. ait: *Super decimis, & oblationibus &c. Ut sic Ecclesiæ conserventur indemnes,* & ibi Glos. *in figuratione casus*, ibi: *Ut Ecclesiæ conserventur indemnes*, Alexander III. *in cap. de terris ibi: Ne forte occasione illa Ecclesiæ valeant suo jure fraudari*, & Glos. *in figuratione casus.*

Præ cæteris verò clarius Concilium Viennense in verbis suprà relatis ob eorum apertam, & literalem expressionem hic iterum repeti merentur ibi. *Judæi &c. pro eo, quod loca, in quibus Christiani habitare deberent, occupant juxta quantitatem damni, quod ex hoc inferunt, omnes proventus, quos Christiani, si ibidem manerent, Sacerdos perciperet, refundere compellantur:* Quæ verba clarissima sunt, ut explicat etiam Gregorius de Rives; ulteriùs mandando, quod decimas, etiam prædiales cum omni integritate Judæi persolvant.

Sequuntur Canonistæ, & DD. communiter, & ex eis Hostien. in *d. cap. Quanto num. 6.* ibi: *Si Judæus acquirat domum, æstimari debet quantum a Parochiano, &c. & in tantum obligatur*, addens materiam esse favorabilem pro Ecclesia. Rursus in *cap. de terris num. 1.* ibi: *Et est ratio ut in cap. Quanto*, nempè *ut Ecclesiæ conserventur indemnes.*

Joan. Andr. *in eodem cap. Quanto num. 3.* ibi: *Habeatur æstimatio proventuum, qui pervenire solebant Ecclesiæ, & ad illud tenentur Judæi Ecclesiis Parochialibus, Pone enim, quod Judæi domos omnes unius Parochiæ emerent, vel majorem partem habitarent, certè fuit subveniendum Ecclesiis Parochialibus, cùm ex hac causa subtrahantur &c.* Et testatur ita observari per Arelatensem, & alios Episcopos, & rursus in *cap. de terris* ibi: *solvant æstimationem ejus, quod perceptura erat Ecclesiæ valeant suo jure fraudari.*

Anan. *dict. cap. Quanto num. 5.* ibi: *Habeatur æstimatio proventuum &c. Et ad illam tenentur Judæi Ecclesiæ Parochiali.*

Butr. *in cap. Quanto num. 7.* ibi: *Ecclesiæ decimis, & oblationibus læderentur ex habitatione Judæorum, ideo in hoc habent remedium contra Judæos.*

Rursus *in cap. De terris num. 2.* ibi: *Quod haberet Ecclesia &c. stantibus Christianis ad illud damnum resarciendum tenentur.*

Anchar. *in cap. Quanto num. 7.* pariter loquitur de refectione damni, & in *cap. De terris num. 1.* ibi: *Ex habitatione Judæi non debet Ecclesia damnum pati dicemus quod Judæus teneatur ad illud.*

Abb. *in cap. Quanto sub num. 4.* ibi: *Ne per defectum Christianorum inde Ecclesia patiatur detrimentum, nam posset sequi, quod Judæi emerent ferè totam Parochiam, & sic defraudarentur jura Parochialia, & id absque dubio firmat, si adsit consuetudo*, & clariùs *in cap. de terris* ibi: *Judæus Ecclesiæ obligatur ratione satisfactionis damni, & interesse, quod sustinet ex eo, quod habitat in domo Christiani.*

Zabarell. *in cap. de terris* ibi: *non solvunt decimas, sed æstimationem ejus, quod perceptura erat Ecclesia a Catholicis Parochianis*, & rursus *in cap. Quanto num. 2.* ibi: *Providet Concilium, ut Judæi teneantur ad oblationes, quæ solebat Ecclesia percipere, & est ratio, ne Ecclesiæ fraudentur.*

Barbosa *in dict. cap. quanto num. 1. in cap. de Terris num. 2. de Parocho part. 3. cap. 28. num. 3. & 4. de jur. Eccles. lib. 3. cap. 26. §. 3. num. 3. & 4.* egregiè tuetur, Judæos teneri Ecclesiis Parochialibus ad compensationem damnorum, & interesse, quæ patiuntur in proventibus, oblationibus, ac cæteris emolumentis Parochialibus debitis per Christianos, qui habitarent domos, quas Hebræi detinent, & propter istos deficientibus, cùm æquum, & justum non sit, in eis per Hebræos Ecclesias fraudari.

Gonzalez in *cit. cap. Quanto*, verbo oblationibus pariter ait, Ecclesias consequi debere indemnitatem pro oblationibus sibi debitis.

Oldradus *consil. 91.* in terminis Infidelium firmat etiam esse Ecclesiæ Parochiali debitam commensationem.

Bellencin. *de charitat. subsid. quæst. 67.* ibi: *Ne Ecclesia per possessionem eorum sit deterioris conditionis.*

Lap. *alleg. 92.* & ibi Adden. *lit. N.* ibi: *læderetur Parochia, si non posset agere contra Judæum, & rursus quoad rationem ne Ecclesia lædatur.*

Piryngh. *in method. jur. can. lib. 3. tit. 30. sect. 1. n. 5. in fine.* Confirmat hanc compensationem damni per Glos. in *c. Tua nobis de Dec.*

Rebuff. *d. Decim. qu. 5. nu. 11.* pariter diserte ait saltem tenebuntur Judæus, & Infidelis solvere æstimationem illius decimæ personalis, & oblationum, quas habuisset Ecclesia a bono Christiano, qui in illa domo, in qua Judæus habitat, resedisset, si Judæus abfuisset.

Idemque docent Azor. *instit. mor. p. 1. lib. 7. cap. 35. quæst. 3.* Bonac. *de præcept. Eccles. quæst. 5. punct. 3. n. 6.* Sot. *lib. 9. de justit. & jur. quæst. 4. art. 4. col. 3.* Abulens. *in cap. 23. Matthæum quæst. 195.* reddentes rationem, quod non debent Ecclesiæ Parochiales per Judæorum habitationem damnificari.

Et demum latè hanc sententiam tuetur Pignatell. *consult. 70. per tom. 5.* præcisè comprobans deberi Judæis in Urbe Pretaticum in compensationem damnorum, & interesse, quibus habitando domos Christianorum Ecclesias afficiunt, & antea hoc ipsum firmaverat, *consult. 177. num. 64. tom. 1.*

Urget præterea contra utrumque authorem consuetudo Urbis supra relata, quam consuetudinem idem Cardinalis de Luca scribens pro Judæis admittit, adeoque dum hæc opinio ipsorum manifestè adversatur dispositioni juris naturalis, Canonici, & Ecclesiastici, & communi sententiæ omnium Doctorum consuetudini antiquissimæ in Urbe vigenti, decretis S. Congregationis, & Constitutionibus Papalibus Pretaticum comprobantibus, meritò, uti funditus falsa, & absona abolenda, & rejicienda est, ex traditis per Rot. cor. Dunozet. jun. *dec. 449. n. 59.* & his rejectis advertit Pignat. *d. consul. 70. a num. 4. tom. 5.*

Ast ad effectum autem quod magis, magisque insubsistentia hujus opinionis appareat, ostendam, etiam funditus varia, nulliusque roboris gemina illa fundamenta, quibus innixi eam defendunt Ricciul. & Cardin. de Luca authoritate, & ratiocinio: Allegant enim pro capituli authoritate Textum *in d. cap. penult. de excess. Prælat.* ex illis verbis: *necnon de habitaculis fratrum, sicuti de Judæorum domibus, contendunt redditus extorquere.* Educere exinde conatus propter illa verba: *Redditus extorquere*, quod indebita sit compensatio damnorum a Judæis præstanda, sicuti indebita definitur compensatio damnorum de habitaculis fratrum. Verùm hæc illatio, seu interpretatio, toto inspecto tenore & ponderato casu Canonis, illicò detegitur contraria, & repugnans germanæ illius dispositioni, & intelligentiæ ejus, quippe casus talis, ut Glossa ibidem explicat. Prætendebant Prælati, & inter alia Parochi, Religiosos eorum jurisdictioni subesse, nec non exigere ab eisdem decimas, & compensationem damnorum, quæ Religiosi acquirendo domos a secularibus habitari solitas, Ecclesiis in iisdem decimis, oblationibus, & proventibus inferebant, adducendo similem compensationem, quam Ecclesiæ exigunt a Judæis pro domibus ab eisdem detentis. Iste erat casus, super quo Pontifex respondens, æquum non putavit, Religiosos subjicere Prælatis, & Parochis sæcularibus, minusque eos decimas ex hortis, quæ colunt propriis manibus, & aliquam compensationem dictorum damnorum præstare de habitaculis fratrum, sicut Hebræi præstant, adeoque definiendo rescripsit, Prælatos, & Parochos de Hortorum fructibus decimas, & de habitaculis fratrum redditus nullatenus posse extorquere, sicut de domibus Hebræorum, ut clarè colligitur ex Textu, cujus omissis ad rem non facientibus, sequentia sunt verba præcisa.

Nimis prava &c. cùm quidam viri Religiosi &c. in arctissima paupertate Christo pauperi famulentur, plerique Prælati & alii eos ad Synodos suos cogunt accedere, ac suis Constitutionibus subjacere &c.

Ab eis etiam de hortorum fructibus decimas, nec non de habitaculis fratrum, sicuti de Judæorum domibus, contendunt redditus extorquere, asserendo quod nisi fratres morarentur, ibidem ab aliis habitatoribus proventus aliqui solverentur. Quocirca mandamus, quatenus universi, & singuli a præfatis gravaminibus desistatis, subditos vestros ab hujusmodi arctius compescendo.

Ex hoc Textu patet, quod illa verba: *Sicuti de domibus Hebræorum*, intra parenthesim inclusa, non præbent sensum, neque patiuntur interpretationem superius oppositam, sed potius evidenter comprobant nostram sententiam, quod scilicèt Parochi de habitaculis fratrum non possunt exigere compensationem damnorum, sicuti exigunt a Judæis, cùm illa verba, *Sicuti de Judæorum domibus*, stent adversativè, & suppositivè

ad

ad exemplum, non verò diſpoſitivè, ut Judæi nec ipſi ſolvant, ita enim expreſsè declarat Gloſſ. ipſa *verſ. Judæorum domibus*, ibi: *Judæi enim de domibus ſolvunt*, & alia gloſſella marginalis, ibi: *Judæi tenentur*. Hoc idem tradit in eod. *cap. penul.* Hoſtienſ. *nu. 5. verſ. Judæorum domibus*, ibi: *Quia in ſolis Judæis ſpeciale eſt*.

Jo: Andr. *ibidem* ex ſententia Innocentii advertit, eſſe jure ſpeciali ſancitum Judæis, ut ſolvant Parochialibus Eccleſiis damnorum compenſationem propter eorum habitacula; quam noluit Pontifex injungere fratribus ob eorum paupertatem, & inſtitutum, renuens in hoc exemplum, & ſimilitudinem de Judæis.

Boich. *in cap. de terris num. 2. in fin. de decimis*, ait; *Judæus ad quem domus pervenit, tacitè obligatur, ut infra de exceſſ. Prælator. cap. nimis prava*, & in *cap. Quanto allegat* iſtos Text. ut concordantes, prout fecit Jo: Andr. *in cap. Quanto num. 2. verſ. Conſueverat*. Concordans cum eodem *cap. nimis prava de exceſſ. Prælat.*

Egregiè Lap. *alleg. 9. 2. per tot.* pleniſſimè oſtendens, jure quoque ſpeciali ſancitam eſſe in Judæis hanc compenſationem, & denegatam in fratribus, adducens pariter uti concordantem Textum in *cap. penul. de exceſſ. Prælat.* cum aliis ſupracitatis Canonibus in *cap. Quanto num. 18. de uſur. cap. de terris 16. & cap. Tua nobis de decim.*

Hujuſque intelligentiæ veritas comprobatur ex tenore ejuſdem *cap. Quanto de uſur.* ubi tàm pro prædiis reales decimas, quàm ſpecialiter pro domibus compenſationem damnorum ſancitam habemus, ea naturali juſtitia, & æquitate, ne valeant Eccleſiæ de ſuis juribus fraudari, cujus Textus diſpoſitio cùm clara ſit, & ita communiter interpretetur ab omnibus Canonibus, & DD. evidenter quoque oſtendit germanam intelligentiam, *cap. penul. de exceſſ. Prælat.* in contrarium allegati. Cùm alias iſti Canones eſſent de directo contrarii, quod nemo dixit, immò omnes Interpretes eoſdem tanquam concordantes allegarunt, ſicuti ponderat Pignatell. citata *conſul. 70. num. 4.* Et deſuper autem ceſſat omnis hæſitatio, attento Concilio Viennenſi, nullam controverſiam admittente, quod uti poſterius prædicto *cap. penul. de exceſs. Prælat.* cùm latum fuit a Gregor. IX. anno 1327. & Concilium Viennenſe habitum anno 1367. ſub Clemente IV. materiam in claris educit. Advertendo inſuper eſſe prorſus inveriſimile, quod ſi vigore *d. c. penul. de exceſs. Prælat.* denegata fuiſſet Eccleſiis Parochialibus compenſatio damnorum ex Judæorum habitationibus, illam conceſſiſſet Concilium Viennenſe; quapropter a primo ad ultimum patet hujuſmodi canonem non ſolùm non adverſari noſtræ ſententiæ, ut malè opinantur Ricciull. & Card. de Luca; ſed immò litteraliter, & expreſsè illam probare, & confirmare, prout docent tot claſſici DD. ſupra relati.

Aſſerere autem, ut facit Card. de Luca *d. diſc. 29.* quod Textus in *cap. Quanto num. 18. de uſur.* loquatur ſolùm de decimis prædialibus, & realibus, pariter eſt contra litteram illius: Etenim de decimis prædialibus præcedenter jam diſpoſitum erat ab Alexandro III. in *cap. De terris 16. de Decim.* Quare dum Innocentius III. in citato *cap. Quanto* loquitur tàm de decimis realibus ex prædiis, quàm de oblationibus reſpectu domorum, ſuperaddendo tationem, ne Eccleſiæ valeant per Judæos ſuo jure fraudari, ſatis apertè conſtat, quod ſummus ille Eccleſiæ, & juris Monarcha, non ſolùm repetiit diſpoſitionem juris præcedenter firmatam in decimis realibus, ſed ſupplendo id, quod adhuc non erat definitum, mandavit etiam per Judæos de domibus, & oblationibus Eccleſias Parochiales non fraudari; Et ſic nedum de decimis realibus, ſed de cæteris omnibus emolumentis, proventibus, & juribus ex domibus a Chriſtianis habitari ſolitis eorumque æſtimatione ab Hebræis refundenda loqui, & intelligendum hunc Textum, docet Anan. in eodem *cap. Quanto num. 5. & 6.* ibi: *Habeatur æſtimatio proventuum*, Jo: Andr. *num. 3.* in illis verbis: *Habeatur æſtimatio proventuum, qui pervenire ſolebant Eccleſiæ*, & Zabarell. *in cap. de terris num. 16. de dec.* pariter ibi: *Æſtimationem ejus, quod perceptura erat Eccleſia, cap. Quanto*, & clarius Barboſ. in utroque cap. cum aliis ſupra relatis.

Idem ipſum præfert litteraliter Text. in *d. c. Quanto*; dum ultra decimas præcisè loquitur de oblationibus ex domibus, quarum oblationum generica, & univerſali appellatione planum eſt, comprehendi omnia emolumenta, & proventus, ac præſtationes Parochiales, tàm de Vivariis, quàm de mortuariis, cùm omnia Deo offerantur & oblationes verè ſint in pretium, & redemptionem peccatorum, ut tradunt DD. in *rubr. de Dec.* Gonzal. *in cap. 13. num. 3.* Malvit. *de oblat. num. 5. & ſeqq.* Soccin. eodem *tract. libell. 1.* Rebuff. *de Dec. q. 1. num. 17.* Monet. *eodem tract. c. 2. quæſt. 3. num. 10.* D. Tom. & Cajetan. 2. 2. *qu. 86. art. 1.* Azor. *p. 1. lib. 7. cap. 27. qu. 8.* Palao *tom. 2. tr. 10. punct. 17. num. 1.* Leander *tom. 3. Moral. de ſolut. Decim. tract. 6. diſp. 10. q. 1.* Moſcon. *de Majeſtat. Milit. Eccleſ. lib. 1. p. 3. c. 3.* Barboſ. *appell. 171. n. 2. & de jure Eccleſ. cap. 3. nu. 2.* Antonel. *de regim. Eccleſ. lib. 5. c. 18. n. 3.* Amoſtaz. *de cauſ. piis lib. 5. c. 12. num. 23.* Rot. apud Poſth. *de manut. dec. 166. num. 3. & 4. & in recent. dec. 391. eiſdem numeris p. 4. tom. 2.* Coccin. *dec. 1052. num. 26.* & benè probatur ex Levitico a primo ad 22. ex numeris a 5. ad 29. Montolon. *in promptuario verb. offerre*.

Clarius idem exprimit Concilium Viennenſe in Canone ſupra relato diſtinctè, & ſeparatim, primituſque, ac principaliter diſponens, quod Judæi teneantur ad æſtimationem damnorum, quæ inferunt Eccleſiis, habitando domos a Chriſtianis habitari ſolitas in oblationibus, proventibus, & emolumentis eorum cauſa deficientibus, & ſecundariò poſteà tranſeundo ad decimas reales, & prædiales, addens ſpecificè, quod ad eas, etiam Judæi teneantur, ut benè ibidem animadvertit Gregorius de Rives, a quo Canone Concilii Viennenſis diſtinctè ita loquente emergit germana interpretatio, & intelligentia alterius Canonis in citato *cap. quanto de uſur.* lati ab Innocentio III. in Concilio Lateranenſi, ita eoſdem ad invicem declarando, & ſupplendo, ut fieri debet ad Text. in *l. non eſt novum 26. & l. ſed & poſteriores 28. ff. de legib.* Rot. *in dec. 499. n. 24. & 25. p. 18. tom. 2.*

Faciliùs ex his corruit alterum fundamentum in ratiocinio conſiſtens, quod ſcilicet Judæi ſicuti non tenentur ad decimas perſonales, quia Sacramenta non recipiunt, & quia hujuſmodi decimæ ex proprio quæſtu, & labore olim debitæ, nec minus hodie quoad ipſoſmet Chriſtianos ſunt amplius in uſu, eodem planè jure non teneantur ad aliquam compenſationem damnorum, & intereſſe pro his emolumentis, quæ Eccleſiæ perciperent a Chriſtianis. Etenim quicquid ſit de illa quæſtione: An Judæi obligentur ad decimas perſonales, & an eiſdem deſuetudo iſtarum decimarum quoad Chriſtianos ſuffragari valeat, in qua verior forſan opinio de juris rigore militat contra Judæos ex firmatis per Gloſſ. *in cap. quanto ſub figurat. caſus in fin. de uſur.* Anchar. *n. 7.* ibique Hoſtien. *nu. 6.* Zabarell. *nu. 2.* Jo: Andr. Butr. *nu. 7.* ead. Gloſſ. in *cap. Decimæ 16. q. 1.* ibique Tancred. & Jo: Abb. in *c. de terris num. 6. de decim.* ibique Anchar. *num. 1.* Boich. *num. 1.* Bellencin. *de charit. ſubſid. d. q. 64. num. 1.* ubi quod hæc eſt communior, & verior opinio, Rebuff. *de decim. q. 5. num. 11.* Abulen. *in cap. 23. Matthæi q. 195.* Contra quos juris rigor eſt attendendus *cap. 2.* ubi Gloſſ. penult. *& cap. ſi Judæus de Judæis*, Berous *conſ. 28. num. 39. lib. 3.* Simon. de Pret. *conſ. 120. num. 3.* Mareſcot. *var. reſol. lib. 2. cap. 125. num. 16.* Ricciul. *de jur. perſonar. extra Grem. Eccleſ. lib. 2. cap. 2.* Belmont. *dec. 25. num. 16.* Poſthum. *reſol. 137. num. 50.* Mel. *alleg. 39. num. 2. lib. 2.* Bonden. *colluct. 22. num. 5. lib. 2.* Card. de Luc. *de ſervitut. diſc. 70.*

Attamen ſtrictè ad ratiocinium illud nihil penitus concludit ad intentum, de quo agitur, quandoquidem tunc vis illius urgeret, quando Eccleſiæ prætenderent a Judæis decimas perſonales, & compenſationem earum, ex quo habitent intra limites Parochiæ, ſed hæc pro nunc non eſt prætenſio Eccleſiarum Parochialium, quæ unicè ſibi deberi Pretaticum contendunt pro aliis oblationibus, proventibus, & emolumentis in quibus damnificantur Judæorum cauſa domus habitantium, & detinentium, ſolitis aliàs præſtari de vivariis, & mortuariis a Chriſtianis habitantibus, circa quæ nihil habet commune objecta ponderatio decimarum perſonalium; non enim ſequitur illatio facta; Non tenentur Judæi ad decimas perſonales, quas nec minus Chriſtiani ſolvunt. Ergo neque tenentur ad compenſationem aliorum damnorum, quæ Eccleſiis habitando inferunt, pro qua cùm aſſiſtat Eccleſiis omnis juſtitia, æquitas naturalis, & diſpoſitio juris ſcripti, & non ſcripti, perperam impugnari valet ex diſparata prorſus concluſione decimarum perſonalium, ut ex dictis patet, & in ſpecie rejecto hoc ratiocinio Cardinalis de Luca, & Ricciul. benè reſpondet Pignatell. *d. conſul. 70. num. 7. & ſeqq.* palam faciens ex ipſis verbis Suarez, a Ricciullo allegatis, hanc compenſationem damnorum omni jure debitam eſſe.

Et extranea hinc quoque convincitur paritas a Ricciul-

ciulo ex eodem Suarez oppoſita, quod Eccleſiæ Parochiales valerent etiam compenſationem prætendere ab ipſis Chriſtianis nobilibus, & divitibus, eò quod acquirendo domos Mercatorum, & Artificum præjudicant Eccleſiis in decimis perſonalibus ex queſtu, & artificio provenientibus.

Siquidem iſta paritas ceſſat in ſuppoſito, quia decimæ perſonaliter antiquitus ex lege veteri ſancitæ non erant, ut latè probat Abulen. in *cap. 23. Matthæi qu.* 141. S. Thom. 2. 2. *quæſt.* 87. *art.* 2. *ad* 1. Sotus *de juſtit. & jur. lib.* 9. *quæſt.* 4. *art.* 2. Suarez *de Relig. tom.* 1. *lib.* 1. *de divino cultu cap.* 10. *num.* 7. Fagundez *lib.* 1. *de quinto præcept. Eccleſ. cap.* 2. *num.* 4. Raffael. della Torre *in* 2. 2. *quæſt.* 87. *art.* 3. *diſp.* 5. *num.* 9. dicens, hanc ſententiam eſſe veram, & communem tàm apud Theologos, quàm apud Canoniſtas, Leander *tom.* 3. *moral. de ſol. decim. tract.* 6. *diſp.* 1. *quæſt.* 12. Licèt in Lege nova debitæ ſint ex præcepto Eccleſiæ, & jure canonico in *cap. non eſt cap. ex tranſmiſſa, & cap. Paſtoralis de decim.* Ea particulari ratione, & differentia, quod antiquitus Judæi habuerant agrorum partitionem, unde decimas ſolvebant, quod non accidit in Chriſtianis, quorum plures agris carent, adeòque neceſſum fuit decimas perſonales imperare in Cleri ſubſtentationem, ultra alias rationes apud Abulenſ. *d. cap.* 23. *Matthæi quæſt.* 171. Raphael della Torre *citat. art.* 3. *diſp.* 5. *num.* 10. Fagundez *dict. cap.* 2. *cit. num.* 4. Leand. *alleg. tract.* 6. *diſp.* 3. *quæſt.* 2. Hodie tamen in deſuetudinem hujuſmodi decimæ perſonales abierunt, & ſic quoad eas ceſſat omne ſuppoſitum, ex trad. per Abb. *in cap. Cùm ſint homines de decim.* D. Thom. 2. 2. *quæſt.* 87. *art.* 2. Abulenſ. *in dict. cap.* 23. *Matth. quæſt.* 147. *& 151.* Azor. *tom.* 1. *lib.* 7. *cap.* 35. *quæſt.* 6. *& 35.* Suarez *dict. lib. cap.* 31. Fagundez *lib.* 1. *de* 5. *præcept. Eccleſ. cap.* 2. *v.* 1. Vaſquez *in opuſc. tract. de benef. cap.* 1. *dub.* 6. Palao *tom.* 1. *tract.* 10. *punct.* 6. Bonac. *de præcept. Eccleſ. præcept.* 5. *punct.* 3. *num.* 5. Leand. *moral. tom.* 3. *eodem præcept.* 5. *tract.* 6. *diſp.* 3. *quæſt.* 1. Gail. *de fruct. diſp.* 39. *num.* 13. Cardin. de Luca *de Paroch. dict. diſcurſ.* 29. *ſub num.* 4.

Cæterùm ad excludendam paritatem, urget illa ponderatio, quàm ipſe Suarez expendit, quod ſcilicet Eccleſiæ Parochiales non habent aliquod jus certum, & quæſitum, ut ii, qui intra fines Parochiæ habitant, laborent, & lucrentur artificio, vel negotiatione, ex quibus decimas præſtent, neque ut ii, qui habitant, & exercent illa, ſemel cœpta proſequantur, ut propterea cùm hæc omnia artificia, & mercimonia libera ſint, & voluntaria Parochianis, & eis invitis minimè injungi poſſint; ſicuti a mercatoribus, & artificibus voluntariè ab opere, & mercatura deficientibus, non valent Eccleſiæ aliquam refectionem ceſſantis decimæ prætendere; ſta neque aliquam compenſationem petere, ſeu exigere poſſunt a Divitibus, ſeu nobilibus domos mercatorum deficientium, vel eas alienantium acquirentibus, quia artificium, ſeu mercatura conſiſtit in pura libertate, & voluntate, in qua non datur jus certum Eccleſiæ. Ex oppoſito autem materia procedit reſpectu Judæorum, qui acquirendo Domos a Chriſtianis habitari conſuetas, præjudicant Eccleſiis in juribus certis, & omninò debitis, ac quæſitis de vivariis, & mortuariis, ad quæ Chriſtiani habitantes certo, & quæſito jure Eccleſiis tenentur, cùm non poſſit Populus non mori, non naſci, & non baptizari, atque non contrahere matrimonia, prout advertit aliis relatis Card. de Luca *de Paroch. diſc.* 18. *num.* 1. & hæc omnia ex ſola cauſa Judæorum deficiunt, quos ideò naturali ratione, ac diſpoſitione Sacrorum Canonum, conſuetudine, & decretis Apoſtolicis teneri ſupra oſtenſum fuit.

Præterea advertendum eſt, quod habitatio hebræorum non ſuccedit ex locatione brevis temporis cum damno Eccleſiæ temporali, & finituro; ſed eſt perpetuum, & irreparabile, eò quod omnes domus utriuſque Ghetti parvi, & magni fuerunt ipſis aſſignatæ in locationem perpetuam privativè in futurum quoad habitationem Chriſtianorum, in quibus ab anno 1555. circiter jam introducti nullam præbent Eccleſiis ſpem eorum receſſus, & reditus Chriſtianorum ad ſtatum antiquum; quo attento, hæc ipſa damnorum perpetuitas unicè in ſe conſiderata, valet juſtificare exactionem Pretatici, quod debitum etiam dici poteſt in recognitionem undique juſtam, & æquam dominii, & juriſdictionis Parochialis, ad quam Judæos, & infideles ipſos teneri docent, Marquard. *de Judæis cap.* 7. *num.* 6. Suarez *de Relig. tract.* 2. *cap.* 16. *ſub num.* 8. *& lib.* 1. Ad inſtar Cathedratici, quod debetur Epiſcopis in ſignum ſubjectionis pro jure, & honore Cathedræ *cap. Placuit, & cap. Inter cætera* 10. *quæſt.* 3. *cap. Cùm olim de cenſ.* ibique Jo: Andr. Gloſſ. *in cap. Conquerente* 16. *verbo cuos ſolvendos de offic. ordinar.* ibique Fagnan. ex *n.* 44. Abb. *conſ.* 7. *num.* 4. Gemin. *conſ.* 85. *num.* 6. Leo *Theſaur. for. Eccleſ. part.* 2. *cap.* 29. Barboſ. *de Epiſcop. alleg.* 86. *num.* 40. Gratian. *diſcept.* 620. *num.* 2. Tondut. *reſol. benef. part.* 2. *cap.* 2. *num.* 5. Pignatell. *conſ.* 284. *& ſeqq. tom.* 1. Card. de Luca *de juriſd. diſc.* 38. *num.* 2. Rot. coram Coccino *deciſ.* 1274. *num.* 5. 10. *&* 11. Dunozet. jun. *deciſ.* 803. *num.* 5. ſan. mem. Alexand. VIII. *deciſ.* 179. *num.* 18. *deciſ.* 223. *num.* 17. & in *recent. deciſ.* 304. *num.* 45. *part.* 19.

Sublatis fundamentis contrariæ opinionis faciliori reſponſione tollitur aliud objectum a Judæis in facto deductum, quod ſcilicèt tametſi ipſi domos retineant in hoc Ghetto parvo ad Portam Leonam, non tamen ibidem aliquis eorum actualiter inhabitet, ſed domos, & loca in eo exiſtentia detineant ad uſum magazenorum pro mercibus conſervandis, ex quibus ideò ad nihil obligatos eſſe prætendunt.

Etenim conſtat in facto, quod Pretaticum ſoleat a Judæis etiam præſtari pro domibus, & locis ad uſum Magazenorum detentis in Ghetto magno, de quo teſtatur Reverendus Parochus S. Gregorii ad Pontem quatuor capitum, & obſervantia ipſa convincit in hoc parvo Ghetto, in quo teſtes ipſi afferunt a multo tempore Judæos non habitaſſe, ſed detinuiſſe ibi domos, & loca ad uſum Magazenorum, & tamen Pretaticum ſemper ſolviſſe uſque ad annum 1677. cum quibus Teſtibus concordant partitæ ſolutionum extractæ ex libro introituum Parochialium, in omnibus numeratim, & individualiter expreſsè ſunt omnes domus, & loca ipſius parvi Ghetti, & deſcripti Judæi detentores nominatim cum ſolutionibus per eos factis, itaut in facto penitus objectum corruere appareat.

Verùm de jure pariter ceſſat, advertendo, quod cum antiquitus in his domibus habitaverint Chriſtiani, & poſtmodum illæ aſſignatæ fuerint Judæis, qui eas per multum tempus habitarunt, ſat eſt ad effectum, de quo agitur, quod ſolitæ fuerint a Chriſtianis habitari, & a Judæis jam habitatæ, hodie eorum arbitrio etiam ad habitandum, vel ad alium uſum, & commodum detineantur, nam ſi Judæi detinendo has domos a Chriſtianis habitari ſolitas præjudicant Eccleſiis in Proventibus Parochialibus, de plano intrat juſtitia, & æquitas ipſa naturalis pro refectione damnorum, & intereſſe, & ſi hodie non habitent, tum quia ipſi domos Chriſtianorum occupant, & damna inferunt, tum quia per ipſos ſtat, quin habitent, quemadmodum probat Text. *in d. cap. Quanto de uſur.* ibi: *quocumque titulo devenijſſent*, & egregiè Concilium Viennenſe in illis verbis: *Pro eo, quod loca, in quibus Chriſtiani habitare deberent, occupant*, quod verbum *occupant* præfert, & denotat tàm habitationem, quàm omnem aliam detentionem, & uſum juxta illud Judicum 4. *Occupant terram eorum*, & tradit Pratejus *verb. occupare* ibi: *Aliàs eſt detinere*, Alberic. *verb. occuparent*, & alii paſſim.

Denique reſpectu quantitatis hujus Pretatici omnis quæſtio definita eſt reſolutione S. Congregationis Viſitationis Apoſtolicæ, quæ mandavit in eo ſervari ſolitum, quod R. D. Sabbatinus proſequi intendit ad ratam antiquorum bononenorum ſex ſemeſtralium pro ſingulis domibus in dicto parvo Ghetto exiſtentibus præſtitam, & exactam a ſuis anteceſſoribus, ut probant libri Parochiales, cui ſolito etiam de jure attenta diuturnitate temporis inducente validam conſuetudinem, ſtandum eſſe in his terminis, monet Pignat. *dict. conſult.* 70. *numer.* 14. & olim Abb. *in cap. Quanto, num.* 4. *de uſur.* Rebuff. *d. deciſ. quæſt.* 13. *num.* 46. Covarr. *lib.* 1. *var. cap.* 17. *num.* 8.

Tranſeundo ad alterum punctum manutentionis exiſtimo illam Eccleſiæ omninò competere, de cujus quaſi poſſeſſione exigendi controverſum Pretaticum, dubitari non poteſt juxta vulgatum *§. retinendæ inſtitut. de interd.* & generaliter in materia proventuum, & Decimarum Parochialium, Rota coram Bichio *deciſ.* 120. *num.* 3. Celſ. *deciſ.* 52. *num.* 2. *& deciſ.* 57. *num.* 7. & in puncto Pretatici Pignatell. *allegat. conſult.* 70. *a num.* 1. *lib.* 5.

Iſta enim quaſi poſſeſſio abundè probatur ex libris Introituum, & Decimarum Eccleſiæ per anteceſſores Parochos de more, ac ex officio ſcriptis, & retentis, in quibus habentur partitæ diſtinctæ, & punctuales ſolutionum a Judæis factarum; Libri enim, & Codices Eccleſiæ in ſummariſſimo manutentionis, pro quo leviores admittuntur probationes, ex ſe ſoli ſuperabundant ad hanc quaſi poſſeſſionem exigendi probandam,

ut

dant ad hanc quasi possessionem exigendi probandam, ut firmant in terminis oblationum, proventuum, & decimarum Parochialium Posth. *de manut. observ.* 35. *num.* 35. *vers. exigendi etiam Decimas*, Rota post eum *decis.* 31. *num.* 3. Thom. *decis. March.* 41. *num.* 8. Rota coram Ninot. *decis.* 1. *num.* 3. Bich. *decis.* 386. *num.* 7. *in rec. decis.* 2. *numer.* 3. *p.* 18. & 152. *a num.* 6. *p.* 19. & generaliter in quacumque alia materia, Reuſner. *conſ.* 23. *num.* 58. Turret. *conſ.* 33. *num.* 8. *vol.* 1. Marant. *reſponſ.* 78. *num.* 1. Genua de *ſcript. privat. lib.* 5. *cap.* 5. *num.* 9. Posth. *de manutent. obſerv.* 35. *num.* 34. *verſ.* & *quod* Berlich. *var. concl. tom.* 1. *concl.* 36. *num.* 18. Queſada Pilo *controv.* 36. *num.* 6. Rub. *ſingul. Rotæ tom.* 1. *ad dec.* 1. *Sacrat. fol.* 460. ubi de conſtanti Sacræ Rotæ ſententiæ, & Rota ipſa in *recent. deciſ.* 290. *num.* 4. *part.* 1. *deciſ.* 223. *num.* 4. *part.* 7. & *deciſ.* 300. *num.* 25. *part.* 12. coram Martin. Andr. *deciſ.* 76. *num.* 1. Ubald. *deciſ.* 104. *eodem num.* Coccin. *deciſ.* 627. & Dunozet. Jun. *deciſ.* 692. utrobique *num.* 6. & *dec.* 989. *num.* 2.

Rurſus probata extat a duobus teſtibus formiter examinatis, qui concludentiſſimè de hac poſſeſſione deponunt; Primus enim nepos penultimi Parochi jam defuncti de viſu proprio expreſsè teſtatur, quod Judæi poſſidentes domos in parvo Ghetto ad Portam Leonam recluſas: *Sono ſtati ſempre ſoliti pagare il Pretatico al Curato della detta Chieſa di S. Nicolò in Carcere, e quando ſono ſtati moroſi in pagare, ho viſto, che li Curati di detta Chieſa gli hanno fatto imbrigliare le porte di detti magazzeni, ed altro, e ſerratogli il detto Portone, che li medeſimi per rientrarvi, e ſeguitare le loro Sinagoghe, e negozj in detti magazzeni di detto Ghettarello, hanno ſoddisfatto li Curati della Chieſa di San Nicolò in Carcere, e ciò ſo in ſpecie per averlo viſto fare da altri, e dal q. Simone Corvini mio Zio*. Qui Teſtes quando etiam non adeſſet probatio librorum, neque alia concurrerent de quibus infra, ſolus, & unicus uti de viſu deponens, ſufficientiſſimè probaret poſſeſſionem ad effectum manutentionis ex traditis per Posth. *de manut. obſerv.* 38. *num.* 14. Thomat. *deciſ.* 216. *num.* 2. Adden. ad Pamph. *deciſ.* 51. *num.* 10. & ad Gregor. *deciſ.* 160. *num.* 3. Rota coram eodem *deciſ.* 438. Cavaler. *deciſ.* 54. Burat. *deciſ.* 594. in omnibus *num.* 3. Coccin. *deciſ.* 12. *num.* 4. Peutinger. *deciſ.* 15. *num.* 2. & *deciſ.* 233. *num.* 1. Dunozet. jun. *deciſ.* 581. *num.* 1. ubi de poſſeſſione exigendi obventiones, & decimas parochiales in *rec. deciſ.* 788. *num.* 2. *deciſ.* 214. *ſub num.* 3. *deciſ.* 511. *ſub num.* 8. *p.* 1. & *deciſ.* 26. *num.* 3. *part.* 13.

Alter Teſtis eſt habitator, & vicinus eidem parvo Ghetto cum feneſtris ſuæ domus ibidem reſpondentibus, & quidem ab antiquiſſimo tempore qui deponit: *Li Signori Don Andrea Penſio, Gio: Battiſta Baglione, e Simone Corvino hanno eſatto dalli ſuddetti Ebrei il Pretatico per il detto Ghettarello, e ciò ſo, perchè quando non volevano pagare, e che erano moroſi nel pagare, li medeſimi gl' imbrigliavano le porte, ed altro di detto Ghettarello; ed eſſer ciò pubblico, e notorio*, ſubdens ulterius de auditu, præſertim a dicto Parocho Simone, *che gli Ebrei gli avevano pagato il Pretatico*. Hic autem Teſtis non ſolùm ex ſe plenè probaret, ut dictum eſt ſupra de primo, ſed eò magis attendi meretur, cùm appareat etiam conteſtis ſuper facto ſequeſtri, ut proinde reſultet quaſi poſſeſſio probatiſſima ex duobus teſtibus, & formiter examinatis juxta Textum in *cap. omni negotio* 4. & *cap. Licet* 23. *de Teſtibus*, *leg. ubi numerus ff. eodem* cum ibi latè notatis.

Et ſatis effet in hoc ſummariiſſimo poſſeſſorio pro manutentione, quod ex his omnibus reſultarent adminicula, adeòut vel libri adminicularentur a teſtibus, vel ipſi teſtes a libris, quibus ſtantibus manutentio in hac materia Parochialium obventionum, & decimarum omninò concedenda foret, Posth. *de manut. obſ. num.* 35. *verſ. exigendi etiam decimas*, Thomat. *d. deciſ.* 41. *num.* 8. Rota coram Bichio *deciſ.* 386. *num.* 7. Ninot. *deciſ.* 1. *num.* 3. *in recent. deciſ.* 2. *eodem num. p.* 18. *deciſ.* 47. *num.* 1. & *deciſ.* 152. *a num.* 6. *p.* 19.

Neque adverſatur unica exceptio in contrarium oppoſita, quod libri, & Teſtes loquantur de ſolutionibus antiquis uſque ad ſolum annum dumtaxat 1677. ideòque cùm ab eo tempore ad præſens elapſo jam decennio fuerit intermiſſa exactio, & per conſequens amiſſa omnis poſſeſſio, non ſit amplius locus manutentioni ex poſſeſſione civili, quæ ultra decennium non durat, juxta doctrinam Poſt. *de manut. obſerv.* 58. *num.* 1. ut ſupra in facto objectum apparet.

Siquidem certi juris eſt, quod poſſeſſio jam quæſita Eccleſiæ ab antiquiſſimo tempore apud eam radicaliter, & fundamentaliter manet, quaſtante, Rectorum, & Parochorum negligentia in exigendo non valet eidem Eccleſiæ, ejuſque poſſeſſioni ullatenus præjudicare, & propterea nomine ipſius Eccleſiæ omni jure peti poteſt manutentio ex primæva, & antiqua poſſeſſione, tametſi lapſum fuerit decennium, prout omiſſis generalibus, probat in terminis oblationum, & decimarum Parochialium, Rota coram Bichio allegata *deciſ.* 386. *num.* 9. Ninot. *d. deciſ.* 1. *num.* 16. & ultra eas coram Peutingerio *deciſ.* 434. *num.* 6. & coram clar. mem. Cardinali Cerro *deciſ.* 180. *num.* 12.

Potiſſimè quia, licèt exactio controverſi Pretatici neglecta fuerit ab anteceſſore Parocho, non tamen poteſt dici illa antiqua, & primæva Eccleſiæ poſſeſſio exigendi interverſa ſeu amiſſa, dum non conſtat, nec immò probari poteſt unquam a Judæis, quod hoc Pretaticum petitum fuerit ex parte Eccleſiæ, & ab ipſis denegatum cum ſuccumbentia, & acquieſcentia, in qua denegatione, unita poſitivè acquieſcentiæ, & ſuccumbentiæ, conſiderari poſſet aliqua interverſio, ſeu amiſſio aliqua poſſeſſionis: Cæterùm ſola hæc abſtinentia, ſeu negligentia ab exactione merè facultativa Rectoris nullum infert præjudicium Eccleſiæ, ejuſque poſſeſſioni, nullamque interverſionem producit, neque impedit, quin etiam elapſo decennio Eccleſiæ manutentio debeatur ex ſua primæva, & antiqua poſſeſſione, ut egregiè tuetur Posth. *de manut. obſerv.* 10. *num.* 100. & *ſeqq.* Thomat. *deciſ.* 52. *num.* 14. & 15. Rota coram Rojas *deciſ.* 414. *num.* 3. Bich. *deciſ.* 386. *num.* 5. Peutinger. *deciſ.* 434. *num.* 6. Ninot. *deciſ.* 1. *num.* 15. Cerr. *deciſ.* 180. *num.* 11. & in *recent. deciſ.* 271. *numer.* 8. *part.* 18.

Proceſſit autem hæc negligentia in exigendo, ex quo de anno 1677. ut expreſſum ſupra eſt, Parochus diverſis agitatus infortuniis, fuit privatus exercitio, ſequeſtrata cura ſub Oeconomo, ad quam nuper aſſumptus modernus Parochus ritè, & rectè nunc inſtat pro manutentione, cui nomine ſuæ Eccleſiæ allegatus lapſus temporis, & objecta negligentia exigendi obſtare non poteſt, dum vacante Eccleſia, eaque ſub Oeconomo languente, nullum præjudicium ejus ſtatui, & poſſeſſioni fieri valuit de jure, cùm, tanquam ſuo vero Tutore, Sponſo, & Defenſore deſtituta, conſideretur pupilla incapax cujuſcumque præjudicii, ad Text. *in capit.* 1. ibique Canoniſtæ communiter, & & præcisè Ancharan. Joan. Andr. *numer.* 1. Hoſtienſ. *numer.* 12. & *capit. final. ne ſede vacante*, Rota coram Dunozet. jun. *deciſ.* 252. *num.* 27. 28. & 29. repetita apud Poſthum. *de manutent. deciſion.* 330. *eiſdem numeris*.

Minuſque reſiſtit, quod ſolutiones enumeraverint a Judæis antiquis, non a modernis conventis, & Domos nunc poſſidentibus, ut proindè quoad iſtos prorſus deficere objiciatur quaſi poſſeſſio exactionis, & ſolutionis reſpectivè.

Cùm enim jus exigendi hoc Pretaticum ratione Domorum, quas in hoc Ghetto Judæi retinent, patenter dignoſcatur eſſe jus merè reale univerſaliter debitum Parocho, ſeu Eccleſiæ ab iis, qui domos retinent, & poſſident, neceſſariò inde ſequitur, quod poſſeſſio quæſita Eccleſiæ, & Parochis contra antecedentes poſſeſſores, ſuffragetur etiam contra modernos, eò quia Domus ſemper ſunt eædem, onera ipſis infixa tranſeunt ad quoſcumque detentores, & jus exactionis, & poſſeſſionis ex parte Eccleſiæ poſſeditricis deſumitur, & oritur re ipſa, non ex parte ipſius, qui ſolvit, & rem poſſidet, Posthum. *de manutent. obſervat.* 56. *num.* 25. Rota cum *deciſion.* 157. *numer.* 1. & *deciſion.* 455. *numer.* 3. Pignatell. *conſultat. Canonic.* 121. *num.* 22. *tom.* 1. Rota coram Penia *deciſion.* 1509. *numer.* 3. Coccin. *deciſion.* 695. *num.* 1. & 2. & *deciſion.* 792. *eodem numer.* Bich. *deciſion.* 286. *num.* 3. & *deciſ.* 163. *numer.* 9. Celſ. *deciſ.* 44. *num.* 2. & 3. Royas *deciſion.* 414. *num.* 2. & *in recent. deciſ.* 341. *num.* 1. *deciſ.* 189. *num.* 3. & *deciſ.* 205. *num.* 2. *part.* 2.

Ex quibus, Salva &c.

Octavius de Jandis Advocatus.

Decre-

Decreta S. Congregationis Viſitationis.

Ad idſtantiam Curatorum S. Angeli in foro Piſcium, & S. Gregorii ad Pontem quatuor Capitum, S. Congregatio cenſuit, eſſe committendum, prout præſentis decreti vigore committit Eminentiſs. Urbis Vicario, ut ad fraudes evitandas petitam deſcriptionem Capitum Judæorum fieri procuret, hac die 29. Aprilis 1660.

Die prima Julii 1660. ſimiliter approbatum fuit decretum pro nonnullis Parochis Urbis habitantibus intra fines Parochiæ ſuæ domos, in quibus habitant Hebræi, videlicet.

Sacra Viſitationis Congregatio ſupplicantium precibus inclinata committendum cenſuit, ut præſentis decreti vigore committit R. P. Viceſgerenti, ut nunc, & deinceps ſingulis annis deſcribendos curet Hebræos utriuſque ſexus degentes in domibus ſitis intra fines Eccleſiarum Parochialium ſupradictorum, eiſque publico edicto præcipiat ſub pœnis arbitrio ſuo infligendis, ut infra terminum competentem ſua cujuſque nomina, & cognomina Parochis earumdem Eccleſiarum verè, & ſincerè tradant in ſcriptis, & ſi quod ab ipſis Hebræis fraudulenter, ſeu doloſè actum, geſtumve compererit ſeverè in eos animadvertat. Præterea eoſdem compellat conſtituere Exactorem, qui juxta formam mandati executivi ad favorem Parochorum aliàs relaxati, a quolibet ipſorum Hebræorum pecuniam in mandato expreſſam, eamque ſexto quoque menſe eiſdem Parochis cum effectu perſolvat. Datum die prima Julii 1660.

Ita reperitur in Regeſto authographo S. Congregationis Viſitationis Apoſtolicæ. In quorum fidem &c. Romæ hac die 20. Menſis Martii 1685.

Loco ✠ Sigilli.

B. Panciaticus Secretarius.

Cùm inter Parochos Eccleſiarum S. Angeli in foro Piſcium, S. Gregorii de Ponte quatuor Capitum S. Nicolai in Carcere, S. Mariæ de Planctu, S. Thomæ de Cinciis, & S. Mariæ in Monticellis ex una parte, & Univerſitatem Judæorum ex altera vertatur controverſia, An ſex Bononeni pro jure, ut vocant Pretatici, ſolvi debeant a Judæis ſexto quoque menſe pro numero Capitum, ſeu perſonarum, an verò pro numero familiarum, ſeu locorum, earumque domorum exiſtentium intus recinctum Judæorum infra limites prædictarum Eccleſiarum, S. Congregatio Viſitationis Apoſtolicæ, perpenſis ſcripturis, ac juribus deſuper utrinque exhibitis, requè accuratè diſcuſſa, cenſuit, in ſolutione hujuſmodi ſervandum eſſe ſolitum, & ita ab omnibus, ad quos pertinent ſervari præcipit. Datum die 29. Julii 1660.

Ita reperitur in Regeſto authographo S. Congregationis Viſitationis Apoſtolicæ. In quorum fidem &c. Romæ hac die 4. Januarii 1689.

Loco ✠ Sigilli.

B. Panciatius Secretarius.

Chriſti nomine invocato pro tribunali ſedentes, & ſolum Deum præ oculis habentes per hanc noſtram deſſinitivam ſententiam, quam de juris peritorum conſilio in his ſcriptis ferimus in cauſa, & cauſis, quæ coram nobis primò, & prima ſeu alia veriori verſæ fuerunt, & vertuntur inſtantia inter R. D. Dominicum Sabatinum Vicarium Curatum Venerabilis Collegiatæ, & Parochialis Eccleſiæ S. Nicolai in Carcere Tulliano de Urbe actorem ex una, & Alexandrum Vellitrum, Abraham de Caſtro novo, Jacobum Giojoſum, Rubinum Calò, Dattilum Micadorum, Camerarios Scholæ, ſeu Societatis Mortis Hebræorum, nec non Sabbatum Triumphum, Creſcentium Sermonetum, Leonem de Medinos, Aaron a Caſtro novo, Sabbatum de Monte, Jacobum Raphaelem, Conſilium Scandrillium, Michaelem de Capua, Samuelem Sacerdotem, Jacobum Gatthenghium, Joſephum Caittem, Jacobum Firmum, & Gabrielem de Abron Hebræos poſſeſſores quatuordecim domorum, exiſtentes intus parvum Ghettum, vulgò Ghettarello, poſitum propè Portam Leonam, reos conventos partibus ex altera de, & ſuper ſolutione Pretatici ad rationem obulorum ſex pro qualibet ex dictis domibus, & ſemeſtre, rebuſque &c. dicimus, pronunciamus, decernimus, declaramus, & deſſinitivè ſententiamus, Hebræos ſupranominatos, tanquam poſſidentes ſupradictas quatuordecim domos, etiamſi in illis actualiter non habitent, eaſque retineant ad uſum Scholæ, & reſpectivè Magazenum, ſeu alium quemcumque uſum, teneri, & obligatos eſſe ad dandum, & ſolvendum d. Vicario Curato S. Nicolai in Carcere Pretaticum conſuetum ad rationem obulorum ſex pro qualibet ex ſupradictis domibus, & ſemeſtre, ac pro illis ſolutione, & terminis jam decurſis, & non ſolutis decernendum, & relaxandum fore, & eſſe contra dd. Hebræos mandatum exequutivum, & aliud quodcumque neceſſarium, & opportunum prout decernimus, & relaxamus.

Item pari noſtra deſſinitiva ſententia, & per caput ſeparatum dicimus &c. & deſſinitivè ſententiamus exceptiones oppoſitas per ſupradictos Hebræos adverſus mandatum de manutenendo ſn quaſi poſſeſſione exigendi d. Pretaticum ad favorem ſupradicti Vicarii Curati per nos decretum, & relaxatum fuiſſe, nullas, irritas, calumnioſas, & de facto datas, & propterea non obſtetiſſe, neque obſtare exequutioni ſupradicti mandati de manutenendo. Immò ſupradictum Dominum actorem ab eiſdem exceptionibus abſolvendum, & liberandum, ſupradictis verò Hebræis ſuper illis imponendum fore, & eſſe perpetuum ſilentium, prout, abſolvimus, & liberamus, ac reſpectivè imponimus, & pro abſoluto, & liberato, ac reſpectivè impoſito haberi volumus, & mandamus, victoſque victori in expenſis condemnamus, quatenùs tamen huic noſtræ ſententiæ non acquieſcant, quarum taxationem tali caſu nobis, vel cui de jure in poſterum reſervamus, & ita dicimus, pronunciamus, decernimus, declaramus, & deſſinitivè ſententiamus, non ſolùm, &c.

Hæc ſententia fuit publicata die 5. Menſis Decembris 1691. prout in libro receptorum fol. per acta Pini Notarii Eminentiſs. Cardinalis Vicarii, pariterque expeditum mandatum exequutivum ſub die 7. dicti Menſis Decembris ejuſdem anni 1691. ad favorem hujus Eccleſiæ.

Romani Pretatici.

Reſponſio Juris.

Eminentiſſime Domine. Omnia, quæ deducuntur a Domino exadverſo ſcribente in hac cauſa ad unicum motivum redacta ſunt, quod ſcilicet Hebræi in parvo Ghetto non maneant, ſed illum hodie detineant ad merum uſum Magazenorum, pro quibus ptopterea nullum ab eis ſolvendum ſit Pretaticum, ne teneantur ad duplicem illius præſtationem, dum illud ſolvunt Parocho, ubi degunt ad inſtar decimarum, quæ unicæ, non duplicatæ debentur.

Verum in facto dicimus in hoc Ghetto Hebræos habitaſſe, & habitandum fuiſſe conceſſum, actuque exiſtere in eo ſcholam, adeòque non potuiſſe Hebræos, mutando domos de habitatione in Magazena Eccleſiæ præjudicare.

Præterea adducta ratio debiliſſima eſt, quia Pretaticum non debetur Parochis pro decimis perſonalibus, quæ ratione perſonæ debentur, adeòque duplicatæ exigi non poſſunt, eo quod unica eſt perſona, & per conſequens unica etiam decima, ſed debitum eſt alio reſpectu, nempè pro reſtauratione damnorum, quibus ſuccumbunt Eccleſiæ in domibus a Chriſtianis habitari ſolitis, quas ipſi occupant, habitando, vel detinendo ad proprium uſum, & ſervitium, ex qua occupatione ſicuti indubitatum eſt, quod damna Eccleſiis proveniunt in vivariis, & mortuariis, tàm ſi habitent, quàm ſi non habitent, ita ex debita juſtitia tenentur ad eorum refectionem ſub nomine Pretatici exigi ſolitam, ut probat Text. *in cap. Quanto de uſur.* ibi: *ſuper decimis, & oblationibus, &c. ut ſic Eccleſiæ conſerventur indemnes, cap. de terris eod. tit. ne valeant Eccleſiæ fraudari*, Concil Viennenſe, *ex eo, quod loca, in quibus Chriſtiani habitare deberent occupant*, & firmant Hoſtienſ. *in cap. de terris num. 1.* ibi, *ut Eccleſiæ conſerventur indemnes*, Jo: Andr. *in cap. Quanto*, ibi, *habeatur æſtimatio proventuum*,

ſuum, qui pervenire ſolebant Eccleſiæ, & ad illud tenentur Judæi, & in cap. de terris, ibi, *ne fortè videlicet occaſione illa Eccleſiæ valeant ſuo jure fraudari*, Butr. *in cap. quanto num. 7.* ibi, *Eccleſiæ decimis, & oblationibus læderentur ex habitatione Judæorum; Ideò in hoc habent remedium contra Judæos*. Rurſus; *in cap. de terris num. 1.* ibi, *ad illud damnum reſarciendum tenentur*, Anchar. *in cap. de terris num. 1.* ibi, *Ex habitatione Judæi non debet Eccleſia damnum pati*, Abb. *in cap. Quanto ſub num. 4.* ibi, *ne per defectum Chriſtianorum Eccleſia patiatur detrimentum, & in cap. de terris*, ibi, *Judæus Eccleſiæ obligatur ratione ſatisfactionis damni, & intereſſe*, Zabarell. *in cap. Quanto*, ibi, *ne Eccleſiæ fraudentur*, Gonzal. *in dict. cap. Quanto*, ibi, *Eccleſias conſequi debere indemnitatem pro oblationibus ſibi debitis*, Bellencin. *de charit. ſubſid. qu. 67.* ibi, *ne Eccleſia per poſſeſſionem eorum ſit deterioris conditionis*, Lap. *allegat. 92.* & ibi Adden. *lit. N.* ibi, *ne Eccleſia lædatur*, Rebuff. *de decim. qu. 5. nu. 11. tenebitur Judæus ſolvere æſtimationem illius decimæ, quam habuiſſet Eccleſia a bono Chriſtiano, &c.* Azor. *inſtit. moral. par. 1. cap. 35. qu. 3. lib. 7.* ubi, quod non debent Eccleſiæ pro habitatione Judæorum damnificari, idemque firmat Bonac. *de præcept. Eccl. qu. 5. punct. 3. num. 6.* & Sot. *de juſt. & jur. lib. 9. quæſt. 4. art. 4. col. 2.* Et demum latè hanc ſententiam tuetur Pignatell. *conſult. canon. 70.* per totam *tom. 5.* præcisè comprobans deberi a Judæis in Urbe Pretaticum in compenſationem damnorum, & intereſſe, quibus habitando domos Chriſtianorum Eccleſias afficiunt, & antea hoc ipſum firmaverat, *conſult. 177. num. 64. tom. 1.*

Hinc Judæi ſive habitent, ſive non habitent cùm damnum inferant, detinendo iſtas domos a Chriſtianis habitari ſolitas, ad ejus refectionem tenentur ex vi juſtitiæ diſtributivæ naturalis, ne uni per alterum iniqua inferatur conditio: adeoque ex ſola poſſeſſione Hebræorum hæc damna deberi, probat Bellencin. *de charitativ. ſubſid. qu. 67.* ibi, *ne Eccleſia per poſſeſſionem eorum ſit deterioris conditionis*, & in hoc nimis clarum eſt Concilium Viennenſe, decernens damna pro iis locis a Chriſtianis habitari ſolitis, quos Hebræi occupant parum obſtante quod dixerit, manſerint, quia verbum manere ſignificat etiam detinere *l. In fiſcalibus, C. de exactionib. tribut. lib. 10.*

Advertendo inſuper, quod hìc non agitur de aliqua temporanea locatione, ſed de perpetua acquiſitione iſtarum domorum, quibus in perpetuum Chriſtiani ſunt privati: Unde ratione iſtius perpetuæ acquiſitionis, & privationis tenentur ad hoc Pretaticum, ut perbellè firmat Hoſtienſ. *in d. cap. Quanto num. 6. de decim.* ibi, *Si Judæus acquirat domum, æſtimari debet quantum a Chriſtianis, &c. & in tantum obligatur*, Abb. *ibidem num. 4.* ibi, *ne per defectum Chriſtianorum Eccleſia patiatur detrimentum, nam poſſet ſequi, quod Judæi emerent totam Parochiam.*

Iſta enim perpetuitas conceſſionis nimium lædit jus Parochiæ, quæ in perpetuum privata remanet ſuis obventionibus, & emolumentis, ratione cujus perpetuæ privationis jus, & æquitas ſuadent aliquid Eccleſiæ deberi in recognitionem ſaltem juriſdictionis Eccleſiaſticæ, Marquard. *de Jud. cap. 7. num. 6.* Suarez *de Relig. tract. 2. cap. 16. num. 8. lib. 1.*

Ad inſtar Cathedratici, quod debetur Epiſcopis in ſignum ſubjectionis perpetuæ pro jure, & honore Cathedræ *can. placuit, & can. inter cætera 10. quæſt. 3. cap. 1. cum olim de cenſib.* cum aliis in diſcurſu citatis.

Quæ certiora redduntur ex obſervantia, dum Hebræi ex Magazenis Ghetti magni ſolvunt Pretaticum, & ex atteſtatione Parochi exigentis, cui tanquam teſtanti de facto proprio, & omni exceptione major ſtandum eſt licèt unico, cùm habeat vicem duorum, Rot. *in recent. dec. 378. num. 10. & 11. par. 17.*

Accedente novo facti motivo, quod ſcilicet Hebræi ſolvunt de omnibus, & ſingulis magazenis per eos extra Ghettum retentis ſcuta quatuor annua Conſervatorio Divæ Clementiæ, cui illa applicavit Pontifex: Unde verè pro eis, dum occupant Chriſtianorum domos, apothecas, & magazena actualiter ſolvunt, & quod plus urget conventi Hebræi ad ſolvenda dicta ſcuta quatuor de his magazenis in Ghetto parvo exiſtentibus a Conſervatorio prædicto oppoſuerunt, domus iſtius Ghetti fuiſſe ad habitandum eis conceſſas a Pontificibus, & ipſos habere in eis jus Gazagà, & ad hunc effectum per eos detineri, ſic evadendo ſolutionem pro magazenis; quare dum ſe eximunt a ſolutione ratione magazeni, debent ſuccumbere Pretatico ratione habitationis, ſeu habitabilitatis.

Demum ad illud motivum, quod deberetur duplex decima, facilè reſpondetur, ſi enim Hebræi ſolverent Pretaticum pro decima perſonali motivum procederet, ſed Judæi illud ſolvunt pro damnis oblationum, & proventuum Parochiis deficientium, cæterum etiam in ratione decimarum poteſt quis ſolvere plures decimas, nempè perſonales, ubi habitat, reales ubi habet prædia bona, fundacos, & magazenos, Guttier. *practic. qu. lib. 1. qu. 17. per tot.* Caſtill. *de Terr. cap. 2. a n. 11.* Arauz. *dec. moral. tract. 3. qu. 32.* Ricc. *collect. 2468.* Rota cor. Coccino *dec. 1586. num. 3. & ſeqq.*

Hæc ſunt, quæ in petitorio deducuntur, cæterum in poſſeſſorio petita manutentio denegari non poteſt. Conſtat enim de quaſi poſſeſſione exigendi ex libris Eccleſiæ, qui ad hunc effectum manutentionis in terminis iſtarum oblationum, proventuum, & decimarum plenè probant, Poſth. *de manuten. obſerv. 35. num. 35. v. exigendi etiam decimas*, Rot. poſt eum *dec. 31. n. 3.* Thomat. *dec. Marchiæ 41. num. 8.* Rota coram Ninot. *dec. 1. num. 3.* Bich. *dec. 386. num. 7. in rec. dec. 2. num. 3. par. 18. & dec. 152. a num. 6. par. 19.*

Et generaliter in quacunque alia materia Reuſner. *conſ. 23. nu. 58.* Turret. *conſ. 33. num. 8. vol. 1.* Marant. *reſponſ. 78. num. 1.* Genua *de ſcript. privat. lib. 5. cap. 5. num. 9.* Poſt *de manut. obſerv. 35. numer. 34. verſ. & quod*, Berlich. *var. concl. tom. 1. concl. 36. num. 18.* Queſeda Rilo *controv. 36. num. 6.* Rub. *ſingul. Rotæ tom. 1. ad dec. prim. Sacrat. fol. 460.* ubi de conſtanti Sacræ Rotæ ſententia, & Rota ipſa *in rec. dec. 290. num. 4. par. 1. dec. 233. num. 4. par. 7. dec. 300. num. 25. par. 12.* coram Martin. Andr. *dec. 76. num. 1.* Ubald. *deciſ. 104. eodem num.* Coccin. *dec. 628.* Dunozetto Jun. *dec. 692.* utrobique *num. 6. & dec. 989. num. 2.*

Accedentibus præſertim duobus Teſtibus, altero nempè deponente de ſolutione actuali, de viſu, qui ſufficientiſſimè ex ſe ſolus, & unicus probaret quaſi poſſeſſionem ad effectum manutentionis, ex traditis per Poſth. *de manuten. obſerv. 38. num. 14.* Thomat. *dec. Marchiæ 216. num. 6.* Adden. ad Pamphil. *dec. 51. num. 10.* ad Gregor. *dec. 160. num. 3.* Rota coram eodem *dec. 438.* Cavaler. *dec. 34.* Buratt. *deciſ. 594. in omnibus num. 3.* Cocc. *dec. 2012. num. 4.* Peutinger. *dec. 15. num. 2. dec. 233. num. 1.* Dunozet. jun. *dec. 581. num. 1.* ubi de poſſeſſione exigendi obventiones, & decimas parochiales *in rec. 788. num. 2. dec. 214. ſub num. 3. dec. 511. ſub num. 8. par. 1. dec. 26. num. 13. par. 13.*

Et altero pariter de ſolutione deponente, ac conteſte de ſequeſtro, & clauſura Ghetti, ut proindè reſultet quaſi poſſeſſio probatiſſima ex duobus teſtibus, conteſtibus, *cap. in negotio de teſtib.*

Et ſatis eſſet in hoc ſummariiſſimo poſſeſſorio, quod Teſtes adminicularentur a libris, vel libri a teſtibus, ut exinde quaſi poſſeſſio exigendi probata reſultet ad hunc effectum Poſth. *de manut. obſerv. 35. verſ. exigendi etiam* Thom. *deciſ. March. 41. num. 8.* Rota coram Bichio *dec. 386. num. 6.* Ninot. *deciſ. 1. num. 3. in recent. dec. 2. eod. num. p. 18. & dec. 47. num. 1. dec. 152. a num. 6. p. 19.*

Quare, &c.

Octavius de Jandis Advocatus.

Et in grati animi fidelem memoriam erga amicum noſtrum Pervenerabilem virum D. Franciſcum Mottam, qui Reverendiſſimi Capituli ſui Andrienſis huic judicio apud Romanam Curiam jura ſuggeſſit, ac præſentia ſua commendavit, hæc ſubjicimus.

Andrienſis Servitii Eccleſiæ.

In Cathedrali Eccleſia Andrienſi, quæ receptitia eſt, antiqua irrepſerat conſuetudo admittendi æqualiter, ac indiſtinctè omnes Sacerdotes ad ſervitium Eccleſiæ, & & conſequenter ad participationem omnium emolumentorum maſſæ Capitularis, excepto tamen primo anno ſervitii, in quo illi, qui fuerant promoti ad Sacerdotium intra menſem Septembris participabant integrè, & æqualiter cum cæteris aliis, promoti verò poſt dictum menſem, nedum tenebantur gratis inſervire uſque ad menſem Auguſti ſubſequentis, verum etiam in caſu prætermiſſæ celebrationis mulctabantur pœna unius Caroleni pro qualibet vice, ac pro qualibet miſſa non celebrata. Hanc conſuetudinem uti minus æquam ſacriſque Canonibus parum conſonam, particulari decreto in viſitatione edito improbavit Epiſcopus; non diſſentiente tunc, ut ipſe aſſerit, majori parte Capitularium. Cùm autem alii ſub nomine Capituli reclamantes, interpoſito recurſu ad hanc Sacram Congregationem, inſtent pro dicti decreti revocatione, ac pro obſervantia veteris conſuetudinis, hinc utraque

parte informante ab Eminentiſs. Patribus decernendum erit.

An decretum Epiſcopi in viſitatione factum, ſit obſervandum?

Die 5. Maji 1696. S. Congregatio S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum cenſuit, danda eſſe decreta in Salernitana 11. Maji 1609. & in Policaſtrenſi 13. Jan. 1685. tenoris ſequentis.

Salernitana. In Eccleſia receptitia Terræ Padulæ adeſt conſuetudo, quod Presbyteri primo anno, quo ad Eccleſiam recipiuntur, nihil percipiant de illius fructibus, qui dividuntur inter alios presbyteros. Supplicatur declarari. Primò. An hujuſmodi conſuetudo ſit ſervanda? Secundò, an Ordinarius poſſit illam tollere? Sacra &c. Ad primum reſpondit, *eſſe ſervanda*. Ad ſecundum, *non poſſe*.

Policaſtrenſis participationis. Supplicante huic S. Congregationi Procuratore Terræ Laureæ ſervari immemorabilem conſuetudinem, juxta quam Sacerdotes ad numerum participantium noviter admiſſi tenentur per unius anni ſpatium Eccleſiæ gratis inſervire, omniaque Miſſarum etiam perpetuarum, ac Ordinariarum onera ad Communitatem ipſius Cleri ſpectantia ſubire, non obſtante decreto, quo mediante Epiſcopus in poſtrema viſitatione dictam conſuetudinem abrogavit. Auditus fuit Epiſcopus ipſe, qui in ſequentem modum reſpondit. In omnibus ferè Eccleſiis matricibus, ac receptitiis hujus Diœceſis viget conſuetudo, quod antequam Sacerdos de recenti ordinatus admittatur ad participationem redditnum Eccleſiæ, debeat inſervire gratis per aliquod tempus dictæ Eccleſiæ in exercendo Officium Sacriſtæ, & Procuratoris, ſeu Præpoſiti. In Eccleſia verò matrici, & receptitia S. Jacobi Terræ Laureæ ultra hanc, adeſt etiam conſuetudo, quod modernus Sacerdos teneatur explere onus miſſarum ſibi contingens ex diviſione, quæ fit inter Sacerdotes, inſervire choro, & intereſſe aliis officis extraordinariis, & ſtipendia, ac emolumenta tàm miſſarum, quàm aliarum oblationum appropriant ſibi alii antiqui Sacerdotes, & inter ſe dividunt, nulla portione penitus aſſignata Sacerdoti moderno celebranti, dictaſque miſſas, & alia onera explent. Hanc conſuetudinem in viſitatione anni præteriti aboleri curavit, uti Sacris Canonibus contrariam, atque reprobatam a S. Concilio Trident. *ſeſſ. 24. cap. 14. de reform.* eamque damnant Abbas, Felinus, & Decius *in cap. Cum M. Ferrarienſis de conſtit.* ac cæteri Canoniſtæ in *cap. Jacobus de ſimon.* atque non ſolùm damnant hanc conſuetudinem, in qua utilitas vertitur in utilitatem privatorum, ſed etiam multi Doctores illam etiam damnant in qua utilitas vertitur in utilitatem ipſiuſmet Eccleſiæ, ut præ cæteris videre eſt Felician. Oliv. *de for. Eccleſ. lib. 3. qu. 6. ſub num. 36.* Neque verum eſt, quod Clerus S. Jacobi ſuſtineat multa onera pro Sacerdotibus de recenti ordinatis, quia nullum revera ſuſtinet onus, neque pro illis aliquam facit impenſam, ſicuti falſum expoſuit præfatus Procurator, quod hæc conſuetudo vigeat in tota hac diœceſi. Quia in eadem Terra Laureæ adeſt altera Eccleſia matrix, & receptitia ſub titulo S. Nicolai, in qua adeſt Archipresbyter cum numeroſo Clero, neque tamen viget conſuetudo talis, ſed ſtatim ac quis ordinatus eſt Sacerdos, admittitur ad participandum redditus Eccleſiæ, ſicut cæteri Sacerdotes antiqui. Sum igitur voti, ut paream mandatis EE. VV. dictam conſuetudinem abolendam eſſe, tanquam Sacris Canonibus, & Sac. Concilio Tridentino contraria, utpotè præferentem ſimoniæ ſpeciem, & ſordidæ avaritiæ labem, ac etiam contra jus naturale, quo dictante, nemo debet cum aliena locupletari jactura, maximè in his regionibus, in quibus ſumma paupertas viget. Hujus autem occaſione deduco ad iſtam eandem S. Congregationem, quod in tota hac diœceſi pro admiſſione moderni Sacerdotis ad participationem emolumentorum Eccleſiæ antiqui Sacerdotes omninò volunt, ut Sacerdos ordinatus de recenti canat miſſam, ac faciat paſtum, vel aliquod comeſtibile cuilibet Sacerdoti in domum mittat. Hanc eandem conſuetudinem damnatam expreſsè invenio *in d. cap. Jacobus de ſimon.* Illam tollere cupio, ſi videbitur Eminentiſſimis Patribus. Hæc inter ſupplices libelos poſtremæ Congregationis relata per modum dubii proponenda eſſe cenſuerunt Eminentiſſimi Patres, qui proindè reſpondere dignabuntur, An dicta conſuetudo vigens in Eccleſia Sancti Jacobi Terræ Laureæ, vel potius Epiſcopi decretum illius abrogatorium ſervari debeat?

Secundo, an tolleranda ſit præfata conſuetudo vigens in tota diœceſi, quod Sacerdotes admittendi ad participationem emolumentorum Eccleſiæ canant miſſam, faciant paſtum, vel aliquod comeſtibile mittant ad domum cujuslibet Sacerdotis. Sacra &c. Ad primum cenſuit tranſmittendum eſſe decretum emanatum in cauſa Salernitana 10. Junii 1609. quæ eſt in tomo 117. poſit. pag. 488. Ad ſecundum quoad paſtum, vel aliud munus non eſſe cogendos.

Finis Tomi Decimi.

APPENDIX

Ad Decimum Tomum

CONSULTATIONUM CANONICARUM JACOBI PIGNATELLI.

OPUS POSTHUMUM.

APPENDIX

Ad Decimum Tomum

CONSULTATIONUM

CANONICARUM

IACOBI PIGNATELLI.

OPUS POSTHUMUM

NUMERUS, ORDO, ET ARGUMENTA

Conſultationum, quæ in hac Appendice Tomi Decimi continentur.

CONSULTATIO CCI.

AN, & qua pœna affici debeat puer maleficus ob delicta in pueritia, & adoleſcentia commiſſa, ſi uſque ad annos pubertatis detentus in malitia ſua pergat, & nulla firma emendationis ſpes, vel ſigna appareant?

Et an tunc, ſi impubes plura delicta in ſe capitalia, & atrocia commiſerit, ultimo ſupplicio affici poſſit, ſi ob unum eorum propter ætatem non poſſit?

CONSULTATIO CCII.

De aſſociatione funeris a Confratribus Urbis.

CONSULTATIO CCIII.

An Regulares poſſint erigere in medio ſuæ Eccleſiæ Altare portatile, & in eo collocare Statuam Beatiſſimæ Virginis ſine licentia Epiſcopi?

CONSULTATIO CCIV.

An, & quatenus liceat Canonicis, ſive Cardinalibus ante Electionem Epiſcopi, ſive Summi Pontificis, tractatum habere, & cum eis de rebus quibuſdam paciſci?

CONSULTATIO CCV.

An, & quatenus pacta jurata per Epiſcopos in favorem etiam ſuorum Canonicorum eligentium, in die, & actu electionis eos obligent?

CONSULTATIO CCVI.

De Laudemiis tùm prophanis, tùm Eccleſiaſticis, ſtrictim per concluſiones magis expoſitis, quàm per quæſtiones diſputatis. 1. Nominis derivatio, cur Laudemia excogitata, & quomodo inter naturalia Emphyteuſeos. 2. Varia Laudemiorum nomina. Sunt rerum onera, & odioſa. 3. Ex Feudo præſtantur Laudemia. 4. Quam varia Laudemii quantitas. In ea obſervanda eſt regionum conſuetudo, etiam ſi juri ſcripto repugnet. 5. Præſtatur proportione pretii rei alienatæ, oneribus detractis, ut ex hæreditatibus, ære alieno deducto, & qua ratione Laudemium rei pretium diminuat. 6. Ex pretio quo æſtimatur pactum de retrovendendo, ſimileſve commoditates ab emptore reſervatæ, non debetur Laudemium, neque de ſumptibus alienationum. 7. Neque de fructibus a ſolo ſeparatis, neque de aliis mobilibus, vel ſe moventibus. 8. Ædificia, & alluvionis incrementa. 9. Ab Emptore ſolvendum. 10. Datur ob novum feudum. 11. Ex prima alicujus rei in feudum emphyteuſi, ſive conſtitutione, & datione. 12. De alienatione in alterum ex comprehenſis in inveſtitura, vel agnatis, vel ſucceſſoribus, deque Prælato, qui Anteceſſoris emphyteuſim nanciſcitur. 13. An immunis a Laudemio, cui alienare licet dominio irrequiſito. 14. An dominus cenſeatur remiſiſſe jus Laudemii, data facultate liberè rem alienandi? 15. An dominus Emphyteutam approbaverit, alienationique conſenſum adhibuerit poſt factam alienationem, vel ante? 16. Quomodo Canonis receptio caducitatis condonationem arguat, & quàm varia de Laudemiis ratio ſit? 17. De ammiſſione Laudemii ob negligentiam, vel diſſenſum domini in novo Emphyteuta admittendo, & inveſtiendo. 18. Non debetur Laudemium ex Feudo franco, niſi aliter conventum. 19. Utrùm in commiſſum, Feudum, Emphyteuſiſve incidant, Laudemii ſolutione neglecta? 20. An Laudemium pertineat ad proprietarium, an ad uſufructuarium? 21. De Emphyteuſi a domino directo acquiſita, & ita conſolidata, an Laudemium conductori præſtandum ſit? 22. De eadem re alienata, ſcilicet Emphyteuſi domino directo. 23. Si fundus emphyteuticus in alterum ex pluribus dominis directis abalienetur, an debeatur Laudemium? 24. Cui dandum Laudemium ubi adeſt feudum, & ſubfeudum, vel primus, & ſecundus Emphyteuta? Quid de fiſco Emphyteuſim ad ſe devolutam alienante? 25. De diviſione uni ex Sociis, fratribuſve totius rei aſſignatione a Judice, aut Cohæredibus facta, atque Societatis redintegratione. 26. De alienatione, neceſſitate urgente, facta, num Laudemium debeatur? Excipiuntur aliqui Caſus. Agnatus, qui rem retrahit: Laudemia refundit. 27. De datione in ſolutum, ſubhaſtationibus, judicialique addictione in concurſu creditorum. 28. An Laudemium in permutatione locum habeat. 29. Dos, dotis augmentum, donatio propter nuptias, lucrum dotis perpetuò in Laudemium privilegiata. 30. Laudemium ex donatione. 31. Quid ſi inſtitutionis, legative titulo emphyteuſis in alium transferatur. 32. Debetur Laudemium ex cauſa tranſactionis, non tamen perpetuò. 33. De pignoratitio contractu, & antichriſi. 34. Non datur Laudemium conductionis gratia, niſi fiat ad decennium. 35. De venditionis promiſſione, tractatu, & declaratione, alteriuſque conſocietate. 36. Datur Laudemium ex contractu conditionali, & cui ex diverſis Colonis exiſtentibus, contractus, & ceſſantis, purificatæve conditionis tempore. 37. An duplex Laudemium præſtandum ſit venditione, retrovenditioneque facta, vi pacti de retrovendendo. 38. De reſolutione alienationis. 39. De contractu nullo, vel re evicta. 40. An debeatur Laudemium, ſi uſufructuarius dominium proprietatis acquirat, vel è converſo proprietati uſufructus conſolidetur? 41. De conſtitutione cenſus in re emphyteutica, vel feudali, ejuſve liberatione. 42. De ceſſione, renuntiatione, repudiatione, atque abſtentione. 43. De alienationum, Laudemiorumque concurſu intra ejuſdem anni periodum. 44. An Domino directo, Laudemium petenti, inſtrumenti emphyteuticarii editio a poſſeſſore denegari poſſit. 45. An detur hypotheca tacita pro laudemio. 46. Numerus Liberorum a laudemii præſtatione neminem excuſat. 47. Præſcriptio in laudemiis. 48. De livellario contractu, & colonario perpetuo. 49. Jus accreſcendi in Laudemiis. 50. Simulatio. 51. An hæres gravatus fideicommiſſo laudemium reſtituat, pœnaſque caducitatis. 52. De mulcta ob non ſolutum laudemium præſtanda, vel remittenda. 53. Immunitas Eccleſiæ in Laudemiis an tranſeant in laicum Eccleſiæ ſucceſſorem? 54. An a laudemiis etiam ſtatutariis, vel conſuetudinariis Eccleſia ſit immunis, quænam probationes requirantur, ut laudemium jure exigi poſſit?

CONSULTATIO CCVII.

An, & quatenus Episcopus exercere possit suam jurisdictionem in Abbatiam, & illius Terras, ac Populum, & Ecclesias, quæ prætendit exempta a jurisdictione Episcopali? Et quid si Abbas, vel ejus Vicarius excommunicationem tacuit contra ministros, sive biruarios Episcopi?

CONSULTATIO CCVIII.

An Mulier sit capax Imperii? De idoneitate naturali personæ eligendæ ad imperandum, Imperator cujus ætatis esse possit? De aptitudine acquisita, ubi an Princeps debeat esse conditus? Pollere eloquentia? Quas virtute morales habere debeat? Qua pietate præditus? An nonnisi a se uno utile consilium capere possit? An præstet habere Principem versatum, & calidum, quàm simplicem? An Principis prudentia debeat esse actu temperata? An Princeps sit solutus legibus? Veritatem, & Fidem colere debet. Quæ Virtutes Principes præcipuè deceant? De lege Salica Gallorum.

CONSULTATIO CCIX.

An, & quatenus Imperator Imperium a se abdicare possit, privari, ac deponi?

CONSULTATIO CCX.

An, & quatenus privati hostiliter imperanti, aut regnanti violenter possint resistere?

CONSULTATIO CCXI.

An tollerabilior sit status Reipublicæ, in quo Princeps malus, & boni Consiliarii; an verò contra, in quo Consiliarii mali, Princeps verò bonus? Ubi de præcipuis dotibus boni Consiliarii plura, & insigniora etiam apud Principes Ecclesiasticos.

CONSULTATIO CCXII.

De Corporis qualitatibus, quæ in Consiliario requiruntur. Justa ætas. Formæ dignitas. Bona Corporis constitutio. Indigenatus cum limitatione. Item regulæ in Consiliariorum electione. Prima, ne in electione Princeps sit nimis præceps. Secunda, ut Princeps requirat an omnibus supradictis animi, & corporis qualitatibus ornati sint; & quid agere debeat Princeps, si aliquis candidatus aliquibus qualitatibus tantùm decoratus sit. Tertia, ne Consiliarios tantùm ex iis eligat, quos in aula Princeps sustentat. Quarta, ut Princeps ex omnibus, & singulis suis Provincis Consiliarios eligat. Quinta, ut Princeps non solummodò ex nobilibus, ac divitibus, sed etiam aliquos ex plebejis, & pauperibus eligat Consiliarios. Sexta, ut & laudes, & accusationes de candidato latas Princeps lubenter audiat, & examinet. Septima, ut Princeps Consiliarium electum in Consilium introducat; & quid ulteriùs ibi agendum.

CONSULTATIO CCXIII.

An Clerici, Episcopi, aliique Prælati possint esse Principum sæcularium Consiliarii? Ubi etiam an aliquando irregularitatem incurrant? Ubi plura scitu necessaria pro utroque foro. Quid de Inquisitoribus hæreticæ pravitatis? Deque aliis.

CONSULTATIO CCXIV.

Quot Consiliis magno Principi opus sit? Et quænam illa? De Consilio juridico. Quid ei incumbat? Et quid ad illud pertineat? De Consilio religioso, ac censorio. Ad id quæ pertineant? De Consilio, quod ærario, & annonæ præfici debet. Quam curam habere debeat? Ejus officium, utilitas, necessitas. De Consilio militari, ejusque munere. De Consilio sanctiori, secretiori, ac superiori. Hujus officia, & utilitates. Hæc Princeps quomodo adire, ac frequentare debeat?

CONSULTATIO CCXV.

An Monarca sine Consilio de rebus gravioribus Regni quicquam statuere possit?

CONSULTATIO CCXVI.

Historico-canonica, quòd Summo Pontifici ad Consilia, gubernationemque junguntur Cardinales. Ubi an sine Cardinalium consilio possit Romanus Pontifex ardua Ecclesiæ negotia tractare, expedire, atque conficere? Apparatus ad quæstionem, & appendix ad Consultationem CXVII. Tomi Decimi. Cardinales curita dicti? Eorum ordo an sit juris divini? Eorum origo. In quibusdam Ecclesiis Canonici Cardinales. Cardinalis nomen quibus Episcopis tributum? Cardinalium gradus, & ordo. Tituli Episcoporum Cardinalium. Presbyterorum Cardinalium tituli. De Cardinalium titulis. Diaconorum Cardinalium Diaconiæ. Diaconorum Cardinalium munus. Diaconiæ a Titulis distinctæ. Numerus Cardinalium. Tituli antiqui quot. Quot recentes, quot recentiores. Diaconiæ quot. Eligere, sive creare Cardinales solius Summi Pontificis est. De hac re decretum Concilii Basileensis. In Cardinales quinam eligendi. Leges Cardinalium ex Concilio Lateranensi. Cardinalis nomen, an nomen dignitatis? Quo jure Cardinales cæteris Ecclesiarum Præsulibus antecellant? An semper Cardinalis fuerit administratione, & honoris dignitate Episcopo superior? De consuetudine, qua quilibet Episcopus, ut suæ Ecclesiæ Præfectus, & Pastor, non ut Cardinalis sedeat, & sententiam dicat, prout est in Episcopatu antiquior. Quomodo Cardinales, quatuor Patriarchis præficiantur? An Cardinales in generalibus Ecclesiæ Conciliis jus habeant suffragium ferendi? Et quo jure? De eorum immunitate. Qui de Cardinalibus scripserint. De Consilii necessitate etiam in Pontifice. De secreto in Consilio servando. Quàm id difficile in multitudine Consiliorum. Cautiones in eligendis Consiliariis. De Cardinalium Collegio. An id successerit Senatui Romano? Rectè dici potest Senatus Summi Pontificis, Cardinalium potestas.

CONSULTATIO CCXVII.

An, & quatenus Summus Pontifex transferre possit bona Ecclesiastica ad alios usus etiam in Principes sæculares? Bonorum Ecclesiasticorum dominium apud quem sit? Quo jure Pontifex prohibeatur alienare res Ecclesiasticas? An Pontifex sit dominus bonorum Ecclesiæ? Alienatio rerum Ecclesiasticarum quando sit justa, & valida? Quando valida, & non justa? Quando neque justa, neque valida?

CONSULTATIO CCXVIII.

An, & quatenus Pontifex Summus, ac Princeps sæcularis possint admittere compensationem?

CONSULTATIO CCXIX.

De publicis Conventibus, & Conſiliis, quæ Comitia, & Parlamenta dicuntur, eorumque neceſſitate, ac utilitate. Ad quid inſtituta? An & qui univerſim ſuffragium habeant in Parlamento Regni Neapolitani? De eorum in Comitiis ſeſſione. De ordine ſeptem Officiorum Regni. Cur ſeptem tantùm? Ubi etiam cur ſeptem Electores Sacri Romani Imperii? Qui convocati ad Comitia intelligantur? Suffragatores in Comitiis quid Principi donare poſſint? Donativi quantitas. Vires Regni quis examinare debeat? An aliquid donari poſſit Proregi? Quid requiratur ut aliquid in Comitiis concludatur? Major pars in Comitiis, an & quatenus præjudicet minori? Alia.

CONSULTATIO CCXX.

An Parlamenta, ſive Comitia generalia, magnumque Conſilium poſſint cognoſcere de cauſis Eccleſiaſticis, aut Clericorum? Cauſæ ſpirituales, vel quaſi, an & quatenus poſſint Laicis delegari? Ad hoc Summi Pontificis, ac Prælatorum poteſtas. Bona Clericorum quo jure ſint exempta? Quo item jure Clerici gaudeant fori privilegio, & immunitate a vectigalibus? Eccleſiaſtici quatenus poſſint coram Judicibus laicis trahi? De bonis patrimonialibus Eccleſiaſticorum. Cujus juris ſit privilegium Canonis? Imperator, Rex, aliive Principes, an & quatenus revocare poſſint privilegia ſemel Eccleſiaſticis conceſſa? Laico de qua re compromitti nequeat? De conſuetudine etiam immemorabili contra immunitatem Eccleſiaſticam. Quid de Judice laico, qui ſimul cum Judice Eccleſiaſtico cognoſcit de cauſis ſpiritualibus? De geſtis in hujuſmodi cauſis per Judicem ſæcularem. Quid ſi Judex laicus incidenter cognoſcat de cauſis ſpiritualibus? Quidve de Judice Eccleſiaſtico cognoſcente incidenter de cauſa merè temporali, ac profana? Imperator, vel Princeps alium ſuperiorem non cognoſcens, coram quo conveniri poſſit pro obſervatione contractus, juramenti, violatione pacis, & aliis, quibus de jure divino, naturali, vel gentium ſubjicitur? Vacante Imperio, an Pontifex Romanus ſuccedat in exercitio juriſdictionis temporalis? Ejuſdem poteſtas in electum Regem Romanorum futurum Imperatorem. Quis Principi negligenti provideat de coadjutore? Quibus in Regnis, & locis Romanus Pontifex utroque gladio utatur? Et quibus in cauſis? Clerici, eorumque jura nequeunt cognoſci a Judice ſæculari, etiamſi Partes litigantes in eum conſentiant. Hujus rei limitationes. Quid de Notario laico, aliiſque laicis in rebus ſpiritualibus, & Eccleſiaſticis? Quidve de Advocatis, & Procuratoribus &c. An Parlamentum poſſit cognoſcere ſaltem de cauſis Eccleſiaſticis, data negligentia Judicis Eccleſiaſtici? Neceſſitatis leges.

CONSULTATIO CCXXI.

An Pontifex Summus habeat eamdem poteſtatem, quam habent Principes in ſuis ditionibus, atque adeò poſſit facere quidquid ipſi Principes facere poſſint?

CONSULTATIO CCXXII.

An & quatenus diſpenſare poſſit Summus Pontifex, ut quis retineret plura beneficia, etiam ea, quæ reſidentiam requirunt? Pœnæ in retinentes. Alia benè multa.

CONSULTATIO CCXXIII.

An & quatenus Summus Pontifex aliquam poteſtatem habeat in leges Principum ſæcularium? Et in ipſos Principes, etiam Imperatorum? ubi alia hujuſmodi.

CONSULTATIO CCXXIV.

An Princeps aliquis Chriſtianus juſtè poſſit inferre bellum barbaris nationibus, a quibus nunquam ipſe eſt læſus?

Et an illud Imperium ſit legitimum, ac fundamentum regiminis habeat, quod hujuſmodi invaſione, ac bello acquiritur?

CONSULTATIO CCXXV.

De ſucceſſione, vel electione in Imperio, in Principatu; & an Monarchis conveniat ſucceſſio, an verò electio?

CONSULTATIO CCXXVI.

De origine, & inſtitutione Principum Electorum, obſcura quæſtio. Et an Pontificis authoritate Electores ſint inſtituti? Quæſtio graviſſima.

CONSULTATIO CCXXVII.

An, quatenus, & in quibus, ſpeciatim in arduis, Capitulum, Sede vacante, ſuccedat in juriſdictione Archiepiſcopi, Epiſcopi &c.

CONSULTATIO CCXXVIII.

An, & quatenus locus ad electionem a lege conſtitutus, mutari poſſit? Et an alio in loco celebrata electio legitima, validaque ſit, an verò annullari poſſit?

CONSULTATIO CCXXIX.

An quod in electione de majori parte dicitur, intelligendum ſit, habita conſideratione eligentium, vel totius Capituli, Collegii &c.

Et an ſola majoritas numeri, an verò etiam ſanioritas, ut loquuntur, ſuffragiorum, ſit ſpectanda?

CONSULTATIO CCXXX.

Quid ſit ſuffragium, ſcrutinium, ſuffragia requirenda. Poſt ſcrutinium conſenſus expoſitus an valeat? An conditionalia, & alternativa ſuffragia valeant? Et an ſuffragiorum inquiſitio, ſecretò, an verò publicè fieri debeat?

CONSULTATIO CCXXXI.

An Summus Pontifex poſſit Monaſteria, Conventus Monachorum, aliorumque Regularium ſupprimere, ac liberè, & Seminaria, & Collegia eruta aliis Regularibus, præcipuè Patribus Jeſuitis, aut ſæcularibus Viris eruditis liberè concedere? Ubi exempla in id Summorum Pontificum, & erectiones quamplurium Collegiorum, ac Seminariorum in Orbe Chriſtiano Patribus Jeſuitis, a Summis Pontificibus, Regibus, ac Principibus commendata. Defenditur hac in re poteſtas Pontificis, & admittuntur aliqua præconia, & vindiciæ Societatis.

CONSULTATIO CCXXXII.

An Capellanus obligatus quotidie celebrare pro Fundatore Capellaniæ, possit aliquando vacare, & quoties?

Et quatenus affirmativè, an possit Missam vacantem alteri applicare, & accipere consuetum stipendium?

CONSULTATIO CCXXXIII.

An filii infantes Judæorum, adhuc viventibus, & invitis eorum Parentibus, hoc est Patre, & Matre, possint peti ad suscipiendum Baptismum a Patruo, vel ab avo jam Christianis, vel Catechumenis?

ALIENA.

An liceat Rectori Ecclesiæ Sancti Antonii Abbatis, vel ejus Capellanis, in januis Ecclesiæ, vel extra illam cum Cotta, & Stola, vel sine, publicè benedicere animalibus in die festo ejusdem, irrequisito, & contradicente Parocho Ecclesiæ Sanctorum Joannis, & Pauli, intra cujus limites extat Ecclesia Sanctis Antonii?

Et an oblationes, quæ fiunt occasione dictarum benedictionum, spectent ad dictum Rectorem, vel potiùs ad Parochum?



D. JACOBI PIGNATELLI,

Tomi Decimi.

CONSULTATIO CCI.

An, & qua pœna affici debeat puer maleficus ob delicta in pueritia, & adoleſcentia commiſſa, ſi uſque ad annos pubertatis detentus in malitia ſua pergat, & nulla firma emendationis ſpes, vel ſigna appareant?

Et an tunc, ſi impubes plura delicta in ſe capitalia, & atrocia commiſerit, ultimo ſupplicio affici poſſit, ſi ob unum eorum propter ætatem non poſſit?

Quando in criminalibus rigor clementiæ præferendus, & an tunc, ſi reus ipſe mori deſideret?

AD primum. Puer iſte, de quo quæſtio eſt, judicabatur reus maleficii ex confeſſione propria, ſæpiùs eiſdem fere circumſtantiis iterata. Sed quia octavo ætatis anno apprehenſus fuit, & pleraque graviora infra ſeptennium perpetravit, non putatur conſultum, ut in infantiæ adhuc proximum gravius animadvertatur. Si enim infantes a propriis parentibus, vel aliis pervertuntur, & in ſervitutem dæmonis rediguntur, nunquam ultimo, vel alio graviori ſupplicio plectuntur, ut probavi *tom.* 4. Quia in hanc ætatatem, quæ non intelligit, quod agit, rarò formale delictum cadit, proinde vel in totum excuſantur a pœna, per *leg. infans, digeſti, ad leg. Cornel. de falſ.* Binsfeld. *ad leg. nemo quæſt.* 1. *dub. final.* vel ſaltem paterna ferula, vel aliis modis emendari, atque in loco tuto tamdiu detineri poſſunt, donec in præceptis fidei chriſtianæ probè inſtruantur; idque etiam procedere autumo, ſi infans qualem uſum rationis habeat, quia tanto minor eſt ejus dolus, quanto minorem habet legis naturalis, ac divinæ notitiam, qua ratione ejus doli vix in foro exteriori ratio habetur, ut per Franc. Agricol. *tractat.* 7. *capit.* 4.

2 Plura de infante delinquente, ac infantiæ proximo lege apud Oddum *de reſtitut. in integr. part.* 2. *quæſt.* 80. *numer.* 44. Gomez. *variar. reſolut. tom.* 3. *capit.* 1. *numer.* 57. Farinacc. *in pr. crimin. part.* 3. *quæſt.* 92. *numer.* 46. *& ſequentibus* Carpzov. *rerum crimin. part.* 3. *quæſt.* 143. *a numer.* 9. Et in ſpecie de crimine magiæ in pueris, vide Binsfeldium *loc. citat. fol.* 519. *quæſt. quid dicendum de pueris.* Ergo aliud ferè nihil ſtatuendum, quàm ut jubeatur extra carceres in loco ſecuro detineri, a Clericis, & Religioſis viris viſitari, inſtrui, & ab hoc gravi delicto, maloque dæmone averti.

3 Poſtquam autem anno ætatis nono ferè completo, fateretur iterum commercium cum eo habuiſſe, addito quod ſe illi de novo devoverit, idque mox revocaret, jubetur ob ſuam inconſtantiam, & in pœnam ætati congruam, ut delicti gravitatem melius agnoſceret, virgis acriter cædi, & duriori hac via ad converſionem reduci. Et rectè quidem: Quia ex communi Doctorum ſententia impubes, & ſit doli capax, non punitur capitali pœna, aut membri mutilatione, niſi ſit proximus pubertati, Binsfeld. *loc. citat.* Fere enim in omnibus pœnalibus judiciis ætati, & imprudentiæ ſuccurrendum eſt, *leg. fere, digeſti de regul. jur.* Itaque talis impubes durius quidem emendari poteſt, quam infans, & acerbiùs nonnihil virgis caſtigari. Poſtea autem expedit, eum ad meliorem frugem, & viam ſalutis reduci. Quia in tam prava ætate aſtutia dæmonis, & malorum hominum, quandoque etiam propriorum parentum malitia, pueri in hoc peccatum ſeducuntur, ſeducti ob ignorantiam neſciunt, quid remedii adhiberi poſſit.

Paulo poſt fatetur, bis in montem Veneris evo- 4
laſſe, & anno ætatis decimo cum dimidio, facta promiſſione, quod virgis cædendus non eſſet, ſe nefandam libidinem cum malo dæmone exercuiſſe, enarrato turpi modo. Anno undecimo fere completo faſſus eſt, ſe ante biennium cum amaſia ſua, ipſo dæmone, ſæpius concubuiſſe, ſed ad graviorem inſtantiam faſſus eſt interim, ſe bis cum eodem ſe commiſcuiſſe.

Poſt annum ætatis decimumquartum completum 5
denuo examinatus faſſus eſt, ſe a duobus annis diabolo totum dediſſe, Deum, Beatam Virginem, & Sanctum Angelum Cuſtodem blaſphemaſſe, cum malo dæmone in forma mulieris cum emiſſione ſeminis, & magna exorta debilitate commiſcuiſſe, in opprobrium Dei peccaſſe, & rem veneream cum duabus amaſiis habuiſſe.

Denique in ultimo examine habito anno ætatis ſuæ 6
decimo quinto faſſus eſt, ſe iterum ad nocturnos ſagarum conventus evolaſſe, eaque egiſſe, quæ communiter fieri ſolent.

Quæritur ergo, *quandoquidem annum decimum quin-* 7
tum exceſſerit, & annos pubertatis longe ſuperaverit, qua pœna affici poſſit, ac debeat?

Ita reſpondendum videtur. Malitia in delictis ab 8
impubere commiſſis, quantumvis doli capax, & delictum enorme ſit, non ſupplet ætatem, & pœna mortis regulariter, aut mutilationis membri puniri non debet per textus mox adducendos. Quamvis enim doli capax ſit, minor tamen eſt in eo dolus, quam in adulto, aut majore, quia ut plurimum in ipſa infantia dæmonis imperio ſine ſua culpa impuberes ſubjiciuntur, ſubjectorum ratio & voluntas peccatorum tenebris ita obſcurata eſt, ut ſuiſmet viribus, vel aliorum diſciplina non poſſint opinionem perverſam ante maturiorem ætatem deponere, immo ſeducti ob ignorantiam teneræ ætatis neſciunt quid remedii adhiberi poſſit, ut inquit Binsfeldius *ad leg.* 3. *Codice, de malefic. & mathemat.* Ita quidem quoad pœnam temperandam colligitur ex textu *in leg. auxilium, in delictis, digeſti, de minor. leg. ſi ex cauſa; §. nunc in minoribus eodem titul. leg.* 1. *§. Impubes, digeſti, de S. C. Syllan. leg. ſacrilegii pœnam in prax. digeſti ad leg. Julian. pecul. leg. ſi adulterium cum inceſtu, §. fratres, & §. iidem Imperatores,*

ff. ad

ff. ad leg. Jul. de adult. leg. ferè in omnibus, ff. de reg. jur. Textus, Gloſſa, & Interpretes *in cap. 1. & 2. de delictis puer.* Et impuberes doli capaces in atrociſſimo hoc veneficii crimine ultimo ſupplicio non eſſe mulctandos, niſi ex graviſſima cauſa, tradit Ferdinand. Vueizeneger. *de ſervit. dæmon. diſſert. 6. num. 197.* Binsfeld. *in explicat. cit. lib. 5.* ubi hæc habentur: *Non auderem unquam Judici conſulere in conſcientia, ut in hoc enormiſſimo maleficii crimine arbitrium extenderet ad ultimum ſupplicium ante decimum ſextum ætatis annum completum, niſi maximæ circumſtantiæ accederent.* Proſper Farinac. *de pœn. temper. quæſt. 92. num. 106.* ubi quoad minores etiam in atrociſſimis loquitur, Thom. Mezger. *conſ. 1. tom. 7.* ubi de puella a matre ſeducta duodecim annorum. Idem ſtatuit Julius Clarus *recept. ſent. lib. 5. §. fin. quæſt. 60. in pr.* Decius *in leg. pupillum in fin. & d. leg. ferè in omnib. ff. de reg. jur.* Menoch. *de arb. jud. lib. 2. caſ. 329.* Boerius *deciſ. 254. num. 20.* Si ergo id etiam in minoribus, hoc eſt, illis, qui jam puberes facti ſunt, in pœnis imponendis jura obſervari debere ſtatuerunt, quantò magis locum habebit in impubere delinquente, annos pubertatis nondum ingreſſo, ſed infra illos adhuc conſtituto? Unde impubes, etiam in hoc atroci malefici delicto, capitali pœna, aut membri mutilatione affici nequit, ſed ſollummodò virgis acerbiùs caſtigari poteſt, & ne tunc quidem, ſi doli capax ſit, & proximus pubertati, pœna ordinaria, ſed mitiori affici debet, niſi ex graviſſima cauſa, & conſulto priùs ſupremo Sancti Officii Inquiſitionis Tribunali.

9 Et quidem delicta in infantia commiſſa parum ſunt attendenda, niſi in tantum, in quantum apparet, hunc puerum habitum malitiæ a juventute contraxiſſe, & hucuſque ferè incorrigibilem extitiſſe. Item impubes pubes factus graviùs puniri non poteſt, quàm eo tempore, quo deliquit, per Gloſſ. *in leg. Sciant, verſ. moritur, Codice, de legit. hæred.* & quoties de delicto quæritur, non eam pœnam ſubire quis debet, quam conditio ejus admittit eo tempore, quo ſententia de eo fertur; ſed eam, quam ſubſtineret, ſi eo tempore eſſet ſententiam paſſus, cùm deliquiſſet, per textum *in leg. 1. ſub initio digeſtis de pœn.* Si ergo non poterat puniri, durante infantia, vel adoleſcentia, aut minori ætate, neque etiam poteſt puniri poſtquam pervenit ad majorem ætatem, ut per Clar. *§. final. queſtion. 60. numer. 5.* & minor punitur mitiùs, etiam factus major, quia attenditur tempus delicti, & non punitionis, Farinac. *quæſtion. 92. numer. 162.*

10 His præmiſſis, ad quæſtionem, an hic puer pœna ultimi ſupplicii affici poſſit, negativè multi reſpondent. Primò, ex edicto Caroli Quinti *art. 109.* ex quo volunt, eos magos, ſagas, & veneficas, quæ fœdus cum dæmone injerunt, illi ferè ſe mancipaarunt, Deum abnegarunt, vel ſe cum dæmone commiſcuerunt, propter ſolam abnegationem, mancipationem, vel commixtionem, niſi ad actus nocivos progreſſi fuerint, vel niſi externum aliquod maleficium acceſſerit, ultimo ſupplicio non afficiendos, ſed erigendos, & ſanctiſſimis inſtitutis ab iſto nefando ſtudio abducendos, aut ſi animum obfirmaverint, è finibus Chriſtiani Orbis exterminandos, relegandos, aut fuſtigandos eſſe. Ita Ricard. *conſil. 112.* Godelman. *in tractat. de magiſter. & benef. liber. 3. cap. 11.* Ludovic. Ghilauſ. *in arbitr. judic. crimin. capit. 2. titul. 17. num. 17.* Harp. *ad §. 5. num. 306. cum ſequentibus inſtitution. de public. judic.* ubi quatuor rationes adducit. Puer autem iſte, de quo quæſtio eſt, poſt infantiam nemini, neque hominibus, neque pecoribus nocuiſſe faſſus, vel convictus eſt.

11 Secundò. Quamvis puer iſte annos pubertatis compleverit, plenam tamen pubertatem nondum attigit. Jura autem, & interpretes ſtatuunt, & aſſerunt, ſagas propter ætatis imbecillitatem mitiùs quàm pœna ordinaria puniri debere, prout plures ad hoc allegat Thomas Mezger. *conſ. crim. 7. num. 3.* Et licèt alii arbitrio judicis, hac in parte, multum tribuant; tamen, ut ſupra retulimus, addunt, nunquam arbitrium extendendum ad ultimum ſupplicium ante decimumſextum annum completum, niſi maximæ circumſtantiæ accederent, ut per Binsfeld. *loc. cit.* ubi putat, ante talem ætatem minorem eſſe in cuſtodia tolerabili aſſervandum, & inſtruendum, cum quo concordat Mezger. *d. conſ. 7. in fin.*

12 Pro affirmativa vero, quod ſcilicet pro qualitate delicti, etiam puberes, jam puberes, ultimo ſupplicio affici poſſint, ex eo colligitur, quòd Imperator Carolus V. eos fures, qui non longè a decimoquarto anno abſunt, permiſerit mutilatione membri, vel capite puniri, *art. 164.*

Unde in terminis noſtris Thomas Mezger. *cit. conſ. 7. num. 3.* propter magiam puberem duodecim, vel quatuordecim annorum ultimo ſupplicio, & non quidem pœna ignis, ſed gladii, affici poſſe exiſtimavit. Idipſum cenſuit Beſold. *in theſaur. pract.* ubi ait, *Id præſertim fieri debere in delictis ſpiritualibus, & contra naturalem humanitatem hominum, qualis eſt apoſtaſia, & expreſſum cum dæmone pactum.* Similiter Binsfeldius *loc. cit. fol. 521. Judicis*, inquit, *arbitrium poſſe habere locum, an in tam gravi crimine in minorem ætatem ſit mortis ſupplicium ſtatuendum, idque debere colligi ex circumſtantiis concurrentibus, & attendi an diu fuerit in tali crimine, an perpetraverit multa mala, ut ſunt ſodomia, rerum ſacrarum abuſus, ac ſimilia. Item an magna aſtutia ſit præditus, an ſpes conſtantis converſionis, & emendationis.* 13

Cùm igitur in hoc puero nihil niſi magna levitas, & malitia appareat, & juxta judicium Theologorum ac Religioſorum nulla ſpes conſtantis emendationis affulgeat, is inſuper correctiones factas, admonitiones, & informationes hucuſque parùm æſtimavit, gravitatem autem delicti benè intellexit, & apprehendit, poſſet ex mente præfatorum Doctorum arbitrium judicis ad pœnam gladii extendi. Simile quid in genere tradit Carpzov. *part. 3. crim. quæſt. 143. num. 48. & ſeqq.* quod fieri poſſit, ut etiam impuberi ob inſignem & ſupinam malitiam mortis ſupplicium imponatur, *leg. excipiuntur in princ. ff. ad S. C. Syllan.* ubi tamen tria requirit. Primum, quòd impubes propriè, & mox impleverit annum decimum quartum. Secundum, ut malitia delinquentis ſit ſupina, itaut ætatis defectum ſuppleat, nec correctio aliqua ſperanda. Tertium, ut crimen perpetratum ſit ex atrociſſimis, aut tales circumſtantiæ concurrant, quibus delictum aggravetur. Quæ omnia videntur in hoc caſu concurrere, ac proindè pœnæ gladii tantò magis locus eſſe. 14

Neque his obſtant rationes ſuprà pro negativa allatæ. Nam quod illi magi, ſeu venefici, qui cum dæmone fœdus injerunt, ipſi fidelitatem promiſerunt, ſeipſos devoverunt, vel manciparunt, Deum abjurarunt, cum impuro ſpiritu libidinem exercuerunt, fidem abnegarunt, dæmoni ſacrificium obtulerunt, vel ipſum adoraverunt, licèt nemini nocuerint, & neque hominibus, neque jumentis, neque fructibus terræ damnum intulerint, nihilominùs ultimo ſupplicio plectendi, & quandoque igni tradendi, & concremandi ſunt, ut tenet Bertichius *conſul. 5. par. 4. num. 38. 42. 46. & ſeqq.* Bernardus Zierizius, & Matthias Stephani ad Carolin. *art. 109.* & Carpz. *par. 1. crimin. quæſt. 49. dub. 4. & ſeqq.* Leſſius *lib. 2. de juſt. & jur. cap. 44. dub. 4. in fin.* Thom. Mezger. *conſ. crim. 5. num. 51.* Vueizeneg. *diſſer. 6. cap. ult. num. 195.* Binsfeld. *ad l. d. 5. concl. 2. quæſt. 1.* Quia hi omnes ſunt vel apoſtatæ, vel idololatræ, vel ſodomitæ, quos leges non permittunt vivere, & abſurdum eſſet, eum, qui aſinum, vel equum per ſortilegium occiderit, interfici, hos autem a morte liberari. 15

Ad alteram rationem reſpondet Vveizeneg. *theſ. 198.* quod non ſemper decimus ſextus annus expectandus ſit, niſi qui jam puberes carcerati ſunt, in ipſa infantia dæmonis imperio fuerint ſubjecti ſine ſua culpa, atque ita eorum ratio peccatorum tenebris obſcurata, ut ſuiſmet viribus, vel aliorum diſciplina non poſſint opinionem perverſam ante ætatem aliquam maturiorem agnoſcere, ac deponere. Idem ibidem ita pergit, quod ſi poſt omnem diligentiam adhibitam, nulla correctionis argumenta appareant, ſed in ſervitute dæmonis perſiſtat, merito ſupplicium de ejuſmodi ætatis veneficis ſumatur. 16

Et ſanè cuilibet bono Magiſtratui incumbit malis hominibus purgare provincias, & damna imminentia avertere, per textum *in l. congruit, ff. de offic. Preſid.* multò magis blaſphemias, ſacrilegia, ſortilegia, abuſus rerum ſacrarum, Sodomiam, & alia nefanda ſcelera extirpare. In hoc autem crimine maleficii, ſive a pubere, ſive ab impubere, doli capace, committatur, horum ſcelerum ſentina concurrit, quorum ſingula morte digniſſima ſunt. Videtur igitur propter atrocitatem criminum, ſi in iis perſeveret impubes, impunitas non eſſe ad pubertatem, aut ſupra illam uſque ad decimum ſextum annum concedenda. Iniquum enim eſt, alios, vel etiam totam Communitatem propter alterius ſcelera tolerata hactenus pati, aut affligi, aut ſupra illam uſque ad decimum ſextum 17

ſum annum, *l. non debet ff. de reg. jur.*, *l. ſi quis in ſuo §. legis Codice de inoff. teſtam. leg. Sancimus Codice de pœn.* Quæ enim eſt miſericordia, uni parcere, & omnes in diſcrimen adducere, inquit Hieronymus? Nocet enim bonis conſequenter, qui parcit malis, *canon. qui vitiis 23. quæſt. 5. canon. Sed illius dict. 45. l. ſi apparitor Cod. de cohort. lib. 12. Gloſ. in §. homicidia v. ſupplicium novel. 27. cap. 5.* Si autem homines malefici, etiam impuberes, in quibus nulla ſalutis, aut frugis ſpes apparet, non tollantur e medio, non ceſſabunt alios vexare, ac iis damna inferre, immò majora aggravatis ſceleribus ſibi ſupplicia accerſent, ac in dies fient deteriores. Cùm igitur ſalutis pars ſit minùs affligi, optimè illis ad ſalutem æternam conſulit, qui maturè flagitiis eripit, Delrius *diſquiſ. magic. libr. 5. ſect. 16.*

18 Facitque ad id Conſtitutio Caroli V. pœn. *art.* 164. ubi declarat, quid cum furibus minoris ætatis faciendum ſit; & ſtatuit, quod ſi necdum tales fuerint quatuordecim annorum, non afficiantur morte; ſi autem propemodum quartum decimum annum compleverint, & factum grave ſit ex circumſtantiis, ut ſacrilegium malitioſum cum abuſu, ac irreverentia rei ſacræ, itaut malitia videatur ſupplere ætatem, Judicis officium erit, conſilium inquirere, quomodo tales fures ſint puniendi, vel in bonis, vel in corpore, vel mortis ſupplicio.

19 Ex quibus patet, quod conſideratis circumſtantiis, poſſit propter circumſtantias moderari pœnam, etiam uſque ad ultimum ſupplicium. Hinc rectè infertur, ſi locum id habet in minoribus criminibus, quale eſt furtum, quantò magis obtinebit in attrociſſimis, ac enormibus, in quorum genere ſibi ſummum vindicat locum crimen maleficorum, & ſagarum ob magnitudinem ſcelerum? Et ſi puer nondum pubes juxta textum *in leg. excipiuntur ff. de S. C. Syllan.* in capitalem pœnam condemnatus, quod dolo duntaxat præſumpto cædem domini ſui non revelaverit, quid patietur puer caſtra diaboli ſequutus, tractatus, ac nefanda ſcelera contra Deum, ac Rempublicam hactenus auſus? Quamvis enim Judex in levioribus, ac minoribus criminibus, pronior ad abſolvendum, liberandumque eſſe debeat, in gravioribus tamen contrarium ſentiendum eſt, quando tendunt in divinæ, humanæque majeſtatis offenſam: Quia major militat favor pro honore divino, & ſalute Reipublicæ, quàm ſervatione unius hominis doloſè offendere Deum, & damna damnis cumulare perſeverantis. Ita Binsfeld. *loc. cit.* quem ſequitur Eraſmus Paſcha *in com. ad dict. tit. C. de malef. & mathem.* Et licèt Binsfeldius ſuam hanc limitet ſententiam, nihilominus tamen ex cauſis graviſſimis fieri poſſe, & ut Vveizeneger. ait, conſulto Principe. Idem propter circumſtantias graves admittit, Mezger. *loco citato.*

20 Ex quibus omnibus reſultat concluſio: quod rigore juris inſpecto puer iſte gladii pœna affici poſſit, niſi ſcrupulum moveant, quæ pro ipſius vel defenſione, & exculpatione, vel ſaltem pœnæ mitigatione ex actis deprehendentur.

21 Ad ſecundum. Puer ob magiam in carcere detentus, præter alia, infra annos infantiæ, & paulò poſt admiſſa, cum malo dœmone, anno ætatis undecimo nefandam libidinem ſemel, iterumque exercuit. Ab anno duodecimo uſque ad decimum quartum ſeipſum dæmoni iterum devovit, cum ipſo in forma Mulieris concubuit, Deo, Beatæ Virgini, S. Angelo Cuſtodi renunciavit, dæmonem adoravit. Anno decimò quinto ad nocturnos conventus evolavit, eaque peregit, quæ communiter Sagæ facere ſolent. Propter quod ſolum, & quæ magiæ annexa ſunt, ob ætatem adhuc juvenilem ſimiliter ultimo ſupplicio, vel omninò non, vel juxta aliorum opinionem difficulter affici poteſt. Quæſtio igitur eſt, an propter hæc duo atrocia delicta concurrentia non poſſit vel gladii, vel ordinaria ignis, & concremationis pœna affici?

22 Pro ſententia negativa facit, quod ex ſuppoſito pœna ultimi ſupplicii non cadat in impuberem ob unum ex his delictis ſeorſim commiſſum. Ergo neque conjunctim. Quia cauſa, quæ per ſe ſola nihil efficit, etiam in concurſu alterius non conſideratur, Bald. *in cap. 1. de grad. ſucceſſ. in uſib. feud.* Angel. *in l. 1. §. ſolent ff. Quando appellan.* Sic habemus exemplum in materia favorabili *in l. Spadonem 15. §. 11. ff. de excuſ. tut.* ubi ſi quis habet plures excuſationes, quarum una quævis ſufficiens, & valida non eſt ad liberationem, exempli gratia duas tutelas, & ſexaginta annos, hæ etiam, conjunctæ ad liberationem non ſufficiunt. Si ergo id obtinet in favorabilibus, quantò magis in odioſis, ac pœnalibus? Et quamvis ſubinde iſta combinatio admittatur, ſi duo imperfecta tendunt ad eumdem finem, ut duæ imperfectæ probationes, quæ ſimul conjunctæ efficiunt unam perfectam probationem, *l. in bonæ fidei 3. C. de reb. cred. l. admonendi 37. ff. de jurejur. cap. fin. eodem.* Hoc tamen non procedit, ſi duæ probationes eſſent in ſua ſpecie imperfectæ, Mynſing. *centur. 2. obſerv. 100.* præſertim in pœnalibus. Sic famam cum uno teſte non probat in criminalibus, Gail. *libr. 2. de pac. publ. cap. 7. num. 14.* Clar. *lib. 5. §. fin. quæſt. 2. num. 1.*

Et quod in ſpecie in delictis, in quibus propter minorem ætatem pœna mitiganda eſt, illa mitigatio adhuc locum habeat, ſi minor delictum geminaverit, ttadit, Marſil. *ſingul. 337. & 378. in fine*, ubi invehitur in Judicem quemdam, qui fecit minorem pro delictis geminatis ſuſpendi, dicendo quod ille Judex, ſi commediſſet fœnum, fuiſſet una beſtia, & quod propterea ille magis ſit dignus laqueo, quàm ille minor. 23

Et quamvis aliàs iteratio delictorum aggravet pœnam in majoribus, non tamen ſimiliter in minoribus, Carer. *in pract. in 2. tract. de homicid. §. circa quartum numer. 5.* Odd. *de reſtitut. in integr. qu. 80. num. 98.* Clar. *§. fin. qu. 60. num. 1.* ubi quidam pueri, qui ſæpiùs paſſi ſunt ſe carnaliter agnoſci, non fuerunt flammis combuſti, & ſic pœna ordinaria puniti, ſed tantummodo fuſtigati. Unde etiam Farinac. *qu. 23. num. 34.* regulam illam, quod iteratio delicti aggravet pœnam, procedere putat in majoribus, non in minoribus, in quibus ex reiteratione delictorum non augetur pœna, præſertim corporalis, Carer. *loc. cit. §. circa tertium numer. 11.* 24

Licètque alii velint, quod poſſit in minoribus pœna aggravari, etiam corporaliter; attamen Hippolit. Riminal. *conſ. 245. num. 3. lib. 3.* tenet, quod minor ex quocunque iterato crimine non poſſit pœna ordinaria puniri, ſed mitius. Idem tradit Farinac. *quæſt. 92. numer. 240.* quod in delictis geminatis minores puniantur gravius, ſed non ordinaria pœna, & mortis, ad quod allegat Riminaldum *conſ. 134. num. 30. lib. 3* admittentem quod iſto caſu poſſit minori imponi pœna corporalis. 25

In contrarium autem, quod minores, & impuberes ob iterata, & plura delicta commiſſa graviùs, & corporaliter puniri poſſint, vel pœna ordinaria affici, videntur ſequentia evincere. 26

Primò, juxta vulgatum axioma: Ex multis concurrentibus augetur effectus, *argum. cap. Innotuit, v. multa de elect.* Tuſch. *pr. concl. lit. Codice num. 569.* Unde communiter dici ſolet: Si non proſunt ſingula, cuncta juvant, *argum. l. Sancimus 27. Cod. de teſtam.* Quare inferunt Doctores, imperfectas probationes ſimul junctas, perfectam probationem efficere. Mynſinger. *cent. 5. obſerv. 33.* Et per diverſa genera probationum unam perfectam fieri probationem, ſi per conſonantiam ſint conjuncta, ut per eumdem *centur. 2. obſerv. 20.* de qua quæſtione videri poteſt Gabriel *comm. concl. lib. 1. concl. 1.* Si dicas, hanc illationem in criminalibus non procedere. Mynſing. *d. obſerv. 23. numer. 2.* Gail. *libr. 1. obſerv. 108. num. fin.* ideòque hoc argumentum in propoſito non ſatis efficax eſſe. 27

Facit ſecundò argumentum a geminatione, & reiteratione ductum. Nam geminans delictum, veniam non meretur, Bald. *in leg. 3. C. de Epiſcop. aud.* graviuſque punitur, Vveſemb. *de juſt. & jur. numer. 11.* Farinacc. *de delict. & pœn. lib. 3. tit. 3, quæſt. 23.* & pœnæ propter reiterationem criminis debent augeri, per *l. Capitalium 28. §. ſolent 3. & §. graſſatores, ff. de pœn. l. 3. Cod. de Epiſc. aud.* 28

Si dicas, id fieri propter contumaciam, & conſuetudinem delinquendi in eodem genere delicti; ad hoc autem, ut delictum dicatur geminatum, vel iteratum, ut pœna ideò augeri poſſit, id requiri, quod reus ſit apprehenſus, condemnatus, & ſemel jam clementius tractatus, ac punitus, Tuſch. *dict. lit. C. concluſ. 1022. libr. 15.* Farinac. *dict. qu. 23. num. 9. cum ſeqq.* per textum *in l. 28. §. 3. v. ſcilicet de pœn.* Cùm ideò major pœna ſoleat imponi, quoniam contumacia pœnam cumulat, & auget, *l. relegati ſub fin. eodem titul.* Unde Carpz. *part. 2. queſt. 76. num. 40. & ſeqq.* præſertim *num. 44.* tradit, quod pro delictis carnis, & furtis, non niſi unica pœna, etiam pro delictis pluries ex intervallo commiſſis, imponatur, per *l. ei qui ff. de furt.* & quod in deteſtando crimine ſodomiæ pœna non ſit 29

exaſpe-

exaſperanda, ſi quis cum pluribus brutis ſodomiam exercuerit.

30 Contrarium autem, & quod in furtis pœna augeatur, licèt minimis, etiam uſque ad mortem, tradit Farinaccius *quæſt.* 23. *num.* 4. *& quæſt.* 24. *numer.* 35. ubi addit, non tamen per hoc eſſe inferendum ad alia delicta; nihilominus idem ibidem concedit, quod pœna augeatur propter conſuetudinem delinquendi, quando delicta commiſſa ſunt gravia, ſecùs ſi levia, & minima, poſt Marſil. *ſingul.* 377. *numer.* 5. *in fine*.

31 Sed præterquamquod Carpzovius *loco allegato* etiam in crimine ſodomiæ, quod utique graviſſimum eſt, pœnam nolit augeri propter reiterationem, ſi hæc diſtinctio etiam recipienda eſſet, altera tamen non foret negligenda, videlicet, ut procedat in majoribus viginti quinque annis, non in minoribus, quibus delicta non gravantur ex iteratione, idem Farinaccius *dict. quæſt.* 23. *num.* 134. qui *quæſtion.* 92. *numer.* 239. adducit Caldas *in repet. leg. Si Curatorem numer.* 50. *Codice de integr. reſtitut. min.* docentem, quod ſicut majores committendo plura delicta non capitalia, capitaliter puniuntur, *leg.* 3. *in fine Codice de Epiſcop. aud. leg. apud antiquos in fine Codice de furt. leg. qui ſæpiùs, digeſti de abig.* ita etiam minores, quando ex unico delicto mitius puniuntur, propter germinationem, & reiterationem, debeant non mitiori, ſed ordinaria pœna plecti.

32 Quamvis autem idem Farinacc. *num.* 140. huic opinioni non ſimpliciter accedat, & gravius quidem, ut ſupra dictum, minores puniri, non tamen pœna ordinaria, & mortis affici permittat, Bald. tamen *ad leg. excipiuntur, ff. ad Syllan.* tradit quod ex pluribus concurrentibus augeatur delictum, & ex multis delictis reſultet plena probatio etiam ad condemnationem capitalem contra impuberem, prout eum refert Binsfeldius *in dict. tit. Cod. de malef. & mathem. rubr. Quid dicendum ſit de pueris, qui incidunt in criminum maleficiorum fol.* 522. Qui licèt non ſimpliciter, ac indiſtinctè Baldo, vel potiùs Bartolo, volenti eamdem eſſe rationem, quotieſcunque dolus impuberis evidentiſſimè arguitur, accedat, id tamen non difficulter concedit, ſi fur propemodum quartum decimum annum compleverit, & furtum grave ſit ex circumſtantiis, itaut malitia videatur ſupplere ætatem, quod tunc judex poſſit pœnam extendere uſque ad ultimum ſupplicium.

33 Si ergo id locum habet in crimine furti, Farinacc. *dict. quæſt.* 23. *numer.* 4. quantò magis in atrociſſimis, in quorum genere eſt crimen maleficorum? Binsfeldius *ibidem* qui *fol.* 521. conſiderat plura alia crimina, quæ ſolent hoc crimen comitari, uti ſunt ſodomia, rerum ſacrarum abuſus, ac ſimilia, præſertim ſi reus ſit magna aſtutia præditus, & nulla ſpes conſtantis converſionis, & emendationis. In his enim, ac ſimilibus conſiderandum, ne ſi fortè corpori, & ætati parcatur, anima cum corpore intereat. Cum Binsfeldio concordat Oddus *de reſtitut. in integr. part.* 2. *queſt.* 80. *numer.* 98. ubi regulam illam, quod minoribus minuatur pœna, ampliat, ut procedat, etiamſi minor delictum geminaverit; reſtringit autem dummodò geminatio talis non ſit, quæ incorrigibilitatem adoleſcentis ſignificet. Limitat etiam *num.* 101. ut non procedat in atrociſſimis, & in delictis ſpiritualibus, quæ contra naturalem inclinationem etiam adoleſcentium fiunt.

34 Ex dictis judicandum puto, huic puero nullam fieri injuriam, neque modum in juſtitia excedi, ſi ob concurrentia hæc delicta non unius, & ejuſdem, ſed diverſi generis, videlicet propter crimen maleficii, ac nefandam libidinem cum malo dæmone in ipſa captivitate, poſtquam non tantùm melius inſtructus, ac virgis ob id antea ſatis acriter in cuſtodia cæſus fuit, & propter atrociſſimum crimen ſodomiæ cùm puero quodam commiſſum, non quidem pœna ordinaria ignis, & concremationis, ſed gladii afficiatur, cùm, virgis publicè cæſus, & relegatus in exilio, in puſillanimitate, & deſolatione ambularet, dæmon majoribus, ac terribilibus tentationibus eum aggrederetur, ut in ſimili benè conſiderat Binsfeldius *loc. cit. fol.* 523. *in fin.* & ad deſperationem adactus, non modò non melior fieret, ſed timendum eſſet, ne nequitias ſuas ſæpiùs exerceat, hominibus, & beſtiis noceat, & fortè alios pueros, & plures etiam adultos pervertat, & in eamdem ſecum perniciem trahat, præcipuè cùm jam pluribus annis in carceribus detentus melior non evaſerit, & exigua emendationis ſpes ſuperſit, licèt diutius detineretur, & majores in eo cuſtodiendo ſumptus fierent, quod in ſimili rectè trutinavit Mezger. *conſ. crim.* 7. *fol.* 113.

Ea quæ in contrarium fuerunt adducta, non difficulter poſſunt refelli, ſi dicatur, ex duobus delictis 35
non capitalibus non poſſe fieri unum capitale, ſi nimirum in ſuo genere non ſunt capitalia, ſicut ex pluribus peccatis venialibus ex mente Theologorum non fit unum mortale, cui contrarium Farinacc. *d. qu.* 23. *num.* 4. *in fin.* tenet & ex *can.* 3. *verſ. nomine autem criminis diſt.* 26. deducit, & ſi quis idem delictum ejuſdem ſpeciei ſæpiùs iteravit, non poſſe propterea, antequam apprehenſus, ac punitus ſit, regulariter loquendo, gravius puniri. Hic autem nos verſamur in caſu, in quo concurrunt duo delicta diverſæ ſpeciei, quorum unumquodque in ſuo genere capitale eſt, & pœna tantùm ob conſiderationem ætatis mitiganda venit. Venia autem, & commiſeratione non videtur dignus, qui aſtutia præditus, a magiſtratu apprehenſus, a religioſis viris ad converſionem, & meliorem vitam informatus, non veretur, cùm in captivitate de capite periclitatur, & in via punitionis conſtitutus eſt, tàm atrocia delicta, ob quæ, vel unum ſaltem eorum jam antea in ipſa captivitate mitius punitus, ac virgis caſtigatus eſt, denuò committere, & non modò in eodem luto ſeſe volutare, ſed delicta delictis accumulare. Non enim parcendum eſt aſſuetis delinquere, *dict. leg. Capitalium §. ſolent, & §. graſſatores, ff. de pœn. leg. ſervus, §.* 1. *Cod. ad leg. Jul. de vi*, & ejuſmodi homines, qui ad ſui, & aliorum perniciem tendunt, commiſeratione digni non ſunt. Vera enim miſericordia non perditionem, ſed converſionem a delictis, & ſalutem deſiderat, ut loquitur Imperator Juſtinianus in præfatione *Novellæ* 77. *Ut non luxurientur homines*.

Ad 3. An & quando rigor æquitati, & æquitas ri- 36
gori præferri debeat in cauſis civilibus, abundè examinant, Mantica *de tacit. & ambig. libr.* 1. *titul.* 17. *numer.* 15. *cum ſequentibus* Huanius ad Freutlerum *volum.* 1 *diſput.* 1. *de juſtit. & jur. quæſt.* 10. 11. 12. & 13. Beſold. *conſil.* 86. *part.* 2. Joan. Matienz. *in tract. de referendariis, advocatis, & judicibus capit.* 64. Non hìc paucis diſcutiemus, quid juris ſit in cauſis criminalibus. Sæpè enim contigit, ut Juriſconſulti ſuper eo, quam pœnam reus meruerit, requiſiti, non ſimpliciter, & reſolutivè, ſed alternativè reſpondeant, videlicet reos, rigore juris inſpecto, tali, vel tali ſupplicio affici poſſe. Si autem Judex mitiorem viam ingredi velit, juſtitiæ ſatisfieri, ſi pœna hoc, vel illo modo temperetur, vide Binsfeldium *loco citato fol.* 524. *in fin. quæſtion.* 1. Thom. Mezger. *conſil. crimin.* 7. *numer.* 6. ubi in pueris, & puellis maleficis ita reſponderunt.

Quæſtio igitur eſt, quomodo judex ſe in hujuſmo- 37
di caſibus gerere debeat? Videri poſſet, quod ſemper, & indiſtinctè in mitiorem partem declinare deberet, *arg. l. factum cuique §. fin. ff. de reg. jur. cap. in pœnis* 49. *eodem tit. in* 6. Idque primò, quia melius eſt propter miſericordiam reddere rationem, quàm propter crudelitatem, & melius errare in miſericordia remittendi, quàm in ſeveritate ulciſcendi, *canon. alligant* 12. *cauſ.* 16. *quæſt. ult.* Et melius nocentem dimittere, quàm innocentem damnare, *l. abſentem, ff. de pœn.*

Quod ſecundò maximè locum habere debet in iis, 38
qui pœnitentiam agunt, quæ excuſat etiam in atrocioribus, Vveſemb. *num.* 8. *ff. de in jus voc.* quò facit textus in *leg. Imperialis* 23. *Cod. de nupt.* ubi hæc verba Principibus digna leguntur: *Quantum naturæ noſtræ poſſibile eſt, debemus imitari benevolentiam, ac nimiam clementiam Dei erga genus humanum, qui quotidianis hominum peccatis ſemper ignoſcere, dignatur, & pœnitentiam noſtram ſuſcipere, & ad majorem ſtatum deducere. Quod ſi circa ſubditos nos etiam facere-re differamus, nulla venia digni eſſe videbimur.* Puer autem in propoſito caſu non tantùm cum emphaſi veniam a Deo rogavit, confeſſus contritionem, & dolorem oſtendit, quod Deum Omnipotentem offenderit, ſed etiam ab aliquo tempore ter quotidie Sathanæ renunciavit.

Quibus tertiò accedit, quod rigor aliud nihil ſit, 39
quàm ſummum jus. Atqui ſummum jus, ſumma injuria, arg. *l.* 1. *§. quod ſi totc in fin. ff. de acquir. rer. domin.* Doctores *ad leg. placuit, Cod. de judic.* & nimis juſtus eſſe quis non debet juxta Salomonem, quia quandoque nimis juſtus in ſua juſtitia perit, Grammat. *deciſ.* 5. *num.* 39.

His tamen non attentis ita reſpondeo, licèt Prin- 40
cipes, & alii, qui gratiam facere poſſunt, benè quandoque

doque faciant, si justitiam misericordia temperent, quia si misericordia cum justitia commisceatur, conficietur optimum temperamentum, Abb. *in cap. ut Clericorum de vit. & honest. Cler.* per textum *in can. disciplina dist.* 45. ubi dicitur, quod disciplina, vel misericordia multùm destituatur, si una sine altera teneatur; Judices tamen, qui juris ministri sunt, & a rescripto juris recedere non possunt, *l. nemo, Cod. de sentent. & interloc.* qui gratiam conferre nequeunt, sed justitiam tantùm administrant, ut per Farinacc. *quæst.* 6. Tusch. *litt. F. concl.* 53. delinquenti pœnam remittere non possunt, *l.* 1. *§. quorum, ff. ad Sen. Conf. Turpil.* Et quamvis subinde ab ipso jure facultatem habeant mitius, vel severius aliquid statuendi, si justis causis, ac certis rationibus moveantur, per textum *in l.* 3. *C. ex quib. caus. infam. irrog. l. quid ergo, §.* 7. *ff. de his, qui not. infam. l. hodie, ff. de pœn.* rectè tamen interdum facient, si severitatem clementiæ, & rigorem misericordiæ antetulerint. Nam in primis exasperari pœnas convenit, si multùm grassantibus exemplo opus sit, *leg. aut facta, §. ult. ff. de pœn.* & supplicia augenda sunt ex criminum, ad quæ multo sunt proclives, qualitate, Gothefred. *ad d. leg. aut facta*, nimirùm, ut pœna unius sit metus aliorum, *l.* 1. *C. ad leg. Jul. repet. l.* 31. *in fin. ff. de pœn. & Clem. un. de baptism.*

41 Idem est, si res sit pernicioſi, vel periculoſi exempli, quo in casu licèt dolus absit, tamen gravior pœna imponi, *l. si quis aliquid §.* 5. *ff. de pœn.* & ad cautelam majorem, etiam per errorem peccanti pœnitentia injungi potest, Gloss. *in can. lectum* 34. *quæst.* 2. ubi exemplum vide.

42 An autem rigidior mortis pœna imponi reo possit, si is ipse eam appetat, videri posset, simpliciter id non posse, quia non est audiendus perire festinans, *per leg.* 1. *§. divus*, ibi: *Si ultrò aliquid dixerint*, ubi Doctores, *& §. si quis, ff. de quæst. l. non tantùm, ff. de appellat.* Venator *in analys. jur. Pontific. & confes. in forma.*

43 Deinde si quis in pecuniariam pœnam sit condemnatus, non est audiendus, malens sustinere pœnam corporalem, Clar. *in §. fin. quæst.* 95. *num.* 7. Boer. *decis.* 349. *num.* 10. ubi allegat Baldum dicentem, quod si condemnatus sit solvendo, & mavult fustigari, quàm solvere, quod judex debeat cogere eum solvere. Ergo multò minus audiendus est, si velit mori, quia vita non est in ejus potestate. Nemo enim est dominus vitæ suæ, ac suorum membrorum, *leg. liber homo, ff. ad l. Aquil.* Tusch. *litt. N. conclus.* 153. & posset contingere, ut reus tædio vitæ, aut pudore, aut impatientia mori vellet, arg. *leg. omne delictum, §. qui se, ff. de re milit. arg. l.* 3. *§. si quis, ff. de bon. rcor.*

44 His nihilominùs minimè attentis existimo, si reus rationabili causa ductus mortem appetat, Judicem posse rigorem clementiæ præferre. Exempli gratia, si magus, vel saga tot, & tantos patiatur a malo dæmone insultus, tentationes, ac persecutiones, ut malit mori, quàm periculo semper subjacere, & in discrimine relapsus, ac desperationis versari, itaut mortem sibi consciscere conatus fuerit. Malus enim dæmon ejusmodi hominibus pœnitentibus non facilè quietem relinquit, sed incessanter conatur eos in retia sua iterùm trahere, sicut Mezger. *d. cons. crim.* 7. *num.* 7. testatur. Multa ejusmodi exempla haberi in pluribus sagis, quæ postquam apprehensæ fuerunt, fassæ sunt, se ex animo lætari, quod hora illa advenerit, in qua a tyrannico jugo diaboli se eximere, ac liberare possint; ac proinde aliud nihil desiderant, quàm quod condigno supplicio subjiciantur. Sic etiam testatur Binsfeld. *in d. tom. de malef. & mathem. d. rubr. quid. dicendum de puer. fol.* 523. cùm quædam saga ex causa movente fuisset tantùm bannita, cùm paulum abfuisset voluntariè, se iterùm obtulisse magistratui, & maluisse pati pœnam mortis, quam etiam æquo animo pertulerit, quàm diutiùs intolerabili vexationi immanissimi inimici subesse.

45 Quoniam igitur aliquando maleficus tanta fortitudine non est præditus, ut possit resistere diaboli tentationibus, & nulla spes constantis conversionis, ac emendationis apparet, etiamsi correptus dimittatur, non immeritò ejus desiderio satisfieri, & ultimo supplicio affici potest, ne si fortè corpori parcatur, & æternæ, anima cum corpore intereat, ut piè loquitur Binsfeld. *loc. cit. fol.* 321. *in fin.* Melius est enim conservare animam, quæ toto mundo pretiosior est, quàm cum periculo, & jactura æternæ salutis adipiscendæ misericordiam facere, juxta illud Ambrosii *lib.* 5. *off.* Si magnæ mercedis est a morte eripere carnem, quamquam morituram, quanti est meriti a morte animam liberare in cœlesti patria sine fine victuram? ut in casu simili pulchrè scribit Mezger. *loc. cit. fol.* 113. *in fin. & fol. seqq. sub princ.*

Concludendum proinde, quod puer iste, & quivis alius maleficus, gladio plecti possit, vel publicè, vel quod magis consultum videtur, in carcere, ad evitandas sinistras loquelas populi, & distractiones, ut anima ejus hac ratione conservari, & salvari possit. 46

Ad rationem primam superiùs in contrarium allatam, respondetur, quod misericors non est, qui vitiis nutriendis favet, & parcit. Similis enim est ei, qui non vult cultrum puero rapere, ne audiat plorantem, & non timet, ne postea vulneratum, vel extinctum doleat, ut scitè loquitur Augustinus *in can. qui vitiis* 23. *q.* 5. 47

Ad alteram respondetur, in foro exteriori non cuilibet corrigenti se veniam dandam esse, & pœnitentiam ad evitandam pœnam in delictis jam consummatis non semper locum habere, *leg. qui ea mente, ff. de furt.* Vvesemb. *num.* 46. *C. de apostat.* præsertim in atrocioribus, *l. si quis, Cod. de Episc.* Quamvis autem quoad mitigationem pœnæ pœnitentibus ignoscendum sit, *l. qui falsam, ff. ad l. Cornel. de. falsi.* Tiraq. *tract. de pœn. temper. caus.* 28. præsertim adolescentibus, id tamen tunc tantùm procedit, quando spes est constantis conversionis, & emendationis, quia pœnæ ipsæ ad hoc sunt destinatæ: Atqui in proposito casu emendationem nec ipse puer sibi, neque nos promittere, ac sperare possumus. Ex præterito enim præsumitur futurum, *cap. ex mandato, cap. scribam de præsumpt. cap. semel malus de reg. jur. in 6.* Et qui toties relapsus est, verisimiliter sæpiùs lapsurus est, nisi aliis modis, occurratur, & in bono firmetur. 48

Ad tertiam respondetur, si rigor juris injuria esset, volenti tamen injuria non fieret, *cap. scienti de reg. jur. in 6. & l. nemo, ff. eod.* 49

Quod quartò audiendus non sit, qui perire festinat, id in thesi transire potest, in hypothesi autem puer quoad corpus perire vult, ut animam salvet. Quod utique cum judicio, & tantò rectiùs petere potest, quantò majori periculo æternæ damnationis expositus est. 50

Quod quintò ad mulctam pecuniariam condemnatus non possit se offerre ad fustigationem, ac pœnam corporalem, mirum non est, quia id contra omnem rationem tendit, Pecuniam enim salvaret, famam autem amitteret. Aliter se res habet in proposito, ubi puer non tantùm ex tædio professus est, se nolle ampliùs vivere, sed alias sæpiùs deliberato, ac repetito animo indicavit se, ut de salute magis certus esset, ac Deo, æternaque beatitudine certò frui posset, mortem desiderare. 51

Hac tamen in re tutius est Summum Pontificem, sive Sacram Congregationem supremæ Inquisitionis consulere, per ea, quæ in simili tradit Farinac. *quæst.* 92. *num.* 165. Quia minores viginti annis non facilè morti traduntur, nisi Principe consulto, idem *loc. cit. num.* 108. Binsfeld. ibidem *fol.* 919. & Vveizeneger. *de servit. dæmon. dissert.* 6. *thesaur.* 196. *cum seqq.* Præcipuè quod Doctores, eum, qui conatus est sibi necem inferre, & ab aliis a pravo, & maligno suo proposito impeditus, perficere non potuit, vel pœna gladii quemadmodum aliqui, per *l. si quis aliquid, & leg. miles, ff. de pœn. & l. omne delictum, ff. de re milit.* a Carpzov. *par.* 1. *crim. quæst.* 2. *num.* 41. *ac seqq.* allegari voluerunt, aut saltem fustigationis, vel exilii pœna afficiendum esse statuant, Farinacc. *par.* 5. *crim. quæst.* 128. *num.* 36. & 37. Damhaud. *pract. crimin. de homic.* sui ipsius *cap.* 88. *num.* 14. & Clar. *§. fin. quæst.* 68. *vers. seipsum occidere volens.* 52

Quare, his minimè obstantibus, censeo servandum esse, quod in casu simili servari jussit Summus Pontifex. Cùm enim Episcopus quidam petiisset ad evitanda scandala licentiam veneno necandi quasdam Moniales, quæ ad dæmonem apostatarunt, & cum eo concubuerunt, & ad cor reversæ, ita dæmonis vexationibus, tentationibus, & percussionibus molestantur, ut cupiant, & paratæ sint è medio tolli, Sanctissimus mandavit ei rescribi, ut illis provideat de idoneo, ac prudenti Confessatio, cui det facultatem illas absolvendi toties quoties, & ab eo dirigantur in viam salutis, aliaque salutaria remedia adhibeat in similibus adhiberi solita, 1. Julii 1621. 53

CON-

CONSULTATIO CCII.

De associatione funeris a Confraternitatibus Urbis.

1 ORaculum illud magni Pontificis Bonifacii VIII. *in cap. Clericis de immun. Eccles. in 6.* Clericis, ait, laicos infestos oppido tradit antiquitas: quo & præsentium experimenta temporum, manifestè declarant, dum suis finibus non contenti, nituntur in vetitum, ad illicita frena relaxant &c. comprobatur, cùm Confraternitates sæculares hoc dubium proposuerint in Sacra Congregatione Concilii.

An, & in quo loco Processiones, & quomodo Cappellanus Archiconfraternitatis incedere debeat, associando cadavera tumulanda in Ecclesia ejusdem Confraternitatis? Illum etenim superpelliceo, & stola indutum, parem cum Parochis ad eorum sinistram incedere contendunt.

2 At verò sive attendantur authoritates, sive dignitas, & jurisdictio Parochorum, sive inconcussa observatio, & immemorabilis consuetudo, sive ordo Ecclesiasticæ Hierarchiæ, omnia militant pro Parochis, ad hoc dubium evertendum, diluendumque.

3 Et primò adducimus Rituale Romanum Pauli Quinti jussu editum, & collectum ex Rituali majori Cardinalis Sanctæ Severinæ, ex vetustissimis Codicibus Ritualibus ab ipso digestum, ut asserit idem Paulus Quintus in sua Bulla, quæ ipsi Rituali Romano præfixa est.

4 In eo autem in rubrica *de exequiis, §. Exequiarum ordo*, hæc statuuntur: *Mox ordinatur processio, præcedentibus laicorum Confraternitatibus, si adsint: cum sequitur Clerus Regularis, & Sæcularis per ordinem, &c. Parocho præcedente feretrum cum luminibus.* Ex quibus constat Parochum solum præcedere feretrum, & non alios.

5 Confirmat id ipse Cardinalis Sanctæ Severinæ in suo Sacerdotali *in cap. de delat. corp. ad Eccles.* ibi: *Precedant Confraternitates laicales, tum deferens Crucem, & sequatur Clerus Regularis, & Secularis per ordinem: ultimo loco Parochi*; ergo nullo modo Cappellano hujusmodi competit locus, nisi post suam Confraternitatem, ut hactenus observatum est.

6 Idipsum clarissimè decernit statutum Cleri Romani antiquissimum *in cap. 5. §. 8. Primò incedant litterati, si adsint, deinde orphani, postea Confraternitates laicorum juxta earumdem ordinem, sequantur Regulares, tandem Presbiteri, & ultimo loco Parochi juxta Rituale Romanum, & cap. 7. §. 7.* ita quoque decernit: *Cappellanus cujuslibet Confraternitatis, Cotta, & Stola indutus, post eamdem Confraternitatem, tanquam illius moderator & Rector immediatè subsequatur.* Quid expressius? Quid explicatius? Unde cùm hic casus sit in statuto Cleri Romani decisus, nil aliud est inquirendum, estque inanis omnis alia disputatio, silent omnes leges, diciturque casus legis, Bald. *in leg. Gallus §. si ejus in 2. notab. ff. de liber. & post.* & Gratian. *discept.* 651. *num.* 3.

7 Quod etiam decernit D. Carolus *in Concilio Provinciali V.* his verbis: *Confraternitates cùm processionem agunt, Sacerdotem secum habeant.*

8 His accedunt decreta, & declarationes Sacræ Rituum Congregationis apud infrascriptos Doctores. Nam in Firmana 31. Martii 1618. apud Barbosam *in Collectan. Bullar. &c. verbo Parochus*, ita declaravit, *Parochus in Processionibus præcedit omnibus Rectoribus, & Presbyteris.* Et in Eugubina 12. Maji 1612. in Placentina, in Lyciensi, & in Catanensi, & alibi declaravit: *Parochum, Stolam deferentem, omnibus præcedere debere*, Barbos. *loc. cit.* Immò Parochum præcedere debere in Processionibus funebribus Canonicos Collegiatæ, declaravit eadem Sacra Congregatio nominatim in Prænestina Cavarum 13. Julii 1619. referente Barbos. *de off. Paroch. par. 1. cap. 9. num. 8.* & Lavorio *in suis lucubrationib. tit. 2. cap. 3. numer. 212.* aliamque declarationem adducit Samuel. *de sepult. tract. 1. dis. 3. contr. 2.*

9 Ex Concilio Mediolanensi primo sic habetur: *Duo Parochi, a quo, & ad quem funus effertur, etiamsi alter sit Regularis, Cotta, & Stola induti, pares incedant*, Gavantus *in Manuali Episcoporum verb. Exequiæ numer.* 17. Cappellani autem Confraternitatum non sunt Parochis in dignitate, & jurisdictione pares, & ideò nullo modo possunt pares cum Parochis incedere.

Quod verò ad dignitatem, & jurisdictionem Parochorum, ii sunt Apostolis coævi, jure Divino a Christo instituti, ut ex Divis Petro, & Paulo, & aliis Sacræ Scripturæ locis perspicuè probo, *tom. 1. consult. 52. numer. 2.* ubi de Parochorum potestate agit idem Paulus his verbis ad Timoth. scribens: *Qui bene præsunt Presbyteri, duplici honore digni habeantur.* Quare Parochi propriam, atque ordinariam jurisdictionem habent. Sunt enim quasi parvi Episcopi, qui verè in suis populis officium Presbyterorum exercent, Adamus Contzen,, *lib. 6. politic. cap. 45. §. 3.* 10

Sunt Judices ordinarii suorum Parochianorum in foro Pœnitentiali, & habent territorium in hujusmodi foro, Abb. *in cap. cum contingat de foro competenti*, Corn. *cons. 268. libr. 2. num. 4.*, & quandoque eos possunt excommunicare, ubi consuetudo id præscripsit, Abb. & alii *in cap. Si Sacerdos de offic. Ordinar.* 11

Deputantur a Cardinalibus in suis Ecclesiis Titularibus; nam cura animarum apud ipsos Cardinales residet, & illam per Vicarium exercere possunt; & talis deputatus non appellatur Parochus, sed Coadjutor Episcopi in officio curæ, quia una Ecclesia non potest habere duos Sponsos, ut præclarè Cardinalis Albitius *in sua disceptatione de jurisdictione Cardinalium in suis Ecclesiis Titularibus numer. 117. & sequentibus.* 12

Unde quemadmodum Parochi sunt Coadjutores Episcoporum in cura animarum, ita & in urbe Coadjutores Summi Pontificis in eadem cura, cùm Summus Pontifex sit Romanæ Urbis Episcopus. Alia Parochorum decora videri possunt apud Authores, qui de potestate, officio, & jure Parochorum scripserunt. Cappellani autem nullam habent dignitatem, nullamque jurisdictionem; sunt sine titulo, sine Ecclesia, mercenarii, amovibiles, ignoti, atque adeò non possunt incedere pares cum Parochis. 13

Quo verò ad consuetudinem pro Parochis, illa inconcussè, & pacificè observata est a tempore, quo ipsæ Confraternitates in Romana Urbe fuerunt erectæ. Nec extat memoria in contrarium. Consuetudinem autem in materia præeminentiarum omninò observandam esse, docent Bald. *in dict. cap. Cum olim num. 1 & 2.* Rota coram Cavaler. *decis. 649. num. 1. & decis. 238. num. 1. par. 2.* passimque alibi. 14

Quod autem ad rationes. Primò, quia Parochi ratione administrationis scientiæ, curæ, & periculi sunt præstantiores Cappellanis Confraternitatum, atque adeò debent habere majorem præcedentiam; non autem haberent, si pares incederent, *cap. cum illis 16. de præbend. in 6.* 15

Deinde quia in officio proprio habent ordinem Hierarchicum, immediatum ab officio Episcopi, de quo Lantmeter *de veterum Clericorum victu lib. 2. cap. 72. vers. Missus.* Unde quoties Parochus suum proprium officium exercet, ut persona immediatè repræsentans Episcopum, & in Urbe Summum Pontificem; debet habere præeminentiam super omnes, qui sibi pares non sunt, atque adeò supra Cappellanos Confraternitatum. 16

Ad hæc, Parochus in funere cum stola, est in actu curæ, ac fungitur suo proprio munere, in quo præcedere debet quoscumque alios, etiam ipso majores, & qui alias extra illud munus eum præcederent, qui licèt habeant majorem dignitatem, tamen non debent illum præcedere, cùm illa dignitas non sit ordinata ad illum actum ducendi funus, Purpurat. *in l. 1. num. 195. ff. de offic. ejus*, Gratian. *tom. 2. discept. 298. num. 1. & 2. & seqq.* Sic Cardinalis Camerarius, Pœnitentiarius, Vicecancellarius nullam habent prærogativam in iis, quæ pertinent ad Collegium Cardinalium, quia non sunt dignitates dicti Collegii, ut per Rotam *in Romana præeminentiarum 16. Decembris* 1585. coram Seraphino. 17

Sic Auditor Rotæ, si efficiatur Episcopus, vel Patriarcha cum retentione Auditoratus, non præcedit in Rota, uti Patriarcha, sed locum suum retinet, licèt extra Rotam præcedat omnes Auditores, ut videre est in Cappella Papæ. 18

Sic etiam quilibet simplex Sacerdos in actu sui muneris Sacerdotalis præcedit omnes Capiturales; dum enim celebrat, sedet supra Canonicos, & supra Episcopum, primus thurificatur, primus dat osculum pacis, ex Cæremoniali Episcoporum *cap. 23. & 24. &* 19

cun-

eundo, & redeundo a ſacrario omnes præcedit, ſoluſque incedit.

20 Alia plura exempla alibi in meis Conſultationibus exhibeo, quas adire quilibet poteſt.

21 Poſtremò, quia Parochus in funere ſui Parochiani deferendo ſtolam, exercet actum juriſdictionis; nam uſus ſtolæ, præſertim in funeribus, eſt ſignum juriſdictionis Parochialis, ejuſque delatio eſt de juribus Parochialibus, ac proinde ſpectat privativè ad ſolos Parochos, ut in ſpecie reſolvit Rota *in Romana jurium funeralium decima quarta Julii* 1653. *§. quibus conſequens*, & *§. ſequentibus* coram Illuſtriſſimo Valliſoletano.

22 Cùm igitur ſolus Parochus in aſſociandis funeribus fungatur munere proprio, debet etiam ipſe ſolus ſtolam deferre, quatenus illa eſt ſignum juriſdictionis, & Capellani incedere debent poſt ſuas Confraternitates, ex ſtatuto Cleri Romani, tanquam illarum moderatores, & Rectores; non autem incedere pares cum Parochis, qui in funere ſoli exercent juriſdictionem.

23 His ſubjicimus, quod Confraternitates ex jure communi non poſſunt recipere ad ſuas Eccleſias cadavera in eis tumulanda, ſed forſitan, vel ex privilegio, vel ex conniventia Parochorum. Nec minus habent privilegium, ut poſſint levare cadavera ab alienis Parochiis, ut tandem conceſſum fuit Regularibus in Concilio Lateranenſi ſub Leone Decimo. Nam aliud eſt recipere ad Eccleſias cadavera, aliud eſt ingredi alienas Parochias ad illa levanda; & tamen Regulares ipſi, qui ex privilegio levare poſſunt hujuſmodi cadavera, nunquam auſi ſunt deferre ſtolam, & incedere ſimul cum Parochis, ut conſtat ex communi obſervatione. Ita quoque licèt Confraternitates ex conniventia Parochorum levent cadavera e Parochiis, non idcircò earum Capellani poſſunt deferre ſtolas, & incedere pares cum Parochis; ſed illam tantummodò deferre poſſunt in caſu, & loco eis permiſſo.

24 Privilegia enim intelligenda ſunt, ut minùs lædant jus commune, quàm fieri poſſit, Oldradus *conſil.* 81. & quando inferunt præjudicium tertio, ſtrictiſſimam accipere interpretationem, docent Felinus *in capit.* 1. *de reſcript. numer.* 9. Bart. *in leg. Gallus*, *§. & quid ſi tantum*, *ff. de liber. & poſth. col. ult.* aliique communiter, eſtque textus *in cap. quamvis de reſcript. in* 6. In hoc autem caſu læditur jus Parochorum, quibus ſolùm ex jure communi competit jus funerandi, & ſepeliendi, ex Hoſtienſi *in Summa tit. de Sepulturis §. & apud quam Eccleſiam*, & *tit. de Parochiis numer.* 2. eſtque textus *in cap. ex parte de ſepult. & cap. is qui eod. tit. in* 6.

25 Quatenus igitur Confraternitates haberent hac de re privilegium, exhibendum eſt, quia eſt contra jus commune favorabile Parochis, ideòque non eſt extendendum ad deferendam ſtolam ab earum Cappellanis, neque ad incedendum pares cum Parochis.

26 Quod autem ad ordinem Eccleſiaſticæ Hierarchiæ, de quo ſunt Parochi, non autem Cappellani, certum eſt ex permiſſione incedendi Cappellanos hujuſmodi pares cum Parochis in aſſociando funere, confundi ordinem Eccleſiaſticæ Hierarchiæ, plura ſcandala, turbas, rixas, odia, de quibus Clement. *Dudum de ſepultur.* inter Parochos, & Cappellanos oriri poſſe. Unde Parochi parati ſunt pati potius quæcunque gravamina, quàm hanc ignominiam ſubire; quare ne inter eos, & Societas ipſas ex hac mutatione oriantur diſcordiæ, & offenſiones, ſervandum eſt ſtatutum Cleri Romani.

27 Certum namque eſt, quod ſemper ex novitatibus mala excitantur, ac proindè tanquam pernicioſas rejiciendas eſſe, ex Luciano, Caſſiodoro, Tacito, & aliis probat Valenzuela *conſil.* 70. *numer.* 26. & *ſeqq.* & *conſil* 24. *num.* 2. *lib.* 1. Megala *variar. reſol. tom.* 1. *reſol.* 88. *num.* 7.

28 Quippè ordo, aut modus rerum turbandus non eſt, inquit Plutarch. *in polit.* Natura enim inquieti, & ambitioſi animi novitatibus prætextu boni melioris ſtudent, ut turbatis rebus præſentibus, ambitioni ſuæ ſatisfaciant.

29 Nec refragatur primò, quod Cappellani Confraternitatum ſunt de Clero, & in funeribus incedunt cum ſtola, atque adeò debent incedere ſub Cruce Cleri, quæ defertur poſt Confraternitates, ac proinde ſimul cum Parochis, alioquin incederent ſine Cruce.

30 Nam reſpondetur, quod hujuſmodi Cappellani aut interveniunt funeribus tanquam ſimplices Presbyteri de Clero, & hoc caſu incedere debent cum aliis Presbyteris ſine ſtola ſub Cruce Cleri; aut interveniunt uti Capellani Confraternitatum, & in hoc caſu incedere debent poſt Confraternitates cum ſtola, eis tantùm a ſtatuto Cleri Romani permiſſa, ut tanquam moderatores, & Rectores Confraternitatum, eas immediatè ſubſequantur. Cùm igitur interveniant tanquam Capellani, debent incedere loco ſuo, ut dictum eſt.

Nec refragatur ſecundò, quod aliàs non cogno- 31
ſceretur ad quam Eccleſiam defunctus deferatur, ut fideles in eam conveniant ad effundendas preces pro ejus anima. Nam id non cognoſcitur ex Cappellano, qui ſæpè mutatur, ſed dignoſcitur a Cruce illius Eccleſiæ, ad quam cadaver defertur; & ideò in funeribus unica tantùm Crux defertur Eccleſiæ ſepelientis, ut ab immemorabili uſque ad hæc tempora obſervatum fuit, & declaratum a Sacra Rituum, & Sacri Concilii Congregationibus, de qua nos alibi.

Hinc non obſtat, quod cadaver deferatur ad Ec- 32
cleſiam Confraternitatis; nam ſive ad illam deferatur, ſive non deferatur, Cappellanus ſemper intervenit tanquam illius moderator, & Rector, ac proinde debet ſemper incedere poſt Confraternitatem, ſicut ab immemorabili tempore uſque adhuc religioſiſſimè obſervatum eſt. Ideò namque a ſtatuto Cleri permiſſa fuit Cappellanis Confraternitatum delatio ſtolæ, ut ſuo loco aſſignato incedant, nec aliter, neque alio modo: Et Regulares ipſi, licèt interveniat in funere eorum Generalis, & funus deferatur ad ſuas Eccleſias, non deferunt ſtolam, neque incedunt pares cum Parochis, ſed quiſque juxta ſuum ordinem.

Cætera ſunt ratiunculæ Curialium, qui nodum in 33
ſcirpo quærere ſolent. At nos pudet, tædetque in tàm raſo tramite plura proferre.

Prætereà non refragatur quoddam aſſertum decre- 34
tum ab Eminentiſſimo D. Cardinali Vicario editum, quo fertur in Congregatione Præfectorum, aſſentientibus quibuſdam Parochis, ſancitum fuiſſe, Cappellanos Confraternitatem, quando cadaver defuncti ad earum Eccleſias ſepeliendum defertur, poſſe incedere cum ſtola a miniſtris Parochi.

Nam decretum hujuſmodi ſubreptitium omninò 35
fuit, inſciis non ſolùm Parochis, ſed ipſis Præfectis Parochorum, qui omninò negant id feciſſe: & quatenus id feciſſent, eſſet utique irritum, quia requirebatur mandatum, & conſenſus omnium Parochorum, nec poterant derogare ſtatuto Cleri Romani, quod in hac materia facit jus publicum.

Unde ſtatim, ac Parochi, ipſique Præfecti hu- 36
juſmodi decretum emanatum intellexerunt, recurſum habuerunt ad ipſum Eminentiſſimum Cardinalem Vicarium, qui re cognita conſultiſſimè more ſuo receſſit a ſuo decreto, illudque revocavit, abrogavitque, & Parochis manutentionem in ſua immemorabili poſſeſſione incedendi ſolos in funeribus conceſſit, ut conſtat ex actibus cauſæ, & *in Summario facti numer.* 1.

Item non refragatur, quod Cappellanus interve- 37
niat uti Rector Eccleſiæ, ideòque debeat incedere ſub Cruce Cleri, quæ defertur poſt Confraternitates, alioquin incederet ſine Cruce.

Nam Cappellanus non intervenit uti Rector Ec- 38
cleſiæ, ſed uti Cappellanus Confraternitatis, ac proinde incedere debet poſt ipſam Confraternitatem immediatè ex ſtatuto Cleri. Quod ſi interveniret uti Rector, deberet incedere cum Clero Sæculari abſque ſtola, ex ipſo Cleri ſtatuto, & ex Rituali Romano. Et quoad Crucem, illam debere incedere poſt Confraternitates, ſtatuit Rituale Romanum, & declaravit Sacra Congregatio Concilii, de quo nos ubertim alio in loco.

Neque adeſt incongruum, ut ait Confraternitas 39
Stigmatum. Incongruum quidem eſſet, quod ipſi Confratres Stigmatizati Sancti Francifci incederent vagi, & palantes ſine capite, ſine duce, ſine moderatore, & ſine Rectore. Et qui ſentiret, ut ipſa Confraternitas ſentire videtur, ritus Eccleſiaſticos, a Summo Pontifice in Rituali Romano, Statutis, & Sacris Congregationibus, a ſtatuto Cleri Romani confirmatos, eſſe incongruos, non rectè ſentiret, niſi fortaſsè id ſentiret ex humilitate, & cæca obedientia, quas in ſuis Conſtitutionibus ipſa Confraternitas ſe jactat profiteri.

Denique non obſtat *§.* 8. *dicti capituli* 7. Statuti 40
Cleri

Cleri Romani, in quo ita legitur: *Societates, quæ ad funera ſuorum Confratrum ſine ſacco accedunt, non ante feretrum, ſed poſt illud incedant, eorumque Cappellanus, ſi adfuerit, cum Parochis progrediatur. E contrà verò, quæ cum ſacco comparent, ante ipſum feretrum ſuis locis procedant, hoc eſt ante Clerum Regularem, ſive Sæcularem.*

41 Quoniam hic §. multas continet limitationes in ſua prima parte. Prima, quando Confratres ad funera ſuorum Confratrum accedunt. Secunda, quando ſine ſacco accedunt, & tunc eorum Cappellanus, ſi adfuerit, cum Parochis progrediatur, ſed non cum Stola, neque a ſiniſtris Parochorum, ut modò contendunt Confraternitates. Unde non eſt caſus noſter, in quo hodie omnes Confraternitates, quæ accedunt ad funera ſuorum Confratrum, & quorumvis aliorum, accedunt cum ſacco, & incedunt ante feretrum. Sed caſus noſter eſt, qui continetur in ſecunda parte dicti §. in quo habetur: *E contra verò quæ cum ſacco comparent, ante ipſum feretrum ſuis locis procedant*, hoc eſt, *ante Clerum Regularem, & Sæcularem, & earum Capellanus, Cotta, & Stola indutus, poſt eas, tanquam illarum moderator, & Rector, immediatè ſubſequatur*, ut decernitur in ſupradicto §. 7. ejuſdem Statuti, ſuperiùs relato, id quod non legitur in dicto §. 8. unde quod expreſſum non eſt, non cenſetur conceſſum, ex vulgatis: conceſſiſſet utique ſi expreſſiſſet, ſolùmque voluit, quod hujuſmodi Cappellanus incedat cum Parochis, hoc eſt, cum cætero Clero ſæculari. Et tàm in caſu dicti §. 7. quàm 8. obſervandum eſt ſtatutum, nihilque innovandum.

42 Quare iidem Parochi humillimè ſupplicant Eminentiſſimis Partibus, ut pro ſua, ipſarumque Confraternitatum quiete reſcribant, nihil innovari, vel ſervari ſolitum &c.

43 Hæc ſcripſi pro Parochis, & obtinui ego Parochorum minimus apud S. Mariam Monticellanam Urbis, ut ex ſubjecto decreto.

44 Die 20. Decembris 1698. Sacra Congregatio Eminentiſſimorum Patrum Sacri Concilii Interpretum, auditis Partibus, ad præſens dubium reſpondit, Cappellanum Confraternitatis Stigmatum, & aliarum Confraternitatum Urbis, in proceſſionibus aſſociationis funerum incedere debere immediatè poſt ipſas Confraternitates juxta Cleri Romani ſtatutum, idque etiamſi cadaver ad eorum Eccleſias ſepeliendum deferatur.

Decretum ſequitur ſententia, quæ eſt hujuſmodi.

DECRETUM

Circa Proceſſiones Funeralium.

CUm multis ab hinc annis ortæ fuiſſent controverſiæ inter RR. Parochos, & Ven. Societates Urbis occaſione proceſſionum funeralium, & Partes habuiſſent recurſum ad Sacr. Congregationem Concilii, hæc, dubiis tunc porrectis, dedit infraſcriptas reſolutiones, videlicet:

DUBIA.

Primò; An Archiconfraternitas poſſit in funeralium proceſſionibus erigere ſuam Crucem, quando Defuncti tumulandi deferuntur ad ipſius Eccleſiam, in qua ſepulturam elegerunt?

Secundò; An eandem Confraternitas poſſit ſuam Crucem erigere tàm per viam, quàm in Eccleſia Parochiali, quando eſt invitata ad aſſociandum Cadaver, ſepeliendum in ipſa Eccleſia Parochiali?

Tertiò; An Cappellanus ejuſdem Archiconfraternitatis indutus Cotta & Stola poſſit poſt abſolutum a Parocho officium funeris in Eccleſia Parochiali unà cum Confratribus, canere Pſalmos Miſerere, & De profundis, cum aſperſione Aquæ benedictæ?

Quartò; An poſſit Parochus officium funeris peragere in Eccleſia Archiconfraternitatis ſuper cadavere Defuncti in eadem Eccleſia tumulandi, etiamſi ſit Parochus, intra limites cujus Parochiæ Eccleſia Archiconfraternitatis eſt?

RESPONSIONES.

Ad primum, Præcedat Confraternitas, deinde Crux ejuſdem Eccleſiæ deferenda per Clericum ipſius, poſtea ſequatur Clerus Regularis, & tandem Sæcularis.

Ad ſecundum negativè, tàm in Eccleſiis, quàm in Proceſſionibus funeralibus præſente Parocho.

Ad tertium, & quartum negativè.

Sed præfatis dubiis, reſolutionibus, & decretis S. Congregationis hactenùs ad exequutionem non deductis, Partes non acquieverunt, novamque audientiam petierunt, obtinueruntque; Quapropter (non ſine magno fidelium ſcandalo, & Chriſtianæ pietatis detrimento) inſurgentibus jurgiis, & controverſiis, ad ea extirpanda, & radicitus evellenda Eminentiſs. & Reverendiſs. D. Gaſpar Miſeratione Divina Epiſcopus Sabinen. S. R. E. Cardinalis Carpinæus SS. D. N. Papæ Vicarius generalis, peractis hac de cauſa pluribus particularibus Congregationibus, & Partibus pluries auditis, tamdem in generali Congregatione Præfectorum coram E. S. Illuſtriſſimis DD. Prælatis, ac RR. DD. Parochis deputatis, & Cleri Camerario habita ſub die 19. Januarii currentis anni, de unanimi conſenſu, & pari concordia ad infraſcripta decreta devenit, & inviolabiliter obſervanda mandavit, ac perpetuum in iiſdem ſilentium impoſuit.

RR. Parochos acquieſcere debere ſupradictis decretis S. Congregationis Concilii; poſſe tamen habere recurſum ad eamdem S. Congregationem Concilii pro nova declaratione IV. Dubii, videlicet: An poſſit Parochus officium funeris peragere in Eccleſia Archiconfraternitatis ſuper cadavere defuncti in eadem Eccleſia tumulandi, etiamſi ſit Parochus, intra limites cujus Parochiæ Eccleſia Archiconfraternitatis eſt. Negativè. Cùm idem decretum videatur valdè læſivum eorum juriſdictioni, & contrarium clauſulis ſolitis apponi decreto erectionis Confraternitatum, ſcilicet ſine præjudicio jurium Parochialium; ſed donec eadem Congregatio ſuper hoc conſulitur, Parochi omninò eidem decreto ſuper quarto dubio parere debant.

Loco Crucis Confraternitates parvum vexillum, ſeu ſignum (juxta exemplar in Secretaria Eminentiæ Suæ relinquendum) in deferendis, & tumulandis Defunctorum Cadaveribus poſſe deferre ante Societatem.

Eccleſiæ verò, ſeu Oratoria etiam Confraternitatum, in quibus Cadavera tumulanda veniunt, poterunt deferre propriam Crucem ad formam reſolutionis S. Congregationis Concilii in primo dubio emanatæ, ſcilicet, ut præcedat Confraternitas, deinde Crux illius Eccleſiæ deferenda per Clericum ipſius, poſteà ſequatur Clerus Regularis, deinde Sæcularis.

Cappellani autem Confraternitatum incedant cum Stola immediatè poſt ipſam Confraternitatem, ſed ſi Cadaver tumulandum venerit ad Eccleſiam, ſeu Oratoria ipſius Confraternitatis, tunc Cappellanus ejuſdem incedere poterit in fine Proceſſionis etiam cum Stola ad ſiniſtram Parochi.

A Confratribus Confraternitatum, eorumque Cappellanis in Eccleſiis, in quibus cadavera Defunctorum tumulanda veniunt, Pſalmos Miſerere, & De profundis cum precibus, & orationibus cantari non debere, ſed tantùm per eoſdem Confratres, & Cappellanos orationes, & preces devotè, & privatè dici poſſe ſine cantu, ſine thure, ſine Stola, & ſine aſperſione Aquæ benedictæ, luminibus tamen accenſis, & ita &c. Dat. ex Ædibus noſtris hac die prima Maji 1698.

Supradictum Decretum Eminentiſſimus D. mandavit ab omnibus Parochis, & Officialibus Confraternitatum obſervari, ad quem effectum mandavit imprimi, publicari, in omnibus Sacriſtiis affigi, & in fine Decretorum Statuti Cleri Romani apponi, &c.

G. Card. Vic.

Alexander Abbas Bonaventuræ Secr.

DECRETA

Congregationis Sacrorum Rituum

Circa Jura Parochialia, Functiones, & Præeminentias inter Parochos, & Confraternitates Laicorum, earumque Cappellanos, & Officiales.

URBIS, ET ORBIS.

AD debitum imponendum finem controverſiis, quæ inter Parochos, & Confraternitates Sæculares, earumque Cappellanos, & Officiales ſuper Juribus Parochialibus, & functionibus Eccleſiaſticis nonnulliſque Præeminentiis, ſeu Prærogativis frequenter exoriri ſolent, in Sacrorum Rituum Congregatione ab Eminentiſſimo, & Reverendiſſimo Domino Cardinale Colloredo propoſitis infraſcriptis Dubiis, videlicet:

I. An Confraternitates Laicorum legitimè erectæ in Eccleſiis Parochialibus habeant depedentiam a Parocho in explendis functionibus Eccleſiaſticis non Parochialibus?

II. An dictæ Confraternitates erectæ in Capellis, vel Oratoriis, tum publicis, tum privatis, adnexis Parochialibus Eccleſiis, & ab eis dependentibus, habeant dictam dependentiam a Parocho, quoad dictas functiones?

III. An Confraternitates erectæ in aliis Eccleſiis publicis habeant quoad eaſdem functiones aliquam dependentiam a Parocho, intra cujus Parochiæ limites ſitæ ſunt Eccleſiæ?

IV. An Confraternitates erectæ in Oratoriis tùm publicis, tùm privatis, ſejunctis ab Eccleſiis Parochialibus, quoad dictas functiones Eccleſiaſticas habeant dictam dependentiam a Parocho?

V. An benedictiones, & diſtributiones Candelarum, Cinerum, & Palmarum, ſint de juribus merè Parochialibus?

VI. An benedictiones Mulierum poſt partum, Fontis Baptiſmalis, Ignis, Seminis, Ovorum, & ſimilium, ſint de juribus merè Parochialibus?

VII. An functiones omnes Hebdomadæ Sanctæ ſint de juribus merè Parochialibus?

VIII. An celebratio Miſſæ ſolemnis feria quinta in Cœna Domini ſit de dictis juribus Parochialibus?

IX. An prima pulſatio Campanarum in Sabbato Sancto ſit de dictis juribus Parochialibus?

X. An celebratio Miſſarum ſolemnium per annum ſive pro vivis, ſive pro defunctis, ſit de dictis juribus Parochialibus?

XI. An expoſitio Quadraginta Horarum, & benedictio, quæ fit ſuper Populo, ſit de dictis juribus merè Parochialibus?

XII. An expoſitio, quæ fit cum Reliquiis, vel Sacris Imaginibus, & benedictio, quæ cum eis fit ſuper Populo, ſit de dictis juribus Parochialibus?

XIII. An functiones in præcedentibus octo dubiis, videlicet a dubio quinto ad duodecimum, expreſſæ, peragi poſſint in Oratoriis privatis, contradicente Parocho?

XIV. An in dictis Oratoriis privatis Confraternitatum per Confratres ſtatis horis recitari poſſint Horæ Canonicæ, cum cantu, vel ſine, abſque alia licentia Parochi?

XV. An in dictis Oratoriis privatis ſit licita celebratio Miſſæ privatæ, aſſentiente Ordinario Loci, & contradicente Parocho?

XVI. An Cappellani Confraternitatum poſſint Populo denunciare Feſtivitates, & Vigilias occurrentes in hebdomada abſque licentia Parochi?

XVII. An Parochus, invitis Confratribus, docere poſſit Doctrinam Chriſtianam in prædictis Eccleſiis, & Oratoriis publicis, vel privatis, a Parochiali diviſis, & ſeparatis?

XVIII. An in ſæpèdictis Eccleſiis publicis Confraternitatum poſſint haberi publicæ Conciones, etiam per totum curſum Quadrageſimæ, vel Adventus, cum licentia Ordinarii, & abſque licentia Parochi?

XIX. An in eiſdem Eccleſiis poſſit celebrari Miſſa, ſive lecta, ſive cantata, ante Miſſam Parochialem, ſive lectam, ſive cantatam?

XX. An ad Parochum ſpectet facere Officium funebre ſuper Cadaveribus ſepeliendis in ſæpèdictis Eccleſiis, & Oratoriis publicis Confraternitatum?

XXI. An intra ambitum earumdem Eccleſiarum fieri poſſint Proceſſiones juxta cujuſque Confrarernitatis Inſtitutum, abſque interventu, vel licentia Parochi?

XXII. An eædem Proceſſiones fieri poſſint extra ambitum dictarum Eccleſiarum, abſque licentia illorum Parochorum, per quorum territorium tranſeundum eſt?

XXIII. An in dictis Proceſſionibus Cappellani Confraternitatum poſſint deferre Stolam?

XXIV. An Epiſcopo accedenti ad Eccleſias publicas Confraternitatum, quæ non ſint Regularium, neque proprium Rectorem Beneficiatum habeant, porrigendum ſit aſperſorium a Parocho, in cujus territorio ſunt ſitæ dictæ Eccleſiæ?

XXV. An earumdem Eccleſiarum, & Confraternitatum Rectores, & Cappellanos poſſit Parochus, ceſſante alio ſpeciali, ac legitimo titulo, & ex ſolo Jure Parochialitatis, compellere invitos ad aſſiſtendum functionibus Eccleſiæ Parochialis?

XXVI. An in ſæpèdictis Eccleſiis Confraternitatum, neque Parochialibus, neque Regularibus, retineri poſſit Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum, ſine ſpeciali indulto Sedis Apoſtolicæ?

XXVII. Præſuppoſita facultate retinendi, an poſſit infra annum publicè exponi, ſine licentia Ordinarii?

XXVIII. An poſſit Parochus ſe ingerere in adminiſtratione oblationum, vel eleemoſynarum in ſæpèdictis Eccleſiis recollectarum, vel capſulæ pro illis recipiendis expoſitæ clavem retinere?

XXIX. An in Eccleſia Parochiali Confratres, vel eorum Cappellani immiſcere ſe valeant, invito Parocho, in ejuſdem Eccleſiæ functionibus, ſivè Parochialibus, ſivè non Parochialibus?

XXX. An Confraternitates, ſivè ſint erectæ in Eccleſia Parochiali, ſivè extra illam, poſſint pro libito, & juxta uniuſcujuſque peculiaria ſtatuta, Congregationes ſuas facere, abſque interventu, vel licentia Parochi?

XXXI. An poſſint propria bona adminiſtrare, ac de illis diſponere, abſque ulla dependentia a Parocho?

XXXII. Quando Parochus eiſdem Congregationibus interſit de mandato Ordinarii, & tamquam ejus delegatus, an poſſit ſuffragium deciſivum ferre? & quatenùs affirmativè?

XXXIII. An etiam ſuffragium duplex?

Sacra eadem Rituum Congregatio re maturè diſcuſſa reſpondendum eſſe cenſuit:

Ad Primum Affirmativè.
Ad Secundum Affirmativè.
Ad Tertium Negativè.
Ad Quartum Negativè.
Ad Quintum Negativè.
Ad Sextum Negativè; ſed benedictiones Mulierum, & Fontis Baptiſmalis, fieri debere a Parochis.
Ad Septimum Negativè, prout jacet.
Ad Octavum Negativè, prout jacet; ſed ſpectare ad Parochos.
Ad Nonum Negativè, prout jacet; ſed ſpectare ad Eccleſiam digniorem, ad formam Conſtitutionis Leonis X. la 22. §. 14.
Ad Decimum Negativè, prout jacet; ſed licere Confratribus dumtaxat in feſtivitatibus ſolemnioribus ejuſdem Eccleſiæ, vel Oratorii, ut in Brunduſina ſub die prima Junii 1601.
Ad Undecimum Negativè.
Ad Duodecimum Negativè, & quoad benedictiones cum Reliquiis, & Imaginibus, ſerventur Decreta.
Ad Decimum tertium, ſatis proviſum in ſuperioribus.
Ad Decimum quartum Affirmativè, niſi aliter Ordinarius ſtatuat ex rationabili cauſa.
Ad Decimum quintum Affirmativè.
Ad Decimum ſextum Affirmativè.
Ad Decimum ſeptimum Negativè.
Ad Decimum octavum Affirmativè.
Ad Decimum nonum Negativè; niſi aliter Epiſcopus diſponat.
Ad Vigeſimum Affirmativè, quando tumulandus eſt ſubjectus Parocho, intra cujus fines eſt Eccleſia, vel Oratorium.
Ad Vigeſimum primum Affirmativè.

Ad Vigeſimum ſecundum Negativè, niſi adeſſet licentia Epiſcopi.

Ad Vigeſimum tertium Negativè, extra propriam Eccleſiam.

Ad Vigeſimum quartum Negativè.

Ad Vigeſimum quintum Negativè.

Ad Vigeſimum ſextum Negativè.

Ad Vigeſimum ſeptimum Negativè.

Ad Vigeſimum octavum Negativè.

Ad Vigeſimum nonum Negativè.

Ad Trigeſimum Affirmativè, dummodò non impediant functiones, & Divina Officia.

Ad Trigeſimum primum Affirmativè.

Ad Trigeſimum ſecundum Negativè.

Ad Trigeſimum tertium Negativè.

Et ita ſalvis tamen conventionibus, & pactis in erectione Confraternitatum forſan factis, concordiis inter Partes initis, & a Sancta Sede approbatis, Indultis, Conſtitutionibus Synodalibus, ac Provincialibus, & conſuetudinibus immemorabilibus, vel ſaltem centenariis, declaravit, ac decrevit, ſi Sanctiſſimo Domino Noſtro videbitur. Die decima Decembris 1703.

Et facta deinde per me Secretarium de prædictis Decretis Sanctiſſimo Domino Noſtro relatione, prævia eorumdem integra lectura, Sanctitas Sua laudavit, benigneque approbavit, & publicari, & non obſtantibus quibuſcumque aliis in contrarium facientibus, ſervari mandavit. Die 12. menſis Januarii 1704.

G. Card. Carpineus.

Loco † ſigilli.

B. Inghirami Sac. Rit. Congreg. Secret.

CONSULTATIO CCIII.

An Regulares poſſint erigere in medio ſuæ Eccleſiæ Altare portatile, & in eo collocare ſtatuam Beatiſſimæ Virginis ſine licentia Epiſcopi?

1 HOc dubium duas habet inſpectiones. Prima eſt de erectione Altaris portatilis. Secunda eſt de collocatione ſupradictæ ſtatuæ in eodem Altari.

2 Quoad primam, certum eſt, poſſe celebrari abſque ulla licentia, aut privilegio, a quocumque cum Altari portatili in quocumque loco deſtinato per celebrationem, ſive ſit Eccleſia conſecrata, ſive tantùm benedicta, ſive Oratorium ad divinum cultum deſtinatum; ita Innocent. *in cap.* 1. *de conſecrat. Eccleſ.* Tabien. *v. Altare numer.* 3. Armill. *eodem v. numer.* 4. Vaſquez *3. par. diſp.* 233. *cap.* 2. *num.* 10. Suarez *diſput.* 81. *de Euchariſt. ſect.* 5. *§. ult.* Reginald. *lib.* 29. *praxi for. pœnitent. cap.* 9. *ſect.* 6. *num.* 191.

3 Probatur id ex praxi. Nam etiam in Oratoriis abſque aliqua licentia eriguntur Altaria cum menſa portatili, in quibus quilibet Sacerdos celebrat. Ratio autem eſt, quia nulla adeſt prohibitio, ne celebretur in Altari portatili, ſed ſolùm quod non celebretur extra Eccleſiam, ut in can. *Hic ergo*, & can. *Nullus Presbyter de conſecrat. diſtin.* 1. & Sacrum Concilium Tridentinum *ſeſſ.* 22. *in decreto de ſervan. & vitan. in celebr. Miſſ.* reducit licitam celebrationem ratione loci ad Eccleſias, & Oratoria ad divinum tantùm cultum deputata. Ergo uſus Altaris portatilis erit licitus in quocumque loco, in quo aliàs eſt conceſſum poſſe celebrari Miſſas.

4 Quod verò ad ſecundam inſpectionem, certum etiam eſt, quod non poteſt exponi publicè Imago aliqua, ſive picta, ſive ſculpta Chriſti, Beatæ Virginis, vel Sanctorum ſine licentia Epiſcopi. Decreto enim Concilii Tridentini *ſeſſ.* 25. *de invoc. vener. & reliq. Sanctor. & Sacrar. Imag.* ſtatuitur, nemini licere ullo in loco, vel Eccleſia, etiam quomodolibet exempta, ullam inſolitam ponere, vel ponendam curare Imaginem, niſi ab Epiſcopo approbata fuerit, ejuſque diligentiæ, & curæ commendat, ut in ſacris effingendis Imaginibus nihil falſum, nihil profanum, nihil inhoneſtum, nihil procacis venuſtatis, nihil præpoſterum, nihil non rectè, atque ordine adhibeatur. Illudque in primis caveat Epiſcopus, ne quid pingatur, aut ſculpatur, quod veritati ſcripturarum, traditionum, aut Eccleſiaſticarum hiſtoriarum adverſetur. Et hæc eſt illa Imago inſolita, de qua loquitur ſacrum Concilium, non autem quæ ſolita, vel non ſolita ſit exponi. Alioquin quiſque poſſet exponere quaſcumque Imagines, exponi ſolitas, ſed prohibitas a Concilio. Hinc cùm Fratres Servitæ depinxiſſent Imaginem Beatæ Virginis cum ſtola, ſive amiculo nigri coloris, juſſum a Congregatione Sacrorum Rituum, ut depingeretur cum ſtola cærulea. Decipimur quidem plerumque ſpecie recti.

Debet igitur Epiſcopus, antequam Imago aliqua picta, vel ſculpta exponatur, illius os, corporis habitum, & ſtatum, ornatum, & locum inſpicere, & curare, ut hæc omnia ad prototypi dignitatem, & ſanctitatem apta ſint, & decora, atque ex Imaginis inſpectione pietas excitetur. 5

CONSULTAIO CCIV.

An & quatenùs liceat Canonicis, ſive Cardinalibus ante electionem Epiſcopi, ſive Summi Pontificis tractatum habere, & cum eis de rebus quibuſdam paciſci?

AFfirmativè videtur reſpondendum. Primò, ab antiquis temporibus uſque in præſens uſu receptum fuiſſe in quibuſdam Catholicis Provinciis, & Eccleſiis, quod aliquæ pactiones fierent inter Electores, & Electos, quibus certa regendi forma præſcribebatur, eumque uſum judicari per Capitulationes in Conclavi ab Eminentiſſimis Cardinalibus pro eligendo Pontifice compoſitas, per Summos Pontifices admiſſas, quarum memoriam facit Barbat. *conſil.* 1. *numer.* 1. & 14. in ſpecie Pauli Papæ Secundi, Leonis Papæ Decimi, & Clementis Papæ Septimi, & iterùm Eccleſiæ Lamacenſis apud Rotam, penes Mohedanum *deciſ.* 91. *num.* 1. *de locat. Eccleſiæ Palentinæ*, apud Cæſar. de Graſs. *deciſ.* 1. & 2. *de jurepatron.* Eccleſiæ Antuerpienſis apud Fagnan. *in capit. cùm veniſſent num.* 24. & *ſeqq. de inſtit.* 1

Has autem pactiones neceſſariò ideò fieri debere, ne aut a circumvicinis Principibus, præſertim a Catholicis, aut a ſuis adminiſtris ſecretioribus, ſive a conſanguineis, ſive aliis amicis allatis, aliquando poſthabitis ſervitio divino, Eccleſiæ, Immunitatis, ac bonorum Eccleſiaſticorum, aut feudorum apertorum intuitu, incidant in laqueum diaboli, & humani quidquam patiantur, pro quibus illicitis auſibus, & ſiniſtris eventibus evertendis in nulla re præſentiùs, quàm in hujuſmodi capitulationibus juratis præſidium haberi poſſe eo modo, quo in temporalibus præ primis in electione Romanorum, aliarumque nationum Regum Electores, Principes, & Regnorum Proceres communi omnium ſtatuum conſenſu a pluribus annis validè, licitè, ac utiliter eaſdem præſcripſerunt. Ex quibus exemplis inferri poſſunt Cardinales, aliive ſibi id pari jure licere. 2

At nihilominùs, his minimè obſtantibus, tenendum eſt, non licere. Et quoad uſum antiquum, cùm hujuſmodi capitulationes, & pacta ſint improbata ex eo, quod inita ſint in limine, vel in ipſo actu, vel mox poſt eamdem electionem ad favorem Cardinalium Electorum, & ad condominium illorum, tàm in temporalibus politicum ſtatum tendentia, quàm adminiſtrationem, & regimen Eccleſiaſticum concernentia, contra mentem Sacrorum Canonum, Capituli, ſive Cardinalium conſenſum, vel conſilium in certis quibuſdam cauſis arduis Eccleſiaſticis, iiſque tantùm in jure expreſſis præſcribentium, juxta Sacræ Congregationis 27. Aprilis 1592. reſponſum Patriarchæ Veneto datum apud Piaſecium *in prax. Epiſcop. p.* 2. *capit.* 1. *numer.* 8. & 9. & ſic dictæ capitulationes non reſpiciant commune Eccleſiæ bonum, ſed plurima temporalia, in quibus Canonici, ſive Cardinales non communicant cum ſuo Epiſcopo, vel Pontifice, *can.* 47. Concilii Meldenſis, *capit. ſed nec* 4. *ne Clerici, vel Monachi*, Concil. Atrincatenſe *canon.* 12. *a Thomaſino par.* 3. *lib.* 3. *capit.* 22. *numer.* 3. *relatum*, 2. *Timoth.* 1. *l. placet* 17. *l. repetita* 17. *Cod. de Epiſcop. & Cler.* Concil. Trident. *ſeſſ.* 22. *cap.* 1. *ſeſſ.* 24. *capit.* 2. *de reform.* Immò verò per omnia commodum Canonicorum, ſive Cardinalium privatum, eorumque authoritatem in omnibus rebus, & negotiis cujuſdam momenti gerendis dilatandam præſeferant; e contrà verò ſint immediatè directæ, & conſtructæ ad juriſdictionem, dignitatem, & poteſtatem a Deo, Epiſcopis, & Pontifici conceſſam, ſtudiosè coercendam in ordine ad ſe juriſdictione, viſitatione, & correctione Epiſcopali, ſive Pontificia, quibus ſubjecti per omnia dignó- 3

gnoſcuntur, eximendum, & in libertatem independentem a Summo Pontifice, quæ omnia uti Sacris Canonibus, Conſtitutionibus Apoſtolicis, Sacro Concilio Tridentino, Sanctorum Patrum monitis, ac rectæ rationi naturali adverſantia, hierarchicum clericalem ſtatum, & Sanctam Dei Eccleſiam admittentem, & præſcribentem ſubordinationem inter Clerum, Canonicos, Epiſcopos, Archiepiſcopos, Patriarchas, Primates, & Summum ejuſdem Caput, ſuſque deque evertunt, ac quibuſvis illicitis auſibus portas aperiunt.

4 Ex quibus clarum eſt, quod allegata ſuperiùs antiquitas temporum non ſit titulus juſtus introducendi, neque comprobandi hujuſmodi iniquitates, & Sacrorum Canonum contraventiones vigore illius. Quod enim ab initio vitioſum eſt, tractu temporis eo minùs poteſt convaleſcere. Unde evidenter apparet, quod neque juramentum, neque uſus antiquus, nec quælibet conſuetudo contraria eſt allegabilis, ad tradita *in capit. contingit* 1. *de jurejur. in 6.* & in Bulla Gregorii Papæ XIII. quæ incipit, *Inter Apoſtolicas*, ibi: *Ac etiam præcipimus, ac interdicimus Prælatis, & Canonicis, ne ulla omninò juramenta illicita, impoſſibilia, damnoſa, vel libertati Eccleſiaſticæ, aut decretis Concilii Tridentini obviantia, ſive ante, ſive poſt electiones, confirmationes, proviſiones, receptiones, admiſſiones, aut alios actus ubicumque, & quocumque tempore*, etiam prætextu cujuſvis conſuetudinis, quantocumque *tempore* obſervatæ, quæ potiùs corruptela eſt cenſenda, ſive in genere, ſive in ſpecie *præſtare contendant*.

5 Et fruſtrà pro validitate hujuſmodi pactionum, ſi vel capitulationum recurritur ad exemplum capitulationum, a Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus factarum in pluribus Conclavibus ante electionem Summi Pontificis, per ea, quæ tradit Cardinalis de Lugo, qui diſſertationem Cardinalis Brancatii de Capitul. Conclav. ſubſcripſit, præterquam enim quod hæc opinio non ſit tuta, & habeat ſuos contradictores, Abb. *in capit. ſicut noſtra* 27. *de jurejur. ſub numer.* 1. ibique Barboſ. *numer.* 1. 4. & 5. Pariſ. *de reſign. lib. 3. quæſt.* 18. *numer.* 107. Cokier. *ad regul. Cancell.* 30. *numer.* 43. cum aliis adductis per Paſſerin. *de elect. Pontif. quæſt.* 22. *numer.* 14. eorum ſententia procedere tantùm poteſt, ubi Capitulationes attingerent Eccleſiæ univerſalis commodum, & non tenderent ad Cardinalium, & Sacri Collegii authoritatem ampliandam, vel ad privatorum commodum, ut explicat idem Cardinalis Brancatius *loco citato §. Hinc etiam*, & *§. tertia opinio*, & *§. rejecta*, & cum hoc ſenſu Cardinalis de Lugo approbavit diſſertationem Cardinalis Brancatii.

6 Omiſſo eo, quod allegatio exempli a Cardinalibus ad Capitulum nullo modo ſuſtineri poſſit. Tum ex eo, quod magna intercedat differentia inter Capitulum Cathedralis Eccleſiæ reſpectu politici regiminis Epiſcopatus, & inter Sacrum Collegium Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium, qui uti Cardinales, & Conſiliari Summi Pontificis, rectè poſſunt edicere, & conſulere ea, quæ ad feliciorem directionem regiminis univerſalis Eccleſiæ norunt conducere, ut benè reflectit idem Cardinalis Brancatius *ibidem §. Et jure quidem*. Quæ præeminentia non reſidet in Capitulo, neque data eſt Canonicis reſpectu ſui Epiſcopi, cum quo nonniſi in arduis merè Eccleſiaſticis, & quidem expreſſis, & ubi eorum auxilio Epiſcopus ob corporis debilitatem opus haberet, uti prædiximus, communicant, in iis verò, quæ tamquam feudatarius, Epiſcopus ab Imperatore, vel a Rege per inveſtituram privativè conſequitur, eo remotiùs ſe abſentare debet, quo magis conſtat in jure, quod Capitulum nequidem Sede vacante ad hujuſmodi auſus illicitos exercendos qualificatum ſit, ſed tantùm ea, quæ ſunt neceſſariæ juriſdictionis, tutorio nomine, non ſuo, peragere valeat, ut per Rotam apud Garz. *de benef. part.* 5. *capit.* 4. *numer.* 92. *in Abulenſi* 22. *Junii* 1544. Barboſ. *de offic. & poteſt. Epiſcop. allegat.* 132. *part.* 3. *numer.* 20. *ac ſeqq.* Fagnan. *in capit. de his, quæ numer.* 49. *de major. & obed.* Rebuff. *in prax. benefic. de devolut. numer.* 85. Ipſe etiam Alexander. III. Summus Pontifex a cognitione ſimilium ſe excluſum fatetur *in can. verum* 7. *de foro compet.* ibi, *Statuimus*, ex quo Epiſcopus fuerit in Eccleſia conſecratus, de feudis ipſis ſuo judicio cognoſcatur, ſi ad Eccleſiaſticam cognitionem pertineat; alioquin beneplacito Imperiali, ſicut juſtum fuerit, relinquatur.

7 Tum quia conſtat, quod hujuſmodi etiam capitulationes Conclavis ut plurimum ſervatæ non fuerint, tametſi ab electis Pontificibus juratæ, teſte Cardinali Jacobatio, *de Concil. lib.* 7. *artic.* 5. *numer.* 151. & ipſo Cardinali Brancatio, *in dict. diſſert.* 3. Immò aliquando etiam, præſertim cùm conditæ eſſent ad ampliandam authoritatem Sacri Collegii, & reſtringendam Pontificiam, a Deo immediatè profectam, penitùs reprobatæ, ut patet ex Conſtitutione Innocentii Papæ Tertii, relata a Raynaldo *in Annal. Eccleſ. tom.* 16. *ann.* 1352. *numer.* 26. & *ann.* 1353. *numer.* 29. ex qua noviſſimè P. Antonius Foreſti, *in ſuo Mappamundo ad anno* 1352. *fol.* 141. refert ſequentis Capitulationis reprobatæ articulos. Primus, quòd Papa non poſſit creare Cardinales priuſquam eorum numerus ad ſexdecim eſſet reductus. Secundus, quòd numerus Cardinalium non deberet excedere vigeſimum. Tertius, quòd Papa non puniat Cardinalem, niſi de omnium conſenſu. Quartus, quòd medietas omnium proventuum Pontificis dividatur inter Cardinales. Quod etiam poſt Innocentium, feciſſe Paulum Papam Secundum, refert *fol.* 209. *ad annum* 1464. *§.* 2. ibi: *Annullò parimente le convegne ſtabilite nel Conclave, per eſſer quelle contrarie all auttorità Pontificia, giudicando, che dagl' Elettori non poteſſe quella eſſer riſtretta*. Et poſt hunc Pontificem, Julium Papam Secundum *anno* 1504. eodem P. Foreſto referente, *fol.* 239. *§.* 2. *verſ. ita*, ubi adoptionem in perſona Franciſci Mariæ Feltrii a Guidone Ubaldo de Ducatu Urbini, & ſine hac adoptione aliàs poſt obitum illius feudum Eccleſiaſticum ad Romanam Eccleſiam revertendum authoritate Apoſtolica approbavit, fruſtra Cardinalibus reclamantibus, & ad prohibitionem in Conclavi, priùs a ſe factam, provocantibus, ibi: *Reclamando perciò i Cardinali con dire, ciò eſſer contro i divieti fatti in contrario nel Conclave prima dell' elezione del Papa. Ma quello con la propria autorità annullò tali divieti, come ingiuriosi, e contrarii alla libertà Pontificia*. Ex quibus exemplis, & rationibus ceſſatum denique fuit ab hujuſmodi læſivis, & ambitioſis capitulationibus, teſte Jacobatio, *loco citato num.* 148.

CONSULTATIO CCV.

An, & quatenus pacta jurata per Epiſcopos in favorem etiam ſuorum Canonicorum eligentium, in die, & actu electionis eos obligent?

NOn obligare, quatenùs illicita reputentur juriſdictioni Epiſcopali, aut Tertio præjudicantia, eorumque menſæ proventus diminuentia, jura Eccleſiæ, perſonæ, dignitati, ac poteſtati prælatitiæ adhærentia in Capitulum abſque cauſæ cognitione, & ſolemnitatibus a jure præſcriptis prætermiſſis, transferentia, exemptionem ſingulorum Canonicorum ſpirantia, Simoniæ labem præſeferentia, & valdè ſuſpectum initium habentia, & hæc quidem ex *capit. quàmpio* 1. *quæſt.* 2. *can. talia*, *can. illud*, & *can. Antaldus* 7. *quæſt.* 2., & 3. *capit. pactiones*, *de pact. capit. tua*, *de Simonia*, *capit. præterea*, *capit. ſuper eo*, *de tranſact.* & *gloſ. in dict. capit. pactiones*, *verſ. ceſſare*, ibi: Quia hujuſmodi pactiones Simoniam inducunt tacitè, vel expreſſè, & *capit. cùm primum de pact.* ibi, *Nos eam ſcilicet conventionem, non duximus admittendam pro eo, quod videbatur, pravam illicitæ pactionis ſpeciem continere*, *capit. dilectus* 30. *de Simon.*; ibique Felin. & alii, & in terminis electionum Germaniæ, ex Concilio Tertio Colonienſi ſub Paulo Papa tertio anno 1536. *par.* 1. *can.* 9. ibi: *Ad hæc procul abſint illicitæ obligationes, quæ ſub electionem, aut paulò poſt ab eligendo, vel electo extorquentur*, Rives *in epit. can. verſ. electio num.* 6. & ex Concilio Provinciali Moguntinenſi anno mileſimo quingenteſimo quadrageſimo nono, prohibente juramenta impedientia correctionem, ac diſciplinæ Eccleſiaſticæ introductionem, uti injuſta, & pernicioſa, & a ſede Apoſtolica non cofirmata, *can.* 87. ibi, *Injuſta verò, & illicita juramenta, per quæ nonnunquam via debitæ correctionis præcluditur, & Prælati a promovenda Eccleſtarum ſuarum diſciplina, & utilitate, impediuntur, omnino tolli debeant, & nos cum hac Sancta Synodo talia omnia damnantes, ad hujuſmodi correctionem per præſentes facultatem impertientes, diſtricte eis præcipiendo injungimus, ut Eccleſiarum Statuta diligenti cura revideant,*

videant, & juramenta non neceſſaria, a Sede Apoſtolica non confirmata, in primis verò injuſta, & perniciosa, non obſtantibus quibuſcumque conſuetudinibus, cùm iniquitati longinquitas temporis patrocinari non debeat, corrigant, caſſent, & tollant. Ex Sacro Concilio Tridentino, *cap.* 14. *ſeſſ.* 24. *de reformat.* ibi: *Quæ Simoniacæ labis, & ſordidæ avaritiæ ſuſpicionem habent, fieri non permittant*, docentque communiter Canoniſtæ *in cap. cùm pridem, de pact.*, nominatim Butr. *in capit. cum veniſſent numer.* 22. & Goffred. *in collect. jur. can. lib.* 3. *numer.* 10., ubi quod ſine mentali Simonia non poſſunt pactiones fieri in promotione, etiamſi licitæ ſint, Lambert. *de jurepatr. libr.* 2. *part.* 1. *art.* 2. *quæſt.* 9. *num.* 1. *juxta Lugdunenſem impreſſionem anni* 1579. *tom.* 2. *fol.* 79. Pirhing. *in decretal. tit. de pact. lib.* 1. *tit.* 35. *num.* 24. *tom.* 1. *fol.* 696. Firmian. *de Epiſc. lib.* 2. *part.* 1. *quæſt.* 11. *num.* 1. Pariſ. *conſ.* 29. *num.* 6. *& ſeq. & conſ.* 30. *num.* 26. *vol.* 4. Rota coram Verallo, *deciſ.* 239. *num.* 4. *&* 5. *part.* 3. ubi poſtquam decidit, electionem Abbatis factam a Monachis ſub certis pactis, & conditionibus, ibi relatis, non eſſe Simoniacam, ſubjungit, quod dicta pacta tamen ſint nulla, ibi: *Et propterea pacta iſta, & conventiones ſunt potiùs invalida, quàm contineant veram ſimoniam, quamvis ſapiant ſpeciem ſimoniæ, & potiùs debeant tolli*, eadem Rota *in Civitaten. Abbatiæ* 20. *Aprilis* 1551. coram Achille de Graſſis *deciſ.* 344. *& ſub tit. de ſimonia*, ibi: *Tamen Domini dixerunt, non ideò electionem eſſe ſimoniacam, ſed potiùs annullandum fore tale ſtatutum*, Pacion. *de poteſt. capit. Sed. vac. quæſt.* 7. *part.* 1. *in princ. num.* 8. *quæſt.* 8. *part.* 2. *num.* 7. Pariſ. *conſil.* 90. *num.* 3. *&* 26. *vol.* 4. & Rota *in eadem Civitaten. Abbatiæ* 12. *Octobris* 1551. coram Guidobono, Paſſerin. *de elect. ſimon. capit.* 7. *numer.* 77. ibi: *Tanquam ea, quæ malam ſpeciem ſimoniæ habent.*

2 Quæ omnia cum jure antiquo ita conveniunt, ut poſt Innocentium Tertium *in capit. ſicut noſtris* 27. *de jurejur. circa annum* 1198. & Honorium Tertium *in capit. intellecto* 33. *eodem tit. ad annum* 1216. & Nicolaum Tertium *in capit. contingit* 1. *eodem in* 6. *ad annum* 1277. Gregorius Papa XI. *anno* 1373. in cauſa Epiſcopi Herbipolenſis Gerardi, & Martinus Quintus his juribus inhærendo, *circa annum* 1417. pactiones hujuſmodi a Bambergenſi Epiſcopo quondam juratas, annullandas commiſerit in Brevi, ad inſtantiam, & preces Sigiſmundi Imperatoris pro Eminentiſſimo Cardinali Juliano expedito, ibi: *Articulos, & Capitula, quæ iniqua, ſeu injuſta, & inhoneſta, aut præfato Epiſcopo Bambergenſi, & dictæ Eccleſiæ obnoxia, aut præjudicialia, vel in illorum læſionem, jacturam, aut detrimentum quomodolibet tendere inveneris, authoritate noſtra Apoſtolica conceſſa revoces, irrites, & annulles, necnon caſſa, & irrita, inania, & nulla fore, nulliuſque roboris, & firmitatis ſubſiſtere, authoritate prædicta declares, ac juramenta deſuper præſtita relaxes.*

3 Quin etiam ex ratione evenit, quod Clemens Papa Octavus *anno* 1594. hujuſmodi pacta electionibus a Capitulis Germaniæ adjecta per Legatum ſuum, Eminentiſſimum Cardinalem Madrutium, coram Imperatore, & Statibus Romani Imperii in Comitiis generalibus Ratisbonæ pro reformanda Eccleſiaſtica diſciplina perorantem, ſummè reprobaverit, ibi: *Epiſcoporum juriſdictio per contrarias Sacris Canonibus capitulationes, & pacta conſtringitur.*

4 Proinde hanc mentem etiam Sacra Congregatio Conſiſtorialis in Capitulationibus Colonienſibus inter Maximilianum Coadjutorem, & Canonicos Colonienſes improbavit *die* 13. *Auguſti* 1642. Ratisbonenſes annullavit *die* 17. *Julii ejuſdem anni*. Quod tàm conſtanter tenuit, ut etiam eidem ſemper acceſſerit approbatio Summi Pontificis nedum vivæ vocis oraculo, ſed etiam in ſcriptis per Breve Apoſtolicum, ad utriuſque Archiepiſcopi, & Epiſcopi favorem conceſſo, ibi: *Motu proprio, & ex certa ſcientia, maturaque deliberatione, ex voto etiam prædictæ Congregationis omnes, & ſingulas capitulationes prædictas nullas, ac prorſus invalidas, nulliuſque roboris, & momenti fuiſſe, eſſe, ac ſemper fore, adeout nullum omninò ſortiri poſſint, aut debeant effectum, ac ſi irritæ, factæ, aut juratæ nunquam fuiſſent, tenore præſentium declaramus, illaſque pro non factis, nec interpoſitis habere volumus, approbationemque noſtram, & beneplacitum Apoſtolicum quoad iſtas capitulationes denegamus.*

5 Ex quo etiam Brevi poſt inſecutum eſt, quod innocentius Papa Decimus in recognitione articulorum juratorum a Domino Epiſcopo Brixienſi declaraverit per Cardinalis Azolini litteras, relatas a Kargio *in pac. relig. num.* 408. ibi: *Havendo la Santità di Noſtro Signore fatto eſaminare minutamente i capi delle convenzioni ſeguite tra V. S. Illuſtriſs. e il Capitolo di queſta ſua Chieſa nell' eſſer lei eletta al governo Paſtorale di eſſa, mi comanda la Santità Sua di ſcrivere in ſuo nome a V. S. Illuſtriſſ. ch' ella poſſa laſciare d' oſſervare tutti quelli, che ſono contro, o fuori della diſpoſizione de' Sagri Canoni, e del Sagro Concilio di Trento.*

Magis autem expreſſa habetur mens Sanctæ Sedis 6
Apoſtolicæ per annullationem Uratislavienſis Capitulationis *anni* 1664. quam Alexander Septimus prævia declaratione Sacræ Congregationis Conſiſtorialis, contra eamdem jam factam, ob inſtantiam quorumdam ex Eminentiſſimis Cardinalibus reiteratam, propter rei gravitatem, accerſitis coram ſe præclariſſimis Canoniſtis, & Eminentiſſimis Cardinalibus, iiſdemque plenè auditis, ſupremo, ac immutabili voto iterùm rejecit, caſſavit, & annullavit.

CONSULTATIO CCVI.

De laudemiis tùm profanis, tùm Eccleſiaſticis, ſtrictim per concluſiones magis expoſitis, quàm per quæſtiones diſputatis. 1. *Nominis derivatio, cur laudemia excogitata, & quomodo inter naturalia emphyteuſeos.* 2. *Variæ laudemiorum nomina. Sunt rerum onera, & odioſa.* 3. *Ex feudo præſtantur laudemia.* 4. *Quàm varia laudemii quantitas. In ea obſervanda eſt regionum conſuetudo, etiamſi juri ſcripto repugnet.* 5. *Præſtatur proportione pretii rei alienatæ, oneribus detractis, ut ex hæreditatibus, ære alieno deducto, & qua ratione laudemium rei pretium diminuat.* 6. *Ex pretio, quo æſtimatur pactum de retrovendendo, ſimileſve commoditates ab emptore reſervatæ, non debetur laudemium, neque de ſumptibus alienationum.* 7. *Neque de fructibus a ſolo ſeparatis, neque de aliis mobilibus, vel ſemoventibus.* 8. *Ædificia, & alluvionis incrementa.* 9. *Ab emptore ſolvendum.* 10. *Datur ob novum feudum.* 11. *Ex prima alicujus rei in feudum emphyteuſi, ſive conſtitutione, & datione.* 12. *De alienatione in alterum ex comprehenſis in inveſtitura, vel agnatis, vel ſucceſſoribus, deque Prælato, qui anteceſſoris emphyteuſim nanciſcitur.* 13. *An immunis a laudemio, cui alienare licet Domino irrequiſito?* 14. *An Dominus cenſeatur remiſiſſe jus laudemii, data facultate liberè rem alienandi?* 15. *An Dominus Emphyteutam approbaverit, alienationique conſenſum adhibuerit poſt factam alienationem, vel ante?* 16. *Quomodo canonis receptio caducitatis condonationem arguat, & quàm varia de laudemiis ratio ſit?* 17. *De amiſſione laudemii ob negligentiam, vel diſſenſum Domini in novo emphyteuta admittendo, & inveſtiendo.* 18. *Non debetur laudemium ex feudo franco, niſi aliter conventum.* 19. *Utrum in commiſſum feudum, emphyteuſiſve incidant laudemii ſolutione neglecta?* 20. *An laudemium pertineat ad proprietarium, an ad uſufructuarium?* 21. *De emphytheuſi a Domino directo acquiſita, & ita conſolidata, an laudemium conductori præſtandum ſit.* 22. *De eadem re alienata, ſcilicèt emphyteuſi Domino directo.* 23. *Si fundus emphytheuticus in alterum ex pluribus Dominis directis abalienetur, an debeatur laudemium?* 24. *Cui dandum laudemium, ubi adeſt feudum, & ſubfeudum, vel primus, & ſecundus emphyteuta? Quid de fiſco emphyteuſim ad ſe devolutam alienante?* 25. *De diviſione uni ex ſociis, fratribuſve totius rei aſſignatione a Judice, aut Cohæredibus facta, atque Societatis redintegratione.* 26. *De alienatinne, neceſſitate urgente facta, num laudemium debeatur? Excipiuntur aliqui caſus. Agnatus, qui rem retrahit, laudemia refundit.* 27. *De datione in ſolutum, ſubhaſtationibus. judicialique addictione in concurſu creditorum.* 28. *An laudemium in permutatione locum habeat?* 29. *Dos, dotis augmentum, donatio propter nuptias, lucrum dotis, perpetuò in laudemiis privilegiata.* 30. *Laudemium ex donatione.* 31. *Quid ſi inſtitutionis, legative titulo emphyteuſis in alium transferatur.* 32. *Debetur laudemium ex cauſa tranſactionis, non tamen perpetuò.* 33. *De pignoratitio contractu, & antichriſi.* 34. *Non datur laudemium conductionis gratia, niſi fiat ad decennium.* 35. *De venditionis promiſſione, tractatu, & declaratione, alteriuſque conſocietate.* 36. *Datur laudemium ex contractu conditionali, & cui ex diverſis Colonis exiſtentibus, contractus, & ceſſantis, purificatæve conditionis tempore.* 37. *An duplex laudemium præſtandum ſit venditione, retrovenditio-*

ditioneque facta, vi pacti de retrovendendo. 38. *De resolutione alienationis.* 39. *De contractu nullo, vel revicta.* 40. *An debeatur laudemium, si usufruarius dominium proprietatis acquirat, vel è converso proprietati usufructus consolidetur?* 41. *De constitutione censûs in re emphyteutica, vel feudali, ejusve liberatione.* 42. *De cessione, renunciatione, repudiatione, atque abstentione.* 43. *De alienationum, laudemiorumque concursu intra ejusdem anni periodum.* 44. *An domino directo, laudemium petenti, instrumenti emphyteuticarii editio a possessore denegari possit.* 45. *An detur hypotheca tacita pro laudemio.* 46. *Numerus liberorum a laudemii præstatione neminem excusat.* 47. *Præscriptio in laudemiis.* 48. *De livellario contractu, & colonario perpetuo.* 49. *Jus accrescendi in laudemiis.* 50. *Simulatio.* 51. *An hæres gravatus fideicommisso laudemium restituat, pœnasque caducitatis.* 52. *De multa ob non solutum laudemium præstanda, vel remittenda.* 53. *Immunitas Ecclesiæ in laudemiis an transeat in laicum Ecclesiæ successorem?* 54. *An a laudemiis etiam statutariis vel consuetudinariis Ecclesia sit immunis? Quænam probationes requirantur, ut laudemium jure exigi possit?*

1 QUemadmodum lege Pompeja debebant omnes ii, qui Buleutæ legebantur, pro introitu certam pecuniæ quantitatem dare, teste Plinio *epist.* 113. *lib.* 10. ita Justinianea sanctione omnes, in quos emphyteusis transfertur, jubentur certam pecuniam domino inferre, ex qua colligitur, quæ prædia sint emphyteutica, vel non, Menoch. *cons.* 409. *numer.* 81. Quæ præstationes hodie confessione omnium laudemia, quasi a laudando appellantur, Duran. *capit.* 13. *de feud. numer.* 9. Rosental. *capit.* 6. *concl.* 66. *numer.* 1. Quoniam laudare veteribus idem valeat, quod approbare, Gell. *lib.* 2. *noct. Attic. capit.* 6. nominare, appellareque tenetur, *§. si tibi*, ut ibidem, Gothof. ex Festo, Macrob. 2. *Saturnal. capit.* 16. *lib.* 6. *ff. de act. empt.* Gell. *loc. cit. lib.* 3. *cap.* 16. quia si hujusmodi præmia, sive honoraria ideò præstari videantur, quòd a domino directo nonnisi emphyteutam laudari, nominari, approbarique deceat, ut inde commissi pœnam effugiat, aut non videatur parùm dignus, in quem emphyteusis transferretur, aut dominus se conscio alienationem sequutam deinceps objicere, jusve prælationis proponere minimè posset.

2 Quapropter non malè Connan. *comment. jur. lib.* 7. *capit.* 5. & Rosental. *dict. numer.* 1. post Budæum, & Alciatum docent laudativum latiniùs dici, quàm laudemium a laudo, sicuti donativum a dono, Cuiac. *ad l.* 1. *Codice de jur. emphyt.* ait appellari εἰσδεκτικὸν *in Novel. Leonis XLII. de perpet. emphyteusib.* quasi scilicet datum admittendi, & suscipiendi possessionis causa. Inde Francisc. *observ. lib.* 5. *capit.* 9. Gothofr. *l. ult. Codice de jur. emphyt.* laudemia recipere quasi εἰσδεκτικὰ, quæ ab emphyteuta novo præstantur, ut a directo domino recipiantur. Imperiti sanè laudamentum cum laudemio confundunt. Quid enim aliud laudamentum significat, quàm arbitrium, judicium, consilium, ut adnotavit Cujac. *de feud. lib.* 1. *titul.* 17. & *titul.* 20. rursus *lib.* 2. *titul.* 20.

3 Variè describitur a recentioribus, Rosental. *capit.* 6. *concl.* 66. post Afflict. Frecciam, & alios, ait, *Esse id, quod pro investiturâ renovatione, seu feudi in aliam personam translatione, consuetudine, vel pactis Domino præstari solet.* Angusta descriptio. Ut apertiora, grandioraque vitia reticeamus, utpotè quæ feudatariis laudemiis dumtaxat adaptari videatur, cùm emphyteutæ præsertim juris communis sanctione ad laudemii præstationem obstringantur, *l. ult. Cod. de jur. emphyt.*

4 Duarenus *de feud. cap.* 13. *numer.* 19. ita describenda censuit honoraria, quæ pro renovatione, utilisque dominii confirmatione a beneficiario dominis tribuantur, & tamen Justinianus *in dict. leg. ult.* possessionis translationem magis, quàm dominii consideratione videtur. Neque enim jussit a domino novum emphyteutam in dominium suscipiendum, sed in possessionem, in his verbis: *Necessitatem autem habere dominos novum emphyteutam in possessionem suscipere per se, vel per literas suas, vel per depositionem apud Magistratum censuum, vel præsentibus tabellariis per attestationem in Provinciis apud Præsides, vel defensores celebrandam, & ne tanti domini avaritia magnam molem pecuniarum propter hoc efflagitent, non ampliùs eis liceat pro subscriptione sua, vel depositione, nisi quinquagesimam partem pretii, & æstimationis loci, qui ad aliam personam transfertur, accipere.* Sufficit igitur, quod venientem novum emphyteutam in possessionem dominus suscipiat, reique alienationi in eum factæ consentiat.

Sola ad decreta Sabaudiæ *de jur. emphyt. glos.* 1. *num.* 1. Ninot. *§. Adeò numer.* 12. *instit. de locat.* Cujac. *l. ult. Cod. de jur. emphyt.* inquiunt, esse quinquagesimam partem pretii, vel æstimationis ejus rei, quæ venditur, vel alienatur. Verba quidem sunt Justiniani, & verissima *in dict. leg. ult.* quibus molem, & quantitatem laudemii se designasse apertè ostendit, non autem ejus naturam, quam nisi descriptio ea qua fieri potest ratione, delineet, & adumbret, inutilis censenda est, *l.* 1. *ff. de dol.* Laudemii nubes, & quantitas, quamvis jure definita sit, pro morum tamen, & regionum diversitate, eam immutatam experimur, & substantia, ut ait Jurisconsultus *in leg. pacta, ff. de contrab. empt.* immutata remansit. Non invulgatum enim est, accidentia mutari posse, immutatis subjectis, *l. sed & si* 26. *§.* 2. *ff. de acquir. rer. domin. & l. naturalium* 5. *§.* 5. *eod. tit.* 5

Alii dicunt, esse præmium domino superiori debitum ob novum emphyteutam, vel beneficiarium in pos- 6
sessionem susceptum, & consensum alienationi scriptis interpositum. Non spernenda, si detraxeris ea verba, domino debitum. Id enim controversum, cùm plerique velint deberi domino dumtaxat, ut Francisc. *observ.* 5. *capit.* 9. Alii verò frequentiùs deberi etiam usufructuario, ut Molina *de primog. lib.* 1. *cap.* 22. *num.* 12.

Hinc facilè prospicimus, cur laudemiorum præsta- 7
tio excogitata. Dissentiunt hac in re Doctores. Plerique censent deberi ob novam investituram, actualemque possessionis traditionem emphyteutæ factam, Surd. *decis.* 200. *numer.* 3. Riminald. *consil.* 579. *numer.* 19. Rodoan. *de reb. Eccles. non alienan. quæst.* 66. *numer.* 2. *ac* 3. Bursatt. *consil.* 56. *numer.* 16. Alii propter approbationem alienationis in novum emphyteutam, aut propter translationem dominii utilis in novum emphyteutam, vel beneficiarium, Menoch. *consil.* 226. *numer.* 66. & *cons.* 291. *numer.* 14. 15. & 16. Alii ob novam investituram, & laborem, quem dominus patitur, dum novum emphyteutam in possessionem inducit, Surd. *decis.* 31. *numer.* 8. quamvis dubium non sit, quin, domino consentiente, propria authoritate novus emphyteuta possessionem ingredi possit. Justinianus enim apertè scripsit, ob domini subscriptionem, & ut *d. l.* verbis superiùs adductis propalam fit. Præstari propter consensum domini volunt, Mart. *vot.* 33. *numer.* 2. in suis novissimis decisionibus, ac idem Sola *loc. cit. numer.* 40. Alii deberi ratione contractus non eorum, quæ veniunt in consequentiam, Ripa *l.* 1. *numer.* 59. *ff. si cert. pet.* Bald. *in rubr. Cod. de rer. permut.*

Cùm autem in contractu emphyteutico sicuti & 8
in cæteris quatuor pervulgata reperiantur, substantialia scilicet, naturalia, accidentalia, solemnia, laudemium inter emphyteuseos naturalia reponendum esse constat, cùm apertè fateantur omnes, id esse de natura contractus, Surd. *decis.* 31. *numer.* 6. Verùm ex juris dispositione, Menoch. *consil.* 207. *numer.* 14. & 15. Alexand. *consil.* 123. *num.* 7. *lib.* 5. ubi Natta adnotavit id singulariter animadvertendum, & Menochius *cons.* 444. *num.* 15. Ideòque non mirum est, si privatorum pactionibus, regionisque consuetudine augeri, diminuive possit, Choppin. *de morb. Parisiorum lib.* 1. *tit.* 3. *num.* 5. Natta *consil.* 49. *numer.* 18. *lib.* 1. Immò & prorsùs tolli. Quia naturalia contractuum, dummodò substantiam non respiciant, in arbitrio contrahentium sita sunt, *leg. pacta conventa* 72. *ff. de contrab. empt.*

II. Porrò immensi esset operis singularia laudemio- 9
rum nomina, aliarumve pensionum, ac præstationum, quæ superioribus dominis præstari consueverunt, recensere. De iis ad satietatem scripserunt. Molin. *de contract. lib. disp.* 159. *numer.* 1. Gerard. *decis.* 45. *lib.* 4. Choppin. *d. lib.* 1. *tit.* 4. *numer.* 3. Amedæus a Ponte *de laudem. quæst.* 2. & plerique alii a Mainardo adducti, Alexand. *consil.* 14. *lib.* 5. *in fin.* Peregr. *de jur. fisci lib.* 6. *tit.* 4. *numer.* 46. Anton. Faber. *de jur. emphyt. definit.* 54. Marta *de jurisd. par.* 4. *cent.* 1. *cas.* 17. Ninot. *instit. de locat. d. §. adeò num.* 12. Hinc orta trezena, accapita, retrocapita, relevia, capsolda, pensiones, præstationes annuæ, & sexcenta hujusmodi, quæ tædet recensere, appellantur, & decima quædam, Menoch. *consil.* 297. *num.* 33. Surdus *decis.* 31. *num.* 15. At quid mirum, cùm hominum arbitrio,

bitrio, ſingularumque regionum, ac Civitatum uſu varientur, mutenturque nomina? *l. labeo* 7. *§. tubero, ff. de ſuppl. legat.* in quibus imperitorum uſus, immò error dicitur facere jus, *l. ſuppellectili* 3. *§. alt. ff. eod.* ut explicat Govean. *lib.* 1. *variar. cap.* 6. & Cyriacus *obſer.* 10. *cap.* 13.

10 An verò odioſa habenda ſit laudemii præſtatio, certant Doctores. Nam Menoch. *d. conſ.* 444. *numer.* 42. acriter defendit, eſſe favorabilem. Tum quia excogitata ſit, ut ad munificentiam dominos directos incenderet, & opulentos, qui latifundia ampliſſima poſſident, ad eorum diſtributionem. Tum quia, tametſi reſpectu emphyteutæ onus vulgò appelletur, id tamen a lege approbatum eſt, de qua nonnifi benè ſentiendum, *l. proſpexit* 12. *ff. qui, & a quibus.* Tum quia præſtetur in dominii utilis recognitionem, quæ ab emphytetuta alteri traditur, *ex d. leg. ult. Cod. de jur. emphyt.*

11 Odioſum tamen in cauſa feudali ab omnibus appellatur. Nam in his & debetur, & præſtatur adversùs propriam naturam feudi. Jure enim feudali inſpecto, inveſtituræ gratis fieri deberent, Henning. Goed. *conſil.* 25. *cent.* 1. Roſental. *de feud. capit.* 6. *concluſ.* 66. *lit. A. in fin.* qui hanc ob rem exiſtimavit, laudemia pro feudis neque deberi, neque poſſe peti, niſi in iis caſibus, in quibus inveterata conſuetudine id introductum, ac receptum reperitur, tametſi adeſſet eadem juris ratio, Roſental. *loc. cit.* ex Sigiſmundo Neapol. *conſ.* 14. *numer. item* 14.

12 Mihi autem tota hæc quæſtio de odio, vel favore tàm in tractatione laudemii, quàm in cæteris, ex eorum genere eſſe videntur, quæ in utramque partem facilè circumvolvuntur. Quod enim uni damnum inferre videtur, alterius lucro cedit. Cur igitur potiùs a damno, quàm a lucro denominationem accipiet? Emolumenta potiora, & optatiora ſunt, ideòque fortiora, & propterea ab iis denominatio facienda, *l. quæritur* 10. *ff. de ſtat. homin.* Et cur malint laudemii præſtationem damnoſam appellare, eo quod emphyteutæ incommoda ſit, quàm lucroſam in eo, quod domino directo non minimum emolumenti afferat, cùm ſint correlativa, in quibus a dominante perpetuò fit Denominatio, & docet Jul. Pacius adversùs Coraſ. *Codice de ſervit. & aqua, & l. ult. Cod. eodem ex tit. Inſtit. de ſervit. §.* 1. & 2.

13 Nec ignoro, ipſum Menochium alibi ſimpliciter laudemium appellaſſe onus reale, *conſil.* 297. *numer.* 1. Surd. *conſ.* 31. *numer.* 3. Cæſar. Manent. *de contr. livel. pact.* 9. *num.* 1. Ideòque ejus gratia minus rem vendi ex Velaſco, *dec.* 70. *numer.* 14. Neque ambigendum, quin ſint rerum onera. Undè venditor tenetur id notum facere emptori, quando laudemiarii præſtationibus res ſubjicitur, Sola *ad d. decreta Sabaudiæ de jur. emphyt. num.* 30.

14 III. Et quidem nihil eſſet facilius, quàm eorum errorem refellere, qui opinantur ſicuti jure emphyteutico cautum eſt, ex emphyteuſis alienatione dari laudemium, ità jure feudali præſcriptum, ut ex alienatione feudi, vel pro inveſtitura aliquid domino præſtetur. Verùm nos hoc onere liberarunt, Roſental. *de feud. cap.* 6. *concl.* 66. innumeri ab eo relati *in allegationibus lit. A.* Menoch. *d. conſ.* 444. *numer.* 16. Surd. *deciſ.* 200. *numer.* 2. Boer. *in conſuet. Bituric. tit. de feud. & cenſ. §.* 5. *v. dominus directus*, Hartaman. Piſtor. *lib.* 1. *quæſt. jur. quæſt.* 50. *numer.* 61. Schrader. *p.* 10. *ceſſ.* 2. *num.* 49. Fachin. *lib.* 7. *contr. jur. cap.* 98. Cur enim novo onere vaſallos abſque lege, & ratione prægravare? Duaren. *de feud. cap.* 13. *num.* 9. Faber. *defin.* 44. *Cod. de jur. emphyteut.* Excipiunt tamen ubi pacto, vel conſuetudine introductum, aut conventum eſt, ut aliquid pro inveſtitura præſtetur, Roſental. *loc. cit.*

15 Proindè varia referuntur areſta ſupremarum Curiarum in Gallia, quibus deciſum, attenta univerſali, ac inveterata Regni Francici conſuetudine, deberi laudemia, ſive de nobili, ſive de cujuſvis generis feudo agatur, Maynard. *deciſ.* 33. *lib.* 4. Choppin. *de legib. And. capit.* 4. *numer.* 2. Ranchi *in adnot. ad Guid. Pap. qu.* 167. Duaren. *cap.* 13. *numer.* 9. *de feud.* Eadem conſuetudo contra jus commune in Sabaudia recepta eſt, Faber. *d. defin.* 44. Sebuſianis exceptis. In pleriſque Germaniæ regionibus, & in Ducatu Montenſi in Epiſcopatu Colonienſi, Roſental. *d. cap.* 6. *concl.* 66. *numer.* 2. In Hiſpaniarum Provinciis, & de Cathalonia teſtatur Peguera, *deciſ.* 159. & ea de re adeſſe Caroli Quinti Conſtitutionem. In Regno Neapolitano, Afflict. *deciſ.* 248. & 265. Capyc. *deciſ.* 415. & Marinus Frecc. *libr.* 2. *de ſubfeud. Baron. author.* 3.

In omnibus ferè Provincis, ac regionibus varii ſunt laudemialium præſtationum ritus. Undè alibi eſt decima æſtimationis, ac pretii. Alibi quarta. Alibi quinta. Alibi ſexta, octava, ut videre licet apud Follerium Mauricium Burg. ex Rondella *de jure protom. v. per emphyteuſim num.* 32. 16

Tantæ varietatis ratio apertiſſima eſt. Quoniam in laudemiis perſolvendis obſervandæ ſunt locorum, regionumque conſuetudines, Anton. Piagius *de conſuet. qu.* 11. *num.* 334. ex Burſatt. *conſ.* 165. *num.* 61. *lib.* 1. Marta, *dec. noviſſ. Collegii Piſani vot.* 33. *num.* 9. & Riminal. *jun. conſ.* 38. *num.* 22. lib. 1. At quot loci, tot ferè conſuetudines, Piagius *loc. cit. num.* 446. Unde dicitur conſuetudinis jus eſſe locale, Piag. *ibidem qu.* 9. *num.* 4. 6. *ac ſeq.* 17

Hanc tamen laudemiorum quantitatis varietatem, & cum jure communi, quo quinquageſima pretiis dumtaxat danda eſt, quaſi repugnantiam, a conventionibus, pactiſque contrahentium oriumdam eſſe, cenſet Sola *ad decreta Sabudiæ de jur. emphyt. num.* 8. 9. & 10. Cùm enim in emphyteuticariis inſtrumentis pactiones conſcriptas obſervari, ſanxerit Juſtinianus, *l. In emphyteuticariis* 2. *Cod. de jur. emphyt.* potuit ſanè, & pacto, & conſuetudine introduci adversùs jus ſcriptum. Quoniam *§. ne avaritia, leg. ult. Cod. eodem*, jus, utilitatemque privatam principaliter reſpicit, cui licet pacto renunciare, *leg. pen. Cod. de pact.* Et conſuetudines, tametſi legibus Juſtiniani repugnantes, ſervandæ ſunt, Alexandr. *conſ.* 23. *lib.* 5. Henricus de Bartholomæis, Cardinalis Oſtienſis, *in Summ. tit. de locato*, cùm leges non ſolùm ſuffragio legislatoris, ſed etiam tacito conſenſu omnium per deſuetudinem abrogentur, *l. de quibus* 32. *l. ſed & ea* 35. *l. immò magnæ* 36. *ff. de legib.* 18

Neque obſtat, quod Fulgoſ. *conſ.* 6. contrarium ſentiat, nullaque conſuetudine rectè introduci poſſe dicat, ut plus quinquageſima Juſtinianea lege prefixa pro laudemio præſtetur, motus forſan, *l. conſuetudinis* 2. *Cod. quæ ſit longa conſuet.* ubi conſuetudinis non tanta dicitur eſſe authoritas, ut vincat legem. Reſpondendum enim, hujus legem ſententiam eſſe, quod conſuetudo in ſuo genere non eſt fortior, ac robuſtior lege, non majorem vim habet, quàm habeat lex in ſuo, ſed eſt ei æqualis. Itaque ſicuti lex poſterior priorem abrogat, & legem, & conſuetudinem, *leg. ult. ff. de Conſtitut. Princip. lege.* 1. *ff. ad leg. Aquiliam*, *leg.* 1. *ff. ad leg. Falcidiam*, ita & conſuetudo poſterior legem præcedentem abrogare poterit. Data tamen paritate legis, & conſuetudinis, ut ſcilicet conſuetudo generalis æquè fortis ſit, ac generalis lex, conſuetudo in ſpecie in uno municipio, ac jus municipale. Quamvis igitur conſuetudo hæc poſterior legem abroget Juſtiniani de quinquageſima pretii, vel æſtimationis pro laudemio danda, ob id tamen non dicitur lege fortior. Nam etiam alia lex poſterior legem Juſtinianeam abrogare poterat, quemadmodum Juſtinianus *eadem l. ult.* abrogavit anteriores, aut leges, aut mores, quibus plus quinquageſima pro laudemio dari introductum erat, *leg. ſed & poſteriores, ff. de legib. l. ult. Cod. quæ ſit longa conſuet.* latè Bartol. *in dict. leg. de quibus, d. leg. ult. de conſtit. Princip. l.* 1. *ad leg. Aquil. l.* 1. *ad l. Falcid. l.* 1. *§. ſi ſervi, ff. de quæſtion.* ac Duaren. *lib.* 2. *diſp. ann. cap.* 32. *ad tit. de legib. cap.* 12. 19

Ex quibus infertur, ſi emphyteuta in alienationibus pro laudemio quinquageſimam offerat, & dominus majorem quantitatem aut pacto, aut conſuetudine deberi contendat, onus probandi incumbere domino. Quia intentio emphyteutæ eſt juri communi ſcripto ſubnixa, & conſuetudines ſunt locales, pactaque ſunt facti, *l. ſi unus, ff. de pact.* Ideòque probanda, Sola *loc. cit. numer.* 2. & Alexandr. *conſ.* 5. *lib.* 5. & alii, Oſtien. *de conſuet. num.* 2. Dec. *conſ.* 2. *numer.* 22. Et in ſpecie conſuetudinem juri communi repugnantem, cujuſmodi eſt, ſi pro laudemio ſexta, vel octava, vel decima, ab eo probandam eſſe, qui eam allegat, tradit Menoch. *conſ.* 8. *numer.* 16. *conſ.* 32. *numer.* 65. *conſ.* 37. *numer.* 92. Petrus Santerna *de ſponſionibus mercat.* qui tractatus eſt inſertus *in tractatu de fidejuſſionibus*, *Taurini impreſſo ſub annum* 1615. *par.* 3. *numer.* 6. Cardin. Puteus *deciſ. Sacræ Rotæ Romanæ* 306. Piagius *de conſuet. qu.* 10. *numer.* 1. & *ſeqq.* 20

Quot

21 Quot verò annorum curriculum ad hujusmodi consuetudinem majoris laudemii præstandi introducendam necessarium sit, Manent. *de contract. livel. pac. 9. numer.* 17. censet requiri continuam annorum quadraginta observationem, ex Alex. *cons. 5. numer. 13. lib. 5.* eo quod hæ præstationes præsumuntur extorsiones, non spontaneæ solutiones; ideòque in futurum non obligant. Vi enim, metuve extorta servitia obligationem efficacem non pariunt, Covar. *in cap. possessor. §. 4. num. 1. de reg. jur. in 6.*

22 V. Quantitas autem laudemii, sive quinquagesima sit, sive sexta, aut major, debetur proportione prætii, quo res distrahitur, non autem valoris, Sola *de jure emphyt. ad d. decreta num. 1.* & Cravet. *cons. 398.* Hugo Celsus *cons. 60. numer. 27.* Rondella *de jur. protomis. v. per emphyteusim numer. 32.* ac Vivius *dec. 396. numer. 8.*

23 Idque locum sibi vindicat, quamvis pretium conventum justo rei valore longè minus, vel majus sit, Cravett. *d. cons. 398.* Sola *d. num. 1.* Ut enim & si minus sit pretium, tunc incommodum esse volunt domini; ita si majus, ejusdem commodo debet cedere, *leg. secundùm naturam de reg. jur.* ut hac ratione commodum cum incommodo compensari possit, ut ait *l. 1. §. ult. ff. de aqua pluv. arcend.*

24 Unde his casibus, quibus ex hæreditate, vel fideicommisso laudemium dandum est, earum rerum ratio dumtaxat habenda erit, & æstimatio facienda, quæ ære alieno detracto superesse reperientur, Sola *loc. cit. numer. 22.* Celsus *consil. 60. numer. 27.* Nam ex *l. ult. Cod. de jur. emphyt.* habetur ratio æstimationis, vel valoris. Tantum autem valere dicitur hæreditas, & æstimari, quantum supereat, ære alieno detracto, *leg. tantùm 88. ff. de verb. signif. l. subsignatum 34. §. bona, ff. eod. l. 2. ff. de collat. bonor. l. 1. ff. de jur. fisci, l. ult. §. 4. Cod. de bon. quæ liber. §. ult. institut. ad l. Falcid.*

25 Hinc cùm onera, & pensiones, rei pretia diminuant, Manent. *de controv. livel. dict. pact. 9. numer. 1.* Cagnol. *l. 2. Cod. de pact. inter. empt. numer. 236.* ad diminuendum rei pretium, ut minor laudemii quantitas ab emptore detur, computabitur duplum ejus, quod pro pensione, canoneque solvitur, quæ detractio fit duplicatione unius in singulis viginti, ut declarat Rondel. *de jur. protomis. d. verb. per emphyteusim numer. 32.* Exempli causa, fundus valet centum aureis, solvitur annuatim aureus pro canone. Dum vendetur fundus, detrahetur decima, vel octava pars pro laudemio, & ita supersunt nonnaginta. Jam aureus annus, qui pro pensione solvitur, duplicabitur ad rationem unius pro singulis viginti, quod cùm onus sit perpetuum, & ab emptore dandum, verum pretium emptori solvendum erit septuaginta aureorum.

26 An verò in æstimatione rei, pro laudemio dando facienda, ratio haberi debeat ædificiorum, quæ in fundo postmodum constructa reperiuntur, negant Vivius *dec. 496. num. 8.* Boer. *dec. 16. num. 3.* Fructuum itaque habebitur ratio, ut nos inferiùs.

27 VI. Cùm autem pactum de retrovendendo pars prætii esse dicatur, si incontinenti venditionis contractui adjiciatur, *l. fundi partem 79. ff. de contrahen. empt. l. si venditor 6. §. 1. ff. de servit. expor. l. ult. Cod. de pact. inter empt. & vendit.* Et quando liberum, atque perpetuum pars tertia pretii existimetur, Tiraquell. *de retract. convent. in præf. num. 20. & 25.* Ludovic. *dec. 97.* Non abs re quæritur, an etiam pro portione illius æstimationis laudemium detur. Et quidem *d. l. ult. C. de jur. emphyt.* indistinctè quinquagesimam pretii, vel valoris dari jubet. Rectè tamen subducendum hujus pacti pretium cum Cagnolo, & a Ponte omnes concludunt, Valasc. *dec. 70. num. 14.* Pantaleon. *d. l. 2. C. de pact. inter empt. num. 265.* Onus enim tale pactum est, & facit rem minoris pretii, ideòque verum pretium diminuit, itaut res, quæ esset digna noningentis aureis, non æstimetur, nisi sexcentis, si hujusmodi pactum contractui insit. Dicitur ergo pars pretii tertia, non quod faciat rem tanti pluris valere, sed quoniam tertium pretii tunc detrahatur, neque justa rei æstimatio esse dicatur, justumvè pretium, nisi subducto quanti minoris ob tale pactum res sit, ut ait Ludovic. *d. dec. 97.* Tiraquell. *cit. l. fundi partem*; sed ex his, quæ de pretio rei subducuntur, remque minoris valoris reddunt, non datur laudemium, ut per Doctores, *in d. l. ult. Cod. de jur. emphyt.* & diximus suprà.

28 Quare non deberi laudemium, nisi de pretio, quod eo tertio subducto supereat, probatur ex iis, quæ tradit a Ponte, *de laudem. qu. 6.* Quia non de toto eo pretio, quo res digna, laudemium debeatur, sed de eo tantùm quo apud emptorem æstimatur, & quod ab eodem persolvitur, aut pro quo accipitur, sive pluris, sive minoris res valeat, ut jam diximus ex Sola, *de jur. emphyt. numer. 2.* & probat *d. l. ult. §. pen. Cod. de jur. emphyt.* ibique Doctores, Jason, Corasius, Cujacius, aliique.

Sumptuum quoque, qui extra rei pretium impenduntur pro salario tabellionis, proxenetæ, vel pro vectigali insinuationis, similibusve de causis, nullam habendam rationem in laudemiis, docet Vivius, *dec. 406. n. 8.* quamvis fateatur hæc regulariter rei pretium augere, vel diminuere. 29

VII. Ratio verò cur ex fructibus a solo separatis, cæterisque mobilibus laudemia non dentur, ea est, quia emphyteusis constituitur tantùm in iis, quæ sunt soli, & immobilibus, Angel. Faber, Minsinger. *in §. adeò, Instit. de locat.* Jason, Cujac. *in l. 1. Cod. de jur. emphyt. & in l. 2. & 3.* perpetuò immobilium fit mentio, quæ dantur ad meliorandum. Undè quæstiones, an ob sterilitatem, ob chasma, & hujusmodi canon diminuatur, Gail. *observ. 23. lib. 2.* Gothofred. *l. 1. lit. A* facitque, *l. 1. & ult. ff. si ager vectig. vel emphyteutic. auth. de alien. & emphyt. ac novella Leonis de perpet. emphyteutib.* Laudemium autem de alienatione emphyteuseos tantùm debetur, *& d. l. ult. Cod. de jur. emphyt.* Ergo non debebitur neque de fructibus a solo separatis, neque de cæteris aut mobilibus, aut semoventibus, servitutibus, pecudibus, annuis redditibus brevi duraturis, *l. etsi chrus ff. de leg. 3.* vestibus, & aliis, *l. penult. Cod. de jur. dot. l. unic. §. Cum autem Cod. de rei Uxor.* de quibus, *l. 1. ff. de ædil. edict. l. 93. de verb. significat.* ubi Alciat. ex *l. 2. §. certè, de furtis*, Connan. *lib. 3. com. jur. civil. capit. 2. numer. 11.* 30

VIII. Cùm autem ædificia cedant solo, cui superposita sunt, eorumque proprietas, & civili, & naturali ratione ejus sit, cujus est solum, ut ait Alciat. *ex §. Cùm in suo solo, Instit. de rer. divis. l. Adeò 7. §. ea ff. de acquir. rer. dom.* tametsi Vivius, *decis. 496.* ut superiùs dixi, aliter tradiderit, parsque fundi censeantur, *l. 81. §. Qui fundum, de leg. 1.* & meliorationes; ideò emphyteuseos naturam inducere videantur, si fundus, & solùm talia sint, & de his etiam laudemium præstandum. 31

Pro iis verò, quæ alluvionis beneficio accesserunt subdubiam reddunt Amedæi a Ponte sententiam, quæ scribit Menoch. *cons. 26. numer. 1.* ubi validissimis rationibus Amedæi sententiam convellit, contra quam etiam judicavit Senatus Pedemontanus apud Thesaurum *dec. 140.* & quamvis posteà in causa revisionis, Amedæi sententiam amplexus sit, attamen valdè urgent rationes Menochii, & Osaschi *cons. 48.* & Fachin. *lib. 2. controv. jur. cap. 6.* qui contrariis satisfacit, & alluvionis incrementum ad primum emptorem liberè pertinere docet, ex *l. 1. Cod. de peric. & comm. rei vend. l. id, quod ff. eod. l. si id, quod §. ult. ff. de rescind. vend. l. penult. Cod. de solut.* Quæ sententia si vera est, uti incrementum alluvionis in retrovenditione non veniet, ita neque pro eo jura emphyteutica dominus superior expostulare poterit, vel Canones, vel laudemia, vel quidpiam aliud, quoniam emphyteutica non evadant, quæ alluvionis beneficio prædio emphyteutico accedunt de alluvione, ejusque juribus, ut fusè Peregr. *de jur. fisci lib. 8. numer. 67. usque ad numer. 82.* 32

IX. Ad emptorem autem rei emphytetuticæ pertinet onus laudemii persolvendi, Fachin. *loc. cit. lib. 11. cap.* 58. a quo propterea petendum est, ac præstandum, Menoch. *consil. 414. numer. 17.* Vivius *dec. 496. numer. 4.* Sicuti in plerisque locis, in quibus gabella pro instrumento solvenda est ab emptore, præstatur; quia commodum contractus principaliter ad emptorem pertinet, qui dominium acquirit, *d. l. secundùm naturam, de reg. jur.* Majoris enim momenti res soli, quàm pecunia juvat, *leg. debet., ff. de ædil. edict.* Quamvis Bartol. ac Cæpolla *in d. l. debet*, æqualiter ab utroque persolvi scripserint. Primò, quia sint correlativa emptor, & venditor, quorum eadem dispositio, *l. ult. Cod. de ind. vid. toll.* Secundò, quia contractus fiunt gratia utriusque, *l. actionum, ff. de act. & oblig.* Tertiò, quia *d. l. debet*, interpretandam censeant, quando vel ita conventum, vel ita jure municipali statutum, vel de parte laudemii, & gabellæ, non de toto, lege Ripam, Cagnolum *in rubric. ff. si cert. petat.* 33

Extenditur id, ut etiam in feudis solvendi laude- 34

mii onus ad eum pertineat, qui investituram exposulat, Mart. *vot. 33. numer. 10. & seqq.* Nam onus hujusmodi reale est, & a rei successore, sive universali, sive singulari, subeundum. Atque ita decidit Rota Romana *decis. 464. par. 1.* Nec refert Freciam, & alios existimasse, dari pro laudemio personalem actionem. Erit enim personalis in rem scriptam, quæ datur quidem contra personam, sed ratione rei, ut per Alciat. & Bologn. *in d. rubr. ff. si cert. pet.* revera tamen Frecc. *lib. 2. auth. 3. numer. 4. de feud.* quem videtur sequi Surd. *dec. 200. numer. 2.* qui sanè censet, dari merè personalem, non in rem scriptam, ideòque non competere contra successorem, ejusque præstatione rem non esse affectam. Fatetur tamen Surdus *numer. 4.* pertinere hoc onus ad emptorem.

35 Hinc quoties agnatus jure gentilitio consanguinitatis, vel vicinus alio jure congrui rem extraneo venditam extorquet, & retrahit, ubi primùm rem consequutus est, ad laudemium tenebitur, pro quo primus emptor erat obnoxius, Rondella *de jure protomiseos, v. per emphyteusim numer. 34.* Maurit. *par. 1. inspect. 3. numer. 4. & 6. de laudem.* Si a priore non sit solutum, nam si solutum a primo emptore, eidem a retrahente restituendum est, Rondella *cit. numer. 34.* Sola *num. 2.* ubi quando ipsemet venditor retrahit, *ad decreta Sabaudiæ pag. 205. ad decretum ex frequentibus §. 4. par. 1.* Immò addit Rondella, quamvis primus emptor laudemia non solvisset, eo quod eidem donatum, aut remissum a domino directo, adhuc tamen posse id consequi a retrotrahente jure *protomiseos*, & ita decisum tradit Laurent. *dec. 26. numer. 3.* ac Rondel. *d. num. 34.*

36 Hinc quoque, si prior emptor non dederit domino laudemium, datur actio adversus omnes posteriores emptores, quasi onus hoc rem sequatur, ad quemcumque transeat, Marta *d. vot. 33. num. 13.*

37 X. Appellatione autem novi emphyteutæ, vel vassalli, venit is, qui sub priore investitura non comprehendebatur, Marta *in decis. Collegii Pisani, dict. voto 33. numer. 8.* qui dicta Amedæi comprobat, & toto eo voto ostendit, propter feudi in novam personam translationem dari laudemium. De novo feudo Rosental. *de feud. cap. 2. concl. 9.* novum de novo acquisitum, quod in primi acquirentis persona consistit, neque adhuc ulla successione ad alios pervenit, vel quod, quamvis per descendentes primi acquirentis propagatum, tamen respectu collateralium, qui ex primo acquirente non descendunt, appellabitur novum, quamvis respectu alterius lineæ esset antiquum, Duaren. *de feud. capit. 4.* & alii copiosè a Rosental. adducti, qui solus pro omnibus sufficere potest.

38 XI. Ex prima autem alicujus rei in feudum, vel emphyteusim institutione, & datione, laudemium non deberi, videntur omnes eo ipso fateri, cùm tantùm dubitent de emphyteusi, vel feudo, semel jam in esse producto ab emphyteuta, vel feudatario alienando, Rosental. *loc. cit. c. 6. concl. 66.* Mart. *dict. vot. 33.* dari ob mutationem feudi, vel emphyteutæ, Cujac. & Coras. ac Doctores *in l. 1. & ult. Cod. de jur. emphyt.* certè, cùm universum jus laudemiorum secundùm *legem ultimam, Cod. de emphyt.* moderetur, & ea de iis tantùm alienationibus, quæ ab emphyteuta fiunt, disputet, de his inquam, in quibus expostulandus domini consensus, in quibus habet locum jus prælationis, jus etiam retentionis, in quibus propterea post duos menses a die oblationis, dominus superior expectandus. Unde *ea l. ult. lecta*; nullum adeò pertinacem futurum arbitror, qui hac de re ampliùs digladiandum putet.

39 Immò pluribus in locis non solùm ob primam dationem, quæ plerumque gratuitò fit, verùm etiam si ad dominum feudi, & subfeudi utrumque aliqua ratione rediret, ac deinceps diversis personis, eodem tamen tempore ab eodem venderetur, nulla laudemia præstanda, quasi per acquisitionem ad priorem naturam reversa fuerint, priorique dationi hæc nova venditio assimiletur, Faber. *definit. 3. Cod. de jur. emphyteut.* Id etiam patet ex vulgato discrimine inter libellarium, contractumve colonarium, & emphyteusim, quod in illo pro introitu quædam summa pecuniæ pendatur juxta Galliæ consuetudinem, ut notat Gothofridus *d. l. 1. Cod. de jur. emphyt. sub initio lit. R.* ex Paponio, & aliis, secus autem in emphyteusi.

40 XII. Ob alienationem etiam in alterum ex iis, qui investituræ verbis ad emphyteusim vocantur, uti si agnati sint, fratres, socii, successores, laudemium non esse præstandum, docent Cravet. *consil. 251. numer. 4.* ex Bruno, ac Ripa, *& consil. 215. numer. 8.* ubi exinde infert, re emphyteutica data in dotem propriæ filiæ, non deberi laudemium. Quia alienatio in eam facta, quæ in investitura comprehendatur, ex Bald. *consil. 353.* & approbat Vivius *decis. 496. numer. 4. & 5. ac 6.* cujus rei ratio multiplex afferri potest. Nam *d. l. ult. Cod. de jur. emphyt.* nominatim laudemium a novo emphyteuta præstandum jubet. At, qui in investitura comprehenditur, haud quaquam novus emphyteuta est, Marta *dict. vot. 33. numer. 8.* Et quoniam omnia verba, & pacta, quæ emphyteuseos alienationem vetant, aut alienatione subsequuta quidpiam præstandum suadent, interpretantur Doctores de alienatione, quæ fit in extraneos, non verò in cognatos fratres, qui investituræ verbis continentur, & aliquando ad emphyteusim admitti possunt, in quos propterea invito, vel ignorante domino superiore, res transferri potest, Cæphal. *consil. 104. numer. 12. lib. 1.* licèt aliter scripserit *cons. 257. numer. 32.* Propriè enim alienari res non dicitur, quæ in eum, qui in investura continetur, transfertur, *capit. 1. §. etsi clientulus, de alienat. feudi*, Amedæus a Ponte *quæstion. 12.*

Idem juris est in alienatione feudi. Quoties enim 41
in eum alienatur, quem investituræ verba ad ipsum feudum vocant, nullum debetur relevium, vel laudemium, ut scripsit Roland. *consil. 41. numer. 19. lib. 2.* ex Afflicto, & aliis, Marta, & Vivius locis superiùs adductis. Tum prædictis rationibus, quod videlicet hæc alienatio vera non sit, & quod inscio domino fieri possit. Immò licèt quis promiserit non alienare, in hujusmodi tamen personam alienare potest, ex Jo: Ray. Oldrad. Paris. & Doctoribus *in cap. 1. de alien. feud. pater.* quin etiam refutatio potius, vel renunciatio censeatur, quàm alienatio, dum fit in vocatum, multò magis si in successores. At ex renunciatione successori facta, quamvis complures contenderint, laudemium deberi, quorum argumenta recenset Afflict. *cap. 1. §. sed & res, per quos fiat investitura numer. 22.* vera tamen sententia est, non præstari, Rosental. *cap. 6. concluf. 66. num. 8.* ex Alexandro, Bruno, & Freccia.

Excipiunt quando id fieret in fraudem domini dire- 42
cti, ut si omnia bona renunciarentur, *arg. l. quæ in fraudem, l. omnes §. Lucius ff. quæ in fraudem credit.* Excipe quando consuetudine, vel pacto stabilitum, ut ex quacumque alienatione præstaretur laudemium, vel quomodocumque re in alium translata. Ea enim verba omne translationis genus, sive inter vivos, sive per ultimam voluntatem, complectuntur, Afflict. *cit. numer. 25. per l. 1. Cod. de oper. libert.* Rosental. *cap. & concluf. prædictis.* Hinc oritur elegantissima ratio, cur ob donationem filio factam, laudemium non debeatur, qua de re deinceps.

Hinc etiam in altera quæstione de laudemio, vel 43
relevio præstando, quando, in locum Prælati demortui, qui feudum, vel emphyteusim habebat, novus Prælatus substituitur, non aliena a ratione negantium opinio est, quorum antesignanus extitit Isernia *in Constit. Regni incip. Post mortem, & capit. 1. de capit. Conradi numer. 15.* ibique Afflict. *§. Similiter, numer. 17.* eamque pluribus probat Marta, *d. cas. 17. numer. 9. usque ad numer. 21. p. 4. de jurisdictione*, qua de re nos semel, ac iterùm alibi fusè. Neque ob frequentes unius, alteriusve Prælati in eo casu laudemiales præstationes Principi sæculari factas, præscriptum censeri jus laudemium ab aliis non consentientibus, deincepsque in Ecclesia succedentibus consequendi, Afflicti distinctione explosa, uti etiam censuit Menoch. *cons. 409. numer. 84.* Cùm enim omnes in investitura comprehendantur, absque laudemio rem possunt obtinere, neque antecessorum solutiones successoribus nocere poterunt, nisi omnia ad præscribendam laudemii exigendi facultatem requisita interveniissent.

XIII. Asseverandum verò est, quod quamvis do- 44
mino irrequisito emphyteusim alienare liceat, adhuc tamen debetur laudemium, si post alienationem, vel admissionem, vel investituram a Domino expostulare, aut consequi oporteat, ex Cujacio, *in d. l. ult. de jur. emphyt.* Marta, *vot. sæpe cit. 33. numer. 6. & 7.* Vivio, *d. decis. 496.* ex Baldo, Jasone, & Corado, idque validissimo argumento. Nam *in d. l. ult. de jur. emphyt.* non solùm constituitur, ut domini expectetur consensus per bimestre, antequam emphyteumata in

alium

alium transferentur a die requiſitionis, & interpellationis, ſed etiam ut ſive cum conſenſu, ſive ſine conſenſu domini alienatio facta ſit, rurſus alienatione ſequuta interpelletur ad novum emphyteutam admittendum, & ut vulgò dicitur, inveſtiendum.

45 Laudemium non datur ob voluntatem, & conſenſum a domino alienationis tempore, vel antea præſtitum, ſed pro ſuſceptione, admiſſioneque in poſſeſſionem, & inveſtitura ſubſequenti, ut probat §. *neceſſitatem autem*, juncto §. *& ne avaritia*, ibi: *magnam molem pecuniarum propter hoc efflagitantes*. Qui verſiculus agit de laudemio, & de cauſa, & ratione, propter quam debeatur, ideoque adjicitur dictio *propter*, quæ dicitur cauſalis, ſive cauſæ notativa, §. *Sanè in proœmio decretal. l. 1. §. 1. ff. quod vi, aut clam l. 1. §. ex incendio ff. de incend. ruin. & naufrag.* Igitur cùm duret adhuc cauſa laudemii, licèt quis, irrequiſito domino, alienare poſſit, utpotè, cùm novum emphyteutam adhuc admittere, & approbare oporteat, non debet ceſſare effectus, & laudemii præſtatio. Durante enim ratione legis & ipſa lex durat, *leg. illud 32. ff. ad leg. Aquilejam*.

46 Quapropter licèt in inveſtitura ampliſſima alienandi facultas emphyteutæ, vel feudario data ſit, ob id non cenſetur condonatum onus laudemii, Corbul. *de cauſ. ex quibus emphyteuta ſuo jure privetur, tit. de cauſ. privationis ob alienationem, irrequiſito domino factam, ampliat. 1. num. 7.* Vivius, & Marta *locis præcitatis*.

47 Rurſus licèt pleriſque in locis invaluerit conſuetudo non requirendi, vel expectandi domini conſenſum, quando de alienatione emphyteuſeos agitur non ob id infertur, eximi eadem conſuetudine a laudemii ſolutione, uti obſervatur in regionibus Pedemontanis, teſte Sola, *de re emphyt. num. 6. ad decret. antiqua poſt*, Purpurat. & Amedeum, quemadmodum etiam in Sabaudia, ubi feuda ſunt ad inſtar patrimonialium, Anton. Faber, *C. de re emphyt. defin. 8.* Idem receptum in Gallia, Joan. Faber, *in auth. ingreſſi., C. de Sacroſ. Eccleſ.* Sola *d. num. 6.* Quod obtinere deberet ubicumque adducta eſt laudemii quantitas, & pluſquam pretii, vel æſtimationis quinquageſima præſtatur, ex Sola Tiraquello, & Freccia, *de auctor. & poteſt. Baron. lib. 2. §. pluribus quæſt. 27. num. 80. & 82.* ut oneratus in uno, in alio relevetur, *l. exempto 2. §. 2. ff. de act. empt.*

48 Hæc autem facultas alienandi domino irrequiſito ex ſententia Solæ privat dominum prælationis jure, licèt aliter Senatus Pedemontanus judicaverit, & operatur, nec eſſet diſpoſitio *l. quoties 15. C. de rei vindic.* in emphyteut. re abſque domini conſenſu diſtracta.

49 XIV. Non amiſit tamen dominus laudemii exigendi jus, quamvis in inveſtitura, vel feudi, vel emphyteuſeos, vel alibi ſcriptum reperiatur conceſſum emphyteutæ in quemcumque volet, nullo conſenſu domini adhibito, rem liberè transferre in quemcumque volet, Roſental. *de feud. cap. 9. concl. 6. num. 12.* poſt Iſerniam, Afflictum, Vveſembecium, Martam, *vota 33. num. 6.* Idque duplici de cauſa. Prima eſt, quoniam, licèt ampliſſima alienationis facultas data ſit, adhuc tamen neceſſarium eſſe domini conſenſum plures arbitrantur, Roland. *conſ. 2. num. 134. lib. 1.* qui aſſerit frequentiori Doctorum calculo id approbatum Mart. *vot. 32.* aſſeverans hanc eſſe communem, veriſſimamque ſententiam, ex Riminald. Junior. *conſ. 18. num. 87. lib. 1.* Unde Oſaſch. *deciſ. 163. num. 11.* ex aliis oſtendit, quod licèt feudum francum factum ſit, atque a ſervitiis liberum, ob id tamen non evaſiſſe abſque domini conſenſu alienabile; quoniam verba ſecundùm naturam actus intelliguntur, *l. Si ſtipulatus ff. de uſur.* Hanc tamen rationem non amplectitur Roſental. *d. cap. 12. n. 12.* Ait enim, data facultate alienandi, poſſe rem, etiam feudalem abſque domini conſenſu alienari.

50 Altera ratio eſt, quoniam non dependet laudemium ab eo conſenſu, ſed ab inveſtitura, vel approbatione, & in poſſeſſionem, vel dominium tranſlatione, ut ſæpè diximus. Ideòque ex diverſis non valet illatio, *vulg. l. Papinianus exul, ff. de minor. l. ult. C. de calumn.* Neque data facultate alienandi, colligi poteſt laudemialis præſtationis liberatio, quia remiſſio, & donatio ceſſat, niſi alia interpretatio adhiberi poſſit, quàm liberalitatis exercendæ, *l. cum in debito ff. de probat.* Menoch. *de arbitr. caſ. 88.*

51 Et de emphyteuſi, quod, conceſſa facultate alienandi, non cenſeatur jus laudemii exigendi remiſſum, tradit Surd. *deciſ. 200. num. 4. & 5.* Corbul. *de cauſ. privat. ob. alienat. impl. 1. num. 7.* Contrarium conſuluit Cæphal. *conſ. 199. num. 30.* Frigidis tamen rationibus ejus opinio ſubnixa eſt, ideoque non abs re a Surdo, *d. num. 5.* refutata. Juvant ſcripta Fabri, *loc. cit. defin. 49.* Theſauri, *dec. 169.* Papii, *dec. 48.*

Alienandi licenia conceſſa, ceſſat jus prelationis, 52
l. quoties ab omnibus 11. C. de fideicom. quemadmodum etiamſi cogente Magiſtratu venditio publicè contrahatur, niſi ubi contraria invaluit conſuetudo. Non tamen ob id volunt ceſſare jus laudemii expoſtulandi.

XV. Amedei autem diſtinctionem illam, quam aſ- 53
fert *quæſt. 15. de laudem.* utrum ſcilicet dominus emphyteutam approbaverit, alienationique conſenſum adhibuerit poſt factam alienationem, vel antè, priori caſu videri remiſſum, ac remiſſum laudemium, non autem poſteriori, convellere auſus non eſt Surd. *d. deciſ. 200. num. 6.* ubi *num. 7.* ſubjicit, dominum videri quidem in culpa, ſi translationi poſſeſſionis, & contractui aſſentiatur ante laudemii receptionem, ex Freccia, *lib. 2. de jud. aut. 3. num. 4.* Ideoque ſibi imputare, ſi quidpian damni exinde percipiat, *c. damnum de reg. jur. in 6.* Verùm tamen cur is, qui ex parte ſua contractum adimplevit, alienæ fidei confiſus, ob id implementum ex parte ſocii expoſtulare prohibebitur? Roland *conſil. 69. lib. 4.* Beccius *conſil. 45. num. 6. l. cum proponas, C. de pactis*.

XVI. Quomodo autem Canonis receptio caduci- 54
tatis condonationen arguat, & quàm varia de laudemiis ratio ſit, duodecim capitibus diſtinguendum eſt. Primum, dominus caducitatis non inſcius canonem futurum accpiens, caducitatis pœnam condonare præſumitur, liberaſſeque emphyteuticarium a pœna commiſſi, Cujac. *leg. 2. quæſt. 5. de jur. emphyteut.* Ruin *conſil. 110. lib. 2.* Bartol. *l. 2. num. 8. Cod. de jur. emphyt.* ibique Iaſon *num. 114.* Quandoquidem injuria diſſimulatione aboletur, *§. ult. inſtit. de injur.*

Secundum. Iden obtinet, ſi canonem expoſtula- 55
verit, Cujac. & Iaſ. *ibid. num 128.* quemadmodum pretium petendo receſſiſſe a lege ſua videtur, *l. Æmilius Largianus, ſ. de minor. l. poſt diem, ff. de leg. commiſſ.*

Tertium. Remiſa pœna non præſumitur, ſi em- 56
phyteuta conventus canonis ſolutionem abneget, *l. penult. ff. ne quis eun, qui in jus voc. eſt, vi eximat.*

Quartum. Quando canonem recipit, nihil prodeſt 57
proteſtari, ſalvum ſibi velle jus caducitatis, Jaſ. *cit. num. 124.* Corbul. *de jur. emphyt. cap. 15. declarat. 25. num. 2.* Nam proteſtatio contraria facto inutilis, *d. l. Æmilius Largianus, ff. de minor. leg. 1. §. 1. ff. ſi uſusfructus petatur.* Et qui facit Actum juri quæſito repugnantem, cenſetur id remittere, *l. poſt diem 7. ff. de l. commiſſ.* At hic dominus ipſe ſecum pugnat. Nam dum penſiones futuri temporis poſt caducitatem exigit, vult eum in enphyteuſi perſeverare.

Quintum. Excipe, ſi emphyteuta huic proteſta- 58
tioni aſſentiatur, *arg. l. ult. §. vim ſi prædixit, ff. nautæ, caupon. ſtabul.* non ſufficit tacere, Menoch. *lib. 3. præſumpt. 112. n. 12.*

Sextum. Dominus emphyteutæ laici canonem præ- 59
teritum recipiens, præſumitur laudemium, caducitatemque remiſiſſe, Carmient. *ſelect. interpr. c. 6. lib. 3.* Imol. *in cap. potuit de locat. num. 4.* Cùm enim uti poſſit duplici jure, vel expulſionis, vel receptionis canonis, dum altero utitur, altero privatur, *leg. reſcriptum 10. §. ſi pactum, ff. de pact. l. 3. §. Labeo ait, ff. de dol. mal. except. l. ult. §. ult. ff. de eo quod certo loco*, ſed Cujacius *d. l. 2 quæſt. 5. C. de jure emphyt.* contrarium ſentit cum Fuhoſio, motus *Novella 120.* Neque obſtare *l. poſt. diem, de l. commiſſ.* & ſimiles. Nam ibi, qui pretium exgit, ideò rem petere poſteà non poteſt, quia variaret, ac ſecum pugnaret. At qui exegit præteritas penſones, & poſteà laudemium, neque variat, neque ſecum pugnat.

Septimum. Hoc tamen ſexto caſu proteſtatio re- 60
ſervat jus laudemii, & caducitatis, argumento eorum, quæ tradit Menoch. *lib. 3. præſumpt. cap. 11. num. 18.* Quia proteſtatio reſervat jus, animumque patefacit, *leg. ſi debitor 10. §. 1. ff. de quibus mod. pignus, vel hypoth. ſolvit.*

Octavum. Emphyteuta Eccleſiæ, quamvis elapſi 61
temporis canonem ecipiet, ob id tamen non præſumitur renunciaſſe caducitati, *auth. qui rem, C. de Sacroſanct. Eccl. & novell. 120.* Jaſ. *d. l. 2. num. 127.* ibique Cujacius.

Nonum. Ignorans caducitatem, licèt canonem re- 62
cipiat, non præſumitur jura ignota caducitatis remittere, Corbul. *de jur emphyt. cap. 15. declar. 21. num.*

74. Quia nemo præsumitur renunciare juri, quod ignorat sibi spectare, *l. mater.* 206. *ff. de inoff. l. cum de indebito* 25. *ff. deprobat.*

63 Decimum. Procurator canonem recipiens, caducitatem remittere minimè præsumitur. Ut enim jus quæsitum remittatur a procuratore, speciali mandato opus est, *l. contra juris, §. filii, ff. de pact.* Ruin. *cons.* 110. *num.* 10. *lib.* 3. Dec. *cons.* 319. *num.* 3.

64 Undecimum. Nusquam receptio canonis laudemii remissionem arguit, Surd. *decis.* 200. *num.* 5. qui fatetur malè Amedæum hic *quæst.* 16. fuisse subdubium. Primò, quia donatio tunc temporis censetur facta quoties alia actus interpretatio, operantisve intentio haud commodè assignari potest, nisi liberalitatis exercendæ. Nam si alia conjectura adsit, ea perpetuò recipienda est, *l. eleganter, §. qui reprobat, ff. de pignor. action. l. si cum ff. de solut.* Potiusque error, & fatuitas, quàm donatio præsumenda, *l. Etsi me putem, juncta l.* 1. *ff. de condit. in deb.* Menoch. *de arbitr. cas.* 88. *sub init.*

65 Secundò, quia quoties duo conjunctim sunt in obligatione, uti altera obligatio ex alterius omissione non proficiscitur, tunc etiam neque unius protestatio alterius remissionem inducit a contrario casu, arg. *l.* 3. *§. labeo, ff. de dol. mal. except. l.* 2. *ff. si quis caut. l. rescriptum* 10. *§. si pactum, ff. de pact.* juxta vulgatum axioma, quemadmodum se habet oppositum in opposito, ita propositum in proposito, *l. ult. §. ult. ff. de leg.* 3.

66 Tertiò, quoniam in petitione, præstationeque laudemii & canonis nullum adest obstaculum, quod utriusque actionis concursum removere possit, neque iniquum est, & laudemium petere, & canonem consequi, cùm neque ex eisdem fontibus exoriantur, neque inter se pugnent, neque tandem adsit ullum ex iis, quæ actionum concursum impedire recensentur a Bartolo, Alciato, Cagnolo, & aliis *in l. d. C. de Edend.* Actionum scilicet origo, exercitium, sententiæ præjudicium, exequutio, ut in *l.* 1. *Cod. de furt. l. si mihi & tibi de leg.* 1. *l. Cum quæritur ff. de except. rei jud. l. de eadem re l. plures de act. & obblig. l. fundum de except. l.* 1. *ff. si fam. furtum fecisse dicatur.* Itaque multò magis diversis separatisque judiciis proponi poterunt, neque alterius actionis institutio alteram perimere poterit.

67 Quartò. Nam separata toto Cœlo sunt caducitas, & laudemium, diversa penitus utriusque ratio. Unde mirum contrariæ sententiæ authores ideò ex canonis receptione præsumere laudemium remitti, quoniam ea pariat caducitatis præsumptum indulgentiam, repugnante vulgato axiomate ex diversis, diversam, separatamque rationem habentibus non valere argumentum, *d. l. Papinianus exul ff. de minor* cum vulgo aliis.

68 Duodecimum caput est. Quoniam Amedæus a Ponte, & alii plerique undecimæ assertioni refragari videntur, ideo subjungo postremam nullo discrepante receptam. Quoties canon recipitur, vel ab ignaro laudemialis obligationis præcedentis, vel ab eo, qui apertè protestatur, se nullo pacto laudemium condonaturum, vel ob emphyteusim Ecclesiasticam, vel a procuratore speciale mandatum renunciandi laudemii non habente, tunc absque dubio laudemiali præstationi ob canonis expostulationem, & receptionem subsequentes dominum renunciasse non præsumitur. Hujus veritas patet ex superioribus capitibus, & ex traditis a Corbulo, *capit.* 15. *declar.* 21. *p.* 14. *de jur. emphyt.* Menoch. *lib.* 3. *præsumpt.* 112. *numer.* 22. Jas. *d. l.* 2. *num.* 127. *ac seq.* Et quoniam jus ignotum non præsumitur remissum, *l. Si quando §. ult. C. de inoff.* præstatio conservat jus protestanti competens; *l. & si quis §. plerique ff. de relig. & sumpt. funer.* De emphyteuta Ecclesiæ in *novel. de alien. & emphyt. §. si vero aut locator.* De procuratore, quoniam desiderat speciale mandatum juris quæsiti renunciatio, *d. l. contra juris §. filius de pact.* Berous *cons.* 16. *numer.* 10. *lib.* 1.

69 XVII. Quod verò ad amissionem laudemii ob negligentiam, vel dissensum domini in novo emphyteuta admittendo, & investiendo, id quatuor assertionibus expediri potest.

70 Assertio prima. Revera, *l. ult. C. de jur. emphyt.* præfigit duorum mentium spatium domino directo ad consensum alienationi præstandum, idque traditur verbis expressis, *§. ult. ejusdem legis.* Verùm hos duos menses, intra quos novum emphyteutam debet admittere, distinctos esse ab aliis duobus, quibus eidem domino denunciatur, an velit rem emere, necne, ut ostendit eadem *l. ult. §. Sin autem duorum mensium conjunctio, §. ult.* & ibi Cujacius.

Secunda assertio. Nisi intra duos posteriores menses dominus requisitus, & testatu conventus novum emphyteutam admiserit, his elapsis non esse necessariam susceptionem, neque dari quinquagesimam pretii, seu laudemium, sed valere alienationem, perinde ac si fuisset novus emphyteuta a domino receptus *d. §. ult.* ubi etiam Cujacius. Nam qui finit tempus labi, dicitur renunciare concessionibus, ac privilegiis tempus impartitis, Bald. *in l.* 1. *C. de in integr. restit.* atque jus concessum intra tempus, postèa dicitur denegatum, *l. si unus* 27. *§.* 1. *ff. de pact.* Limitationis temporis ea vis est, ut postèa inducat contrariam dispositionem, *l. fratres, ff. de pœn.* Unde colligimus, vel dominum renunciasse, vel exclusum duobus mensibus elapsis post factam alienationem. 71

Tertia assertio. Incontinenti dominum posse emendare moram, consensu adhibito, novumque emptorem admittere, dummodò privationes laudemii judiciaria declaratio nondum sequuta sit. Primum, quoniam exploratum est, etiam in pœnalibus, regulariter concessam esse moræ purgationem incontinenti, *l. si servum, §. sequitur, l. si insulam, §. continuus, & §. item qui insulam, l. si ita quis, §. Seja cavit. ff. de verbor. oblig.* Secundò, quoniam ipsemet emphyteuta, de quo expressim sancitum est, ut jure emphyteutico cadat, si aliter versatus fuerit, quàm Justinianea Constitutio præscribat, *d. l. ult. §. ult. Cod. de jur. emphyt.* potest celeriter, & incontinenti, neglecta erga dominum officia peragere, & moram emendare, per textum *in cap. potuit de loc.* ubi id expressè decidditur, traditque Sarmient. *lib.* 3. *select. interpr. cap.* 5. Bald. *in l. si pacto, C. de pact.* Angel. *in l. & si post tres, ff. si quis cautionibus* Menoch. *de arbitr. cap.* 7. Idem jus domino officio suo fungi negligente, & consensum procrastinante concedendum, ut relativorum eadem sit dispositio, *lib. ult. Cod. de indict. vid. tollen. l.* 2. *C. de cupressis,* ut servetur in contractibus æqualitas, & ne rigidiores erga dominum, quàm erga emphyteutam videamur, maximè cùm magis domino officiat mora emphyteutæ in canone præstando, quàm offendat emphyteutam mora domini in consensu interponendo. 72

XVIII. Non deberi autem laudemium ex feudo franco, tradit a Ponte cum multis *quæst.* 18. nisi vel pacto in investitura ita conventum, vel universali regionis consuetudine id receptum, quod etiam fatetur Rosental. *capit.* 6. *concl.* 66. Frec. *lib.* 2. *de subfeud.* Baron. *adnot.* 3. *numer.* 2. Capyc. Marin. Sylvan. ac Mart. *vot.* 32. feudum francum hac in re a cæteris differre, a veraque feudi natura degenerare, ut sit immune ab omnibus ferè servitiis, Rosental. *cap.* 2. *concl.* 59. *numer.* 1. & 2. *cap.* 8. *concluf.* 8. *numer.* 1. Surd. *de alim. tit.* 1. *quest.* 55. *numer.* 25. Decian. *cons.* 19. *numer.* 190. *lib.* 3. Verumtamen, quamvis a servitiis militaribus liberum, vassallum tamen debere, & consilio, & taciturnitate domino opitulari, Rosental. *d. concl.* 59. *numer.* 3. & 4. alioquin repugnantia contineret, si esset feudum, & non esset fidelitati obnoxium. 73

Cæterum in amittendo non dicitur ita francum, quin iisdem, quibus alia, delictis, culpisque deperdatur, excepta causa servitiorum non præstitorum, Rosental. *ibidem numer.* 3. *in allegat.* Alexan. *cons.* 19. *ac* 20. *libr.* 1. Bald. *in prælud. feud. numer.* 59. Non esse immune a juramento fidelitatis, *cap.* 6. *concl.* 39. *num.* 3. Rosental. *dict. cap.* 2. *concl.* 69. *lit. A.* Tiraquell. *in l. si unquam, Cod. de revoc. donat. numer.* 339. In repentinis debet succurrere domino, Rosental. *cap.* 8. *concluf.* 21. *num.* 6. hosti us irruentibus, Turca, Tyranno, de quo idem agit, *cap.* 5. *concl.* 79. *num.* 8. Tamdem inspicienda investitura est, quin ex pactis ibi adductis plus, minusve præstabitur, *cap.* 8. *conclus.* 8. *numer.* 1. 74

XIX. Laudemii verò solutione, ac præstatione neglecta, emphyteusim non incidere in commissum, pœnamve caducitatis, decisum est in Senatu Mantuano *decis.* 200. apud Surdum. Nam privationis pœnæ, non nisi in casibus a jure nominatim expressis infliguntur, *§. Cùm igitur, vers. non est lex Novel. de non elig. secundo nub. mulier.* Quinque aliis rationibus hanc verissimam sententiam Surdus stabilivit, quem adi. Idem existimavit Sola *de jure emphyt. ad decret. Sabaud. numer.* 32. nullumque extare tempus a jure præfixum, intra cujus curriculum laudemii solutionem non requisitus, ac minimè interpellatus, facere cogatur, ideòque nunquam in mora. Quia mora, aut pe- 75

inter-

interpellationem, aut per diei lapſum committitur, *l. magnam, Cod. de contrah. & committ. ſtipulat. leg. videamus, ff. de uſur.* Neque etiam præfixum eſſe tempus ad inveſtituram petendam in emphyteuſi, ſecus in feudis, ex Burſatt. *conſ.* 137. *num.* 48.

76 Sed hæc extenditur prima ſententia, ut id ipſum in feudis recipiatur, Sola *loc. cit.* Et rationes Surdi id convincunt, licet de feudo non eſſet apud eum orta diſceptatio. Et quoniam mora, aut per dieci lapſum, aut per interpellationem dumtaxat regulariter contrahatur, *d. l. videamus*, *d. l. magnam*, ab his diſſentire videtur Molin. *de contract. diſput.* 459. *num.* 2. cujus ſententia reſtringenda, qnando alienatio fit domino inconſulto, alioquin erronea eſt, tamen in Pedemontio licet abſque domini conſenſu alienare, Sola *loc. cit. num.* 6. Apertè diſſentiunt, Vivius *dec.* 496. Laurent. *dec.* 143. quorum opinio rigidior, quàm ut amplecti mereatur.

77 Quod ſi interpellatus emphyteuta, vel feundatarius laudemii præſtationem recuſet, affirmant plerique incidere in commiſſum, apud Vivium *ibid. numer.* 13. ex Roman. *conſ.* 12. *num.* 6. ubi Mandoſius, aliique negant: Alii diſtinguunt, an alienatio agnato, an extraneo facta. Cenſeo, ſi recuſet, conveniendum, & condemnabitur non ſolùm ad laudemium, ſed etiam ad intereſſe, hæc enim eſt pœna moroſi, quoties alia non eſt lege nominatim ſtatuta, *l. mora, ff. de uſur.* Doctores *in l. quod te, ff. ſi cert. petat.* Idemque convincunt ſupra Sola, & Surdus.

78 An verò ſuppoſito, quod alicubi receptum dari tantùm annum, & diem ad laudemium præſtandum, ut cenſet Vivius *dict. deciſ.* 496. *num.* 13. elapſo eo tempore licitum ſit emendare moram? Negat Rota Avenionenſis apud Laurent. *deciſ.* 143. *numer.* 6. Affirmat Vivius *eadem deciſ.* 496. *numer.* 14. cujus ſententia ſectanda. Quoniam regulariter eſt conceſſa moræ purgatio in cauſa caducitatis, antequam res declarata ſit caduca. Atque ita deciſum apud Rotam Romanam, teſte Cantuccio *deciſ.* 28. inter deciſiones diverſorum.

79 XX. An autem laudemium pertineat ad proprietarium, an verò ad uſufructuarium, frequentiùs in foro recepta ſententia eſt, ut ad uſufructuarium pertineant laudemia, quæ durante uſufructu obveniunt, Guttier. *de tutel. par.* 3. *cap.* 24. *numer.* 16. qui ita teſtatur communiter frequentari, ex Menochio *conſ.* 66. *numer.* 36. *lib.* 1. Petr. Barboſ. *in l. divortio, §. ſi vir numer.* 43. *ff. ſol. matr.* Faber. *C. de jur. emphyt. defin.* 46. quamvis fatentur commiſſum eſſe proprietarii, ſi dominium directum cum utili conſolidetur, ex Oldrad. *conſ.* 24. Guidopap. *quæſt.* 477. Ludovic. Molin. *de jur. primog. lib.* 1. *cap.* 22. *numer.* 12. & 13. qui & uſufructuario deberi, & majoratus poſſeſſori, luculenter diſſeruit, Sola *ad decreta de jur. emphyt. numer.* 33. qui hanc ob rem ait in legatum uſusfructus] venire laudemia, & relevia, quia ſunt obventiones, ac inter fructus.

80 Hanc tamen ſententiam aliqui ex recentioribus abſurdiſſimam appellant, ut Franciſcus *obſervat. lib.* 5. *cap.* 9. *in tract. feud.* & in emphyteuſi eam refellit Peralta apud Molin. *in l. Titia cum teſtamento, §. Titia cùm nuberet, ff. de legat.* 2. *num.* 9. tametſi fateatur deberi majoratus poſſeſſori. Movetur primò Franciſcus, quoniam obventionum aliæ ſunt reales, quæ propter rem ipſam, vel ex re ipſa debentur, quas æquum eſt poſſeſſori concedi, quia rei quoque onera ſuſtinent, *l. uſufructu* 7. *§.* 1. *l. uſufructu* 58. *ff. de uſufruct.* Aliæ verò perſonales, quæ propter jus perſonæ debentur, veluti fidelitatis præſtatio, *lib.* 2. *tit.* 5. & *tit.* 26. *feudorum*, ut reverentia, & timor ſeniori præſtetur, ſicuti patri, a liberto, *l. liberto* 9. *ff. de obſeq. patron. præſt. leg. generaliter, ff. de in jus vocand.* Sed laudemia non ob rem, ſed ob perſonam debentur, ut ſint teſtificationes, ac recognitiones quædam authoris beneficii, ſicuti cenſus, qui ex prædiorum provincialium venditione fiſco debentur, *l.* 7. *C. ſine cenſu, vel reliq.* Igitur domino directo debentur, itaut uſufructuarius omnes quidem fructus ex re, vel ob rem provenientes, percipiat, *l. Mævius* 66. *§. penult. de legat.* 2. *d. l. uſufructu* 7. *ff. de uſufruct.*

81 Verùm reſpuenda eſt hæc ſententia. Debentur enim laudemia ob rem ipſam, & ex re licèt nonniſi domini voluntate interveniente, a quo inveſtituram accipere oportet, arg. *l. ſi ſervus* 61. *§. locari*, juncta *l. falſus* 43. *§. ult. ff. de furt. l. ſi quis mihi* 25. *ff. de acquir. rer.* &c.

82 Secundò, movetur, quoniam vaſſallus fructuarium facere non poſſit, quaſi is fructuarius ſit, cui alium fructuarium facere non licet, *l. ſi uſusfructus* 66. *ff. de jur. dot.*

At hoc apertè falſum eſt. Conſtat enim & vaſſallum, & emphyteutam verum uſumfructum poſſe conſtituere, ſaltem durante eorum vitæ curriculo, Molin. *de jur. primogen. lib.* 1. *cap.* 19. *numer.* 23. & *cap.* 20. *num.* 6. 83

Tertiò, movetur, quoniam ſolius domini jus erit inveſtire, *l. ult. C. de jur. emphyt.* Igitur ad eum ſolum pertinebit laudemia recipere. 84

Reſpondeo, verum eſſe, quod jus inveſtiendi ad dominum ac proprietarium, non autem ad uſufructuarium ſpectat, quia uſufructuarius dominus non eſt, *l. penult. ff. de acquir. poſ.* & nemo poteſt aut dominium utile transferre, aut translatum approbare qui dominus non ſit, *l. ult. C. de jur. emphyt.* Verùm quid prohibet, quominus uni laudemia præſtentur, & ab alio inveſtituræ recipiantur? ut ait Faber, *loc. cit.* Nam laudemia ad conductorem pertinent, Ann. Rob. *lib.* 3. *cap.* 18. qui tamen laudare non poteſt. 85

XXI. Vendita autem emphyteuſi, utilive rei emphyteuticæ dominio, domino directo jure prælationis, aliave ratione acquiſito, nullum laudemium conſiderari poteſt, neque per fructuum conductores ipſum dominium expoſtulari, Coſta *de retrotractionibus cap.* 8. *caſ.* 11. *num.* 6. Maurit. Burg. *de laudem. p.* 1. *inſpect.* 4. *num.* 49. Otfred. Alberic. Jaſon. Acquiſito enim per conſolidationem integro, ac toto rei dominio, omnia jura emphyteutica extinguuntur, eo quod nemo poſſit eſſe dominus directus, & utilis ejuſdem rei, non magis quàm debitor, & creditor, *l. debitori* 5. *cum l. hæres* 24. *§. quod ſi ſtipulator, §. de fidejuſ.* Et quia facilis eſſe dicitur uniuſcujuſque rei reditus ad ſuam naturam, *can. quavis de conſecr. diſt.* 4. *l. ſi unus* 27. *§. pactus ne peteret ff. de pact.* At natura ſua omnes res ſunt, & laudemiorum præſtationibus, & aliis ſervitiis, atque oneribus immunes, argum. *l. altius C. de ſervit.* & *aqu.* omnia natura ſua libera. 86

XXII. In queſtione illa, an in caſu, quo emphyteuſis domino directo alienatur, & nullum præſtatur laudemium, contigerit jure congrui ab eodem amoveri, Rondella cenſuit ita jus laudemii per conſolidationem extinctum, ut id repetere non poſſit, & aſſerit poſſe conſequi, acſi revera id perſolviſſet, *num.* 34. *de jur. protomiſ. v. per emphyteuſim*, ejuſdemque ſententiæ authores citat, Titaquellum, & alios. 87

Quærit Sola, ſi pro ea emphyteuſi, quæ domino directo alienatur, is Principem recognoſcere teneatur, an laudemium Principi conſolidationis gratia dandum ſit? Mihi videtur ſubdubius, & anceps. In eam tamen ſententiam inclinat, ut non debeatur; quoniam tunc extinguitur potius quàm transferatur utile dominium, pro quo laudemium debetur, *l. ult. C. de jur. emphyt.* Diſſentiunt Faber, & Angel. At Solæ opinio cenſetur verior, quem vide *numer.* 26. *de jur. emphyt. ad antiq. decre. Sabaud.* Excipe, niſi adſit conſuetudo in contrarium, quam ſervari & in laudemiis, & in cæteris, niſi apertè irrationalis ſit, juri conſonum eſt, *l. Circa locationem* 19. *C. locati, l. Venditor* 13. *§. Si conſtat ff. commun. præd. cap. ult. de conſuet. l. de quibus, de legib. l. ultim. C. quæ ſit longa conſ.* Biag. *de conſuet.* 88

Juvatque id, quod tradunt, acquiſito feudo per Principem, jus ſubfeudi extingui, Faber, *defin.* 1. *C. de jur. emphyt.* Vide Petr. Gregor. Tholoſ. *Syntagm. jur. p.* 3. *lib.* 45. *cap.* 16. *num.* 5. *ac* 6. Similiter, acquiſita emphyteuſi per primum emphyteutam a ſecundo emphyteuſeos jus extinguitur, ac propterea nullum laudemium præſtabitur. 89

XXIII. Si autem fundus emphyteuticus in alterum ex pluribus dominis directis abalienetur, nihil prohibet, quin ſolutio laudemii pro rata aliis debeatur. Primò, quia laudemia ſunt onera realia emphyteuſeos, vel feudi, quæ rem ſequuntur quocumque eat, Chaſſan. *in conſuet. Burg. rubr.* 11. *gloſ.* 1. *num.* 9. Res progrediuntur cum ſuo onere, *l. alienatio* 67. *ff. de contrah. empt.* 90

Deinde quoniam laudemia ſunt inter fructus, cùm omnis utilitas occaſione rei proveniens, fructuum nomine veniat, Cujac. *in paratit. ff. de uſur.* & *fructib.* Alex. *in l. divortio ff. ſol. matr. l. cum autem* 23. *§. ult. de ædilit. edict.* Et æquum non ſit ſocium a ſocio debita fructuum portione privari, *l. non debet actori de reg. jur.* 91

Poſtremò, quia neque inconveniens dominium utile, vel jura emphyteutica pro parte propria extingui, & confundi, atque conſolidari, pro parte verò Sociorum confuſa, & integra remanere, ut in 92

ſimili *in l. frater a fratre ff. de condit. indeb. l. filium, quem C. famil. eſciſc.*

93 At quid è converſo, ſi res emphyteutica inter plures ſocios, fratreſve dividatur? Dicendum diviſionem quoque penſionis fieri. Verùm ex ſingularum portionum alienationibus laudemia dominum directum conſequuturum, Fab. *defin.* 29. *ac defin.* 10. *de jur. emphyt.*

94 Duo tamen adnotanda ſunt. Primum, diviſionem factam debere apparere pro diviſo certis portionibus, & ſeparatim unicuique adſcriptis; alioquin quamdiù diviſio facta non eſt, jus canonis eſſe individuum, *l. communi 7. ff. comm. divid arg. l. tale pactum §. poſt. diviſionem ff. de pact.* Secundum, inveſtituram, & ſumptus in diviſo canone diſtribuendo poſſeſſorum fieri expenſis, neque dominum ad aliud teneri, quàm inſtrumenta oſtendere, ne tantoperè lædatur jus domini directi, *d. l. communi ff. comm. divid.* Et niſi omnes ſolvant, poſſe emphyteuſim avocare. Nam ea actu individua natura ſua eſt, *l. rem hæreditariam 65. ff. de evict.* Faber *loc. alleg.* Polidor. Ripa, & Caballin. ab Bartol. *de divid. & individ.*

95 XXIV. Ubi autem adeſt feudum, & ſubfeudum, domino immediato fundi, non ſuperiori laudemia debentur, Roſental. *de feud. cap. 6. concl. 66. numer.* 10. Menoch. *conſ.* 226. *num.* 16. Quoniam ad eum omnia fundi emolumenta pertinent, Roſental. *cap.* 8. *q.* 10. *num.* 2. *d. cap. 6. & qu. 63. num.* 1. Laudemia autem ſunt inter fructus, & emolumenta, arg. *l. mercedes* 29. *ff. de petit. hæred.* & nos ſuprà.

96 Quod ſi fiſcus privato in ſubfeudo, vel emphyteuſi ſuccedat aliqua ratione, & ea bona alienet? Dicunt præſtanda laudemia, aliaſque obventiones, quæ a privato diſtrahente, remquè poſſidente, in cujus lucro ſucceſſit, perſolverentur, Peregr. *de jur. fiſci lib. 6. tit.* 4. *numer.* 48. qui aſſeverat in Cameris Reipublicæ Venetæ id obſervari, quoniam fiſcus ſuccedens privato utitur jure privati, *l. fiſcus 6. ff. de jur. fiſcus l. Cum quæritur* 17. *§. fiſcus ff. de uſur. l. via* 23. *§. Si fundus ff. de ſervit. ruſt. præd.* Proinde ſicuti privato, cujus bona ad fiſcum devolvuntur, alienante, daretur laudemium, idem in fiſco ſtatuendum eſt. Quia etiam fiſcus utitur jure communi, niſi in caſibus, in quibus reperitur nominatim privilegiatus, *l. non puto ff. de jur. fiſci*, quam Gribaldus Cherienſis eleganti commentario illuſtravit.

97 XXV. Ceſſare autem laudemiorum onus in diviſione, inter fratres, cohæredes, vel inter Socios inita, repudiatis diſtinctionibus a Ponte, *q.* 25. adductis ſolemniter conjunctis claſſibus edictum in Curia Pariſienſi teſtatur L. Charondas, *reſponſ. lib.* 7. *cap.* 207. in Curia Tholoſana Maynard. *deciſ.* 43. *numer.* 1. *lib.* 4. Molin. *de contract. diſp.* 460. & Gama *dec.* 292.

98 Itaque Sola, *de jure emphyt. ad decret. num.* 24. aſſerit diſtinctiones a Ponte, utrum emphyteuſis, vel feudum ſit antiquum, paternum, vel novum, in patria Pedemontana obſervari, & pro ea adduci poſſe Angel. *in l. in fuga, Cod. ad leg. Flav. de plagiar.*, ingenuè tamen fatetur juri communi haud quaquam congruere.

99 Quid ſi uni ex cohæredibus, vel ſociis res tota adjudicetur, quæ haud commodam recipit diviſionem? Non deberi laudemium omnes conſentiunt, Sola, Molina, Maynard. Charond. qui ita deciſum referunt in Curia Pariſienſi, & Tholoſana. Addunt Gabr. *conſ.* 84. Idque ſervari, etiamſi Judex uni ex cohæredibus, vel Sociis, non tamquam cohæredi, ſed tamquam plus offerenti adjudicet. Solet enim Judex diviſorius rem, quæ incommodam recipit diviſionem, licitationibus inter Socios, vel cohæredes exponere, & plus offerenti aſſignare, ut unus rem, alter pretii partem conſequatur, *§. Si familiæ, Inſtit. de Judic. offic.* Neque id domino ſuperiori grave eſt, immò utile, rem non dividi, ne a pluribus penſiones diviſim recipere cogatur, quod valdè incommodum, *l. 3. ff. famil. erciſc. l. 3. ff. de alim. & cib. legat. l. cum hi 7. §. vult. igitur ff. de tranſact.*

100 Quid autem, ſi commodè res dividi poſſit, uni tamen aſſignetur? Reſpondent, dandum eſſe laudemium Gabr. *d. conſ.* 84. Sola *d. numer.* 24. & Maynard. *d. dec.* 43.

101 Alii diſtinguunt. Vel aſſignatur res uni ex Sociis, aut cohæredibus ante diviſionem, vel poſt diviſionem. Priori caſu non deberi laudemium, poſteriori deberi. Ita Molin. *d. diſp.* 160. *n.* 8. qui authores refert hujus ſententiæ Bartolum, Calderinum, Sylveſtrum, & alios.

102 Benignior videtur ſententia, non deberi ex aſſignatione alteri ex Sociis facta, dummodò vel ante diviſionem, vel in ipſa diviſione id fiat: nec caret ratione. Naturæ enim lex eſt, commodum compenſari cum incommodo, *l. ſecundùm naturam de reg. jur. l.* 1. *§. ult. ff. de aqu. pluv. arcend.* At ex aſſignatione totius emphyteuſis uni facta dominus ſummum habet commodum. Teneretur enim a pluribus petere, quod ab uno per hanc aſſignationem conſequetur, quæ res ceſſat per Natt. *d. l. 3. famil. erciſc.* Igitur compenſari hoc commodum poterit cum laudemii immunitate, qua hujuſmodi aſſignationem gaudere decet. Et certè ſi diviſio, quæ cauſat domino incommodum, immunis a laudemio eſt, cur non & aſſignatio, quæ eidem utiliſſima, præſertim ſi Judicis authoritate id factum ſit, cujus factum dicitur jus, legiſque facto æquiparatur, *l. pen. ff. de juſt. & jur.*

Cæterùm ſi poſt diviſionem omnium portio uni tra- 103
datur, alieneturve, vel unius alteri, etiam inter fratres, æquum eſt dari laudemium, ut ajunt Molina, Maynar. Caronda & Sola *loc. cit.* Quia tunc eadem ratio, quæ in alienatione extraneo facta, novaque inveſtitura opus, & domini admiſſione, dominiique translatio intervenit, propter quæ præſtatur laudemium, *d. l. ult. C. de jur. emphyt.* Qua de cauſa Sola id obtinere in feudis cenſet, quando dominus excludit fratrem, neque frater in inveſtitura comprehenſus. Quoniam tunc cenſetur extraneus, *cap. 1. §. Cum verò Contrad. qui feud. dar poſ.* ut ait Bartol. de filia excluſa in *l. 1. §. Sciendum ff. de ſuis, & legit.*

Quid ſi diviſione abſoluta cohæredes fratres, vel ſo- 104
cii rurſus ſocietatem reſtaurare, communionemque redintegrare affectent? Negant, deberi laudemium, Sola, & Purpuratus loco ſuperiùs allegato, *n.* 25. *de jur. emphyt.* ad antiq. decreta Sabaudiæ. Quia laudemium præſtatur dominio translato, *d. l. ult.* Hìc autem non eſt translatio, ſed potius communicatio.

XXVI. Cùm neceſſitatis innumera ſint privilegia, 105
quæ id, quod illicitum erat, licitum reddit, *l. alienationes* 13. *C. fam. erciſc. l. minoribus C. de præd. min.* hinc fit, ut ſive pubblica, ſive privata neceſſitate ſuccedente rei emphyteuticæ ſequatur alienatio, regulariter laudemiorum onus ceſſare frequentius, & in foro, & in ſcholis traditum eſt, ut præter Brunum, Cravetam, & Jaſonem, teſtantur Roland. *conſ.* 25. *num.* 16. *lib.* 1. Bartol. *in l. Et ideo ff. de condit. furt.* Mayn. *dec.* 44. *lib.* 4. ut ſi quis favore religionis, libertatis, pacis, ædificiorum, quæ ad decus urbis fiunt, vendere cogatur. Atque ita ſæpiùs deciſum, ut etiam refert Coppin. *de morib. Pariſ. lib. 1. tit. 3. num.* 14. Ideo tradit Faber, *defin. 23. in fine C. de jur. emphyt.* etiamſi agatur de juris feudalis neceſſaria venditione, Guidop. *qu.* 411. *numer.* 2. Jo. Papon. *lib. 13. tit.* 2. *§.* 22.

Excipiunt primò, quando poſtulante creditore bona 106
debitoris publicè diſtrahuntur. Tunc enim deberi laudemium, inveterata conſuetudine receptum ait Faber, *d. defin.* 23. duplici de cauſa. Prima quoniam non tàm ex præciſa neceſſitate id fieri dicitur, quin ex voluntate debitoris pendeat, qui id malle videtur, quàm aliter ſolvere, Ranch. ad Guidop. *qu.* 48. *l. ſi ob cauſam* 13. *C. de evict.* Secunda, quoniam licèt hujuſmodi diſtractio ſub haſta, poſtulante creditore fiat, intelligitur tamen a debitore, non a creditore fieri, per notata *in l. 1. & 2. C. Si in cauſa jud. pign.*

Excipiunt ſecundò, quoties adeſt conventio inter do- 107
minum & emphyteutam, vel feudatarium, ut alienatione quandocumque ſequuta, vel quomodocumque detur laudemium virtute illius clauſulæ univerſalis, Sola, *de jur. emphyt. n.* 37. *ad d. decret.* Cravet. *conſ.* 290. *n.* 4. alioquin videntur ea verba ſuperfluè adjecta, quod non eſt ſentiendum, Cravet. *conſ.* 84. *n.* 12.

Agnatum verò, qui jure retractus adverſùs empto- 108
rem utitur, debere eidem refundere laudemium domino directo ſolutum, & ſi nondum ſint ſoluta, debere ea domino directo præſtare, voluit Curia Tholoſana apud Maynard. *dec. 36. lib.* 4. Vide Charodam, *lib. 7. reſponſ. cap.* 21. Choppin. *loc. cit. n.* 8. qui præterea cum Amedeo a Ponte *quæſt.* 27. ſentiunt unum dumtaxat laudemium, etiamſi retractus ſubſequatur, deberi.

XXVII. Etiam ex datione in ſolutum præſtantur 109
laudemia, Theſaur. *lib.* 2. *q. forenſ. qu.* 82. *in principio* Faber *defin.* 30. *C. de jur. emphy.* Theſaur. *dec.* 139. Contrarium tamen cenſuit Franch. *deciſ.* 277. *p.* 2. in caſu ibi deciſo.

Extenditur prima ſententia primò, ad dationes in 110
ſolutum, quæ in exequutionem rei judicatæ ſubſequuntur, ut creditori ſatisfiat, præcedentibus ſubhaſtationibus.

nibus. Ita deciſum refert Faber in Senatu Sabaud. *defin.* 30. *& defin.* 31. *& defin.* 38. quemadmodum de addictione bonorum authoritate Judicis facta deciſum refert Maynard. in Curia Tholoſ. *deciſ.* 39. *num.* 1. quamvis hac de re non omnium eadem opinio, ut videre licet apud Franch. *loc. cit.* In Pedemontio res eſt extra controverſiam ex quacumque datione in ſolutum præſtari laudemium, ut teſtatur Theſaur. *d. deciſ.* 139.

111 Extenditur ſecundò, etiamſi addictio judicialis fiat, prævиis ſubhaſtationibus in cauſis diſcuſſionis ſententiæ Judicis, creditorumque concurſu intervenientе, ut deciſum in Curia Tholoſ. ſcribit Maynard. *d. deciſ.* 42. *lib.* 4. idque exactè obſervati in univerſo Galliæ Imperio.

112 XXVIII. An autem laudemium in permutatione locum habeat, Senatus Tholoſanus judicavit regulariter ceſſare, ut latè Maynard. *dec.* 37. *lib.* 4. Crebrior tamen videtur contraria ſententia, quam ſequuntur Cujac. *in d. l. ult. C. de jur. emphyt. in fin.* Molin. *diſput.* 461. *num.* 1. Laurent. *dec.* 143. Vivius *deciſ.* 496. *num.* 9. probaturque apertiſſimis verbis *d. l. ult.*

113 Prioris ſententiæ ſectatores varios caſus excipiunt. Primò, quando permutatio ſimulata, vel fraudulenta, maximè quando fraus de contractu ad contractum, ut ſi fingatur permutatio, & ſit alia conventio, arg. *l. ſi ſponſus §. circa venditionem ff. de donat. inter Virum, & Uxorem.*

114 Excipiunt ſecundò, ubi conſuetudo contraria invaluit. Quia conſuetudo in laudemiis ſervanda, Piag. *de conſuet. cap.* 11. *num.* 334.

115 Excipiunt tertiò, quando pro ſpecie datur & ſpecies, & pretium, ſi pretium rei valorem excedat, quaſi præponderante pretio cenſeatur contractus emptionis. Ita deciſum ait Maynard. *d. deciſ. lib.* 4.

116 XXIX. Porrò inter innumera dotis privilegia hoc reponendum, ut ſit a laudemiis immunis, ſive quod ea alienatio neceſſaria eſt in Reipublicæ utilitatem, *l.* 1. *ff. ſol. matr.* quæ alienationes laudemiorum onera non ſentiunt, Maynard. *deciſ.* 44. *lib.* 4. ſive quoniam mulier adhuc dotis domina perſeveret, *l. ſi conſtante* 24. *§. Si maritus ff. ſol. Matr. l. in rebus* 30. *de jur. dot.* quamvis maritus utile dominium nanciſcatur, *l. doce ancillam* 9. *Cod. de rei vindic. l. quamvis* 75. *ff. de jur. dot.* Et ita deciſum in Curiis Gallicis, teſtantur Maynard. *dec.* 41. *lib.* 4. Charonda, & Ranchinus ad Guidopap. *quæſt.* 48. in Sabaudia, Faber *definit.* 55. *Cod. de jur. emphyt.* in Regno Neapolitano, Vivius *deciſ.* 496. *numer.* 9. in Pedemontio, Sola *ad d. decreta de jur. emphyt. numer.* 17. in Regno Luſitaniæ, & alibi in Hiſpania, Gama *deciſ.* 283. *ac deciſ.* 127. & Molin. *de contract. diſp.* 461.

117 At quid lucro dotis? Negat deberi laudemium, Sola *d. num.* 17. ex Bartolo *in l.* 1. *C. de impon. lucrat. deſcript.* Purpurat. *conſ.* 3. *num.* 2.

118 Quid etiam de dotis augmento facto a marito? Neque deberi cenſent, idem Purpuratus, & Sola *locis allegatis.*

119 Quid de donatione propter nuptias? Molina, & Gama diſtinguunt. Si fiat a parente, non præſtabitur. Si verò ab extraneo, præſtabitur. Sed convellitur hujuſmodi diſtinctio ex iis, quæ ſcripſere Faber, Maynardus, Purpuratus, Bartolus, & Sola, idque rationibus elegantiſſimis.

120 Quidve ſi fundus in dotem datus æſtimetur? Neque tunc deberi, quamvis deſinat eſſe fundus dotalis. Ita deciſum tradit Maynardus *dict. deciſ.* 41. *num.* 3. & 4.

121 Et quid ſi dos in pecunia numerata promiſſa, & poſteà fundus datus fuerit in ſolutum conſtante matrimonio? Pleriſque rationibus Faber ait, tunc deberi laudemium, neque enim eſſe contractum dotis, ſed multum a dote differentem, *defin.* 55. *num.* 7.

122 Quid tamdem, ſi dos ab extraneo promiſſa, datave ſit? Negant Molin. *d. diſp.* 461. *de contract.* Gam. *d. deciſ.* 6. Vivius *deciſ.* 496. *num.* 9. ex Proſpero, Paſeth. *conſil.* 137. *num.* 1. quamvis magis favendum facienti actum neceſſario, quàm volente, *leg. ult. Cod. de alim. pupill. præſtand. leg. ſi fidejuſſor. ſi neceſſaria, ff. qui ſatisdare cog.* Verumtamen apertiſſimè aberrant. Neque enim laudemium præſtaretur ab eo, qui actum facit, & a dotante, ſed ab ea, quæ dotavit, aut ejus marito, ideòque non eſt favor dotantis, immò dotatæ, ut laudemium non præſtetur, cùm ab eo dandum ſit, in quem res transfertur, *d. l. ult. C. de jur. emphyt.* Nullum itaque diſcrimen ponendum, an dos a patre, aut ab extraneo conſtituatur. Utroque enim caſu adeſt æquabilis dotis favor. Et ita deciſum in Curia Pariſienſi, & Tholoſana inquiunt, Maynard. *cit. dec num.* 4. Charonda, & Ranchinus.

XXX. An autem laudemium ex donationibus debeatur? Ardua hæc quæſtio eſt, magnis contentionibus in Curia Neapolitana exagitata, nec tamen definita, teſte Francho *deciſ.* 201. ac Rondella *de jur. prothom. v. pro emphyteuſi num.* 33. 123

Prima ſententia eſt, jure communi inſpecto laudemium ob donationem deberi, quam communiter receptam eſſe, docent Molin. *de contract. diſput.* 461. *num.* 8. magis communiter Faber *defin.* 20. *de jur. emphyt.* Vivius *deciſ.* 496. *num.* 9. Laurent. *dec.* 14. *num.* 1. Intrigl. *de feud. quæſt.* 9. *centur.* 1. *num.* 108. Cujac. *in d. l. ult. C. de jur. emphyt. prope fin.* 124

Secunda ſententia negantium indiſtinctè deberi, quam in judicando amplecti ſolet Curia Tholoſana, teſte Maynardo *deciſ.* 41. *num.* 1. & 2. qui etiam aſſeverat, ita eſſe magis communiter a Doctoribus traditum, *num.* 1. ex Gloſſ. Odofredi, Jaſonis, & aliorum *in d. l. ult. num.* 69. *C. de jur. emphyt.* 125

Tertia ſententia eſt diſtinguentium, an donatio ſit pura, & ſimplex, an onerоſa, vel ſub onere, & conditione. Priori caſu non deberi laudemium, ſecundo deberi, Caſſan. *ad conſuetud. Burgund. tit. des ſenſes, &c.* 126

Prior juri conſentanea eſt. Nam licet *d. l. ult.* velit pro laudemio præſtari pretii quinquageſimam, tamen addit, vel æſtimationis, ſeu valoris. Nihil itaque prohibet datia æſtimari, ut ſciri poſſit laudemii quantitas. Itaque laudemium eſt quinquageſima pretii in emptionibus. At in cæteris alienationibus quinquageſima æſtimationis, ut in permutationibus, donationibus, tranſactionibus, aliiſque contractibus innominatis. Nec obſtat deinceps, quod donatio fieri poſſit abſque domini ſuperioris conſenſu, & laudemium ob conſenſum præſtetur, *d. l. ult. Cod. de jur. emphyt.* Requiritur enim conſenſus in poſſeſſione apprehendenda, cùm debeat donatoris inveſtituram efflagitare, quamvis in ſtipulatione, vel pacto, quo fit donatio non requiratur, vel etiam, quamvis neque in ipſa traditione, attamen *d. l. ult.* expreſſim jubet, etiam poſt rem traditam expoſtulandum domini conſenſum, & quidem in ſcriptis, ſive approbationem, & inveſtituram. Ubi autem inveſtitura neceſſaria, ibi præſtatur laudemium, ut ſuprà diximus ex Surdo, Menochio, & aliis. 127

Qui ſecundam ſententiam amplectuntur, excipiunt quando appareret factam eſſe donationem animo fraudandi dominum ſuperiorem debito laudemio, vel ſi detegeretur ſimulatio, ex notatis *in l. ita donat, ff. de donat. cauſ. mort.* Maynard. *d. deciſion.* 41. *lib.* 4. 128

De donatione autem, in qua donans uſumfructum ſibi reſervavit. Rurſùs de donatione remuneratoria, & ob cauſam, latè Sola *ad decreta antiqua Sabaud. de jur. emphyt. gloſſ.* 1. *num.* 14. *ac ſeqq.* non deberi, niſi finito uſufructu, & pro portione cauſæ, ſi ex donationibus non deberetur. 129

Quid verò de donationibus, quas parentes filiis, aut filii parentibus faciunt inter vivos juramento vallatis? Pronunciatum in Senatu Sabaudo nulla deberi laudemia, Faber *definit.* 71. *Cod. de jur. emphyt.* Movetur ea ratione, quia non tàm acquiſitio eſt ex parte donatarii, quàm debitæ ſucceſſionis præoccupatio quædam, cùm filii etiam vivo patre, domini cenſeantur, *l. in ſuis* 11. *ff. de liber. & poſthum.* parentibus verò pietatis intuitu, præpoſtero mortalitatis ordine filiorum bona debeantur, *leg. ſcripto* 11. *§.* 1. *ff. unde liber. l. nam & ſi* 15. *ff. de inoff.* 130

XXXI. Quid autem, ſi inſtitutionis legative titulo emphyteuſis in alium transferatur? Crebriùs haud dubiè recepta eſt Amedæi de laudemio ob hæreditariam ſucceſſionem præſtando diſtinctio, uti atteſtatur Sola *ad dicta decreta numer.* 17. non injucundum tamen, infrugiferumque erit, quid alii deinceps ea de re ſcripſerint admiſcere. Cujacius igitur *in d. l. ult. C. de jur. emphyt.* contendit indiſcriminatim inſtitutionis jure emphyteuſi in alium translata, laudemium deberi, quod juxta Novellam Leonis εἰσδεκαπλοῦν appellat. Movetur *eadem l. ult.* dum Juſtinianus ait, præſtari quinquageſimam pretii, vel æſtimationis, ut pretium ad venditionem referatur, æſtimatio ad omne aliud alienationis genus, etiam per ultimam voluntatem univerſali, ſingularive titulo. Neque referre, quod virtute inveſtituræ, aut pactorum cum ſuperiore domino initorum in plures hæredes, etiam domino inſcio, immò & reclamante, emphyteuſis tranſire poſſit. Nam etiam donare, permutareque licet legis authori- 131

thoritate absque domini consensu, & tamen non ideò minùs dantur laudemia.

132 At Molina de contract. *disp.* 461. *numer.* 11. contra sententiam hanc juraſſe videtur. Ait enim indiſtinctè titulo hæreditario re in alium translata nuſquam omninò deberi *elogexnxà*, idque ſub frigidis rationibus confirmare ſtudet. Quoniam Juſtiniani verba *in d. l. ult.* de translatione dominii per contractum facta tantùm interpretationem accipere debeant, etiam latè ſumpta contractus appellatione. Quam rationem non aliis, quàm ipſius Conſtitutionis verbis habet convellere, quæ hìc tranſcribere ſuperſedeo.

133 Secunda ratio Molinæ eſt, quoniam in hæredem tranſeat emphyteuſis virtute primi contractus inter dominum, & emphyteutam celebrati, etiam unius decennii curriculo duraturi, *§. adeò inſtit. de locat.* Itaque non eſt neceſſe noviter dominum requirere, aut admonere. At hæc ratio prior, aut ſtabilior. Neque enim verum eſt cujuſvis generis hæredes primæ inveſtituræ virtute ad emphyteuſim ſemper admitti; ideò cum communi diſtinguendum eſt, non autem ſimpliciter aſſerendum ob titulum hæreditarium nunquam deberi laudemium: quod illemet proſpiciens, ad priorem rationem recurrit, qua nixus addidit *d. numer.* 11. neque deberi, tametſi minùs capaci res hæreditario titulo relinquatur, quoniam conventio deficiat, in qua ſcripſit locum ſibi tantùm vindicare laudemiales præſtationes; quod abſonum, & ab omnibus refutatum. Rectè hoc ſolùm docet, incapacem debere intra certum tempus alteri rem alienare, eamque ob id non incidere in commiſſum, Manent. *de contract. livell. par. 9. num. 7.*

134 Securiùs ſentiunt, qui è mediis pugnantium opinionum fluctibus evecti pervulgatæ diſtinctioni adhærendum cenſent, videlicet, an emphyteuſis transferatur in eum, de quo prima inveſtitura mentionem facit, an ne, ſecundùm quam ſæpiùs judicatum legimus, apud Vivium *deciſ.* 496. Franc. *deciſ.* 447. quam ſequitur Roſental. *cap. 6. concl. 66. num. 7.* quamvis alicubi conſuetudinem invaluiſſe atteſtetur, ut ſemper hæres feudalis, vel emphyteuticarius aliquid præſtet.

135 At quid ſtatuendum, quando teſtator remotiores in gradu legitimæ ſucceſſionis vocat ad emphyteuſim, proximioribus, qui ab inteſtato ſuccederent, excluſis, omneſque in inveſtitura comprehenduntur? Vivius *loc. cit.* ait judicatum, neque tunc deberi, ejuſdemque ſententiæ ſectatores affert, Jo. Vincent. de Anna *ſingul.* 187. *& in allegat.* 106. Res tamen abſque controverſia non eſt, cùm Franchus, & alii *d. deciſ.* 447. *par. 3.* deberi cenſuerint.

136 Quid ſi extraneus inſtituatur in emphyteuſi data pro ſe, & hæredibus? Neque etiam laudemium præſtabitur. Quoniam emphyteuſis pro ſe, & hæredibus data tranſit ad extraneos, ut deciſum eſt apud Franch. *deciſ.* 235. *par. 2.* ex Cravet. *conſ.* 251. *numer.* 4. Pariſ. Hippol. Riminald. Gozad. Viv. *d. deciſ.* 496.

Ob acquiſitionem autem jure legati factam ſemper deberi, ait Cujac. *in d. l. ult. in fin.* & ſequitur Sola *cit. num.* 17. Diſſentit Molina, qui negat unquam titulo legati deberi, *d. diſp.* 471. *num.* 11. aſſeritque, idem cenſuiſſe Lopez. Quoniam legatarius dicatur quaſi hæres, *l. id tempus, §. 1. de uſucap.* & quoniam *d. leg. ult.* intelligendam arbitretur de alienatione conventionali, quod & verbis, & rationi ipſius textus repugnat, apertaque eſt ratio diverſitatis inter hæredem, & legatarium. Nam in ſingularem ſucceſſorem non tranſeunt activè & paſſivè jura teſtatoris, *leg. ult. ff. de contrab. empt.* Quæ in hæredem proficiſci conſtat, *l. 1. & 2. Cod. de hæred. actionib. l. hæreditas, ff. de reg. jur. leg. cum hæredes, ff. de acquir. rer. domin.*

137 XXXII. An autem debeantur laudemia ex cauſa tranſactionis, non tamen perpetuò? Juſtinianeæ Conſtitutioni conſentanea eſt eorum ſententia, qui diſtinguunt, an conſtet translatione translatam eſſe poſſeſſionem, necne. Priori caſu dandum laudemium, non autem ſecundo: juxta quam definitum videtur apud Afflict. *deciſ.* 232. & eam frequentiùs amplectuntur Doctores, nominatim Natta *conſ.* 145. *numer. 20. lib. 1. & conſil.* 441. *num. 3. &* 4. Roman. *conſil.* 146. ſub initio, Pariſ. *conſil. 1. lib. 1.* Alexan. *conſ. 32. lib. 2.* Roland. *conſil. 15. num.* 44. *lib. 1. conſ. 2. num. 18. lib. 3.* Menoch. *de arbitr. caſ.* 171. *num.* 74. Jaſon. *in l. 2. ff. de offic. ejus, & in l. ſi pro fundo 33. C. de tranſact. & in l. nulli 19. ff. eodem.* Quia translata noviter in aliquem rei emphyteuticæ poſſeſſio, haud legitima eſt, niſi a domino approbetur, novuſque emphyteuta admittatur, atque ſuſcipiatur teſtatione adjecta, pro qua re deberi, darique laudemium opinantur *in d. l. ult. C. de jur. emphyt.*

Hæc tamen ceſſant, ubi contraria conſuetudo viget. Unde Monopoli neque ex tranſactione, neque ex alio 138
contractu præſtatur, venditione, eaque voluntaria excepta, ut teſtatur Rondel. *de jur. prothom. v. emphyteuſim num. 33.* Vulgatum enim eſt in tractatu laudemiali conſuetudines obſervandas, Piag. *de conſuetud. quæſt. 11. num. 334.* & nos ſuperiùs.

XXXIII. Regulariter autem ex pignoratitio con- 139
tractu laudemia non debentur, nec abs re, cùm debitor rei in pignus traditæ dominium non amittat, *l. reſcriptum 12. ff. de diſtract. pignor. l. ſi pecunia 33. ff. de pignor. act.* & conſequenter in creditorem dominium nullum transferatur, *leg. eum, & ſortis 35. in fin. ff. de pignor. act. leg. pignus 13. ff. de uſur.* Atque ita deciſum Tholoſæ refert Maynard. *libr. 4. deciſ. 40. in Senatu Sabaudo*, Faber *definit. 67. Cod. de jur. emphyt.* Vide Neguſant. *de pign. par. 2. memb. 2. num. 43. ac ſeqq.*

Extenditur hæc ſententia, etiamſi per mille annos 140
pignoris nomine res poſſideretur; nunquam enim eo jure poſſidendi dominium transfertur, ſemperque liberum eſt debitori jus ſolvendi, & ex ejus mera voluntate creditor pignus detinet, *d. l. pign. 13. ff. de uſur.* At non translato utili dominio, regulariter laudemia non debetur, *d. l. ult. C. de jur. emphyt.* Alia ratione corroboratur hæc ſententia, quia nuſquam traditum extat, eum, qui rem ſuam pignori dedit, aut jure ſibi competenti alteri rem aliquam ceſſerit, domini approbatione, & admiſſione, inveſtiturave indigere.

Extenditur ſecundò in antichriſi, quando videlicet 141
debitor patitur creditorem percipere fructus rei oppignoratæ in locum legitimi intereſſe, ea lege, ut non poſſit invitus urgeri ad ſortis ſolutionem, quamdiù creditorem re frui patietur, de qua in *l. ſciendum 15. §. creditor ff. qui ſatisdare cogant. l. 1. §. per ſervum, l. qui pign. ff. de acquir. vel amit. poſ. l. ſi is, qui 12. §. 1. ff. de pign. l. ſi pecuniam 33. de pignor. act.* uti deciſum referunt Maynard. *deciſ. 40. lib. 4.* Charond. *lib. legum, & novum* Franc. *in adnot. tit. de feud. in conſuetud. reform. Pariſ. art. 20.* Quoniam antichriſis verum pignus eſt, quod dominium nunquam transfert, *l. Cum & ſortis 35. ff. de pignorat. act.* ſemperque enim lui poteſt, *l. 1. C. de licit. pignor.*

Ceſſat primo multis in locis, ut in Sabaudia, ubi 142
ſancitum, ut ex pignore poteſt decennium, a die contractus, laudemium debeatur, Faber *defin. 74. C. de jur. emphyt.*

Ceſſat ſecundò, quando antichriſis ita contracta, 143
ut ante decennium jus luendi non competat, qui contractus tunc ſuſtineretur, ſi fructum rei pignoratæ quantitas ei, quod frequentiùs ineſt, reſpondeat, ut in *l. quod debitor ff. in quib. cauſ. pign. ad hypoth. tacitè contrahat.* ubi de antichriſi tacita; nam expreſſum vix dicunt ſervare legalem intereſſe menſuram, *l. ſi ea portione 14. C. de uſur.* Ratio hujus receptionis, quoniam tunc conductioni æquiparetur, & ex conductione ad decennium laudemia præſtari conſueverint, quaſi transferatur utile dominium, utiliſque actio in rem competat, *l. 1. §. quod ait Prætor ff. de ſuperficieb. juncta l. ult. C. de reb. alien. non alien.* Amedæus a Ponte *de laudem.*

Ceſſat tertiò, ſi oſtendatur, titulum, & colorem 144
pignoris a contrahentibus fraudandi laudemii gratia quæſitum, Faber *defin. 60. in fin. C. de jur. emphyt.* uti ſi pecunia mutuò accepta juſto pretio rei æquivaleat, plus enim valere debet, quod agitur, quàm quod ſimulatè concipitur, *tot. tit. C.* plus valere.

XXXIV. Porrò laudemium non datur locationis 145
gratia, Menoch. *conſ.* 444. *num.* 16. Omnes tamen admittunt frequentiùs præſtari ob conductionem ad decennium, Faber. *defin. 74. uum. 15.* Vivius *deciſ. 496. num. 10.* Molina *de contract. diſput. 461. num. 3.* Idem videtur ſentire alter Molina, *de primog. lib. 1. cap. 21. num. 33.* Valaſch. *de jur. emphyt. qu. 13. num. 11.* Caldaſ. *de renovat. emphyt. quæſt. 13. numer. 10. & quæſt. 16. num. 10.*

Rationes excogitarunt primùm, quoniam hujuſmo- 146
di conductio dicatur alienatio, & emptioni aſſimiletur, *cap. ad audientiam, de reb. Eccl. non alien. l. ult. ff. ſi ager. vectig.* Viv. Sylva *comm. opin. 1007. num. 3. lib. 3.*

Deinde quia dominium utile transferri videtur, *d.* 147
l. 1. §. quod ait Prætor, ff. de ſuperfic. juxta *d. l. ult. C. de reb. alien. non alien.*

Prætereà quia neque ab eo, qui rem in decennium 148
con-

conduxit, res invito auferri poſſit, quod oſtendit habere jus in re, & dominium utile, Faber *definit.* 60. *num.* 2. *C. de jur. emphyt. & definit.* 74. *num.* 5. quamvis dicat Boerium contrarium verius exiſtimare,

149 Poſtremò, quia non alia de[cauſa, qui rem locat ad decennium, irrequiſito domino ipſam rem amittit, caducitatiſque pœna coercetur, Mareſcot. *var. reſol. lib.* 2. *cap.* 25. *num.* 9. Valaſchus, Caldaſ. Molina, Vivius, *locis prædictis.*

150 Diſſentiunt Covar. *lib.* 2. *var. cap.* 16. *num.* 3. Arias Pinell. *l.* 1. *C. de bon. matern. §.* 3. *num.* 71. Molina *de jur. primog. cap.* 20. *numer.* 17. Quoniam in pœnalibus verba ſtrictè accipi debeant; aliis tamen reſpondentibus in tractatu emphyteutico, quamvis de caducitatis, vel commiſſi pœna agatur, nunquam tamen alienationis nomen anguſtè ac ſtrictè accipiendum, alioquin dominium directum ſolummodò oſtenderent, & conſequenter nulla quæſtio de commiſſo, cùm de dominio utili transferendo dumtaxat pertractetur.

151 XXXV. Neque ex nuda venditionis promiſſione laudemium peti poteſt, Maynard. *dec.* 40. *lib.* 4. Faber *definit.* 31. *numer.* 2. Sola *ad decret. Sabaud. de jur. emphyt. numer.* 12. *gloſ.* 1. neque ex tractatu de vendendo, ſi, re integra, ab eo diſceſſerint, Maynard. *loc. cit. numer.* 1. Neque ſi venditionis conventio fiat, pretio ab alio declarando, qui nunquam ſuam declarationem protulerit, Sola *ibidem num.* 13. neque ſi quis & pro ſe emerit, & pro eo, quem deinceps declarare volet, nullum ob hujuſmodi declarationem datur laudemium, ut latè oſtendit Sola *ibidem numer.* 11. Maximè enim differt promiſſio, aut tractatus de vendendo, a venditione, *l. ſi voluntate* 8. *Cod. de reſcind. vendit.* Joan. Faber *in l.* 1. *Cod. quando liceat ab emphyt. diſced. l. contractus*, *Cod. de fid. inſtrument.*

152 Secùs verò ſtatuendum, ſi intervenerit non ſolùm tractatus, & conventio de pretio, ſed etiam ſequuta ſit rei traditio; tunc enim perfectus eſt venditionis contractus, & translata poſſeſſio, pro qua laudemium ſolvi debet, *d. l. ult. Cod. de jur. emphyt.* Sola *loc. cit. num.* 4. Et quamvis deinceps ab emptione diſcedant, non tamen ob id jus domino ſuperiori quæſitum diminuetur, neque a laudemii ſolutione, qui rem accepit, liberabitur, ut docet Maynard. *cit. deciſ.* 40. *lib.* 4. ex Maſurio, *arg. l. penult. Cod. de reſcind. vend. & l. ult. Cod. de jur. emphyt.* arg. *l. ult. ff. de pact.*

153 Adnotandum autem eſt, ſi forſan ob venditionis promiſſionem, vel tractatum, laudemium quis perſolverit, quod revera tunc non debebatur, venditione, reique venditione poſtmodum ſubſequente, aliud laudemium non eſſe præſtandum, & priorem ſolutionem, licèt indebitam, ſufficere, & ita ſolventi proficere, Faber *definit.* 31. *in princ. Cod. de jur. emphyt.* ex Jacobin. de Roydiis *numer.* 38. Sola *ibid. numer.* 12.

154 Cæterùm quando venditione perfecta emptor alteri rem communicat, eumque ea re conſocium accipit, pro quo neque in toto, neque in parte ſe emptionem facere contractus tempore declaraverit, tunc noviter pro portione communicationis, & aſſociationis laudemium præſtabitur, novus enim contractus eſt, *l. juris gentium*, *§. adeò*, *ff. de pact.* Sola *loc. cit. numer.* 1. *de jur. emphyt.*

155 XXXVI. An autem dentur laudemia ex contractu conditionali, & cui ex diverſis colonis exiſtentibus contractus, & ceſſantis, purificatæve conditionis tempore? Tractant hac de re Ænnæus Robert. *rerum judicat. lib.* 3. *capit.* 18. Joann: Baptiſta Coſta *de retrotract. capit.* 8. *caſ.* 11. Theſaur. *quæſt. forenſ. lib.* 2. *quæſt.* 82. Anton. Faber *definit.* 30. *Cod. de jur. emphyt.* Gomeſ. *var. reſol. tom.* 2. *de emphyt. & vendit. cap.* 2. *numer.* 24. Sola *de jur. emphyt. gloſſ.* 1. *numer.* 44. ad antiqua decreta Sabaudiæ. Cui verò ex diverſis colonis laudemia debeantur, aliquot caſus recenſendos duxi.

156 Caſus primus. In venditionibus ſub haſta, ſi aliquis habeat jus dominii directi ſubhaſtationis tempore, dum res emptori expeditur, & in poſſeſſionem miſſio fit, alter verò deinceps, dum redimendi tempora, ſequeſtrique labuntur, laudemium debebitur priori, non poſteriori, ſive de dominus agatur, ſive de juris dominici conductoribus. Ita Faber *d. definit.* 30. Venditio enim perfecta eſt ab ipſo expeditionis die, & pura, tametſi habeat conditionem reſolutivam, ſi intra ſex menſes bona a debitore redimantur. Debetur itaque laudemium priori, qui dominii jure, non cuſtodiæ, rem ſubhaſtatam poſſidere cœpit, *l. ult. Cod. de jur. emphyt.* Quia lapſus ſex menſium non transfert dominium, ſed tollit revocabilitatem, & laudemium ob translationem dominii, non ob qualitatem irrevocabilitatis præſtatur.

Caſus ſecundus. Idem dicendum videtur in omnibus aliis contractibus conditionem legis commiſſoriæ, addictioniſve in diem reſolutivam in ſe habentibus. Dominium enim in ſuſpenſo non eſt, ſed a die initi contractus in emptorem purè transfertur, *l.* 1. *ff. de leg. commiſſ. l.* 2. *ff. de in diem addict.* Et fructus percepti tempore primi conductoris ſunt illius. Ergo etiam laudemium. Venit enim fructuum nomine, cùm naſcatur, & renaſcatur, arg. *l. fructus* 7. aliàs eſt *l. divortio*, *§. ſi vir*, *ff. ſol. matrim.* ex Fabro, & Roberto *loc. cit.* 157

Caſus tertius. Quando venditioni redhibitionis pactum adjicitur, laudemium debetur colono, qui tempore contractus fuit, non ei, qui finita redimendi facultate, ita deciſum in Senatu Pariſienſi, authore Roberto *d. lib.* 3. *cap.* 18. apud quem elegantes hujus ſententiæ rationes videri poſſunt. 158

Caſus quartus. Data re in ſolutum creditori, niſi intra conventum tempus ei integra ſatisfiat, neque dationis tempore vera rei æſtimatione facta, ſed tantùm lapſo tempore convento, debebitur ſecundo colono laudemium, ut deciſum refert Theſaur. *d. q.* 82. Quoniam revera perficitur contractus dationis in ſolutum, dum vera æſtimatio fit, anteaque cenſeatur nullus, Jo. Papon. *lib.* 11. *tit.* 3. *areſt.* 2. At ex contractu nullo dominium non poterat eſſe translatum, *l.* 4. *§. condemnato*, *ff. de damn. infect. l. ſi cum nulla*, *ff. de re jud. l. Marcellus*, *ff. de jud.* qua autem re ceſſante dominii translatione ante veram rei æſtimationem laudemium debebitur, *d. l. ult. C. de jur. emphyt.* 159

Caſus quintus. Quando conventionibus, & alienationibus conditio ſuſpenſiva adjicitur, debetur tempore purificatæ conditionis. Ita Robertus, Theſaurus, Faber. Tunc enim condionis eventus inſpicitur, *l. plerumque*, *§. ſi ante*, *ff. de jur. dot. l.* 2. *§. ſi ſub conditione*, *ff. pro emptore*, *l. neceſſario*, *ff. de peric. & com. rei vend.* Unde ſententia Coſtæ *d. cap.* 11. *num.* 2. Argentiæ, & aliorum, aut intelligi debet de conditione reſolutiva, aut aſpernanda, licèt eam, tanquam veriorem, æquioremque attollat *numer.* 5. longè enim validiores ſunt Fabri, ac Roberti rationes, quas hìc tacitus prætereo. Ipſos adi. Concluſiones enim deſcribimus, quæ ultra compendium increſcere recuſant. 160

XXXVII. Utrùm verò duplicia laudemia præſtanda ſint, venditione, retrovenditioneque ſequuta, vi pacti de retrovendendo? 161

Prima ſententia eorum eſt, qui exiſtimarunt, quoties res redimitur a domino virtute pacti de retrovendendo, ſive incontinenti, ſive ex intervallo pactum adjiciatur, vel etiam ſi jus illud redimendi alteri cedatur, qui poſtmodum redimat, unum tantùm laudemium domino directo deberi. Ita ſemper Curia Tholoſana, aliæque plures in Gallia judicarunt, ut refert Maynard. *lib.* 4. *deciſ.* 38. *numer.* 1. *in fin. ac ſeqq.* De Curiæ Pariſienſis conſuetudine, Charond. *in adnot. ad jus Pariſ. art.* 76. 162

Moventur, quoniam quando incontinenti retrovenditionis pactum apponitur, cenſetur eſſe pars contractus, eaque retrovenditio ejuſdem exequutio, *l. lecta* 40. *ff. ſi certum petat. l. juriſgentium* 7. *§. quinimmò*, & *§. adeò*, *ff. de pact. l. fundi partem* 78. & *l. pacta conventa* 72. *ff. de contrab. empt.* Bart. Bald. Alciar. Donel. *in l. petens* 27. *Cod. de pact.* Ideòque dicitur eſſe tertia pars pretii, cujus in venditione ob læſionem reſcindenda ſumma ratio habenda, Faber *Cod. de reſcind. vendit. definit.* 27. 28. & *ſeqq.* 163

Sanè quando pactum ex intervallo adjicitur, vigor juris duplex laudemium expoſcit, retrovenditione ſubſequuta, cùm hujuſmodi pacta neque in contractibus bonæ fidei, neque ſtricti juris ampliùs cenſeantur eſſe pars prioris contractus, quamvis in bonæ fidei contractibus renovationem cauſare dicantur, re integra, *d. l.* 7. *§. adeò*, *ff. de pact. l.* 1. & 2. *C. quando liceat ab empt. diſcedere*. Benevola tamen quadam juris interpretatione communiter receptum teſtatur Maynardus, unico laudemio dominum debere eſſe contentum. Unum verò ſaltem deberi, ratio aperta eſt, quia verè transaltum dominium eſt, cùm adſit traditio, & juſtus titulus, *l. traditio* 20. *ff. de acquir. rer. domin.* Theſaur. *deciſ.* 75. Sulſona *de laudem. coll.* 10.

Secunda ſententia eſt aſſerentium duplicia laudemia præſtanda eſſe, alterum ex priori venditione, alterum retrovenditione ſequuta, *l. ult. Cod. de jur. emphyt.* quam Faber *definit.* 30. *num.* 20. & *ſeqq.* approbaſſe 164

baſſe videtur, & hujus ſectatorem citat Theſaurum, qui videtur aliter ſentire. Nam duplex traditio hic neceſſaria eſt, & duplex dominii translatio, arg. *l. ab emptione 58. ff. de pact.* neque enim pactum de retrovendendo dominii translationem impedit, *l. 2. Cod. de pact. inter empt. & vendit.* At variæ dominii, poſſeſſioniſque translationes, laudemiorum ſimiliter variam petitionem domino directo ſubminiſtrant, *d. l. ult. Cod. de jur. emphyt.*

165 Neque obſtant contraria. Quamvis enim pactum de retrovendendo cenſeatur eſſe pars prioris contractus, nullus tamen unquam aſſeruit, retrovenditionem eſſe partem prioris venditionis. Maximè enim differunt, promiſſio de retrovendendo, & retrovenditio, *l. Contractus 17. C. de fide inſtrum.*

166 Proindè cùm hic adſint duo contractus, duæque traditiones interveniant, & conſequenter duplex dominii translatio, cur potius præſtabitur laudemium ex priore, quàm ex poſteriore? aut igitur dimidium laudemii ex utraque, aut nullum debebitur, quæ videntur abſurda, aut ex utraque integrum. Cur enim duplicata cauſa laudemii, duplex laudemium non cauſabit, cùm cauſa in entibus civilibus poſita, ponatur effectus? *l. ſi quis ff. de præd. decur. l. Cum Cod. ſi adversùs rem judicat.* Itaque contrariæ ſententiæ authores magis conſuetudine Gallicana, quàm rationibus eam ſubmuniunt, tametſi æquitati congruentior videatur prior opinio, & uſitatior.

167 XXXVIII. Non minus deberi laudemia, quod dominio ſemel translato diſſolvatur alienatio, Faber *definit. 28. Cod. de jur. emphyt. & defin. 65.* Specul. Andr. & Chaſſan. ab ipſo allati. Poteſt verò reſolutio hujuſmodi ſimpliciter contingere. Primò, utriuſque contrahentis conſenſu interpoſito, *l. ab emptione 58. ff. de pact. l. prout, ff. de ſolut. l. 1. & 2. Cod. quando liceat ab emption. diſced.*

168 Secundò, vi, & authoritate legis, ut in caſu *l. ſi unquam C. de revoc. donat.*

169 Tertiò, virtute pacti adjecti ipſimet alienationi contractus, ut in pacto de retrovendendo, *l. 2. Cod. de pact. inter emptor. & venditor.* & omni caſu laudemia præſtabuntur, ſaltem ſi dominium ex ea cauſa transferatur, quæ ſui natura poſſit eſſe perpetuò, qualis eſt regulariter, Cujac. *in l. 1. ff. de jur. dot.*

170 Jus caducitatis ſalvum, contrariam ſententiam æquiorem, & communiter receptam ait Mareſcot. *lib. 1. var. reſol. capit. 5. numer. 4.* ex Alberico in emphyteuſi Eccleſiaſtica, ut ſcilicet per redemptionem rei alienatæ è veſtigio ab emphyteuta facta, ceſſent legis caducitatis pœnæ, eamque ſequi Albericum, Beroum, Riminaldum. Verumtamen re accuratiùs diſcuſſa, fatetur Amedæi ſententiam etiam in emphyteuſi obtinere, & ita frequentius exiſtimare interpretes ex Jaſone, Immola, Decio, atque ita judicaſſe Rotam Romanam. Unde hanc opinionem pleriſque rationibus exornat, adverſariorumque latè ſatisfacit *numer. 7.* uſque ad *numer. 22.* Vide Solam, *ad decret. ant. Sabaudo de jur. emphyt. numer. 40.* qui ſcripta D. Amedæi ſequitur, & ampliat, affertque Bartolum, Joannem de Platea, Loffredum, Boerium, Ludovicum *in deciſ. Rotæ Peruſinæ dec. 114.*

171 XXXIX. Nulla verò deberi laudemia meritò receptum eſt. Quod enim nullum eſt, nullum poteſt producere effectum, *l. filium 20. ff. de bon. poſſ. contra tabul. & l. ult. C. de jur. emphyt.* dum ait, ob alienationem emphyteuſeos quinquageſimam præſtari, accipienda eſt de ea, quæ ritè facta eſt, itaut, ſi aliqua occaſione nullius momenti ſit, non debeatur, ut in ſimili ait *l. ſi ſe non obtulit 4. §. Condemnatum ff. de re judic. l. un. C. non licere habitator.* ita deciſum teſtantur Peguera, *deciſ. 256.* Faber *definit. 65. Cod. de jur. emphyt. in princ.* Sola *de jur. emphyt. num. 37. in fin. loc. cit.* & Cravett. *conſ. 389.*

172 Idque habet locum, etiamſi contractus non a principio nullus videatur, ſed poſtmodum interiori vitio aliquo detecto annulletur, Faber *d. defin. 65.* Parum namque refert, an quid a principio invalidum, an ex poſt facto annulletur. Ita deciſum teſtatur Peguera *d. deciſ. 38. numer. 3. & 4.* Nulla enim tunc dominii translatio facta eſſe poteſt, *arg. l. filius familias §. divide l. peto §. fratre de leg. 2. l. lex quæ tutores C. de admin. tut. l. ſi in emption. de minor.* Nihilque refert, quod rei traditio tunc forſan intervenerit. Vera enim debet eſſe traditio, juſtæque, & nobili cauſæ conjuncta, ut dominium pro ea transferatur, *l. nunquam nuda 31. juncta l. traditio 20. ff. de acquir. rer. domin. l. ult. C. de minor.* Et perpetuò laudemium ceſſare debet, ubi non adeſt validitas conventionis, & alienationis; arg. *l. 1. & l. 2. §. Si libet ff. de cond. ob cauſ.* Caſtren. *in l. ſi ab emptione num. 12. ff. de pact.*

Hinc ex donatione inter Virum & Uxorem non jurata, non inſinuata, nullum laudemium præſtatur; 173
quoniam ipſo jure nulla, *l. 1. & tot. tit. C. de donat. inter Vir. & Uxor.* Et ita definit Faber *definit. 28. C. de jur. emphyt.* Verùm cum morte confirmetur, ſi donator in liberalitatis exercendæ voluntate perſeveret, *l. donationes, quas parentes Cod. de donat. inter Vir. & Uxor.* mortuo marito debebitur, tanquam ex legato, de quo dictum eſt ſupra.

Hinc ex rei alienæ venditione nulla quoque debentur laudemia, Faber *loc. cit. definit. 74.* licèt enim alienæ rei venditio valere dicatur, *l. rem alienam ff. de contrab. empt.* id non dicitur quaſi dominium transferatur. Quomodo enim transferre potuit qui non habuit, *l. nemo plus juris 54. l. nemo 120. de reg. jur. cap. nemo 79. de reg. jur. in 6. l. traditio 20. ff. de acqu. rer. dom.* Sed ut venditor intelligatur perſonaliter de evictione obligatus, *l. ſi in venditione 60. l. evictare 7. de evict.* 174

Excipiunt a prædictis primò, quando contractus a principio validus, & poſtea irritatur, aut partium conſenſu, aut alio emergente, quia non debet eſſe in contrahentium arbitrio jus domino directo quæſitum auferre, *l. potior 11. ff. qui potiores*, & ſufficit ſemel rectè dominium translatum, ſemel enim acquiſitum jus, amplius niſi eo conſentiente non aufertur, *l. habere 57. l. evicta 16. §. Si ſervus ff. de evict. l. quod noſtrum de regul. jur.* Unde dummodò ſemel dominium per alienationem in novum emphyteutam translatum, quamvis partes diſſolvant contractum, dabitur laudemium, Faber *cit. definit. 56.* 175

Excipitur ſecundò, quando jurejurando contractus validatur. Tunc neque ſoluta quamvis indebita repetuntur, & non ſoluta perſolvuntur vi juramenti, *cap. debitores de jurejur.* Faber *loc. cit. defin. 66.* ſublimitat, niſi reſtitutio in integrum adversùs contractum, & abſolutio a jurejurando expoſtuletur. 176

Excipiunt tertiò, ſi re aliena vendita ſubſequatur domini approbatio. Ea enim ſequuta convalidatur rei alienæ venditio, & transfertur dominium, Faber *defin. 74.* Cùm ratihabitio retrotrahatur, ut actus alioquin invalidus corroboretur, Jo: Baptiſta Coſta, *de retrotract. cap. 8. caſ. 4.* 177

Quid evictione interveniente, ut puta, ſi creditores alienantis hypothecariam rem extorqueant? Diſtinguunt. Si jam ſolutum ſit laudemium, non repetitur. Si verò nondum ſolutum, amplius non præſtabitur, Coſta *cit. cap. 8. caſ. 11. num. 8.* ex Collona, Burg. & aliis. Adnotatione dignum videtur, re evicta, dominum directum non teneri, niſi ad pretii reſtitutionem, Faber *defin. 51. C. de jur. emphyt.* 178

Uſufructu autem in fundo feudali, vel emphyteutico conſtituto, juxta *l. 1. §. & parvi ff. quib. mod. uſusfructus amittatur*, ſi deinceps contingat proprietatem ad uſufructuarium transferri, laudemium dandum eſt. Interveniunt enim hoc caſu omnia ad laudemii præſtationem requiſita, alienatio ſcilicet rei emphyteuticæ, admiſſio, & approbatio novi emphyteutæ, atque inveſtitura, quorum gratia laudemium efflagitatur, ut notatur *in d. l. ult. Cod. de jur. emphyt.* Quis enim ambigat adeſſe hìc veram alienationem, cùm & dominium, & poſſeſſio in uſufructuarium transferatur, quæ translatio vera alienatio eſt? *l. ult. de reb. alien. non alienan. §. alienationes novell. de non alien. cap. nulli de reb. Eccleſ. non alienan. l. alienationis de verb. ſignif.* Transferendum inquam dominium eſt, quoniam uſufructuarius non eſt dominus, cùm uſusfructus ſit ſervitus, & conſequenter in re aliena, *inſtit. de uſufruct. in princip.* Neque ullus rei propriæ dicatur uſufructuarius, *l. pen. ff. de acquir. poſſeſſ. l. uti frui 5. ff. ſi uſusfructus petatur.* Unde dicitur jus uſusfructus extingui, ubi uſufructuarius proprietatis dominium acquirit, *l. ſi tibi fundi 17. ff. quib. mod. uſusfruct. vel uſus amit.* 179

Translato igitur noviter in eum dominio, inveſtitura, & approbatione domini ſuperioris opus erit, & conſequenter præmia, atque honoraria eam ob rem debita præſtanda. Nec ſolum dominium noviter in eum transfertur, verùm etiam poſſeſſio, maximè ſi vera ſit Baldi, Cumani, Romani, & aliorum ſententia exiſtimantium uſufructuarium, nequidem naturaliter ſibi poſſidere, ſed domino, *l. naturaliter 12. ff. de acquir. poſſeſſ.* Et quamvis naturaliter proprio nomine rem detinuiſſe concederemus, integram tamen poſſeſſionem, civilem ſcilicet & naturalem proprietatis 180

tatis acquisitione nanciscitur, cùm omnes fateantur plenè eum antea non possedisse, Jason, Bartolus, Ripa *in dict. leg. naturaliter* Fachin. *lib. 8. cap. 17. controv. jur.* Quapropter interveniente & dominii, & possessionis translatione, ubi usufructuarius proprietatem acquirit, laudemium abnegare non poterit.

181 XL. At è converso proprietario usumfructum emente, aliave ratione, consolidatione sequuta non dabitur laudemium triplici de causa. Primò, quia non acquirit utile dominium, cùm perpetuò illud retinuerit. Neque enim servitutis impositione dominium deperditur, nec alia ratione ususfructus retentio dicitur species traditionis, quàm quod qui usumfructum retinet, & servitutem habet, fateatur alibi esse dominium, per *leg. certa §. it qui rogavit ff. de præcar.* & probatur *dict. leg. penult. ff. de acquirend. possess.* & *d. leg. uti frui*. At ubi dominium utile non transfertur, laudemium non præstatur.

182 Altera ratio, quia neque etiam transfertur possessio. Dominus enim proprietatis semper possessor extitit, & per usufructuarium possedit, Cujac. *observ. 9. cap. 33. l. 1. §. Quod ait Prætor ff. quorum legatorum, leg. acquirit. 10. de acquir. rer. dom. leg. Sciendum §. possessor ff. qui satisdar. cog.* Unde si semper proprietarius possedit, usufructu extincto, vel consolidato, novam possessionem non acquirit. At sine possessionis translatione non datur laudemium.

183 Postremò, quia per solidationem ususfructus cum proprietate non transit aliquid ab usufructuario in proprietarium, sed tollitur, & extinguitur illud jus servitutis, *leg. Pomponius quærit 29. ff. quibus mod. ususfruct. amittatur*, & illicò res evadit libera, in pristinumque statum ipso jure restituitur. Quid igitur erit ab usufructuario in proprietarium translatum, propter quod laudemium præstandum asseverare possimus, cùm jura usufructuarii dicantur destructa, extincta, peremptа, non transmissa? Quis verò adeo supinus, ut ob jus aliquod extinctum laudemia deberi existimet? Tamdem non est novus emphyteuta, non opus nova investitura, non opus igitur laudemio.

184 XLI. At quid de constitutione census in re emphyteutica, vel feudali, ejusve liberatione? De hac re non omnium sententia est. Nam Faber *definit. 72. C. de jure emphyt.* asserit non deberi laudemium pro venditione pensionis annuæ perpetuæ impositæ super fundo feudali, vel emphyteutico. Complures alii asserunt deberi, Surd. *decis.* 204. *num. 6.* Menoch. *lib. 1. præsumpt. 107. num. 15.* Sola *ad decret. antiq. Sabaud. de jur. emphyt. gloss. 1. num. 8.* his potissimum rationibus suffulti.

185 Primò, quod valeat argumentum a gabella ad laudemium, & pro constitutione census eadem gabella præstetur, quæ pro rerum immobilium alienatione, ut decisum extat apud Surd. *d. decis.* 204.

186 Deinde, quia ex censu oriatur actio in rem scripta, qua dominus census experiri potest adversus omnes rei censui obnoxiæ possessores, Gabr. *consil. 141. numer. 14. & consil. 47. num. 6.* Surdus *loco citato numer. 8. & 9.* Molin. *de contract. disputat. 389. & 390.* Ei dari omnia remedia possessoria, habereque jus in re, Corbul. *de jure emphyt. titul. de cauf. privat. ob alienat. numer. 8.*

187 Postremò, quoniam frequentiùs receptum, census inter res immobiles connumerandos, ac de his ut de cæteris immobilibus sentiendum ratione solemnium onerum, actionum, judiciorum, quæ alienationis immobilium causa constituuntur, textus *in Clement. exivi de Paradiso, §. Cùmque annui redditus extra de verb. signif. leg. si quis inquilinos de leg. 1. l. jubemus, Cod. de Sacrof. Eccles.* ubi Blot. & tradunt Doctores *in cap. nulli de reb. Eccles. non alien.* Sed pro immobilium alienatione datur laudemium, *dict. leg. ultim. Cod. de jur. emphyt.*

188 Ego si rationum, non authoritatum numero, ac pondere quæstionem hanc definire velimus, ambigo ne affirmantium opinionem respuere cogamur. Neque enim rectè ita arguimus, census immobilis res est, ex eo datur actio in rem scripta, remedia possessoria competunt, igitur pro eo laudemium dandum est. Aliud enim erat addendum, nempè census est res feudalis, vel emphyteutica, vel in constitutione census transfertur dominium utile rei in census emptorem, aut ipsa res ita dicitur ei alienata, ut ejus dominus appellari possit. Nullus enim unquam negavit Justinianea Constitutione *in dict. leg. ultim.* laudemium ob alienationem rei emphyteuticæ, dominiique utilis translationem præstandum, *citat. leg. ult. Cod. de jur. emphyt.* ut Gloss. & Doctores. Quapropter si protritum est apud omnes, neque rei alienatæ dominus census constituitur, neque illius rei dominium in emptorem transire, ut ait Constitutio Beati Pii V. nullum quoque laudemium exinde deberi, omnes fateri oportet; mirumque profectò est Conradum *de contract. quæst. 83. concluf. 14.* Menoch. *de præsumpt. 107. lib. 3.* admittere dominum census nullum omninò nanciscì dominium in re obnoxia, & tamen in eam inclinare sententiam, ut laudemium præstetur. Duo enim hic reperiuntur summoperè diversa, census, & prædium, dominium census, & dominium prædii, dominus census, & dominus prædii.

Neque valet argumentum ab uno ad alterum, juxta 189
axioma *leg. Papinianus, ff. de muner.* neque census dicitur emphyteuticus, vel feudalis, quamvis super re feudali, vel emphyteutica imponatur; neque in eo imponendo, vel tollendo requiritur domini consensus, quem adhibendum Justinianus *in d. leg. ultim.* voluit, dum res emphyteutica distrahenda foret, neque approbatio, aut admissio, aut investitura, neque canon annuus pro eo a domino census præstandus. Quæ omnia cùm sint luce clariora, passimque recepta, cur priorem sententiam non amplectemur?

Verum quidem est, census annuos perpetuos em- 190
phyteuticos, feudalesque reddi posse, in feudum, emphyteusimve dari, & accipi; sed falsum est asserere eo ipso, quo census constituitur super re feudali, vel emphyteutica, evadere censerive feudalem, aut emphyteuticum, Bald. & Cardin. *in procem. feud. laud. cap. 1. §. 1. ver. quæro an in jurib. tit. qui feudum dare possint*. Itaque si neque feudalis, neque emphytenticus census est, neque feudum, neque emphyteusis, licèt in feudo, vel emphyteusi impositus; quis dubitet, summam esse imperitiam, vel nimiam credulitatem existimare re non feudali, non emphyteutica, empta, aut vendita, dandum esse laudemium, solaque Doctorum authoritate in eam sententiam trahi repugnante juris, æquique ratione, atque onera, invita jurisprudentia, nullaque necessitate cogente multiplicare, contra *leg. habemus 62. de leg. & fid. leg. qui dotem 16. de dot. præleg.* Hanc ipsam sententiam sequuntur Cæsar. Manent. *de contract. libell. part. 9. numer. 6.* & Virgin. Boccacc. *de censib. part. 2. num. 66. & part. 3. num. 33.*

Exciperem a priori sententia, primò, quando ipse 191
census datus, acceptusve in emphyteusim, vel feudum, ex Baldo, Laudensi, & Fabro *loco cit.*

Secundò, quando in fraudem domini directi factum 192
appareret, Faber *eo loco*. Videretur enim esse emptio rei colorata, & pars pretii, *leg. in venditione 41. leg. si sterilis 21. §. si tibi de act. empt.*

Tertiò excipio, quando alicubi contraria consuetudo 193
invaluit. Prævalet etiam in laudemiis consuetudo, Ant. Piag. *de consuet.* ac nos superiùs.

XLII. Ex mera autem jurium cessione jure credito- 194
ris facta laudemium non deberi, judicavit ornatus Sabaudus, teste Fabro *definit. 67. Codice de jur. emphyt.* Quoniam neque dominium, neque possessio in cessionarium transfertur, cùm apud cedentem non extiterint, & nemo dat quod non habet, *leg. nemo de reg. jur.* At his non translatis laudemium non persolvi omnes fatentur *in dict. leg. ult. C. de jur. emphyt.* De renunciatione vide Solam *de jur. emphyt. gloss. 1. num. 24. ad antiq. decret. Sabaud.* Excipe tamen quando creditor pignus vendit jure creditoris. Quoniam tunc transfert dominium, *leg. qui a creditore, Cod. de distract. pignorat.*

De repudiatione, & abstractione, nihil agit Ame- 195
dæus a Ponte. Alia verò eorum ratio est a renunciatione. Quoniam renunciatio dicitur esse hæreditatis aditæ, repudiatio delatæ, Jason *in leg. sicut C. de repud. vel abst. hæred.* Abstractio in suis respectu paternæ hæreditatis, cui nondum se immiscuerunt, Instit. *de hæred. qui lit. & differ.* Ob renunciationem hæreditatis deberi laudemium voluit Sola *cit. num. 24.* Etiam quando frater Monasterium ingreditur, ex Purpurat. *consil. 114.* Remittitur enim tunc jus jam quæsitum. Nam hæreditas paterna, ubi adita est, non est ampliùs hæreditas, sed adeuntis patrimonium, *l. 1. §. veteres, ff. de acquir. possess.* Ideòque vel donationi assimilanda, si fiat gratis, vel venditioni, si accepta pecunia. At repudiatio est juris nondum acquisiti, ac propterea ex ea nullum dabitur laudemium. Nihil enim dat, cùm nihil adhuc habeat, *d. leg. nemo de reg. jur.*

Excipiendum censent, quando pluribus existenti- 196
bus, ad quos æqualiter res repudiata deferretur, in

unius tantùm favorem celebratur repudiatio, ut ait Sola *d. num.* 24.

197 XLIII. At quid de alienationum, laudemiorumque concurſu intra ejuſdem anni periodum? De feudis ita ſentit Roſental. ut ſi plures caſus inveſtituræ, expoſtulandæ eodem anno ſimulque contigerint, exempli cauſa, ſi filius vaſſalli intra annum moriatur ante renovationem factam, tunc nepos unicam dumtaxat renovationem expoſtulat; de duplici verò laudemio dando quæſtio eſt.

198 Diſtinguendum ſi adſit vel conventio, vel conſuetudo, ut pro quacumque manus mutatione præſtetur, laudemium duplex debebitur. Deficiente verò & conſuetudine, & conventione, unicum dumtaxat. Cùm enim jure ſcripto feuda ſint a laudemio cum onere immunia, ut ſupra, & tradunt Afflict. Alexand. Guidop. in obſcuris ad id, quod minimum eſt, redigenda ſumma eſt, *leg. ſemper in obſcuris*, *leg. ſemper in ſtipulationibus*, *ff. de reg. jur.* Roſental. *cap. 6. concl. 66. num.* 10. æquitas idem ſuadet in emphyteuſi.

199 XLIV. An autem domino directo laudemia petenti inſtrumenti emphyteuticarii editio a poſſeſſore denegari poſſit? Non obſcura quæſtio, ſi diſtinctè progrediamur.

200 Aſſero primò, editionem inſtrumenti non eſſe faciendam a poſſeſſore, qui ſe emphyteutam, prædiumve a ſe poſſeſſum emphyteuticum, vel feudale minimè eſſe profitetur, Jaſ. *in leg. ſi legatum* 2. *ff. de edend.* Cephal. *conſ.* 508. *lib.* 4. Menoch. *conſil.* 554. *num.* 8. Roland. *conſil. 66. num.* 15. *lib.* 3.

201 Primùm, quia editio actori a reo regulariter facienda non eſt, niſi in caſibus exceptis ad ejus intentionem fundandam, *leg.* 1. *Cod. de edend.* ibique Alciat. & Ripa, & *leg. qui accuſare* 4. *Cod. eodem*, *ac leg. nimis grave* 7. *Cod. de teſtib.*

202 Poſt, quia reo negante rem eſſe emphyteuticam, vel feudalem, actor habet præſumptionem contra ſe, cùm omnia libera præſumantur, *leg. altius* 8. *Cod. de ſervit. & aqu. l. loci corpus*, *§. competit*, *ff. ſi ſervit. vindic.* Sed editio aliquando quidem ſit contra regulam actori, ut quando pro eo adeſt præſumptio, non ſi contra, ut notatur *in leg.* 1. & *ult. Cod. de edend. leg. qui concubinam*, *§. cùm ita leg. prædiis*, *§. Titio de legat.* 3.

203 Ad hæc, quia inter cætera hoc adnotatur diſcrimen inter petitionem hæreditatis, & ſpecialem in rem actionem, ut in priori judicio conventus ſuæ poſſeſſionis titulum oſtendere teneatur, non in ſecundo, Cujac. *lib.* 10. *obſervat. cap.* 1. *leg. cogi* 11. *Codic. de petit. hæred.* quæ lex extat *in leg.* 12. *Cod. Theodoſ. de fid. inſtrument.* ut ibi notat Gothofred. *leg. ultim. Cod. eodem titul.* Soccin. *reg.* 430. Verùm domino intentionem ſuam probante, in pœnam mendacii, emphyteuta, vel vaſſallus cadet in commiſſum, *capit.* 1. *§. vaſſallus*, *ſi de feud. fuer. controv.* Oldrad. Baldus, & Faber *definit.* 21. *Codice de jur. emphyteut. argument. leg. ultim. ff. de rei vindic.*

204 Aſſero ſecundò, ad domini, qui laudemium petit replicationem ſtabiliendam, ſicuti etiam ad ejus intentionem adjuvandam, a reo edendum eſſe, & titulum, ac inſtrumentum. Nam ad replicandam, ſicuti etiam ad adjuvandam, & corroborandam intentionem actoris, editio a reo regulariter fieri debet, quod ſcilicet editionem ſolùm lex impediat, cùm origo intentionis fundatur, non cùm jam fundata adjuvatur. Id enim faciliùs concedendum, *leg.* 1. *§. ſi quis ædificium*, *ff. de nov. oper. nunc.* Alciat. *in dict. leg. ultim.* & Doctores communiter, *leg. ultim. Cod. de edend.* ubi Purpurat. & Alciat. *dict. leg. qui concubinam*, & *leg. prædiis de leg.* 3. Quibus autem rationibus res præſumatur laudemio ſuppoſita, tradit Menochius *lib.* 3. *præſumpt. 9. numer.* 1. Univerſa hæc tractatio editionis æquitate ſubnixa eſt, *leg. edita*, *leg.* 1. *Codice de edend. cap. quoniam de probat.* Menoch. *caſ.* 175. *numer.* 5. At æquitas non ſuadet veritatem occultari, ſi intentio actoris adminiculis non levibus ſubnixa demonſtretur.

205 Aſſero tertiò, dum emphyteuta, vel vaſſallus ſe tales eſſe fatentur, cogi poſſunt inſtrumenta dominis laudemium expoſtulantibus edere, ſi ea habeant penes ſe, dummodò dominus juret de calumnia. Et hic eſt caſus ſingularis, cùm nemo regulariter titulum ſuæ poſſeſſionis oſtendere cogatur, Jaſon *in dict. leg. ſi legatum num.* 8. *ac* 9. *ff. de edend.* ex Baldo, ac Romano *conſil.* 163. Specul. *titul. de locat. §. num aliqua*, Menoch. *caſ.* 554. *num.* 1. *de arbitr.* Moventur arg. *leg. cùm plures* 15. *vel leg. ultim. ff. de bon. auth. jud. poſſid.* & *leg. Prætor ait* 4. *§. hujus edicti*, & *leg. ſi quis*, *§. pertinere*, *ff. de edend.* ubi Angel. idem ſcripſit Gloſſ. *in leg.* 2. *Cod. quando*, & *quibus quarta pars debeatur*, *in cap.* 1. *§. illud de prohib. feud. alienat.* Faber *definit.* 3. *numer.* 3. *Codic. de edend.* qui ſimpliciter ait, quemlibet poſſeſſorem cogi poſſe edere inſtrumenta domino directo, & *definit.* 21. *Codice de jur. emphyteut.* Unde plerique cenſent, niſi edoceat, quæ ſint feudalia, vel emphyteutica, omnia talia eſſe præſumenda, niſi adſit veriſimilis ignoratio, quæ juſtis de cauſis ſæpiùs contingit, Menoch. *dict. caſ.* 554. *num.* 5. & 6.

Aſſero quartò, qui fatetur ſe emphyteutam, vel vaſſallum, neque reperiri inſtrumenta ſui tituli oſtendit, utpotè quæ extare abneget, poteſt illicò expelli, niſi titulo præſcriptionis ſe tueatur, Angel. *in dict. leg. Prætor* 4. *§.* 1. *ff. de edend.* Jaſ. *dict. leg. legatum* 2. *num.* 10. *ff. eodem*, Abb. *conſil.* 75. quoniam ſcilicet finita emphyteuſis eam ob rem præſumatur, argum. *leg. ſi ſervus*, *Cod. quod cum eo*, ibique Bald. Præſcriptio autem hujuſmodi quadragenaria eſſe debet, Jaſ. *ex leg. jubemus*, *Cod. de feud. patrim. lib.* 11. 206

Aſſero quintò, editionem non ſolùm ab eo, qui primùm fundum in emphyteuſim accepit, peti poſſe ſed etiam a quovis alio, qui ab eodem rem conſequutus eſt quoque titulo, Faber. *definit.* 23. *Cod. de jur. emphyt.* quaſi hoc ſit onus rei, non perſonæ, atque hæc editio propter rem facienda ſit, *leg. ult. Cod. ſine cenſu*, *vel reliq. feud. compar. non poſ.* Res verò tranſit cum ſuo onere, *leg. alienatio*, *ff. de contrahend. empt.* Ejuſdem ſententiæ ſunt Menochius, Angelus, Jaſ. *locis allegatis*. Quia de quocumque rei emphyteuticæ poſſeſſore loquuntur. 207

Aſſero ſextò, a Notario venditionis inſtrumenti copiam domino laudemium petenti faciendam, quamvis regulariter tantùm is inſtrumenta deſcribat, ad cujus petitionem facta ſunt, Faber *definit.* 3. *num.* 3. *C. de edend.* Bartol. *in leg. ult. ff. de tab. exhib. Novella de Tabellionibus*. 208

XLV. Quod verò ad hypothecam, adeò proculcatum eſt apud Doctores dari a lege hypothecarium authorem dominio directo pro laudemio a quocumque poſſeſſore conſequendo, ut pauci id in controverſiam ampliùs adducere audeant. Itaque id pro indubitato ſuppoſuerunt, Faber. *defin.* 4. 7. & 69. *Cod. de jur. emphyt.* Menoch. *conſil.* 444. *numer.* 21. Franch. Salſona *de laudem. cellul.* 1. *num.* 9. *ac* 12. aliique innumeri ab his, & ab Amedeo a Ponte *de laudem. quæſt.* 45. connumerari. Unde ait Faber, ſi in actione hypothecaria cæteri creditores cum domino concurrant, hunc anteponendum, quoniam nemo privilegium habere potuit contra dominium in re, quæ eſt ipſius dominii, per *leg. ex facto* 52. *ff. de pecul. leg. in liberto* 77. *ff. de ſolut.* Quemadmodum etiam præferri ait pro annui canonis præſtatione, qua de re latè Surd. *deciſion.* 32. ac proindè triplici actione munitum eſſe, rei vindicatione, hypothecaria adversùs poſſeſſorem, & perſonali adverſus primum emphyteutam, qui alienavit, ejuſve hæredem, *definit.* 7. excipit creditores rem ipſam poſſidentes, pro cujus venditione laudemia a domino ſuperiore petuntur, & *definit.* 4. *num.* 6. 209

Verius tamen exiſtimo, emphyteuſim pro laudemio præſtando non eſſe hypotheca affectam. Ita Marc. Frecc. *de feud. lib.* 2. *titul. de author. Baron. author.* 3. *numer.* 4. quam ſententiam eo lubentiùs amplector, quoniam Senatus Mantuanus eam in judicando ſequutus ſit, extetque deciſum apud Surd. *deciſ.* 31. *numer.* 8. Omnis enim hypotheca aut eſt legis, aut conventionis, de hac non agimus. Scio enim nihil impedire, quominus in inſtrumento emphyteuſeos recognitionum inter emphyteutam, & dominum directum, conventio fiat ſub hypotheca omnium bonorum, & ipſius rei emphyteuticæ de laudemio præſtando, quotieſcumque rem alienari contingit. Omnia enim conceſſa domino exiſtimantur, quæ nominatim interdicta non reperiuntur, quando ſumus in genere permiſſorum, *leg.* 1. *§. adhiberi autem ff. de teſtib.* Validiſſimo autem fundamento nitimur, quod ſcilicet hypotheca tacita, ſeu legis, his tantùm caſibus competat, quibus nominatim aliqua lege data repetitur *titul. ff.* & *Cod. quib. cauſ. pign. vel hypothec. tacitè contrahetur*, Ripa *in leg.* 4. *§.* 1. *num.* 9. *ff. de privileg. credit.* Roman. *conſil.* 454. Nuſquam autem in jure hujus hypothecæ fit mentio. Plura vide apud Surd. *loco citato*. 210

XLVI. Ob duodecim autem liberorum numerum nullus privatis oneribus, quæ propter emphyteuſim, vel 211

vel cenſum præſtanda ſunt, immunis cenſetur, Rimi-
nald. *conſil.* 25. *num.* 42. *lib.* 1. Surd. *deciſ.* 31. *num.* 10.
in fin. & num. 11. ex Menoch. *conſil.* 297. Rodoan. *de*
rebus Eccleſ. non alienan. quæſ. 66. *num.* 2. Qui plura
exoptat de privilegiis, & immunitatibus ob duodecim
liberorum numerum parenti concedendis, adeat Ferra-
ro Pace, *in tractat. de excuſat. parent. de munerib. obli-*
Covar. *de ſponſal. part.* 2. *cap.* 8. Franch. *de-*
ber. num. Thesaur. *deciſ.* 267. Fachin. *lib.* 5. *con-*
379. Surd. *deciſ.* 123. Alb. *conſil.* 519. Interpretes, *in*
leg. Si quis decurſis Cod. de decurion. Roland. *conſil.* 52.
lib. 2. Viv. *commun. opin. v. pace habens*, Guidop. *qu.*
301. Ex quibus ſubſequentia effecta depromere perfaci-
le eſt.

212 Primum potiri immunitate munerum perſonalium, *leg. ſemper* 5. *§. demonſtratur ff. de jur. immunit. leg. ſi quis decurio Cod. de decurion.* ibi: *honeſtiſſima munerum quiete donetur.*

213 Secundum a civilibus muneribus excuſari, *leg. ſex-*
tumdecimum 2. *§. numerus ff. de vocat. & excuſation.*
muner.

214 Tertium a muneribus patrimonialibus liberari, *d. leg.*
Si quis decurio Cod. de decurion. quamvis jure ſcripto in-
diſtinctè id condonandum minimè videatur. Nam *dict.*
leg. 2. ait, onera, quæ patrimoniorum ſunt, numero
liberorum non excuſari; verùm *leg. reſcripto* 6. *§. mu-*
nera ff. de muner. & honor. munera, quæ matrimoniis,
vel in tributiones, talia ſunt, ut neque numerus libe-
rorum, neque alia prærogativa, quæ ſolet a perſona-
libus exuere, excuſet. Idipſum reſcripſerunt Imperatores, *in leg. neque* 5. *Cod. de mun. patrimon.* Neque
tempore ætatis, neque numero liberorum a muneri-
bus, quæ patrimoniorum ſunt, excuſationem quis ha-
bere poteſt. Scio Cujacium, & alios frequentius de
numero quinque liberorum hos locos interpretari.

215 Quartum ſed ei liberorum numerus indiſtinctè, ac
pleniſſimam tribuit excuſationem, *dict. leg. ſemper §.*
demonſtratur, & *leg.* 24. *Cod. de decurion.* Quæ omnia
recipiuntur, ſive ſint maſculi, ſive fœminæ, ſive nu-
pti, ſive emancipati, ſive legitimi, ſive legitimati,
argument. *novell. quib. mod. natural. efficiantur legitim.*
Sive in militia mortui, ſive nepotes, patre prædefun-
cto, placuit enim Philippo Imperatori, nepotes in
locum parentum ſuccedentes vice eorum prodeſſe, *leg.*
nepotes 3. *Codice de his, qui num. liber. vel paupert.*
excuſationem merent. leg. ult. Cod. qui num. lib. ſe ex-
cuſat.

216 Nec ceſſat, licèt poſt numerum completum aliquis
deceſſerit, neque in bonis deinceps acquiſitis, neque
in patre divite. Ceſſat patre mortuo, etiam filiis in
communione perſiſtentibus, ſecus tamen Mediolani
ſancitum. Ceſſat in adoptivis, ceſſat in vectigalibus
pro mercimoniis impoſitis, niſi quando in uſum fami-
liarem comparantur: ceſſare volunt in oneribus, quæ
ingruentibus, imminentibuſque hoſtibus indicantur,
quemadmodum ſi opulentiſſimum extet patrimonium,
ampliſſima latifundia, ne in anguſtias cæteri cives,
municipeſve adducantur, immenſoque omnes pondere
ob unius emptionem prægraventur.

217 XLVII. Quod verò ad præſcriptionem in laudemiis,
triginta annorum curriculo dominium ſuperiorem ex-
cludi a jure laudemiorum, deciſum in Curia Thole-
ſana, teſtatur Mainard. *lib.* 4. *deciſ.* 46. Cujus ſectato-
res refert Carond. *lib.* 2. *cap.* 7. Ferron. *in conſuetud.*
Burdegal. titul. de feud. Quoniam omnes actiones tri-
ginta annorum ſpatio extinguuntur, *leg. competit.* 6.
Cod. de præſcript. 30. *vel* 40. *annorum leg. cùm notiſſi-*
mæ 7. *§. ultim. de præſcript. longi tempor.* In futurum
tamen laudemiorum exactio non præſcribitur, adeout
ſi in poſterum alienationes ſubſequantur, dominus di-
rectus laudemia non nanciſcatur, juvat, quod triginta
annorum curriculo jus retentionis feudi præſcribi ve-
lint, *cap. porrò in fine, quæ fuerit prima cauſa amit-*
tendi beneficium, Cujac. *in leg.* 2. *Cod. de jure emphy-*
teut.

218 Non eſt arbitrandum, præſcriptionem etiam ad lau-
demia in poſterum exigenda, non poſſe extendi, dum-
modo interveniant tria, quæ ab omnibus requiruntur
inſervientibus negativis, de quibus Ninot. *in titul. de*
uſucap. Inſtitut. lib. 2. *titul.* 6. Canoniſtæ *in cap. Cùm*
Eccleſia Sutrina de cauſ. poſſeſſ. Fachin. *lib.* 8. *cap.* 22.
Thesaur. *deciſ.* 114. Boer. *deciſ.* 336. ac Doctores, *leg.*
ſi certis annis Cod. de pact. Cujac. *loco cit.* Nam quota
etiam Cenſus in recognitionem domini ſuperioris debi-
ta præſcriptioni ſubjacet, non aliàs tamen, niſi im-
memorabilis temporis ſpatio tranſacto, ut refert May-

nard. *lib.* 4. *deciſ.* 47. ex Marco, Baldo, Saliceto,
Ferronio, Ancharano, & aliis ab eo luculentius tran-
ſcriptis.

XLVIII. Libellarii autem contractus varia formula 219
eſt pro regionum varietate, utpotè conſuetudine ma-
gis, quàm juris ſcripti rationibus introductus, Felician.
de cenſ. cap. 1. *numer.* 17. *lib.* 1. frequentiſſimus tamen
eſt, ut ait Purpurat. *conſil.* 505. ob quem non deberi
laudemium pleriſque rationibus eruditè oſtendit Ma-
nent *de controv. libellar. pact.* 9. Et propterea conſue-
tudinarias laudemiorum eam ob rem ſolutiones, quæ
paſſim irrepſerunt, prorsùs abolendas, & abrogandas,
tamquam juri, & rationi repugnantes, eo quod in
hujuſmodi libellis neque duplex dominus, neque du-
plex dominium ſit, ut in feudo, vel emphyteuſi,
leg. 1. *& ultim. ff. ager. vectigalis*. Laudemium verò
a domino utili præſtetur ei, qui ſuperius dominium
habet, ut traditur frequentiùs *in dict. leg. ultim. Cod.*
de jur. emphyt. & nos latè ſuperiùs. Quin etiam li-
bellaria conventione res quaſi oppignoretur potiùs quàm
abalienetur. At propter hypothecam non datur lau-
demium, ut etiam ſuperiùs dictum eſt, & luculenter
docent Cravett. *conſil.* 464. Berous *conſil.* 117. *numer.*
7. Burſatt. *conſil.* 171. *numer.* 56. Amedæus *de Laudem.*
quæſt. 33.

Verumtamen cum in laudemii tractatione, uti et- 220
iam in cæteris, conſuetudo faciat jus, ut quoque di-
ximus *numer.* 4. ceſſabit Manentis ſententia; ubi ex
re libellaria laudemium dari moribus receptum eſt.
Unde in Gallia præſtatur certa pecuniæ quantitas pro
introitu ob libellarium contractum, ut teſtatur Gotho-
fred. & Jo: Papon. *ad leg.* 1. *de jur. emphyt.* Atque hæc
conſuetudo, dummodò legitimè præſcripta, non reſpuen-
da, quando contractus libellarius non eſt in fraudem
cenſuum, quales ſunt hi, de quibus agit Manent. *quæſt.*
1. *num.* 24. Vel quando nulla adeſt ſuſpicio uſuraria;
vel ubi emphyteutici contractus naturalia non deficiunt,
vel in cenſum res non incidit, cujus gratia pervaga-
tum eſt, laudemium non præſtari, Virgin. *de cenſib.*
part. 2. *num.* 66.

Et quamvis Cæpola *de ſimulat. contract. num.* 66. *ac* 221
ſeqq. tradat rem libellariam laudemio, quod teloneum
appellat, obnoxiam; ejus tamen opinio coarctanda eſt
inter eas regiones, in quibus aut immemorabili con-
ſuetudine ita frequentatur, aut res libellaria ac em-
phyteutica in omnibus aſſimilatur, & ratione periculi,
& ratione dominii inveſtituræ modici annui canonis,
adeout emphyteuſis non immeritò appellari poſſit, ta-
metſi aliquantulùm a Juſtiniani, vel Leonis Imperatoris emphyteuſi diſſimilis, non in ſubſtantia, ſed in
natura, cujus variatio novam contractuum ſpecifica-
tionem introducere non debet, aut ſi inducat, valebit
ratione æquiparationis argumentum ab uno ad alterum,
quoad effectum non eruat diſſimiles, Felician. *loco cit.*
lib. 2. *cap.* 4. *num.* 25. Jaſ. *in leg.* 1. *C. de jur. emphyt.*
num. 37. Roland. *conſ.* 87. *num.* 1. *lib.* 1. Menoch. *conſ.*
372. *num.* 3.

Cæterùm ubi ceſſat inveſtiendi in poſſeſſionem, do- 222
miniumque transferendi neceſſitas, abs re laudemiariæ
præſtatio efflagitabitur, cùm iis deficientibus, nequidem
in vera emphyteuſi laudemium debeatur, ut ſcribitur *in*
d. leg. ult. Cod. de jur. emphyt. ubi Jaſ. *num.* 52. Multò
igitur minùs in libellario contractu, cum pleriſque aliis
oneribus ſubjiciatur, de quibus Cujac. *lib.* 1. *tit.* 2. *quib.*
mod. feud. amit. Felician. *ibidem lib.* 2. *cap.* 4. *num.* 22.
ac 23. Cæpol. *d. num.* 62. *ac ſeqq.* & tot oneribus ali-
quem prægravare iniquum, Menoch. *conſ.* 195. *num.* 9.
& conſ. 440. *num.* 8.

Quemadmodum ubi frequentantur colonarii con- 223
tractus ſummoperè ab emphyteuſi differentes, non eſt
locus laudemio, jure coloniæ diſtracto, licèt hujuſmo-
di coloni pro ſe, ac hæredibus coloniam obtinuerint,
ut tradiderunt Pariſ. de Put. *de redintegr. feud. cap.*
88. *numer.* 10. qui teſtatur, ita obſervari in territorio
Neapolitano, quem ſequitur Sola *de jur. emphyt. gloſſ.*
1. *num.* 41. Nec quidem immeritò, cùm neque in-
veſtitura opus ſit, quando colonus ſecum jus in a-
lium transfert, neque domini conſenſu, vel appro-
batione, ut ait Pariſ. *numer.* 9. quia etiam laudemium
onus rei eſt. Menoch. *conſil.* 444. *numer.* 34. *& conſil.*
297. *num.* 1. *& conſil.* 153. *num.* 21. Ideòque coangu-
ſtandum, non autem multiplicandum, & extenden-
dum a contractu ad contractum, ab emphyteuſi ſci-
licet ad colonarium, vel etiam ad libellarium, cùm
onera nunquam cenſeantur repetita, niſi id nomi-
natim cautum, & expreſſum, Menoch. *conſil.* 1079.
num. 27. utpotè odioſa, idem *conſil.* 436. *num.* 2. *argum.*

leg. cohæredi , §. cùm filio , ff. de vulg. cap. odio de reg. jur.

224 Sanè ſi res emphyteutica libellario, vel colonario perpetuo titulo in alium ab emphyteuta transferretur, æquius videtur laudemium domino a cæteris præſtari, quia libellarii contractus venditio eſt, ex Cujacio citato, aut alienationis ſpecie noviter jure civili excogitata, ut voluit Clarus, Jaſon, Menochius, & Rolandus locis allegatis, & per coloniam perpetuam pro ſe, ac hæredibus alicui conceſſam emphyteuſim abalienari neutiquam ambigi poteſt, cùm communiter id cenſeatur de locatione decennali, &c.

225 Porrò libellarius contractus eſt conventio de re utenda, data in perpetuum ſub annua paucorum denariorum penſione, Obert. *lib. 1. feud. tit. 9. §. 2.* ubi contractum hunc apertè interpretatur fraudulentam alienationem, quæ ſub nomine, ac prætextu locationis fieri ſolet. Et *lib. feudorum 2. tit. 55. §. 1. obligaverant*, vendiderunt, quadam colluſione nomine libelli alienaverunt, ſic *lib. feudorum 2. titul. 43.* mentio fit certæ penſionis, quæ quotannis libellariæ emptionis nomine præſtatur.

226 Unde autem fictum nomen ſit, non facilè dixerim. Nam omnium quidem veterum Doctorum vulgata opinio eſt, eo ſic dici, quod contractus in libello, ſive brevi charta perſcribatur. Quod veriſſimum cenſeo, ſunt tamen qui dubitent, an a libello, quod fuiſſe minuti nummi Romani genus nemo ignorat, potius deductum eſſet. Nam Obertus viliſſimam duorum denariorum penſionem appellat, quaſi diceret, aliquot libellis, quæ quotannis penduntur, quaſi beneficii teſtificandi cauſa, cujuſmodi verè conventio illa eſt, de qua apud Livium lib. 41. *Conſules agrum æſtimaturos, & in jugera aſſes vectigales teſtificandi cauſa publicum agrum eſſe impoſituros, ut ſi quis cùm ſolvere poſſit populus, pecuniam habere, quàm agrum mallet, reſtitueret agrum populo.*

227 Sed uſitata feudiſtarum conſuetudo repugnat, apud quos paſſim libellus maſculino genere nominatur, ut lib. feud. tit. 44. *Per libellum alienare. Pro libello agrum tenere. Ad libellum daret.* Et titul. 9. §. 2. *Per libellum, ut dicunt, venditio*, & titul. 39. §. 1. *Si libellum unus alteri fecerit de feudo paterno, non eſt libellus, ſed quaſi refucatio.* Quibus ex locis perſpicuum eſt, libellum facere nihil aliud eſſe, quàm illo levi libellorum, ſive denariorum annuorum pretio vendere, ſive feudum, ſive allodium vendatur. Sic lib. feud. 2. titul. 44. *Si feudum ad libellum domini voluntate vendidit, ſi quiddam pro libello ei datur ſingulis fortè annis, & hoc jure feudi cenſetur.* Et paulò poſt, ubi pro feudo, & pro libello retinere, perſpicuè tamquam contraria opponuntur. Sic in leg. Logombardorum titul. 67. §. 1. Et in Lombard. lib. 1. titul. 9. *Si quis homo in aliena terra libellario nomine reſidens homicidium fecerit, habeat ſpatium ad conquirendum, &c. & §. 3. Quòd ſi nec hoc voluerit facere ipſe, cujus terra eſt, dare debeat libellario nomine ipſam terram ei, qui homicidium factum eſt, ut reddat ei exinde, ſicut illè reddebat, qui ipſum homicidium fecit*, Sic lib. feud. 3. titul. 2. §. 4 *Inſuper omnibus modis prohibemus, ut nullus ſenior de beneficio ſuorum militum cambium, aut precarium, aut libellum ſine eorum aſſenſu facere præſumat.* Quod interpres in titul. de lege Conradi lib. feud. titul. 4. §. 2. ita expoſuit; *Ex eadem lege deſcendit, quod dominus ſine voluntate vaſſalli feudum alienare non poteſt.* Eodem pertinet text. feud. 2. titul. 34. §. 3. *Notarius verò, qui ſuper hoc tali contractu libellum, vel aliud inſtrumentum conſcripſerit.*

228 Rursùs alia libelli natura, & conditio notanda eſt, quam apertè demonſtrat lib. 1. titul. 13. *Ut res de colonì ſtirpe, & familia non exeat, atque hac extincta continuò ad datorem revertatur*; ibi enim feudum idcircò vetatur ad libellum dari Eccleſiæ, quia nunquam ei hæres eſſe deſinit. Quod idem de Collegiis dici poteſt, argum. *leg. proponebat, ff. de judic.*

229 Hæc cùm ita ſint, perſpicuum eſſe videtur, libellarium contractum non eſſe venditionem; quia nullo juſto pretio res æſtimatur, aut venditur, ſed potiùs emphyteuſim, quia non pretium ſolvitur, ſed vectigal annuum minutum pro feudo alienato ponitur. Aut planè ſic mihi perſuadeo, cùm, Doctorum propè omnium conſenſu ſcriptura in contractu emphyteutico ex Zenonis Conſtitutione requiratur, *leg. 1. Cod. de jur. emphyt.* probabile eſſe Longobardos pro emphyteuſi libellarium contractum dixiſſe. Video enim Ardiſonem apertè teſtari permultis Italiæ locis, atque adeò Veronæ in patria ſua libellum pro contractu emphyteutico dici, atque uſurpari ſolere.

Reliquum eſt, ut libellarii contractus definitionem exponamus hoc modo. Libellarius contractus eſt conventio in libello præſcripta de prædio in perpetuum fruendo ea lege, ut colonus, ejuſque poſteri quotannis vectigalis nomine certam penſiunculam præſtent uſque dum ſtirpe extincta prædium ad authorem revertatur. Colonarius autem contractus quis dicatur, vide Gothofredus *ad rubric. Codice de re emphyteutica.* 230

XLIX. Quod verò ad jus accreſcendi in laudemiis, pacto quidem fieri poteſt, ut portio laudemialis uni debita, aut delata, alteri accreſcat, ſi repudietur, vel omittatur, vel alia de cauſa non acquiratur, quemadmodum de emphyteuſi tradidit Mareſcott. *variar. reſolut. lib. 1. cap. 75.* ubi docet conventione jus accreſcendi ibi introduci poſſe, ubi alioquin, jure communi inſpecto, defeciſſet, ex Decio *conſil. 326.* Socin. junior *conſil. 119. lib. 2.* Ancharan. & aliis, *cap. 1. de benefic. fratr. cap. 1. de duobus fratrib. cap. 1. de fratrib. de novo benefic. inveſtit.* Zaſ. *de ſucceſſ. feud. numer. 34.* quamvis in tractatu juris accreſcendi haud minus rectè arguere forſan liceat a jure feudali ad cætera. Feuda enim Principum beneficia ſunt, in quibus ſancitum eſt jure quodam ſingulari, ut licèt de contractibus ageretur, locum obtineret jus accreſcendi, *leg. unic. Codic. ſi liberalit. Imperial.* Soccinus, Duarenus, & alii, quod regulariter ceſſat in contractibus, §. *Quod ſi quis inſtitut. de inutil. ſtipulat. & leg. ſi mihi de verb. obligat.* ab Amedæo *quæſt. 48. allata*, Duaren. *lib. 1. capit. 15. de jur. accreſcend.* Potior igitur ea eſſet ratio, quoniam certa voluntas contrahentium ſervanda eſt pro lege, *leg. juriſgentium 7. §. Prætor ait, ff. de pact.* 231

Itaque ſicuti omnes admittunt, legem ſubobſcura teſtatoris mente inſpecta, jus accreſcendi in ultimis voluntatibus repoſuiſſe, ut *in leg. unic. Cod. quando non perſonis patitur*, Cagnol. Maſſin. id ipſum in contractibus, pactis, conventionibuſque concedant neceſſe eſt. Dicuntur enim pacta lex contractus, *leg. legem, Cod. de pact. leg. contractus de reg. jur.* 232

Non placet tamen indiſtinctè abnegare laudemiis jus accreſcendi, neque enim res, quæ debetur, ea eſt, quæ hujuſmodi jus alicubi adeſſe, aut exinde abeſſe operatur, ſed titulus, & conjunctionis forma, aut legis, aut realis verbalis mixta, ut docent Doctores, *in leg. re conjuncti de leg. 3. in leg. unic. C. quando non petentium partes petentib. accreſc.* 233

Quid verò ſi pluribus ejuſdem laudemii exactio indiviſim legaretur, & alter non concurreret? Quid ſi æquis partibus, eodem tamen ſermonis, & verborum nexu? 234

His certè intervenientibus quæ ad jus accreſcendi ſufficiunt, ipſum quoque adeſſe oportet, ſive de laudemiis, ſive de emphyteuſi, vel de quacumque alia re agatur, ut exploratum unicuique eſſe poteſt ex iis, quæ Cagnol. Maſſin. ac cæteri docuerunt *in leg. unic. Cod. quando non per partes*, Bartol. Jaſ. Ripa *in d. leg. re conjuncti de leg. 3.* integriſque, & elegantibus de jure accreſcendi tractatibus, Duaren. Govean. Graff. tradiderunt, unde altiùs repetenda diſputatio fuerat, at nolumus actum agere. Ipſos adi, ac lege. 235

L. Sed quid de ſimulatione? Supervacaneum diutiùs hìc hærere, cùm omnium manibus verſentur, quæ luculenter ſcripſerunt, Farinac. *quæſt. 161. & 162. ac ſeq.* Card. Tuſch. *pract. concluſ. v. ſimulatio num. 257.* Mantic. *de tacit. & ambig. contract. lib. 13. titul. 35. ac 37.* Menoch. *lib. 3. præſumpt. 129.* Sola *ad decret. antiq. Sabaud. de jur. emphyt. num. 38.* ex quibus colligimus non deberi, niſi fraudem dominus arguat, C. plus valere quod agitur, quàm quod ſimulatè concipitur, *lib. 4. tit. 22.* 236

LI. An autem hæres gravatus fideicommiſſo laudemia reſtituat, pœnaſque caducitatis? Et quidem ad hæredem pleno jure pertinere laudemia ante adventum conditionis, ſub qua fideicommiſſum reſtituendum, eſt receptum, Faber *definit. 47. Cod. de jur. emphyt.* Pereg. *de fideic. art. 10. num. 6.* quæ ſententia ſtabilita eſt apertiſſimis rationibus. 237

Prima. Ad hæredem omnia ea pertinent, quæ ſunt in fructu, *leg. in fide commiſſaria 18. §. Quoties ff. ad Sen. Conſ. Trebell.* ſed laudemia commemorantur inter fructus, & obventiones prædiales, Amed. *de laudem. quæſt. 20.* Guidop. *quæſt. 477. n. 2.* Immò licèt plerique cenſeant non pertinere laudemia ad fructuarium, quaſi ſint obventiones perſonales, non reales, Franc. §. 238

obs. lib. 5. cap. 9. eos tamen fateri oportet deberi hæredi gravato, quia eidem etiam utilitates personam respicientes, ut obsequia libertorum, & servorum opera debentur, *leg. Ita tamen ex d. leg. In fideicommissariam ff. ad Sen. Consult. Trebel.*

239 Secunda, quoniam ante purificatam conditionem est verus rerum hæreditariarum dominus, ac bonæ fidei possessor, immò perpetuò remanet hæres, etiam hæreditate restituta, *leg. 1. §. restituta ad Sen. Consult. Trebell. Instit. de fideicomm. hæreditatib.* sed dominus, ac bonæ fidei possessor laudemia, omnesque alias utilitates, & emolumenta sua faciunt, *leg. & ex diverso 35. §. 1. ff. de rei vindict. leg. qui scit ff. de usur. leg. bonæ fidei 48. ff. de acquir. rer. domin.*

240 Tertia, plus etiam juris habet, quàm fructuarius, quoniam ad fructuarium non pertinet jus investiendi, & laudandi novum emphyteutam, ut dixi *num.* 20. Et tradit Amed. *quæst.* 20. Et tamen hæres gravatus investituram dare debet, non alius, Faber *defin.* 47. Nam dominus est, & investire est juris dominicalis, *d. leg. ult. Cod. de jur. emphyt.*

241 Quarta, quia sive laudemium præstetur ratione consensus, sive translationis in possessionem, aut admissionem, & investituram, aut in recognitionem dominii superioris, prout latè nos *num.* 1. & Amed. *quæst.* 1. hæc omnia in hærede concurrere. Unde qui sentit incommodum, commodum quoque sentiat, æquum est, *leg. si usufructu 4. ff. de donat. leg. cohæredi 41. §. quoad si ff. de vulg.* alteri non debet dari commodum, & alteri incommodum; incommodum investiendi datur fideicommissario, ergo & commodum laudemii.

242 De commisso dicendum venire in restitutionem, nisi ob gravem injuriam hæredi illatam, dominium utile factum sit caducum, & directo consolidatur, Pereg. *d. art. 10. num. 10.* Faber *d. defin. 47. Cod. de jur. emphyt.* Rationes vide apud ipsum.

243 LII. Ob non soluta destinato tempore laudemia emphyteusis, & feudatariis, variæ pœnæ inducuntur ob varias regionum, ubi feuda, emphyteusisque existunt, consuetudines, de quibus eruditè Carondas, *lib. 3. respons. cap. 35.* Chophin. de morib. Paris. *titul. 3. numer. 9.* Maynard. *lib. 4. decis. 44.* qui fatetur ejusmodi pœnas veluti nimiùm asperas profundo oblivionis fluvio in Tholosana Curia submersas. Nos ut res lucidiùs appareat, sequentes casus separatim examinandos destinavimus.

244 Primus casus. Secundùm Justinianei juris rationem emphyteuta, qui fraudem in laudemio persolvendo committit, incidit in commissum, & omni jure emphyteutico privatur. Id totidem verbis scriptum est *in d. leg. ult. Cod. de jur. emphyt. in fin.*

245 Secundus casus. Quando ob spretas juris communis sanationes emphyteusis in commissum incidit culpa emphyteutæ, vel fundum culpa Vasalli, non solùm amittit rem in emphyteusim acceptam, verùm etiam ipsas meliorationes, Marescot. *var. resolut. cap. 110. num. 13. lib. 1.*

246 Tertius casus. Cessant mulctæ jure communi inflictæ, ubi pensio annua fructibus respondet, & æqualis est, Marescott. *loco cit. num. 14.* atque ita decidit Rota Romana. Quæ sententia ea ratione nititur, quoniam hujusmodi emphyteusis sapiat naturam locationis, Bartol. *in leg. 1. num. 4. Cod. de jur. emphyt.* At conductor quamvis culpa propria è feudo conducto dejiciatur, nunquam tamen meliorationes a se factas deperdit, *leg. Colonus ff. locati.*

247 Quartus casus. In iis regionibus, in quibus per usum, diuturnamque consuetudinem bona emphyteutica caducitati non subjiciuntur, neque etiam ob laudemium non solutum in commissum res emphyteuticæ, vel feudales incidunt, uti servatur in Regione Pedemontana, Purpurat. ad Jason. *dict. leg. ult. num. 10.* Sola *ad decret. antiq. Sabaud. de jur. emphyt. num. 6.* Et in Occitania, Maynard. *lib. 4. decis. 44. alibi* Frec. *de author. & potest Baron. lib. 2. §. Pluribus quæst. 27. num. 81. ac seq.*

248 Quintus casus. Si conventum sit inter dominum, & emphyteuticarium, ut emphyteuticarius cessatione laudemii intra aliquod tempus a die alienationis expellatur, valet conventio, & expelli poterit, *lib. 2. Cod. de jur. emphyt.* ubi servandæ pactiones inter dominum, & emphyteuticarium, notat Cujacius, præsertim cùm non repugnet substantiæ emphyteuseos, *leg. Cùm precatio 12. ff. de precario leg. 72. ff. de contrab. empt.*

249 LIII. An autem immunitas Ecclesiæ in laudemiis transeat in laicum Ecclesiæ successorem, Menoch. *dict. cons. 444.* tantoperè rem laudemio affici arbitratus est, ut licèt statuto cautum reperiretur, ne laici laudemiorum solutionem prætendere possint, sed dumtaxat Ecclesia; attamen scripserit laicum in re laudemiario onere affecta succedentem, hujusmodi jus nanciscì, ex Salsona *de laudem. cell. 1. numer. 10. ac sequentibus.*

Primùm, quia jura realia rem sequantur quocumque proficiscatur, *leg. rescripto, §. sciendum, ff. de muner. & honor.* & laudemium sit onus rei. 250

Deindè, quoniam res laici transit in Ecclesiam cum suo onere, aut decimarum, aut laudemiorum, aut censuum, *cap. nuper de decim.* Salyc. *in leg. placet, Cod. de Sacros. Eccles.* Cravett. *cons. 217. num. 5.* 251

Tum quia jura prædialia in emptorem transeunt, sive favorem, sive onus respiciant, *leg. aquæductus, ff. de contrab. empt.* 252

Mox, quia qui in jus alterius succedit, &c. *leg. qui in jus, ff. de reg. jur.* 253

Ad hæc, quia indirectè inferretur Ecclesiæ detrimentum, minùs enim res venderetur, si ubi primùm ab Ecclesiæ potestate recessit, tali jure destitueretur. Id verò non licet, argum. *cap. Ecclesia S. Mariæ de constitut.* 254

Item, qui ex persona propria incapax est, ex persona venditoris capax reddi potest, Bart. *in leg. 1. §. sed si jure, ff. ad leg. Cornel. de falsi.* arg. *l. quædam, §. nihil, ff. de edend.* 255

Præterea, licèt laudemiale jus personale esset, jura tamen personalia virtute pacti in rem provenientia transeunt in emptorem, *leg. si tibi, §. pacto convenit, ff. de pact.* ubi Bartolus. 256

Demùm, quoniam immunitates Ecclesiasticæ in eos, qui causam habent ab Ecclesia, transeunt, & propterea plures volunt Ecclesiæ emphyteutam non minùs, quàm Ecclesiam ipsam, a collectis, & tributis immunem, Bartol. *in leg. privatæ, C. de excus. munic.* faciuntque tradita a Fachin. *lib. 1. controv. capit..... quæst. 1.* 257

Sunt tamen, qui hanc sententiam respuant. Frequentiori enim ajunt Doctorum calculo receptum est privilegia realia Clericis concessa non prodesse iis, qui a Clericis causam, titulumve obtinuerunt, ut latè idem Menoch. *de arbitr. cas. 562. num. 22.* qui hanc sententiam indistinctè sequitur, rursus *cas. 180.* & Bertrandus *consil. 4. lib. 1.* Jas. *in leg. 1. num. 12. Cod. de ind. vid. toll.* Alexand. *consil. 101. num. 11. lib. 1.* Valasc. Bruno, Curtio, Barbatia, Rolando, & aliis. Revera enim, inquiunt, ubi ab Ecclesiæ dominio res recessit, profana, & laica efficitur. Cur igitur sæcularibus statutis non subjiciatur? 258

Nos verò consentaneè ad ea, quæ alibi diximus, primam sententiam omninò amplectimur, de qua etiam quæstione, ac numero sequenti. 259

LIV. Sed quid de immunitate Ecclesiæ a laudemiis etiam statutariis, vel consuetudinariis? Præstationi laudemiorum Ecclesiam obnoxiam fatetur Martha *de jurisdict. part. 4. cent. 1. cas. 17. n. 25.* Verùm non Cæsareæ Constitutionis vi, quasi ea sit in foro Pontificio observanda in iis, quæ Canonibus non repugnant, *cap. 1. & 2. de nov. oper. nunc. canon. si in adjutorium, & canon. quoniam dist. 10.* sed quoniam utile dominium feudi ad Ecclesiæ pertinens, nonnisi ob apertissimam Ecclesiæ utilitatem distrahatur, aliisque requisitis intervenientibus, quæ traduntur *in Extravag. Ambitiosæ de reb. Ecclesiæ non alienan.* Quibus adjectis cùm Summus Pontifex alienationem approbet, magis ex ipsa Pontificia approbatione, quàm Justinianeæ Constitutionis permissione, & virtute ait, laudemia præstari; unde censuit *numer. 33.* obstringi quidem Ecclesiam ad laudemium jure communi debitum, cujus quantitas quinquagesimæ pretii respondit, *d. leg. ult. Cod. de jur. emphyt.* 260

Non tamen ad laudemium statutarium, vel consuetudinarium, de quo Fulgos. *consil. 6.* quasi hujusmodi statuta, tamquam repugnantia libertati Ecclesiasticæ, nullius sint momenti, *dict. cap. Ecclesia S. Mariæ, & dict. cap. 1. de nov. oper. nunc.* de Cæsarea, universalique lege, non autem de municipali jure intelligi debeant. 261

Hæc sententia aliis absona videtur. Primò, quia lex de laudemio præstando immunitati Ecclesiasticæ minimè adversatur. Æquum enim est, superiorem dominum, a quo investituram accipimus, recognosci, & consensus, approbationisque, & translatæ possessionis emolumenta percipere, Gloss. *in cap. Imperialem, §. præterea de prohib. feud. alienat.* 262

Deinceps quia emolumenti laudemiarii quantitas 263

intra territorium ſtatuentium non minùs jure municipali augeri, diminuive poteſt, quàm intra univerſi Imperii fines, generali Conſtitutione, *leg. omnes ff. de juſtit. & jur.* adeòut quemadmodum verum eſt, Juſtinianum quinquageſimam, octavam, decimam, aliamve pretii portionem pro laudemio potuiſſe præſcribere, idipſum ſtatuentibus in proprio territorio concedere oporteat, cùm jus municipale intra territorii limites ejuſdem ſit roboris, cujus eſt lex intra univerſi Imperii metas, ac terminos, *dict. leg. omnes populi*, ubi Bartolus, ac cæteri *in leg. de quibus ff. de legib. in leg. cunctos populos Cod. de Sacroſ. Eccleſ.*

264 Similiter quia onus laudemiale in rem eſſe dicitur, ut ſupra. At ſtatuta in rem non minus Eccleſiam emphyteutam, quàm cæteros ligant, latè Alciat. *in auth. Caſſa Cod. de Sacroſ. Eccleſ.* quemadmodum dicimus de ſtatuto ædificiorum altiùs non tollendorum vicini præferendi, ac ſimilium, quæ in rem concipiuntur *in dict. leg. cunctos populos*.

265 Inſuper quoniam ita obſervari teſtatur Maynard. *deciſ. 73. num. 3. lib. 4.* Eccleſiaſticos, nobilia feuda, redditus laudemiorum præſtationibus obnoxios acquirentes, non cenſeri exemptos ab his, quæ lege municipali, aut provinciali conſuetudine a cæteris præſtari conſueverunt, quod ſæpiùs contigiſſe ait, & D. Abbatiſſam de Leymeno, nulla mora facta, cæteroſque Eccleſiaſticos laudemialia onera juxta regionis conſuetudinem ſubjiſſe.

266 Denique abſurdum eſſe profectò Eccleſiaſticos conſequi velle a laicis emphyteutis, Eccleſiam ob dominium directum recognoſcentibus, eam laudemii quantitatem, quæ in ea regione frequentatur, quamvis juris communis quantitate longè major ſit, & ipſos è converſo, dum laicos in dominos directos recognoſcunt, minorem velle perſolvere. Servanda æquabilitas eſt, *leg. ult. Cod. de fructibus, & lit. ex penſ.* ut eo jure, quod Eccleſia in alios ſtatuit, ipſa quoque utatur, *tot. tit. quod quiſque juris*. Quemadmodum ipſa exigit laudemium juxta regionis ſtatuta, & conſuetudines, ſecundùm eaſdem conſuetudines eadem ſimiliter ſolvere æquiſſimum videtur.

267 At nihilominus de hac re, præter dicta a Delbene de immunitat. Eccleſ. *capit. 5. dubit. 17. ſection. 17. & capit. 7. dubit. 1. ſection. 2. & cap. 10. dubit. 4. & in lib. de Parlament. dubit. 30. ſect. 17. & ſeqq.* & a Sacra Rota Romana in *Romana domus de Scappuccciis ſub die 19. Januarii 1691.* quæ poſt maturam cauſæ diſcuſſionem cenſuit, non eſſe locum Ægidianæ, quia ex defectu poteſtatis ſtatuentis non comprehendit perſonas Eccleſiaſticas, nec eorum bona, ut ſæpè ſtabilivit eadem Rota in deciſionibus allegatis ab Eugubino *conſil. 20. numer. 8. vol. 2.* Bona enim Eccleſiæ dicuntur Sancta Sanctorum, *canon. nulli liceat, & canon. quicumque 12. quæſt. 2.* & dicuntur patrimonium Chriſti, *c. ex eo de elect. in 6.* & tradit Felin. *in cap. Conſtituimus numer. 19. de reſcript.* ac propterea habens juridictionem tantùm laicalem in ea, nullam poteſtatem habet, *capit. quæ in Eccleſiarum, & dict. cap. Eccleſia Sanctæ Mariæ de conſtit.* eſtque communis doctorum ſententia.

268 His autem poteſtatis defectus locum habet etiam in utroque caſu, de quibus agimus, quia licèt agatur de utili dominio inter laicos, eſt tamen illud connexum, ac dependens a dominio directo, quod eſt magis dignum, eſtque effectus, & qualitas quædam illius, quæ non poteſt eſſe ſine ſubjecto, ut poſt Bartol. *in Extravagant. qui ſint rebelles, v. rebellando numer.* 17. inquit Jaſ. *conſil. 76. numer. 14. lib. 1.* & latè probat Berous *in dict. capit. quæ in Eccleſiarum numer. 10. de conſtitut.* quapropter ratione connexionis, dominium utile judicari debet, quale eſt directum, *capit. translatio de conſtitut. capit. præterea, ibique* Gloſſ. *de offic. delegat. & leg. 2. de juriſdiction. omn. Judic.*

269 Et in ſpecie, quod cognitio cauſæ connexæ ſpiritualibus ſpectet ad Judicem Eccleſiaſticum, eſt textus expreſſus *in capit. quanto*, ubi latè Gloſſ. *v. connexa*, & Doctores omnes *de Judic.* atque adeò ratione connexionis illud, quod eſt radicatum in pupillo, extenditur ad majorem, *leg. Si communem ff. quemadmodum ſervit. amit.* & eadem ratione, ſi cauſa eſt communis inter laicum, & Clericum, forus Clerici extenditur ad laicum, Bartol. *in leg. præcipimus, §. eodem numer. 1. Cod. de appellat.* & ſi res eſt communis Epiſcopo, & Capitulo, Epiſcopo mortuo, non currit præſcriptio contra Capitulum, Abb. *cap. 1. num. 4. de præſcript.* Et privilegium ejus, qui habet vacationem munerum, extenditur ad Socium, Gloſſ. *in leg. fin. Cod. de muner. & honor. lib. 10.*

Igitur multò magis id obtinet in hoc caſu. Quia 270
omnes cauſæ hujus dominii utilis ſunt ſpirituales, & idcircò ab eis recipit judicium, Cardinal. *in Clementin. per literas num. 12. quæſt. 15. de præbend.* Cauſa enim ſufficiens eſt Eccleſia, materialis bona ipſa Deo dicata; finalis autem utilitas ipſius Eccleſiæ, Bero. *in dict. cap. quæ in Eccleſiarum num. 9. ac 10. & 12.* Salvian. *conſil. 9. numer. 23.* facitque textus *in cap. Cæterum*, ibique Abbas *in princip. de judic.* ubi lis inter Vaſallos eſt terminanda per dominium feudi, etiam quod ſit Eccleſiaſticus, & quod Judex laicus nullo pacto poſſit ſe ingerere, etiamſi agatur de utili dominio inter laicos, docent Cardinal. *conſil. 92. numer. 8. in fin.* Calderin. *conſil. 15. numer. 1. de judic.* Rebuff. *de decim. quæſt. 10. numer. 1.* Cuman. *conſil. 41. numer. 1.* Campeg. *inter conſilia Bruni conſil. 2. numer. 35.* Feder. de Sen. *conſil. 245. numer. 3.* Geminian. *in cap. final. num. 14. de for. competent. in 6.* Ancharan. *in cap. ea quæ num. 12. de reg. jur. in 6.* & Alvarus Valaſcus *de jur. emphyt. quæſt. 39.*

Confirmantur prædicta, quia paria ſunt, forum 271
ſortiri, & ſtatutis ligari, *capit. 2. de Conſtitut. in 6.* Sed laicus nullo modo poteſt ſtatuere ſuper utili dominio rei emphyteuticæ Eccleſiæ, *dict. cap. quæ in Eccleſiarum eod. titul.* & hic eſt germanus ſenſus illius textus, ex allegatis a Riminaldo juniore, *ibidem num. 2. ac ſeqq.*

Et quamvis dici poſſit, hoc eſſe verum, quando 272
agitur de mutatione vaſſalli, quia tunc agitur de præjudicio Eccleſiæ; tamen conſideravit Rota Romana, quod circa validitatem ſtatuti duo potiſſimum poſſunt conſiderari, defectus ſcilicet poteſtatis ſtatuentis, & præjudicium Eccleſiæ, ut *in dict. cap. quæ in Eccleſiarum, & dict. cap. Eccleſiæ S. Mariæ num. 12.* & Berous *ibid. num. 9.* & concurrit etiam defectus poteſtatis ſtatuentis ratione connexionis, quam habet dominium utile cum directo, ſicuti ſupra dictum eſt, & probat Berous *loco cit.*

Quod autem ſtatutum laicorum non comprehendat 273
utile dominium in bonis emphyteuticis, ſpeciatim tenent Cardinal. *conſil. 1. numer. 1.* Bald. *in auth. ſi quas ruinas numer. 9. Cod. de Sacroſanct. Eccleſ.* Campeg. *cit. conſil. 2. numer. 34.* Abbas *conſil. 72. in princip. lib. 1. & in dict. cap. quæ in Eccleſiarum num. 2. in 3. notab.* ubi etiam Berous *num. 9.* ac Decius *num. 6. de conſtit.* Salvian. *conſil. 9. numer. 15.* Bald. *conſil. 300. numer. 1. & 4. lib. 1.* Jaſon *conſil. 152. num. 9. lib. 4.* Cuman. *conſil. 41. numer. 1.* & Caſtrenſ. *conſil. 146. ſub init. & conſ. 300. lib. 2.* ubi ait, quod in ſucceſſione feudi emphyteuſis non debeat attendi ſtatutum loci, ſed tenor inveſtituræ.

Non obſtat, quod dominium utile non ſit Eccleſiæ, 274
ſed laici inveſtiti, atque adeò judex laicus ſit judex competens. Quia connexio, quam habent hæc dominia inter ſe, non efficit, quin utile dominium non ſit proprium laici, non autem Eccleſiæ. Et licèt videatur inſeparabile a directo, tamen poteſt diverſo jure cenſeri, ſicut una, & eadem res poteſt diverſo reſpectu, quin ratione diverſarum perſonarum diverſimodè judicari, Surdus *conſil. 328. num. 19. lib. 3.*

Reſpondetur, quod licèt verum ſit, quod aliquan- 275
do una, & eadem res poſſit diverſo jure cenſeri, id tamen procedit, quando reſpectu diverſæ perſonæ, vel diverſo reſpectu concurrit diverſa ratio; ſecùs verò, quando concurrit eadem ratio, ut rectè declarat Abbas *in capit. cùm in tua numer. 7. de decim.* At dominium utile non poteſt diverſimodè conſiderari reſpectu Eccleſiæ, & laici, cùm ſemper remaneat connexum cum directo; ſiquidem per conceſſionem factam laico non ſeparetur a directo, niſi per ſolam fictionem intellectus, ut dicitur de jurepatronatus, Gloſſ. 1. *in canon. piæ mentis 16. quæſt. 7.* quæ facit, ut dominii utilis capax ſit laicus, non autem quod ita efficiatur laicale, quod judex laicus ſit judex competens, quin cognitio præſervetur Judici Eccleſiaſtico, Alexand. *conſil. 58. in fin. lib. 1.* Berous *in citat. cap. quæ in Eccleſiarum numer. 9.* Et ſic ceſſat ratio Surdi *in dict. conſil. 338. numer. 9.* quod bona ſint perſonarum acceſſoria, nam hoc eſt quidem verum, quando res omninò transfertur, ſecùs verò quando transfertur ſolùm dominium utile, quod remanet cum directo connexum. Quapropter non poteſt diverſo jure cenſeri.

Neque hæc reſponſio poteſt eligi ex eo, quod ali- 276
qui tenuerint cauſam poſſeſſorii beneficii tractari poſſe co-

se coram Judice sæculari, & tamen possessio est connexa cum proprietate spirituali, quo argumento utitur Surdus *loco cit. num.* 25.

277 Quia præterquamquod id verum non est ex rationibus supra deductis, & ex allegatis a Beroo *in dict. cap. quæ in Ecclesiarum num.* 12. *in fin.* est etiam communis sententia in contrarium, ut testatur Aufrer. *in addit. ad decision. Capellæ Tholosanæ* 471. Alvar. Valasc. *consultat.* 93. *num.* 3. Gulielm. de Benedict. *in cap. Raynucius, ver. Et uxorem decis.* 1. *num.* 38. & Rota *decis.* 4. *de lit. contest. in antiq.* ac Put. *decis.* 361. *in fin. lib.* 1.

278 Minus obstat, quod plerique Doctores sentire videantur contrarium, scilicet, quod judex laicus possit cognoscere super tali dominio utili inter laicos.

279 Nam respondetur, quod talium Doctorum authoritas facilè rejicitur. Siquidem Alb. Brun. *de statu artic.* 8. *ante numer.* 107. qui in contrarium allegatur, nihil firmat, sed solùm refert opinionem Uberti de Bobio, & Franciſci de Tigro, quos minùs rectè intellexit. Nam illi possunt in contrarium allegari, ut ex Butrio, & Joanne Andrea, & Abbate superiùs dictum est, & propterea Surd. *citat. consil.* 338. *num.* 17. dum allegat Brunum, decipi videtur: Abbas verò *in capit. quoniam frequenter §. in aliis numer.* 27. quamvis dicat, quod Clericus veniens ad causam pro defensione emphyteutæ, non possit declinare jurisdictionem, advertendum tamen est, quod editio est mendosa; quia Specul. *de prim. decret. §. restat videre numer.* 24. *ac seqq.* quem ipse allegat, expressè tenet, quod judex laicus non sit judex competens Clerici venientis ad causam, etiam quod renunciet privilegio fori, & in omnem eventum dictum Abbatis esset contra Glossam *in can. Clericus nullum* 11. *quæst.* 1. *vers. Sæcularem*; Cumanus verò *in consil.* 84. est sibi contrarius *in d. consil.* 41. *num.* 2. & in eodem casu Cumani contrarium dixit Fulgos. *consil.* 166. Decisio in causa Auximana bonorum 19. Januarii 1604. licèt in terminis dicat, quod sit locus Ægidianæ, quando agitur de utili dominio inter laicos, quia personæ sunt sæculares, nec agitur de bonis, sed de possessione inter ipsos laicos, non firmat, quod causa possit agnosci coram judice laico, sed firmat potiùs, quod Ægidiana habeat locum coram Judice Ecclesiastico, quando agitur inter laicos: quod non est verum, quia Ægidiana respicit ordinaria Judicii, & ideò servandum est jus fori, Contard. *de Ægidiana limitat.* 4. *rat. can. redintegran. num.* 11. & 12. In foro autem Ecclesiastico non habet locum Ægidiana, & ideò cùm illa decisio fuerit allegata in causa Sabinen. Rectorum 9. Junii 1606. in qua agebatur de utili dominio inter laicos, & dubitabatur, an esset locus Ægidianæ, Rota voluit videre de justitia mandati de manutenendo, ut indiariis dominorum fuit adnotatum. Quia; cùm Rota haberet utramque jurisdictionem Ecclesiasticam, & laicalem, cùm ageretur de utili dominio, substinebat vices Judicis Ecclesiastici, & idcircò erat servandum jus fori Ecclesiastici.

280 Item non obstat, quod si paria sunt forum sortiri, & statuto ligari, multi Doctores, quos citat Tiraquell. *de retract. lignag. gloss.* 13. *numer.* 8. Surdus *dict. consil.* 338. *num.* 14. *in fine*, & Alvar. Valasc. *de jur. emphyt. quæst.* 17. *num.* 12. tenent, quod Princeps laicus potest statuere super utili dominio, dummodò non lædatur Ecclesia, sive non sit in præjudicium Ecclesiæ. Quod etiam reperitur scriptum in quadam adnotatione Orani in causa *Mediolanensi bonorum* 13. *Novembris* 1596.

281 Quia respondetur, quod Ancharanus, *consil.* 125. & *cons.* 443. *num.* 2. *ac* 3. fuit author hujus opinionis, & ideo resolutio pendet ab intellectu Ancharani, qui verè loquitur in casu, quo emphyteusis fuerit acquisita pro hæredibus. Movetur secundò, quia pater acquirendo pro filiis, non censetur acquirere pro fœminis, quia censetur se conformasse cum dispositione statuti, & eodem modo acquirere, & ita declarat Ancharanus, Soccinus Junior *cons.* 71. *a num.* 43. *lib.* 1. Brun. *de stat. art.* 8. *num.* 106. *in princip.* Rota in *Romana domus S. Ludovici* 27. *Novembris* 1601. & in causa *Romana emphyteusis* 18. *Maji ejusdem anni*, & 28. *Novembris* 1603.

282 Et quamvis Ancharanus subdat, quod statutum non disponit super rebus Ecclesiæ, sed super utili dominio, quod est laicorum; est tamen advertendum, quod non loquitur de statuto in ordine ad utile dominium, sed de statuto in ordine ad intentionem acquirentis, quæ intentio acquirentis, ut masculis extantibus, fœminæ non succedant, non lædit Ecclesiam, cùm ejus non interesse, quod pater magis acquirat uni, quàm alteri ex filiis; sed non propterea dicitur, quod si pater acquirat pro filiis masculis, & fœminis, ita ut omnes consimul succedant, stante statuto exclusivo fœminarum, fœminæ non possint succedere, quia hoc esset contra juris communis regulas, secundùm quas servandus est tenor investiturarum, & non statutum loci, ut per Castr. *loco citato*, & Doctores, qui generaliter ponentes istam conclusionem, quod stante statuto exclusivo fœminarum, fœminæ in emphyteusi censeantur exclusæ, non fundant se in statuto, sed in intentione acquirentis, qui præsumitur in acquirendo conformare se statuto, Bartol. *in leg. ut jurisjurandi §. si liberi numer.* 5. *ff. de oper. libert.* Clar. *in §. emphyteusis quæst.* 32. *vers. sed pone*, Decian. *consil.* 30. *numer.* 40. *& seq.* Curt. jun. qui testatur de communi, *consil.* 31. *numer.* 3. & Rota *in citat. decis. Romana domus Sancti Ludovici*, & *Romana emphyteusis*.

Atque adeo secundùm sententiam Ancharani sunt in- 283
telligendi Doctores, qui supradictis rationibus ipsum simpliciter sequuntur, Alexand. *consil.* 9. *numer.* 1. *lib.* 5. & *consil.* 27. *numer.* 4. *in fin. vol.* 6. Felin. *in dict. cap. quæ in Ecclesiarum numer.* 95. *de constitut.* Dec. *in authent. cassa numer.* 9. *de Sacrosanct. Eccles.* & *consil.* 139. *num.* 2. & *in dict. cap. quæ in Ecclesiar. num.* 20. Paris. *consil.* 22. *num.* 86. *num.* 2. & Additionator ad Dec. *in dict. cap. quæ in Ecclesiarum num.* 20. Et meritò quidem, quia præterquamquod id colligitur ex verbis ipsorum, subintrat etiam regula, quod Doctor sit intelligendus secundùm ea, quæ allegat, Roman. *consil.* 211. *num.* 5.

Alii verò Doctores vel torquent Ancharanum, vel 284
secundùm ipsum intelligi possunt. Alii loquuntur in casibus particularibus, in quibus sunt reprobati. Alii ne verbum quidem de hac difficultate. Primi generis sunt Barbatia *cons.* 14. *lib.* 1. Brun. *de stat. loco citato* Roman. *consil.* 70. *num.* 11. *vol.* 5. Marcabr. *consil.* 26. *num.* 131. Burlat. *cons.* 56. *num.* 12. *vol.* 1. & Menoch. *de arbitr. cas.* 18. *num.* 9.

Secundi generis est Castr. *consil.* 164. *lib.* 1. qui te- 285
net, quod statutum Florentiæ de prohibita alienatione rei communis, irrequisito consorte, habeat etiam locum in donatione juspatronatus, sed nihil probat, cùm res ipsa demonstret authoritatem hujus consilii, contra quod in specie est consilium Geminiani 67. in quo concluditur contrarium tàm ex defectu voluntatis, quàm potestatis statuentium. Item est Socinus, *consil.* 99. *numer.* 2. *vol.* 2. qui ait, quod circa solutionem canonis sit attendendum statutum, & consuetudo loci, in quo fieri debet solutio; sed nihil etiam probat, quia non valet statutum, & consuetudo in præjudicium Ecclesiæ, *capit. cùm causam de re judic. cap.* 1. *de consuet.* & *capit. Clericus de immunit. Eccles. in* 6. Quinimmò hæc consuetudo dicitur proxima Sacrilegio, Bald. *consil.* 9. *numer.* 6. *lib.* 1. & Ruin. *consil.* 156. *numer.* 8. *lib.* 4. ubi subdit, quod consuetudo non valeat ex causa efficienti, quia sicuti laici non possunt statuere, ita nec possunt inducere consuetudinem onerosam Ecclesiis. Purpuratus verò, *consil.* 332. *numer.* 9. qui loquitur ad effectum, quod utile dominium possit collectari, nec etiam refragatur, nam in contrarium est Bartolus *in leg. private numer.* 2. *Cod. de excus. mun. lib.* 10. ibique Angelus, & Joannes de Platea, Cassan. *consuet. Burgund. §.* 4. *gloss.* 6. *numer.* 6. Thom. Parpal. *in repet. leg. placet num.* 73. & *seq. Cod. de Sacros. Eccles.* Ægid. de Thom. *de collect. §. pauperes num.* 29. & *seq.* Jas. *in leg.* 1. *num.* 31. *Cod. de jur. emphyt.* & Sylvan. *cons.* 9. Et in casu Purpurati loquuntur Surdus, & Alvarus Valascus; qui fuerunt quodammodo novatores talis opinionis, & propterea conantur fundare intentionem suam defendendo prædictas conclusiones.

Tertii generis sunt Afflictus *in capit. Imperialem §.* 286
præterea numer. 9. *de prohib. feud. alienat.* qui solùm dicit, consuetudinem esse servandam, quod dominus feudi Ecclesiasticus cognoscat de feudo Ecclesiæ tàm in possessorio, quàm in petitorio. Quia ista consuetudo est secundùm dispositionem juris, & proindè Afflictus extra rem adducitur. Socinus junior. *consil.* 71. *numer.* 13. *vol.* 1. concludit cum Ancharano, quem declarat, ut supra, & ideo non debet allegari Castrensis *cons.* 920. *in fin. lib.* 3. loquitur in terminis quæstionis de his, quæ competunt Clericis, non ut Clericis, sed cuilibet, de qua Bartol. *in leg. Cunctos populos quæst.* 20. *num.* 28. *ac seqq. Cod. de Sum. Trinit.* & *Fid. Cathol.* & de hac quicquid dicendum sit, non facit ad rem, Riminaldus autem Senior, *cons.* 447. *num.* 20. *vol.* 3.

& Abb. *conſ.* 28. *num.* 6. non loquuntur de hac difficultate.

287 Neque obſtat adnotatio Orani in cauſa Mediolanenſi bonorum. Quia illa non eſt deciſio Rotæ, ut patet ex ejus initio ibi: *Domini per viam inclinationis amplexi ſunt deciſionem factam ſub die* 20. *Maji ad favorem domini Commendatarii*, Rota enim non facit deciſiones per viam inclinationis, ſed in his caſibus eſt in arbitrio ponentis, ſi quid adnotare memoriæ ſuæ cauſa velit. Et eò magis, quia in priori deciſione hujuſmodi concluſio non reperitur firmata. Accedit, quod unus ex dominis, qui tunc temporis erat in Rota, affirmabat, quod viſa, hujuſmodi adnotatione, Rota non agnovit illam, ut ſuam.

Cæterum quid dicendum, ſi Judex laicus cognoſcat de dominio directo?

288 Reſpondetur ex Sacra Rota Romana, *ſub die* 28. *Maji* 1631. quæ ſic ait: *Sententiam latam extra Curiam Domini dixerunt ex defectu juriſdictionis nullam eſſe*. Promulgata namque fuit in foro laicali, & tamen cùm ageretur de bonis ratione directi dominii ſpectantibus ad Eccleſiam, cauſa erat omninò Eccleſiaſtica, & a Judice Eccleſiaſtico, non autem a Laico definienda, *cap. decernimus extra de judic. canon. benè quidem canon. denique diſt. 96. can. continua, can. relativa, can. Si quæ cauſa, & can. placuit* 11. *quæſt.* 1. ubi Gratianus congerit decreta ad hoc ſpectantia ex Sacris Conciliis, ac Summorum Pontificum reſcriptis deſumpta, & *in cit. can. placuit* habetur, quod etiam Apoſtolus hujuſmodi cauſas ad Eccleſiam deferri, & in ea determinari præceperit.

289 De veritate hujus concluſionis nullus unquam Orthodoxus dubitavit, eamque ſi qui auſi ſunt impugnare, meritò ſemper ab Eccleſia damnati fuerunt, ut de Marſilio illo Paduano ſub Paſchali ſecundo tradit Turrecremata in *Summ. Eccl. lib.* 4. *part.* 2. *cap.* 37. qui de hoc refert extare *Extrav. ſub Joann. XXII.* quæ incipit, *licèt*, & docent Bannes *in* 2. 2. *quæſt.* 65. *art.* 1. Azor. *part.* 1. *lib.* 5. *cap.* 52. ac Bellarm. *tom.* 2. *controv. tit. de Cleric. cap.* 24.

290 Sicut enim Laici non poſſunt quidquam ſtatuere circa bona Eccleſiaſtica ex defectu poteſtatis, ſive juriſdictionis, *citat. canon. benè quidem, can. Si Imperator diſt. 96. can. laicis quæſt.* 7. & *cap. cum laicis de reb. Eccleſ. alienan. vel non*, quibus in locis habetur, quod Laicis, etiam religioſis obſequendi neceſſitas relicta ſit, non authoritas imperandi, & quod de rebus Eccleſiæ diſponendis nulla ſit iis attributa poteſtas, & quod in iis, quæ ad Eccleſiam ſpectant, diſcere debeant, non docere, *cap. Clericus, & cap. final. de immunit. Eccleſ. in* 6. ubi ſtatuentes ipſi anathematis pœna feriuntur, *cap. Eccleſia Sanctæ Mariæ de conſtit.* Ita nec etiam poſſunt ſuper illis jus dicere, ac ſententiam proferre, quia paria ſunt forum ſortiri, & ſtatutis ligari Gloſſ. *in capit. Quod Clericus de for. compet.* & tradit Dec. *in cit. cap. Eccleſia Sanctæ Mariæ num.* 18. Alex. *conſ.* 211. *num.* 5. *in fin. lib.* 2. Ruin. *conſ.* 268. *num.* 13. *dub.* 2. Berous *conſil.* 65. *num.* 99. *lib.* 1. Surd. *conſil.* 2. *num.* 14. *in fin. & conſ.* 338. *num.* 26. ac Theſaur. jun. *in quæſt. for. lib.* 2. *cap.* 15. *num.* 12. *in fine*.

291 Quod ſanè procedit etiamſi cauſa inter ſolos emphyteutas agatur, & ſuper ſolo dominio utili, quod apud laicos exiſtit, quia dominium Eccleſiæ cùm ſit connexum utili, quin & eidem prædominans, & dominium utile ſit verè, ac propriè una, & eadem res cum dominio directo, & talis naturæ, ut directum ſemper ſequatur ſicuti incrementum alluvionis, ac inſulæ, ut ait Oldrad. *conſ.* 440. *num.* 7. ac Surd. *conſ.* 57. *n.* 24. & ſubjectum bonorum materialiter ſit ſemper Eccleſiaſticum, non poteſt ab ipſo dominio directo ſaltem actualiter ſeparari dominium utile, nec ideò indirectè bona Eccleſiarum ſubjici juriſdictioni, ac judicio Laicorum, *cap. quanto, cap. cæterum*, ibique Canoniſtæ *de judic.* Cardin. *conſ.* 2. *num.* 2. Campeg. inter conſilia Alb. Bruni *conſ.* 2. *num.* 34. ac Rota in Romana domus de Scapucciis 19. Januarii 1611. quam quoties caſus contingit, ſemper ſequuta eſt, ut *in deciſ.* 472. *part.* 3. *recent.* & apud Pacific. de Salvian. *deciſ.* 239. *num.* 6. & in Romana de Schianchis 28. Aprilis 1617. impreſſa poſt modernum Mantuanum *controv. for.* 12. *num.* 67. & ab hac opinione recedere difficile eſſe admonet Gratian. *diſcept. forenſ. cap.* 447. *num.* 21.

292 Atque ex hac connexionis ratione, licèt juſpatronatus laicorum non ſit propriè ſpirituale, quia tamen eſt annexum ſpiritualitati, ſuper illo judicat ſolùm judex Eccleſiaſticus, *dict. cap. quanto de judic.* Et poſſeſſio rei ſpiritualis licèt ſit nunc temporalis, & laicalis, attamen de poſſeſſione cognoſcit ſolùm etiam judex Eccleſiaſticus, ſicut de ipſa proprietate, cùm qualitas ſpiritualitatis qualitatem temporalitatis ad ſe trahat, & abſorbeat, Bero. *in rubric. de judic. numer.* 51. Cravett. *conſil.* 258. *numer.* 8. Roland. *conſil.* 12. *numer.* 35. *ac ſeqq. lib.* 2. Valaſc. *conſil.* 93. *numer.* 3. Menoch. *de recup. remed.* 15. *numer.* 205. *ac ſeqq.* Covarr. *pract. quæſt. cap.* 35. *num.* 6. Guttier. *canon. quæſt. cap.* 34. *num.* 26. *ac* 27. Azor. *part.* 1. *lib.* 5. *cap.* 14. *quæſt.* 1. Put. *deciſ.* 361. *lib.* 1. *in antiq.* & Duard. *in Bull. Cœn. lib.* 2. *can.* 15. *quæſt.* 19. *num.* 47. Certum enim eſt majorem connexionem eſſe inter dominium directum, & utile, quàm ſit inter proprietatem, & poſſeſſionem, ut per Bero. *in dict. cap. quæ in Eccleſiarum num.* 13. *de conſtit.*

293 Cauſa item decimarum, quæ datæ ſunt in feudum ſæcularibus, diſcutienda eſt coram Judice Eccleſiaſtico. Licèt enim dominium hujuſmodi decimarum, ſcilicet fructuum illarum, omninò ſpectet ad laicos, & feudum cenſeatur ſæculare, tamen quia oritur, ac dependet a jure ſpirituali, & Eccleſiaſtico, non poteſt judex laicus de illis cognoſcere, Feder. de Sen. *conſ.* 245. *num.* 1. Azor. *dict. part.* 1. *lib.* 7. *cap.* 39. *quæſt.* 3. Monet. *de decim. cap.* 8. *quæſt.* 1. *num.* 15. Fagundez *in præcept. Eccleſiaſt. præcept.* 5. *lib.* 3. *capit.* 5. *numer.* 5. ubi Covarruviam, & alios contrarium ſentientes refellit.

294 Item poſſeſſorium matrimonii, licèt agatur inter perſona merè laicas, tamen quia habet admixtam cauſam, & titulum ſpiritualitatis, definitur a Judice Eccleſiaſtico, Covarruv. *de ſponſal. part.* 2. *cap.* 7. §. 2. *num.* 8. & *cap.* 8. §. 12. *numer.* 3. Valaſc. *citat. conſil.* 93. *num.* 2. & Molina *de rit. nupt. lib.* 2. *diffic.* 10. *numer.* 19. *ac* 20.

295 Denique ratione dictæ connexionis dominii utilis cum directo emphyteutæ Eccleſiæ non tenentur ad collectas, & onera realia per ſtatuta laicorum ſuper rebus, ac bonis impoſita, Bart. *in leg. privatæ num.* 2. *Codic. de excuſ. mun. lib.* 10. Jaſon. *in auth. quas actiones numer.* 42. *Cod. de Sacroſ. Eccleſ.* Rip. *in tract. de peſte titul. de privileg. ad conſerv. ubert. num.* 124. Petr. de Ubald. *conſil.* 2. *poſt tract. de collect.* Sylv. *conſil.* 9. Marc. Anton. Eugen. *conſil.* 96. *num.* 24. *lib.* 1. Fachin. *controv. jur. cap.* 91. *lib.* 1. Menoch. *conſil.* 444. *num.* 27. Ruin. *conſil.* 111. *numer.* 10. Remig. Gonn. *de charitat. ſubſid. quæſt.* 61. *num.* 29. & *quæſt.* 39. *num.* 31. Odd. *conſil.* 70. *ſignatè num.* 31. ubi ait, hanc opinionem eſſe probabiliorem, necnon magis æquam, & tutam, & *numer.* 40. inquit, hanc dici poſſe opinionem communem, cum Bartolum, & alios graviſſimos authores ſectatores habeat, Burſatt. *conſil.* 42. *numer.* 22. *lib.* 1. & videtur admiſiſſe Rota in citata Romana de Scapucciis.

296 Præter autem rationem connexionis, concurrit etiam prærogativa qualitatis, & ſubjecti Eccleſiaſtici. Siquidem hoc dominium utile vaſſalli ſubjicitur, & famulatur dominio domini principalis, Alciat. *in l. ſi quis, §. differentia numer.* 12. ibique Zaſ. *numer.* 22. *ff. de acquirend. poſſeſſ.* & Surd. *conſil.* 57. *numer.* 23. Et proprietati tamquam in prima cauſa inſeparabiliter inhæret, ſine qua ſubſiſtere non poteſt. Unde meritò dominium directum, cùm ſit Eccleſiaſticum, tanquam dignius, debet trahere ad ſuum Judicem diſcuſſionem ſuper dominio utili, quia ſemper, ut dictum eſt, hoc dominium utile reſidet in materia, & re Eccleſiaſtica, veluti in ſubjecto, ſicuti hac eadem ratione prærogativæ circa competentiam fori compertum eſt, quod laicus ſocius Clerici ſequatur forum ejuſdem Clerici, Bartol. *in leg. final. numer.* 15. *ad fin. ff. collect. illicit.* Aretin. *conſil.* 29. *num.* 24. *in fin.* & Surd. *conſil.* 222. *num.* 3. & *conſil.* 396. *num.* 16. *ac* 18. & major conſors pupilli, vel minoris, ratione juris conſortii gaudet privilegiis ipſius pupilli, vel minoris, *leg. ſi communem, ff. quemadmodum ſervit. amitt.* Afflict. *deciſ.* 213. Franch. *deciſ.* 269. *num.* 1. Odd. *de reſtit. in integr. part.* 1. *quæſt.* 46. *art.* 10. *num.* 35. Et ſi aliter in hoc caſu, in quo agitur etiam ſolùm de dominio utili emphytheutæ, diceremus, ſequeretur præjudicium ipſius Eccleſiæ, cui expedit habere magis unum emphyteutam, quàm alium, Bero. *in d. cap. quæ in Eccleſiarum num.* 9. *de conſtitut.* Becc. *conſil.* 3. *num.* 61. & 62. *lib.* 1. ac Rota *in citat. deciſ. de Scapucciis.*

297 Quænam verò probatio requiratur ad probandum dominium ad effectum recognitionis in dominum, ſolutionis canonum, & laudemii, decidit Rota Romana in Romana laudemii 16. Junii 1690. coram Cavallerino, his verbis: Obtinuit Rev. D. Joannes » Franciſcus Topinus Rector Eccleſiæ Sanctiſſimi Sal- »
vatoris de Cupellis mandatum pro duplici laude- »
» mio

„ mio sibi debito occasione geminæ venditionis vineæ
„ positæ extrà portam flaminiam ab Innocentio Val-
„ dabrino factæ primo loco Donato Contuccio pro scu-
„ tis 200. cum pacto redimendi, secundo loco Antonio
„ Ploraldo pro scutis 500. Sed commissa mihi causa
„ appellationis per signaturam justitiæ cum clausula,
„ *Si quid exequendum*, datoque consueto dubio, an man-
„ datum foret exequendum, affirmativè Domini re-
„ sponderunt.

298 „ Et pro majori claritate præmittere decet, quod
„ ubi agitur de probando dominio incidenter, ad effe-
„ ctum scilicet recognitionis in dominum solutionis Ca-
„ nonum, & laudemii, non requiritur adeò exquisita
„ probatio, qualis pro devolutione desideratur, sed le-
„ viora documenta sunt satis, Doctores communiter *in*
„ *l. judicia, Cod. de rei vindic.* Fulgin. *de jur. emphyt. de*
„ *laudem. quæst. 36.* Rota *in rec. dec. 128. num. 18. par.*
„ *6.* & faciunt diffusè relati *in dec. 464. num. 1.* coram
„ clar. mem. Cardinali Cerro.

299 „ Sufficiens autem probatio visa fuit Dominis resul-
„ tare primò, ex instrumento anni 1577. in quo Ric-
„ ciardus prævia narrativa a se possideri controversam
„ vineam sub proprietate dictæ Ecclesiæ existentem,
„ assignavit Altobacio tunc Rectori pro variis respon-
„ sionibus cadorum quatuor vini decursis, & non solu-
„ tis, portionem vindemiæ sibi de eo anno tangen-
„ tem. Secundò, ex mandato de manutenendo in pos-
„ sessione exigendi dictos cados quatuor musti, & suc-
„ cessiva sententia de anno 1603. promulgata a R. P.
„ D. Trivultio Locumtenente Eminentissimi Vicarii ad
„ favorem Ferrini tunc Rectoris, ejusdem Ecclesiæ con-
„ tra Samarolam Ricciardi prædicti successorem, vi-
„ neam, de qua agitur, esse gravatam onere dictorum
„ cadorum quatuor musti. Tertiò, ex commissione ap-
„ pellationis a præfata sententia munita clausula non
„ retardata solutione responsionis vini, juncta transa-
„ ctione inita ab hæredibus dicti Samarolæ cum eo-
„ dem Ferrino Rectore, in qua decursos, & decurren-
„ dos annuos terminos solvere promisit. Quartò, ex
„ receptis Canonum ab Innocentio Valdabrino autho-
„ re Maraldi productis, asserente jus exigendi Cano-
„ nem ad Rectorem præfatæ Ecclesiæ spectare. Quin-
„ tò, ex quietantiis factis eorumdem Canonum in pu-
„ blico instrumento. Sextò, ex susceptione termini fa-
„ cta ab eodem Innocentio Valdabrino, quæ omnes so-
„ lutiones simul junctæ concludunt Canonum satisfa-
„ ctionem ab anno 1577. citrà. Septimò, tandem ex
„ enunciativa emissa in eadem venditione facta Con-
„ tucio, in qua asseritur vinea gravata dicto annuo
„ Canone. Ex quibus omnibus simul junctis, Domini
„ non dubitarunt superabundantem undique redundare
„ probationem dominii etiam contra singularem suc-
„ cessorem, ut de longè minoribus documentis con-
„ tenta fuit Rota *in dec. 229. p. 1. rec.* & *d. dec. 464.*
„ *num. 2.* & *3.* coram clar. mem. Cerro.

300 „ Hinc necessariò resultat jus petendi laudemium,
„ nam constito de dominio, vinea remanet inalienabi-
„ lis absque consensu Domini, qui alienationem lauda-
„ re non cogitur absque recognitione. Unde laudemium
„ dicitur, ad text. *in l. fin. §. nec avaritia, Cod. de jur.*
„ *emphyt.* quem in præcisis terminis expendit Rota in
„ Neapolitana domus 28. Junii 1606. coram Ottem-
„ bergo, & coram Cavalerio *decis. 121. numero 1.* &
„ *seqq.*

301 „ Non refragatur, quod prima venditio Contuci con-
„ tineat pactum redimendi, ex quo impedita perpetua
„ translatione dominii, laudemium non debeatur. Quia
„ contraria sententia communior, & verior est, eam-
„ que ab omnibus objectis latissimè vindicat solus præ
„ cæteris videndus, Niger. *de laudem. part. 2. quæst. 5.*
„ *art. 1. num. 27. usque ad fin.* & admisit Rota *in d. de-*
„ *cis. 94. num. 3. part. 5. rec.*

302 „ Minùs relevat, quod Topinus dirigere debeat actio-
„ nem pro laudemio contra venditorem. Quia in jure
„ receptum est, laudemium ab emptore solvendum,
„ Gloss. *in l. fin. vers. accipere, Cod. de jur. emphyt.* ibi-
„ que Bald. *num. 7.* Jason. *num. 41.* Gozzadin. *concl. 65.*
„ *num. 13.* Fontanell. *dec. 279. num. 16.* Surd. *dec. 200.*
„ *num. 4.*

303 „ Et respectu Domini directi conclusio est indubita-
„ ta, quia pro laudemio datur hypothecaria, & actio
„ personalis in rescripta, quæ prosequitur quemcumque
„ fundi possessorem, Cancer. *variar. resolut. lib. 1. cap.*
„ *11. num. 43.* Pacific. de Salvian. *inspect. 3. cap. 4. num.*
„ *562.* & tenuit Rota coram clar. mem. Cardinali Cer-
„ ro *dec. 2. num. 5.* & *6.*

304 „ Si quis verò defectus apponi posset circa viam exe-
„ quutivam, tolli videtur, non solùm ex quo agitur
de parva summa, sed etiam quia cùm Monaldus in „
instrumento emptionis sese adstrinxerit ad omnia in „
eo contenta in forma Cameræ, virtus hujus obliga- „
tionis est comprehendere ea omnia, quæ veniunt de „
natura contractus, seu insunt ex juris interpretatio- „
ne, Rota *decis. 84. num. 7.* & *dec. 265. num. 12.* post „
Zachiam *de oblig. camer.* „

Proinde nullius est momenti defectus citationis „ 305
Valdabrini, non solùm quia ex facto sublatus, sed „
etiam quia ex prædictis constat citatum fuisse legiti- „
mum debitorem, qui frustrà oppositi nunquam aliàs „
fuisse solutum laudemium, vel quia de alienationibus „
subsequutis, & negativa solutionis non docetur, vel „
quia negligentia Rectoris Ecclesiæ nocere non valet, „
Rota coram Alexandro VIII. *dec. 185. num. 5.* „

Et ita utraque, &c. „

Atque de his satis superque dictum sit. „

CONSULTATIO CCVII.

An, & quatenus Episcopus exercere possit suam jurisdictionem in Abbatiam, & illius Terras, ac Populum, & Ecclesias, quæ prætendit esse exemptam a jurisdictione Episcopali? Et quid si Abbas, vel ejus Vicarius excommunicationem tacuit contra Ministros, sive Birruarios Episcopi?

PRO resolutione hujus quæstionis tres casus distin- 1
guuntur. Aut Episcopus est in quasi possessione
exercendi jurisdictionem in dictam Abbatiam, ejusque
Terras, Ecclesias, & Populum; & hoc constat. Aut
non est in hujusmodi possessione; & hoc similiter con-
stat. Aut est dubium, an sit, anne in quasi posses-
sione.

In primo casu concludit Innocentius IV. Pontifex 2
Canonistarum Maximus *in cap. venerabili de censib.* Epi-
scopum exercere posse suam jurisdictionem, quantum-
cumque contradicat, & appellet Abbas, quod si per-
tinaciter renuat, sicut posset Episcopus tueri suam pos-
sessionem armis materialibus, ut notatur *in cap. 1. de*
immun. Eccles. ita & multò fortiùs illam tueri poterit
armis spiritualibus, per textum *in cap. cùm ex officiis de*
præscript. cap. cùm super de censib. & *cap. dilecto, §.* &
quidem de sentent. excommun. in 6. ubi hoc est expres-
sum, scilicet excommunicatione, quæ est mucro Epis-
copi, *can. visis 16. quæst. 2. can. corripiantur 24. quæst. 3.*
Concil. Trident. *cap. 3. sess. 25. de reform.* Et hoc casu
valebit excommunicatio.

Ratio autem est, quia cùm Episcopus sit in quasi 3
possessione, non tenetur in præjudicium sui juris, ap-
pellationem admittere, nec probationem exemptionis
recipere. Nam de causa suæ mensæ, nec ut Judex ne-
quiret, ut arbiter potest cognoscere, secundùm Inno-
centium *loc. cit.* Ideòque hoc casu non procedit, ut Ju-
dex, sed ut pars pro sui juris conservatione, ac pro-
inde probationis oblatio non justificat appellationem,
ut habetur *in cap. interposita de appellat.* & *in cap. inter*
Canonicos de elect.

Neque enim per negationem, vel prohibitionem, 4
aut appellationem alterius tenetur quis prætermittere,
quominùs jure suo utatur, per *cap. 1. ut lit. pend. cap.*
significante de appell. cap. consultationib. de jurepatron. ac
per l. si fundum, C. de rei vindic. & notatur *in cap. dile-*
cti de major. & *obed.*

Nam etsi Abbas Commendatarius in judicio coram 5
Eminentissimis Patribus Sacræ Congregationis Concilii
provocaverit in libertatem, quin etiamsi Episcopus con-
tra ipsum Abbatem, *interdictum uti possidetis* proposue-
rit, nihilominùs, lite pendente, adhuc licet eidem Epi-
scopo pergere in sua possessione, *dict. capit. 1. ut lit.*
pend.

Atque ex hoc patet responsio ad jura, quæ dicunt, 6
sententiam excommunicationis non esse ferendam sine
causæ cognitione, ac monitione, ut *can. nemo 2. quæst.*
1. cap. sacro de sent. excommun. & *cap. 1. eod. tit. in 6.*
quia vindicant locum, quando Episcopus procederet ut
Judex, non autem ut pars, & tanquam ille, qui jure
suo utitur, ut in hoc casu, in quo etiam sine causæ
cognitione, ac sine monitione tenet excommunicatio,
per *cap. Si Sacerdotes de offic. ord. cap. Romana, §. Ca-*
veant de sent. excomm. & *cap. quidam 5. qu. 1.*

Hisque etiam suffragantur jura civilia, quibus licet 7
unicuique jus sibi dicere in iis casibus, & in quibusdam
aliis, qui notantur *C. quando liceat jus sibi dicere*, & per
Ostiens. *in summ. sub rubr. de sent. excommun. §. si quis*
debet, vers. fallit.

Ex quo fit, ut juxta eundem Innocentium pruden- 8
ter agat Episcopus, si tanquam pars, & non tanquam

Judex

Judex procedat, quia ſic non adſtringitur ad juris ordinem ſervandum. Præterea hoc pacto ſe reum conſtituit, & conſervat, & adverſarium actorem facit, quem oportet conqueri de injuſta excommunicatione, vel nulla, ut *cap. cùm contingat de offic. leg. & cap. ad reprimendum de offic. ordin.* Vide quæ ſcripſi *tom. 4. conſultat. 127.*

9 In ſecundo caſu, ideſt cùm Epiſcopus non eſt in quaſi poſſeſſione exercendi ſuam juriſdictionem, & hoc conſtat, ſecundùm Doctores ſpectatur tempus appellationis, & illius exitus. Et quidem ſi conſtabit Abbatiam eſſe exemptam, non valebit ſententia, ex iis, quæ leguntur, ac notantur in *cap. cùm dilectus de relig. domib.* non tamen Epiſcopus erit reprehendendus de injuſta, vel nulla excommunicatione, argum. *cap. ex literis de offic. deleg.* Potuit enim duci probabili errore propter juris communis aſſiſtentiam, & Brevium Summorum Pontificum, ſi quæ extarent, niſi appareat de illius malitia, vel craſſa ignorantia ſecundùm Innocentium *eod. loc.*

10 Quinimmò ſi fuerit probata exiſtentia Abbatiæ intra limites Epiſcopatus, dari poterit mandatum de manutenendo Epiſcopo in quaſi poſſeſſione omnimodæ juriſdictionis Epiſcopalis ob juris communis aſſiſtentiam, *c. cùm Epiſcopus de offic. ordin. in 6.* Rota *deciſ. 382. part. 2. recent.* quamdiù Prælatus inferior non probaverit ſe eſſe in ſtatu nullius Diœceſis, vel utramque juriſdictionem in Parochos, & Parochianos exercere, juxtà terminos *cap. 1. ſeſſ. 25. de Regular.* per tres ſententias conformes, vel per unicam, quæ in rem judicatam tranſiverit, ut reſpondit Sacra Congregatio Concilii ab Archiepiſcopo Theatino conſulta contra Commendatarium Abbatiæ Sancti Joannis in Venere, apud Fagnanum *in cap. nullus num. 17. de Paroch. & alien. Paroch.*

11 In tertio caſu, hoc eſt cùm dubitatur an Epiſcopus ſit in quaſi poſſeſſione necne, ſimiliter concludunt Doctores, validitatem cenſuræ pendere a futuro eventu. Nam ſi apparebit, Epiſcopum non eſſe, neque fuiſſe in quaſi poſſeſſione ſuæ juriſdictionis tempore excommunicationis, & Abbatiam eſſe exemptam, non valebit ſententia. Interim tamen ſtabilitur ſententia Epiſcopi, donec contrarium fuerit probatum.

12 Atque ita in tribus caſibus ſupradictis concludit Innocent. *in d. c. Venerabili de cenſib.* eumque ibi ſequuntur Jo: Andr. Butrius, Cardinalis, Ancharanus, Abbas, Anania, Soccinus, & Oſtienſis, *qui in cap. procurationis num. 8. de cenſib.* concludit, poſſe Epiſcopum petere in iis, quæ notoria ſunt, & tanquam Epiſcopum excommunicare. Quod innuit etiam Innocentius. Quia tunc non excommunicat ut Judex, ſed ut exequutor, de quo *in cap. ex parte de verb. ſignif.*

Quod verò ad excommunicationem latam ab Abbate Commendatario, vel ab ejus Vicario contra Miniſtros, vel Birruarios Curiæ Epiſcopalis, dicendum eſt, illam eſſe nullam defectu juriſdictionis, tanquam lata in non ſubditos, *cap. a nobis*, ibique Gloſ. *v. nonniſi ſubditi de ſent. excomm. & cap. P. & G. de offic. & poteſt. Judic. deleg.* ibique Canoniſtæ communiter.

CONSULTATIO CCVIII.

An mulier ſit capax Imperii? De idoneitate naturali perſonæ eligendæ ad imperandum. Imperator cujus ætatis eſſe poſſit? De aptitudine acquiſita, ubi an Princeps debeat eſſe conditus? Pollere eloquentia? Quas virtutes morales habere debeat? Qua pietate præditus? An nonniſi a ſe uno utile conſilium capere poſſit? An præſtet habere Principem verſutum, & callidum, quàm ſimplicem? An Principis prudentia debeat aſtu eſſe temperata? An Princeps ſit ſolutus legibus? Veritatem, & fidem colere debet. Quæ virtutes Principes præcipuè deceant? De lege Salica Gallorum.

1 A Politicis diſputatur, an mulier ſit capax Imperii? & quidem licèt regulariter mulieres a regimine removendæ ſint. Tum quia jus divinum imperio muliebri reclamat 1. *ad Tim. 2. Eph. 5. Coloſ. 3. 1. Petri 3. Gen. 3. Eſajæ 3.* Tum propter jus civile, quod fœminas ab omnibus officiis civilibus removet *l. 2.* ibique Doctores *ff. de reg. jur.* Tum quia in Imperatore, in Rege, in Principe requiritur prudentia, animi magnitudo, robur corporis, patientia laboris, conſtantia in adverſis, authoritas in arduis &c. quæ omnia in fœminis pauciora, & parciora.

2 Jure tamen conſuetudinario, & hæreditario ad Magiſtratum admittuntur, qualis conſuetudo hodie recepta eſt in Regno Angliæ, Hiſpaniæ, Navarræ, Poloniæ, Renat. Chopp. *de dom. Franc. lib. 3. tit. 2.* Luſitaniæ, Siciliæ, Neapolis, Scotiæ, Vincent. Cabot. *lib. 1. diſput. Jur. civil. c. 15.* Jo: Sleidan. *in deſcript. Galliæ.*

Quia Politici communiter concludunt, ſceptrum peregrino minimè tradendum. Tum ob amorem patriæ, ac ſubditorum, tanquam popularium, qui amor arcana vi rapit animam Principis, ut patriæ ſalutem quærat, neque cogitat ita facilè de regno, in quo natus eſt, deſerendo. Tum propter obligationem ſingularem conſcientiæ, quam patria communis in ſe continet. Tribus enim naſcimur, Deo, Patriæ, ac nobis. Tum quia Princeps peregrinus volet conformare mores ſuorum ſubditorum juxtà mores patriæ, ſicque Rempublicam perdere. Tum quia præjudicioſum valdè eſt, & cedit in gentis contemptum, ſi Principem exterum quærat, quaſi ita novercam habeat patriam, ut neminem producat tàm excellenti virtute præditum, qui dignus ſit patriæ gubernaculis. Tum propter aliarum gentium exempla. 3

Sic ille omnium legum fons, & legislatorum director Deus juſſit: Non poteris alterius gentis hominem Regem facere, qui non ſit frater tuus, *Deuteronom. cap. 17. v. 5.* ne ſcilicet per extranei imperium leges non tantùm civiles, ſed etiam Religio in populo ſuo mutationem aliquam pateretur. Sic apud Lacedæmones Licurgus omnibus viribus, & legibus contendebat, ne Peregrini in Urbem admitterentur, multòminus ad rerum gubernacula admoverentur, Plutarchus in Licurgo. In inclyta Venetorum Republica ad Magiſtratum non eſt peregrinis locus, inquit Franc. Patrit. *lib. 3. de inſtit. Reipubl. tit. 2.* Inter Belgarum privilegia, & hoc extat, nullum exterum, aut peregrinum muneribus publicis præficiendum. Quod interverſum ipſi a Philippo II. Hiſpaniarum Rege conqueritur Author de jure belli Belgici, qui Conſiliarios Hiſpanicos primus ordinibus adjunxit. Angli quàm iniquo animo pertulerint Philippi Hiſpaniarum Regis cum Maria eorumdem Regina nuptias, oſtendit Carri, & Vint. adversùs Philippum ſuſcepta conjuratio, & quamvis pactis dotalibus inter cætera contineretur, ut plena, ac libera beneficiorum, gratiarum, & functionum diſtributio apud Reginam remaneret, bellum tamen illud contra externi Principis dominatum pro patriæ libertate ſuſceptum, authores ejus volebant, Thuan. *lib. 13. hiſtor.* Helvetii quoque morem hunc religioſiſſimè ſervant, neque enim illi peregrinos adminiſtrationi regiminis publici præficiunt. 4

Et hanc præcipuè ob cauſam Galli ſuam legem Salicam, quæ fœminam Regno præeſſe vetat, tulerunt, latè Joann. Bodin. *lib. 6. de Republ. cap. 5.* & nos inferiùs. Et aliàs originarii extraneis præferendi, cùm meliùs cenſeantur ſcire mores, & conſuetudinem ejus Provinciæ, ex qua ſunt oriundi, *cap. quædam, & cap. quantò de præſumpt.* Tacit. *lib. 2. C. de offic. Præf. Præt.* ubi dicitur potiùs eligendos eſſe Prætores, qui habent larem in Urbe, quàm qui ſunt in Provinciis. Addatur *text. in can. nomine diſt. 23. per cap. Venerabilem 34.* ibique Abbas *num. 16.* & Bald. *num. 5. de elect. & elect. poteſt.* Hinc jusjurandum ad id Electores adigit. Sic Moguntinus, & Treverenſis apud Sleidan. *lib. 1. de ſtat. relig.* Gallum, quod attinet, inquiunt, legibus noſtris, & jurejurando non arbitror impediri. Cautum enim eſt, ne decus hoc Imperii transferatur ad exteros, Sabin. *in elect. Caroli V.* Immò ſi exterum admitteremus, metuendum, ne ille ereptis Electorum ſuffragiis, dignitatem Imperii familiæ ſuæ perpetuam conſervare properet. Quod prævidens Moguntinus Elector in deliberatione de Gallo Franciſco I. & Hiſpano Carolo V. apud Sleidan. & Sabin. *loc. cit.* ſuſcepta, ait: Sed dum attentiùs cogito, moveor etiam, & propè inhorreſco, & hoc mihi in mentem venit, ſi quando Cæſar iratus in Germaniam veniat, & Hiſpanos adducat, libertati noſtræ magnum fore periculum. Cogito etiam poſſe fieri, ut Imperii dignitatem hanc vix ægrè nobis reſtituant Hiſpani. Quod etiam factum forſitan fuiſſet, niſi præcipitato conſilio Carolus V. fratrem ſuum Ferdinandum in Regem Romanorum creari curaſſet: Tuan. *lib. 2. ac 26. hiſt.*

Ipſeque Gallus Franciſcus I. confitetur, cùm demonſtrare voluit, ſe Germanum eſſe, ita ſcilicet, quod exteris ad hunc gradum ſciret eſſe lege jam inveterata præcluſum aditum, Sleidan. *lib. 8. de ſtat. Relig.* Et Proteſtantes anno Chriſti 1572. hanc legem in ſuis literis ita interpretantur. Nullus creatur Romanorum Rex, quin ſit ex aliqua Germaniæ Principum familia progenitus, Sleidan. *lib. 6. de ſtat. Relig.* Accedat & illud, quod habet Bodin. *lib. 6. de Republ. cap. 5.* Non poterit enim, inquit, peregrinus Princeps a periculis tutus eſſe, niſi validiſſimo præſidio ſeipſum imprimis, deinde 6

arces

arces muniverit; illa verò externa præſidia multum incommodi ſecum trahunt, & ad tyrannidem viam parant. Quod inter alios notavit Buchan. *lib. 16. hiſt. Scot.* ubi ait, Mariam Reginam ſuaſu Davidis Ricii Italos ſui corporis cuſtodes elegiſſe, & addit. Quæ proxima ad tyrannidem via eſt.

7 Nec deeſt authoritas Authorum Germaniæ, & externarum nationum. Ut eo diutius, ait Ironic. *lib. 3. cap. 33. exeg. German.* Imperium apud Germanos incaleſceret, legem dixerunt Imperatores, ne exterus unquam rerum ſumma potiretur. Et Huld. Mut. *in Chron. German. lib.* 14. Sancivit enim, ait, ſoli Germani eligerent, & non alium, quàm Germanis parentibus natum, & Herman. Nuenar. *in orat. ad Elector. pro Carolo V.* Requiritur, ſcribit, eligendus a nobis Imperator, qui ex Germanica natione ſit oriundus, neque hoc ſolum, verùm etiam, qui ipſam linguam, moreſque, ac illum magnanimum, ac generoſum ſpiritum ex incunabulis hauſerit: id ego non ſolùm prudenter a veſtris majoribus conſtitutum fuiſſe, verùm etiam a vobis diligenter obſervandum eſſe pronuncio, *tom. 1. Script. German.* Marquard. Freheri, quibus addantur Jo: Cuſpin. in Otthone III. Nicol. Serrar. *lib. 1. cap. 26.* Michael. Beuther. *in animad. hiſtor. cap. 23. num.* 20. Munſter. *lib. 3. Coſmogr.* in Gregorio V. Nicol. Reuſn. *in general. tit. Icon. Imper. & Elect. Saxon.* in Otthone III. Carol. Sigon. *lib. 5. Ital.* Bellarm. *lib. 1. tit. de translat. Imper.* qui omnes putant, Otthonem III. ſpeciali lege hoc primum caviſſe, ut ſoli Germani eligerent, & non alium eligunt, quàm natum Parentibus Germanis.

8 Id quod etiam intelligendum eſt de eo, qui vivo Patre naſcitur extra Germaniam. Quia filius originem ſequitur Patris, *l. aſſumptio §. 1. ff. ad municip.* ibique Gl. Bartol. Bald. ac Doctores *in l. pen. ff. de Senat. l. filio C. de munic. & orig. lib.* 10. Quod etiam locum ſibi vindicat in avo reſpectu nepotum, modò naſcantur vivo avo. Nam tunc non in Patris, ſed avi ſunt poteſtate, *§. fin. Inſtit. de patr. poteſt.* adeòque ipſius quoque originem, præſertim quoad honores, ſequuntur, *d. l. pen. ff. de Senat.*

9 Exemplum habemus in Carolo V. & Ferdinando Rege Romanorum fratribus, ac nepotibus Maximiliani I. ex filio Philippo, qui pro Germanis fuerunt habiti. Cùm præmortuo Patre eorum Philippo Rege Caſtellæ ante avum, fuerint in poteſtate avi paterni, atque ita fortiantur originem avi ſui paterni, & ſic habeantur Germani, & nati, licèt extra Germaniam, Archiduces Auſtriæ, ſicut avus eorum paternus, non Hiſpani propter matrem, vel avum maternum. Et addit Henning. Goden. quod dignitas adjecta primævæ origini, ut ſunt Regna Hiſpaniarum, non mutent originem primam, nec minuant honorem, ſed augeant, Goden. *conſ. 1. num. 2. ac 3.* Marquar. Freher. *lib. 2. cap. 3. ad Petrum de Andlo*, Petr. Heig. *p. 1. quæſt. 6. numer.* 44. Matth. Steph. *de juriſd. lib. 2. part. 1. cap. 1. num.* 104. Conrad. Lamel. *in templ. omn. Jud. lib. 1. cap. 1. §. 3. quæſt. 9.* Sic etiam Fridericus II. qui natus fuit in Sicilia, ex Patre tamen Germano, nihilominus electus in Imperatorem, tanquam origine Germanus.

10 Quamvis de jure civili ad Rempublicam adminiſtrandam minor 25. annis non admittatur, *l. ad Rempublic. 8. ff. de mun. & hon. l. 6. & 11. ff. de decur.* varia tamen exempla in contrarium habentur. Sic Ottho III. admodum puer, Ott. Friſig. *lib. 1. c. 26.* Abb. Urſperg. *in Otthone III.* Henricus III. anno ætatis duodecimo, Cyriac. Spangeub. in Chronic. Mansfeld. *cap. 168.* Henricus IV. anno ætatis octavo, Lambert. Schffnab. *ſub anno* 1056. Albert. Kranz. in *Saxon. lib. 4. cap. ult.* Fridericus II. anno vigeſimo, Viumphel. *in c. 35.* Vvilelmus ſimiliter anno vigeſimo, Inthem. *in Chron.* Hirſaug. anno 1249. Venceslaus anno quintodecimo, Æneas Sylv. *in Bohem. cap. 33.* & Carolus V. ætatis decimo nono, in Reges Romanorum electi ſunt. Unde in Imperatore ætas eſt incerta, nec definita, & determinata.

11 His accedere debet pulchritudo corporis, quæ conſiſtit in proportione membrorum, & in ſuavitate coloris. Bona fortunæ, ad quæ referimus tàm genus, & familiam, quàm opes. Tum, ut ſubditos ad majorem venerationem, ac reverentiam hac externa, & in oculos incurrente ſpectabilitate corporis, atque majeſtate commoveat, cùm nihil ad inflectendos hominum ſenſus, animoſque devincendos tàm efficax, quàm pulchritudo inveniatur, quo Virgilius reſpexit: *Gratior eſt pulchro veniens è corpore virtus*. Tum ut omni genere virtutum tàm corporis, quàm animi eos ſuperet, quos imperio ſuperat. Quod obſervatum in hiſtoria Saulis fuit. Corporis enim ſpecie, ac proceritate omnes antecellebat. Et gentes Scythicæ, aliæque Orientales eum Regem elegerunt, qui corpore omnium eſſet ſpecioſiſſimo. Tum ut externa corporis ſpecies judicium præbeat, pulchri, & concinni animi. Quo reſpexiſſe putatur Pythagoras, qui hanc inſcriptionem Scholæ ſuæ appoſuiſſe dicitur: Ne quis eam ingrederetur, qui eſſet mala conſtructus corporis compage, Jo: Baptiſta Porta *lib. 6. phyſ. cœleſt.* Caſtiglion. *in aulico ſuo lib.* 4. Franc. Patrit. *lib. 2. de regno c. 2.* Chaſſan. *in cathal. glor. mundi conſid.* 18. Alexand. ab Alex. *lib. 4. cap. 33.* Strabo *lib. 16. ac* 17. Panorm. *in lib. de dict. & fact. Alphonſ.* refert, Bartholomæum Catenam, Archiepiſcopum Mediolanenſem, neminem ad miniſteria ſuæ aulæ admiſiſſe, niſi qui forma præſtaret, & addidiſſe rationem, quia improbitas in egregia forma rarò comperta ſit.

Hæc tamen ita intellecta volumus, ut ſemper dotes 12
animi præferantur dotibus corporis, & ſi ſimul conjunctæ eſſe non poſſint, magis reſpiciendum ſit ad dotes animi, quàm corporis. Nam ſi virtus adeſt, facilis jactura formæ. Non enim in fronte, ſed in mente ſedent virtutes, Jo: Caſ. *lib. 3. ſphær. Civit. cap.* 18. Et præſtat, Regem, quàm Regnum oculo carere, Regem, quàm Regnum claudicare. Nec enim corporis deformitate animus fœdatur, ſed pulchritudine animi corpus ornatur, Scacc. *Epiſt.* 77.

Quod verò ad genus, ad Romanum quidem Impe- 13
rium nullus admittitur, niſi nobiliori loco natus ſit, ſive Princeps ſit, ſive Comes, Reſtaur. Caſtald. *de Imper. quæſt. 7. num. 8. & 9. ac ſeq.* Exempla quoad Comites attinet, obvia ſunt in Vvilelmo Comite Hollandiæ, Rudolpho Habſpurgenſi, Adolpho Naſſovienſi, & Gunthero Schuvartzburgico; ſit tamen laicus, non Clericus, Reſtaur. Caſtald. *loc. cit. quæſt. 8. num. 7.* Anton. de Roſ. *de poteſt. Papæ, & Imper. §. & prolixius num. 6.*

Et quoad opes, licèt animi facultates, ingeniique 14
vires primariò eſſe reſpiciendas fateamur; Imperia enim magis prudentia, quàm armis, & potentia defenduntur. Et ita Elector Moguntinus in electione Rodulphi I. aſſeruit, ſapientiam, & ſtrenuitatem divitiis, ac potentiæ præferendam eſſe, M. Albertus Argentinenſis *in chron. fol.* 100. Nicol. Serrarius Moguntin. *lib. 5. in Archiepiſc.* 37. Et Fridericus Sapiens Elector Saxoniæ ſolitus eſt dicere, non eſſe in eligendo Imperatore rationem habendam divitiarum, non familiæ potentioris, ſed potius earum virtutum, quas Imperii adminiſtratio in Principe maximè deſiderat, Herman. Kirchnerus *de Republ. diſp.* 4.

Tamen, opes, & potentia non prorſus ſuſque deque 15
habenda, ſed inter fundamenta Principatus ponenda, & cæteris paribus præferendum eſſe potentiorem, poſt Oſtienſ. & Panorm. rectè decidit Marc. *deciſ.* 1204. *n. 1. part. 1.* Unde Romani neminem ad Magiſtratum admiſerunt, qui non per annos decem ſuis bonis propriis honeſtè vixerit, Valer. Max. *lib. 4. cap. 4.* Atque hæc videtur eſſe cauſa, immò arcanum maximum, cur hactenus ex domo Auſtriaca ille eligendus, qui Rex Ungariæ, & Bohemiæ eſt, quemadmodum declaravit ipſe Imperator Carolus V. cùm deſignaret fratrem ſuum Ferdinandum Regem Romanorum, apud Sleidan. *lib. 8. de ſtat. Religion. in fin.* Qui ſit autem magis ad eam Provinciam, ait, idoneus fratre ſuo Ferdinando Bohemiæ, & Ungariæ Rege, nullum ſe noviſſe alium; hujus etiam fines, atque Regna jam eſſe veluti murum aliquem pro ſalute totius Germaniæ oppoſitum immanitati Turcicæ.

An autem Imperator, Rex, Princeps eſſe debeant 16
eruditi? Politici generales latiùs hanc quæſtionem diſputant, prout videre eſt apud Vincent. Caſtellan. *lib. 1. de offic. Reg. cap.* 12. Juſt. Lipſ. *lib. 1. polit. cap. ult.* Melch. Jun. *par. 1. quæſt. polit. cap.* 18. Thom. Morus *in Utopia pag.* 91. Nos in præſentiarum ſumus contenti illo Juſtiniani Imperatoris in procem. *Imperatoriam majeſtatem non ſolùm armis decoratam, ſed & legibus oportet eſſe armatam, ut utrumque tempus, & bellorum, & pacis rectè gubernari poſſit.* Hinc Alphonſus Aragonum Rex, audiens literas in Principe improbatas eſſe a Rege Hiſpaniarum, dixit: Bovis iſtam eſſe vocem, non hominis, Panormit. *in hiſt. dict. & fact. Alphonſi*, & Æneas Sylvius *lib. 3. hiſt. Bohem.* refert, Uladislaum Bohemiæ Regem dixiſſe, non videri ſibi hominem, nedum Principem, qui literas ignorat; additque Sylvius, in plebejo homine doctrinam argento, in nobili auro, in Principe, aut Rege gemmis æquiparari poſſe, ut rectè Chaſſan. *par. 5. Cathal. glor. mund. conſider.* 10. Principem illiteratum vocaverit aſinum coronatum. Quod autem ad principales virtutes intellectuales, & morales, Princeps præcipuè cognoſcere debet ethicam, œconomi-

nomicam, politicam, quæque huic ſubordinatur juriſprudentiam, & quæ ad has omnes facilius, feliciuſque comprehendendas apprimè conducit, hiſtoriam. Vide Vincent. Caſtellan. *lib.* 1. *cap.* 23. Juſtin. Lipſ. *libr.* 1. *polit. cap.* 9. Fran. Patrit. *lib.* 1. *de regn. cap.* 10. Middendorp. *quæſt.* 68. *theol. polit.*

17 Quàm autem neceſſaria ſit Principi eloquentia, illa Regina animorum, Alexander Magnus monet, qui ab Ariſtotile petiit, ut rhetoricum pro ſe contribueret; in cujus rhetoricæ *cap.* 1. monet Alexandrum Philoſophus, valdè indignam rem eſſe, ſi Princeps ſplendidè veſtitus ſe ornet præ aliis hominibus, & interim non cogitet de ornatu orationis, quæ magis propria eſt homini, quàm ulla veſtis. Quanta etiam vis eloquentiæ in arduis negotiis, ac ſeditionibus compeſcendis, teſtari poteſt Mener. Agrippæ Apologus, & Furii Camilli oratio apud Titum Livium. Et quantum in proditionibus, ac præſenti vitæ periculo, loquitur exemplum Jacobi Regis Britanniæ, qui cùm proditione Comitum Gauriæ eo jam adactus eſſet, ut jugulum Carnifici porrigendum foret, nulla re magis vitam liberavit, quàm eloquentia ſua prompta, & nervoſa.

18 Virtus autem moralis in Principe debet eſſe vera, non ſimulata, & in faciem tantùm externè oſtentata, quicquid Doctores novi ab Hetruria ſomnient uti Juſtus Lipſius *lib.* 2. *polit. cap.* 14. Machiavellum vocat, qui *lib. de Republ. cap.* 42. *& de Principe cap.* 18. ſuadet, ut Princeps homines verſet inſtar molis truſatilis, quo vult, & fallaciis, ac fraudibus circumveniat. Tum quia hoc dogma Principi, ac ſubditis pernicioſum, utpotè naturæ, ac verbo Dei contrarium, *Proverb. cap.* 11. Tum quia non qui ſpeciem virtutis præſeferunt, ſed qui probatæ vitæ ſunt, cæteros omnes antecedunt, *l.* 6. *in princip. C. ad l. Jul. repetund. l.* 1. *in fin. Cod. de offic. magiſtr.* Tum quia quales in Principe refulgent mores, tales quoque propagantur in ſubditis. Nec probitate ſibi ſoli, ſed innumeris prodeſt. Plin. *in paneg.* Siquidem Rex eſt ſol ſui Regni, qui per opacitatem vitiorum obſcuratur, & virtutum candore redditur illuſtrior. Quæ gloria eſt Principi, univerſo Orbi dominari, ſi ipſe vitiis inſerviat?

19 Porrò Princeps non debet eſſe atheus, ſed vera pietate præditus, arg. *Deuteron.* 17. *verſ.* 15. *& ſeqq.* 2. *Corint.* 6. *verſ.* 14. *Jerem.* 23. *verſ.* 28. *Oſeæ* 8. *verſ.* 4. *l. inter claras, Cod. de Summ. Trin. in proœm.* Non Paganus, *cap. Venerabilem* 34. *de elect. & elect. poteſt. cap. Apoſtol. de re judic. in* 6. *Clem.* 1. *de jurejurando.* Neque Hæreticus, *Baron. tom.* 10. *Annal. ad annum* 996. §. 2. Conrad. Lavell. *in templ. omn. Judic. lib.* 1. *cap.* 1. §. 2. Sed verus Chriſtianus, *dict. leg. inter claras*, Alvarez in Specul. Pontif. & Imper. *cap.* 56. *num.* 3. Mich. Ulcur. *de regim. mundi part.* 2. *quæſt.* 2. *princ. num.* 27. *&* 47. Hæretici tamen contendunt, ac volunt non obeſſe, ſi ſit Proteſtantium Religioni addictus propter Conſtitutionem, Pacis religionis, per quam omnes Eccleſiaſticæ cenſuræ erga illos ſuſpenſæ ſunt, Reus. Imper. *ſub anno* 1555. At litem hanc non faciat privatus ſuam.

20 An autem Princeps nonniſi a ſe uno utile conſilium capere poſſit? Affirmat Celſus Metellus, qui dicere ſolebat, ſi indecorum ſciret ejus propoſitum, quod illud vellet in ignem conjicere. Nec voluit Antigonus Rex filio Philippo ſciſcitanti ſignificare, quando caſtra eſſet moturus, & latè diſputat pro affirmativa, Machiavell. *cap.* 23. *de Principe*, quem optimè refutat Author anonymus *de jur. Principat. concluſ.* 80. cum quo, & nos ſentimus.

21 Sed an præſtet habere Principem verſutum, & callidum, quàm ſimplicem? Ludovicus Vives *in ſatellit. ſuo aphoriſm.* 60. callidum magis, quàm ſimplicem optat Principem, Jo: Bodin. *lib.* 2. *de Republ. cap.* 4. ſimplicitate magis, quàm calliditate everti Reſpublicas teſtatur, quibus accedit Bartol Kenkerm. *ſyſtem. polit. lib.* 1. *cap.* 4. Quia ſimplicitas magis directè pugnat cùm majeſtate Imperii, quàm verſutia, & contemptum parit, contemptus verò cum majeſtate Imperii ex diametro pugnat, ut egregiè Quintus Curtius *lib.* 8. Majeſtas Imperii ſalus, & tutela eſt. Et quia verſutia, & calliditas eſt malum corrigibilius, quàm fatua ſimplicitas, nam ex verſuto ſimplex, ſed è contrario rarò fieri poteſt, ut in Honorio, & Carolo V. exemplificat Kenkerm. *loc. cit.* Videatur tamen Ventura de Valentiis in Parthenio litigioſo *lib.* 2. *cap.* 8. *num.* 37. *ac ſeqq.*

22 Principis autem prudentia debet aſtu eſſe temperata, præſertim hoc callido ſæculo, quo res omnes verſutiis verſantur, & ſe ſplendido titulo politicos vocant, propterea quod artificioſè poſſint geſtu, vel verbis mentiri, ac fallere, per *cap.* 8. *Joſ. verſic.* 2. *Num.* 13. *Judic.* 20. *verſ.* 23. *Proverb.* 1. *verſ.* 4. *Matth.* 10. *verſ.* 16. ubi Chriſtus diſcipulis ſuis præcepit columbinam ſimplicitatem ſerpentina prudentia mixtam. Item per *l. conventionem, ff. de pact. l.* 1. *§. non fuit, ff. de dol. l.* 26. *ff. de captiv. & poſtlim. reverſ.* Videatur omninò author de jure Principis *concluſ.* 81. *lit. C.*

At quid de juſtitia? Hoc clariſſimum Reipublicæ jubar, & Orbis totius validiſſimum vinculum unicè ſibi commendatum habeat Princeps, juſta lege ex præſcripto legum, & rationis omnibus communicabit. Tum quia Principes juſtitiæ gratia creati ſunt, ut malitiis hominum obſtarent, è quibus lites proveniunt, Franc. Top. *in repet. l. Princeps, ff. de legibus*, Cavalc. de Franch. *Reg. part.* 1. *num.* 24. Et hoc argumento Princeps dicitur juſtitiæ debitor, *cap. ex tenore de foro compet.* Cabal. *milleloq.* 43. Tum quia Majeſtas Principis propria eſt armis non ſolùm decorata, ſed etiam legibus armata, *proœm. inſtit. can. ſcelus diſt.* 41. Tum quia nihil in terris Deo ſimilius eſt Principe ſapiente, & juſto, Plin. *in paneg.* Immò imperia abſque juſtitia ſunt rapinæ, & latrocinia, Beatus Auguſtinus *lib.* 4. *de Civit. c.* 4. Quinimmò ſi Princeps non adminiſtret juſtitiam, dicitur regnum vacare de jure, *c. tranſmiſſa de foro compet.* Principes ergo hoc ſeriò conſiderent. 23

Huc pertinent graviſſimæ illæ quæſtiones, an Princeps ſit ſolutus legibus? An jus quæſitum alteri auferre poſſit? Verùm cùm has quæſtiones plenè, ac planè alibi excuſſerimus, actum agere nolumus. 24

De virtutibus autem potioribus directis, nempè de veritate, de clementia, de temperantia, de modeſtia, de liberalitate, de magnanimitate &c. nolumus hìc eſſe prolixiores, quæ ad politicam generalem pertinent. Idcircò aliquot tantùm virtutes, ſed in Principe magis neceſſarias apponimus, reliquas politicæ generali relinquentes. Veritatem, quæ lapidi lydio comparatur, qui ſicut aurum, ita veritas hominem judicat, ſine qua homo non eſt homo, primo loco collocavimus, quia eam Princeps colere in primis debet, & fidem etiam hoſti, infideli &c. datam ſervare, aut non temerè, ſi ſervare nolit, dare, quicquid Thuſcus ille Doctor, qui politicorum quorumdam, & aulicorum ſummus eſt Pythagoras, quem non in minori pretio habent, quàm Turcæ ſuum Alcoranum, ſeu omnia ſacrilegi Mahumetis. Inquit autem *cap.* 18. *de Principe, & lib.* 3. *in Tit. Livium cap.* 43. Prudens Princeps fidem non debet ſervare, ſi ei ſit damno, ac neceſſitates præterierunt, propter quas illam dedit. Cui reponimus authorem Antimacchiavel. *lib.* 3. *theor.* 21. & ſequentes rationes. 25

Primò, quia fides magis exuberare debet in Principe, quàm in alio, ejuſque etiam dictis citiùs, rectiuſque, quàm aliorum juramentis fidem eſſe habendam, ſcribit ad Niclocl. Iſocrates, & nihil magis in Principe præfulgere debet, quàm recta fides, *d. l. inter claras C. de Summ. Trinit.* Siquidem Princeps in terris dicitur eſſe immobilis, ſicut polus in Cœlo, & lapis angularis in terra, ut pluribus Riminald. *conſ.* 13. *num.* 20. *& ſeq.* Turpe eſt, inquit Belliſarius apud Procopium, cum aliis omnibus, quibus vel minimè virtus cordi eſt, tùm in primis Principi viro mentiri, ac fidem fallere. Et Carolum V. dixiſſe fert, Jo: Bodin. *lib.* 5. *de Republ. cap.* 6. Etiamſi fides toto terrarum Orbe exularet, tamen apud Imperatorem immaculata manebit. 26

Secundò, quia nihil tàm congruum humanæ fidei, quàm ea, quæ ſemel placuerunt ſervare, *leg.* 1. *ff. de conſt. pecun.* 27

Tertiò, quia fides eſt juſtitiæ fundamentum, Cicer. *lib.* 1. *offic.* qua ſublata, juſtitiam quoque ipſam cum humana ſocietate tolli neceſſe eſt, *can. ubi* 24. *quæſt.* 1. Farinac. *in prax. crimin. lib.* 4. *tit. de carcer. & carcerat. quæſt.* 29. *num.* 5. 28

Quartò, quia inter hoſtes eſt juris gentium communio, *l. ult. ff. de legat.* 3. ergo etiam obligationum, & conventionum, quæ juris gentium ſunt, inter eos communio erit. 29

Quintò, jure divino probatur. Sic Joſua, quamvis juſſus eſſet a Deo omnes illas gentes idolatras funditus delere, *Joſ. cap.* 6. *v.* 30. *& cap.* 8. *v.* 2. tamen fidem Gabaonitis ſervare ſanctè voluit, ne Dei præpotentis furorem in ſe, & populum Iſraeliticum concitaret, *Joſ. cap.* 9. *v.* 3. Confer. *cap.* 21. *Samuel* 2. 30

Sextò, probatur jure Canonico *can.* 23. *quæſt.* 1. & Canoniſtæ violatorem perjurum vocant, Butr. *in c. tuis col.* 2. *de teſtib.* Felin. *in cap. quærelam* 10. *num.* 7. *de jurejur.* Perjurii verò crimen, etſi in omni perſona grave eſt, in Principibus tamen graviſſimum eſt Innoc. *in cap. ad Apoſtolicæ* 2. *col.* 2. *de re judic. in* 6. Pret. Premuſ. *in tract. de ſecurit. promiſ. qu.* 7. 31

Septimò, quia hac virtute alia Imperia maximè creſcere ſolent. Sic Romanum Imperium nulla virtute 32

alia

alia magis crevit, quàm fide erga amicos, quam si ethnici in tanto honore habuerunt, multò magis Christiani, Eugub. Boss. *de Imper. virtut. adversùs Macchiavellum cap.* 7. Cauriana, *lib.* 2. *in Corn. Tacit. fol.* 267.

33 Octavò, quia perfidiæ plerumque funesti, & tragici solent esse exitus, illamque divina pœna comitatur. Unde Aristoteles ad Alexandrum Magnum: *Cogita, ne pejeres, sed timeas divinam ultionem, & humanam infamiam.* Exempla apud historicos passim multa, & horrenda legimus. Duo, unum antiquius, alterum recentius, saltem adscribam. Cleomenes Lacedæmoniorum Rex, cùm septem dierum cum Argivis inducias pepigisset, tertia nocte Argivos nihil tale metuentes adortus, magnam stragem dedit, qua de re conquerentibus Argivis, dierum, respondit, pactas esse, non noctium inducias. Verùm hæc perfidia miserum ei vitæ exitum peperit. Nam ex Argivis fœminæ ætate florentes, duce Tolesilla, arma capiunt, inque pinnaculis consistentes muros corona cingunt, Cleomenemque fortiter repellunt, qui quidem postea in Ægypto exul sibi ipsi violentas, & perfidas manus intulit. Plutarch. *in ejus vita.*

34 Alterum est de Uladislao Rege Ungarorum, qui rupti fœderis pœnam dedit gravissimam. Hic enim post pacem ab Amurathe Turcarum Principe in decem annos inita, pacis fœdere violato, Amurathem denuò ad Vanam Bulgariæ oppidum cùm bello prosequeretur, jamque Amurathes ad extremas redactus esset angustias, oculis in Cœlum sublatis, exclamasse dicitur: *Jesu Christe, en hæc sunt fœdera, quæ Christiani tui per nomen tuum jurantes mecum percusserunt, suoque perjurio te Deum suum abnegarunt, quare si Deus es, ut ipsi ajunt, hanc mihi, & tuo sancto nomini illatam injuriam ulciscere.* Tum protinùs mutata fortuna Rex cum proceribus, & militum triginta millibus miserè periit, Amurathes verò victoriæ jam penitus desperatæ compos redditur, Anton. Bonfin. *lib.* 26. Cromer. *histor. Polon. lib.* 21. Paul. Jov. *in vita Amurathis*, Callimachus Florentinus *de reb. gest. Uladislai lib.* 3. & nos alibi.

35 Nonò, firmant hanc latius conclusionem, Cynus *in l. digna vox num.* 7. *C. de legib.* Decian. *cons.* 18. *numer.* 110. *lib.* 1. Patrit. *lib.* 8. *tit.* 20. *de Regno, & Regi inslit.* Tholosan. *de Republ. cap.* 8. Just. Lipl. *lib.* 2. *polit. cap.* 14. Chassan. *in Cathalog. glor. mund. part.* 13. *consider.* 4. Petr. Peck. *in cap. mutare consilium num.* 1. *de reg. jur. in* 6. Duaren. *in l.* 1. *ff. de pact.* Covarr. *in tract. de matr. part.* 2. *cap.* 3. §. 4. *num.* 22. *& seqq.* Hotman. *illustr. qu.* 7. Bodin. *lib.* 5. *de Republic. cap.* 6. Bart. Kecherm. *lib.* 1. *system. polit. cap.* 3. & alii quamplurimi.

36 Quæritur ulteriùs, an Princeps conventionibus, & pactis cum subditis initis teneatur? Item, an contractum ab antecessore suo initum servare Princeps successor teneatur? Sed has quæstiones alibi enucleavimus.

37 Quoad alias virtutes, Vincentius Castellin. *lib.* 4. *de offic. Princip. cap.* 12. inter misericordiam, & clementiam eruditè discernit. Nos hoc in loco promiscuè accipimus. Nihil autem laudabilius, nihil magno, & præclaro viro dignius placabilitate, & clementia, Cicer. *lib.* 1. *offic.* Unde in signum clementiæ Reges jungunter, ut sint aliis clementiores, & dulciores, *cap.* 1. *de Sacr. Unct.* Ita tamen probanda est clementia, si cum severitate quadam sit conjuncta. Severitas enim virtutum est custos, & subditos continet in pace, Ciceron. *lib.* 2. *offic.* de qua & nos alibi: Unde quæritur, an tutius sit habere Principem severum, sub quo nihil, quàm levem, sub quo omnia licent? Illud mihi arridet. Videatur Author *de jur. Principat. thes.* 61. & 62.

38 Aureum dictum ex Imperatoris Justiniani, quod habet *in l. si qua illustris S. C. ad S. C. Orph.* Personis illustribus, ait, castitatis observatio præcipuum debitum est: Et Socrates, anima sanctior præ reliquis sapientior est. Si igitur Princeps se, regnumque suum salvum habere velit, quod velle omninò debet, *l.* 3. *in princip. ff. de offic. Præfect. vigil.* temperantiam sibi maximoperè commendatam habebit, certòque sibi persuadeat, intemperantia, libidinibusque Principum regna everti, neque infeliciùs regi populum, quàm a Principe ebrioso, ac libidinoso. Videantur Gregor. Richter. *axiom. politic.* 21. Bodin. *lib.* 4. *de Republ. cap.* 1. Tholosan. *lib.* 22. *de Republ. cap.* 3. Scomborner. *lib.* 2. *polit. cap.* 23. Vincent. Castellan. *lib.* 3. *de offic. Reg. cap.* 1.

39 Quod ad modestiam, omnes hominum ordines, in primis verò viros Principes decet modestia. Qui hanc virtutem spernunt, & aliorum repudiant consilia, propriis confisi viribus, gravissima vulnera populo infligere solent, Comin. *lib.* 1. Celsus Manc. *lib.* 8. *c.* 4. ubi superbia, ibi contumelia; ubi autem humilitas, ibi erit sapientia, *Prov. cap.* 11. *vers.* 2. Unde omnis virtutis promptuarium dixit Menander, & Deorum donum pulcherrimum Euripides in Medea.

Tandem quoad liberalitatem digna hæc virtus est 40
Imperatoria majestate, quam Diocletianus propriam Principum dotem appellare solitus est, Pompon. Lætus *in Diocletiano.* Meliùs beneficiis, ait Seneca, Imperium custoditur, quàm armis. Quod benè noverat Augustus Imperator, qui, ut sibi Imperium confirmaret, militem donis, populum annona, cunctos dulcedine otii allexit. Vide Antimachiavell. *lib.* 3. *theor.* 26. Comin. *lib.* 2. *hist.* Chassan. *in cathal. glor. mund. part.* 5. *consid.* 8. Tholos. *lib.* 22. *de Republ. cap.* 13. Castellan. *lib.* 3. *part.* 2. *cap.* 11. *ac seqq.* ac Just. Lipl. *lib.* 1. *polit. cap.* 17.

De magnanimitate autem Principis nolumus hic plu- 41
ra notare, quàm scripsit Castellan. *lib.* 2. *de offic. Reg. cap.* 7. Quæ hactenùs latè de idoneitate Principis diximus, tribus verbis complectimur, hominem justum, bonum, utilem.

De lege autem Salica Gallorum quæri consuevit, 42
cur P. Pharamondi leges appellentur Salicæ? Nam etsi variæ afferantur rationes pro cujusque ingenio, & conjectura, vix est, ut suis authoribus satisfaciant, quos refellere non studeo, sed potiùs admonere, omnem legem esse inventum, ac donum Dei, & decretum hominum prudentum. Sic enim ait Demosthenes *orat.* 1. *in Aristogitonem.* Hoc quo magis humanis mentibus figeretur, Reges consultissimi, & alii primæ notæ legum latores leges suas ad aliquem Deum retulerunt.

Moses quidem ad verum, & optimum, quem allo- 43
quutus est eo nomine, vel Angelum ejus. *Exod.* 19. *ac* 33. nec enim quisquam Deum vidit unquam: cùm eo Moses hoc postea a Deo impetrare contenderit, ut eum de facie cognosceret. Et S. Stephanus non ambigere dixit, legem Judæis datam dispositione Angelorum, *Act.* 7. Præstitit verò Deum promulgatorem sentire, ut lex plus venerationis haberet, ac dignitatis.

Ita Minos Rex Cretensium se colloquio Jovis frui 44
asserebat, & leges ex illius responso dare, quas Licurgus postquam in Creta didicisset, domum recursus, acceptas ab Apolline fingere maluit. Sic Pharamon ad Martem, Herculemve Martium retulit suas, perfecitque, ut a populo reverentia ducto, & attonito, ore aperto audirentur, & Salicæ vocari inciperent, & tàm Francis, quàm Gallis antiquioribus perplacerent. Nam quotus quisque ignorat Salios Martis Sacerdotes arma ejus cœlestia ex Numæ institutis portare solitos, quæ vocarentur Ancilia, ex omni nimirùm parte recisa, ut explicat in Fastis Ovidius *lib.* 3.

Nec est, quod indecora censeatur saltatio bellicosis 45
ritibus, ac viris, cùm constet Æthiopes continua quadam saltandi ratione ingredi prælium, & sagittas capiti radiorum instar circumjectas veluti è pharetra depromere, ac ita saltando numeris aptissimis hostem terrere, & aggredi, Lucian. *lib. de Saltatione.* Nemo præterea nescit Pyrrhum Achillis filium patri bellandi studio nequaquam secundum, saltationem armatam instituisse, quæ etiamnum tàm clari authoris nomine censetur, & decora corporis declinatione ictus infligere, aut evadere in præliis ostendit, gladium scuto collidens, & attonitum quidam, ac prorsus bellicum ciens, instar Curetum in Creta insula. Macrob. *lib.* 3. *Saturnal. cap.* 12.

Planè Salios quoque Herculi consecratos Antonius 46
Gripho, cujus scholam Cicero frequentavit, prodidit, sicut & Varro in Menippea Herculea eundem cum Marte facit, & similes honores tribuit, & Salios sodales, ut Virgilius *Ænead.* 1. Nec alia ratio suasit, ut Francorum alii, qui nondum Rhenum transmiserant, Ansuarii vocarentur, teste Anomiano *lib.* 20. *rer. gest. & lib.* 17. ubi de Saliis. Alii autem Salii, qui Troxandriam, flumine trajecto, occuparunt.

Nemo profectò non videt ab Ansilibus, & Saliis Mar- 47
tiis inflexa fuisse hujusmodi nomina, concurrente Francorum Religione in Martem propensa, & Herculem, & saliendi dexteritate, ac cursu hostes prævertendi, & nandi peritia singulari. Quod attigit Sidonius, hostes recensens, cum quibus Avitus Ætii Comes decertarat pro Romanis in Gallia, quam sibi vindicabant, res gerens in panegyr. ad Avitum *carm.* 7. ubi Salios a reliquis Francis secrevit Sidonius, ut illustrium præcipuos, ut Celtas a Gallis vulgò separamus, aut aliquando promiscuè utimur.

Planè cui quàm Gallis Herculem potiùs honorare 48
congruat, gens nulla occurrit, si Galathei parens, & generis Gallici author ille extitit, Beroso teste, & qui peragrato terrarum Orbe, Gadibus in Hispania, ubi columnas duas pro trophæo statuit, obiit, ac divinos hono-

honores accepit. Ideòque Ulpianus Jurisconsultus *in corp. jur. tit. qui hæredes instituí possint*, si tamen is liber Ulpiani est, Deos, inquit, instituere non possumus hæredes, præter eos, quos Senatusconsulto, Constitutionibus Principum instituere concessum est, sicuti Jovem Tarpejum, Apollinem Didymæum, sicuti Martem in Gallia, Minervam Mellientem, Herculem Gaditanum.

49 Julius Cæsar *de bell. Gallic. lib. 6.* scribit de diis eandem ferè, quam reliquas gentes, habuisse opinionem. Martem bella regere. Huic cùm prælia dimicaturi essent, ea, quæ bello cœpissent, devovisse; quæ superaverunt animalia capta immolasse, reliquas res unum in locum contulisse. Nonne igitur Salii dii meruerunt, eo magis quod Salico ritu inituri pugnam, cantu, & tripudiis, ac concussis gladio scutis, specimen terroris coram hostibus ederent?

50 Lata est tandem inter salicas leges illa potissima, ac verè regia, Pharamone sanciente: Ne qua fœmina Franciæ Regibus succederet, sed ad proximum quemque agnatum masculum sceptrum transiret. Quæ quidem lex nec sine cœlesti judicio edita est, nec sine exemplo, ut Regnum firmiùs stabiliretur æterna familiæ serie, quæ in qualibet fœmina intercidit, eo quod filii ex ea nati, patris sui, non ipsius fœminæ familiam sequuntur, ut Jurisconsulti explicant, qui mulierem familiæ suæ caput, & finem esse dicunt, *in l. pronunciatio, §. ult. & l. familiæ, ff. de verb. signific.* Et Euripides ait, mulierem semel egressam paternas ædes non esse ampliùs parentum, sed conjugis, masculum verò genus perpetuò domi consistit. Quin etiam honorat penates, & sacra domestica, & sepulchra majorum, Stob. *serm.* 75.

51 Nam, etsi alterum sexum alterius ope egere, natura voluerit, ut suis vicibus immortalis quodammodò maneat liberorum procreatione, ut tanquam accensa vitæ face lumen posteris per manus præbeatur, & ita mortalitatis damna pensentur: Nemo est tamen, qui non videat in multis, mulieris esse deteriorem causam, quàm masculi, & facultatem imbecilliorem, præsertim in publicis, arduisque negotiis, quæ nonnisi summo consilio, armisque conficiuntur. Argumento est ipse Deus. Nam licet sexu careat, quia est per se æternus, nec eget sobole ad sui propagationem, tamen est mentibus hominum ea insita notio communis, ut simul, ac Deum nominari intellexerint, Regem se virili quadam figura decorum videre arbitrentur, neque alium magnæ totius mundi Reipublicæ gubernandæ velut lege Sacra, & Salica præfici, optarive fas est.

52 Propterea Abner Magister militum Isboseth Saulis filium post patrem regnare curavit. Posteà verò David unctus fuit unanimi populi consensione, Saulis filia ad tantam administrationis molem postposita. Nec deinceps aliter observatum legimus, sicut nec in Romanorum Imperio, postquam Octavius Augustus successorem sibi Tiberium privignum designavit, nec rejecit, quamvis a Julia uxore hujus filia divertisset ob libidines. Imperator quoque Nerva, qui post duodecim Cæsares imperavit, Trajanum, cùm quo nullo necessitudinis vinculo, præterquàm militiæ, ac virtutis tenebatur, propter publicam salutem, & utilitatem adoptavit. Sed hic duriùs quàm par sit, & adversùs legem Salicam rejecit cognatos, si modò idoneos ullos habuit. Aureliano sanè unica fuit filia, cujus posteros a se visos Flavius Vopiscus ait in Aureliano, & in Tacito; delegit tamen Senatus, & exercitus Tacitum; fœmina enim non suffectura videbatur compescendo motui Germanorum, qui limitem trans Rhenum ruperant, minusque ad reliqua Reipublicæ nutantis munia obeunda. Sed debuerat Tacitus, nisi fallor, æquitatis studio, tunc rebus integris, si modò cœlebs erat, Aureliani decessoris sui filiam uxorem, Augustamque adsciscere.

53 Cùm igitur tot rationes, atque exempla regia, & consiliaria in conclavi animi sui induxisset Pharamon, nihil aliud potuit, quàm æquam, & prosperam legem statuere, fretus potissimum prudentium Virorum adstipulatione, quos arduis in rebus consueverat vocare, inter quos eminebant quatuor libellorum, & cognitionum magistri. Hi erant Morganus, Egibus, Solegasus, Atrogatus, in quorum numerum omnes Authores consensere, quibus curæ fuit res gestas Francorum perscribere, ut Ado Viennensis; dissentit tamen in nomine, ut & Guagninus, & Gil. inter se dissimiles.

54 Morganus autem legibus Romanis impensè studuerat, idque Berythi in Syria, ubi Eudoxium audierat, Anatolii avum, quem digestorum libris componendis Justinianus Imperator se adhibuisse socium laboris, & gloriæ prædicat, *lib. 2. C. de veter. jur. enucl. §. Quæ omnia.* Tanti verò factus est vulgò Morganus, ut plerique leges ab ipso nomen acceperint, ut Obertus Jurisperitus indicat, legem vocans Salicam seu Morganaticam. Quamvis nobilis, & potens liberos justos habens, ita secundò uxorem obscuram duxit, ne filii nascituri jura præcipua familiæ, & clientelæ participent, prioribus superstitibus, *c. un. de fil. nat. ad Morganaticam.*

Complura fuisse legis Salicæ capita, testis est illustris, & exploratæ fidei Carolus Magnus, Longobardorum victor, & legislator, edito titulo de ejus legis capitibus. *Generaliter*, inquit, *omnes admonemus, ut Capitula, quæ præterito anno legi Salicæ omnium consensu addenda censuimus, jam non ulteriùs Capitula, sed tantùm leges dicantur, immò pro legibus Salicis teneantur.* Qui plura de his legibus desiderat, legat Authores Gallos. 55

CONSULTATIO CCIX.

An, & quatenus Imperator Imperium a se abdicare possit, privari, ac deponi?

NEgant Baldus *in leg. Barbarius ff. de offic. Præt.* & Villalob. *in comm. opin. lib. 1. num.* 222. 1

Sed contrarium verius, ut rectè scribit Matth. Steph. *de jurisdict. lib. 5. cap. 15. num. 21. & lib. 2. part. 1. num.* 145. Exempla habemus in Diocletiano, & Maximiano, qui se abdicarunt Imperio, & in privatum concesserunt anno Christi 304. Sic quoque Carolus V. Imperator Imperio renunciavit anno 1556. Sleidan. *de stat. Relig. in fin.*

Hujus summam Summi Imperatoris humilitatem post abdicationem Imperii hic præterire non possumus. Cùm enim Ferdinando Fratri Imperium, Philippo filio regna propria cessisset, inque Hispaniam navigasset, & quietam ibi, ac Monasticam quasi vitam agere constituisset, dum Flissingæ in Zelandia commodum ventum expectat, Seldius ad eum venit a Ferdinando fratre legatus, cum eo multam in noctem producto sermone, & Carolus tandem signum suis volens dare, ut scilicet facem aliquis, dum ille digrederetur, præferret, nemine comparente, alii enim cubitum, alii aliò concesserant, Carolus arrepto cereo, Seldium quamvis reluctantem, per schalas ipse deduxit, ac digrediens, hoc, inquit, Seldi olim meminisse te velim, eum Imperatorem, qui tot Satellitibus quondam stipatus, immò tot legionibus cinctus fuerat, jam solitarium relinqui, & a domesticis quoque deseri, eumque, cui tot annos tu servieras, jam tibi servire, ac cereum præferre, Casp. Eus. *lib. 1. Epiderp. De principibus viris, qui sese abdicarunt, & vitam religiosam duxerunt*, vide Hieron. Plat. Soc. Jes. *lib. 3. cap. 7. de bon. stat. relig.* 2

Possent tamen Imperatores, Reges, Principes ex justissima, & gravissima causa, consilio, & auxilio Summi Pontificis deponi, atque Imperiali, ac Regia tiara privari possunt, maximè si infideles, ac hæretici fuerint. Vide Bellarm. *lib. 5. de Rom. Pontific. cap. 7.* Sic Ottho IV. quia Regnum Neapolitanum eripere tentabat juniori Friderico, qui in tutela Pontificis adhuc erat, & in Francos bellum meditabatur, authoritate Innocentii III. Sic Fridericus II. in Concilio Generali Lugdunensi, consentientibus universis Patribus ab Innocentio IV. depositus fuit, sententia depositionis est in *cap. ad Apostolicam de sentent. excomm. & re judic. in 6.* Sic Adolphus Nassoviensis justa de causa Imperio privabatur, siquidem Principes Imperii neglexit, indignos extulit, publicè adulteria patravit, Virgines, Moniales, Viduas vi constupravit, fidem, & literis, ac sigillo roboratam violavit, Cuspin. *in ejus vita*. Sic Ludovicus IV. authoritate Joannis XXII. ac Benedicti XII. Imperiali Solio dejectus. Videatur ejus historia apud Pighium, *lib. 5. Hierarch. Eccles. cap. 14. & 15.* & apud Robert. Arboricensem *tom. 2. theor. 7. de utroque gladio.* Sic Caroli IV. filius Vvenceslaus jure Imperii exutus fuit, siquidem in illo, ait Pevier. *in chron. lib. 5.* in ejus vita nihil homini simile, præter speciem fuit, & veluti porcus Epicuri domi in stabulo clausus, & saginatus negotia Imperii negligebat, Paralis *apud Abbat. Urspers. in vita Vvencislai*. Justitiam sinistrè, ac perversè administrabat, & rem Imperii abalienabat. Vide Canonistas *in cap. Venerabilem de elect.* Paris. de Put. *in tract. Syndicatus cap. de excess. Imper.* Bodin. *lib. 2. de Republ. cap. 5.* Lancell. *in templ. omn. Judic. lib. 1. cap. 1. num. 2. quæst. 6.* Jul. Clar. *§. fin. quæst. 35. num. 6.* 3

CONSULTATIO CCX.

An, & quatenus privati hostiliter imperanti, aut regnanti violenter possint resistere?

1 PEriculosissima est hæc quæstio, ut videre est apud Jun. Brut. *de vindic. contra Syran. quæst. 3.* Fernandex Vasqu. *lib. 1. cap. 8. num. 39. ac seqq. Mustr. controvers.* Tholosan. *lib. 16. de Republ. cap. 7.* Bodin. *lib. 2. de Republ. cap. 5.* Althus *in polit. cap. 38. num. 68.*

2 In hac quæstione distinguendum est inter tyrannum qui est absque titulo, & inter tyrannum qui habet titulum. Illi regnum invadenti, etiam privata authoritate sine alterius jussu omnes, & singuli Patriæ amantes, optimates, & privati resistere, & possunt, & debent, per ea, quæ habent Authores allegati. Tyranno autem, qui habet titulum, insultare non possunt, argum. *l. 176. ff. de reg. jur.* sed ad preces, lachrymas, & vitæ emendationem cum Ecclesia confugiant. Ascenda deprecatio, & descendet commiseratio. Hæc enim sunt fidelium arma, quibus mundi furorem expugnant.

3 Consenescat igitur immaturus, & ardentissimus vulgi impetus, ipsosque terreat divinæ Majestatis vindicta, *can. Convenit. 13. quæst. 8. can. porrò 16. quæst. 3.* Non enim convenit cuilibet servos vocare ad pileum, nec populari ludibrio Principum majestas, etiamsi apud indignos resideat, exponenda, aut uniuscujusque pedibus subjicienda, ut olim Philippus Hassiæ Landgravius in orat. ad milites contra furiosos Anabaptistas, referente Sleidano, *lib. 5. de stat. Relig.* ostendit.

4 Licuit Asinæ Balaami, quæ populi typus, Domino suo dicere quid feci? offenderis, si tuo, meoque Domino de via discedo, & morem potius gero, quàm tibi, *Num. 22. v. 28.* Non autem violenter aliquid contra Balaamum tentare. Quo exemplo movemur, ubi civile magistratus Imperium Deo obluctatur, a quo omnis ejus potestas, *ad Rom. 13.* huic magis quam illi obediendum. *Ex. 1. v. 17. 1. Reg. 18. Daniel. 6. v. 22.*

5 Superent igitur omnes gentes cruciatus, Servatoris exemplo, modestia, lenitate, patientia, non defectione, non injuria, aut vindictæ cupiditate. Quisquis enim ex animo Christum profitetur, is pulsatus rogat, & pugnis concisus adorat. Tertull. *in apolog. c. 37.* Spontaneum igitur exilium potiùs eligat, aut mortem privatus, quàm vel contra Deum Principi obediat, vel in unctum Domini furiosè insurgat, sermone, scripto, aut opere in eum invehatur, ad ordinis, & pacis publicæ perturbationem, *Dan. cap. 3. num. 16. cum seqq.* Vvinzet. *in flagel. hæret. p. 77. & 94.* Videantur de la Nove *disc. 10.* Cauriana in Tacit. *lib. 3. fol. 30.*

6 Circa verò modum resistendi, sequentia requisita observanda. Primum cui resistant. Secundum quando resistant. Tertium quomodo resistant, quousque, & quamdiù resistant. Hæc requisita omnia, & singula, cùm copiosè, ac eleganter sint exposita ab Jo: Althausio *in polit. c. 38. num. 46. & seqq.* & a Bartol. Kekerm. *lib. 1. histor. polit. cap. 28.* nihil hac vice addam.

CONSULTATIO CCXI.

An tolerabilior sit status Reipublicæ, in quo Princeps malus, & boni Consiliarii, an verò contra, in quo Consiliarii mali, Princeps verò bonus? Ubi de præcipuis dotibus boni Consiliarii plura, & insigniora etiam apud Principes Ecclesiasticos.

1 ASsero, quod tolerabilior sit status Reipublicæ, in quo Princeps malus, & boni Consiliarii. Quia facilius est multis bonis viris lucrari Principem malum, quàm bono Principe plurimos malos. Auferas iniquos Consiliarios coram Rege, & confirmabitur thronus justitiæ, Fulv. Pacian. *de prob. cap. 3. num. 3.* Fulgos. *lib. 7. cap. 2.* Kerchorm. *lib. 1. cap. 3. system. polit. & in discurs. de Consiliar. quæst. 3.* Philipp. Camer. *in medic. histor. centur. 1. cap. 55.* Just. Lips. *in monit. polit.*

2 Qualitates, quibus Consiliarii præditi esse debent, dupliciter considerantur. Eæ namque animi sunt, & corporis. In hac consultatione de qualitatibus animi disceptabimus, in sequenti de qualitatibus corporis. Prima qualitas animi in Consiliario est alacritas. Quid illa sit? An præ acutis ingeniis præditi admittendi in Consiliarios? Quinam rectè Rempublicam administrent? Secunda animi qualitas est eloquentia. Vis eloquentiæ. Qualis esse debeat? Tertia qualitas animi est linguarum peritia. Quia id necessarium. Ejus rei ratio, ac fructus. Quarta animi qualitas est historiarum cognitio. Quid ea sit? Earum lectio quàm utilis. Quinta animi qualitas est cognitio ex peregrinationibus hausta. Quàm ea prosit ad prudentiam politicam. In quibus versatur? Et qualis esse debeat? Sexta qualitas animi est Philosophiæ cognitio. Cujus Philosophiæ? Hæc est, quæ maximè necessaria est Consiliario. Quæ laudabilior Philosophiæ pars? Septima qualitas animi est legalis prudentia. Ejus necessitas, & utilitas. Hac de causa Jurisperiti in Consiliarios ab Imperatoribus electi. Octava qualitas animi est pacis, bellique Rempublicam administrandi cognitio. Ex quibus ea proficiscatur? Ad id, quæ necessaria? Quàm utilissima in Consiliis hæc cognitio? Nona animi qualitas est virium, & sui, & aliorum Principum exacta cognitio. In quibus ea consistat? Decima animi qualitas est erga Rempublicam summus amor. Et qualis? Quàm id rarum. Undecima qualitas animi est, ut sit tali animo, & ingenio præditus, ut & tempori, ac personæ inservire, seque iisdem accommodare sciat. Non semper Consiliarius ire debet uno gradu, sed una via; nec semper idem dicere, sed semper idem spectare. Quæ dissimulatio, simulatio, accommodatio, & applicatio in rebus publicis, ac politicis probanda. Duodecima animi qualitas est amor justitiæ. Ejus officium sine prudentia nihil valet. Maximè requiritur. Decimatertia qualitas est fortitudo, & constantia. Quæ virtus sit? De pertinacia evitanda. De mutatione consilii. Ut laudata. Decimaquarta animi qualitas est liberalitas. Ejus encomium. Avaritiæ detestatio. Decimaquinta qualitas est beneficentia. Ejus laus, ejusque virtus, in quo consistat. Decimasexta qualitas animi est benignitas, & mansuetudo. Ejus efficacia. Decimaseptima animi qualitas est modestia. Quæ virtus illa sit? Quomodo erga Principem, & quomodo erga singulos exercenda? Decimaoctava qualitas est veritas. Quænam sit virtus? Ejusque vis, ac necessitas. Decimanona qualitas est taciturnitas. Singularis prudentia est, ac tutissimum rerum gerendarum vinculum. Exempla. Quæ arcana tacenda. In convivio præcipuè lingua continenda. A discordia, & pervicacia cavendum. Item & a fœmineo sexu. A muneribus aliorum Principum, præsertim pensionibus, itidem cavendum. Hæc virtus quàm necessaria etiam in Sancto Officio Inquisitionis. Vigesima qualitas est sapientia, & prudentia. Quæ virtus ea sit? Ejus utilitas in Republica. Quæ illi insint? Ultima qualitas reliquarum Regina, & mater, est pietas. Ejus definitio, ac munus. Qui benè unica virtute caret, omnibus caret. Aliæ virtutes, quibus Consiliarii præditi esse debeant.

Prima qualitas animi est alacritas, quæ initium, & 3
medium, & finis est illustrium actionum. Quid omnis virtus, quæque illa sit, absque alacritate? Sine alacritate vi sua virtus destituitur. In hebeti, ac stupido ingenio parum, quamplurimum in alacri, & excitato Doctores proficiunt. Hebes ingenium instar agri natura sterilis est, licèt ille sæpius colatur, succum tamen non habens, optatos fructus, labore dignos, non reddit. Magna vis ubi ingenii est, virtutis præstantes fructus sperandi sunt: gravia, & ingentia pondera, mortalium vires superantia, facilè machinis moventur, levantur, tolluntur, & ponuntur. Ita quoque quod viribus aliis nequimus, id ingenii alacritate efficimus, ac præstamus.

Signa alacris, ac boni ingenii hæc sunt, in dicendo 4
argutum esse, in respondendo promptum, in accipiendo facilem, in docendo clarum, in jucundis suavem, in seriis cautum. Cùm bonum ingenium bona, & mala videt, bona laudat, & complectitur, mala fugit, & reprehendit.

Præterita demum non ignorare, præsentia intelligere, futura prædicere, seu de futuris judicare nititur. 5
Animi, & ingenii celeres quodam motus, ait Tullius, esse debent, qui ad excogitandum acuti, & ad explicandum, ordinandumque sint uberes, & ad memoriam firmi, ac diuturni. Neminem excelsi ingenii virum, teste Seneca, humilia delectant, & sordida magnarum rerum species ad se vocat. Tale ingenium novas persuasiones adjicit in notis, & depravata corrigit.

Sunt Politici, Principi suadentes, ut in eligendis Con- 6
siliariis summam habeant rationem, & in primis in ingenia oculum intendat, ut aptiora sibi adsciscat, qualia sint media, non prægrandia, non acria, & acuta, non nimis ignea. De his Lipsius: Cùm modo acuti, inquit, quin nimis acuti fugio, & arcanum illud dogma ingero: Hebetiores quàm acutiores, ut plurimum, meliùs Rempublicam administrant. Causa, quia subtilia illa, & ignea ingenia in assiduo motu novandis, quàm gerendis rebus aptiora. Adjice illud Senecæ: Magnum ingenium sine mixtura dementiæ rarò inveniri.

niri. Et illud: Mens quæ ſapit nimium, non ſine damno ſapit.

7 Hanc ob rationem non tàm acerrimi, ac ignei ingenii, quàm mediocris, probi, ac ſinceri judicii viros eſſe eligendos, Doctores docent: quam ſententiam hoc ſimili confirmare conantur. Ut aptior ſit aſcia, quæ aciem habet paulò obtuſiorem, quàm acutiſſimam, ita eum ad res agendas multò eſſe præſtantiorem, cujus mens non nimis ſit ſubtilis, & acris. Dein quod magna ingenia non aliter atque arbores pluribus, quàm conveniat, fructibus gravidæ nimia ubertate luxurient, nec omni negotiorum genere apta ſint, neque ſatis fœliciter ſeſe variis hominum ingeniis, ac ſtudiis accommodent. Conſilia enim calida, & audacia, plerumque prima ſpecie læta, tractu dura, eventu triſtia ſunt.

8 Cauſa inſuper, ob quas præacuta ingenia, præter jam dictas, minùs admittenda, ſunt iſtæ. Prima, quod expediti non ſunt conſilii, magis diſputantes, quàm concludentes, & novandis, quàm gerendis rebus aptiores. Nam præ multiplici inventione, & rationum copia plerumque natant, & ægrè expediunt aliquid, cui inſiſtant.

Secunda, quia hujuſmodi ingenia obſequi ſæpiſſimè ignara ſint.

Tertia, quod ſemper perturbationibus agitentur, moveant ſemper aliquid, & nec quieta quieta ſinunt.

Quarta, quod ea ſibi proponunt, quæ non ſunt, non erunt, & mentem, conſiliaque adverſarii æſtimant a ſubtili ſua mente.

Quinta, quod in conſilio aliorum ſententiis haud libenter acquieſcunt; unde pervicacia, optimorum conſiliorum inimica.

9 Ideoque apertè Cleon Athenienſium Dux dicebat imperitiores homines ſi cùm peritioribus conferantur, Rempublicam plerumque meliùs adminiſtrare. Nam iſti quidem & legibus ſapientiores videri, & in publicis conſultationibus ſententiam ſemper obtinere volunt, quaſi in aliis majoribus rebus ingenii ſui vim oſtentare non poſſint, atque propterea plerumque Rempublicam evertunt. Illi verò quia ſuæ peritiæ diffidunt, illius, qui rectè ſententiam dixit, a ſe vituperari non poſſe ultrò fatentur.

10 Itaque Reſpublicas plerumque rectè adminiſtrant, qui ſunt æqui rerum æſtimatores potiùs, quàm concertatores. Mea ſententia eſt, non ſtupidos, & hebetes viros in Conſiliarios eſſe eligendos, ſed alacres, & acutos, at cum modo, & tempore acutos. His porrò acutiſſima, & ignea ingenia adjungo, quibus in ſubitis, & improviſis caſibus, ubi non longa, ſed celerrima deliberatione, ſed ſubito conſilio, ſed provida electione, quid faciendum, aut omittendum opus eſt, Princeps uti poſſit, ubi ſcilicet non quærenda, ſed rapienda ſunt conſilia. Et experientia comprobatur, veriſſimum, & optimum hoc eſſe conſilium. Nam ubi non opus eſt celeritate, in iis negotiis meliores ſunt hebetiores, & tardiores acutis Conſiliariis. Ubi verò celeritate opus eſt, meliores ſunt acuto, & igneo ingenio præditi.

11 Qualitas ſecunda ſit eloquentia. Convenit enim Conſiliarium non tantummodò præclarè ſentire, prudenter intelligere, ſapienter judicare; verùm etiam quæ rectè ſentit, eadem & benè, aptèque ad perſuadendum enunciare. Cùm enim homines ratione, & oratione a brutis animantibus differant, haud inconveniens eſt, ut quemadmodum quiſque ipſe brutis excellentior eſſe vult, ita dicendi, eloquendique gratia, & arte illis etiam præcedat, excellat, & prævaleat.

12 Adjice, quòd apud veteres quanto quiſque, teſte Quintiliano, plus dicendo poterat, tantò plus apud Principes gratiæ, authoritatis apud patres, plus notitiæ, ac nominis apud plebem parabat. Sit itaque eloquentia præditus omnis Conſiliarius. At quo fine? Ad populum flectendum, ac moliendum, atque in ſententiam ſuam trahendum. In ſeditionibus namque exercitus, in tumultibus populi, in aliis, variiſque factionibus quantò quiſque eloquentior, & facundior, tantò ad motus ſedandos accommodatior, aptior, & fœlicior eſt. Ad Legatis reſpondendum, ad proponendum, cum exteris negotia tractandum, inſuper ad accuſandum, ad defendendum, ad laudandum, vituperandum, gratulandum, condolendum, atque ad res ſimiles ſummè neceſſaria eſt eloquentia.

13 De Demoſthene ſcribitur, eo eloquente Græciam univerſam pacem, & bella ſuſcepiſſe, ſuſcepta depoſuiſſe, fœdera cum Regibus junxiſſe, conjuncta diſſolviſſe. Rex Pyrrhus dicere ſolitus, plus ſibi Urbium illius lingua, quàm armis ſuis partum eſſe. Ferocem, & armatam plebem Romanam, quæ Regibus exactis ſeditione diviſa receſſerat a Patribus, & ſic diviſum, ac miſerrimum populum Publii Valerii brevis oratio in primum reduxit ſtatum, & verbis facundis, teſte Valerio Maximo, ira, conſternatio, arma ceſſerunt. Furius Camillus, Populum Romanum migrare Vejos volentem, oratione retinuit, atque ita & oppidum Civibus, & eos oppido reddidit.

Quare Magiſtratus, inquit Plutarchus, tractant Po- 14
pulum admodum inſolentem, delicatum, contumacem, non obedientem in omnibus, ideòque neceſſe habent verbis, & oratione multa fingere, ac conformare, non pauca, quæ impedimento ſunt, velut nodos quoſdam in ligno, aut abſceſſus in ferro mollire, ac lævigare.

Sunt præterea vires eloquentiæ multæ, ac magnæ. 15
Veritatem, ac juſtitiam defendit, leges, judicia, jura deſcribit, hominum tenet cœtus, mentes allicit, voluntates quo vult impellit, languentem populum incitat, effrænatum regit, ac moderatur ſeditiones, aut antevertit, aut ſedat, ac tollit.

Teſtes inſuper ſunt Theſeus, qui ex agris Athenien- 16
ſium populum eloquentia compulit; Solon, qui ad bellum ſuſcipiendum, & repetendam Salaminem Athenienſes oratione animavit; Themiſtocles, qui perſuaſit Athenienſibus, ut annuos redditus argenti fodinarum, qui viritim quotannis inter populum diſtribuebantur, ad ædificandam claſſem transferrent; Pericles, qui Athenienſium Rempublicam ſuo arbitrio egit, ac verſavit; Philippus Rex Macedoniæ, qui non minores res oratione, quàm prælio confecit, magis etiam ſibi placuit, ſi quam verbis eſſet adeptus victoriam, quàm ſi quos armis in ſuam poteſtatem redegiſſet, quod horum partem ſibi milites vindicare exiſtimaret, illa ad ſuam unius laudem pertinere. Hinc eſt, quod Cicero ſcribit, *Eloquentia*, inquit, *multæ Urbes ſunt conſtitutæ, plurima bella reſtincta, fortiſſimæ Societates, ſanctiſſimæ amicitiæ comparatæ.*

Nec de qualibet facundia hoc dico, veram, & in- 17
corruptam eloquentiam in Conſiliario requiro. Caveantur iſta, primò, ne juvenilis ſit, & luxurians oratio. Deinde ne ad theatrum, hoc eſt ad pompam, ac oſtentationem quandam conformata. Tertiò, ne ſit lucernam redolens, nimiumque diligens, ac ſolicita, & exquiſita. Quartò, ne ad laudem captandam accommodata, vel propter habitum, vel artem, vel dividendi ſcientiam. Detur contra opera, ut in oratione appareant mores non ficti, ſed aperti, ac ingeniti, animi magnitudo, at vera, non ſimulata, nec ſtulta dicendi libertas, verùm prudens, & ex animo paterno profecta, non inimico, ac hoſtili; ſapientia, & prudentia, ſed non temeraria, atque inanis, verùm ſolicita de Civium ſalute, & fortunis; gratia, atque perſuaſio idonea, ſed in propoſito bono, ac honeſto; ſententiæ, ac verba cum gravitate conjuncta, nihil abſurdum, ridiculum, ineptum, impium, monſtruoſum, alienum continentia; tandem ſit probis moribus eloquentia conjuncta. Nefas enim eſt eloquentiam ad ſalutem hominum, & ad conſervationem Reipublicæ datam, ad bonorum peſtem, perniciemque convertere.

Tertia animi qualitas ſit multarum linguarum peri- 18
tia, & cognitio, linguarum dico, maximè illorum populorum, quibus Princeps imperat, necnon eorum, cum quibus Princeps ſæpè negotia peragenda, & tractanda habet. Extra enim omnem dubitationis aleam poſitum eſt, quod melius quis animi ſui ſententiam aperiat, meliùſque intelligatur, ſi ea lingua utatur, quam ille, cui alloquitur, probè intelligit. Adde etiam utilitatem illam cognitionis multarum linguarum, quam illam adferant ad legationes audiendas, ſint illæ amicorum, ſint illæ inimicorum. Si ſunt amicorum, faciliùs in amicitia conſervantur; quippè cùm vident, & audiunt ſuam linguam uſurpari in aula Principis, ſibi perſuadentes, id ex amore proficiſci, & obſervantia. Si inimicorum, hoc modo, & occaſione benevolentia acquiritur.

Atque ut cæteras utilitates, ac neceſſitates lingua- 19
rum cognitionis, ac peritiæ taceam, hoc tamen non tacitè prætermittendum, haud facilè inveniri interpretes, qui perfectè res interpretandas declarent, ac referant, vel quicquam adimentes, vel quicquam adjungentes, & ſic addendo quid aut minuendo a recto orationis filo, proponentiſque ſententia ſemper deflectentes. Addo, quod per interpretem dicta, & relata, non tàm grata non tàm efficacia ſint., neque tàm benè affectus moveant, ut omittam quamplurima eſſe verba, phraſes, & dicendi modos, ſuas energias, & dicendi ſignificationes habentes, quæ alia lingua exprimi, aut exponi nequeant.

De

20 De Censorio Catone ita refert Plutarchus. Cùm Censorius Cato populi Romani nomine legationem apud Athenienses obiret, quia græcè tunc ipse nesciebat, ea, quæ habebat in mandatis, per interpretem exposuit. Ibi quod ea, quæ paucissimis verbis Cato dixerat, interpres vix longis ambagibus referret, Athenienses orationum dissimilitudinem mirati, Romanis sermonem in pectore, Athenien sibus in ore nasci dixerunt. Tantum enim a genuina ipsius authoris mente cujusvis interpretis orationem distare judicarunt, quantum inter cor, & labia est interstitium. Ideò Themistocles, teste eodem Plutarcho, unus totius Græciæ in rebus agendis acerrimus, atque in consilio capiendo, dandoque callidissimus, cùm Athenis profugus ad Regem Persarum concessisset, animi sui petitionem exponere noluit, priusquam Persicam didicisset linguam, ut sine interprete, quod plurimum referre arbitratus est, cùm Rege loqui posset. Immò quàm necessaria sit etiam in ipso Principe linguarum peritia, ostendit Just. Lips. *in monit. & exempl. polit.* exemplo Ducis Mediolanensis cum Carolo Quinto. Mithridates Rex Ponti oriundus a septem Persis, duarum, & viginti gentium, quæ sub Regno suo erant, linguas loqui didicit, ut omnibus jura dicere, omnes audire, & colloqui sine interprete posset. Miserum namque, immò miserrimum est Regnum, ubi hæ Principis voces exaudiuntur: Videte, ut rectè omnia curentur, facite prout vobis melius videbitur. Hæc vestræ curæ commissa sunt. Nam tale regnum nunquam feliciter gubernari, vel administrari poterit, qnod quæ oculis agantur alienis, rarissimè benè procedant, & nulla convenientia consiliorum existente, quilibet Consiliariorum sibi collibitum sequetur, atque res suas curabit, omnes mali evaderent, & fieri nequit, ut in tanta malitiæ occasione non seducantur, & qui aliud sibi persuadet, maximè fallitur. Ejus verò calamitatis causa ab imperitis Principibus proficiscitur.

21 Quarta qualitas est historiarum cognitio, quæ in Consiliario attendenda. Hæc lux veritatis est, hæc magistra vitæ. In hac enim poteris tanquam in speculo ornare, & componere vitam tuam ad alienas virtutes. Et ad consilia utiles ac publicas deliberationes rerum gestarum historiæ. Quare Alphonsus Siciliæ Rex optimos Consiliarios mortuos dixit, historiæ libros intelligens. Aitque Polybius, verissimam disciplinam, exercitationemque ad res civiles, historiam esse. Si præteritorum memineris, inquit Isocrates, de futuris etiam iam rectiùs deliberabis. Præclarum est, inquit Nazianzenus, mentem historiarum cognitione instructam, ac refertam habere: historia enim conglobata quædam, & coacervata sapientia est, hominumque multorum mens in unum collecta.

22 Audiamus ad historiarum lectionem clarissimorum virorum adhortationes alias. Historiæ utilitas est magna, scribit Plinius. Hæc enim felicitatem nobis participat, & citra ullum documentum prodest homini. Quid enim pulchrius, quàm non, quod alii egerint, quærere, sed quid optimè actum sit nobis proponere ad imitandum? Seniorum consilia, quos longa ætas prudentiores efficit, laudantur a junioribus; at hos tantò antecellit historia, quantò plura exempla complectitur diuturnitas temporis, quàm hominis ætas. Prætereà juniores historica lectio antiquioribus æquat prudentia.

23 Adde quod natu majoribus rerum experimenta administrat, privatos viros imperio dignos efficit, Principes ob immortalem gloriam ad præclara facinora impellit, & ut in summa dicam, omnium rerum series, quibus hominis felicitas paratur, tribui historiæ debet. Est enim custos eorum, quæ cum virtute acta sunt, testem se malefactis præbens. Magnas meritò gratias rerum scriptoribus homines debent, qui suo labore plurimùm vitæ mortalium profuere. Ostendunt enim legentibus præteritorum exemplis, quid nobis appetendum sit, quidve fugiendum. Nam qui multarum experimento rerum variis cum laboribus, periculisque, procul ipsi ab omni discrimine, gesta legimus, nos admonent, maximè quid conferat ad degendam vitam.

24 Ideòque Heroum sapientissimus est habitus is, qui sæpiùs adversam fortunam expertus, multorum Urbes, ac mores conspexit. De gravissimi historici Thucydidis scriptis sic loquitur Brutus: *Discant Athenienſium exemplo Civitatum moderatores quiescere, ubi facultas datur, cùm pacis, atque otii tuendi, non turbandi causa arma adinventa sint, ne patiantur se efferri cupiditate proferendi imperii in patriæ exitium, cum certa infamiæ nota, ne assuescant aliena bella sua facere, & per speciem juvandi amicos, imminere ad eorum perniciem, quos juvant. Discant, aut compressas habere animi cupiditates, aut, quod malum quidem est, sed mitius malum, quum spes certior rei agendæ affulxerit, tectas, occultasque habere: si qua de re controversia orta sit inter communes amicos, malint authoritate conciliandis animis utriusque partis studia, quàm armis partem alteram fovendo, & sibi exilium quærere, & suis.*

Ad Cornelii Taciti scripta sic Lipsius adhortatur: *Hic* 25
mihi quisque Principum aulas, Principum interiorem vitam, consilia, jussa, facta consideret, & obvia in plerisque nostrorum temporum similitudine ab eisdem causis pares exitus animo percipiet. Invenies sub tyrannide adulationes, delationes, non ignota huic sæculo mala, nihil sincerum, nihil simplex, & nec apud amicos tutam fidem, frequentatas accusationes majestatis, unicum crimen eorum, qui crimine vacabant, cumulatas illustrium virorum neces, & pacem quovis bello sæviorem. Tristia ex iis pleraque, fateor, & legentibus mæsta, sed singulis nostrorum a Thraséa jam moriente dictum putemus: Specta juvenis, & omen quidem Dii prohibeant, cæterum in ea tempora natus es, ut firmare animum expediat constantibus exemplis.

Livius in præfatione operum suorum sic scribit: *Ad* 26
illa mihi pro se quisque acriter intendat animum, quæ vita, qui mores fuerint, per quos viros, quibusque artibus domi, militiæque, & partum, & auctum Imperium sit; labente deinde paulatim disciplina, velut dissidentes primò mores sequatur animo, deinde ut magis, magisque lapsi sint, tum ire cœperint præcipites, donec ad hæc tempora, quibus nec vitia nostra, nec remedia pati possumus, perventum est. Hoc illud est præcipuè in cognitione rerum frugiferum, omnis te exempli documenta in illustri posita monumento intueri, inde tibi, tuæque Reipublicæ quod imitere capias, inde fœdum inceptu, fœdum exitu quod vites.

Huc respexit Lipsius, cùm scribit: *Memoriam usui* 27
non appono solùm, sed in parte præpono. Magis enim obvia hæc, & facilis, diffusa latiùs, & quæ plura ad prudentiam, & plures confert; in quosvis enim ea, & quovis tempore cadit; cùmque iter illud per propria periscula longum, nec sine periculis sit, hæc via tutior, ideòque tritior. Plures aliorum exemplis docentur, ideſt historia, quæ non aliud, quàm anima, & vita memoriæ.

Felix igitur ille Princeps, qui Consiliariis quotidie 28
assidet, qui viderunt, & singulari attentione, ac diligentia legerunt sæculorum memoriam, & præcipuè historias sui Principis, sui Principis amicorum, sui Principis inimicorum, sui Principis vicinorum. Talis Consiliarius, in historiarum scilicet lectione probè versatus, & viva quodammodò experientia censendus, ac penè perfectus Consiliarius dicendus est.

Neque hic dico de omnis generis hominibus histo- 29
rias legentibus, velut pueri fabulas: sed qui summa intentione legat, tali, inquam, intentione, ac fine, ut Reipublicæ salutaria ex iis excerpat, & notet. Plerique voluptati, quam negotiorum varietas secum adfert, intenti, haud considerant, quando negotiis politicis eæ sint applicandæ. Ideò non est inventa historia, ut ea tempus fallas, & voluptati servias; sed in hunc finem, ut tanquam in speculo ad alienas virtutes mores tuos componas, bona sequaris, mala fugias. Aliud quippè est legere historias, aliud rectè legere. Jucundissimum est historias legere, ac fructuosissimum historias cum judicio intelligere.

Nec volo, ut promiscuè omnes historiæ, sive gra- 30
ves, & utiles illæ sint, sive leves, & parvæ, nulliusve momenti; sed meliores, & graviores. Nam tempus nostrum non infinitum, sed angustum est. In primis, ac præ cæteris legisse oportuit Consiliarium Guicciardini, Cominæi, & Taciti libros historicos. De Tacito iterùm audiamus Lipsium sic scribentem: *Tacitus enim virtute antiquis proximus, longo quidem intervallo, sed tamen proximus, etsi linguæ latinæ esset eadem puritas, cætera sic perfectus, ut vocare illos ipsos antiquos in certamen possit dignitatis. Acer scriptor, Dii boni, ac prudens, & quem si unquam in manibus hominum versari utile fuit, his certè temporibus, & hac scena rerum expediat.*

Repeto historiarum cognitionem viam esse ad pru- 31
dentiam tutiorem, breviorem, & meliorem ipsa experientia. Hoc exemplo, quod ad hanc rem probandam Furius introducit, planum reddemus. Detur mihi, inquit, ille historicus, qui ex memoria rerum veterum veros fructus demetere, & germanum succum haurire sciat, hic experientiam majorem negotiorum habebit aliis, qui viginti annorum spatio in eorum tractatione se exercuerint. Nam ut exemplum a re militari sumamus, veteranus miles, aut Dux in tot annorum curriculo quatuor conflictibus, centum

levibus prælìis, quinquaginta obſidionibus, duodecim ſeditionibus, quinque pacificationibus, atque induciis interfuerit, vel etiam pluribus; hiſtoricus verò innumerabilium conflictuum, prælìorum, obſidionum, ſeditionum, induciarum, ac pacificationum experientiam habet. Quæ autem eſt comparatio, atque proportio finiti ad infinitum?

32 Præterea hic veteranus ex viginti annorum experientia cognoſcit ſaltem naturam duarum, trium, aut quatuor nationum; hiſtoricus omnium. Idem veteranus ſua experientia vel decimam partem militiæ nunquam cognoſcet, nec enim tàm brevi temporis ſpatio uſus rerum omnium occurrit. Hiſtoricus autem è contra omnia ſcit, omnia intelligit, nec ulla res ejus inſpectionem effugit. Quid quod veteranus quantumcumque viginti annos militiam ſequutum ſit, bellorum cauſas, progreſſus, atque exitus rariſſimè intelligit, eorum adminiſtrationem, ſtratagemata, ac difficultates ignorat, conſiliorum, interceſſionum, ac neceſſitatum, quæ paci, concordiæ, compoſitioni occaſionem dedere, penitùs inſcius? Hiſtorico hæc omnia conſtant, id, quod, ut ita dicam, belli anima eſt, reliqua verò quaſi particula ſaltem corporis.

33 Porrò quod de bello dixi, idem de omnibus negotiis, quæ in gubernatione incidunt, intelligas, & de ipſis horum exemplis judicabis.

34 Quinta qualitas eſt notitia, & cognitio ex peregrinationibus hauſta. Utiliſſima quippè exercitatio eſt Conſiliariis longinqua peregrinatio, in qua multa audiuntur, multa diſcuntur, multa oculis cernuntur, quæ nullo libro, nulloque Doctore diſci poſſunt. Et puto vix, quamquam grande, aliquid loqui poſſe, niſi peregrinationibus verſatus, & exercitatus.

35 *Is non ſum*, inquit Patritius, *qui mihi perſuadere poſſim, aliquem hominem perfectè ſapere, qui parva aliqua ora, vel breviore terræ angulo, vel unius mœnibus delitescens, reliquas mundi partes ignoret, nullos mortales, præter indigenas ſuos norit, non externos, aut conſuetudines varias viderit, ſed contentus ſit his rebus, quæ exiguo ſpatio natalis ſoli, parvique laris anguſtiis cernuntur, præſertim cùm animus noſter nunquam conquieſcat, ſed divina, humanaque omnia ſemper meditetur, pabuloque cogitationis alatur, nec diutiùs in eadem meditatione, ac contemplatione perſiſtat, ſed nova continuè inquirens, vix novis, veteribuſque inventis contentus eſſe poſſit, cui natura ipſa nocturnæ quietis tempore varias ſpecies, diverſaque ſimulacra ſubjiciat, ut immortalis ipſe, atque divinus mortale, terrenumque corpus dormire, ac requieſcere aliquamdiù ſinat donec naturali quiete foveatur, abſtque a rebus agendis.* Hæc ille.

36 Nec ſatis eſt Reſpublicas, & populos ex hiſtoriis, quaſi ex picturâ tantùm noviſſe, niſi is, qui deſiderio veræ, ac ſolidæ ſcientiæ, ac prudentiæ civilis, politicæ flagrans, in Reſpublicas, populo que exteros oculis fideliter inſpexerit. Adjice, innumera eſſe, quæ non audire, ac legere, ſed vidiſſe expediat, quæque in hiſtoria, relatione, aut ullo libro demonſtrari nequeant. Quàm plurima inſuper nondum literis mandata ſunt, quæ ſolo ſenſu ſunt obſervanda? Quare peregrinationem quamplurimum poſt hiſtoriam ad prudentiam politicam prodeſſe, liquidum eſt.

37 At non quamvis peregrinationem intelligo, vario, ac diverſo fine a variis, ac diverſis intentam, non otioſam, non inconſideratam, non voluptati inſtitutam, ut hominum oſcitantium, atque erronum. Hi quaſi nundinas adeuntes, oculos tantùm paſcunt, nihil emunt. Verùm eam peregrinationem peto, quæ Rerumpublicarum perluſtrandarum, atque earum rerum cauſa, quæ ad augendam, confirmandamque prudentiam civilem faciunt, ſuſcipitur. At qualis ſit ea? Aut quis utilis peregrinus? Non is eſt, qui urbes, qui ædificia, qui pyramidum ſtructuras, prata, planicies, ſaxa, montes, valles, agros, ſylvas, nemora fontes, flumina, monumenta, rudera, homines, veſtitus, animalia primo intuitu ſtatim apparentia, videt: verùm is eſt, qui magnos, prudentes, ſapientes, & excellentes Viros, generis humani coruſcantia illa lumina quærit, adit, & cum illis colloquitur, & qui ante omnia in ſtatus Rerumpublicarum, in earum cauſas decrementi, & augmenti, in leges, Magiſtratus, in conſilia, judicia, Principes, in Regionum, populorumque varias, & proprias naturas, qualitates, & mores inſpicit, & inquirit. Principum inſuper rationes, & ingenium indagat. Civiles quoque diſciplinas ſecundùm varias gentes intelligit.

38 Poſſet aliquis, ut hoc exempli loco adferam, quærere a Viro Neapolitano, quot milliaria Regnum Neapolitanum in longitudine pateat? Quot in latitudine complectitur? Quas munitiones habeat? Ubi aditum facillimum ſit? Et quot flumina non vadoſa? Quo præcipuè Neapolitani delectentur? In quo nobilitas Neapolitana ab aliis differat? In quo vulgus?

Quis ſtatus Reipublicæ, ac Regiminis in Regno Neapolitano ſit? Utrum Rex Neapolitanus, an Rex alius, aut Princeps abſolutiore ſit poteſtate? Rex qua ratione copias congreget, exerceat, inſtituat, alat? Quomodo ſubditos defendat, & regat? Quos reditus quotannis accipiat, qui eoſdem colligat, & qui expendat, & conſumat? Quæ, & quanta Regiſpotentia? Quantas copias producere, & alere poſſit? Quis Neapolitanorum mos, & modus ſit prælia inſtituendi, cum hoſte confligendi, ac Regnum defendendi? Quæ Regis cum ſubditis ſit benevolentia? Quàm munitum ſit Regnum? Qui Regni fines ſint? Quæ præſidia? Quæ, & quot flumina in Regno ſint navigabilia? Quæ maria Regno adjacentia? Ubi claſſium ſedes ſint? Qui fructus in Regno creſcant, quos deducant, quibus indigeant? Quæ, quot, & ubi vectigalia ſua Rex habeat? An in Regno argenti, auri, aliarumque rerum fodinæ ſint? Impenſæ publicæ in militem, in Magiſtratus, & res alias, quæ impendat Rex? Quæ Regis, Principum, populique virtutes, quæ vitia? Quis ordo in populo? An, & quarum doctrinarum ſtudia in Regno? Quando, & quibus cauſis, mediiſque cœperit, quomodo creverit, & quamdiù floruerit Regnum? Hæc, & id genus alia de Regno Neapolitano jam ſcire mihi convenit. 39

Quod hic dixi de una, idem de aliis gentibus dicere, interrogare, & inquirere poſſumus. Duplex eſt Reipublicæ inſpectio, alia externa, alia interna. Externa quoad ſitum, quoad ſcilicet oculis cernimus, & manibus palpamus. Interna, & præcipua, quæ in animam, id eſt in ipſum Reipublicæ ſtatum, leges, magiſtratus, &c. quæ politica capita cætera introſpicit. Omnis peregrinans, qui externis iſtis contentus, interna negligit, parum proficit, & tanquam erro inutiliter tempus, ac bona perdit, & conſumit. 40

Talem igitur Conſiliarium volo, qui in peregrinationibus, & itineribus ſuis magis in interna, quàm externa inquiſierit. Et ſic cum Patritio, ac Dionyſio Halicarnaſſeo concludo, utilem admodum juvenibus eſſe longinqam peregrinationem, plurimamque doctrinam, rerum experientiam præſtare, & præſertim illis, qui aliis præſuturi ſunt, quorum peritia multis mortalibus prodeſt, & eos ad benè, beatèque vivendum inſtituit. Quod quidem proprium officium ejus eſt, qui multitudinem regit. Eſt enim communis omnibus naturæ lex, ut doctiores minùs inſtitutos erudiant, & meliores deterioribus imperent. 41

Sexta animi qualitas eſt Philoſophiæ cognitio. Hanc ſapientes in multas partes dividunt. Cicero verò diſtribuit in partes tres, in naturæ ſcilicet obſcuritatem, in differendi ſubtilitatem, in vitam, atque in mores, quam poſtremam, Philoſophiam moralem vulgò vocant. Ego velim in primis imbuti ſint Conſiliarii Philoſophia morali, nec naturalem, neque rationalem excludo, his leviter tincti ſint, hæ enim ad ingenium tantùm pertinent, illa ad animum. 42

Vita igitur, ac moribus probus ſit omnis Conſiliarius, multa probitate perſpicuus, egregia vitæ ſinceritate clarus, necnon ſplendidis virtutum ornamentis decoratus ſit. Quis enim in cæno fontem requirat? Quis de turbida aqua potum petat? Quis utilem judicet cauſæ alienæ, quem videt inutilem vitæ ſuæ? Quomodò potes enim judicare conſilio ſuperiorem, quem videas moribus inferiorem? Quare *Conſiliariis utere iis*, ait Baſilius ad Leonem, *qui rebus propriis benè conſuluerint, rectèque eas adminiſtrarunt, non autem qui per imprudentiam malè. Nam qui ſuis rebus malè proſpexit, nunquam ille benè conſuluerit alienis.* Audi, & Iſocratis conſilium. *Prima hæc emendanda eſt*, ſcribit, *ordinandaque Reipublicæ ratio, ſi de publicis negotiis deliberaturi, eos in conſilium adhibuerimus, quibus in privatis rebus nullos anteponeremus.* 43

Porrò nec tantùm morum honeſtate præditus ſit Conſiliarius, neque ſolummodò multi juga virtute præcellens ſit, ſed, & ſcientiam habeat, quibus extremis, ac finibus virtutes, ac vitia definiantur. Ignorantia enim hujus multos in errorem adducit, ac Conſiliarius vulgari opinioni aſſentiens, imprudentiæ labem effugere nequit. Complures namque, immò ferè omnes hujus inſcitia hominem, quietis amantem, timidum, aſtutum, proditorem, rudem, bonum, ignavum, manſuetum, imperitum, vel vitio naturæ vel laboris fuga, 44

ſimpli-

simplicem, iracundum, apertum, superbum magnificum, furiosum, atque vesanum, fortem, prodigum, liberalem, avarum, providum, superstitiosum, sanctum, doctum, curiosum, stultum appellant, ac simili ratione reliquis vitiis, atque virtutibus contraria nomina pro libitu imponunt.

45 Id autem vitium maximum est, & si Consiliarius ei obnoxius sit, ut esse obnoxium necesse est, si proprietates virtutum rectè distinguere nesciat, Principem cum Regno destruit, atque evertit. In omnibus namque rebus, de quibus deliberatio incidit, primò consultatur, honestum nec ne sit. Nec minùs in muneribus, atque officiis distribuendis virtutum, ac vitiorum distinctio necessaria est, ne album pro nigro accipiant. Quod si cognitione hujus partis Consiliarius destituetur, fieri nequit, quin Princeps in remuneratione beneficiorum sæpiùs decipiatur. Quare tandem infero hanc esse unam qualitatum, quæ maximè Consiliario sit necessaria. *Ego doctos libenter in consilium admitto*, inquit Lipsius, *sed qui non sint hoc tantùm. Nam qui sola, & nuda ista cognitione literarum se jactant, valdè repello.*

46 Non ergo hìc loquimur de Philosophia, quæ in meris ideis animi vacui ab omni gubernatione fingitur, nec de philosophastris, qui vel sine judicio philosophiæ operam dant, vel nimio ejus studio ducti, philosophia uti nesciunt, & sapientes sunt, præterquam in iis, in quibus sapientes esse debent. Sed de iis, qui usum, & exercitationem conjungunt. Helvidius Priscus, ait Tacitus, ingenium illustre altioribus studiis juvenis admodum dedit, non ut plerique, ut nomine magnifico segne otium velaret, sed quo firmior adversùs fortuita Rempublicam capesseret, ductores sapientiæ sequutus est, qui sola bona, quæ honesta, mala tantùm quæ turpia, potentiam, nobilitatem, cæteraque extra animum, neque bonis, neque malis annumerant. Quæstorius adhuc a Pæto Phrasca gener dilectus, è moribus soceri nihil æquè ac libertatem hausit, civis, senator, maritus, gener, amicus, cunctis vitæ officiis æquabilis, opum contemptor, recti pervicax, constans adversùs metus, qui veræ philosophiæ veri fructus.

47 Et sanè absurdum esset in Republica versanti ea, quibus præcipuè Respublica stat, & ex quibus manat, ignorare: neque aliam philosophiam intellexit Plato, cùm nobilissimam illam vocem, tanquam ex oraculo edidit: Tum demum beatas fore Respublicas, cum aut regnarent Philosophi, aut Reges philosopharentur. Nulla laudabilior philosophiæ pars est, ait Plinius, quàm agere negotium publicum, cognoscere, judicare, promere, ac exercere justitiam, quæque Philosophi donant, in usu habere.

48 Hæc philosophiæ pars docet, quid honestum, quid turpe, quid extremum bonorum, & malorum. Quomodo domus regenda, quæ patris, quæ mariti, quæ heri potestas, quæ instrumenta tàm animata, quàm inanimata, & quo pacto res familiaris tuenda, quot Imperiorum genera, quibus virtutibus, ac disciplinis imbutum esse oporteat, qui Rempublicam benè administrare velit, quis sit optimus Reipublicæ status, quibus artibus inclinatæ, ruentesque Civitates subleventur, & optimis institutis, ac legibus temperentur. Non immeritò igitur exclamat Cicero: *O vitæ Philosophia dux, ò virtutis indagatrix, ò expultrix vitiorum!*

49 Septima animi qualitas est legalis prudentia, quæ est divinarum, atque humanarum rerum notitia, justi, atque injusti scientia. Hac pariter imbuti, & fideliter tincti sint Consiliarii. Tum quia ne quod impetus, ac libido dictitant, sed quod lex postulat, Principi suadeant. Tum quia quod jus jubet, justumque sit, populo dicant, justèque populum judicent. Quamplura occurrunt, quæ in consultationibus sine jurisconsultorum opera expediri nequeunt.

50 Hanc ob rationem Imperatores Romani in Consiliariis suis jurisprudentiam expostularunt, & in Consiliarios jurisperitos elegerunt. Hoc Augustus fecit, qui viginti Jurisconsultos a Senatu petiit, a quibus consilium caperet, ac præ cæteris Jurisconsulto clarissimo Trebatio usus est. Hujus deinceps exemplum sequuti sunt Imperatores posteri, Galba, Trajanus, Adrianus, Aurelius, Alexander Severus, de quo Lampridius, nullum, inquit decretum fecit sine Jurisconsultis viginti. Vespasianus imprimis usus est præexcellenti Jurisconsulto Cassio, Trajanus Neratio, Ælianus Juliano, Antoninus Scevola, Septimius Severus Papiniano, Alexander Ulpiano, quem non tantùm pro Consiliario, sed & pro tutore habuit, primùm, ut testis est Lampridius, repugnante matre, deinde gratias agente, quem sæpè a militum ira objecta purpuræ defendit.

Octava qualitas, quæ in Consiliariis requiritur, est 51
pacis, bellique tempore Principis sui Rempublicam administrandi scientia, quæ ex cognitione Reipublicæ maximè proficiscitur. *Ad consilium pro Republica dandum caput est*, ait Tullius, *nosse Rempublicam*. Et Plato, *In omni re*, inquit, *consulendi principium est, nosse id, de quo consilium est institutum, aut in totum aberrare sit necesse*. Et Tacitus, *Morum, animarumque provinciæ*, ait, *nisi gnari, qui de ea re consultant, perdunt se, & Rempublicam*. Turpe est Jurisconsulto jus, in quo versatur, ignorare. Culpandus medicus est, qui morbum curare vult quem non novit. A navigatione abstineat nauclerus navigandi peritia carens. Regias artes calleat, qui Regem consiliis adjuturus est. Nota ipsi sint ea omnia, quæ a Principibus tractari solent ad pacem, & bellum spectantia.

Respublica, sive Societas civilis, quasi & corpore, 52
anima constat. Corporis appellatione ipsam regionem intelligo. Non ignoret igitur Consiliarius, sed perspectum habeat, sub quali Cœli parte Respublica sita sit? Quæ, qualis, quantaque sit? An regio mediterranea, an maritima sit? Quot in ea sint flumina, lacus, paludes, stagna? Qui in ea montes, planicies, valles? Utrùm illis munita sit? Quæ ejus commoditates? An commeatu prohiberi possit? An terra fertilis, aut sterilis? Numquid in ea auri, argenti, aliarumque rerum fodinæ sint? Propinqua hosti, an remota? Cum quibus regionibus, ac Regnis finitima sit? Et id genus alia. Qui hæc ignorat, recta Principi non suggeret consilia.

Animæ porrò appellatione Reipublicæ formam voco. 53
Compertum igitur habeat Consiliarius, an Respublica, in qua vivit, necnon finitima, & hostis Respublica, an inquam Monarchia sit, an Aristocratia, vel Democratia, an verò Reipublicæ gubernatio? Nobilitati, ac Regi, vel plebi, ac Regi, vel nobilitati, & plebi, vel denique Regi, nobilitati, ac populo communis sit. Omnes enim horum generum Respublicæ in Christiano Orbe reperiuntur. Sic est, omnia, & singula, immò, & minima illius in primis Reipublicæ, in qua vivit, & cujus Principis Consiliarius est, scire debet Consiliarius. Plurimum studii, ac diligentiæ ad hæc cognoscenda ponat, quæ scilicet ad Principis sui Principatum spectant. Principatus, Principis, populi, & vicinorum naturas consideret, Principis quoque aulam, & in eo ministrorum, & in primis Consiliariorum proprietates, omnemque administrationem cognoscat.

Quid porrò in Republica controversum, cum quibus, 54
quibus de causis? Quibus rebus populus delectatur, quibus offenditur, quibus negotiis sese sustentet, quomodo erga Principem affectus sit? Quæ vectigalia eorum, quæ evehantur, & invehantur? An subditi nimiis tributis, & vectigalibus, aliisque oneribus nimium premantur? Quænam denique Principis familiæ origo, quæ affinitates, quæ amicitiæ, quæ inimicitiæ, quæ, & qualia fœdera, & hujusmodi generis alia omnia etiam minutissima, quæ neglecta Reipulicæ, ac Principi detrimento, & damno esse possunt, cogitationes, consilium, curam, studium, & solertiam impendat, in ea diligenter inquirat, atque ut eadem perspecta, & cognita habeat, studeat. Cogitabit quoque, quomodo pleræque de forma in formam mutentur, & quibus periculis incidentibus occurrendum.

Belli tempore sciat Consiliarius, quæ sint virtutes, 55
& qualitates, sive habilitates in bono milite, in bono duce considerandæ. Quomodo copiæ colligendæ, armandæ, ac solvendæ? Qui repentinis finitimorum hostium incursionibus, agrorum populationibus occurrendum? Quomodo, qua ratione, & quando cum hoste confligendum? Quomodo vires colligendæ sint? Quomodo induciæ pacisciendæ; quomodo positis armis pax petenda? Quomodo pacis conditiones proponendæ? Quomodo belligerantes in concordiam redigendi, & quomodo se quis in pacificatione interponere debeat? Quando pax petenda, & quomodo facienda? Et quomodo tandem de fœdere tractandum, aut fœdus sanciendum sit? Eligat igitur Princeps Consiliarios scientia, & experientia rei militaris probè imbutos aliquos, licèt non literatos, quos in Consilium militare collocet.

Qod Imperator Justinianus de se, de se quoque 56
quamquam non sui, suorum Consiliariorum tamen intuitu Princeps dicere debet: *Imperatoriam Majestatem non solùm armis decoratam, sed etiam legibus oportet esse armatam, ut utrumque tempus & bellorum, & pa-*

& pacis rectè possit gubernari , & Princeps non solùm in hostilibus prælis victor existat , sed etiam per legitimos tramites calumniantium iniquitates expellat , & fiat tàm juris religiosissimus , quàm victis hostibus triumphator magnificus.

57 Nona animi qualitas, quæ in Consiliario desideratur est erga Rempublicam , ac Principem summus ac sincerus amor , & fidelis affectus , talis scilicet , ut non solummodò publicam utilitatem , & commodum amet, sed & in eo promovendo propriam utilitatem , proprias opes , propriamque authoritatem , & vitam negligat , easdemque pro Reipublicæ , ac Principis salute , quando opus sit , impendat. Amet Principem , ac Rempublicam non aliter quàm optimus filius , optimos, verosque parentes . Nihil est prudentem , ac sapientem esse , acutè prospicere , ornatè , ac benè loqui, & quidquid cæterarum in Consiliario qualitatum, ac virtutum mentionis fecimus , si odium erga Rempublicam , aut cupiditas detestanda in eo fuerit . En summam in Consiliario, immò in Reipublicæ gubernatore summam virtutem , verum, sincerumque in Rempublicam affectum : *Nullus tibi fidelior esse ad consilium potest*, ait Gregorius Magnus, *quàm qui non sua, sed te diligit.*

58 Id factu quàm difficile , & rarum sit , exemplo liquet Marci Aurelii sapientissimi Imperatoris , qui de se ad filium Commodum sic ait : *Equidem cum longævam a Divis vitam acceperim, diuturnam horum omnium cepi experientiam. Scito enim me quindecim annorum spatio Consulem , Senatorem , Censorem , Prætorem , Quæstorem , Ædilem, ac Tribunum , & post hæc omnia duo de viginti annis Imperatorem Romanum fuisse , quibus omnibus annis plerique ea, quæ dicebant , ad commodum proprium , & damnum proximi dirigebant , ac monstri instar erat , si quis candide ad obsequium , & alterius emolumentum loqueretur.*

59 Decima animi qualitas in Consiliariis requisita est , ut sint tali & ingenio , & animo præditi , ut & tempori, ac personæ servire, ut orationem, & vultum pro ratione rerum , temporum , & personarum in Reipublicæ commodum feliciter mutare, & accomodare possint . Tali inquam animo , & ingenio , quod in dissimulationem sui , salva tamen semper virtute, compositum sit . Hoc a nautis didicisse Consiliarium oportet . Tales enim se ventorum mutationi aptant, & prudens Consiliarius tempori , rebus , omnique hominum generi, salva , ut dixi , virtute , utilitatis Reipublicæ causa præparat, & applicat.

Isthuc est sapere
Qui ubicunque opus sit animum possit flectere.

60 Ideò non malè Philosophus Romanus , sapientem dicit non semper ire uno gradu , sed una via ; nec se in aliquibus mutare, sed potiùs aptare . Faciet sapiens etiam , quæ non probabit , ut etiam ad majora transitum inveniat, nec relinquet bonos mores, sed tempori aptabit ; & quibus alii utuntur in gloriam , aut voluptatem , utetur agendæ rei causa . Hæc de civilibus , publicis, ac Principum rebus dicta sint , ubi simulatione uti licet ; at privatæ dissimulationis, & simulationis sit expers . Amici mores , & sermones simplices sint , sinceri sint, ac sine fuco. Omnis Princeps hoc audiat : *Nescit regnare , qui nescit dissimulare* . Omnis amicus hoc capiat : Non est amicitia, quæ non est candida , quæ non est integra.

61 Tertium repeto , dissimulationem , simulationem , accomodationem , & applicationem in rebus publicis , & politicis probo , si pietas interna , si virtus sincerè retineatur . Si porrò in epistolis Sancti Pauli legeris , scio te intellexisse , quomodo se personis accomodaverit, quomodo, ut multas animas acquireret , sese tum gentibus, tum Judæis accomodaverit. Audiamus ipsum Apostolum ad Corinthios sic scribentem: *Cùm liber essem ex omnibus, omnium me servum feci , ut plures lucrifacerem. Et factus sum Judæis tanquam Judæus , ut Judæos lucrarer . Iis , qui sub lege sunt , quasi sub lege essem, ut eos , qui sub lege erant , lucrifacerem . Iis , qui sine lege erant , tanquam sine lege essem , ut lucrifacerem eos, qui sine lege erant . Factus sum infirmis infirmus, ut infirmos lucrifacerem. Omnibus omnia factus sum, ut omnes facerem salvos.*

62 Si igitur Theologi , ac viri sancti , probique proba mente id egere ; quare non bona , probaque mente in rebus politicis Consiliarii politici ? Audiamus & Gregorium ita sermocinantem : *Et servator , & Deus noster*, ait, *nisi ad humanos effectus sese demisisset, & cum publicanis cibum cæpisset , & humanitatem præ se tulisset , & quatenus ratio sineret omnium ingeniis se accomodasset , haud facilè opinor , tot Civitates , ac populos ad amplectendas res utiles , & salutares perduxisset.*

Undecima qualitas in Consiliario est amor justitiæ ; 63
siquidem qui hac qualitate præditus est , quæ cuique debentur, distribuit, malos castigat, bonos præmio honorat , pacem , & bellum justo tempore , & loco suadet . Talis non est hypocrita , non est bilinguis , non est ambitiosus, non est delator. Breviter justitiæ amans secundùm juris præcepta justè vivit , sitque *Honestè vivere, alterum non lædere, suum cuique tribuere*. Quin & sacræ literæ justitiam maximè requirunt : *Diligite* , inquiunt, *justitiam, qui judicatis terram.*

Duodecima qualitas est interioris animi fortitudo, & 64
quæ ex ea proficiscitur constantia . Hanc virtutem qui colit, neque in prosperis fortunæ casibus tumidus est , neque in adversis timidus . Siquidem fortitudo virtus est, quæ animum super pericula, & metum agit, nihilque nisi turpia timet, tolerat fortiter, vel adversa, vel prospera. Præstat autem fortitudo magnanimitatem, fiduciam , securitatem, magnificentiam, tolerantiam, firmitatem, & constantiam.

Constantia enim nil aliud est, quàm fortitudo , quæ 65
in rebus secundis simul , ac adversis semper eadem , & invicta est : *Is demùm* , teste Lipsio , *vir est , cujus animum neque prospera flatu suo , neque adversa infringunt*. Fortis Consiliarius nil temerè , aut leviter appetit , nil timet , nil trepidat , sed Principi suo constanter veritatem dicit , stultitiam , & vanitatem eorum , qui Principem mendaciis , assentationibus , adulationibus, & hypocrisi corrumpere conantur , refellit , refutat, & Principi rem aperit.

De Consiliario constante loquor , non de pertinace , 66
qui pro ratione rerum , & casuum sententiam suam mutare abnuit , quippè cum minimis , ac subitis momentis maximæ temporum , & casuum mutationes fiant . Puncto , ac momento res magnæ volvuntur , & vertuntur . Nequaquam igitur turpe est cum mota , & mutata re , & tempore , movere , ac mutare , rebusque , temporibusque applicare, atque accommodare consilium : *Non inconstantiis puto* , ait Cicero, *sententiam tanquam aliquod navigium ex Reipublicæ tempestate moderari* . Et Lipsius : *Sapientiæ* , ait , *partem esse , leviter despere , & paulùm extra viam rectam ire, ad vitandum violentum aliquem occursum* . Vides ne , *ut nautæ vela sinuent , & obliquent , & teneant nihilominùs suum portum ? itidem , & tu in illa , vel ista re.*

Et sanè demens est, qui in errore perstat. Ex causa 67
igitur superveniente mutare consilium prudentis est . Præstat mutare in melius , quàm in malè cœptis pergere, sed nec propositum infringere , cùm judicant canones , qui in melius commutant, & quidem alio gradu, sed non alia via . Nemo enim doctus mutationem consilii inconstantiam dixerit . Nunquam præstantibus in Republica gubernanda viris laudata est in una sententia perpetua permansio . Quemadmodum enim in navigando tempestati obsequi artis est, etiamsi portum tenere nequeas; cùm verò id possis mutata velificatione assequi , stultum est tenere cum periculo cursum , quem appetis, potiusquàm eo mutato , quo velis tandem pervenire . Sic omnibus in administranda Republica idem propositum esse debet : Non idem semper dicere , sed idem semper facere . Pro clausula audiamus Augustinum : *Turpe est* , ait , *mutare sententiam , sed veram, & rectam. Nam & stultam, & noxiam, & laudabile, & salubre est.*

Decimatertia Consiliariorum qualitas est liberalitas , 68
licèt hæc virtus Principem maximè deceat , quippè qua populus præcipuè capiatur, quam amet , quam veneretur, quam æstimet, in Consiliariis quoque tanquam talibus, qui Principis personam sæpè referunt, eamdem virtutem desideramus ; sic est liberalis a populo amatus, avarus a populo invisus est . Liberalis justus præsumitur, avarus injustus, quasi ille honestati, hic quæstui studeat, aliorum bonis inhiet, ac proditioni januam aperiat . Liberalis facilè pauperibus succurrit , captivos redimit , ingenia Reipublicæ utilia fovet, egentium asylum est , atque Reipublicæ commodum magis quàm suum quærit : avarus domicilio , victu , vestitu sordido utitur , omnia , qua via potest , justè , ac injustè non curans, ad se rapit, magis proprium, quàm Reipublicæ quærit, ac curat commodum . Nihil sapit , nec vult , quod æquum, & fas sit. Fidem , probitatem , cæteraque artes bonas subvertit avarus , pro his superbiam , crudelitatem , Deum negligere , omnia venalia habere exemplo suo docet.

Duo sunt vitia, quibus magna Imperia maximè ever- 69
tuntur , *Luxuria* , & *Avaritia* . Quod voluit etiam

Salu-

Salustius, dum inquit : *Cæterum avaritia bellua fera, immanis, intolleranda est, quo intendit, oppida, agros, fana, atque domos vastat, divina cum humanis permiscet; neque exercitus, neque mœnia obstant, quominus via sua penetret; fama, pudicitia, liberis, patria, atque parentibus cunctos mortales spoliat.* Semper enim avarus amat mendacia, furta, rapinas. Et Syracides, *Nihil est*, inquit, *iniquius, quàm amare pecuniam*, hic enim & animam suam venalem habet. Et nihil tàm purum, tàm sanctum, tàm religiosum, quod avaritia non dessundet, violet, & comminuat. *Pessimum* inquit Tacitus, *veri affectus, & judicis venenum, sua cuique utilitas.*

70 Decimaquarta qualitas est beneficentia, qua mitis ad cuivis benefaciendum, nulli malefaciendum commovetur. Beneficus propensus est ad benè de aliis merendum. De Tito Vespesiano testantur Historici, quod ubi super cœnam aliquando recordatus, quod eo die nemini quicquam præstitisset, laudatam hanc vocem emiserit, & dixerit; *Amici diem perdidi.* De hac virtute ita scribit Furius: *Hæc est*, inquit, *illa virtus, quæ beneficentia dicitur, nec in largitione pecuniarum, aut aliarum rerum consistit, ut liberalitas, sed in promovendis commodis Reipublicæ, & partibus ejus, in admonendo, laudando, reprehendendo, consolando, procurando, non solùm auxilium, ac benevolentiam expetentes, sed & ea ob virtutem commerentes.*

71 Quinimmò Beneficus si videat vias publicas, fontes, & pontes, similiaque indigere refectione, in id unà cum Principe, atque ministris suis omni cura incumbit, quo maturè, atque utiliter reparentur, ac si quæ malè fabricata sint, diruantur. Idem jacentes, atque oppressos sublevat, ac si sit in aula Principis, rectè facientes emat, & animat, atque ut in notitiam Principis perducti, honestè sustententur, efficit. Ad fastigium honoris, & gloriæ, virtutis via contendentibus fidem, dexteramque porrigit. Tandem qui hac virtute præditus est, justitiæ protector, defensor populi, refugium nobilitatis, pater patriæ, Principis ornamentum habebitur.

72 Decimaquinta qualitas animi est benignitas, & mansuetudo. Mansuetus enim, & benignus summos, & infirmos, divites, ac pauperes eadem facilitate audit, hilari fronte excipit, attentè ac diligenter ad ipsorum desideria animadvertit. In respondendo benevolus, in officiorum pollicitatione gravis, iis denegandis minimè supercilios, in reprehendendo neutiquam injurius, in hominibus dimittendis minimè asper, vel se efferens.

73 Hinc evenit, quod qui apud Principem gratiam obtinet, decuplo pluris eam faciet, quàm sit, & qui desiderio frustratus est, in benevolentia, humanitate, dulcibus verbis, atque aperto pectore acquiescat. Et lectione, ac experientia docemus, multos dolore quarumdam rerum magis ad vitæ, atque bonorum neglectionem impulsos, quàm infinitis injuriis. Consiliarii fores, ac aures noctu, diuque omnibus pateant, nec cuiquam occasionem det animi abjiciendi, omnes confirmet, id quod a benignitate, & comitate alienus minimè faciet.

74 Ad hanc virtutem, & benevolentiam, & humanitatem, & comitatem, & affabilitatem tanquam humanæ conversationis condimentum, rejicio. Omnis enim, qui benevolus, affabilis, & humanus est, alios affectu benevolo prosequitur, in quotidianis congressibus facilè, ac libenter alloquitur, & leviter, non fastidiosè audit. In sermone, gustu, actione, & officiis præstandis benevolentiam erga alios cum suavitate, & amabilitate quadam declarat.

75 Sit itaque Consilius alloquio facilis, neminem expectando fatiget, verecundos, ac timidos erigat, cives pariter, ac exteros summa benevolentia audiat, nullorum preces fastidiat, facilis sit in salutando, & compellando, ne de ipso dici possit, difficilius esse famulum alloqui, quàm dominum. Fiet hac ratione, ut non solùm muneri tanto satisfaciat, sed omnium etiam benevolentiam sibi conservet.

76 His virtutibus affinis est modestia, quam decimam sextam qualitatem statuo in Consiliario requirendam. Hæc est virtus moderans cupiditates, & affectus, quæ temperantiæ adjungitur, ut virtuti principali. *Modestia est*, inquit Tullius, *per quam pudor honestatis claram, & stabilem comparat authoritatem.* Modestus igitur Consiliarius sit erga singulos, modestus quoque, & præcipuè erga Principem. Erga singulos, itaut non nimium dignitatis suæ fastigio, & contumacia efferatur. Erga Principem, itaut arcana ejus non investiget. Abditos enim Principis sensus, & si quid occultius parat, exquirere illicitum, & anceps. Lingua quoque in Principem monendo, moderanda : præcipitium sibi parat, qui nimiam corripiendi libertatem sibi sumit. Sit monitio sine asperitate. At cùm Princeps, aut Respublica periclitatur, timore depositio, ut animam, conscientiam, & famam servet, dicat, moneat, corripiat. Meminerint Consiliarii, quod cuncta mortalium incerta sunt, quantòque plus adeptus sit, tantòmagis in lubrico esse. Prospiciant Consiliarii vitæ rotam, alternas vicissitudines contemplentur, modesti domi, forisque sint, ut communem aulæ pestem, aulicorum scilicet invidiam, & Principis suspicionem vitent.

Decima septima qualitas sit veritas, quæ est mentis, 77
ac linguæ temperantia. At quis non verus, in quo nihil effeminatum, nihil efferatum, nihil simulatum, nihil quod non virtutem præ se, & intra se ferat? Magna vis veritatis, quæ contra hominum ingenia, calliditatem, solertiam, contraque fictas insidias facilè seipsam defendit. Ac tanto quidem splendore in consilio fulget fides, ut sine ea omnes reliquæ virtutes fiant obscuriores. Et postquam quilibet, immò infimi gradus homo mendacem hominem detestetur, ac fugiat, multò magis Principem non fugere mendacem Consiliarium solùm, sed ex aula sua fugare oportet.

Epaminondas Dux Thebanus tàm severus veritatis 78
cultor fuit, ut ne joco quidem unquam fefellerit. Fridericum quoque Tertium Imperatorem nunquam fidem fefellisse compertum est. Sigismundus Imperator militi id, quod promissum erat, exigenti, malle se respondebat rerum, quàm famæ jacturam subire. Carolus V. Imperator sæpissimè dixisse scribitur, fidem rerum promissarum, & si toto mundo exularet, tamen apud sese consistere oportere, nec ullius rei ergo se illam mutare, aut labefactare velle.

Veritatem comitatur taciturnitas, atque hæc decima- 79
octava qualitas est, quæ nempe arcana consilia in pectore retinet. Linguam frenare, & coercere magna, & singularis prudentia est, ad quam natura adhortatur, quippe quæ linguam dentium, & labiorum vallo muniverit. Taciturnitas optimum, ac tutissimum rerum gerendarum vinculum dicitur; nec dicitur, sed & re vera est. Arcana enim consilia silentio obsignanda sunt. Hoc Ephæstio fecit; hic cùm arcanas quasdam literas legisset, detractum annulum ori suo admovit, eoque ipso occultum silentium quasi impressit. Etenim *Sacramentum Regis*, teste Angelo Dei, *abscondere bonum est, opera autem Dei revelare, & confiteri honorificum est.* Et Isocrate monente, verborum deposita diligentiùs tuenda sunt, quàm pecuniarum. Quare optimè, & sapienter Societas Discipulos suos admonebat, ut tria præcipuè in omni vita haberent : In animo prudentiam, in vultu verecumdiam, in lingua silentium.

Hanc ob rationem Reges Ægyptii, ut Consiliariis 80
taciturnitatem imprimerent, legem promulgarunt, qua teste Dione, linguam abscindi jubebant iis, qui arcana Reipublicæ retulissent. Jurisconsulti Consiliorum publicorum enunciatores, ut transfugas, vivos exuri, & furcis suspendi debere statuerunt. Utinam adhuc inter mortales, quod Justinus de antiquis narrat, illis fortior taciturnitatis cura, quàm vitæ celebrata erat, sæpè tormentis pro silentio rerum creditarum immortui sunt. Pompejus Romanorum legatus a Gentio Rege interruptus, priusquam vellet arcana sui detegere, mori non recusabat; idque ut Regi ostenderet, nihil se per tormenta revelaturum, ardenti lucernæ digitum cremandum præbuit, eaque patientia Regi simul, & desperationem tormentis quicquam cognoscendi excussit, & expetendæ amicitiæ populi Romani magnam cupiditatem ingeneravit. Quintum Fabium Maximum a Consulibus graviissimis verbis objurgatum legimus. Sed ipsa Valerii Maximi elegantissima verba referam : *Adeo magna patriæ charitate tenebantur*, inquit, *ut arcana Patrum Conscriptorum multis sæculis nemo Senator enunciarit. Quintus Fabius Maximus tantummodo per imprudentiam de tertio bello Punico indicendo, quod secretò in Curiam actum erat, P. Grasso, rus petens, domum revertenti in itinere narravit, memor, eum ante triennium Quæstorem factum, ignoransque nondum a Censoribus in Senatum lectum; quo uno modo etiam iis, qui honores gesserant, aditus in Curiam dabatur. Sed quamvis honestus foret error, vehementer tamen a Consulibus objurgatus est. Nunquam enim taciturnitatem, optimum, ac tutissimum adminiistrandarum rerum vinculum, labefactari volebant.*

Nec silere tantùm oportet ligua Consiliarios, sed 81
& mente. Multi enim sermone quidem celantes, ipso

aſpectu, ac vultu, aut factorum aliquo revelarunt ſecreta. Multa inter conſultandum excidunt dicentibus, quæ clauſtrum Conſilii exire non debent. Tum quia malitiosè explicari in contrarium a non intelligentibus poſſent. Tum quia non expedibt, priuſquam formam ſuam accipiant, præſciri laudanda, & prædicanda: Conſiſtorii Spirenſis Conſtitutio hæc: *In Senatu geſta, dicta, judicata, æterno ſilentio tegunto. Nihil injuſſu Cæſaris revelatio.* Arcana dixi tenenda, & non revelanda eſſe. Multa namque tractari ſolent, quæ non ſunt arcana, & a Conſiliariis liberè, immò prudenter enarrari poſſunt, quæ Principis, Conſiliariorumque virtutem, ac vigilantiam teſtantur, ex quorum relatione neque ſcandalum, neque periculum eſt timendum.

82 Quatuor porrò cautiones pro taciturnitate proferam. Prima eſt, ut in conviviis, in quibus maximè lubrico libertatis peccari ſolet, linguam contineas, memor præcepti Biantis; *Audi multa, Pauca loquere.* Ideoque Chirlon Lacedæmonius cum aliàs ſemper, tum præcipuè in convivio linguam præcipiebat continendam, quod illic cibus, & potus invitet ad intemperantiam. Porrò ubi plus eſt periculi, ibi major eſt adhibenda cautio, a vino maximè, quod immoderatè ſumptum, pro veneno eſt.

83 Meritò Archidamidas accuſanti Rhetorem quemdam, quod admiſſus ad convivium, nihil dixerat, reſponderit: *An ignoras eum, qui dicendi peritus ſit, dicendi quoque tempus cognoſcere?* Sciebat enim ille, in convivio, ac mero tempus dicendi non eſſe. Siquidem ut verè Divus ſcripſit Ambroſius: *Plerique vino ut natura, ut equuleo, & quibus tormenta non eliciunt vocem proditionis, eos tentant bibendo, ut patriæ ſtatum, ſalutem Civium, defenſionis ſuæ prodant conſilia. Quis inter cyathos texit, quod latere cupiebat?* Teſtatur Marcus Graſſus apud Romanos, qui bello contra Dacos, & Baſtarnas, admiſſis eorum legatis, eos retinuit poſtridiè reſponſurus, liberaliterque admodum tractavit, vinoque inebriavit: Quo factum eſt, ut omnia eorum conſilia detexerit.

84 Conſimili arte tradunt olim uſum Bonoſum Imperatorem, quem ſæpè dixiſſe ferunt, non ut viveret natum eſſe, ſed ut biberet. Is igitur quoties Barbarorum Legati undecunque gentium ad eum veniſſent, propinato vino, ebrios eos reddebat. Itaque ab his per vinum quæ vellet cognoſcebat. Ipſe quantumcumque bibiſſet, ſemper ſecurus, & ſobrius, & adhuc in vino ſagacior.

85 Ideò prudenter admodum Zenò Athenienſis, qui ad cœnam a quibuſdam Legatis invitatus, non tantùm a nimio uſu vini abſtinuit, verùm etiam ipſo tempore cœnæ conticuit: quibus mirantibus, atque ſciſcitantibus ecquid Principi ſuo de ipſo referrent, reſpondiſſe fertur: *Vidiſſe Athenis Senem, qui inter pocula noſſet tacere.* Indicans neceſſariam eſſe in fœcundis calicibus taciturnitatem, qui, ut noſter Horatius veriſſimè ait, *neminem non fecere diſertum.*

86 Providentis igitur Aulici, nedum Conſiliarii eſt, ab immoderato vino abſtinere, cùm in Aulis etiam hodiernis Bonoſi ſint & Craſſi, qui ſpecie benevolentiæ ad menſuram, immò ſine menſura bibere alios cogunt, aut inducunt, quo ab ebriis arcana eliciant, quæ a ſobris nequaquam poſſent.

87 Secunda cautio eſt, ut a diſcordia, & pervicacia Conſiliarius ſibi caveat, quæ ubi eum, & alios Conſiliorum adminiſtros involverit, non eſt, quod putet ſe, aut ſecretum, aut fidum fore. Qui de rebus Turcicis ſcripſerunt, inter alias cauſas, quam ob rem Segiculæ Turcæ Conſiliarii ſecreta Conſilii pandunt, hanc afferunt, quod in Conſilio alter plerumque ab altero diſſideat, & quo æmuli conſilium impediant, vel obſtent, quominus laudem, aut præmium inde capiant, noſtris, aut his, quorum intereſt, ea pateſaciunt, ſi non per ſe, at famulos, qui magnis aucti ea re præmiis, paria hoc modo cum obſequiis ſuis facere coguntur.

88 Tertia cautio ſit, ut a fœmineo ſexu Conſiliarius ſibi pariter caveat. Habet enim vim quamdam ad elicienda animi arcana. Quis neſciat hunc ſexum oppidò infirmum eſſe, nihilque arcani retineri poſſe? Quot occultæ conſultationes per mulieres promulgatæ? Quot conjurationes patefactæ? Teſtis Catilinaria apud Saluſtium, Piſoniana apud Tacitum. Scimus etiam Auguſtum Cæſarem cum adverſariorum uxoribus fuiſſe, quo faciliùs conſilia eorum exquireret; & ſuperiori ætate Carolum Quintum Imperatorem inſigni mulieris vaframento Lutetiæ hoſtili manu ereptum fuiſſe, habent patres noſtri in memoria. Noſtris denique temporibus Sultanæ, quæ ſunt Imperatoribus Turcarum pellices, cùm in perpetuo Conſepto, vulgò *Serraglio*, habitent, ubi negotia præcipua tractantur, arcana eorum per Eunuchos, qui ſui cuſtodia habent, aliorum Principum miniſtris revelant. Student enim hoc officii genere. Principum animos ſibi devincire, ut ſplendidum aliquod munus ab iis eblandiantur. Hoc cùm ita ſit, cùm ſacra Pagina ſuaſerim, ut ab ea, quæ dormit in ſinu tuo, cuſtodias clauſtra oris tui, niſi velis cum Sampſone periclitari.

Quarta cautio eſt, ut a muneribus aliorum Princi- 89
pum, præſertim penſionibus, Conſiliarius ſibi quoque caveat. Siquidem corrumpuntur, depravanturque hominum mores admiratione divitiarum. Notum eſt adagium: *Muneribus vel Dii capiuntur.* Et illud Pindari: *Lucro etiam ſapientia capitur, & irretitur.*

Itaque haud fermè eſt, ut qui præmiis ab aliqua ducatur, lingua ei conſiſtat, palamque non faciat, & pan- 90
dat conſilia Principis ſui. Quod & vidit Imperator Leo, qui propterea ſic filium monebat: In rebus occultis, & abditis fideles adhibe tibi, & temperantes viros, ac taciturnos, & qui in tua, & non aliorum poteſtate ſint. Notanter hoc poſtremum addit propter nonnullorum calliditatem improbam, qui tametſi uni Principi ſerviant, alteri tamen penſionibus, ac præmiis fidem addictam habent. Res, quæ hodierno, ac priſco ævo multas perdidit Reſpublicas nedum Principes. Certè ſatis conſtat, Philippum Macedonum Regem nulla alia ratione univerſam ſibi Græciam ſubjeciſſe, quàm fraudibus Penſionariorum, vulgòque de eo jactabatur: Non Philippum, ſed Philippi aurum ſubjeciſſe Græciam. Quin & Perſarum Reges, quo belli impetum ab Aſia averterent, penſionibus tentarunt, & quidem fœliciter, Plutarcho authore, tentarunt.

Si pro clauſula illud Quinti Curtii, quod omni 91
Principi, omnique Conſiliario imbibendum, & in venas immittendum ſuadeo: *Res magnæ ſuſtineri ab eo non poſſunt, cui tacere grave eſt.* Et hæc eſt arcana illa ratio, quæ traditur *in cap. fin. de hæretic. in ſextò*, hoc eſt ſecretum, quod eſt Sancti Officii Inquiſitionis anima.

Decimanona qualitas ſapientia, & prudentia eſt. Sa- 92
pientia eſt rerum divinarum, & humanarum perſpicientia. Et ſapiens dicitur is, qui nihil agit quod non debuit, & nihil prætermittit quod agere debuit.

Prudentiam verò cæterarum virtutum omnium mo- 93
deratricem, atque directricem appello. Hinc etiam prudentia oculus practicus nominari ſolet. Hæc omnia cogitat, omniaque acta ad rectæ rationis normam dirigit. Hæc nihil præter rectum, nihil præter juſtum, nihil præter honeſtum, & laudabile facit. Hæc præit, hæc ducit ad rectè faciendum. Hæc præſentia ornat, futura prævidet, ac providet, præterita recordatur. Huic inſunt ratio, intellectus, circumſpectio, providentia, docilitas, & cautio.

Prudentes igitur cenſemus eos, qui quæ ſibi, quæ- 94
que hominibus conducant, accuratè poſſunt diſpicere. Qui conſulunt, judicant, & præcipiunt ea, quæ ad bonum finem Reipublicæ pertinent. Neque abſque prudentia aliæ virtutes fiunt, neque prudentia vera ſine aliis virtutibus: cooperantur invicem. Et quamvis prudentiæ ad omnes res humanas uſus ſit, ad Imperium tamen omnium maximus uſus eſt. Unde prudentia Imperantis propria, & unica virtus.

Et quis eſt, cui ſapientia, & prudentia magis con- 95
veniat, quàm Principi, ac Reipublicæ Rectori; quippè qui uno capite, tanquam ſapientiæ freno, tot capita in obedientiæ gyro regit, qui uno capite tot capitibus jura, & juſſa dat, qui uno ſuo capite omnibus, ac ſingulis ſubditis debet prodeſſe? Summa poteſtas ſummam prudentiam deſiderat. Quapropter jure ſapientia, & prudentia Principi, & inſit, & adſit. Quia cùm multa ſint, quæ natura, arte, & experientia unus non adipiſcitur, ea a ſapientibus, & prudentibus multis ſumenda ſunt.

Adjutoribus igitur Conſiliariis Principi opus eſt, & 96
adſumendi prudentes. Tales ſint omnes Conſiliarii, ſapientes ſcilicet, & prudentes. Nomine prudentiæ venerandi ſint, nomine ſapientiæ admirandi.

Vigeſima qualitas eſt virtutum omnium prima, & 97
ſumma, reliquarum quaſi regina, & mater. Illa eſt pietas, quam Lipſius definit: *Rectum de Deo ſenſum, rectum in Deum cultum.* Religio Deum rectè agnoſcit, rectè colit. Hanc ob rationem Propheta David, pietatem omnis ſapientiæ, omniſque virtutis fontem, ſive initium appellat cùm omnes cæteras virtutes & pariat, & contineat.

Hanc itaque virtutem præ cæteris ſibi commenda- 98
tam

tam habeant Consiliarii. Hac ita decorati, hac ita præditi sint, ut bono exemplo sint, & Principi suo, & Principis populo. Tum quia populus talem Principem judicat esse, quales sunt Principes amici. Tum quia tales imitari studet. Tum quia colentibus Deum omnia prosperè evenire credit. Et tum quia impii, & irreligiosi a Deo graviter puniri, eorumque opera malè finiri scit populus.

99 Hanc ob rem cuncta consilia, omnesque actiones cum pietate incipiant Consiliarii, cum pietate continuent, cum pietate finiant, & feliciter singula finient: Deus enim est, qui mentem dat, qui animum confirmat, qui fraudes, ac tumultus intestinos comprimit, qui pacem stabilit, qui hostem repellit, & victoriam largitur. Deus demum est, qui prudentiam, qui sapientiam, qui bonum consilium suggerit.

100 Consiliarius igitur, qui salubriter, ac benè consulere cupit, ab hoc Numine sapientiam petat, Deum ille veneretur, colat, amet: *Fallunt*, ait Valerius Maximus, *qui humanis Imperiis, & Legibus, non ultionis divinæ metu Respublicas contineri docent. Humana consilia castigantur, ubi cœlestibus se præferunt competenter.* Et Imperator Justinianus, *Benè*, ait, *universa geruntur, & competenter, si rei principium fiat decens, & amabile Deo.* Sciant omnes Consiliarii, licèt Deus natura bonus, & propitius, nihilominùs & malorum observator, ac vindex sit. Numini nil secretum est, nil clausum, nil absconditum, & tarditatem supplicii sæpè gravitate compensavit: *Neque enim*, ait Seneca, *sine Deo vir esse bonus potest, nec potest quisquam supra fortunam exsurgere, nisi a Deo adjutus fuerit.* Et Livius, *Omnia prospera*, inquit, *eveniunt Deum colentibus, adversa aspernantibus.* Et fatetur, atque testatur Cicero, Romanos, non robore Gallos, non calliditate Pœnos, sed Religione, ac pietate omnes gentes, ac nationes superasse. Quin & tollitur fides, ac societas generis humani, pietate erga Deum sublata.

101 Sunt & multæ aliæ animi virtutes, & qualitates, quibus Consiliarii præditi, atque adornati esse debent, ut est temperantia, frugalitas, continentia, & castitas, sedulitas, candor, urbanitas, concordia, & id genus aliæ; sed recitatis, ac declaratis principalioribus hisce, cæteras silentii velo involvere constitui.

CONSULTATIO CCXII.

De corporis qualitatibus quæ in Consiliario requiruntur. Justa ætas. Formæ dignitas. Bona corporis constitutio. Indigenatus cum limitatione. Item regulæ in Consiliariorum electione. Prima, ne in electione Princeps nimis sit præceps. Secunda, ut Princeps inquirat, an omnibus supradictis animi, & corporis qualitatibus ornati sint, & quid agere debeat Princeps, si aliquis candidatus aliquibus qualitatibus tantùm decoratus sit. Tertia, ne Consiliario tantùm ex iis eligat, quos in aula Princeps sustentat. Quarta, ut Princeps ex omnibus, & singulis suis Provinciis Consiliarios eligat. Quinta, ut Princeps non solummodò ex nobilibus, ac divitibus, sed etiam aliquos ex plebeiis, & pauperibus eligat Consiliarios. Sexta, ut & laudes, & accusationes de candidato latas Princeps lubenter audiat, & examinet. Septima, ut Princeps Consiliarium electum in Consilium introducat, & quid ulteriùs ibi agendum.

1 PRima qualitas in Consiliarii corpore requirenda sit ætas, ut scilicet & senes, nec nimis senes, & juvenes, nec nimis juvenes eligantur. Sunt, qui statuant Consiliarium triginta annis majorem esse debere, quippè quia triginta annis juniores experientia destituti sint, ac vitiis naturæ quàm maximè obnoxii, perturbationibus animi, calore juvenili, præcipiti temeritate, inflato spiritu ferantur, debitam gravitatem servare inscii; proinde populus plerumque consiliis ipsorum diffidat. Post annum porrò sexagesimum ingravescente ætate, memoriæ vigorem flavescere, intellectum vacillare, experientiam in obstinationem converti, calorem vitiorum stimulum minui, quo ipso rerum occasiones negliguntur, corpora debilitata, atque laboribus fracta itineribus faciendis inepta esse. Itaque aulæ inutiles pondus putari.

2 At ego sic statuo. Postquam ad benè consulendum magna prudentia, magnusque rerum usus necessarius sit, atque illa non facilè brevi tempore comparari possint, ad consultationes seniores potiùs, quàm juvenes esse vocandos: *Experientia*, inquit Isocrates, *& rerum multarum usus senes erudit, atque efficit, ut quid expediat acutiùs quàm alii prospiciant*; & Cicero, *Temeritas est florescentis ætatis*, ait, *prudentia senectutis*. Aristoteles, *vires pollere*, scribit, *in juvenibus, prudentiam in senibus*. Patientissimus Job, *In antiquis est sapientia*, inquit, *& in multo tempore prudentia*. Plato, *Non florescit virtus animi*, scribit, *nisi virtus corporis defloreat. Annorum multitudo sapientiam docet*, teste Salustio, *& quibus corpus annis infirmum, imperium sapientia validum est*; & Divus Hieronymus: *Omnes pene virtutes corporis mutantur in senibus*, ait, *& crescente sola sapientia, decrescunt cætera*. Scribitque Livius, *Senescentibus vitiis, fervere, & audacia, ætate sublata consilium in dies crescit*. Est corporis infirmitas mentis sobrietas. Senescentibus corporis membris, *sensibus emollitis, in consilium proxima transactio*. Accedit experientia, & rerum multarum usus, ut tertium quemdam, monente Platone, oculum senes habeant, quo rerum eventus facilè prospiciunt.

Juvenes quidem molles sunt, ac ætate fluxi, & 3
dolis haud difficulter capiuntur. Est enim adolescentiæ, ac florentis ætatis propria temeritas, ut Cato ait. Ad honores evecti intemperanter sese gerunt, ad aliorum judicia, & opiniones respiciunt, pejora facile præcepta audiunt, affectus vehementes habent, eosdemque regere nequeunt. Historici testantur sæpissimè callidis suis consiliis juvenes miserrima Reipublicæ naufragia fuisse, seque unà cum Republica præcipites egisse: *Ut enim novelli citharœdi*, ait Xenophon, *multas citharas perdunt, ita cupidi juvenes Rempublicam*. Quales esse solent in consiliis, Roboamus docet, qui relicto seniorum consilio seipsum maxima Regni parte privavit.

Authoritate insuper destituti sunt juvenes ad juben- 4
dum, ad suadendum non valentes. Displicent illi senibus, displicent juvenibus. Istis, quia se ætate inæquales. Illis, quia se prudentia, & experientia superiores arbitrantur. Vulgus enim sæpè opinatur juvenes, aut nunquam, aut rarò admodum sapentia præstare, Opinio plebem sæpè magis movet, quàm res ipsa. Cicero citat ex veteri Poeta interrogantem: Quidnam everterit Rempublicam? Deinde subjicit: Oratores novi, stulti adolescentuli. Nazianzenus laudat legem nauticam, qua nemo admittitur ad gubernacula navis, nisi diù priùs sederit ad remos. Idem fieri debet in Republica.

Hæc omnia tamen cum mica salis intelligenda 5
sunt. Nam multos juvenes vidimus, in quibus senectutem venerabilem morum, & canam prudentiam observavimus. Virtus ætatem legitimam, admiratio virtutis authoritatem facit. Et habent senes sua quoque vitia. Frigent nonnunquam, & torpent senum consilia, non secus ac ipsorum corpus friget, ac torpet. Hinc etiam est, ut propter sanguinis inopiam, & frigoris copiam, sint timidi. Morosi sunt ob atram bilem. Loquaces sunt, quia virium inopiam verborum copia pensare conantur. Queruli sunt, quia præsentia illis non placent, sed tantùm præterita. Multis corporis defectibus laborant. Alius visu, alius auditu periclitatur. Quicquid in natura est ruinosum, & interitu obnoxium, in senectutem sese effundit, ac se ponit, itaut nullis remediis averti, nec nisi sola morte avelli queat. Senes utilitatem magis spectant, quàm honestatem; juvenes verò privata commoda pro honestate negligunt. Illi ad opes, isti ad honores spirant. Senes ideo utilitatem valde amant, quia imbecillitate sua cognita, præsidium, & opem in nummis quæritant. Timidi insuper sunt senes, suspicaces, & increduli, dolorum, ac laborum impatientes, oblivioси.

Juvenes verò apud Romanos ad consilia admissi, 6
& in Senatum, & ad civilia munia vocati sunt: *Apud majores*, inquit Tacitus, *virtutis id præmium fuerat, cunctisque civium, si bonis artibus fiderent, licitum petere Magistratus, ac ne ætas quidam distinguebatur, cùm prima juventus*, minores scilicet viginti quinque, aut viginti annis, *Consulatum, & Dictaturas inirent*. Et in Republica Persica, qui inter perfecta ætate viros sine reprehensione se gerebant, fidebant, teste Xenophonte, ex ordine seniorum.

Mea demùm de hac re sincera, veraque sententia 7
hæc est, ut & juvenes nonnullos triginta annis minores, ut & senes sexaginta annis majores cæteris sint adjungendi Consiliariis. Minores triginta annis tales puta, qui ob ingenii præstantiam, ob conditionis excellentiam, virtutumque suarum merita non pro juvenibus, sed pro senibus sint habendi, & quorum ætas cupiditates adolescentiæ jam effugarit, ac efferbuerit. Nam ibi asseverante Ambrosio, *sit perfecta ætas, ubi*

perfecta virtus. Nec prudentia in barbis, sive in canis, sed in mente est. Illa Principi videatur senectus in homine, non quæ crine, sed quæ virtute albescit; magis canities vera in animo, quàm in capite corusçat: *Non est*, inquit ipse Ambrosius, *omnis barba venerabilis, & apta, sed illa, quæ non canis, sed meritis albescit*. Et est canities animæ in canis cogitationibus, ac operibus fulgens.

8 Ideòque nulla in consiliis ætas repudianda, neque ab excellenti, & eximia virtute ætatis progressus non est expectandus. Juvenes, ait Gregorius, rici solent, qui nulla consilii gravitate deprimuntur. Senes verò non eos Sacra Scriptura vocare consuevit, qui sola temporum quantitate, sed qui morum gravitate maturi sunt. Unde in libro Sapientiæ: *Senectus honorabilis est, non diuturna, neque annorum numero computata. Cani enim sunt sensus hominis, & ætas senectutis vita immaculata*.

9 Itaque in moribus potiùs, quàm in annis senectus quærenda, & consideranda est. *In quibusdam* enim, attestante Seneca, non puericia, sed quod gravius est, *puerilitas remanet*. Si enim in vocandis Consiliariis senectutem corporis spectaret Princeps, sæpè virtus priusquam prodesset Reipublicæ, extingueretur. Scimus præcocia ingenia non diù vivere. Qui juvenibus hominibus obstant, non secus atque arbores vetulæ subnascentes arbusculas premere, ac necare umbra sua videntur, cùm tamen expediat juxta annosas arbores novas plantas inserere, quæ post interitum vetustarum locum tenere possint.

10 Adjungendi igitur senibus juvenes, quia bona hæc mixtio erit. Conjungitur namque cautio, & prudentia senilis cum ferventi studio, & labore juvenili. Quare alienum non erit a munere admittere cum senibus aliquos probos juvenes, qui ex seniorum factis, dictisque discant in posterum similia & dicere, & consulere, uti & aliquando admissi sunt in Curiam cum Patribus Senatoribus filii usque ad Papirium. Non enim homines in hoc sæculo immortales sunt, ut iidem possint cum principatu perpetuo vivere. Hinc est, quod multi Reges sapienter observarunt, ut primogenitum filium, futurum Regni Successorem, licèt adhuc puerum, ad consilia vocarint. In historiis ergo notavi veteres Gallos hunc morem habuisse, & sanctè observasse, ut Principes Regiæ Stirpis Consilio Regis semper adessent, ut ibi tanquam in politicæ summa Schola deliberare, Reipublicæ inservire, ac populum regere addiscerent.

11 Recta quidem consultatio non procedit ab ætate, non a corporis viribus, sed a bono judicio, a laudabili prudentia, ab animi dexteritate, a sana mente, a recta ratione, qua quisque præditus, qua quisque dotatus est, quæ omnia tamen pleraque magis in senibus, quàm in juvenibus vigent.

12 Secunda corporis qualitas est formæ dignitas, quod scilicet Consiliarius mediocris staturæ, membrorum omnium justa proportione, & convenientia, atque oris decore, elegantia, & comitate ornatus esse debeat. Corporis statura ea sit, quæ proceritate, & crassitie media est. Extrema utriusque, Consiliarii authoritatem lædunt, & diminuunt. Rarò procerum sapientem reperiri, quidam scribunt, uti est proverbium: *Amens longus*.

13 Brevissimæ quoque figuræ, ac formæ homines non multum utiles, quippe qui, testantibus quibusdam physicis, temeritate, & iracundia magis quàm judicio elati, populo irrisioni sunt, authoritate carentes habent caput mediocre, & rotundum, nimium grande, non nimium parvum, non acuminatum. Habent vultum longiorem quàm rotundiorem, non tristem vultum; oculos mediocres, & alacres, nec turbidos, aut instabiles, nasum, aut contortum, aut nimis ingens, non pendula labra, crura recta, incessum gravem, non celerem. Ex facie elucent comitas, liberalitas, gratiositas, benignitas. Ornamentum hoc corporis in Consiliario voco dignitatem. *Venustatem*, ait Tullius, *muliebrem dicere debemus, dignitatem virilem*.

14 Hæc autem formæ dignitas in Consiliarium ideo requirenda est, quia omne id, quod aspectu deforme, id oculis ægrè est, atque hominum animos a se alienat. At quidquid pulchrum, idem & oculis gratum est, & tacitè in amorem sui animos allicit, invitat, & rapit. Hac de causa Theophrastus *formam* vocavit *fraudem silentem*. Natura nobis datum est, ut corpore spectabiles diligamus, ac veneremur, propterea quod pulchritudo corporis reverendum quid, & admiratione dignum continere videtur. *Barbaris etiam hominibus*, ait Curtius, *veneratio est in corporum majestate, magnorumque operum non alios capaces putant, quàm quos eximia specie donare natura dignata est*.

Adjice, quod natura insigniter deformes, ut physici, astrologi, ac medici censent, vitiis animi, morum, ac vitæ laborant. Et scribitur, Aristotelem proverbii loco in ore habuisse: *cavendos, quos natura notavit*. Huc refero, quod apud Planudem scriptum est: *Qualis forma, talis & anima*. Quid ita? Quia corpori consentit anima, & animæ corpus. Pythagoras existimabat corporum structuram similem esse structuræ animorum, & distorta membra esse effectum, atque adeo testimonium animi pravis effectibus distorti, rarissimèque in forma abjecta generosam mentem habitare. Idem, & Cicero in C. Fannio Chærea animadvertit: *Faciem*, inquit, *considerate; nonne ipsum caput, & supercilia illa penitus abrasa, olere malitiam, & clamitare calliditatem videntur? Nonne ab imis unguibus usque ad verticem summum, si quam conjecturam affert hominibus tacita corporis figura, ex fraude, fallaciis, mendaciis constare totus videtur? Qui idcircò capite, ac supercilii semper est rasis, ne ullum pilum boni viri habere dicatur*. 15

Et Divus Gregorius Nazianzenus Julianum Imperatorem propter ejus cervicem inflexam, humeros subsultantes, oculos vagos, ac furiosè moventes, pedes instabiles, nares contractas, contumaciam, & contemptum spirantes, sermonem hærentem, & spiritum concisum, Romano Imperio magnum malum daturum, ominatus est. Nos quotidiè videmus, tales vulgò invitos esse, quapropter gubernationi Reipublicæ minimè sunt præficiendi. E contra quibus natura formæ dignitatem dedit, & ingenium, animumque rectum, & pulchrum largita est. *Species corporis*, inquit Ambrosius, *simulachrum est mentis, figuraque probitatis*. Quapropter omnis Princeps omnimodò perspectum habeat eum, quem sibi amicum eligit, cui fortunas suas, cui honorem suum, cui vitam, & fœlicitatem suam committit. 16

At licèt verissimum, optimumque hoc, quod supra dixi, consilium sit, omnia tamen cum ratione sunt intelligenda. Pulchritudo enim nec in omnibus, nec semper est nota virtutis. Quibusdam exemplis doceri potest: Naturam aliquos corpore deformes bonis internis ita dotare, atque internis dotibus defectus externos supplere, & compensare, ut ingenio formæ damna rependat. Nec oblivioni tradendum, quod de Agesilao Spartanorum Rege scribitur, quod licèt corpore deridiculo, attamen pientissimus ab omnibus habitus fuerit. Quis erat formosior Absalone? Acta adversum parentem deformia, & detestanda erant. Heliogabalus corporis forma ita floruit, ut Romanos milites in se converterit. Postquam verò Imperator Romanus factus est, monstrum humani generis sese exhibuit. Adjice quod corporis deformitate animus non fœdetur, sed pulchritudine animi corpus ornetur. 17

Quare in hac re concludo. Si Princeps delectum habere possit, & ei copia sit eorum, qui simul sunt animi, & corporis forma pulchri, & eorum, qui simul sunt animo pulchri, & corpore deformes, illos potiùs quàm illos ad consilium vocet, & sibi amicos paret. At præ pulchro corpore, & pariter animo deformi, deformem corpore, sed animo, & ingenio, nec non sapientia, & prudentia conspicuum vocet. 18

Tertia corporis qualitas est corporis bona constitutio, quæ vulgò complexio, sive temperamentum dicitur. Temperamentum autem, ut scribit Furius, *alia sunt natura capacia, apta, & illustria, vicissim alia stupida, inepta, & tenebriosa; & hæc quidem, quantumvis noctu, diuque omnem animi contentionem, ac diligentiam in corrigenda naturæ temperatione adhibeant; nihilominus tamen ea, invita Minerva, quod ajunt, tentare videntur; illa & diligentia, & arte exigua, quæ volunt, assequuntur, & si velint majora præstare, possunt. Quapropter meo judicio Consiliarius, aut sanguineæ, aut cholericæ, non alterius sit constitutionis, Nam iis temperamentis præditi, ingenii acrimonia, memoria, judicioque valent, justi, affabiles, fideles, benefici, magnifici, magnanimi, fortes, corpore alacres, agiles, sani, ac bene temperati sunt*. 19

Tales ex his, quæ jam dicta sunt, & aliis cognosci poterunt. Nam cùm, & res facilis sit, & Princeps bonorum medicorum copiam habeat, cum ipsis in electione Consiliarii conferet, ac omni cautione adhibita animadvertet, ne melancholicum, aut phlegmaticum recipiat. Nam hujusmodi natura sunt inepti ad Reipublicæ gubernacula, maximè verò ad consilia danda. Melancholicus etenim, ut natura frigidus, & siccus est, sic terrestris 20

con-

constitutionis naturam refert, animo abjectissimo humi serpit, nec sese circa laborem a terra tollit, rudis trissis, vanus, præclarè cogitatis infestus, malitiosus, ac superstitiosus, itaut hoc temperamento præditus semper religionem suis stultis somniis corruperit, atque everterit. Adhæc ultra modum suspiciosus, ac invidus, itaut ipsissima invidia esse videatur, sese mœrore, tristitia, ac cruciatu conficiens, absque ratione ad arma, vel verborum contumeliam prosilit, quantoque magis ætas aggravescit, tantominus scientia crescit. Demum melancholici Saturno subjecti sunt, a quo genere hominum Astrologi, & Physophi ita abhorrent, ut memoriæ proditum sit ab Apollonio Thianæo, Ephesi melancholicum inventum, qui totam Civitatem corruperit, & in ea pestem maximam excitarit. Postremò phlegmaticus, rudis, ignarus, intempestivus, & insscius est, nec ulla virtus excellens in ipso invenitur, sed omnes infra mediocritatem subsistunt. Huc usque ille.

21 Quæ omnia ergo pro certis non statuerim, nec melancholicos, & phlegmaticos rerum experientia, eruditione, ac virtute præditos excluserim: At si mihi electio daretur, sanguineum præ cholerico, cholericum præ melancholico, melancholicum præ phlegmatico vocare vellem. Nec disluadere volo Principi, ut Consiliarios diversorum temperamentorum vocet, & eos inter se temperet, itaut quosdam habeat melancholicos, scilicet tales, qui in consiliis sunt lentiores, & cunctatiores, tardiùs proposita expendentes, nec non quosdam cholericos, & sanguineos, qui sunt fervidiores, ac promptiores. Phlegmatici non facilè admittendi, nisi maturiori ætate exsiccati sint. Verbum Hippocratis est: *Anima sicca, anima prudens.*

22 Ad hac corporis qualitates adnecto in Consiliario requirendam qualitatem ultimam, nempe, ut sit indigena. Indigenæ potius eligendi sunt, quàm exteri, ne ex Consiliariorum dissimilitudine Reipublicæ maximorum, & miserrimorum naufragiorum scintillæ oriantur. Magna quippe dissimilitudo esse solet inter diversa studia, diversi mores, ac vita. Diversorum populorum ingenia, & animi non consentiunt. *Quæ enim*, teste Cicerone, *natura diversa sunt, difficile est, ut voluntate conjungantur.*

23 Hinc livor, & offensio, hinc morum, animorumque discordia, hinc cogitationum, hinc actionum diversitas, hinc jurgia, & lites, hinc conspirationes, hinc civilia bella, hinc Rerum publicarum ruina, & interitus. Audiamus de hac re sapientum voces. *Admitte*, ait Syracides, *ad te alienigenam, & subvertet te in turbine, & alienabit te a tuis propriis.* Et Thucidides inquit, *Consiliarii gente dispares nihil in communem Reipublicæ salutem consulunt, sed vel suo quique commodo vacant, vel quod agendum pro communi salute est, absque matura deliberatione decernunt.* Scribitque Plutarchus: *Homines Peregrini peregrinos secum sermones adferunt. Unde nova de rebus judicia oriuntur. Ex quibus fieri non potest, quin affectus multi, consilia talia nascantur, quæ plane diversa ab instituta Reipublicæ ratione, quæ est instar vocum consonantia, nec discrepantiam admittit.*

24 Quam demum periculosum sit, posthabitis incolis exteros ad consilia promovere, Gulielmus Siciliæ Rex misero exemplo testatur. In eum insurrexerunt Neapolitani, & Sicilienses, quod non solùm præcipuos Magistratus, sed ipsum etiam Cancellariatus officium Gallis detulisset, atque ideo anno 1168. conjuratione communi Gallos omnes, qui cum eodem Cancellario erant, in Regno de repente trucidarunt. Et qui nostra quidem ætate civilis motus, & intestini tumultus in Gallis excitati sunt? Certè non aliam ob causam, quàm quod præcipui Consiliarii in Regis Aula erant exteri.

25 Accedit, quod exteri, jurispublici, morum populi, Reipublicæ sint expertes, quare ad consultandum non parati, aut idonei sunt. *Ad consilium* namque *de Republica dandum, caput est*, ait Tullius, *nosse Rempublicam. Est Senatori perneccessarium*, ut idem Tullius inquit, *quid habeat militum Respublica, quis valeat ærario, quos socios Respublica habeat, quos amicos, quos stipendiarios, qua quisque sit lege, conditione, fœdere, tenere consuetudinem decernendi, nosse exempla majorum.*

26 Adde, quod alienigenæ Consiliarii plerique suo commodo unicè studeant, & quod dissidiorum sæpè faces præbeant, quippe qui nihil proprium in Reipublicæ terris possidentes, jacturam facere non timent, sed potius exortis certaminibus, discordiis, tumultibus, & factionibus, honores, ac divitias captare, & acquirere firmiter sperant, ad quas pacata Republica pervenire desperant. Hinc est, quod Aristoteles asseverat peregrinos, & advenas fructum Civitatis devorare, non secus atque locustæ segeti nocere solent.

Considerandum hìc quoque est, Deum mortalium 27
mentibus singularem amorem, & affectum erga patriam, erga illum locum in quo nascuntur, implantasse. Hic amor consiliorum, & actionum nostrarum, quæ pro Republica fiunt, veluti dux quidam est, & regula. Hunc ducem, hanc regulam prudens Princeps etiam in Consiliario spectabit. Nec imitabitur communem illam mortalium intemperiem, qua, ut cibos, & vestes, ita quoque ingenia peregrina tantùm amant, & admirantur, domestica omnia fastidiunt, & aspernantur.

Sanè quando vinculo hoc communi patriæ, & mo- 28
rum conjunctus est Princeps Consiliariis suis, dolor ejus quoque erit eorum dolor, lætitia Principis erit æquè lætitia Consiliariorum. Secus autem est de iis, quos aliunde assumit, qui non tàm Principem, quàm bona ipsius amare solent, non subditorum saluti consulere, sed subditos exsugere. Tamdem post partas opes desiderio patriæ tacti munere decedunt antequam sit opportunum, nec retineri possunt, nisi stipendiis, & potestate aucta. Quod si pinguior conditio iis se offert, Principe priori deserto, ad alterum currunt, hunc quoque relicturi, si res dubiæ, ac periculosæ interveniant, quoniam illis ibi nec seritur, nec metitur.

Has ob rationes Persarum Rex Cyrus jam moritu- 29
rus filium Principum prudenter monebat, ut si quos Regni Consiliarios, quos Regni Custodes appellabat, post suum obitum adsciscret, nusquam aliunde incipere, quàm a suis conterraneis, ac cibus, quos semper alienigenis præferret.

Verùm hæc dicta cum distinctione intelligenda sunt. 30
Oportet quidem Principem, qui plures provincias, & nationes sub imperio suo habet, ex omnibus istis nationibus, & provinciis in primis Consiliarios suos legere. Attamen non planè negaverim, unum, vel alterum fide, ac probitate insigni ornatum, ac præditum, in aliis exteris sibi non subjectis Provinciis natum, pro temporum, ac rerum occasione in Consiliarium esse eligendum. Si Princeps Consiliario aliquo ad negotium ejusmodi eget, in quo nullus suorum subditorum ingenio, scientia, & prudentia tantùm potest, quidni accersat Consiliarium peregrinum? Circumspectus Imperator Tiberius exteros aliquos assumpsit Consiliarios. Itidem fecit Carolus Quintus, atque nonnulli alii Principes. Legimus etiam præcipuas aliquas familias consulares è Peregrinis Romæ ortas. At si Princeps alienigenos Consiliarios eligere velit, paucos tantùm advocet, fideliter suaserim.

Hoc etenim in multis, & quasi in omnibus ma- 31
gnis Principibus, ac Regibus observavi, quod semper unum Consiliarium ad latus habeant alienigenam, cui præ indigenis totum cor suum liberè, ac unicè aperiant, cui unicè omnes secretissimas cogitationes, intimam mentem, & clandestina consilia communicent, quemque tanquam proprium cor unicè ament. Atque huic magis fidunt, quia indigenæ & Principem, & Rempublicam, in qua nati, & educati, in qua sua bona, & liberos habent, amant, necnon talia consilia Principi dant, quæ & ipsi Principi, & Reipublicæ prodesse putant. E conversò alienigena, quia in eadem Republica nil possidens solum Principem amat, non multùm Rempublicam, sed solum Principis commodum, ac utilitatem, spreta ea, quæ Reipublicæ est, cogitat, & curat, atque unicè talia Principi suggerit consilia, quæ neglecta Reipublicæ utilitate soli Principi proficere existimat. Atrium præ cæteris omnibus Principes ament, magnificiant, & exaltent. Talis præ istis, Principibus charus, & gratus esse solet.

His adjice Consiliarios extraordinarios, qui sunt Con- 32
siliarii extra Rempublicam, sive Regnum, quibus in exteris nationibus habitantibus ob certas causas in certis quibusdam rebus ad dandum consilium Principes utiliter utuntur. Hi liberrimo ore, hi apertissimo pectore animi sententiam, cæteros Consiliarios non videntes, non respicientes, eloquuntur, sive in charta scribunt, & Principibus mittunt. Hi tunc temporis a Principibus maximè usurpandi, quando ordinarii videntur suspecti.

Quod autem ad regulas in electione Consiliarii ob- 33
servandas, prima sit ne Princeps in electione nimis præceps. Cunctationem adhibeat, ut in candidati

mo-

mores, virtutes, eruditionem, prudentiam, vitam benè inquirere possit. Nonnunquam & ipse Princeps cum eo conveniatur, & sæpè aliquem Consiliarium cum eo conversari jubeat. Inde quoque ubi aliquod tempus vixit, ejus vitæ testimonium petat Princeps, & si anteà officium quoddam gessit, quomodo illi præfuit, exquirat. Hac ratione candidati qualitates verè cognoscet, morum integritate conspicuum, nullo vitiorum dehonestamento conspurcatum, ac pœnitentis prudentiæ, ac sapientiæ venerandum virum in amicitiam vocabit. Sed Romanum sapientem ita monentem audiat Princeps: *Diù cogita, an tibi in amicitiam aliquis recipiendus sit: cùm placuerit fieri: toto illum pectore admitte, tàm audaciter cum illo loquere, quàm tecum. Post amicitiam credendum est, ante amicitiam judicandum.*

34 Requiro namque in Consiliariis præter doctrinam, ac rerum experientiam, etiam proborum morum, bonæque vitæ elegantiam, ut etiam exemplo utiles populo esse possint. Qui enim vitiis scatet, fieri non potest, inquit Gellius, ut vitiis non faveat, ne illa judicando seipsum condemnare videatur; neque ambitiosus contulit, nisi ad honores consequendos. Thesaurarii, ac populi harpyæ nihil suavius habent in consiliis, quàm super actiones tributa nova imponere, & modos subtiles extorquendi. Proponunt enim sibi lucrum ex tractatione pecuniarum, parum ad lacrymas, & onera subditorum attendentes. Audi Prophetam David: *Oculi mei,* inquit, *attendent ad veraces terræ, ut consedeant mecum; ambulans via integra, is mihi ministrabit.* Imitetur Regem Pharaonem Princeps sapiens. Dixit ille servis suis: *An invenire possumus huic,* de Josepho inquiens, *parem virum, in quo spiritus Dei sit?* Deinde Pharao Josepho dixit: *Quandoquidem nota fecit Deus tibi omnia hæc, nemo est prudens, & sapiens, sicut tu. Tu præeris domui meæ.*

35 Omni consilii loco inscriptum sit, quod in Romanis legibus de Magistratu erat: *Hic ordo vitiis careto: Cæteris specimen esto.* Ut enim docet Aristoteles: *Pervertit intellectum malitia*, nec nisi a viro bono bona proficisci possunt: *Nec fieri potest*, ait Xenophon, *ut si Magistratus ipse officium non faciat, ad præclara, & honesta agenda alios excitet*: monetque Tullius: *Alios non continebit, qui se non continet.* Quare non immeritò in Consiliariis requiro, quod Plato in Principe, & Magistratu legendo spectare jubet, non ut Gordii, corporis molem, & obesitatem; non ut Medii, robur; non ut Indi, formæ pulchritudinem, ac venustatem; sed virtutem, & quidem multis jam annis exploratam, ac probatam.

36 Secunda regula est, ut Princeps exquirat, an omnibus illis qualitatibus animi, & corporis, quas supra recitavi, candidatus præditus sit. Illis expers, inhabilis est. Hunc linquat Princeps. Illis excellens, aptus est. Hunc eligat Princeps, atque secundùm quod earum vel plures, vel pauciores in quempiam cadunt, de eisdem vel dignitate, vel indignitate statuat.

37 Si autem Princeps tales viros, qui illis qualitatibus sive omnibus, sive aliquibus ornati non sunt, adipisci non poterit, pro rerum varietate varios singulis qualitatibus præditos assumat, ut ecce juriperitos ad juris quæstiones enucleandas; Oratores, ac politicos ad legationum, aliaque politica munia obeunda; Theologos ad sacra, & religionem spectantia. Neque respicienda sunt in candidato merita, potentia, opes, sive familia, cùm honores præcipuè Consiliario ratione virtutis tribuendi sint.

38 Huc referre placet, quod in suo Consiliario Furius scribit: *Non possum*, inquit, *non meminisse, quod ante aliquot menses, cùm de electione unguentarii Regis Hispaniarum ageretur, rem eo deductam viderim, ut is ex pluribus competitoribus reciperetur, qui meliora pharmaca, & plurima eorum genera conficere posset. Similiter cum anno quinquagesimo primo, pace in Gallliis rupta, mihi colloquium cum Ludovico Borbonio Pontifice de diplomate severitatis esset, ne de canibus venatoriis tractaretur, ipsum dicere memini, se priùs de ipsorum bonitate periculum facturum, & illa deprehensa, se de ipsorum emptione cogitaturum.* Id pingui Minerva, quod ajunt, ad propositum, in quo versamur, traductum sit; quod cùm unguentarii non eligantur, nisi ipsorum peritia probata, nec minùs venatorii canes, quantò magis conveniet justa trutina expendi qualitates eorum, qui Consiliarii sunt eligendi?

39 Tertia regula sit, ne Princeps Consiliarios solum modò eligat ex iis, quos in aula sustentat, & fovet, quacumque eruditione, & experientia præditi sint; sed ex præsulibus, & suarum Provinciarum gubernatoribus, Civitatumque Rectoribus curiosè quærat de prudentia præstantissimis, de spectabili sapientia conspicuis, de multijuga virtute excellentissimis viris. Cæteros hoc modo cognoscet Princeps, & quibus dotibus ornati sint percipiet, quos in aliis, atque aliis negotiis usurpare potest, quorum virtutes laudet Princeps, ad excelentiora stimulos addat, & bona spe impleat.

Quarta regula est, ut magnus Princeps sub suo Imperio multas Provincias habens non ex una tantummodò Provincia Consiliarios suos, sed ex omnibus, & singulis eligat. Si subditos suos in pace, & tranquillitate regere Principi charum est, hanc regulam probè observet, & sequatur necessum est. Cæteræ enim Provinciæ, ex quibus nulli ad consilia vocantur, quasi nullo in numero, sed vili pretio a Principe habitæ, & quasi maxima injuria affectæ, servitutis jugum fastidientes ingenti indignatione stomachantur, Principem odio habent, libertatem quærunt, & cum peregrinis Principibus contra legitimum, & nativum Principem conjurant, & conspirant. Consilium ad totius Regni Provincias regendas destinatum, & designatum est, quapropter ex omnibus Provinciis, & nationibus Principi subjectis istud etiam est constituendum. 40

Quinta regula in electione Consiliariorum observanda est, ut non tantùm ex nobilibus, generosis, ac divitibus, sed etiam ex ignobilibus, plebeis, & pauperibus Consiliarios eligat Princeps. Optima est Respublica, & fœliciissima, in qua Magistratus omnia sua refert ad salutem Reipublicæ, nec aspernatur quemquam qui Reipublicæ prodesse possit. Tyranni est denegare, & claudere quicquam virtuti. 41

Stulti requirunt, è quibus natus sit is, cui dignitas datur: at sapiens quærit, quis sit. Non tàm homines, quàm hominum actiones considerandæ sunt, atque ei plurimum tribuendum, cujus in animo virtus inest. Ubi omnis ordinis, & conditionis homines ad dignitates promoventur, virtutis studium, ac diligentia excitari videmus. Hinc nobili loco nati, quasi laudis, & gloriæ cupidi, gloriam, & laudem, a majoribus partam augere, non imminuere studebunt; ex humili verò, & obscuro loco nati, quod majoribus suis defuerit, acquirere summè curabunt. 42

Neque pauperes a consiliis prorsùs excludendi sunt. Verum est, quod pauperes magis pretiis, & affectibus circumagitentur. Morbum magnum paupertatem, Plutarchus dixit, & Simanca, Animal periculosissimum pellat Regem pauperem. Eò egestas impellit, testante Sacra Scriptura, ut muneribus capiantur, *Quæ sapientum oculos excæcant, verba justorum subvertunt.* Hinc est, quod apud Romanos census in Senatores, ac Magistratus laudatus fuerit, ne splendor ordinis amplissimi rei familiaris angustiis obscuraretur Ante Augustum census Senatorius, teste Sigonio, fuit sestertium octigenta millia, qui auctus posteà fuit. 43

At, licèt quorumdam pauperum exempla afferri possent, qui officio suo malè usi fuissent, nihilominùs tamen pauperes a consiliis prorsus non esse excludendos constituo. Legimus enim quamplurimos pauperes virtute, eruditione, ac prudentia præstantes homines consiliis suis Reipublicæ tàm domi quàm militiæ utilissimos, & salutares fuisse. Siquidem per se paupertas turpis non est nisi sit, monente Plutarcho, indicium socordiæ, intemperantiæ, prodigalitatis. Viro temperanti, laborioso, justo, forti, & qui omnibus virtutibus præditus in publico versatur, paupertas magni animi testimonium præbet, cùm non possit magnas res gerere qui parvas curat. Paupertas mater est industriæ, experiri multa homines docet, immò omnes artes peperit. Neque quicquam absurdius, ac pernicioſius est, quàm dignitatem quæstu, ordinem pretiis metiri: cùm sæpè aut furtis, & rapinis, aut casu quodam fortunæ dentur, & eripiantur, non adjumenta fortunæ, sed ornamenta animi in electione spectanda. 44

Historici testantur, sæpè Reges, nationes, Civitates, potestates, & Respublicas per opulentiam, divitias, & potentiam Imperia miserè amisisse, quæ per virtutem, per vigilantiam, ac prudentiam pauperes fœliciter ceperunt. Has ob rationes Plato, operam esse dandam, monet, ut qui utiliter, ac decenter Magistratu fungi debent, sint divites bonis animi, ac justitiæ, sapientiæ, pietatis auro abundent. Et queritur Plinius, quod census Magistratus, & Equites faciat, cùm sit sanctius, & utilius inquirere, non quale patrimonium habeat Magistratus, sed cujus existimationis sit, & quomodo anteactam vitam transegerit. Exempla quamplurima quoque testantur, non solummodò Consiliarios excelentissimos, sed & Re- 45

ges,

ges, ac Imperatores præſtantes è plebe, & pauperibus eſſe factos.

46 Eligantur itaque Conſiliari ex omni ſubditorum genere, ac ordine viri litteris, virtute, & experientia eximii, ne præjudicium habeat unus ordo præ aliis. Sic Princeps ſubditos faciliùs, & fœliciùs in officio, in amore, & concordia retinebit, quippè tum contemplantur Principem de omnium honore cogitare.

47 Sexta regula eſt, ut Princeps accuſationes, ſive contra candidatum inquiſitiones, necnon de eo encomia, & laudes libenter audiat, nec audiat ſolùm, ſed etiam eaſdem examinet, ac diligenti trutina ponderet, neque prima fronte fidem adhibeat. Tum quia maligni delatores, falſi accuſatores, falſi culpatores: Tum quia falſi laudatores eſſe ſolent. Illi, ut Principem ab eligendo candidatum dehortentur, iſti, ut ad eligendum adhortentur, vel quia iſti ſuum amicum, vel ſuum conſanguineum, ut liberalem, dantem, ac renunciantem obtrudere, & offerre volunt, vel quia illi bonum candidatum, ne amico ſuo, conſanguineo, vel remuneranti locum præoccupet, detrudere conantur, & allaborant.

48 Adde quod & dehortatores, & adhortatores, licèt & ipſi Conſiliarii, ſæpè viri invidi, virique tales ſint, qui ideò candidatum in crimen vocant, quia eum acri, & alacri, vegeto, & fœliciſſimo ingenio, multiplici eruditione, ac peregrinationibus adornatum vident, olim fore putantes, ut a Principe experta aliquando ejus virtute, præ ipſis dehortatoribus efferatur. O angues, viperæ, aſpides, jaculi! ò buffones, draçones, araneæ! O ophiogenes, & pſylli venena tantùm exugere nati, venena tantùm ſpargere apti! Iſtos fugiant Principes, & aula ejiciant, præ ipſorum ſpiculis ſinum regant, & frontem avertant.

49 Princeps igitur attentè, ac benevolè accuſationes, & inquiſitiones contra candidatum audiat. Nam ſi ſint delationes infamiam inferentes, cogitet, & veras, & falſas eſſe poſſe, ſimulque eſſe homines malignos, invidos, ignorantes, ac aliis affectionibus obnoxios, qui candidatum in falſum crimen vocent, nec fallatur authoritate deferentium hanc vocem uſurpans: Id mihi illuſtris, Dux, Reverendus Epiſcopus, doctus Antiſtes, Sanctus Monachus, vel talis retulerit. Nam ſæpè, quod non credis, latet anguis in herba. Quo ſignificatum volo, omnes nos eſſe homines, ac decipi, atque errare poſſe. Quare non ſtatim omnibus fidem adhibendam, ſed id, re exigente, juſtæ inquiſitioni, atque judicio committendum.

50 Si viciſſim inquiſitio Candidato faverit, teſtificans enim tali muneri aptum, ei nec penitus fidem tribuat, nec omninò deroget, ſed id excuſſioni relinquat, atque committat. Pro certo ſtatuat Princeps, ejuſmodi relationes, ſive bonæ, ſive malæ ſint, a ſtudio proprii commodi proficiſci. Quod licèt clarè conſpiciatur, tamen ei prætextus officii haud dubiè obducitur, atque prætenditur. Et revera pillularum auro illitarum inſtar ſunt, quæ amaritudinem, quam in ſe continent, minimè commonſtrant, ſed in interiore ſui parte occultant. Nunquam prudentiæ datum eſt, id credere, quod experientia comprobari poteſt. Quare Princeps in hoc Divum Thomam imitetur, nec plus credat, quàm oculis viderit, & manibus contrectaverit.

51 Septima demum regula a Principe in Conſiliarii electione obſervanda hæc eſt, ut Princeps electum Conſiliarium in Conſilium introducat, in eoque illi ſeſſionem det, ac cæteris Conſiliariis, præcipuiſque miniſtris aulicis dicat, eum virtutis, eruditionis, experientiæ, ac prudentiæ gratia in numerum Conſiliariorum receptum; atque ut pro tali eum cæteri Conſiliarii, ac Miniſtri aulici, totuſque populus habeant, & recognoſcant, Princeps jubeat.

52 Deinde in Conſilium introducto Conſiliario, honorem, dignitatem, commodum, ac ſalutem Reipublicæ commendet. Tandem jurisjurandi religione eum obſtringat. Poſtremò, neglecti officii ſui, & pœnas æternas, & pœnas temporales minetur, fideliter, ac probè obſervati officii certiſſimam a Deo, ſeque remunerationem viciſſim polliceatur. His obſervatis populus de ſua ſalute, ac utilitate ſollicitum Principem videns, eumdem & laudabit, & amabit, eidemque lubens obtemperabit.

CONSULTATIO CCXIII.

An Clerici, Epiſcopi, aliique Prælati poſſint eſſe Principum Sæcularium Conſiliarii? Ubi etiam an aliquando irregularitatem incurrant? Ubi plura ſcitu neceſſaria pro utroque foro. Quid è Inquiſitoribus hæreticæ pravitatis? Deque aliis.

AFfirmativè, etiamſi Prælati ſint. Ita Joannes Andreas, Abbas, paſſimque alii Canoniſtæ *in cap. Clericis, & cap. ſed nec procurationes, ne Cleric., vel Monach. & cap. non eſt de vot.* Ubi Archiepiſcopus Perigonenſis erat Conſiliarius Regis Ungariæ. Adduci etiam poteſt Conſtitutio Friderici Imperatoris, quæ incipit: *Habita in princ. Cod. de fil. pro patr.* ibi: *Epiſcoporum, Abbatum &c.* Ex qua Conſtitutione inquit Baldus, quod Prælati poſſint conſulere Principi Sæculari in condendo legem generalem, licèt, per accidens, ex ea mortis pœna, vel membri mutilationis imponatur, nec irregularitatem incurrunt; aitque Oſtienſis *in cit. cap. Clerici*, quod Prælati exiſtentes in Conſilio Principis, interrogati, poſſint reſpondere de jure generaliter loquendo ſine nota irregularitatis, exempli gratia; falſam moneram Principis cudentes debere igne comburi, per *l. 2. C. de falſ. monet.* Homicidam voluntarium ultimo ſupplicio damnari, *per l. 1. ff. ad leg. Cornel. de Sicar. & Inſtit. de publ. Judic. §. Item lex Cornelia de Sicar.* Quamvis in caſu occurrenti, in quo mors, aut membri abſciſſio imponitur, taliter conſulendo, vel reſpondendo, irregularitatem incurrant, Oſtienſis *loc. cit.* ubi etiam adducit *cap. ſicut dignum de homicid. & can. 1. diſt. 31.* ubi Gloſ. Jo: Andr. Abbas, Doctores *in cap. ex litteris de exceſ. Prælat.* Qua de re mox diſtinctiùs. 1

Hinc neque Inquiſitores hæreticæ pravitatis, neque Prælati Eccleſiaſtici, eorumque Officiales irregularitatem incurrunt, ſi reum velut incorrigibilem ſæculari poteſtati tradant, poſtquam officio ſuo in proprio Tribunali functi fuerint. Nam ipſis mortis ſententiam non pronunciant, neque exequuntur, ſed Sæculari poteſtati id munus relinquunt, ad quod exequendum etiam generatim adhortari poſſunt, abſque periculo irregularitatis, ut docent Medin. *in Sum. lib. 1. c. 11. §. 10.* Henriq. *lib. 14. cap. 12. num. 5. in commen. lit. O.* Avila *de cenſur. p. 7. diſp. 5. ſect. 2. dub. 2.* contra Covar. *in Clem. p. 2. §. 5. num. 6.* & alios. 2

Parique ratione Epiſcopi, ac Prælati, qui temporalem etiam juriſdictionem habent, licèt propria præſentia authoritatem ſententiæ ſanguinis præſtare non debeant, *d. cap. ex litteris*, alioquin irregularitatem incurrant, Gloſſ. *ibi v. corporalem*, & Abb. *num. 2.* nihilominus poſſunt leges pœnales contra malefactores ferre, Judices creare, cauſarum criminalium cognitionem etiam in particulari committere, adjecto mandato in genere, ut juris ordo ſervetur, & ſecundùm leges judicetur, *cap. nulli, ne Cleric. vel Monach. in 6.* ac docet Gloſſ. *in cit. cap. Ex litteris, v. nec judicent*, Abb. *ibidem d. num. 2.* Sylveſt. *v. homicidium 2. quæſt. 7.* S. Antonin. *part. 3. tit. 28. cap. 2. ante §. 2.* Cajet. *2. 2. quæſt. 33. artic. 7.* Covar. *cit. §. 5. num. 8.* Molin. *tract. 3. diſput. 8. num. 2.* Avil. *cit. ſect. 2. dub. 4.* qui ſubdunt contra Henriq. *lib. 14. cap. 12. numer. 6. littera N.* talem commiſſionem fieri poſſe etiam in cauſa particulari, quamvis non poſſint abſque nota irregularitatis definitè jubere, ſive damnare, quod reus iſte mortis, aut mutilationis pœna afficiatur, ſicuti notat Navar. *lib. 5. conſ. 6. de homicid. edit. 2.* poſſint tamen ſine periculo irregularitatis ſententiam a Judice laico latam moderari, exempli gratia, ſi reus propter latam ſententiam morte afficiendus ſit, non rota, vel igne, ſed pœna mitiori afficiatur. Nam hoc modo non ſunt cauſa mortis, vel ſupplicii, ſed potiùs ut pars ſupplicii dematur, qui eſt actus miſericordiæ, non ſeveritatis. 3

Similiter ſi Clericus, vel juriſpetitus, etiam in particulari de aliquo reo interrogatus, an liceat, vel deceat, eum denunciare, vel condemnare, jus generatim explicet, nihil in particulari ſuadendo, vel jubendo, neque irregularitatem incurret, quamvis exinde præviderit, mortis ſupplicium ſequuturum, quia ad id is directè non movet, ſed ſolùm rei veritatem aperit, qua cognita alter ſeipſum ad id, quod juſtum eſt, promovet, Gloſ. *in d. cap. ex litteris v. conſuluit de exceſ. Prælat.* & Molin. *d. tract. 3. diſp. 74.* contra Sylveſtr. *d. v. homicidium 1. quæſt. 8.* Henriq. *loc. cit. cap. 16. num. 4.* Avilam *d. ſect. 2. dub. 6.* & alios, qui ſentiunt, quod ſi in particulari immineat periculum mortis, vel mutilationis, non poſ- 4

sit [Clericus de jure consulens, etiam generalem responsionem dare.

5 Subditque rectè Molina *loc. cit. num.* 8. & admittunt Henriquez, & Avila *ibidem*, Confessarium plus etiam posse, scilicet absolutionem Judici denegare, nisi officio suo satisfacere, ac rerum Reipublicæ noxium, morte damnare proponant. Item rerum, ut in judicio crimen morte dignum fateatur, hortari, cùm juridicè interrogatus ad fatendum obstringitur, Avil. *ib. n.* 17. & Henriq. *c.* 16. *n.* 4. *littera B.* Et quidem suadet ratio. Quia non est credibile Ecclesiam voluisse irregularitatis obicem ponere, quominùs juriſperiti, & Confessarii scientia, & munere suo rectè fungantur.

6 Item qui in persona, vel rebus suis, aut suorum, aut etiam Ecclesiæ suæ injuriam passus est, potest etiam sine irregularitatis periculo reum Judici denunciare, quin & eumdem a se ipso in custodia detentum, tradere, actionem civilem contra eum instituendo, dummodò expressè protestetur se sanguinis vindictam non postulare, quamvis interim ex qualitate criminis prævideat fore, ut Judex ex officio reo mortis supplicium infligat, Covar. *in Clem. par.* 2. §. 5. Cajetan. 2. 2. *quæst.* 33. *art.* 7. Sot. *de just. & jur. lib.* 5. *quæst.* 5. *art.* 1. *in fin.* Molin. *dict. tract.* 3. *disput.* 8. *n.* 3. Navar. *in man. cap.* 27. *n.* 213. Suar. *de censur. tom.* 5. *disp.* 47. *sect.* 7. & Avil. *eodem tit. par.* 7. *disp.* 5. *dub.* 9. ac sumitur ex *cap.* 2. *de homic. in* 6. ubi etiam redditur ratio his verbis: *Si Prælati, vel Clerici propter metum hujusmodi, quia Judex ad pœnam sanguinis posset procedere, de suis malefactoribus taliter conqueri non auderent, daretur plerisque materia trucidandi eosdem, & eorum bona libere deprædandi.* Ex quo etiam sequitur, quod Ecclesiasticus sicuti potest absque nota irregularitatis reum Judici cum tali protestatione denunciare, sic etiam possit ad talem finem eum capere, detinere, & tradere. Quia cui est permissus finis, permissa sunt etiam media ad illum necessaria, Covar. *cit.* §. 5. *n.* 3. & Molina *dict. tract.* 3. *disp.* 74. *num.* 11.

7 Dixi autem primò, *in persona, vel rebus suis*, vel suorum, scilicet domesticorum, vel ita conjunctorum, ut injuria per consequentiam in ipsum conquerentem redundare censeatur, Doctores, ac præcipuè Molin. *ib. disp.* 45. *n.* 11. Quapropter si quis in foro sæculari denunciet, vel accuset de injuria, vel damno alieno, quamvis protestetur se criminalem vindictam non intendere, irregularitatem incurret, si mortis, vel mutilationis supplicium, crimine sic exigente, judex reo inflixerit, Navarr. *ibid. num.* 217. §. 12. Covarr. *eod loco num.* 4. Molina *cit. n.* 8. Suar. *ubi sup. n.* 11. Avila *dict. disp.* 5. *dub.* 11. *concl.* 2. aliique communiter. Ratio sumitur ex dictis. Quia scilicet Canones speciatim volunt succurrere iis, qui injuriam ad se attinentem judicio prosequuntur, ut ipsis tantùm nihil obsit, si tali occasione Judici præbeant occasionem mortis, vel mutilationis sententiam inferendi, qualem indulgentiam non concedunt iis, qui prosequuntur in causa aliena etiam cum protestatione.

8 Hinc sequitur, quod advocatum, & testes in causa criminali nil adjuvet protestatio, si ex ipsorum allegationibus judex ad pœnam sanguinis inferendam procedat, Covar. *cit.* §. 5. *n.* 5. Molin. *dict. disp.* 74. *n.* 10. Suar. *de censur. disput.* 47. *sect.* 3. *in fin.* Henriq. *dict. lib.* 14. *c.* 12. *n.* 9. & Clar. *lib.* 5. *sentent.* §. *ult. quæst.* 24. *n.* 8. Quoniam advocatus, & testes non propriam, sed alienam causam prosequuntur. Quæ etiam ratio est, cur Clerici regulariter non possint compelli ad testimonium ferendum in causa criminali, Abb. *in cap. sententiam n.* 13. *ne Cler. vel Monach.* Sot. *de just. & jur. lib.* 5. *q.* 7. *art.* 1. *in fin.* Avila *loc. allegat. dub.* 13. Mascad. *de probat. vol.* 3. *conclus.* 1357. *n.* 61. passimque alii. Quod idem per Canones prohibitum sit, argum. *cit. c. sententiam, & can. his a quibus* 23. *qu.* 8.

9 Dixi secundò, *qui injuriam passus est*. Quia si agatur de injuria inferenda vel de crimine pernicioso, pendente in futurum, quod alia ratione, quàm per judicialem processum impediri non possit, tunc non solùm ad cavendum, vel avertendum malum proprium, sed etiam alienum Reipublicæ, vel privatæ alicujus personæ innocentis, reum accusare, vel de crimine testari quilibet poterit absque nota irregularitatis. Quia Canones nunquam istam infligunt propter officium debitum ex lege naturali, vel divina, charitatis, vel alterius virtutis, qualis est actus accusandi reum, si sic necesse sit ad defendendum, vel liberandum Rempublicam, vel innocentem privatam aliquam personam ab impendenti aliquo gravi periculo, Cajet. *cit. quæst.* 7. Suarez *cit. disp.* 47. *sect.* 2. *n.* 11. Sot. *de secr. membr.* 2. *quæst.* 4. *concl.* 2. *in fin.* & Henriq. *ibid. cap.* 12. *n.* 8.

Quare in tali casu neque protestatio necessaria erit. Siquidem opus suapte natura ab irregularitate liberum est, Molin. *tom.* 1. *tract.* 2. *disput.* 109. & *d. tract.* 3. *disp.* 8. *num.* 9. Avil. *loc. cit. dub.* 11. *concl.* 3. & Sà *v. irregularitas ex def. licit. num.* 4. ubi pari ratione subdit, irregularem non esse, qui infantem ob necessitatem aqua frigida baptizat, etsi idcircò infans citiùs moriatur. Item neque irregularem esse, qui causa liberandi bona proximi è manibus furis, clamat, & si propterea fur capiatur, & a Judice pœna mortis puniatur. Item neque irregularem esse, qui contra proximi injustum aggressorem clamorem tollit, & si hac occasione mors aggressoris sequatur. Quia talis defensio est de jure naturæ, quæ a lege positiva impediri non debet. 10

At quid dicendum, si quis clamorem tollat ita- 11
ut prævideat fore, quod fur, vel raptor bonorum capiatur, & occidatur?

Distinguo. Vel id facit ad conservandum, vel re- 12
cuperandum res proprias, vel alienas. Si primum, iterum distinguo. Aut fur deprehenditur, & postea Judici traditur, & occiditur, & tunc non contrahitur irregularitas. Nam ipsemet injuriam patiens in tali casu posset furem capere, ac Judici tradere, præmissa protestatione. Vel fur occiditur a circumstantibus, & tunc etiam satis probabiliter nec contrahitur irregularitas. Quod est contra Jnnocentium, & Abbatem *in cap. Significasti* 2. *de homicid.* Navarrum *d. cap.* 27. *num.* 236. Sylvestrum *v. homicidium* 3. *quæst.* 7. & Suarez *loc. cit. disp.* 47. *sect.* 2. *n.* 21. Quia non contrahitur tanquam ex homicidio casuali culpabili, cùm homo ille clamando, & homines advocando ad res suas salvandas, nihil peccarit. Neque incurritur, tanquam ex homicidio inculpato quidem, sed commisso cum defectu lenitatis. Quia non se habet tanquam persona publica in judicio, ut per se patet Covar. *p.* 2. *Clement.* §. 5. *num.* 3. & Avil. *d. p.* 7. *disp.* 5. *sect.* 2. *dub.* 15.

Si secundum, hoc est, si id faciat ad conservandum, 13
vel recuperandum res alienas, etiam ex satis probabili Doctorum sententia, neque incurritur irregularitas, etsi contingat postea, furem a Judice, vel a circumstantibus occidi. Quia talis homo opus charitatis exercuit, atque adeo non debet idcirco irregularitatem contrahere. Tum quia non ea intentione, ut fur occideretur, clamavit, ac proindè ad id moraliter cooperatus non censetur, cùm solùm impedire voluerit proximi damnum.

Dixi tertiò, *actionem civilem contra eum instituendo*, 14
ad compensationem scilicet illati damni, vel ad pœnam pecuniariam ipsi applicandam. Nam actionem criminalem de delicto, quod morte, vel mutilatione dignum est, Clericum sine peccato, & irregularitatis periculo, quamvis protestetur citra mortis, vel mutilationis pœnam, instituere non posse, consentirem, Doctores apud Suarez, *loc. cit. num.* 10. & Avilia *ibidem numer.* 10. Quia cùm Judex ab actore postulatus soleat, ac debeat judicare secundùm leges, consequens est, quod protestatio illa actoris accusantis de crimine, quod mortem, vel mutilationem meretur, facto contraria sit, ac inutilis.

Aliter verò dicendum, si crimen nec mortem, nec 15
mutilationem mereretur. In hoc namque casu potest accusare, etiam non præmissa protestatione, sicuti rectè ait Molin. *d. tract.* 3. *disp.* 8. *n.* 5. Siquidem si in dicto casu Judex propria sævitia, vel ignorantia, vel accidentaria causa mortem, vel mutilationem infert, id accusatori imputari non potest, Molin. *loc. cit.* Covar. *d.* §. 5. *num.* 3. Navar. *ibidem num.* 214. Henriq. *cap.* 11. *n.* 8. & Avil. *dub.* 9. §. *Secundò notandum*, argum. *d. cap. Significasti de homicid.* cum Glos. *in cap.* 2. *eodem tit. in* 6.

Dixi denique, *dummodo expressè protestetur*. Quia 16
sic habetur in *d. cap.* 2. *de homicid. in* 6. Quoniam qui de crimine, quod morte, vel mutilatione dignum esse cognovit, etiam civiliter denunciat, vel accusat, censetur talis mortis, vel mutilationis causa existere per indirectam voluntatem, cùm ad eam decernendam Judex ex officio, plerumque ratione denunciationis, vel accusationis moveri soleat. Quæ tamen indirecta voluntas secundùm Canonum Constitutionem retractari censetur per protestationem illam, eo saltem casu, quo quis suam, vel suorum injuriam prosequitur.

Atque ex his colligitur, quod licèt protestatio fi- 17
cta sit, & accusator animo intendat, ut malefactor per Judicis officium morte puniatur, nihilominus irregularitas evitetur. Contra verò irregularitas contraha-

trahatur, si quis protestationem intermittat, licèt interiori animo cupiat mortem, vel mutilationem non inferri accusato. Nam accusans de crimine, quod scit esse dignum morte, vel mutilatione, & Judicem ob id ex officio talem pœnam inflixurum, irregularitatem contrahit, sive talis pœnæ sententiam directè intendat, sive non, præterquam si Canones excipiant. Canones autem tantùm excipiunt casum, si quis suam, vel suorum injuriam civili accusatione prosequitur, præmissa protestatione externa, quod pœnam sanguinis non intendat. Vide Covarruviam *cit. §. 5. num. 2.* Henriquez *cap. 11. in fine*, & Avilan. *duo. 9.* Quamvis dissentiant quoad primam partem, Sylvester *d. v. homicidium 2. quæst. 8.* & Novarius *loc. cit. num. 226.*

CONSULTATIO CCXVI.

Quot Consiliis magno Principi opus sit? Et quænam illa? De Concilio juridico. Quid ei incumbat? Et quod ad illud pertineat? De Consilio Religioso, ac censorio. Ad id quæ pertineant? De Consilio quod ærario & annonæ præfici debet. Quam curam habere debeat? Ejus officium, utilitas, necessitas. De Concilio militari, ejusque munere. De Consilio sanctiori, secretiori, ac superiori. Hujus officia, & utilitates. Hæc Princeps quomodò adire, ac frequentare debeat?

1 JUridicum Consilium quod attinet, incumbit ei justitiam distributivam, & commutativam secundum leges protegere, necnon considerare, ac providere, ut inviolabiliter istæ leges observentur, ac debitæ exequutioni demandetur, curare insuper, ut sontes puniantur, insontes protegantur. Ad hoc Consilium pertinent omnes quærelæ, omnes lites, & appellationes causarum tàm criminalium, quàm civilium, quæ ad Principem vel prima, vel secunda instantia devolvuntur. In hoc Consilio sedeat justitia, sedeant Judices sine personarum respectu, sine avaritia, sine amore, ac odio, sine omni affectu. Tanquam Dei vicem administrantes, sint timentes, sint prudentes, & circumspecti. Habeant illi justi, ac injusti scientiam. Illis constans, & perpetua voluntas sit, jus suum cuique tribuendi. In Tribunalis vestibulo aureis litteris inscriptum sit, quod Vvesembecius scribit: *Ut artis medicæ finis est, conservare, ac restituere sanitatem, medium, seu officium præservare a morbis, & curare apposite ad sanandum; sic Jurisprudentiæ finis est conservare in vita civili justitiam, quæ est quasi sanitas politiarum.* Et Cicero, *Sit*, ait, *in jure civili finis hic legitimè, atque usitatè in rebus, causisque civium æqualitatis conservatio.*

2 Porrò medium, quo id obtineri potest, & est jus nosse, & quid, quaque in re justum, injustum, æquale, inæquale sit, ratione, ac studio exquirere, idemque exquisitum, atque cognitum scienter reddere, & in usum fori publicum educere, ac omnibus rerum humanarum actionibus cum publicis, tum privatis, rectè, atque æquabiliter accommodare.

3 Ad Consilium religiosum pertinent omnes lites de rebus divinis, sacris, & religiosis. Item omnes querelæ matrimoniales, omnes querelæ Ecclesiasticæ, & Scholasticæ, sint illæ de personis, sint illæ de bonis Ecclesiasticis. Huc quoque refero causas nosocomiorum, pauperum ægrotantium, ac pauperum senum amplius non valentium.

4 Scio nonnullos politicos in Consiliorum divisione meminisse Consilii censorii, atque ex eo singulare Consilium constituere velle, quod in specie Consilium censorium vocant. Ego verò istud Consilium Consilio consistoriali adnecto, atque sic ex duobus hisce Consiliis unum reddo.

5 Consistorialium igitur erit diligenter de vita, & moribus totius populi, & cujuslibet inquirere. Propterea certis, & constitutis annis Princeps ex suis Consiliariis eligat hoc Consilium, quos visitatum mittat in omnes Regni Civitates, oppida, & pagos, qui vitia notent, qui inquirant, an pura, & vera Christiana Religio ubique floreat, an hæreses pullulent? Numquid aliquibus in locis impietas musitet? An bono exemplo populorum divini verbi Concionatores, ac Doctores, Civitatumque Rectores probe prædicent, & populus eos alacriter sequatur? An sufficientia stipendia, Prædicatores, & in scholis docentes habeant? An matrimonia pro arctissimis societatis humanæ vinculis, & fontibus bonorum Civium sanctissimis habeantur? Numquid templa, scholæ, nosocomia structura sua conserventur? Atque in id genus alia diligenti oculo inspiciant, & inquirant.

Otium malorum omnium segetem ex populo tollant. 6
Otiosos, ac ebrios puniant. Hoc remedio Cives ad virtutis studia excitabunt. Ludos, quibus pecuniæ miserè perduntur, aut quibus pecuniæ injustè acquirunrur, è Republica tollant. Conviviis & pompæ modum præscribant. In pauperum Curatoribus oculum intendant. Curent insuper, ut pauperrimæ virgines, ac puellæ dotentur, viro socientur, ac maritentur, ne inopia adactæ pudorem prostituant. Sacrilegos, & blasphemos puniant. Omnem impietatem adeant, & oppugnent. Errantes ad meliorem mentem revocent, sive jubeant, & curent, ut linguam contineant, venenumque illud pestiferum, quo universum populum perdere parant, in corde retineant, turbatores puniant, immò Regno expellant; illis sint Doctores, & ductores, istis terrores, & expulsores. Si namque omnis ac singuli Consiliarii viri cultissimis, puriissimisque moribus perlucidè florere, hujus profectò religiosi Consilii Consiliarii elegantiorum splendore morum præcipuè clarescere debent. Hoc Consilium, sive hic Magistratus est Reipublicæ perneccessarius, qui moribus præsit. In veteribus quidem, & Græcorum, & aliarum nationum Rebuspublicis, nonnulli Magistratus puerorum, alii mulierum, quidam populi moribus præfecti erant, atque ex re ipsa nomina habebant, ut alii pedonomi, alii ginæconomi, quidam monophylaces, centorelve dicerentur, qui non solùm scripta legum, sed mores etiam hominum observabant, & ad honestatem revocabant.

Hos Magistratus, homines a Christo alieni suis Re- 7
buspublicis necessarios putabant, quorum metu non licebat adolescenti otioso esse, neque in ganeis desidere, nec quibusvis lusionibus operam dare. Non licebat mulieri nec ornatu, nec rebus gerendis septa transilire. Cogebatur Senator, Eques, & cuncta plebs in officio esse. Nos in Christianis Rebuspublicis his Magistratibus caremus. Itaque & vetus illa disciplina, & morum severitas magna ex parte interjit. Quod si quis est, qui hunc Magistratum putet parum necessarium esse, is mihi velim in mores multorum corruptissimos oculos intendat. Est in Senatu, qui justitia neglecta sententiam dicat, vel sui, vel alicujus alius commodi causa. Si ab eo rationem petas sententiæ dictæ, respondet, sibi vel sui, vel suorum rationem habendam esse. Hic an non dignus est, ut Senatu moveatur, qui potiorem ducat utilitatem suam, quàm justitiam? Est qui a majoribus habet amplas possessiones, hic populis suis nullo pudore superbissimè imperat, & quæcumque libent licentiosissimè perpetrat. Neque enim subdito resistere domino, neque in jus eum vocare licet. An verò sic exercens in subditos imperium, non est dignus nota censoria?

Sunt inter Præsides Civitatum, municipiorum, ar- 8
ciumque tàm regiarum, quàm aliorum Principum homines, qui undique captent occasiones populi deglubendi; immò inter ipsos beneficiarios reperiuntur, qui servitiorum, ut ipsi dicitant, causa beneficiis perpetuis aucti, & hominibus, & pecudibus, & agris, & pratis abutantur, de quibus nec Rex unquam audit, nec populus queri audet. An verò istis impune erit, talia perpetrasse? Sunt item multi, qui suis rebus turpiter abutantur, qui dies, noctesque perpotent, qui res, & patrimonia lauta dissipent, qui tamen moribus nostris in jus minimè vocantur. Quod si est è Republica, ut quisque rebus suis benè utatur, ut si usus fuerit, possit opitulari Reipublicæ, certè decoctores digni sunt censorum animadversione. Est non nemo, qui præter opinionem nobilitatis, unde commendari possit, nihil habet, homo sine re, sine nomine, cui nihil feritur, nihil metitur, nihil penditur. Hic Ministros non paucos unà cum equis alit, ejus domuncula nihil habet præter lanceas, galeas, ferrum, arma, quibus terrori est vicinis omnibus, minatur vulnera, denunciat cædes, quibus vult. Huic nemo vicinorum resistere potest, nam agris addictis arma tractare non vacat. Nemo illi apud Judicem diem dicere, nemo ejus nomen ad Præsidem deferre audet, nisi qui se cædi expositum vellet. Veniunt ad eum supplices multi, veniam ab eo deprecantur erratorum, quæ nunquam admiserunt, sed ille confinxit. Ipse verò in dies fit insolentior. Tale monstrum non subjacebit censuræ?

Memorantur illa a Scriptoribus rerum Romanarum 9
exempla censuræ severissimè actæ. Cornel. Russinus duobus Consulatibus & Dictatura specioſissimè functus, quod decem pondo vasa argenta comparasset, perinde

ac ma-

ac malo exemplo luxuriosus, numero Senatorum exemptus est. Duronius, quod legem de coercendis conviviorum sumptibus latam abrogaverat, etiam Senatu motus est. Livius Salinator Cl. Neronem collegam censoria animadversione persequutus est, quod non sincera fide secum in gratiam redjisse.

10 Constituendi autem Censores, qui de moribus omnium statis temporibus inquirerent, quam quisque exerceat artem, & unde victum sibi paret, viderent; otiosos nulli honestæ rei studentes, virtuti infestos, vel ipsi punirent, vel ad Regem, Judicesve ordinarios deferrent. Id, quod inter homines Ecclesiasticos maximè observari debet, quorum Archidiaconi moribus Presbyterorum præfecti sunt. De ædilibus hic nil dicam, quippè cum cura illa & publicarum, & privatarum rerum, nunc temporis ubique penes Magistratus sit, qui muneribus aliis destinati sunt. Romæ olim erant Magistratus singulares.

11 Tertium Consilium ærario, & annonæ præfici debet. Sit constitutum hoc Consilium ad Principis tàm extraordinarios quàm ordinarios recipiendum, colligendum, conservandum, & amplificandum redditus. Hoc Consilium considerationem, & curam habeat, qua ratione pecuniæ extraordinariæ conficiendæ, unde hauriendæ, qua opportunitate petendæ, quaque via, & tempore nova tributa, & vectigalia sint imponenda, augenda, & multiplicanda; intolerabilia, damnosa, & supervacua removenda esse, Principi quoque dicat. De impensis, quas Princeps, vel belli, vel pacis tempore facit, etiamnum cogitet, earumque curam habeat. Et licèt sciam quosdam politicos singulare quoddam Consilium frumentarium constitui velle, quod annonæ præponi volunt; ego tamen velim, ut illud Consilium, quod Principis ærario præfectum, & annonæ quoque præficiatur.

12 Quapropter hujus tertii Consilii officium insuper erit pacis ac belli tempore de annona Regno prospicere. Perspectum igitur, & cognitum ei sit, quantum commeatus habeat Provincia, quantum superfit, quantum desit, quantum mari, quantum terra advehatur. Unde, qua via, quomodo, & quo tempore apportetur. Hæc, & id genus alia in tabula descripta habeat. Ejusmodi constituto Consilio hoc commodi Regnum habet, ut tàm belli, quàm pacis tempore annonæ sat, & milites, ac cæteri subditi habeant.

13 Habeat quoque hoc Consilium rerum venalium, ac nummorum curam. Sine hoc Consilio multæ Respublicæ, teste veteri memoria, sunt perditæ. Talis Consilii inopia, sæpè, atque in primis belli tempore, intestina bella in Rebuspublicis excitata esse legimus, & observavimus. Ubi homines fame vexati, & mortui, exercitus annonæ penuria, intolerabilique fame coacti, aut militiam deserere, aut pacem, sive inducias, sive conspirationes cum inimicis inire, aut contra ipsorum Principem armis uti, ejusque oppida diripere, & cum aliis Principibus, & Rebuspublicis fœdus paciscì solent. Hinc Princeps & authoritate apud exteros, & benevolentia apud suos excidit. Hinc tota Respublica titubat. Hinc periclitatur, mutatur, diminuitur. Hinc labescit, perit, interit.

14 At referamus de hac re Fritici Regni Poloniæ politici mentem, qui quod monui, pluribus docebit. Nemo est opinor, ait, qui dubitet, magistratum perneccessarium esse, qui in foro, hoc est in rebus contrahendis sit occupatus, qui omnia, & dominata, factaque, & aliunde advecta cognoscat, pretiumque eis pro tempore imponat. Videat etiam, num conducat Reipublicæ, ut frumentum, & liquores ad mensuram vendantur; ita carnes, caseos, & id genus alia ad pensum vendi. In primis autem res omnes, & quæ importentur, & quæ exportentur, observet. Earum bonitatem exploret, modum, & pretium constituat. Sæpè vidimus tantum frugum numerum a nobis asportatum, ut maximam ubertatem difficultas annonæ domi sit subsequuta. Neque verò annonæ tantùm, sed & carnium, ac rerum aliarum. Ferè enim fit, ut frugum caritas efficiat caritatem rerum aliarum.

15 Ergo Magistratus ad id destinatus, proventu frugum considerato, & quanto Respublica frumento, tàm pro se, quàm pro advenis, egeat animadverso, modum exportationi constituat, ne nostri agri aliis sint fertiles, nobis verò steriles. Statuant & domi pretia, ne qui abundant, pluris vendendo, quàm æquum sit, & pauperum facultates exhauriant, & rerum aliarum pretia augeant. Difficile est enim, ut dixi, cavere, quin cum pretio frugum pretium rerum aliarum crescat. Laudandus est mos ille quarumdam Rerumpublicarum, in quibus frugum maxima vis, quo quidem anni tempore quàm minimo prostent; a Magistratu coemitur, ac in publica promptuaria reconditur, ut seu periculum sit ab hoste, seu res spectet ad annonæ difficultatem, prospectum fiat vitæ hominum. Servant enim multi negotiatorum fruges in longum tempus, ut pluris vendant temporibus suis. Sed huic rei occurri potest prudentia Magistratus, si fruges quàm minimo emptas, tunc ex promptuariis efferri jubeat, & aliquanto pluris quàm sint emptæ, vendat. Nam & omne lucrum cedet Reipublicæ, & negotiatores frumentarii cogentur minoris vendere in copia rerum, quàm venderent in inopia. Itaque & de hoc constituendum, & illæ exportationes nimiæ moderandæ, quibus tanquam cibus ex ore tenuibus hominibus eripitur, aut certè caritas magna efficitur.

Intoleranda est illa pistorum, coctorumque perversitas, qui eodem pretio panes in annonæ facilitate vendunt, quo in magna caritate. Intolerabilior eorum, qui advenæ pluris vendunt, quàm Civi: *Advenam*, inquit Deus ad Israelitas, *non contristabis, neque affliges. Fuistis enim & vos advenæ in terra Ægypti*. Sed illa maximè omnium intolerabilis, quod per dies comitiales, ac in iis locis, in quibus Rex, Princeps cum Senatu, ac populi frequentia versatur, multò cariùs omnia veneant, quàm aliis in aliis. Cùm enim Conventus hujusmodi Reipublicæ causa agitari consueverint, certè vix ferendum est, ut tum vel mercatores majores faciant quæstus, vel illi plus pro rebus necessariis numerent, atque consulant pro Republica. Quod de frugibus dictum est, idem de omnibus aliis rebus intelligatur. 16

Multi exportatione earum, & ditescunt ipsi, & ubertatem, copiamque ad externos populos transferunt. Intereà apud nos fœnus in vulgus ob penuriam, & rerum caritatem. 17

Caupones magna licentia utuntur vinis & adulterandis, & magno æstimandis. Itaque Magistratus rationibus sumptuum, qui ab eis fiant, animadversis, ac etiam lucro, quod æquum sit, permisso, & pretia constituat, & in adulterantes animadvertat. In venditionibus, & emptionibus quarumlibet rerum, si quid vitii de industria ab altero contrahentium commissum sit, ne impune fiat. Plato quidem in legibus jubet, ut tàm venditor, quàm emptor decem dies post res hinc inde commutatas in urbe maneat, ut si quod vitium deprehendatur vel in re vendita, vel in nummis, præstet damnum ille, qui dedit. Reticentias etiam omnes, quæ ab alterutro contrahentium de industria nocendi causa fiant, puniendas censet. 18

De his igitur, ac rebus aliis contrahendis Magistratus est providere, rerum aliunde advectarum bonitatem cognoscere, pretia constituere, opificum omnium operas æstimare, monopolia etiam gravibus pœnis interdicere, quibus enormia pretia rebus imponantur, pauci quidam plus nimium ditentur, multique ad inopiam redigantur. Versatur autem vel ob hoc in magna turpitudine monopolarum nundinatio, qui merces emant, ut eas lucri causa vendant, easdem prorsus, & nihilo meliores factas. Isti vel venditorem defraudant, siquidem minoris quàm æquum sit, ab illo emant, vel emptorem, si pluris illi vendant, vel utrumque. Quod si nihil horum accidat, tamen animus ille mercem emendi non usus, sed lucri causa, crimine vacuus esse non potest. Ex avaritia enim existit, quæ multorum flagitiorum est mater. 19

Laborant hoc vitio, cum plerique alii, tum propolæ decimarum, & ii quidem maximè, qui mercatorum nomen, & rationes supra modum detestantur, qui sola lucri aviditate adducti, messis tempore decimas coemunt, quas nec meliores factas, nec in alia loca, ubi annonæ penuria esset, translatas, sed iisdem in locis, ubi emerunt, plerumque deteriores, aut certè accisas, divendunt, magnumque inde quæstum faciunt. Quid igitur aliud mercatorem agere est, si hoc non est? Non rarò accidit, ut decima eadem quaternas, aut quinas manus ementium, & vendentium percurrat, priùs quàm ad manus perveniat eorum, qui sunt usuri. Qua in re illud est indignissimum, quod qui non laborant, illi prætextu dominii in res colonorum suorum, sudores eorum redimunt, quas vel illis ipsis, nonnunquam invitis, mox pluris vendant, vel cui velint. Coloni verò, qui diei onus, ac æstum pertulerunt de harpyarum illarum manibus omnia expectare coguntur. Quid igitur mirum, si & ipsi Coloni malignè vivant, & grandia rerum omnium pretia crescant? 20

Tales mercatores illi sunt, quos Divus Chrysostomus de templo Dei censet ejiciendos, quos leges Imperiales a militia arcent, quos bonis spoliari, & 21

exilio

exilio perpetuo damnari jubent. Atque idem Chrysostomus non eos mercatores damnat, qui merces aliunde inferant, vitæ humanæ, ac Reipublicæ necessarias, nec eorum negotiationem improbat, qui rem mant, quam labore, & industria sua meliorem factam vendant; sed eorum, qui rem comparent quam carius vendant, nullo labore, nihiloque meliorem. Ego quidem istos prædones potius, quàm mercatores. prædamque, quam faciunt, veriùs quàm mercaturam appellaverim. Hi enim sunt, qui & vendentes, & omentes malis afficiunt, qui pauperes impediunt, quominus res vitæ necessarias justo pretio emant, qui caritatem annonæ, aliarumque rerum inferunt, digni, qui ex Republica exterminentur, per quos Respublica tot damnis affligitur. Sint igitur mercatores, qui merces importent, non ad luxum, & pompam excogitatas, sed honestis, sobriis, salutaribus Reipublicæ usibus necessarias, quarum justum pretium constitui ex Republica fuerit.

22 In re autem monetaria considerandæ videntur & materia, & pondus, & forma publica. Priora dico vulgò non satis agnoscuntur, ac ne observantur quidem in nummis parvis. Tertium conspectu facilè noscitur. Verùm quia nonnulli externi populi figuram nummorum unius Regni imitari possunt, atque hac ratione suos ad illud invehant, videndum est, num sit e Republica formam suæ monetæ mutari, aliter enim externa vix exigi potest. Qui falsam, & adulterinam olim cudebant, ad bestias condemnabantur, si liberi erant, si servi, ultimo supplicio afficiebantur; qua de re nos fusè in tomo nono. Rationem etiam invenire, ne pecunia extra fines exportetur, perutile fuerit; quod vix aliter fieri posset, quàm si pluris quàmæquum sit æstimaretur; quod tamen nescio, an conduceret Reipublicæ.

23 Quartum Consilium vocavi militare. In hoc sedeant præcipuè experti, ac veterani milites, præcipuè dico: nec puto nemini quicquam consulere licere, cujus ipse periculum non fecerit. Sunt quidam; licèt militiæ nunquam interfuerint, qui tamen consilium bellicum, nempe de belli susceptione, ac ejus præparatione dare possunt, non secus, ac medicus puerperam juvare consilio, licèt ipse non peperit.

24 Veteranus miles de modo belligerandi, de prælio dando, hoste fallendo, de expugnandis propugnaculis rectius indicabit, quàm is, qui tantùm literis est imbutus. Ipsæ quoque obstetrices in pariendo exercitatæ, meliùs de partus actu, ejusque periculis differere, ac judicare poterunt, quàm doctissimus, & sapientissimus Hippocrates, aut Galenus. Nihilominus tamen literis scientia, politica, & historia bene instructus ac doctus de re bellica dicere, & consulere poterit, quippe ex historiis cruentorum bellorum pleniss imis multa salutaria monita eruet, & in medium promet.

25 Hujus porrò Consilii officium est, curare, ut Civitates sint munitæ, Regni margines, limites, fines a periculis tuti. Dein & stipendiarii salaria certo tempore accipiant, nec non ut armamentaria armis, totumque Regnum instrumentis bellicis, cæterisque rebus, quibus in bello indigeat, tempore pacis jam provisum sit. Hoc Consilium Principis sui potentiam scrutetur, necnon sciat vires vicinorum Principum, ac Rerumplicarum confœderatarum, cæterarumque omnium, quæ vel amicæ, vel inimicæ sunt, aut tales fieri possunt. Diligenter etiam conferat nervos, virtutesque & sui Principis, & ejus hostis. Inquirat in loca, per quæ suus Princeps inimici regimines aggredi, & in ea, per quæ inimicus exercitus suos ducere, necnon ea, quæ facilè inimicus in Principis sui Provincia petere potest. Calleat artem belligerandi, ex historiis memoriam habeat præteritorum sæculorum, bellorum, & pugnarum. In primis ediscat, memoriæque suæ fideliter infigat omnia bella sui Principis, & majorum ejus, quas demum ob causas illa mota, quomodo gesta, quomodo administrata, quomodo finita, & quibus demum conditionibus composita, probè animo ponderet. Statuta, & leges condat, quomodo juventus pacis tempore exerceatur, ut bello se defendere, ac injuria nocere sciat? Veterum igitur Exercitationes consideret, easque cum hodiernis conferat. Intelligat quando pax bello, & quando bellum paci sint præferenda. Non ignoret quomodo Regnum defendendum, & quomodo inimico obviam eundum.

26 In hujus Consilii Consiliariorum animo firmiter infixum sit, quod a prudentibus, & sapientibus dicitur, ac docetur: Injustissimam pacem sæpè justissimo bello esse meliorem. Necnon illud, quod scilicet Philosophi felicem dicant Rempublicam tempore pacis de bello cogitantem. Probè considerent, quod Aurelius Victor scribit: *Qui victorias petunt armis, aut his cupiunt dilatare, similes sunt iis, qui hamo aureo piscantur, cujus abrupti, & amissi detrimentum nullo capturæ lucro pensari potest.*

Adjice, quod bellum facilè, ut ille loquitur, susci- 27
piatur, at non ita deponatur. Non in ejusdem potestate esse finem, in cujus est initium. Incipere cuivis etiam ignavo licere; deponere verò, cùm victores volunt, oculis experimur. Sylvam siquis accendit, non amplius ad ipsius arbitrium incendium ferri, sed ventis regi, obvia quæque pervadere, & consumere videmus. Ita quoque bellum audacia excitatum, non amplius authorum manu, sed volubili, ac volucri fortuna regitur. Atque hæc ipsa fortuna tam anceps, tàm lubrica, & dubia est, ut levissimus sæpè casus ex victo victorem, ex victore victum reddat.

Sciat igitur hoc Consilium, profundèque consideret, 28
an, & quando sit belligerandum. Non inexploratas habeat justi belli justas causas. Promptam habeat rationem, per quos bellum gerendum, qui duces, qui milites legendi sint. Persuasum, ac perspectum ipsi sit utrum pugnæ interesse Principem oporteat? Item quo loco bellum gerendum, & an illud offensivum, an defensivum. Teneat tanquam nomen sunm, suosque digitos, omnia, & singula ea, quæ ad bellum gerendum requiruntur. An, quando, cum quibus, & quomodo fœdera sint facienda? Non ignoret, necnon omnia, & singula ea, ad fœdus requirentia. Compertum ei sit, an, & quibus stratagematis in bello ad decipiendos hostes utendum? Utrum proditionibus uti in bellis liceat? An insidiis? An verò marte aperto solummodò agendum? Utrùm, cur, & quando cum hoste protrahenda pugna?

Breviter hoc Consilium scire debet, quod ante bel- 29
lum sapienter deliberandum, & parandum, quod in bello prudenter, ac fortiter agendum, quomodo in victoria, quomodo in clade accepta, quomodo finito bello sese Princeps gerere debeat? Hujus Consilii Principi tàm necessarius, tamque amplissimus usus est, ut in omni Regno, in quo tale Consilium non est constitutum, Principes suis in negotiis bellicis ubique titubet, atque erret, necnon omnia ad fortunæ arbitrium rejiciat. Illic sine hoc Consilio, victoria obtenta tumidè elatus, tyrannicè, & stultè abutitur; clade acepta animum fragili, ac muliebri impatientia, lamentis, & lacrymis abjectissimum, ac perditum prodit, atque ad turpissimas inducias, iniquissimamque, & ignominiosam pacem descendit, ac miserè victori servit. Sine hoc Consilio militari infesta, infausta, & periculosa in Regno omnia.

Quintum Consilium nuncupavi Consilium sanctius, 30
secretius, ac superius. Hoc cæterorum omnium caput, & superintendens oculus sit. Animadvertat hoc Consilium in Principis Vicarios, seu Vice-principes, in Præsides, Castrorum Præfectos, Centuriones, Consiliarios, Judices, & alios Ministros Principis tàm togatos, quàm sagatos, an officium faciant, necne? An sint vel exauthorandi, vel retinendi? Quales eligendi, & quales repudiandi sint? Denique ne vel in stipendiis, vel commeatu quid falsi committatur, videat. Pariter quoque curet, ut impensæ Principis ordinariæ, & extraordinariæ, belli, & pacis tempore opportunè solvantur, & ut cuique a Consilio quæstorio satisfiat, jubendi potestatem habeat.

In hoc sanctiori, & superiori Consilio ad Principem 31
scriptæ literæ insuper resignentur, & legantur, atque ad alios Principes a Principe exarandas scribi demandentur. Præmia, dona, largitiones, hisque similia vitentur; mandata, diplomata Principis inibi expediantur, & comprobentur. In hoc Consilio ea omnia proponantur, quæ ad summam Reipublicæ, ac istum statum pertinent, veluti de legibus condendis, abrogandis, conservandis, deque Republica conservanda, & augenda, de securitate publica, de pace, de bello, de legationibus, de Imperii finibus, de Reipublicæ amicis, & inimicis, necnon de similibus magni momenti negotiis, quæ hoc sanctius, secretius, & superius Consilium solummodò ingredi, & in eo tractari debent.

Et quidem habuerunt Ætoli præter panætolium, 32
Consilium sanctius, ubi arcana Imperii tractabantur, de quo Livius, *Sanctius est*, inquit, *apud Ætolos Consilium, quos opocletos appellant*. Idem paulò post, *arcanum hoc gentis Consilium* antea dixerat, legibus Ætolorum cautum esse, ne de pace, bellove, nisi in panætolio, & pylaico Consilio ageretur, & tametsi Carthaginen-

ginenſium ſtatus popularis eſſet, nihilominus, præter Senatores quadringentos, fuit aliud Conſilium triginta Senatorum, qui diuturno rerum agendorum uſu, prudentia præpollerent, de quo Livius, *Carthaginenſes*, inquit, *triginta legatos Seniorum Principes ad pacem petendam mittunt, id erat ſanctius apud eos Conſilium, maximaque ad Senatum regendum vis, eo Conſilio Romani caruerunt*. Itaque miratur Livius Græciæ, & Aſiæ Legatos, qui Romam venerant, nihil eorum, quæ Rex Eumenes in Senatu contra Perſeum Macedoniæ Regem egerat, ex tanto Senatorum numero intelligere potuiſſe, eo, inquit, *ſilentio clauſa curia erat*. Ex quo intelligitur poſt ea tempora nihil in Senatu decretum fuiſſe, quod non pervulgaretur. Itaque Senatores in arcanis Imperii ſcribarum munere fungi, ac jurejurando ſingulos obſtringere adigebantur, ne res manaret in vulgus, nondum legibus pœna capitalis erat iis conſtituta, qui Principis arcana publicarent.

33 Quid autem eorum, quæ in Senatu agerentur, latere potuiſſet, cum quingenti, aut ſexcenti Senatores, præter Scribas, acta Senatus intelligerent? At etiam prætextatis pueris uſque ad Papirii tempora aditus erat in Senatum. Auguſtus omnium primus ex Senatoribus aliquot ſelegit, quibuſcum deliberaret de rebus iis, de quibus in Senatu decernendum eſſet. Poſt Auguſti mortem Thiberius a Senatu petiit, ut viginti Senatores ſibi darentur, a quibus conſilium caperet de rebus iis, quas ad Senatum ferri oportebat. Horum deinceps exempla ſequuti ſunt Imperatores poſteri, Galba, Trajanus, Adrianus, Aurelius, Alexander Severus, de quo Lampridius ſcribit, cùm nihil unquam rei majoris decernere ſolitum fuiſſe ſine duodecim, aut, ut quibuſdam placet, viginti Juriſconſultis, in quibus Ulpianus refertur, & alii, qui id ævi Principes erant juriſprudentiæ. Atque hinc factum eſt, ut Imperator ille, immò & cæteri tàm ſeliciter, proſperèque Rempubliçam adminiſtrarint.

34 Sicque verum eſt ad rectam Reipublicæ adminiſtrationem neceſſarios eſſe amicos, amicos tamen ſpectatæ prudentiæ, induſtriæ, probitatis, exiiſque ſeligat Princeps eximios, quos Aſſiſtentes liceat nuncupare, numero paucos, quos ab intimis, & ſecretis conſiliis habeat, & ad quos negotia referat urgentia, ſeu privata, ſeu publica, ut de illorum ſententia conſtituat, poſtquam aliis etiam Conſiliis ea fuerint expoſita, & agitata.

35 Neque id quidem mirum. Nam qui ſapientium conſiliis obtemperant, rem præclarè gerunt. Sanè, quod Anglia quingentis his annis pace, & bello rem tàm præclarè geſſerit, Imperium propagaverit, hoſtes profligarit, id ſanctiori, ſeu intimo Conſilio, quod quindecim perſonis eruditiſſimis juxta, ac nobiliſſimis conſtabat, imputandum eſt. Quippe apud Reges nil ferè quicquam decernebant, niſi de ejuſdem Conſilii opinione, atque ſententia. Qua in re imitati ſunt non ſolùm ante dictos Romanorum Imperatores, ſed & Carthaginenſium Democratiam, quæ ultra quadringentos Senatores, Conſilium arcanum, ſeu intimum habebat.

36 Noſtra etiam ætate Philippus Secundus, ſapientiſſimus Rex Catholicus, antequam Hiſpania, poſt contractum cum Henrici Regis Galliarum filia matrimonium repeteret, Duciſſæ Parmenſi futuræ Gubernatrici Belgarum ditionum ſanctius, ſive arcanum conſtituit Conſilium, præter ſtatus, & Financiarum, ut vocant, quod duodecim Juriſconſultis conſtare voluit. Sed quid multis opus? Adeo ubique inolevit hoc inſtitutum, ut vel ipſi Turcæ tanquam Reipublicæ utiliſſimum recipiendum exiſtimarint. Etenim apud eos tres ſolent eſſe Conſiliarii intimi, qui ad Imperatorem omnia negotia deferunt, reſponſaque lata exequuntur.

37 Conſultum igitur eſt, ut conſilia diviſa, & diſtincta, ſuperiora, & inferiora, ſecretiora, & nimis ſecretiora habeat omnis Princeps, ut ſic meliùs, citiuſque tot negotia expediantur, ut Princeps negotiorum multitudine, ac infinita, ingentique mole exoneretur, ut ſubditi demum a cauſarum nimia proſequutione liberentur, & Conſiliarii paucioribus occupationibus haud nimium obruti, ſeliciter negotia expediant. Nam cùm unum Conſilium omnes cauſas, omnia negotia ſuſtinet, ſub tanto onere ſuccumbet, & obruetur. Hinc cauſæ non ut decet, expediuntur, res omnes tardiſſimè eunt, & multi ſubditorum ſollicitantium nimium & temporis, & ſumptus impendunt, ac perdunt, recta ratio multis perpetuis, innumeriſque laboribus impeditur, ſinguli ſingula, rectaque negotia expediunt.

Nemo quidem multa ſimul, & rectè curabit, Ambitioſos, ac Reipublicæ exitioſos eos Conſiliarios habeo, qui uni omnia negotia expedire conantur, perniciosiſſimus ille, qui unus ſolus. Ratio dictat, immò natura hoc docet, rectiùs, ac melius negotia a multis, quàm ab uno confici. Væ Principi, ſi officia diverſa uni Conſiliario, væ, ac væ Principi, ſi officia diverſa uni Conſiliario expedienda, & obeunda injungat, vel expedire, ac inire unum patiatur. Solus qui omnia regere vult, ſolus, qui Principi conſulere vult, ſolus, qui apud Principem in pretio eſſe vult, locupletari vult, votis ſuis potiri vult, ſolus qui omnia, ſolus, & unicus eſſe vult, numquid ei curæ ſit publicum, nunquid ei curæ ſit Reipublicæ ſalus? Certè ille non ſolus Principi, ſeu Reipublicæ ſervit, ſed ſolus ſibi ſoli, ſive ſuo commodo ſoli, ſive ſuæ ambitioni ſoli, ſive ſuæ avaritiæ ſoli, ſive ſuis votis ſolis. 38

Memorabile eſt, quod apud Plutarchum de Metiocho quodam, omnia agere volenti, Athenis civium ſermone circumferebatur: *Metiochus exercitus ducit, Metiochus vias curat, Metiochus farinam tractat, Metiochus cunctis aliis præeſt*; Metiochus itaque plorabit, qualis plerumque exitius illorum, temeritate, vel ambitione quadam agere omnia cupientium. Et nunquid temporibus noſtris clariſſima in hujuſmodi ambitioſos vidimus exempla? Apud hiſtoricos laudatur Ludovicus Ungariæ Rex, qui a Caſimiro Polonorum Rege in Regni ſucceſſionem adoptatus, petentibus, Polonorum Legatis, & Ungarorum Proceribus, ut Regnum ſuſciperet, reſpondit: non ſatis ſe intelligere, neque hos quid ſuadeant, neque illos quid petant. E neutrorum enim re id fore, ſicut neque duobus quidem gregibus expediat unum paſtorem habere. Duas Republicas vix ulla ratione ſine alterutrius, ſive adeo utriuſque malo, & incommodo ab uno adminiſtrari poſſe. 39

CONSULTATIO CCXV.

An Monarcha ſine Conſilio de rebus gravioribus Regni quicquam ſtatuere poſſit?

ET ſunt, qui contendant, Monarcham ſolùm ſine Conſilio poſſe de rebus etiam gravioribus ſtatuere, ut de bello, pace, aliiſve negociis ſimilibus. Alii negant, & in negotiis illis arduis eum non eſſe ſui juris putant. Ego priori ſententiæ, ſed cum temperamento accedo. Quia Romæ populus cùm ſe abdicavit ſtatu democratico, lege Regia in Principem tranſtulit omnem poteſtatem, quam habebat. Dedit & Deus Regi populi ſui omnem poteſtatem, videlicet, quando abſolutè Monarcha quis eſt, & per nullam legem electionis de eo factæ tenetur adhibere neceſſariò conſilium ſuorum ſubditorum, alioquin enim cùm adſit imperium, legibus illis ſe adſtringens, eos ſequi tenetur, loquitur itaque de Rege, ac Principe, qui ſupremam habet poteſtatem & abſolutam, & non recognoſcentem in ea ſuperiorem alium, quàm Deum, & rationem. Hujuſmodi enim Princeps neceſſariò non tenetur adhibere Conſilium, vel aliorum, ſi nolit in quibuſcunque negotiis. 1

Verùm dico illi expedire, ut melius, tutius, ac diutius imperet, conſilio prudentum, & expertium in negotiis gerendis uti. Multa enim licent, quæ non expedit agere. Sunt & quæ certo modo licent, & non aliter. Poſſet quilibet præcipitem ſe dare, & necare, & ſe conſervare. Præterea benè vivendi, benè imperandi a Deo, & ratione humana dantur Principibus ad conſervandum, non ad perdendum, vel opprimendum populum ſibi ſuppoſitum. Quamobrem ſi Princeps ſatis eſſet natura propria, ſapientia ad imperandum accommoda inſtructus, ut quæ facienda ſunt, videat, ſciat, & velit imperare, & præſcribere, licet. 2

At melius faciet, ſi non in omnibus, potiſſimum quæ ancipitem habent aleam, ſibi ſoli credat, ſed adhibeat aliorum plurium, eorumque, qui eum juvare conſilio poſſunt, auxilium, quod poteſtati ejus, nec authoritati quicquam detrahat, cùm non coactè, ſed ſponte id faciat. Salus ubi multa conſilia, inquit Sapiens, periculoſumque eſt ipſi Principi, ſibi ſoli fidere, cùm poſſit ejus recta ratio, ut cujuſque etiam ſapientis viri, odio, amore, ira, concupiſcentia, avaritia, ambitione, ignorantia negotiorum intercipi. Facit & philautia, ſive ſui complacentia, & præſumptio, ut labamur circa nobis placita. Principes certè homines ſunt, nec humanam naturam exuunt adepto Principatu, & ita errare, ac decipi ſe poſſe humanitus credere debent. 3

Ne-

4 Neque prudentia ulla illi homini ita perfecta, ita plena, & integra esse potest, cui non aliquid desit, quod ulteriùs complemento opus habeat. Quis est tanta, tamque perfecta prudentia, tanta doctrina, & experientia præditus, quin majori indigeat? Sit prudentissimus Princeps, sit sapientissimus, plus tamen invenire, plus addere, ac suggerere amici possint.

5 Adde, quod sæpè optima consilia acuto Principi in mentem veniant, sed venire eadem cum vacillatione soleant, ubi in bonis illis consiliis amicorum sententia Princeps est confirmandus. Qua de causa Rex sapientissimus Salomon: *Dissipantur*, inquit, *cogitationes, ubi non est consilium: ubi verò sunt plures Consiliarii, confirmantur*. Diuturna experientia perceptum est, plures consilio communicato meliùs, ac certiùs, quàm singulos judicare, cùm singuli quasdam habeant virtutum particulas, quæ simul collatæ unam quamdam excellentem virtutem conficiunt. In medicorum pharmacis id apertum est, præsertim in antidoto illo, quod Mitridaticum vocant, plures res in eo figillatim noxiæ, ubi contemperatæ fuerint, salutare adversus venena remedium parant. Sic & in hominibus aliis tarditas, & cunctatio, aliis præceps temeritas obest. Hæ in pluribus commixtæ temperamentum quodam Consiliorum admodum salutare efficiunt.

6 Idque hucusque verum est, ut si Princeps opulentam doctrinæ suppellectilem habent, eruditorumque omnium calculis doctissimus existimetur, si scientiæ, sapientiæque suæ fidit, atque adeò Consilium negligit, Rempublicam certè non fœliciter administrabit. Hoc sæpè accidit, ut doctrinæ ventis abripiatur, ingenio, judicioque suo fidat, literis multis instructus, ac eruditione præditus Princeps. Quam ob rem in historiis legimus, nonnullos Principes noluisse filios suos literis operam dare, ne eruditione illa cum summa potestate conjuncta nimium sibi fidentes, amicorum consilia aspernarentur, ac repudiarent, omniaque ad proprium libitum, arbitrium, ac libidinem administrarent.

7 Et quidem, nisi virtutem cum doctrina conjungat, periculosus Reipublicæ status, Princeps est Reipublicæ pestis, est Princeps multarum scientiarum cum scelere conjunctam habens cognitionem. Nam vis prudentiæ adjuncta usui est, sine illa, abiit magis in noxam. Adde, prudentem dici non posse, qui non sit virtute præditus. Virtus prudentem reddit, non literæ. Nullus impius prudens est. Hanc ob rationem Ludovicus XI. Galliarum Rex filio Carolo literis interdixit, ne sibi soli fideret, Consiliarios temneret, sibique, Regnoque præcipitium accerseret. Ex his videre est, quemlibet Principem consilio alieno indigere, & stupidum, & acutum, ac rerum usu prudentem, atque literis excellentem.

8 Principem itaque opus habere Consiliariis alta voce assero. Hos Cornelius Tacitus vocat, Pacis decus, Dio Cassius, Principis oculos, alii Principis manus, alii pedes, alii Reipublicæ robora, & optima instrumenta, alii Reipublicæ rationem, ac mentem. Atque ideò Consiliarios appellant, quod his omninò non carere Princeps, sive Respublica possit. His enim sublatis tanquam Reipublicæ concussis, confractis, & ademptis fundamentis, omnia sursum, deorsumque ruunt.

9 Adjice, quod prudenter Romanorum Imperatores Senatum Romanum hanc ob rationem Patrem suum vocare consueverint. Et novit Propheta, & prudens Rex David, plus consilia metuenda esse, quàm arma. Deum enim sic orabat: Stultum, quæso, redde consilium Architophelis o Jehova.

10 Porrò quisque prudens, ac providus Princeps in arduis præcipuè negotiis, prudentum consilio usus, nec imprudenter quicquam aggressus, sed fœliciter pleraque ad finem, & scopum perducit, probè intelligens, prudentiora, & tutiora esse ea consilia, quæ a pluribus tractantur, quàm quæ unius cogitationibus agitantur.

11 Quàmplurima hujus testimonii ex veteri memoria repetita exempla, ut Hebræorum Ducum, Augusti, Adriani, Vespasiani, Trajani, aliisque de Imperatoribus, ac Principibus, quibus proba Reipublicæ administratio cum gloria successit, adducere possem. Quod Romanum Imperium ex tantilla origine ad tantam amplitudinem consilio pervenerit, & quod tamdiù floruerit, causam fuisse scimus, quod ejus Rectores Senatus consilia sequuti fuerint. E contrà Pericles ideò Rempublicam perdidit, quia Areopagytarum authoritatem sustulit. Neque ii Principes salutares Reipublicæ esse solent, qui posthabitis Consiliariis, solos sese sapere, solos omnia intelligere, & jurare, ac solos digito cœlum attingere opinantur, inani interim opinione, ac superba persuasione, & se tandem perdunt, & Rempublicam ad interitum ducunt.

12 Quid causæ extitit, ut Jacobus IV. Scotiæ Rex ad Phridonem ab Anglis vinceretur, totam propè nobilitatem suam amitteret? Quod Procerum suorum parvi consilia faceret, ipse sibi sapere egregiè videretur. Botuildum Svenonum Regem quid Regno expulit? Nisi quod nimium sibi tribuens, cum nemine consilia sua communicavit. Unde quid memoria dignum historici referunt, cùm classe ad fugam adornata, a ministro suo fortè interrogaretur: Num rei alicujus in terra oblitus esset? respondit: *Nimis, prob dolor, oblitus diu fui; bonorum Procerum meorum consilia audire, ac admittere; quàm in oblivionem nisi incidissem, salvus jam salva in patria manerem, quam turbatam relinquere nunc cogor.* Laudabile igitur, & optimo Principi imitabile est, quod de Antonino Pio scribitur, quod scilicet nec in bellicis, nec in civilibus negotiis quicquam egerit, de quo priùs sapientes non consuluisset. Æquius esse, dixit, ut tot talium amicorum consilia sequeretur, quàm tot tales amici suam unius sequerentur sententiam.

13 Huc referendum, quod Theodosius, & Valentinianus Cæsares in juris civilis Codice in quodam rescripto ad Senatum Romanum exararunt: *Humanum esse probamus, si quid de cætero in publica, privataque causa emerserit, necessarium, quod formam generalem ex antiquis legibus non insertam exposcat, id ab omnibus antea tàm Proceribus nostri Palatii, quàm glorioßissimo Cœtu vestro, Patres conscripti, tractari, & si universis tàm Judicibus, quàm vobis placuerit, tunc legata dictari, & sic ea denuò collectis omnibus recenseri, & cùm omnes consenserint, tunc demùm in sacro nostri numinis Consistorio recitari, ut universorum consensus Vestræ Serenitatis authoritate firmetur. Scitote igitur, Patres conscripti, non aliter in posterum legem a nostra clementia promulgandam, nisi supradicta forma fuerit observata. Benè enim cognoscimus, quod cum vestro Consilio fuerit ordinatum, id ad beatitudinem nostri Imperii, & ad nostram gloriam redundare.* Hic videre est quid sapientes de sapienti Senatu sapienter senserunt. De hoc satis.

14 Subjiciam tantùm ex ore aureo Chrysostomi hæc gemmea verba Principibus sibi fidentibus, sibi placentibus. Sic ille ait: *Licèt mirum in modum sapiens sis, & prospicias ea, quæ oportet, attamen homo es, & Consiliario tibi opus est, & nonnunquam evenit, ut sapiens non videat quod oportet, & minor, ac hebetior clarè, & cautè ea prospiciat.* Sapiens ille Moyles, qui tanta miracula operatus est, non animadvertit rem, quam mortalium plerique considerant; Socer autem ejus, homo barbarus, & obscurus, statim animadvertit. Itaque Consiliariis omnes opus habent, etiamsi Moysi conferri possint. Multa enim sunt, quæ magni, & admirabiles viri ignorant, quæ tamen parvi, & abjecti scire solent. Hactenus Chrysostomus, & ego.

CONSULTATIO CCXVI.

Historico-Canonica, quod Summo Pontifici ad consilia, gubernationemque junguntur Cardinales. Ubi an sine Cardinalium consilio possit Romanus Pontifex ardua Ecclesiæ negotia tractare, expedire, atque conficere. Apparatus ad quæstionem, & appendix ad Consultationem CXVII. Tomi Decimi. Cardinales cur ita dicti? Eorum ordo an sit juris divini? Eorum origo. In quibusdam Ecclesiis Canonici Cardinales. Cardinalis nomen quibus Episcopis tributum. Cardinalium gradus, & ordo. Tituli Episcoporum Cardinalium. Presbyterorum Cardinalium Tituli. De Cardinalium Titulis. Diaconorum Cardinalium Diaconiæ. Diaconorum Cardinalium munus. Diaconiæ a Titulis distinctæ. Numerus Cardinalium. Tituli antiqui quot. Quot recentes. Quot recentiores. Diaconiæ quot. Eligere, sive creare Cardinales solius Summi Pontificis est. De hac re Decretum Concilii Basileensis. In Cardinales quinam eligendi. Leges Cardinalium ex Concilio Lateranensi. Cardinalis nomen, an nomen dignitatis? Quo jure Cardinales cæteris Ecclesiarum Præsulibus antecellant? An semper Cardinalis fuerit administratione, & honoris dignitate Episcopo superior? De consuetudine, qua quilibet Episcopus, ut suæ Ecclesiæ Præfectus, & Pastor, non ut Cardinalis sedeat, & sententiam dicat, prout est in Episcopatu antiquior. Quomodò Cardinales quatuor Patriarchis præficiantur? An Cardinales in generalibus Ecclesiæ Conciliis jus habeant suffragium ferendi? Et quo jure? De eorum immunitate. Qui de Cardinalibus scripserint? De Consilii necessitate etiam in Pontifice. De

ſecreto in Conſilio ſervando. Quàm id difficile in multitudine Conſiliorum. Cautiones in eligendis Conſiliariis. De Cardinalium Collegio. An id ſucceſſerit Senatui Romano? Rectè dici poteſt Senatus Summi Pontificis. Cardinalium poteſtas.

1 CArdinalium nomen recens eſt, res antiquiſſima. Sunt enim præcipui Summi Pontificis Senatus, ſunt gubernatores, conſiliarii, aſſeſſores. Ita dicti, quod in illis, velut Cardinibus, Eccleſiæ negotia verſantur, ſintque antiſtites, ac Duces Religionis. Ita Chalcondylas *lib. 6.* ubi de Beſſarione, & Iſidoro in Concilio Florentino Cardinalibus electis agit, qui tamen labitur, cùm triginta eligi tradit.

2 Quidam exiſtimant Cardinalium originem a Sancti Gregorii I. alii verò a Sylveſtri I. tempore repetendam eſſe. Alii eam referunt ad Marcelli nonnulli demum ad Pontiani Sæculum. Eugenius IV. in Epiſtola ad Epiſcopum Cantuarienſem, quam refert Jacobatius *de Conc. lib.* 1. ait, Cardinalium nomen non fuiſſe initio naſcentis Eccleſiæ expreſſum, munus tamen, & officium a Beato Petro Apoſtolo, & ejus ſucceſſoribus evidenter inſtitutum. Onuphrius putat, Cardinales cœpiſſe a Cleti, & Evariſti ærate. Nam Cletus, teſtè Bibliothecario ex Damaſo, Presbyteros Romæ ad viginti quinque numerum auxit. Evariſtus verò, Apoſtolorum inſtituto, ad ſeptenarium numerum in Eccleſia Romana Diaconos redegit, & Titulos in Urbe Presbyteris diviſit, ut unuſquiſque ſuæ paræciæ terminis, ac limitibus diſtingueretur. Quibus etiam addidit, ut Epiſcopum concionantem per vices cuſtodirent.

3 Deinde Hyginius, teſte Damaſo, Clerum compoſuit, & Cleri gradus diſtinxit, ut alii eſſent ſuperiores, alii inferiores, alii præeſſent, alii ſubeſſent, & ut ſinguli a ſe invicem ſecreti in ſua Urbis regione, titulo, vel paræcia, confuſionis tollendæ gratia, divina myſteria populum docentes, diligenter Sacramenta Dei omnibus ad ſe venientibus Chriſtianis conferrent. Ac proinde ſingulos Presbyteros in unoquoque Titulo, Clericos, & Presbyteros conſtituit. Ait enim Anaſtaſius ex Damaſo: Hic Clerum compoſuit, & diſtribuit gradus, & tunc, inquit Onuphrius, Presbyterorum Cardinalium nomen effluxit, ut is ſcilicèt diceretur Presbyter Cardinalis, qui cæteris Presbyteris ejuſdem Tituli præeſſet. Antea enim cùm unus tantùm per ſingulos Titulos Presbyter fuiſſet, Cardinalis non dicebatur, eo quod nonniſi unus in unoquoque Titulo Presbyter eligebatur.

4 Poſt Hyginum Dionyſius Titulos in Urbe Romana plures fecit. Sic enim ait Damaſus: *Hic Presbyteris diviſit Eccleſias, & Cœmeteria, & paræcias, videlicet etiam extra Urbem, & Diœceſes conſtituit.* Et de Marcello teſtatur idem Damaſus, eum vigintiquinque Titulos Romæ conſtituiſſe, quaſi Diœceles, tùm ad martyrum ſepulturam, tùm ad baptiſmum, & pœnitentiam multorum, qui ad Chriſti fidem, & Religionem convertebantur ex Paganis, repudiatis falſis, & vanis Gentilium Diis.

5 Verùm quicquid dicat Onuphrius, Cardinalium nomen ante Sylveſtri tempus non legimus. Deinde Cardinalis Presbyter, vel Diaconus non ſolùm dicebatur, quia cæteris Presbyteris, vel Diaconis ejuſdem Tituli, vel Diaconiæ præeſſet; ſed etiam, quia Eccleſiis in Urbe Roma præficeretur, quæ cæteris principaliores eſſent, & propterea Presbyteris, vel Diaconis nomen Cardinalium dabant, quemadmodum Cardinalis dicitur, non quod præſit aliis ejuſdem Eccleſiæ Epiſcopis, ſed quod principalior ſit reliquis aliarum Eccleſiarum Præſulibus. Et hoc nomine diſtingui, & appellari cœperunt Cardinales Sylveſtri I. tempore, ſed rarò eo tempore id nomen dabatur. Gregorii I. ſæculo cœpit frequentiùs id nomen pluribus Epiſcopis tribui. Volaterranus *in Antropolog.* ſub Benedicto IX. eos ita nominari cœpiſſe arbitratur anno 1031. Verùm jam anno 950. ſub Ludovico IV. & Otthone Magno hoc nomen uſitatum fuit. Poſteà creſcente negotiorum multitudine, firmatoque civili Romanæ Eccleſiæ Imperio in Italia, Sicilia, aliiſque locis, eorum crevit authoritas, dignitas, opes. Rectè Chalchondylas ait, Pontificem illis redditus ſufficientes dare aſſignatis regionibus, unde alii majores, alii minores percipiant.

6 Sylveſter in Romano Concilio nominat Presbyterum, & Diaconum Cardinalem, 2. *q.* 5. *can. Præſul*, ibi: *Præſul non damnabitur, niſi cum* 72. *teſtibus, nec Præſul Summus a quoquam judicabitur, quoniam ſcriptum eſt: Non eſt diſcipulus ſupra Magiſtrum. Presbyter autem Cardinalis, niſi cum* 44 *teſtibus, non damnabitur. Diaconus verò Cardinalis Urbis Romæ, niſi cum* 27. *teſtibus, non condemnabitur.*

Qua ex re colligimus aliarum Eccleſiarum etiam Cardinales fuiſſe, & Cardinales Urbis Romæ longè infra Epiſcopos fuiſſe. Nam 27. teſtibus condemnantur, cùm Epiſcopi nonniſi 72. Quod etiam *in cap.* 3. repetitur. 7

Sunt qui cenſeant Sancti Gregorii I. tempore Cardinalem Epiſcopum, vel Presbyterum dici eum, qui cùm ad certam Eccleſiam promotus fuerat, ad aliam Epiſcopo, vel Presbytero deſtitutam, & viduatam transferebatur, qui ejus non dicebatur abſolutè, vel ſimpliciter Epiſcopus, vel Presbyter, cùm in duabus Eccleſiis unus ordinatus eſſe jure non poſſet; ſed dicebatur illius Eccleſiæ, ad quam erat translatus Cardinalis Epiſcopus, vel Sacerdos, hoc eſt ad eam traductus, ac proinde ipſi obſtrictus, & mancipatus. 8

Et hoc ſenſu explicant multa, quæ habentur in Epiſtolis Sancti Gregorii I. & in vita ipſius per Joannem Diaconum deſcripta. Nam *lib. 3. cap.* 16. ita ſcribit ipſe Joannes: *Expulſos Epiſcopos tàm citò incardinare non poterat, vel quorum redditum ad proprias Sedes contingere poſſe ſperabat*, cap. 18. *Licèt vacantes Epiſcopos vacantibus Civitatibus incardinare ſtuduerit, Demetrium Epiſcopum Neapolitanum ob crimina depoſuerat, cùm ab eiſdem Neapolitanis incardinari ſibi Paulum Nepeſinum Epiſcopum magnopere quæreretur, tribuit illis viſitatorem; Cardinalem verò conſtituere recuſavit.* Et eodem lib. cap. 15. *Incardinari Eccleſiæ*, ſcribit eum, qui aliunde translatus viduatæ Eccleſiæ præficitur, cap. 19. *Aliarum Parochiarum Clericos ſibi, & aliis Pontifex incardinare curabat*, cap. 7. *In ordinandis Epiſcopis, neque Cardinales Eccleſiæ ſuæ, neque Monachos Monaſterii ſui pœnitùs excuſavit, quominùs illis Eccleſiam regendam committeret.* 9

Verùm enim verò cardinare, aut incardinare, aut Cardinalem Sacerdotem conſtituere, in Epiſt. S. Gregorii, vel apud Joannem Diaconum, non ſolùm videtur ſignificare id, quod transferre aliundè, ac certæ Eccleſiæ præficere Sacerdotem translatum; ſed idem etiam quod ordinare, & in aliqua Eccleſia ſimpliciter conſtituere. Scribit enim *lib. 3. cap.* 10. idem Joannes Diaconus: *Cardinales in forenſibus Parochiis promotos, in priſtinum cardinem revocabat.* Et apud Vitruvium *lib. 4. cap.* 6. Scapi Cardinales dicuntur, hoc eſt annexi, inſerti, & compacti. Item *lib.* 10. *cap.* 20. Capreoli cardinati, & *cap. ſeqq.* Tigna cardinata, hoc eſt inſerta, & veluti annexa. 10

Quare non nemo exiſtimat, tempore Sancti Gregorii, & longè ante eum dupliciter dici Cardinales. Vel quia erant certæ alicui Eccleſiæ adſcripti, ac veluti inſerti. Vel quia erant Primarii, & Principales, & hoc etiam dupliciter. Vel quia Eccleſia, cui erant addicti, & obſtricti, erat principalis. Vel quia ipſi Cardinales Epiſcopi, Sacerdotes, aut Diaconi inter cæteros ejuſdem Ordinis eminebant. Sic enim apud Sanctum Ambroſium quatuor virtutes Cardinales vocantur, & apud Sanctum Cyprianum extat libellus de operibus Chriſti Cardinalibus ſic inſcriptus. Sanctus Auguſtinus verò *lib.* 1. *de baptiſm. cap.* 6. Donatiſtas Cardinales appellat, hoc eſt primarios, & principales apud ipſos. Hinc illud *in cap. miniſterium de officio Archipresbyt.* Diligenti cura provideat miniſterium Cardinalium, ideſt principalium, quorum erat in celebrioribus feſtis diebus ſolemni ritu rem divinam facere. 11

Ex quo etiam factum eſt, ut in quibuſdam Eccleſiis ſint inter Canonicos hodie etiam dicti Canonici Cardinales, ut in Compoſtellana Eccleſia, licèt plures ſint Canonici, ſex tamen, ſeptemve Cardinales vocantur, qui Paſchalis II. Privilegio, & diplomate ſacrificium faciunt ſolemni ritu in Altari maximo, ſub quo jacet corpus Sancti Jacobi Apoſtoli, ut teſtatur Mariana *lib.* 10. *de rebus Hiſpan. cap.* 6. & olim in Eccleſia Ravennate, & in Aquilejenſi quoque, Mediolanenſi, Beneventana, & Piſana, teſte Anaſtaſio Germonio *lib. 3. de ſacror. immunit. cap.* 6. Canonici Cardinales vocabantur tanquam Canonici Eccleſiarum principalium, vel tanquam reliquis ejuſdem Eccleſiæ Canonicis digniores, quorum certa quædam inſignia erant, quibus a reliquis Canonicis diſcernebantur, Gloſſ. *in can. pudor* 32. *quæſt.* 2. *Per deriſionem*, inquit, *dicitur Cardinalis Ravennæ, ſicut dicitur Rex Scacchorum.* In can. *Sacroſancta diſt.* 22. *ad finem*, dicitur: *Hæc verò Apoſtolica Sedes, caput, & cardo a Domino, & non ab aliis conſtituta eſt; & ſicut cardine oſtium regitur, ſic hujus Apoſtolicæ Sanctæ Sedis authoritate omnes Eccleſiæ, Domino diſponente, reguntur.* Unde ſortaſſis dicti ſunt Cardinales Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, a cardine videlicet, quia eorum conſiliis Eccleſia Romana, quæ eſt omnium Eccleſiarum Cardo, dirigitur. Videtur igitur Cardinalis 12

nomen

nomen Sylvestri I. tempore usitatum in Ecclesia Romana fuisse.

13 Fuerunt tamen quidam, qui dixerint, Sancti Gregorii Magni tempore, & ante ipsum Cardinalis nomen Episcopis tantùm insignium Ecclesiarum tributum, & datum fuisse. Ut enim constat ex Epistolis ejusdem Sancti Gregorii, Episcopi tantummodò, non omnes, sed principales vocantur. Quod probant ex *can. Relatio* 21. *quæst.* 1. *can. Pastoralis* 17. *quæst.* 1. *can. Fraternitatem dist.* 70. *can. Presbyteri dist.* 24. Cæterùm ex Concilio Romano a Sylvestro I. coacto, patet Presbyteros etiam, & Diaconos dici Cardinales; nam *in dict. can. Præsul* 2. *qu.* 5. fit mentio Presbyteri Cardinalis, Diaconi Cardinalis Urbis Romæ. Et *in can.* 6. dicti Concilii Romani sancitum est, ut Diaconi non essent plures per Parochiarum examen, nisi duo, & Cardinales Urbis Romæ septem.

14 Ordinem autem Cardinalium esse juris divini, hoc est a Christo Domino institutum, asserunt inter Theologos Turrecrem. *in Summ. lib.* 1. *cap.* 80. & 83. August. Triumph. *in tract. de potest. Eccles. quæst.* 102. S. Antonin. *part.* 3. *tit.* 21. *cap.* 1. & 2. inter juris Pontificii interpretes, Panormit. *in cap. per Venerabilem qui fil. sint legit.* Martin. Laudens. *in tract. de Card. part.* 1. *quæst.* 34. & *part.* 2. *quæst.* 7. & *quæst.* 11. Barbat. *in eodem tract. quæst.* 1. & Cardinalis Albanus *eodem argum. qu.* 5. ubi citat Romanum, Jasonem, Decium, & alios, idipsum affirmantes. Hanc opinionem colligunt ex *d. cap. per Venerabilem*, §. *rationibus*, ubi Pontifex ait, suos fratres, quos sic vocat ipsos Cardinales, in Levitici generis Sacerdotibus fuisse adumbratos. Et deducitur etiam ex *cap. fundamenta de elect. in* 6. §. *decet.*

15 Deinde quia Cardinales videntur septuaginta duo Christi Domini Discipulis successisse, qui fuere duodecim Apostolorum adjutores, sicut Cardinales sunt Romano Pontifici a consiliis. Accedit quod dicitur 1. Reg. 2. *Domini sunt Cardines terræ, & posuit super eos Orbem.* Eugenius IV. in *præcit. Epist.* ait, Apostolos Christo Domino assidentes, figuram retulisse Cardinalium, qui Romano Pontifici astant. Apostolos verò in totum terrarum Orbem missos ad Evangelium annunciandum, typum, & similitudinem tenuisse Episcoporum, qui sunt per Provincias distributi.

16 Negant tamen in primis Soto *in* 4. *dist.* 24. *quæst.* 2. *art.* 4. eos juris esse divini, eaque nititur ratione, quod Romanus Pontifex Cardinales creavit, ut eorum consiliis juvaretur, eorumque opera in Ecclesiæ gubernatione uteretur. Neque legimus ullos esse a Christo Domino Cardinales, ut Cardinales sunt, institutos. Nec usquam sacræ literæ Cardinalium meminerunt, & Hierarchia Ecclesiastica, divina ordinatione instituta, constat Summo Pontifice, Episcopis, & Parochis.

17 Hæc opinio quibusdam probabilior videtur esse. Et de Cardinalibus intelligitur, non ut sunt Episcopi, & Diaconi, sed solùm ut sunt Cardinales. Nam præter Ordinem Episcoporum, Presbyterorum, & Diaconorum, nihil aliud Cardinales habent, nisi Romano Pontifici assidere, ut ipsum suo consilio, opera, studio, industria, & cura juvent, & communia totius Ecclesiæ negotia tractent. Unde præter tres ordines dictos, tota Cardinalium potestas a Romanis Pontificibus manavit, ac fluxit, scilicet quod Pontificem eligant, quod in Pontificiis Comitiis assistant, quod suffragium ferant, sententiam dicant, consilia dent, Ecclesiæ negotia conficiant. Quemadmodum enim in aliis Ecclesiis, quibus præsunt Episcopi, Canonicorum sunt Collegia, quibus præficitur Decanus, sive Præpositus, sic in Ecclesia Romana est Sacrum Cardinalium Collegium ab ipsis Summis Pontificibus institutum. Verùm saniorum, ac mea fides, & religio est, ut Alliacensis de *Eccles. aut. part.* 1. *cap.* 13. Turrecremat. *loc. citat. lib.* 1. *cap.* 80. Gerson. *de Statibus Ecclesiæ tom.* 1. cujus hæc sunt verba: *Status Summi Pontificis, ac Sacri Collegii Dominorum Cardinalium sibi collateralium fundatus est in Ecclesiastica Hierarchia sub Cœlesti immediatè a Christo, nec humana institutione, seu præsumptione potest destrui, cui statim qui pertinaciter derogat, censendus est, juxta Sacros Canones, hæreticus, atque sacrilegus.* Quicquid contra oblatret Apostata Spalatrensis, *lib.* 4. *de Republic. cap.* 5.

18 Juris etenim divini est, ut Summus Pontifex tanquam Christi Vicarius habeat Cardinales, Episcopos, Presbyteros, & ministros tanquam adjutores. His namque constat Ecclesiastica Hierarchia, divina ordinatione instituta, Concil. Tridentin. *sess.* 23. *can.* 6. Negari non potest Cardinales, ut sunt Summi Pontificis adjutores, Consiliarii, Operarii, adumbratos fuisse in Sacerdotibus, ac Ministris Levitici generis, & hoc est, quod dixit Innocentius III. in *d. cap. per venerabilem*; & quod docuerunt S. Antoninus, Turrecremata, & Augustinus Triumphus, atque alii, nomen tamen Cardinalium, officium, dignitas, numerus, distinctio Titulorum, & alia Privilegia, quibus Cardinales potiuntur a Summis Pontificibus sunt instituta. Et illud 1. *Reg.* 2. non probat, ut etiam Panormitanus adnotavit, Cardinales esse jure divino institutos. Nam sensus ejus loci est, universam terram esse creatam, & fundatam a Deo, & columnis ejus Orbem terrarum esse suffultum. Tribuit scriptura more nostro loquendi, terræ columnas, quasi columnis erectis innitatur, cùm tamen eam Deus creaverit, & conservet pondere, & gravitate sua libratam.

Cardinalium autem gradus, & ordo triplex est. Alii 19
enim sunt Episcopi Cardinales, alii Presbyteri, alii Diaconi, nec quisquam Cardinalium sine Diaconi saltem titulo creari solet; nec inter Cardinales in Comitiis suffragium fert, præsertim cùm de eligendo Pontifice tractatur, qui Diaconus non sit, *Clem. ut hi, qui* §. *illius de ætat. & qualit.*

Tituli Episcoporum Cardinalium olim quidem septem, 20
vel octo fuerunt, Ostiensis, Veliternus, Sylvæ Candidæ, aliàs Sanctæ Ruffinæ, Portuensis, Sabinus, Prænestinus, Tusculanus, Albanus; nunc verò sunt sex; eò quod Ecclesia Veliterna, Ostiensi, Eugenii III. authoritate, adjuncta fuit, & Ecclesia Sanctæ Ruffinæ, quæ aliàs dicebatur Sanctorum Virginum Ruffinæ, & secundæ, ante Eugenium Tertium, Calisti Secundi tempore conjuncta est cum Ecclesia Portuensi, teste Onuphrio, *lib. de septem Urbis Ecclesiis cap.* 1. His septem Episcopis aliquando fuerunt alii additi. Sub Leone Nono, & Paschali Secundo Episcopus Veliternus; sub Urbano Secundo Episcopus Nepesinus, & Episcopus Parmensis; sub Innocentio Secundo Archiepiscopus Pisanus, Mutinensis, Ortanus, Tyburtinus; & sub Leone Decimo Rheatinus, & iterum Tiburtinus. At post Innocentii Secundi, & Eugenii Tertii tempora usque ad nostra perduravit sex tantùm Episcoporum Cardinalium numerus, in quibus, qui cæteris ratione suæ ordinationis antiquior erat. Prior, & deinde Decanus Collegii Cardinalium dicebatur. Paulus Quartus instituit, ut is Decanus esset, qui moriente Decano antiquior aliis Episcopis Cardinalibus in Urbe præsentibus, vel etiam absentibus, Ecclesiæ tamen causa, fuisset.

Inter hos Episcopos Cardinales magno in honore 21
est habitus Ostiensis, cujus est ab antiquo tempore, ut ait Augustinus, *Epist.* 165. Romanum Pontificem consecrare, ac propterea ipse inter Episcopos pallio, quod est Archiepiscoporum insigne, utitur, ex Marci Papæ instituto, ut Damasus testatur. Tales porrò Episcopi eo quod Urbi Romæ finitimi, ac vicini essent, ob negotia Curiam Romanam frequentare consueverunt, & honorari, ac coli præ cæteris cœperunt, tanquam Summo Pontifici, & Urbis Archiepiscopo subjecti, & ejusdem suffraganei. Quo factum est, ut Cardinales Episcopi ante Leonis IX. tempora cœperint nominari, hoc est Principales, sive Primarii Episcopi, eo quod essent cæteris reliquarum Ecclesiarum Episcopis celebriores, & insigniores.

Presbyterorum Cardinalium Tituli olim erant vigin- 22
ti octo, quos Titulos enumerat Onuphrius *in opusculo de Cardinalibus*, & alii, & nos paulò infra subjiciemus. *Erant enim ab antiquo tempore Romæ*, dicit Onuphrius, *quatuordecim Regiones, & quamvis tunc fortasse singulis Regionibus singuli Presbyteri præficerentur, crescente tamen numero Christianorum, vel plures Ecclesiæ in singulis Regionibus erectæ sunt, vel duo in unaquaque Regione Presbyteri sunt constituti, ac propterea facti sunt viginti octo Tituli.* Sic Onuphrius.

Sunt tamen, qui existimant, quibus adstipulor, Ur- 23
bis Templa, sive Ecclesias olim dici solitas, Titulos, quibus qui præerant Presbyteri animarum curam habentes, & Sacramenta ministrantes, dicebantur sic: *Laurentius Presbyter tituli S. Marcelli, Stephanus Presbyter tituli S. Marci.* Postea vocari cœperunt *Presbyteri Cardinales*, hoc est principales, ut a cæteris aliorum Titulorum sive in Urbe sive extra Urbem erectorum distinguerentur, & nominabantur sic: *Laurentius Presbyter Cardinalis tituli S. Marcelli, Stephanus Presbyter Cardinalis tituli S. Marci.*

Diaconorum verò veteres Diaconiæ fuerunt decem 24
& octo, quamvis putem primùm fuisse quatuordecim. Onuphr. *in d. libello de septem Eccl. Urb. c.* 3. ait, Diaconos usque ad annum millesimum non excessisse numerum septenarium, & cùm Urbis, ut ille ait, quatuordecim regiones fuerint, singuli in duobus regionibus serviebant;

poſtea juxta quatuordecim regiones quatuordecim Diaconi creabantur, ut ſinguli ſingulis regionibus præfecti eſſent. Sed aliquando etiam Diaconorum numerus fuit decimus octavus, qui numerus per aliquot annos continuatus eſt, poſtea auctus per Paulum III. qui anno 1545. uſque ad decimum nonum numerum Cardinalium Diaconorum auxit, & per Pium IV. productus eſt uſque ad vigeſimum quintum. Demum Sixtus V. eos ad quatuordecim reſtituit juxta veterem regionum Urbis numerum.

25 Porrò Diaconiæ quamvis eſſent ædes ſacræ in honorem, & memoriam Sanctorum dicatæ, tamen Tituli non dicebantur. Quia Diaconi, qui earum cuſtodes, ſive Præfecti erant, & qui in domibus juxta ea Templa habitabant, animarum curam non habebant, nec Sacramenta conferebant, ſed demandata ſibi munia in ſua regione faciebant, & Pontifici Romano Sacris Operanti, præſto aderant, Eccleſiæ theſauros cuſtodiebant, pecunias plebi inopia laboranti juxta præſcriptas ſibi rationes in ſuis regionibus dabant. Antiquitus nominabatur ſic: *Petrus Diaconus primæ Regionis, Joannes Diaconus ſextæ, vel decimæ Regionis*; poſtea dici cœperunt: *Petrus Diaconus Cardinalis Sanctis Adriani, Joannes Diaconus Cardinalis Sancti Euſtachii*. Dicti ſunt Diaconi Cardinales, ut a cæteris Diaconis, qui erant in aliis Eccleſiis, ac Civitatibus, diſcernerentur.

26 Adeo autem erant Diaconiæ a Titulis diſtinctæ, ut nulla ratione, aut Presbyter Cardinalis Diaconiam, aut Diaconus Cardinalis Titulum haberet. Quando accidebat, ut Diaconus Cardinalis Presbyter fieret, is, relicta Diaconia ſua, Titulum accipiebat. Hunc ordinem primus mutavit Sixtus IV. teſte Onuphrio, & ita eum poſteri Pontifices ſequuti ſunt: At Sixtus V. ſicut numerum Diaconorum Cardinalium certum conſtituit, ita etiam decrevit, ne Presbytero Diaconia, aut Diacono Titulus in poſterum daretur.

27 Numerus Cardinalium nullus eſt certus, plurimos, ſi idonei ſint, eſſe, optatiſſimum, atque optimum eſt. Quod tempore Pontiani anno Domini 234. dicantur a Gloſſatore 236. fuiſſe, non tàm alienum a vero eſt, quàm nonnulli arbitrantur; etſi enim nomen defuerit, Conſilium tamen Romani Cleri magnum fuit, & copioſum. Cardinalium certè numerus Romanorum Pontificum arbitrio augeri, minuive ſolet, aut poteſt, cùm res ita poſtulaverit. Et quamvis aliqui contendant, eos tot eſſe oportere, quot fuere Apoſtoli, ac Diſcipuli Domini, aut ſaltem quot Diſcipuli fuerunt: Unde ſeptuaginta duos conſtituendos cenſuerunt, quod is numerus fuerit Seniorum apud Judæos, & Diſcipulorum Domini. Alii verò non plures creari debere, quàm eorum hactenus ſcripti Tituli, vel Diaconiæ inveniuntur. In Concilio tamen Baſilienſi *ſeſſ. 23.* ſtatutum eſt, ne plures Cardinales crearentur, quàm viginti quatuor. At hoc Concilium non fuit acceptatum ab Eccleſia Catholica. Certè ſi viginti quatuor tantùm Cardinales eligerentur, referrent illos viginti quatuor Seniores, de quibus Beatus Joannes *Apocal.* 4. Sed enim frequentiori Doctorum ſententia receptum eſt, totum hoc ex libera Romani Pontificis voluntate pendere. Ita Franch. *in cap. ubi periculum de elect. in 6.* Laudenſ. *tract. de Cardin. part. 2. quæſt. 2.* Alberic. *in rubr. de ſtat. homin.* Cardinal. Alban. *de Cardinal. quæſt. 41.* Sixtus tamen V. decrevit, ne plures ſeptuaginta eſſent, atque inter illos ad minimum quatuor Theologiæ Doctores ex Ordinibus Mendicantium aſſumpti. Quid ſuadeam, ſi quæras, apertè dicam. Si multi ſint ſumptuoſi, & parum gnavi, magno oneri ſunt, gravantque Eccleſiam, & offendunt infirmos; ſi multi ſint, & moderati, laborioſi, prudentes, non poteſt eſſe tanta multitudo, ut non major, ſit melior. Salus enim Reipublicæ eſt multitudo Sapientum. Eccleſiæ enim ſalus eſt dignitas cum virtute; ubi enim duo illa juncta ſunt, ſumma eſt authoritas, & illius uſus optimus.

28 Et licèt maxima ſit negotiorum moles, ac multitudo, & populorum frequentia, quibus Romanus Pontifex præeſt; rectè nihilominùs is Chriſtianæ Reipublicæ conſulturus creditur, ſi nunquam majorem numerum Cardinalium habeat duobus & ſeptuaginta, qui fuit numerus Diſcipulorum Domini, Archidiac. *in dict. cap. ubi periculum de elect. in 6.* Cardin. *in Clem. ne Romani, §. Porrò eodem tit.* Alber. *in rubr. Cod. de Summ. Trinit.* Barbat. *in tract. de Cardin. quæſt. 1. num. 5.* & Manfred. *eod. argum. cap. 3.*

29 Tituli antiqui fuerunt viginti octo, ut diximus, & ſunt, qui ſequuntur. 1. S. Crucis in Hieruſalem. 2. Sanctorum Marcellini, & Petri. 3. Sanctorum Quatuor Coronatorum. 4. Sanctorum Joannis, & Pauli. 5. Sanctæ Anaſtaſiæ. 6. Sanctæ Sabinæ. 7. S. Stephani in Monte Cœlio. 8. Sancti Clementis. 9. Sanctorum Nerei, & Achillei. 10. Sanctæ Suſannæ. 11. Sanctæ Pudentianæ. 12. Sancti Petri ad Vincula. 13. Sancti Martini in Montibus. 14. Sancti Sixti. 15. Sancti Euſebii. 16. Sanctæ Priſcæ. 17. Sancti Vitalis. 18. Sancti Marci. 19. Sancti Marcelli. 20. Sancti Laurentii in Lucina. 21. Baſilicæ duodecim Sanctorum Apoſtolorum. 22. Sancti Laurentii in Damaſo. 23. Sanctæ Balbinæ. 24. Sanctæ Cæciliæ. 25. Sancti Chryſogoni. 26. Sanctæ Praxedis. 27. Sanctæ Mariæ Tranſtyberim. 28. Sancti Cyriaci in Thermis.

Tituli recentes a Summis Pontificibus additi. 1. Sanctorum Quirici, & Julittæ. 2. Sancti Joannis ante Portam Latinam. 3. Sanctæ Agnetis in Agone. 4. Sancti Laurentii in Paniſperna. 5. Sancti Thomæ in Parione. 6. Sancti Sylveſtri in Campo Martio. 7. Sancti Pancratii. 8. Sancti Bartholomæi in Inſula. 9. Sancti Matthæi in Merulana. 10. Sanctæ Mariæ de Aracœli. 11. Sanctæ Mariæ in Via. 12. Sanctæ Mariæ ſuper Minervam. 13. Sanctæ Mariæ Angelorum in Thermis. 14. Sancti Hieronymi Illyricorum. 15. Sancti Apollinaris. 30

Tituli recentiores a Sixto V. veteribus adjecti. 1. Sancti Onuphrii in Janiculo. 2. Sancti Auguſtini. 3. Sanctæ Mariæ de Populo. 4. Sancti Alexii in Aventino. 5. Sancti Blaſii de Annulo. 6. Sanctæ Mariæ de Pace. 7. Sancti Salvatoris de Lauro. 8. Sancti Petri in Monte aureo. 9. Sanctiſſimæ Trinitatis in Monte Pinciano. 10. Sanctæ Mariæ Tranſpontinæ. 31

Diaconiæ ſunt quatuordecim, totidem Urbis Regionibus reſpondentes. 1. Sanctæ Mariæ in Aquiro. 2. Sanctæ Mariæ in Coſmedin. 3. Sanctorum Coſmæ, & Damiani. 4. Sanctæ Mariæ Novæ. 5. Sancti Adriani. 6. Sanctæ Mariæ in Via lata. 7. Sanctæ Mariæ in Porticu. 8. Sancti Angeli in foro Piſcario. 9. Sancti Nicolai in Carcere. 10. Sanctæ Mariæ in Dominica. 11. Sancti Euſtachii. 12. Sanctorum Viti, & Modeſti. 13. Sanctæ Agathæ. 14. Sancti Georgii ad Velabrum. 32

Titulis veteribus unus non extat, videlicet S. Cyriaci in Thermis; unde tituli veteres ſunt viginti ſeptem, qui cum recentioribus quatuordecim, & cum aliis recentioribus a Sixto V. adjectis, efficiunt unum, & quinquaginta. 32

Diaconiæ veteres quatuor ſublatæ ſunt, videlicet Sanctorum Sergii, & Bacchi, S. Luciæ in Circo juxta Septiſolium, Sancti Theodori, S. Luciæ in Silice, aliàs capite Suburæ, aliàs in Orphea. 33

Tempore Gelaſii II. qui fuit electus 118. Presbyteri Cardinales vivebant viginti octo, quorum Tituli erant viginti octo antiqui, quos ſupra numeravi. Diaconi Cardinales erant decem & octo, quos ſuperiùs recenſui. 34

Epiſcopi Cardinales vivebant ſex, Sabinus, Oſtienſis, Tuſculanus, Portuenſis, Prænestinus, Albanus. 35

Eligere, ſive creare Cardinales ſolius Romani Pontificis eſt, Joan. Andr. & Abb. *in cap. ſane de converſ. conjug.* itaut nec ipſum etiam Cardinalium Collegium, cùm eſt Eccleſia Romana ſuo Pontifice viduata, ullum Cardinalem poſſit eligere, Gloſſ. *in d. Clem. ne Romani, v. poteſtatis de elect.* Alex. *in can. nullus diſt. 79.* Quod mirum videtur. Nam Cardinalium Collegium jus habet eligendi Romanum Pontificem. Cur ergo non Cardinales? Reſpondeo, non ſequi, ut ſi unum jus habeat, & alterum quoque habeat. Quia ſibi Romanus Pontifex Cardinalium creationem reſervavit. Et quamvis generale Concilium, cùm neceſſitas poſtulet, poſſet unum, aut alterum Cardinalem creare, ut per Jacobat. *in tract. de Concil. lib. 6. quæſt. 1.* & Manfredum *de Card. diſt. 386.* Ego tamen nunquam legi, ullos eſſe creatos Cardinales a Concilo Generali, quia, ut dixi, creatio Cardinalium Pontificis Summi eſt. Nec eſt dubitandum, quin Romanus Pontifex citra Cardinalium aſſenſum, & conſilium Cardinales creare poſſit, Jo: Andr. *in dict. cap. Sanè*, Felin. ac Decius *in rubr. de Conſtit.* De more tamen id nequaquam ab eo fieri ſolet. Quia Cardinalium creationes magni ponderis eſt, ardua verò negotia non ſolet Pontifex abſque Cardinalium conſilio expedire, Zabarell. *in repet. ſuper cap. perpendimus de ſentent. excommun.* Jo: Monach. *in cap. ſuper eo de hæret. in 6.* 36

Placet hac de re exſcribere Decretum dicti Concilii Baſilienſis, tametſi ab Eccleſia Catholica non approbati. Illud legitur *in cit. ſeſſ. 23.* in hæc verba: *Cùm Summo Pontifici Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales in dirigenda Chriſtiana Republica Collaterales aſſiſtant, neceſſe eſt, ut tales inſtituantur, qui ſicut nomine ita re ipſa cardines ſint, ſuper quos oſtia univerſalis verſentur, & ſuſtententur Eccleſiæ. Statuit igitur Sancta Synodus, ut deinceps eorum numerus adeò ſit moderatus, quod nec ſit* 37

gravis Ecclesiæ, quæ nunc ob temporum malitiam plerisque gravibus affligitur incommodis, nec superflua numerositate vilescat. Qui de omnibus Christianitatis regionibus quantum commodè fieri poterit, assumantur, ut notitia rerum in Ecclesia emergentium faciliùs haberi, & super his maturiùs deliberari possit, sic tamen, quod numerum viginti quatuor inter hos, qui nunc sunt, & assumendos non excedant, ita quod de una natione ultrà tertiam partem respectu Cardinalium pro tempore existentium, ad de una Civitate, & Diœcesi ultrà unum inde oriundum, & de ea natione, quæ nunc ultrà tertiam partem habet, usque ad ipsius tertiæ partis reductionem esse nequeunt. Sint viri in scientia, moribusque, ac rerum experientia excellentes, non minores triginti annis, Magistri, Doctores, seu licentiati cum rigore examinis in jure divino, vel humano. Sit saltem tertia, vel quarta pars de Magistris, aut licentiatis in Sacra Scriptura. Inter hos autem viginti quatuor, esse aliqui poterunt admodum pauci, filii fratres, aut nepotes Regum, seu magnorum Principum, in quibus cum circumspectione, & maturitate morum competens literatura sufficiat. Hæc Concilium, quod eadem, pluraque alia statuit, *sess. 27. Decreto 2.*

38 Verùm non est minùs hoc agendum, ut sint Cardinales diversarum gentium, quàm ut multi sint, & probati. Itaque prudenter Bessarion, & Isidorus in Concilio Florentino ad unionem Græcorum retinendam adlecti sunt. Nam non modò multa hujus rei sunt commoda, sed necessitas penè videtur. Primò, ne in Consistorio, & Judicio Ecclesiæ, quod est omnium sanctissimum, studia nationum sentiantur, ne ulla natio se contemptam arbitretur, ne deesse sibi apud Apostolicum quæratur patronum. Secundò, quia cùm omnium gentium Principibus, Rebuspublicis, Regibus agendum est, huic rei conducit, in consilio habere omnium gentium optimates, per quos negotia tractentur. Tertiò, id quoque cognoscendis causis, statuique gentium omnium necessarium est, ne majores in gubernatione committantur errores, quàm ignorantia Reipublicæ; at fieri non facilè solet, ut exteri omnia perspecta habeant, quæ ad alias gentes instruendas, conciliandas, gubernandas pertinent.

39 Cardinales igitur pro nationum diversitate, varios esse oportet, atque ex omni genere selectissimos viros, multos etiam nobilitate, ac statu insignes, non modò sanctitate, & eruditione. Nam per eos frequenter res maximè conficiuntur, fœdera Regum, pax, & tranquillitas Reipublicæ acquiritur.

40 Potest sine dubio in hisce Pontifex, habita ratione temporis, loci, ac necessitatis, aliter disponere, sed an ita expediat, diligenter perpendendum est. Id sanè tenendum, nunquam esse aliquem eligendum Cardinalem, ut ipse electus ad honores, opes, potentiam evehatur, sed publici boni causa, ut utilitati, ac necessitati Ecclesiæ prospiciatur.

41 Verùm leges optimas Cardinalibus fixit Concilium Lateranense *sess. 9.* his verbis: *Cùm Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales cæteros omnes in ipsa Ecclesia post Summum Pontificem honore, ac dignitate præcedant, conveniens, ac debitum est, ut vitæ munditia, ac virtutum splendore cunctis præfulgeant. Quapropter non modo hortamur eos, ac monemus, verùm etiam statuimus, & ordinamus, ut de cætero quilibet Cardinalium pro tempore existens juxta doctrinam Apostoli ita sobriè, castè, ac piè vivat, ut non solùm a malo, sed ab omni etiam specie mali, abstinens coram hominibus luceat, Deumque in primis operibus honorificet.*

42 *Sint omnes vigiles, ac divinis officiis, Missarumque celebrationibus intenti, habeantque Capellas suas in loco honesto, prout facere consueverunt; sitque eorum domus, familia, mensa, suppellexque non fastu, aut pompa, neque superfluis rebus, neque aliquo modo reprehensibilis, ne peccandi, excedendique modum licentia inde nascatur, sed ut æquum est modestiæ, ac frugalitatis speculum dici mereantur.*

43 *Illis itaque sint contenti, quæ sacerdotalem præseferant modestiam, ac Prælatos, & quoscumque alios insignes Viros ad Romanam Curiam venientes, benignè, honorificèque tàm publicè, quàm privatim tractent, & apud nos, ac successores nostros gratiosè, liberaliterque eorum negotia commendata suscipiant.*

44 *Præterea ministerium indecorum Episcoporum, Prælatorumque in domibus non habeant, ne cæteris præesse instituti, & sacro charactere insigniti, in vilia descendant ministeria, passimque Pastoralis officii contemptum inducant. Eos itaque, quos vel nunc habent, vel in posterum sunt habituri, honorificè, ut fratres, ac juxta eorum status condecentiam tractent. Cùmque Romano Pontifici communi omnium Christifidelium Patri assistant, personarum acceptatores, vel advocatos eos fieri, valdè inconveniens est.*

Propterea statuimus, ne partialitatem suscipiant aliquam, neque Principum, aut Communitatum, vel quorumcumque aliorum contra quempiam, nisi quantum justitia, & æquitas postulat, eorumque dignitas, & conditio requirit, promotores, aut defensores fiant; sed a privata omni passione sejuncti, sedandis, & componendis inter quoscumque litibus, omni diligentia vacent, incumbantque; Principum, & quorumcumque aliorum, ac præsertim pauperum, & religiosorum justa negotia pio promoveant affectu, oppressos, & injustè gravatos, juxtà vires suas, & officii debitum adjuvent. 45

Tituli sui loca, si præsentes in Curia fuerint, personaliter, si verò absentes, per Vicarium idoneum semel saltem singulis annis visitent. Clericos, & populos Ecclesiarum Titulo suo subjectarum, cum diligentia inquirant, vigilentque circa Cultum Divinum, & bona dictarum Ecclesiarum, moresque in primis, & vitam Clericorum, & Parochianorum solerter explorent, eosque omnes, & singulos ad rectè, honestèque vivendum paterno moneant affectu. 46

Pro augmento Divini Cultus, & salute animæ suæ quilibet Cardinalis, vel in vita donet, vel in mortis articulo relinquat suo Titulo quantum sit satis ad Presbyterum unum commodè ibi sustentandum; vel si Ecclesia indigeat reparatione, vel alia subventione, tantùm illi relinquat, vel donet, quantùm conscientiæ suæ videbitur. 47

Et cùm minimè deceat affines, & consanguineos, præsertim benemeritos, & ope indigentes negligere, sed illis providere, justum, & laudabile sit, non propterea tamen vel beneficiorum multitudine, vel Ecclesiasticis redditibus ita eos implere convenire arbitramur, ut cæteri damnum ex hujusmodi largitionis intemperantia patiantur, & inde scandalum nascatur. 48

Statuimus itaque, ut Ecclesiarum bona temerè non effundant, sed in iis, & sanctis operibus exponant, quorum causa magni, & optimi redditus per sanctos Patres statuti, ac ordinati fuerunt. 49

Volumus etiam, ut Ecclesiis eisdem Cardinalibus commendatis, etiamsi Cathedrales, Abbatialesve, aut Prioratus, vel quæcumque alia beneficia Ecclesiastica fuerint, absque omni prorsùs excusatione procurent, ac omni conatu suo provideant debitè inserviri, Cathedralibus dignos, & idoneos Vicarios, seu suffraganeos, prout consuetudo fuerit, cum digna, & competenti mercede apponentes, reliquis autem sibi commendatis Ecclesiis, aut Monasteriis de juncto Clericorum, vel Capellanorum, seu Religiosorum, aut Monachorum Deo sufficienter, & laudabiliter servientium munere providentes, ædificia quoque, possessiones, & jura quæcumque in statu convenienti conservent, & diruta instaurent, sicut ad bonorum Prælatorum, & Commendatariorum officium spectat. O leges aureæ dignas! O leges in ædibus Cardinalium imprimendas! 50

Sunt qui putent, Cardinalis nomen, sicut non est nomen Ordinis a cæteris Ecclesiasticis Ordinibus distincti, sic non esse jure communi dignitatis nomen, sed tantùm muneris, & officii, ut scilicet Pontificem Romanum suo consilio, opera, studio, & industria juvent. Ita Baldus, Felinus, Laudensis, Andreas Siculus, ut refert Cardinalis Albanus *de Card. quæst. 6.* 51

Verùm quicquid illi dicant, de jure communi dubitandum non est, esse nomen dignitatis vel jure, vel consuetudine. Nam Cardinales cæteris honore, & dignitate præstant. Deinde jus habent, ac potestatem Romanum Pontificem eligendi, quod est honoris, & dignitatis. Item jurisdictionem Episcopalem habent in Ecclesiis, quibus præsunt, *c. his, qui de major. & obed.* Postremò, ille dignitatem habere creditur, qui in Ecclesia honoris aliqua prærogativa gaudet, & apud quem est aliquod jus, ac potestas. Sed Cardinales multis prærogativis potiuntur. Jus itidem, & potestatem in multis causis, & rebus maximi ponderis, & momenti habent. Atque adeò meritò dignitatem tenere censentur. Hanc sententiam multis rationibus confirmat Cardinalis Albanus, *qu. 6. de Cardinal.* 52

Quod Cardinales cæteris Ecclesiarum Præsulibus honoris dignitate præstent, more, & consuetudine Curiæ, & Ecclesiæ Romanæ, certò constat; sed an jure ipso communi antecellant, quæritur. 53

Et sanè certi juris est, Episcopum potestate Ordinis esse Presbytero Cardinali majorem. Item Presbyterum eadem potestate esse Diacono Cardinali superiorem. Quoniam Episcopus in Sacramentis multa potest, quæ Presbyter Cardinalis non potest. Et Presbyter Cardinalis potest sacrosanctum Christi Corpus consecrare, rem divinam facere, & offerre pro vivis, ac Defunctis, & alia Sacramenta ministrare, quæ non potest Cardinalis Diaconus. 54

55 Certum etiam est, administrationis authoritate, ac dignitate honoris Cardinales longè præstare Episcopos. Nam Cardinalium est Romanum Pontificem eligere, ei a consiliis esse, ardua unà cum eo totius Ecclesiæ negotia tractare, & agere. Prætereà Cardinales Romanus Pontifex fratres appellat, quorum consilio dicit se hoc, aut illud decernere. Cardinales item in publicis Comitiis, & Conventibus, in publicis supplicationibus, & aliis quibuslibet rebus primi a Romano Pontifice sedent, primi suffragium, ac sententiam ferunt, subscribunt, stant, incedunt. Denique sicut Episcopi sua habent Canonicorum Collegia, sic etiam in ipsa Romana Ecclesia tanquam Pontificiorum quorumdam Canonicorum Collegium est purpuratus, & sacer Cardinalium Conventus, qui unà cum ipso Pontifice unum veluti corpus efficit, cujus caput est Papa, & membra sunt ipsi Cardinales.

56 Quare quemadmodum Presbyter Ordinis potestate est Archidiacono superior, jurisdictionis tamen administratione, & honoris dignitate solet esse inferior, & Presbyter, qui est Episcopus electus, & confirmatus, nondum tamen consecratus, est Presbytero jurisdictione superior, quamvis Ordinis potestate par; ita etiam Cardinalis est Episcopo administratione superior, sed inferior Ordinis potestate. Extat apud Jacobatium Epistola Eugenii IV. ad Archiepiscopum Cantuariensem, ubi multis rationibus concludit, Cardinalem honoris dignitate esse Episcopo, Archiepiscopo, & Patriarcha superiorem. Nam Sylvester constituit, ut sine plurimis testium sententiis Cardinalis damnari non possit, quod nullus Episcoporum, Archiepiscoporum, Patriarcharum habere legimus; Apostoli Christo assidebant, qui similitudinem referebant Cardinalium Pontifici astantium, cùm tamen Episcopi significati sint in Apostolis per totum terrarum Orbem ad Evangelium promulgandum missis; Papa Cardinales appellat sui corporis partem; cùm è Curia Romana Cardinalis mittitur, dicitur Legatus a Latere Apostolico destinari, & in Provincia, ad quam est missus, cæteris antecellit. Qui in Cardinalem manus violentas infert, vel consilium, aut favorem ad id præstat, reus læsæ Majestatis habetur, & gravissimis pœnis coercetur, quibus non punitur, qui reliquos Ecclesiarum Antistites offendit Constantinus, ait: *Volumus deinde Romanæ Ecclesiæ Clericos Reverendissimos singulos habere illud sanctum culmen potentiæ, & excellentiæ, cujus sanctissimi nostri Senatus gloria adornantur Consules, idest Patritios fieri. Cæteri itidem Ecclesiæ Prælati certis Ecclesiis præsunt, & Cardinales communi totius Ecclesiæ saluti consulunt, & studeant. Reliqui certas Ecclesias regunt, Cardinales verò unà cum Papa totius Reipublicæ Christianæ negotia pertractant.* Hæc ex illa Epistola.

57 Dubitatur tamen, an semper Cardinalis fuerit administratione, & honoris dignitate Episcopo superior? Joannes Andreas, & Geminianus in *cap. Cùm aliquibus de reseript. in 6.* testantur ante Bonifacii VIII. sæculum multos Episcopos non fuisse in numerum Cardinalium adscriptos, ne Pontificiam dignitatem minuere viderentur. Refert idem Onuphrius Panvin. *in opuscul. de Cardinal.* ante id tempus ex Episcopis non consueviſse Romanum Pontificem creare Cardinales, quia Episcopi erant Cardinalibus superiores. Apud Sanctum Bernardum quoque extant Epistolæ, quarum inscripto sic habet: *Episcopis, & Cardinalibus in Urbe, aut Curia Romana commorantibus. Et cap. Constitutis 1. de appell.* cùm Alexander III. cuidam Cardinali scribat, Epistolæ inscriptio talis est: *Gradensi Patriarchæ, & Sancti Vitalis Presbytero Cardinali*: Ergo eo tempore, inquiunt, Episcopus, ac proinde etiam Patriarcha, seu Archiepiscopus Cardinali præstabat honoris dignitate.

58 Alii tradiderunt longè ante Bonifacium Octavum Cardinales Episcopis honore præcessisse, ut constat ex his verbis Petri Damiani: *Romani Cardinales Romanum Pontificem principaliter eligunt, & quibusdam aliis prærogativis non modò quorumlibet Episcoporum, sed etiam Patriarcharum, atque Primatum jura transcendunt. Salvo quippè universalis Ecclesiæ Sacramento, isti sunt oculi unius lapidis, ipsi lucernæ unius candelabri.* Sic ille.

59 Tenendum arbitror, ex quo jus, & potestas Romanum Pontificem eligendi ad sola Cardinalium suffragia redacta est, cœperunt Cardinales paulatim honoris dignitate cæteris etiam Archiepiscopis, & Patriarchis anteponi, at non statim summum honoris gradum obtinuerunt; & ideò Petrus Damianus, qui ante Bonifacii Octavi ætatem floruit, scripsit Cardinales in eligendo Pontifice, & quibusdam prærogativis esse Episcopis, & Patriarchis superiores. Id etiam a Joanne Andrea, Geminiano, & aliis proditum. Verùm pariter est, Bonifacii tempore Episcopos in Cardinales non eligi, ne de Ordinis potestate, & gradu descendere viderentur.

Approbanda videtur ea consuetudo, quia in Regum, 60
ac Principum Comitiis, & Conventibus extra Curiam Romanam quilibet Episcopus, ut suæ Ecclesiæ Præfectus, & Pastor, non ut Cardinalis sedet, ac sententiam dicit, videlicet, prout est in Episcopatu antiquior. Nam videtur expresso, vel tacito Pontificis consensu confirmata. Secus autem jure ipso non valeret. Reges enim, & Principes de Ecclesiasticis personis, aut rebus leges, aut jura ferre, & condere directè non possunt. Nemo enim leges ferre nisi in homines sibi subditos potest, quia ferre leges, & statuta ponere, est jurisdictionis, *l. nulli Cod. de sentent. & interloc.* ibique Baldus, traditque Romanus *cons.* 218. *num.* 2.

Sic Cardinales jure quoque ipso quatuor Patriarchis, 61
nimirùm Constantinopolitano, Alexandrino, Antiocheno, & Hierosolymitano, honoris dignitate non præficiuntur, ut quidam censent, sed usu dumtaxat Curiæ Romanæ.

Gravis quæstio est, an Cardinales in generalibus Ec- 62
clesiæ Consiliis, atque Conventibus jus habeant suffragium ferendi, hoc est definiendi res fidei, & morum, & jus in decretis Concilii subscribendi? Negant nonnulli eo unico argumento permoti, quod in Conciliis sæpè dicitur ea esse Episcoporum, Concil. Antiochen. *cap.* 20. Laodicenum *cap.* 40. Chalcedonense *act.* 15. *can.* 19. Tarraconense *cap.* 6. ut habetur in *can. propter Ecclesiasticas dist.* 18. & in antiquis Ecclesiæ Conciliis solos Episcopos definisse, & subscripsisse legimus, non Cardinales, nisi tanquam Romani Pontificis Vicarios, aut Legatos, vel Nuncios.

Alii verò sentiunt, Cardinales authoritatem habere 63
definiendi, & subscribendi, non quidem ordinario jure, sed facultate commissa, & demandata. Convenit enim nobis aliquid dupliciter, vel jure ordinario, hoc est ratione muneris, & officii, quo fungimur, vel demandata, & commissa potestate, sicut Presbyter ordinaria authoritate, & jure Corpus Domini populo ministrat, & Christi Evangelium annunciat; sed Diaconus olim commisso, ac demandato sibi jure Dominici sanguinis poculum plebi ministrabat, ac Dei verbum proponebat. Item Episcopus ordinario jure Clericos creat, Abbates verò Clericorum tonsuram, & quatuor minores ordines Privilegio, consuetudine, & commisso jure conferunt. Ad eum quoque, inquiunt, modum Episcopi jure suo in Conciliis fidei dogmata definiunt, & in decretis deinde subscribunt; Cardinales verò definiunt commisso, ac demandato, non ordinario jure.

Alii contra Cardinales censent definire, ac subscri- 64
bere non solùm demandato, sed jure ordinario. Ita docet Turrecrem. *in summ. lib. 3. capit. 14. ad 16.* Et hoc verum esse videtur. Nam jus in Conciliis definiendi, & subscribendi, non est potestatis Ordinis, sed jurisdictionis: ergo non solùm est Episcoporum. Legimus etiam in antiquis Conciliis non solùm Episcopos definisse, sed etiam Monachorum Abbates, item Generales Religiosorum Ordinum Præpositi in Conciliis definiunt, & subscribunt. Et in Synodo Romana sub Symmacho subscripserunt Episcopi, & postea Presbyteri, & tertio loco Diaconi Ecclesiæ Romanæ in hunc modum: *Cælius Rusticus Episcopus Minsurnensis subscripsi, & consensi Synodalibus Constitutis, atque in hac me profiteor manere sententia.* Deinde: *Cælius Laurentius Archipresbyter Tituli Sanctæ Praxedis his subscripsi, & consensi Synodalibus Constitutis, atque in hac me profiteor sententia manere.* Deinde subscriptio Diaconorum: *Cyprianus Diaconus Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Regionis septimæ his subscripsi, & consensi Synodalibus constitutis, atque in hac me profiteor manere sententia.*

Cardinalium igitur est in Conciliis definire, & sub- 65
scribere non solùm commisso, ac demandato sibi, sed etiam ordinario jure, idest ratione dignitatis, in qua sunt constituti. Nam quamvis Presbyteri, aut Diaconi tantummodò sint, jurisdictionem tamen, & administrationem habent.

Immunitati Cardinalium Leo X. prospexit in eorum 66
statutis *cap.* 2. Nam consuetudinem illam, qua populus, Cardinalis, quem audierat fore Pontificem, ædes diripit, omninò subtulit.

Beatus Pius Quintus ex Constitutione Bonifacii VIII. 67
cujus initium: *Fœlicis recordationis*, cùm qui per se, aliumve, læserit Cardinalem, reum majestatis pronunciat in sua Constitutione, quæ incipit: *Infœlicis sæculi*,

data

data 14. Kalendas Januarii 1569. Nec quidem immeritò majestatis crimen imponitur, cùm sint Principes Ecclesiæ, Judices, Consiliarii, in partibus sibi commissis Rectores, quos necesse est, si officio fungi velint, multos offendere. Cùm autem parva præsidia habeant amorum, quibus se tueantur, omni ratione eorum securitati consulendum est. Interim & illis ita vivendum, ne occasionem periculis suis sponte arcessant. Quod maximè modestia, & frugalitate consequentur. Qui enim sumptu, & magnificentia procedunt, multos invidos, multos inimicos sibi conciliant, Deo temerariam sacrarum opum prodigalitatem vindicante, ut dum splendorem principalem ambiunt, odiis, ac periculis agitentur. Rarò Ecclesiæ Cardinalis profuit, nisi modestus, & frugalis; nimiæ opes obfuerunt sæpiùs, ideò honesti, & mediocres sumptus in plures, quàm immodici in unum conferuntur.

68 De Cardinalibus si plura desideras, vide Barbatiam *in tract. de præstantia Cardinalium*, Hieronymum Manfredum *in tract. de Cardinalatu cap.* 1. Alvarum Magium *lib. 2. de planctu Ecclesiæ art. 26.* Vvaldensem *lib. 2. doctrinal. fid. art. 3. cap.* 54. Joannem Turrecrematam *lib. 1. de Eccl. cap.* 81. *& seqq.* Dominicum Sotum *in 4. sentent. quæst. 2. art.* 4. Martinum Laudensem *de Cardinalibus*, Dominicum Jacobatium *lib. 1. de Concil. art.* 12. Hieronymum Abbatem *lib. de Cardin.* Onuphrium Panvinum, Volaterranum, aliosque. Eorum moribus, vigilantia, moderatione potest Ecclesia stabiliri, Ordines Cleri reformari, si voce, & exemplo præeant.

69 Dubitatio superest non parum controversa, an sine Cardinalium consilio possit Romanus Pontifex ardua Ecclesiæ negotia tractare, expedire, atque conficere? Cujusmodi sunt creare Cardinales, Episcopos transferre, generalem legem promulgare, feuda magna concedere, Legatum a Latere mittere, ad Provinciam, vel Regem, vel Principem, bellum indicere, alienare res pretiosas Ecclesiæ.

70 Hæc quæstio sic explicari potest. Multi Pontificii juris Interpretes senserunt, id non posse facere Summum Pontificem sine consensu Cardinalium. Ita Jo: Monach. *in cap. super eo de hæret. in 6.* Card. *cons.* 150. *& in repetit. super cap. perpendimus de sentent. excommunic. & in cap. licèt de elect.* Archidiacon. *in can. sicut quidam* 25. *quæst.* 1. *& in can. Cùm Redemptor* 12. *quæst.* Bald. *in leg. cum multa, C. de bon. quæ liber.* Jas. *in leg. placet, Cod. de Sacrosanct. Eccles.* Aretin. *in leg. 2. ff. solut. matr.* Felin. sibi contrarius *in cap. ult. §. 1. de offic. Judic. deleg.* Unde Martinus Laudensis *tract. de Cardin. par. 1. quæst. 2.* & Barbat. *tract. de præstant. Cardin. & consil.* 40. *vol.* 4. ajunt, Collegium Cardinalium quasi possessionem habere, ne sine eorum consensu ardua negotia expediat Romanus Pontifex.

71 Communis tamen, ac vera sententia est, ut testatur Cardinalis Albanus *in tract. de Cardin. quæst.* 39. absolutè, ac simpliciter posse Pontificem negotia ardua expedire sine Cardinalium consensu. Habet enim suam potestatem, & jurisdictionem proximè a Christo Domino, non ab homine. Adhibet ad sua consilia Cardinales, sed non eget ipsorum consensu, ut ratum sit, ac firmum, quod facit. Idque non obstante clausula, de qua in *leg. humanum, ff. de legibus*, & illa: *De fratrum nostrorum consilio*, cùm importare videatur potiùs quid decentiæ, quàm quid necessitatis, præsertim in materia non ardua, ut rectè Felin. *in rubric. de Constitut. sub initio*, & Albert. *in cit. l. humanum, in princip.* ubi ait, multos esse Reges, qui convocant suos Consiliarios, quorum consilium nolunt sequi, Gloss. *in can. 1. & in can. pervenit distinct.* 84. quemadmodum Roboam, qui perdidit Regnum, quia noluit audire Consiliarios suos sapientes, sed consilium juvenum, eadem Gloss. *in cit. can. pervenit*, & Specul. *in tit. de advoc. §. 3. vers. habito, & in titul. de requis. Concil.* Laudens. *in tractat. de Consil. Princip. quæst.* 19. & Luc. de Penn. *in l. omnes de decur. lib.* 10.

72 Et quidem jubet Spiritus Sanctus, quod accipiatur consilium, & sæpiùs a multis, *Salus ubi multa consilia*, cap. 11. Proverb. Salom. & cap. 12. subdit, *Sapiens est? Audit consilia*, & in cap. 13. asserit de hominibus prudentibus, quod *agunt omnia cum consilio*. Id ipsum replicat in cap. 15. 19. 20. 24. 27. ac 31. Stulti solùm mirificè sibi blandiuntur, se non indigere Consiliariis: *Via stulti recta in oculis ejus*. Qui autem sapiens est, audit consilia, inquit Salomon, hoc est divina Sapientia per os illius, *d. cap. 12. Proverb.* Ipse Deus sapientissimus gaudet consilio, & inter alia nomina, quæ dantur ejus Filio, idest Admirabilis, Consiliarius, *Isaj. 9.*

73 Unde quemadmodum Rex Salomon optimè cognovit necessitatem consilii, semperque illo usus fuit cum mirabili prosperitate sui longissimi regiminis; ita Roboam ejus filius, quod noluerit uti sapientum consilio, subiit extremas calamitates. Regnum a Deo dilectum, scissum primò jam fuit ob malum consilium, in quo comparuerunt tanquam in Idea, duæ principales distinctæ species Consiliorum haud bonorum, nimirùm juvenum, & violentorum, ut habetur *lib. 3. Regum cap.* 12. Dixerunt enim Senes Consiliarii Salomonis Roboamo, ut populum tumultuantem verbis placitis lactaret; at juvenes censuerunt, nimis atrociter populo minitandum. Quod fecit Rex, ex quo tamen sequuta est rebellio decem Tribuum.

At objicies fortasse, quomodo id esse poterit, si multitudo Consiliariorum difficilè redderet secretum, hoc est animam consilii, tacitæque cogitationis. Hoc periculum non custodiendi secretum, videtur approbare Salomon *cap. 15. Proverb.* ubi ait; *Dissipantur cogitationes, ubi non est consilium. Ubi verò sunt plures Consiliarii, confirmantur.* Textus Hebraicus legit: *Infringuntur cogitationes in non secreto:* Verbum enim *Sud*, hoc in loco significat consilium, & secretum. Videtur ergo, quod dicere velit, vanescere magna consilia sine secreto, dum verba hæc. *Dissipantur cogitationes, ubi non est consilium*, habent eandem efficaciam, quam ista. *Infringuntur cogitationes in non secreto.* 74

Verùm haud est impossibile, obtinere in Consiliariis secretum, si in eorum delectu observentur qualitates, quas supra numeravimus, & quas mox addimus, quasque ex Lampridio attribuit Imperatori Alexandro Severo, qui eos deligebat, aut ex suo judicio, aut Senatus. Aliquando illos proponebat populo, ut quisque posset in illos se opponere. Satis est hodie pro testibus bona fama eligendorum. Detestabatur qui emissent officia, dicens: *Necesse est, ut qui emit, vendat.* Rejiciebat, qui se offerebant tanquam ambitiosi, erantque certò semper excluси a consiliis, qui semel auribus supplicantium spe magna de Principe aliquid darent, ab eo vocati, *Fumi venditores.* 75

Possunt igitur cum his cautionibus in electione Consiliariorum esse secreta consilia, quamvis Consiliarii sint multi. Solebant esse arcana, ut advertit Dionysius Alicarnassensis *lib. 2.* decreta numerosi Senatus Romani, de quo dixerat Varrò, *Romanos sedendo vincere*, quia majores erant victoriæ, quas reportabant a Consiliis, quibus in Curia res secretò, ac sapienter perpendebantur, quàm ab ipsis exercitibus, ipseque populus observavit secretum in suis consiliis. *Et fuit arcanum populo*, ait Statius. 76

In plerisque Principum aulis, ut evitetur periculum detegendi consilia, præter consultationes multorum, in quibus non proponuntur res graviores, introductus est usus Auctarii, sive Adjectionis paucorum, vulgò, *Giunta*, Secretiores Cubiculi intimi, & arcani. De Principe, qui hoc utitur, dici potest, quod observat consilium Ecclesiastici capit. 37. *Absconde consilium*, & capit. 34. *In absconditis suis consiliabitur.* 77

Porrò licèt Cynus *in l. fin. de legibus, & in l. fin. de petit. hæred.* putet ad instar olim Senatus Romani successisse Romæ unum Senatorem, qui a Summo Pontifice eligitur, *cap. fundamenta de elect. in 6.* subdens, talem Senatorem habere tantam authoritatem, quantam habebant illi centum, *l. sicut & l. planè ff. quod cujusque universit. & cap. gratum de postul. Prælat.* quia successit locum, & potestatem omnium, contrarium tamen tenendum est, ut cum communi Doctorum sententia docet Cardin. *in canon. Senatusconsultum 2. dist.* sed potiùs successisse Collegium Cardinalium. Nam Ecclesia suum habet Senatum, cujus consilio Pontifex omnia agit, *can. Ecclesia 16. qu. 1.* ibique Archid. *in princip.* Innoc. Abb. & Felin. in *cap. Cùm te, de re judic.* Specul. *tit. de leg. §. 3.* Cardin. *in cap. absit dist. 1.* Anan. *in cap. ad deliberandum de Judæis*, Laudens. *in cit. tract. de Cardinalib. qu.* 11. Barbat. *cons. 1. vol. 1.* 78

Et quamvis non valeat argumentum a Senatu ad Cardinales, æquiparando scilicet Cardinales Senatoribus, ut rectè adnotarunt Doctores in locis modò allegatis; certum tamen est, quod Cardinales cum Papa faciant unum Collegium, quod in administratione rerum universalis Ecclesiæ congregatur, ut Pontifici consulat, *Clem. ne Romani juncta Glos. v. censum de elect.* & tradunt Archid. & Cardin. *in can. in nomine Domini dist. 33.* ac Butr. *cons.* 412. 79

Hac ratione Collegium Cardinalium rectè dici potest Senatus Summi Pontificis, etsi non per omnia Cardinales habeant potestatem antiquorum Senatorum, ut advertit Abb. & Felin. *in cit. cap. Cùm te.* In aliquibus tamen habent potestatem longè majorem. Nam 80

eligunt Summum Pontificem, *d. can. In nomine Domini.* Renuente Papa, possunt convocare Concilium Generale, & eligere locum, ut docet Butr. *cit. conf.* 412. Quod & in negligentiam Cardinalium possunt facere etiam Patriarchæ, qui Primates sunt post Cardinales; quin propter aliquas causas id debent facere.

81 Primò, propter Notorium delictum scandalizantis totam Ecclesiam. Secundò, ubi apparet incorrigibilitas Papæ. Tertiò, per evidentem necessitatem, & utilitatem reformationis in capite, & in membris, præsertim ad observandum juramentum, quod Pontifex, & Cardinales jurant congregare Concilium Generale, cùm super his est necessaria illius Congregatio, Butr. *loc. cit.* Laudens. *ibidem quæst.* 35. Barbat. *d. conf.* 2. *lib.* 1. Dec. *de potest. & authorit. Papæ, & Cardinal.* Cataldin. Boncompagn. *in tract. de translat. Concilii Basil.* & ibi Ludovic. Bologn. *in addit.* At Senatus olim non eligebat Imperatorem, neque hodie, *cap. Venerabilem de elect. & cap. Apostolicæ de re judic.* & tradit præter alios, Philip. Cor. *conf.* 1. *vol.* 3. Siquidem exercitus olim Imperatorem eligebat, Card. *in can. In Synodo dist.* 63.

82 Objicies. Pontifex Summus a nemine potest judicari, vel deponi, ne ab Imperatore quidem, neque a Regibus, neque a Populo, neque ab omni Clero, *cap. ult.* Concilii Romani sub Sylvestro I. & videri potest Symanch. *de Cathol. Institut. tit.* 12. *num.* 1. Quia cùm Pontifex potestatem suam non acceperit a Principibus, neque ab Ecclesia, sed solùm media Ecclesiæ, sive Cardinalium electione, tanquam conditione, sine qua non, a Christo Domino; consequens est, quod eadem potestate excidere non possit, nisi solùm Christo Domino auferente.

83 Respondeo retorquendo argumentum. Nam sicuti Pontifex media Ecclesiæ electione a Christo Domino accipit potestatem, ita similiter media Ecclesiæ depositione tanquam conditione sine qua non, eodem Christo Domino auferente, excidit potestate, siquidem eisdem causis, quibus res nascitur, deperditur. Quod accidit primò, si Pontifex in hæresim notoriam labatur, saltem postquam ab Ecclesia fuerit declarata, ut per Doctores, quos sequitur Suarez, *lib. 3. defens. fid. Cathol. cap.* 18. *& lib. 4. de leg. cap.* 7. Secundò, si Pontifex Episcopatum resignet, Ecclesia resignationem acceptante. Tertiò, si exteriùs se gerat ut Hæreticum, ideoque Ecclesia alium eligat, qua ratione submoto Liberio Pontifice, Felicem II. substitutum fuisse, ait Bellarm. *lib. 4. de Pontif. cap.* 9. Quartò, si tempore schismatis Ecclesiæ non possit cognosci quisnam sit verus Pontifex. Quo casu propter bonum publicum potest alium eligere, Suarez *d. cap.* 18. ac Bellarm. *de Concil. lib.* 2. *cap.* 19. *ad* 3. *argum.*

CONSULTATIO CCXVII.

An, & quatenus Summus Pontifex transferre possit bona Ecclesiastica ad alios usus, etiam in Principes Seculares? Bonorum Ecclesiasticorum dominium apud quem sit? Quo jure Pontifex prohibeatur alienare res Ecclesiasticas? An Pontifex sit Dominus bonorum Ecclesiæ? Alienatio rerum Ecclesiasticarum quando sit justa, & valida? Quando valida, & non justa? Quando neque justa, neque valida?

1 Affirmo, si est necessarium, vel expediens valdè ad commune bonum Ecclesiæ: Tunc enim Pontifex bona Ecclesiastica ad alios usus etiam in Principes Seculares, nedum in alias Diœceses, vel Ecclesias, poterit transferre. Ita temporibus nostris factitatum fuisse a Summis Pontificibus, vidimus etiam Principibus Secularibus concessa in Ecclesiæ utilitatem, de quo alibi.

2 Absque tamen justa causa hoc facere Pontifex non potest, quia ex communiori, ac probabiliori Doctorum sententia non est illorum bonorum Dominus, sed administrator, ac proindè servare debet fidelis dispensatoris leges, quarum præcipua est publica Ecclesiæ utilitas.

3 Atque ita contra Flamin. Paris. *lib.* 2. *de resign. qu.* 4. *n.* 34. Redoan. *de Spol. qu.* 2. *n.* 21. Gonzal. *ad regul.* 8. *Cancell. in proœm. §.* 1. *n.* 33. Archidiaconum, & alios, quos sequitur Sopranus *in appendice ad Filliucium tract.* 44. *de alienat. rer. Eccles. cap.* 3. *num.* 3. *ac* 10. docent Sarmiento *de reddit. Eccles. part.* 4. *cap. ult. num.* 1. & Vasqu. *in opusc. ejusdem tituli cap.* 2. *§.* 1. *dub.* 1. qui tenent, quod dominium bonorum uniuscujusque beneficii sit apud suum beneficiatum, cum onere tamen, & obligatione non alienandi, sed transmittendi illa successoribus absque detrimento. Moventur quia bona Episcopatus, dicuntur de patrimonio talis Episcopatus, *ca-non. judicatum distinct.* 69. & tùm quia nequit assignari sufficiens ratio, cur beneficiatus non sit Dominus sui beneficii.

Ita quoque tradunt Molin. *de justit. & jur. tract.* 2. *disp.* 29. *concluf.* 2. & Less. *eodem argum. lib.* 2. *cap.* 4. *dub.* 7. qui tenent, quod dominium bonorum Ecclesiasticorum sit apud cœtum personarum cujuslibet Ecclesiæ, ad quam illa bona pertinent. Tum quia hujusmodi bona vocantur dos, & patrimonium talis Ecclesiæ. Tum quia dicuntur esse sub dominio Ecclesiæ, *cap.* 1. *de testam. in fin.* Et tum quia empta nomine Ecclesiæ, acquiruntur Ecclesiæ. 4

Ita etiam docent Innoc. *in cap. Cùm super electione de caus. poss. & propriet.* & alii qui firmant, quod dominium bonorum Ecclesiasticorum sit penes Congregationem universalem fidelium. 5

Et ita denique docent complures alii, qui tenent quod dominium bonorum prædictorum sit apud Deum, non solùm ut universalis, sed etiam ut particularis Dominus, quatenus ipsi hæc peculiariter offeruntur, & dedicantur. Tum quia sunt patrimonium Dei, & res Dominicæ dicuntur, *can.* 40. *Apostolorum.* Vide Navar. *com. de Spol. Cleric. §.* 2. *&* 3. 6

Hinc quamvis Pontifex Canonici juris solemnitatibus, absolutè loquendo, obstrictus non sit, sicuti alii Prælati obstringuntur; naturali tamen, ac divino jure prohibetur alienationes facere, cùm bonorum Ecclesiæ non Dominus, sed solùm administrator a Christo constitutus sit, non ad dissipandum, sed ad dispensandum; unde rectè distinguit Navarr. *cit. §.* 3. *num.* 8. *juncto §.* 15. *num.* 4. quod alienatio rerum Ecclesiasticarum facta a Papa alia sit justa, & valida, quæ videlicet rationabili causa nititur, alia sit valida, & non justa, si absque justa causa res unius Ecclesiæ in aliam Ecclesiam, aliumve pium usum transferantur; alia demum neque justa, neque valida, si res Ecclesiæ sine rationabili causa in usus profanos alienentur, ut si laicis sine justa causa donentur.

CONSULTATIO CCXVIII.

An, & quatenus Pontifex Summus, ac Princeps sæcularis possint admittere compensationem?

Affirmativè quando bona sunt incerta, vel incertum est debitum, quia scilicet creditores ignorantur, sive debitum sit ex delicto, ut in usuris, vel furtis minutis; sive sine delicto, ut in debitis ex contractu, vel in rebus inventis. Quia quando ignoratur proprius bonorum Dominus, restituenda illa sunt in usus pios, non quidem jure naturæ, sed jure positivo, sicuti docet communior Doctorum opinio apud Lessium *de just. & jur. lib.* 2. *cap.* 14. *dub.* 6. *&* 7. Pontifex autem potest dispensare in jure positivo. Quare sublata hac restituendi obligatione, sicut ex probabili contingit in bonis generis posterioris, licitè potest quis ista sibi retinere, tanquam adespota, hoc est relicta, quæ fiunt primò occupantis; sive bona nullum hæredem habentia, quæ fisco cedunt vacantia, præsertim si sit pauper. 1

Cæterùm si creditores sunt noti, Pontifex nec licitè, nec validè poterit hominem a restitutionis obligatione liberare, nisi subsit justa causa, ut alibi a nobis dictum est. Prior pars probatur. Quia nequit Pontifex, aliusve Princeps sæcularis validè, ac multò minùs licitè sine causa justa rem unius auferre, eamque alteri dare. Non enim est Dominus, nec dispensator bonorum, quæ subditi privatim possident, sed tantùm est defensor juris, ac boni communis, judexque, ac vindex criminum. 2

Probatur pars altera, quia esto quod Pontifex habeat supremam potestatem in bonis temporalibus Clericorum, & Christianorum, illam tamen habet in iis potestatem indirectam, quatenùs opus est ad regimen spirituale totius Ecclesiæ, ac finis supernaturalis. Atque adeò posita justa causa, potuit validè, ac licitè imponere mulctas pecuniarias, & confiscationes bonorum pro delictis, ac proindè condonare etiam hujusmodi restitutiones alioquin faciendas. 3

Quod nota propter ea, quæ debentur hæreticis sive ex delicto, sive ex contractu. Cavendum tamen est scandalum, qua de re vide *cap. cùm secundum leges de hæret. in 6. & cap. quia in Ecclesiarum de Constit.* ac Sylvest. *in summ. restit. 7. quæst.* 2. *§.* 5. 4

Id autem, quod potest Pontifex, potest & Princeps sæcularis in ordine ad suos subditos. Nam justa lege ob hæresis crimen illorum bona applicata sunt fisco, etsi multoties ob potentiam talium hominum fieri non possit exequutio. 5

Adno-

6 Adnotandum tamen eſt non poſſe quicquam diminui per ſæcularem poteſtatem de redditibus Eccleſiaſticis applicatis uſui ſacro, vel perſonæ ſacræ. Nam tota ſunt ex omni parte jure divino conſecrata, & violans illa ex ulla parte, id faceret contra jus divinum, cujus declaratio, determinatioque jure divino pertinet ad ſolam Eccleſiaſticam poteſtatem. Quo circa definiunt omnes jus percipiendi redditus Eccleſiaſticos non poſſe ab ipſo Pontifice laicis communicari, & ſecus aſſerere eſt habitum pro hæreſi in Concilio Romano coactum, Paſchali ſecundo ſedente, adverſus Henricum Quartum Imperatorem.

7 Nam jus percipiendi redditus Eccleſiaſticos eſt adeò ſpirituale, atque ex omni parte conſecratum juri divino, ut neque Pontifex illud alienare poſſit, ac ſi id faciat, ſimoniæ crimen incurrat, ut omnes Theologi concludunt, Sanctus Thom. 2. 2. *quæſt.* 100. *art.* 4. Alexand. Halenſis *part.* 2. *ſumm. quæſt.* 167. *membr.* 4. *articul.* 2. & Durandus *in* 4. *diſt.* 25. *quæſt.* 5. *numer.* 8. *& ſeqq.*

8 Idemque jus eſt adeò connexum cum Clericali officio, ut illud disjungi ab hoc haud poſſit, & cùm Pontifex aliquid è redditibus Eccleſiaſticis concedit juſta de cauſa Principibus ſæcularibus, donans ipſis, quod eſt temporale in eis, tunc ſumunt illi de manu Eccleſiaſticorum de jure aliquo ſuo; ſed quaſi donata ab ipſis, ut iidem Doctores tradunt. Nam poteſt Summus Pontifex jus reſtringere, & ampliare in temporalia, non tamen a ſe, & Eccleſiaſticis in ſæculares Principes transferre, ut illud manens divinum, ſit ſubjectum ſæculari. Adeò divini juris eſt Eccleſiaſtica libertas, & poteſtas quoad res ſacras, adeò jus illud eſt ſpirituale. Unde ſi liberæ ſunt res ſacræ, multò magis liberæ ſunt perſonæ cum ſuis rebus, ut ſacræ ſunt.

CONSULTATIO CCXIX.

De publicis Conventibus, & Conſiliis, quæ Comitia, & Parlamenta dicuntur, eorumque neceſſitate, ac utilitate. Ad quid inſtituta? An, & qui univerſim ſuffragium habeant in Parlamento Regni Neapolitani? De eorum in Comitiis ſeſſione. De ordine ſeptem officiorum Regni. Cur ſeptem tantùm? Ubi etiam cur ſeptem Electores Sacri Romani Imperii? Qui convocati ad Comitia intelligantur? Suffragatores in Comitiis quid Principi donare poſſint? Donativi quantitas. Vires Regni quis examinare debeat? An aliquid donari poſſit Proregi? Quid requiratur, ut aliquid in Comitiis concludatur? Major pars in Comitiis an, & quatenus præjudicet minori? Alia.

1 DIximus hucuſque de perpetuis Principis Conſiliis, nunc de publicis illis Conſiliis, quæ Comitia vocantur, & alibi Parlamenta, ſolemnibus illis conſultationibus, ac generalibus omnium in Regno Ordinum Conventibus aliqua dicere debemus. Comitia voco illas Conſultationes, ſive Conſilia rariora, & univerſalia, ad quæ non tantùm Principis Conſiliarii, ſed & omnes ſive præcipuè Principatus, ſeu Reipublicæ ſtatus, & ordines convocantur, & de cauſis gravibus ad Reipublicæ ſalutem pertinentibus conſulunt. Jacobus magnæ Britanniæ Rex in quodam libro Comitio vocat ſupremam Regis Curiam, ſummumque Tribunal, & juriſdicendi locum, quia, inquit, inſtituuntur propter ſanctionem univerſalium legum, & graviſſimorum delictorum exequutionem, ſive pœnam. Indicuntur, & vocantur Comitia, teſte Toloſano, non quod Monarchæ, Reges, & Principes abſoluti leges condere, vel tributa exigere, vel inſolentes punire, atque adeo Rempublicam corrigere non poſſint, niſi neceſſariò, & tantùm in Comitiis; ſed propterea quia in iis omnia iſta faciliùs obtinebunt, & quia Imperatores, ac Reges his publicis Conventibus, & Comitiorum Conſiliis uſi, optimè ſibi commiſſos populos rexerint.

2 Et licèt abſolutus Princeps etiam ſine Comitiis, & Conſiliis publicis, ac generalibus, etiam ſine conſenſu ordinum, ac populi, leges condere, tributa ponere, bellum indicere, pacem inire, & reliqua Regni negotia ſolus peragere poſſit; humanius, ſapientius, ac melius tamen agit, & tamquam patriæ Pater ſubditos, ſive filios ſuos in amore, benevolentia, & obedientia retinet, & ſic affectum paternum quaſi in totius Reipublicæ conſpectu ſignificat. Hinc incredibile dictu eſt, quanta gratulatione Principem Comitia habentem plebs intuetur. Et eſt planè æquiſſimum, & juſtiſſimum, ut priuſquam bellum ſuſcipiatur, Conſilia cum iis communicentur, cum quorum facultatibus, cum quorum vita, & ſanguine bellum geritur.

Diverſi ſunt Principatus, & Regna. Quædam abſoluta ſunt, quædam limitatam poteſtatem habent. In illis Princeps liberè ex ſola, nuda, & pura voluntate Comitia convocat. Adde, quod in iiſdem nihil, quod diſpliceat Principi, ſtatui poſſit. In iſtis verò neceſſariò coguntur Comitia, atque quamplurima in iiſdem, non uſquequaque aſſentiente Principe, concluduntur. Comitiorum convocandorum jus eſt jus majeſtatis, nec imminuunt abſoluti Principis poteſtatem, ſi cum majeſtate indicta. Aliter dicendum eſſet, ſi humiliter petenda. Satius porrò eſt, ut frequentiùs, quàm ut rariùs Comitia fiant. In aliquibus Rebuſpublicis ſtatis temporibus, certiſque annis inſtitui ſolent; plerumque tempus hybernum diligitur, ne Ordines in negotiis aliis, æſtivis menſibus occupati abſtrahantur. 3

Cæterùm Comitiorum proceſſus pro Reipublicæ more in quovis Principatu, & ubique fermè talis eſt, qui ordinariorum, ac perpetuorum Principis Conſiliorum. In quibuſdam Reipublicis certus illis, ac perpetuus aſſignatus eſt locus, in quibus pro rerum commoditate locus unà cum Comitiis indicitur. In iſtis generalibus Conventibus, & Conſiliis, ſive Comitiis œcumenica cognoſcet Princeps omnia univerſa, & ſingula ſcitu neceſſaria, quæ per Regnum, ſive Rempublicam fiunt. Præſides, Gubernatores, & Conſiliarii boni defenduntur, & mali accuſantur. Hic Eccleſiaſtici, nobiles, plebei liberrimè conqueruntur, & ad votum audiuntur. 4

In Comitiis, ſive Parlamento Neapolitano ſuffragium ferunt Barones, etiam Eccleſiaſtici, Titulati, & non Titulati, necnon Univerſitates demaniales Regni, hoc eſt, quæ ſunt immediatè ſubjectæ Regi, ut per Belluc. *in ſpecul. Princip. rubr.* 7. Subfeudatarii autem nullo pacto ſuffragium habent in Parlamento, ut per Frecc. *lib.* 1. *de ſubfeud. in quæſt. incip. Fuit dubitatum*. Similiter nec Civitas ipſa Neapolitana unà cum Terris Hoſpitalis Sanctiſſimæ Annunciatæ. Quoniam ſunt exemptæ a contributione donativi, quod Regi præſtatur, ut per eumdem Frecc. *loco cit. ſub initio*. 5

Deputati verò Civitatis Neapolitanæ interveniunt in Parlamento ad petendum gratias a Rege, ad quem effectum eliguntur a Baronibus duodecim Deputati, ſex Titulati, & ſex non Titulati, qui habent duodecim ſuffragia, & eliguntur etiam alii duodecim a quinque nobilium ſedilibus, & Platea populari, duo pro quolibet ſedili, ac duo pro populo, ita tamen, ut conſtituant ſex ſuffragia. Quod ſi illi duo pro ſua Platea vel nobili vel populari inter ſe conſentiant, conſtituunt unum ſuffragium, ut per Frecc. *ibid. quæſt.* 3. *num.* 28. & per Gloſſ. *in cap. ubi repugnantia, ff. de reg. jur. & in leg. fundi, ff. de evict.* 6

Deputati Civitatis Neapolitanæ debent etiam intervenire in electione nuncii, & in aſſignatione ſalarii pro eodem nuncio deferente donativum ad Regem. Quia donativum mittitur ad Regem etiam pro Civitate Neapolitana, ut eſt caput Regni, nedum pro Baronibus, ac reliquo Regno. Atque ita reſolutum in Parlamento habito ſub annum 1618. 7

Barones autem, & Univerſitates demaniales Regni poſſunt conſtituere Procuratorem ad ferendum ſuffragium in Parlamento, ut docet Regens de Ponte *de poteſt. Proreg. titul. de elect. official. §.* 5. *num.* 23. qui rectè admonet, quod hi Procuratores conſtitui debeant zelantes boni publici, quodque teneantur oſtendere mandatum, ſive procuram, quæ ſecundùm Belluc. *dict. rubric.* 7. examinari debet, ne exerceatur ultrà quàm data ſit, vel quoad aliam materiam tractandam in Parlamento, ſed ſolùm pro materia, ad quam fuit quis conſtitutus Procurator. 8

Et quamvis Procurator cum poteſtate ſubſtituendi, ſi ſubſtituat, repræſentet dominium principalem, ſecundùm Gloſſ. in *cap.* 1. *de procur. in* 6. & Salyc. *in leg. quod quis, Cod. de procur. quæſt.* 5. Id tamen verum eſt, ut rectè notat Vincent. de Franch. *tom.* 1. *deciſ.* 112. ſi aliqua culpa Procuratori in ſubſtituendo imputari non poſſit; aliàs ſi Procurator conſtitutus cum poteſtate ſubſtituendi, ſubſtituat aliquem, quem prævidet injuſtè ſuffragaturum, tunc ipſe ſubſtituens tenebitur de injuſtitia, atque adeò ad damna, quæ inde ſequentur. 9

Porrò Barones ſedere debent, ac ſuffragari in Parlamento, attenta præcedentia, & antiquitate, quam habent. Quod ſervatur in praxi. Procurator verò ſedere non debet, neque ſuffragari in loco ſui principalis, docente id, præter alios, Frecc. *de ſubfeud. in fin. num.* 52. Debet igitur ſedere inter Procuratores, ac inter illos ſuffragium ferre, attenta dignitate ſui Principalis, Regens de Ponte *deciſ.* 15. *num.* 1. ubi ex Marino Freccia expreſsè tradit, quod Procurator in Parlamento generali non debet ſedere in eodem loco, in quo Baro ſuus 10

ro ſuus principalis ſederet, ſi adeſſet, nec prætendere in ferendo ſuffragio aliquam præcedentiam.

11 Quod ſi inter Procuratores ſit differentia, illi præcedunt ſecundùm qualitatem ſuorum Principalium, ſicque teſtatur idem de Ponte *loco cit.* decretum fuiſſe a Concilio Collaterali in Parlamento habito Neapoli ſub *anno* 1602. *die* 16. *Novembris*, in quo interfuit Princeps Cairati, qui præcedit Principem Caſertæ, tanquam antiquior; ſed Princeps Caſertæ erat Balius Principis Sulmonis, qui præcedit Principem Cariati, & tamen, licèt fuerit Balius dicti Principis Sulmonis, non præceſſit, ſed ſedit poſt Principem Cariati.

12 Syndicus verò, qui eligitur ab una ex quinque Plateis nobilium Civitatis Neapolitanæ, ſedere debet poſt Proregem, & ſuffragari in primo loco ante cæteros Barones, quia repræſentat totum Regnum, ut habetur in Capitulis, & privilegiis dictæ Civitatis, & tradit Frecc. *de ſubfeud. in fine*; adeout in ſcalis, per quas aſcenditur ad ſedem Proregis, ſedeant titulati ordine dignitatis; deindè a dextris, & ſiniſtris loci, in quo ſit Parlamentum, ſedeant Barones non Titulati in ſcabellis, in quibus etiam ſedent Procuratores Terrarum demanialium juxta ordinem, & antiquitatem talium Terrarum. Electi autem, & Deputati Civitatis Neapolitanæ ſedent immediatè poſt Syndicum ante omnes Titulatos, ſicuti notavit idem Frecc. *loco cit.* & fuit deciſum a Regia Majeſtate, ut videre eſt in Capitulis, ac privilegiis ejuſdem Civitatis in actis Parlamenti generalis.

13 Ad concludendum autem donativum, abſente Prorege, Syndicus ſedet in ſede juxta infimum gradum Scalæ a ſiniſtris cum menſa ornata, tintinnabulo, ac cæris ad ſcribendum neceſſariis, ut per Frecc. *de ſubfeud. lib.* 1. *cit. quæſt. fuit dubitatum in fine*.

14 Abſente item Syndico, ii, qui ſunt in Parlamento, non poſſunt proſequi Parlamentum, qui deficit is, qui repræſentat Regnum, quamvis illo vocato, & non comparente, poſſint de jure illud proſequi in aliquibus caſibus, de quibus Signorol. *conſ.* 28. Calderin. *in capit.* 2. *de conſtit. num.* 2. & Oldrad. *conſ.* 128.

15 De ordine autem ſeptem officiorum Regni, accuratè tractant Frecc. *d. lib.* 1. & Borrellus ad Belluc. *rubr.* 6. *n. glorioſſimos*. At cur ſeptenarius numerus ſit electus? Hujus rei non una omnium eſt ſententia. An primò, ut major pars ſuſpicatur, in conſtituendo hunc numerum ad perfectionem ſeptenarii reſpectum fuiſſe dicamus? Ita pariter de ſeptem Imperii Electoribus inquiunt Andr. Kniahen. *de jur. Saxon. non provoc. cap.* 3. *v. Electorum*, Anton. Maria Corat. *tract. de commun. opin. lib.* 1. *tit.* 3. Petr. Dominicus de Magdalen. *de num. teſt. in teſtam. requiſ. part.* 1. *cap.* 3. *num.* 29. Veteres enim peculiarem quamdam vim, ac energiam huic ſeptenario numero attribuerunt, ut de numero teſtium in teſtamentis adhibendorum reſpondit Joan. Dauth. *de teſtam. num.* 240. Arum. *in exercit. Juſtin.* 7. *th.* 10.

16 Tanta ſiquidem majeſtas illius numeri, tantaque divinitas eſſe putatur, ut veteres ſacrum, ac venerandum eum appellarint. Et Philo Judæus lib. de mundi opificio hanc ſeptenario prærogativam tribuit, quod ſolus neque gignere, neque gigni natus eſt. Hinc ejus divinitas, ac perfectio, inquit ex mente Philonis Andreas Laurentius, *lib.* 8. *hiſt. anatom. quæſt.* 31. & Gothofridus Viterbienſis *p.* 1. *chron.* ſcribit, ſolem ſepties ſplendidum, quam nunc ſit, fuiſſe, & propter caſum primi hominis ſex partes ſui ſplendoris amiſiſſe.

Unde maximi momenti res plerumque hoc numero abſolvebantur, quod colligi licet ex Geneſeos *cap.* 2. *v.* 1. 2. *ac* 3. Jaſ. 6. *v.* 4. 1. Reg. 7. *v. ult.* Mich. 5. *v.* 7. 4. Reg. 5. *v.* 10. Sic apud Perſas ſeptem Conſiliarii erant, qui Darium Hiſtaſpis filium poſt mortem Cambyſis ſuffragiis communibus Regem elegerunt, Joſeph *lib.* 11. *antiq. Jud. cap.* 3. *in fin. & cap.* 5. *in princip.* Septem ſunt officia Regis Neapolitani, Frecc. *ibidem*. Apud Venetos aliquod Septemviratus Conſilium habetur, ut putavit Sanctius Bodin. *lib.* 1. *c.* 10. *de Republ.* Sic ſeptem Archiepiſcopatus in Germania creati.

17 Moguntinenſis, qui ſub ſe habebat tredecim Epiſcopos ſuffraganeos, Herbipolenſem, Vvormatienſem, Spirenſem, Argentinenſem, Auguſtanum, Eichſtadienſem, Curienſem, Rhetorum, Conſtantienſem, Hildesheimenſem, Vverdenſem, Paderbornenſem, Halberſtadienſem.

18 Treverenſis, qui ſub ſe habebat Metenſem, Dolanum, & Virdunenſem.

19 Colonienſis, cui ſubſunt Monaſterienſis, Trajectenſis, Leodienſis, Mindenſis, Oſnabrugenſis.

20 Magdeburgenſis, cui ſubjecti ſunt Miſnenſis, Menſburgenſis, Naumburgenſis, Brandeburgenſis, & Havelburgenſis.

Salisburgenſis, cui ſubſunt Tridentinus, Brixenſis, Paſſavienſis, & hic ſub Judice eſt, nempè in Sacra Rota Romana vertitur lis, an ſit ſuffraganeus Archiepiſcopatui Salisburgenſi. Et quamvis emanaverit deciſio pro Salisburgenſi ſub die 26. Novembris 1691. coram Priolo, in Salisburgenſi juris Metropolitici; tamen & per appellationem, & per interceſſionem Imperatoriæ Majeſtatis, & ad evitandas ingentes turbas, quæ ex ſententiæ Rotalis exequutione oriri certò poterant, & ob graves rationes, ac nova documenta ab Epiſcopo, & Principe Paſſevienſi deducta cauſa propè intermortua jacet; Friſigenſis, Viennenſis, Sevovienſis, Lovantinus, Chiemenſis, Ratisbonenſis. 21

Bremenſis, cui Lubecenſis, Sverinus, Razeburgenſis, Lebuſſenſis, Sleſvicenſis, Megapolenſis, Hamburgenſis. 22

Rigenſis, cui Revalienſis, Curienſis, Upſulienſis, Attrebatenſis. Ita Petr. Gratepol. *in Catalog. Archiepiſcop.* 23

Verùm nos hìc pedem minimè figimus, numeri, ſiquidem utpotè quantitatis, per ſe nulla eſt efficacia, & quicquam illius velle efficaciæ attribuere, ad ſuperſtitionem quamproximè accedit. Et ſi quæ ſunt Septenarii vires, medicis ſuas de diebus criticis phantaſias relinquimus, in ætatibus, morbis, diebus decretoriis, aliis mutationibus ad ſyderum influxum humores agitantem, ac temperamenta mutantem, aliaſque abditiores cauſas, magis quàm ad perfectionem numeri referenda, quæ cauſæ, quia non clam ſunt, per earum comites numeros judicari poſſunt, Conimbric. *lib.* 1. *de gener. & corrupt. cap.* 4. *quæſt.* 2. *art.* 2. Videantur Tholoſan. *lib.* 15. *ſyntax. art. mirab. cap.* 10. Levin. Lemn. *lib.* 2. *de occult. nat. cap.* 32. Joan. Fernet. *lib.* 4. *patholog. cap.* 11. 24

Nec cauſam videmus, cui Septenarius aliis perfectior ſit, præſertim cum & alii novenario, Plutarch. de Homero *fol.* 56. alii ternario, quem & primum eſſe numerum, non binarium, Alber. Gentil. *cap.* 15. *lect. Virgil.* ſtatuit, eamdem perfectionem tribuant, & Ammon apud Plutarch. *lib. de foribus Templi Delphici inſcripto*, quemvis numerum ſui laudandi materiam ingenioſo præbere dicat. 25

Secundò, an hoc exemplum eſt juris publici conſtituti, cujus natura hæc, ut ratio ejus nec inveſtigari debeat, nec reddi potuit, ut ait Anton. *in ration. ad leg.* 20. *ff. de legib.* 26

Tertiò, an quia ſic placuit, uti Herman. Vultei de ſeptem teſtibus in teſtamento adhibendis reſpondit *in §. poſſunt num.* 27. *Inſtitut. de teſtam. ordin.* 4. 27

Quartò, an jubente Hertingio *de fidejuſſ. c.* 5. *n.* 143. *ac ſeqq.* priùs expediendum, cur Pythagoras auditoribus ſuis non ſeptenii, aut decennii, ſed quinquennale ſilentium indixerit? 28

Quintò, Onuphrius Panvinius *de Comit. Imperat. capit.* 9. magis ad rem loqui videtur, ubi numerum hunc electioni accomodatum eſſe ait, quod tribus electoribus ab aliis tribus diſſidentibus, quartus alteri parti accedens omnem diſſenſionem, ac diſcordiam tollere poteſt. Sed & hæc ratio tanquam ad quemvis numerum imparem, ternarium, quinarium, &c. pertinens, nimis generalis eſt. Diſſidentibus enim duobus, tertius, vel duobus ab aliis duobus quintus, &c. ſuffragio ſuo diſſenſionem tollere poteſt. 29

Sextò, Ratio ſpecialiter, & magis propria eſſe videtur, quia olim, teſte Simone Schardio *de elector. cap.* 9. quatuor erant ordines electorum laicorum. Primus Regum, ſecundus Ducum, tertius Marchionum, quartus Comitum. Ideò ne ullus ordo, qui anteà intereſſe electioni conſueverat, ſe præteritum conqueri poſſet, unus ex Regibus, unus ex Ducibus, unus ex Marchionibus, unus ex Comitibus cum Eccleſiaſticis tribus admiſſi ſunt, qui eorum vice, ac nomine electionem peragerent. 30

Tres autem Eccleſiaſtici pluribus adjecti ſunt, quia propter ſummam eorum authoritatem, & potentiam Ordo Eccleſiaſticus uno ex eorum conſortio contentus non fuiſſet, duo verò propter ſuffragiorum paritatem, quæ emergere poterat, hi enim quatuor Laicis additi numerum ſexenarium æqualem feciſſent, non ſufficiebant. Tertius ergo addi debuit. Atque hic numerus Electorum ſeptenarius ad tàm ſtrictam obſervantiam redactus eſt, ut cùm Maximilianus Primus Imperator aliquando Electores pertentarit, quo jus ſuffragii in electione Imperatoris Archiducibus Auſtriæ communicarent, nihil effecerit, Maur. *de Coronat. Caroli V.* & Marquar. Freher. ad Petr. ad Adln *cap.* 1. *lib.* 2. 31

Quid autem ſi habentes ſuffragium in Parlamento, nec perſonaliter, neque per Procuratorem compareant 32

in die,

in die, pro qua fuerunt intimati? In tali caſu debet in eorum contumaciam procedi in Parlamento, ut per Belluc. *loc. cit. rubr.* 4.

33 An autem convocati ad Parlamentum intelligantur Guidati, ut ajunt, a Regia Majeſtate, itaut non poſſint, durante Parlamento, nec civiliter, nec criminaliter conveniri unà cum ipſorum ſervis, & famulis? Diſtinguo, vel Parlamentum continet adminiſtrationem juſtitiæ, & poſſunt conveniri, *cap. 1. de libelli oblat.* cum Gloſſ. *in can. notatio quæſt. 2.* Vel Parlamentum continet liberalitatem, quale eſt Parlamentum Neapolitanum, & non poſſunt conveniri, *§. Si verò Epiſcopi, auth. de ſanctiſſ. Epiſcop. leg. 2. §. legatis, & leg. non alias & cap. expoſuit de dilat.* Niſi differentia ſit inter ipſos habentes ſuffragium in Parlamento. Quia tunc confunduntur privilegia, *l. ſed & milites §. 1. ff. de excuſ. tut.* ut per Belluc. & Borrel. *in dict. rubr. 21. per veram, §. Item quæritur, ff. de minor.* Quamvis id de jure communi in Regno Neapolitano receptum non eſſe, ſentiat Raſtel. *de Regimin. Princip. lib. 1. propè fin.*

34 Habens ſuffragium in Parlamento vel ut Principalis, vel ut Procurator, poteſt habere plura ſuffragia, ut ſi obtineat plures Baronias, vel plures Procurationes, vel ſit Baro, & Procurator alterius Baronis ſimul, ut per Belluc. *loco cit. rubr.* 45. Quia tunc repræſentat plures perſonas. At meliùs reſpondeo diſtinguendo, vel res determinanda in Parlamento habet rationes probabiles pro, & contra, vel non habet. Si ſecundum, non poteſt; ſi primum, & non adeſt ſcandalum, poteſt. Quia in utroque ſuffragio ſequitur opinionem probabilem, ſicuti Confeſſarius, & reſponſor caſuum conſcientiæ poteſt modò uni ſecundùm unam opinionem probabilem, modò alteri ſecundùm contrariam, etiam probabilem, conſilium dare, ſicuti notat Vaſquez *in 1, 2. tom. 1. diſput. 62. cap. 9. num.* 47. & Sanch. *lib. 1. moral. cap. 9. num.* 20. qui *num.* 45. addit: Quod etiam judex poteſt modò ſecundùm unam, modò ſecundùm aliam opinionem probabilem judicare, dummodò abſit ſcandalum, quod in hoc caſu poteſt abeſſe, ſi ille, qui ſic ſuffragaretur, diceret, eſſe rationes probabiles pro utraque parte affirmativa, & negativa.

35 Conſulerem tamen, quod quicumque plura fert ſuffragia, ferat illa ſemper eodem modo, quemadmodum notavit Rugens de Ponte *de poteſt. Proreg. tit. 4. §. 1. num.* 13. Frecc. *lib. 1. de ſubfeud. d. q. fuit dubitatum num.* 28. & Borrell. *in addit. ad ſpecul. princip.* Bellugæ *rubr.* 45. niſi qui ei dedit poteſtatem ferendi unum ſuffragium, expreſſiſſet, ſeu vellet ſuffragari. Quia tunc poſſet ut procurator ſuffragium ferre juxta determinationem illius, cujus eſt procurator, & ut principalis ſuffragium contrarium ferre, ſi contrarium ipſe ſentiret.

36 In pluribus autem caſibus, qui ſuffragantur in Parlamento, poſſunt Regi donare. Primò, propter adoptionem poſſeſſionis Regni. Sicut enim pro nova poſſeſſione Epiſcopatus datur Epiſcopo ſubſidium caritativum, ita datur Regi donativum pro nova poſſeſſione Regni, Regens de Ponte *de don. & expenſ. Univerſit. num.* 2. *& ſeqq.* aliique Doctores paſſim. Idque tàm de jure communi, quàm de jure municipali. De jure communi conſtat *ex l. un. Cod. public. lætit. lib.* 12. ubi Gloſſ. & Doctores in illa verba: *Si honor datus fuerit Regalium*. De jure municipali, ut in *Conſtitutione Regni, Quamplurium*, quæ licèt loquatur de Barone adipiſcente poſſeſſionem Terræ, extenditur tamen ad Regem, & per Gloſſam, & Iſerniam *in d. Conſtit.* ac Regentem de Ponte *de Regal. impoſit. num.* 46.

37 Secundò, propter exercitum conſtruendum contra Regis hoſtes, ut *in d. Conſtit. Regni*. Nam intereſt Regni, ac Regis hoſtes expelli; ut per Frecc. *de ſubfeud. lib. 2. in 2. author. Baron. num.* 14. Quod etiam procedit, quando bellum fit extra Regnum. Quia magis expedit Regno, bellum fieri extra Regnum, quàm in ipſo Regno, ut per de Ponte, *loco cit. num.* 47. Vaſquez *in opuſc. de reſtit. cap. 6. §. 3. dub. 2. num.* 70. ac Turrian. *in 2. 2. diſp. 46. dub. 1. num. 5. & ſeq.* & alios.

38 Tertiò, propter nativitatem prolis Regis, idque etiam tàm de jure communi, quàm municipali. Et quidem de jure communi probat Gloſſa *in leg. placet, v. extraordinarium, & v. Canonicam, C. de Sacroſ. Eccleſ.* ubi Jaſ. *num.* 19. ac cæteri. De jure autem municipali, ut in cit. Conſtit. Regni, ibi, *pro milite faciendo filio, vel maritanda, aut monachanda filia*. Nam eo ipſo, quod naſcitur Regi filius, deſtinatur ad militiam pro fidei, ac Regni defenſione, ac eo ipſo, quod naſcitur Regis filia, deſtinatur ad matrimonium carnale, vel ſpirituale. Idemque procedit etiam ante nativitatem prolis. Quia cùm agatur de utilitate talis prolis, pro nata jam habetur, *leg. Quod dicimus, ff. de verb. ſignificat. & l. Qui in utero ff. de ſtat. homin.* Quod etiam fuit in praxi receptum in *cit.* Parlamento generali.

Exactio tamen dicti donativi non poteſt fieri ante 39
nativitatem prolis. Quia contingere poteſt, quod non naſcatur, & haberi debet ratio ad id, quod poteſt evenire, *l. Si quis domum §. Idem quærit, ff. de legat. 1. & §. Illud quæſitum, ubi Gloſſ. fin. inſtit. de rer. diviſ.* ac docet Bart. *in l. Inter ſtipulantem §. Sacram n. 7. de verb. obligat. & in l. Si idem §. ſi unam num. 5. ff. de juriſd. omn. Judic.* Valenzuel. *conſ. 99. num.* 52.

Quartò, cùm Rex captus eſſet ab hoſtibus, ut in d. 40
Conſtit. *Quamplurium*. Expedit enim Regno, liberum habere ſuum Regem, a quo ſibi adminiſtretur juſtitia, defenſio, & abundantia rerum.

Quintò, ſi Rex expenſas fecerit pro Hoſpitio Sum- 41
mi Pontificis, Imperatoris, vel alterius Regis, ut per Frecc. *in d. 2. authorit. Baron.* & per Belluc. *loco citato rubr. 43. & 46. §. ſunt & alia*, ubi diſcutiuntur prædictæ, ac ſimiles cauſæ, in quibus magis habetur ratio neceſſitatis, quàm Regni, inſtar corporis humani, in quo naturaliter pro ſalute capitis offertur brachium ad inciſionem. Ideoque ſicuti brachium ſervit capiti, ita donativum hoc vocatur ſervitium, ut per Belluc. *d. rubr. 46. §. donum.*

Quantitas verò donativi debet eſſe proportionata, 42
tum neceſſitati Regis, tum etiam Viribus Regni, itaut ſi neceſſitas Regis ſit exigua, donativum ſit minus. Similiter donativum ſit majus, ſi neceſſitas Regis ſit magna. Quæ portio ſervari debet in quolibet alio gravamine, ut docent de Ponte *de poteſt. Proreg. d. titul. de regal. impoſ. num.* 45. Suarez *de legib. lib. 5. cap. 14. num.* 16. Valenz. *tom. 3. diſp. 5. quæſt. 6. punct. 5.* Salas *de legib. diſp. 15. ſect. 10. num.* 120. Turrian. *in 2. 2. tom. 2. diſput. 44. dub. 1. & 2.* Aragon. *ibidem quæſt. 67. art. 1.* Rodriq. *in Summ. p. 2. cap. 74. num. 2.* Nam optimum eſt uti aqua fontis; ſed peſſimum, fontem exſiccare. Similiter optimum eſt oves tondere, ſed peſſimum eas deglabrare.

Cæterùm quænam ſint vires Regni, cùm hoc ſit 43
quid facti, ſpectetque ad factum, non ad doctrinam, potius eſt munus eorum, qui ſuffragantur in Parlamento, quàm Doctorum.

In nullo tamen caſu, qui ſuffragium ferunt in Par- 44
lamento, donare poſſunt Proregi. Nam id prohibitum eſt a Rege, ut videre eſt apud Maſtrill. de Magiſtrat. *tom. 2. cap. 15.* Azzeved. *in addit. ad Cur. Piſan. lib. 2. cap. 4.* Gomez *tom. 2. var. cap. 3. num. 14.* Villag. *tract. de reb. Eccleſ. non alien. lib. 1. p. 1. cap. 101. num. 7. ac ſeq.*

Adjice, quod donantes Proregi ex licentia Regis, 45
ipſi ſoli ad hujuſmodi donativum tenentur contribuere, itaut alii non conſentientes, ad nihil teneantur. Nam in iis, quæ ſunt communia pluribus, ut ſingulis, pars major non præjudicat minori, ſed omnes, ac ſinguli neceſſe eſt, quod conſentiant, Gloſſ. Decius, & Abb. *in cap. Cùm omnes de conſtit.* & in hac ſpecie præter alios docet Gomez *d. cap. 3. num. 14.*

Quæres, quænam pars eorum, qui conveniunt in 46
Parlamento, & in eo ſuffragantur, requiratur ad concludendum donativum Regi faciendum in Parlamento? Reſpondeo requiri, ac ſufficere majorem partem, itaut major pars congregatorum dici poſſit cauſa formalis Parlamenti. Siquidem quod tribuit eſſe rei, eſt forma illius, *l. Julianus, §. Si quis*, ubi Doctores *ff. ad exibendum*. Major autem pars Parlamenti tribuit eſſe Parlamento, cùm minor pars Parlamenti ſit adſtricta ad exequendum concluſionem factam a majori parte Parlamenti, ut docet Dec. *in l. non omnis num. 2. ff. Si certum petatur*, Regens de Ponte *de poteſt. Proreg.* quem citat & ſequitur Valenzuel. *d. conſ. 99. num. 62.* Atque adeò concluſio facta a majori parte Parlamenti eſt forma Parlamenti.

Nec obſtat quod, cùm agatur de re communi plu- 47
ribus ut ſingulis, major pars non præjudicat minori, ſicuti cùm agitur de re communi pluribus uti univerſis, Gloſſa, Decius, & Abbas *in d. cap. Cùm omnes de conſtit.* In donativo autem faciendo Regi, agitur de pecunia communi pluribus, non uti univerſis, ſed ut ſingulis, ſinguli enim tenentur de propriis, non autem de pecuniis Univerſitatis contribuere donativo, ac proindè major pars Parlamenti non præjudicat minori parti illius. Sicque non eſt forma Parlamenti, cùm non præbeat eſſe concluſioni Parlamenti.

Reſpondeo. Hæc regula plures habet limitationem, 48
ut per Dec. *loco cit.* inter quas habet limitationem in

Parla-

Parlamento, in quo, licèt agatur de re communi pluribus, uti singulis, attamen pars major donans præjudicat minori, ut præter Dec. *ibidem* docet etiam Bellus. *rubr.* 12. *§. Quædam num.* 7. *& rubr.* 48. Regens de Ponte *tit. de regal. impos. num.* 17. per doctrinam Innocentii in materia numismatum *cap.*4. *de jurejurand.* ac per *decis.* 288. Afflicti in materia concurrentium creditorum, & in specie Parlamenti, in quo tractatur de donativo faciendo Regi, extat decisio Caroli V. sub anno 1553. ut in *cap.* 1. Parlamenti generalis eodem anno sub eodem Carolo, regesti in capitulis ac privilegiis Regni Neapolitani.

49 Ratio autem est. Quia, ut dictum est, interest Regni subvenire magis capiti, quàm membris. Unde cùm hæc obligatio introducta sit a lege naturali, fit, quod major pars præjudicet minori; quin etiam fit, ut præjudicet in casu, quo major pars non intendat præjudicare minori contradicenti. Sicque ut etiam conclusio majoris partis operetur ultra intentionem ipsius ex eo, quod in hoc casu præjudicium infertur ex lege naturæ, posita conclusione majoris partis, ut per Dec. *in d. leg. non omnis num.* 4.

50 Quoniam verò Prorex non est caput Regni, sed minister supremus capitis, ideò fit, quod in donativo faciendo Proregi ex licentia Regis, major pars non præjudicet minori contradicenti. Donare enim Regi, cùm sit in subsidium Regni, est actus necessarius, donare autem Proregi, est actus voluntarius, ideòque requiritur omnium, & singulorum consensus. De his satis.

CONSULTATIO CCXX.

An Parlamenta, sive Comitia generalia, magnumque Consilium possint cognoscere de causis Ecclesiasticis, aut Clericorum? Causæ spirituales, vel quasi, an, & quatenùs possint Laicis delegari? Ad hoc Summi Pontificis, ac Prælatorum potestas. Bona Clericorum quo jure sint exempta? Quo item jure Clerici gaudeant fori privilegio, & immunitate a vectigalibus? Ecclesiastici quatenus possint coram Judicibus Laicis trahi? De bonis patrimonialibus Ecclesiasticorum. Cujus juris sit privilegium Canonis? Imperator, Rex, aliive Principes, an, & quatenus revocare possint privilegia semel Ecclesiasticis concessa? Laico de qua re compromitti nequeat? De consuetudine etiam immemorabili contra immunitatem Ecclesiasticam. Quid de judice laico, qui simul cum Judice Ecclesiastico cognoscit de causis spiritualibus? De gestis in hujusmodi causis per judicem Sæcularem? Quid si Judex Laicus incidenter cognoscat de causis spiritualibus? Quidve de Judice Ecclesiastico cognoscente incidenter de causa merè temporali, ac profana? Imperator, vel Princeps alium superiorem non cognoscens, coram quo conveniri possint pro observatione contractus, juramenti, violatione pacis, & aliis, quibus de jure divino, naturali, vel gentium subjicitur? Vacante Imperio, an Pontifex Romanus succedat in exercitio jurisdictionis temporalis? Ejusdem potestas in electum Regem Romanorum futurum Imperatorem. Quis Principi negligenti provideat de Coadiutore? Quibus in Regnis, ac locis Romanus Pontifex utroque gladio utatur? Et quibus in causis? Clerici, eorumque jura nequeunt cognosci a judice Sæculari, etiamsi Partes litigantes in eorum consentiant. Hujus rei limitationes. Quid de notario laico, aliisque locis in rebus spiritualibus, & Ecclesiasticis? Quidve de Advocatis, & Procuratoribus, &c. An Parlamentum possit cognoscere saltem de causis Ecclesiasticis, data negligentia judicis Ecclesiastici? Necessitatis leges.

1 SUnt sanè qui affirment propter mixturam Ecclesiasticorum, & Sæcularium, qui in hæc Parlamenta, & Comitia tanquam Conciliarii conveniunt, ut proindè possint hæc de causis etiam merè spiritualibus, nedum de annexis cognoscere, ac definire.

2 At omninò negandum est. Nam Ecclesiasticis dignitas Baronalis, non ut Ecclesiasticis, sed ut Regni Baronibus tribuitur. Aliter enim considerantur ut Episcopi, & Ecclesiastici, aliter ut Barones, ac Titulati. Palam enim est in pluribus mundi partibus, quòd Ecclesiastici a principio fundationis suarum Ecclesiarum, vel a tanto tempore, de cujus contrario non extat memoria, cum potestate spirituali, & Ecclesiastica obtinuerunt, & adhuc obtinent Ducatus, Comitatus, Baronias cum jurisdictione temporali, ut satis prolixè alibi probavi.

Cur autem Ecclesiastici sæcularibus in Comitiis, aut Parlamentis additi, rationes multæ dari possunt. Prima est specialis. Cùm enim Antistites, ac Præsules Regni Principes effecti essent, & sic duplici ordine Regnum Neapolitanum decoratum conspicerent, non immeritò quoque ad Comitia, sive Parlamenta tàm Clerici, quàm Sæculares designati sunt. Secunda ratio magis specialis est, quia ad Regiam dignitatem, quod Ecclesiastici essent, evehi non possent; ne causam tamen haberent, cur Regium diadema ambirent, factum, ut in Suffragatorum Parlamenti numerum cooptentur. Tertia, ut Ecclesiastici Regno, ac Regni suis consiliis subvenirent. Quarta, ut Ecclesiastici præcisivè res sacras tractando administrandoque, & Christianæ Religionis puritatem tuendo, simulque consulendo Rempublicam juvarent, & amplificarent. Firmissima siquidem Christianæ politiæ præsidia, & fundamenta sunt Sacerdotium, & Regnum, maximaque Dei dona. *Novell. 6. in princip.* Quinta ratio addi potest, magna veterum Principum in Religione devotio. Tanta, inquit Petr. Heig. *lib.* 1. *quæst.*4. *num.* 61. veterum Principum in Religione devotio fuit, ut sine Sacerdotibus & Episcopis nihil magnum absolvere se posse sperarent, & ita demum omnia rectè processura traderent, si Religionis Antistites suis Consiliis presentes haberent, & ita putarunt consistere Regna, & Imperia, si ex togata, & armata militia Senatus secretior constaret. 3

Quin demus tandem, quod omnes Consiliarii, qui conveniunt in Comitia, essent Ecclesiastici; adhuc tamen nullo pacto id attentare possent de jure, considerata ipsorum origine. Nam fuerunt instituti abeo, qui nullam in hujusmodi causis authoritatem habet, cùm laicis de rebus Ecclesiæ, vel negotiis spiritualibus, aut quasi, disponendi nulla competat potestas; quinimmò quoad hæc ipsis maneat necessitas obsequendi, non authoritas imperandi, *can. bene quidem 96. dist. cap. Ecclesia de Constit. & cap. ult. in fin. de reb. Eccl. non alienand.* Negotia enim Ecclesiastica, præsertim spiritualia, utpotè prorsùs extra sphæram laicorum, sunt per Ecclesiasticos, non per laicos tractanda, *cap. decernimus de judic. & cap.* 1. *in fin. de consang. & affin.* Delbene *de immunit. Eccles. cap.* 9. *&* 10. *dub.* 11. 4

Quod locum etiam habet in Imperatore, & in quocumque alio Principe, cujuscumque sit potestatis, *cap. tua de decim.* Item in connexis spiritualibus, ut est causa juris patronatus Ecclesiastici, *cap. Quanto de judic. c. præterea* 1. *de transact.* Ac etiamsi agatur per viam delegationis. Non enim causæ spirituales, vel quasi, possunt laicis delegari, *argum. cap. Cùm te consulente, & cap. super quæstionem §. ultim. de officio delegat.* & docet Gloss. *in cap. contingit de arbitr. & in cap.* 2. *de judic.* 5

Excipio, si Pontifex summus aliter voluerit. Pontifex enim ob suam supremam authoritatem potest dictas causas committere etiam mulieri, *can. Mennam* 2. *quæst.* 5. facit *dist.* 32. *§. verum*, notantque ibi Doctores, & *in d. cap. Contingit, & d. cap. decernimus*, licèt causas civiles merè temporales Ecclesiarum, & Ecclesiasticorum possit Prælatus Laico delegare, Doctores *in textibus adductis*, non tamen potest ne Pontifex quidem facere, quod Clericum, vel aliam personam Ecclesiasticam judicet laicus jure suo, sive tanquam Ordinarius. Quia privilegium fori est de jure divino, Innoc. *in cap.* 2. *de major. & obed.* ubi expressè ait, quod Clerici fuerunt exempti a Deo, per *textum in can. si Imperator 96. dist.* per quem textum etiam Glossa docet, quod antequam esset aliqua Constitutio, Clerici non erant de foro, & quod Constitutiones, quæ super hoc emanarunt, sunt declarationes juris divini, quàm Glossam sequuntur Ostiensis, Joannes Andreas, & Abbas *in d. cap.* 2. *& in cap. Ecclesia in fine de constitut.* Idem tradit Gloss. *in cap. Quamquam v. divino de censib. in* 6. quoad bona eorumdem Clericorum, quod scilicet etiam ista sint exempta a vectigalibus laicorum jure divino; lege quæ his de rebus aliàs scripsimus multis in locis. Alii verò aliter sentiunt, & negant quod scilicet hæc immunitas sit de jure divino, sed tantùm humano. 6

Ex his itaque tàm privilegium fori, quàm immunitas Clericorum est a jure divino, saltem, ut in *cap.* 1. *dub.* 2. *de immunit. Eccles.* tradit Delbene, radicaliter, ac proindè etiam per Summum Pontificem immutabile, *can. sunt quidam* 25. *quæst.* 1. ac ita, ut regulariter Ecclesiastici non possint coram Judicibus laicis criminaliter, vel civiliter trahi, ex adductis a Delbene *loco cit. cap. 6. &* 7. & decernit jus civile *in auth. statuimus, auth. Clericus, Cod. de Episc. & Cleric.* & jus 7

Cano-

Canonicum *in cap.* 1. & 2. *cap. si diligenti*, & *cap. significasti de foro competent. cap. Clerici de judic. can. insolita* 11. *quæst.* 1. cùm pluribus aliis, adeòut eorum bona, etiam patrimonialia eximantur a quibuscumque collectis, sive realibus subsidiis, pedagiis, guidagiis, salinariis, & aliis vectigalibus, & oneribus realibus, vel mixtis, per sæcularem potestatem imponendis, ut per Glossam cum textu *in dict. cap. quamquam cap.* 1. & *cap. Clericus de immunitat. Eccles. in 6. capit. non minus*, *cap. adversus eodem titul. Clement. præsenti de censib. leg. placet*, ubi Bartol. Bald. Angel. Salycet. & Jas. *de Sacrosanct. Eccles.* & *leg.* 1. & 2. *Codice de Episcop.* & *Cleric.* & Delbene *loco citato cap.* 5. & *nos alibi.*

3 Privilegium autem Canonis, ne scilicet percutiantur, est solùm de jure positivo. Innocent. *in cap. novit de sent. excomm.* aliique passim, illudque primò introduxit Innocent. Secundus *in can. si quis suadente* 17. *quæst.* 4. * Similiter solùm de jure positivo sunt multa alia eorumdem Ecclesiasticorum privilegia, ex quibus Doctores enumerant quatuordecim *in Clem.* 1. *de vit. & honest. Cleric.* & duo alia *in cap. unic. de Cleric. conjug. in 6.* quapropter in his Pontifex, & si non ita in duobus supradictis, quæ sunt etiam de jure divino, amplam habet potestatem, argum. *cap. proposuit de concess. præben.* Secus Imperator, vel Rex, qui non possunt revocare privilegia, quæ semel Ecclesiasticis concesserunt. Quia cùm isti non sint de jurisdictione sæculari, habent vim, & effectum contractus, qui etiam per Principem non potest revocari, ut per Innocent. Joan. Andr. Butr. ac Felin. *in cap. novit de judic.* Bart. *in repet. leg. omnes populi in 4. q. 3. q. principal. col.* 10. *in princip. ff. de just. & jur.* & *in leg. quod semel cum Gloss. ff. de decr. ab. Ordin. fac.* ac Felin. *in cap.* 1. *de præb.* ac Delbene *loco cit. cap.* 1. *dub.* 2. & *cap.* 5. *dub.* 14. *sect.* 11. *ac* 12.

9 Neque per viam compromissi. Non enim de juribus spiritualibus in laicum compromitti potest, *cap. contingit de arbitr.* etiam cum Clerico, nisi authoritas Judicis Ordinarii, vel delegati super hoc intervenit, *cap. per tuas cum Gloss. eodem tit.* Nam hodie arbitria ferè in omnibus sunt exæquata judiciis, & arbitrii compromissarii Judicibus ordinariis assimilantur, *leg.* 1. *ff. de recept. arbitr.* & *cap. cùm dilectus*, ubi Glossa, Imola, & Abbas *de arbitr.*

10 Ac etiamsi extaret super his consuetudo antiquissima, *cap. Sacrosanctam*, & *cap. Missana de elect.* & facit *cap. causam quæ de præscript. cap. ex eo cùm Gloss. de elect. in 6.* & *cap. Clerici de Judic.* ubi Jo: Andr. & Felin. licèt tanto tempore fuerit observata, quod de contrario memoria non existat, Doctores *in cap.* 2. *de præbend. in 6.* & præ aliis Joan. Andr. & Abbas *in c. cùm Apostolica de his, quæ fiunt a Prælato*. Idemque Abbas, & Felin. *in dict. capit. causam, quæ de præscript.*

11 Idque etiamsi judex laicus cognosceret de dictis causis simul cum Judice Ecclesiastico. Nam ipsorum processus non valebit ratione mixtionis judicii laici, arg. *dict. cap. per tuas*, a contrario sensu, *cap. cùm super de offic. deleg. cap. consulti de proc.* ac ibi Gloss. Jo: Andr. & Abb. *in cap. illa de elect.* ibi. Si habentes jus eligendi, scienter ad secum eligendum admittant excommunicatum excommunicatione majori, electio est ipso jure nulla, & *leg. multum interest*, *Cod. si quis alteri, vel sibi*. Quia malum ex singulari defectu, & modicum fermenti totam massam corrumpit, 1. *ad Corinth.* & 5. *ad Galat.* cum Gloss. *in leg. si unus*, §. *pactus*, *ff. de pactis.*

12 Atque ex his sequitur, quod licèt Comitia, Parlamenta, & hujusmodi aliæ supremæ Curiæ fuissent institutæ a Prælato Ecclesiastico, etiam a Summo Pontifice, adhuc non possent de dictis causis cognoscere tanquam Judices Ordinarii propter mixturam laicorum.

13 Adeòque id verum est, ut gesta per judicem laicum in his causis sint ipso jure nulla, ut proindè non sit opus sententia hominis, nisi tantùm declaratoria talis nullitatis, tanquam a non suo Judice, sicque nullam authoritatem habente, attenta *leg.* 1. & 2. *Cod. si a non compet. judic. cap. ad nostram de consuet. cap. at si Clerici de judic.* & *cap. cùm secundum leges de hæret. in 6.*

14 Quin etiamsi judex laicus cognosceret de dictis causis incidenter, ut si judex sæcularis adeatur principaliter actione petitionis hæreditatis, & contra agentem opponatur exceptio natalium, quod scilicet non sit legitimus, de hac incidenti quæstione nativitatis, judex sæcularis intromittere se non poterit, sed eam ad judicem Ecclesiasticum ordinarium remittere debet, ac interim a cognitione causæ principalis supersedere, *cap. tuam de ordin. cognit.* & *cap. lator, qui filii sint legitim.*

Secùs verò è contra, quia potest Judex Ecclesiasticus 15
cognoscere incidenter de causa merè temporali, *cap.* 1. & 2. *qui fil. sint legitim.* & *cap. de prudentia de donat. inter vir.* & *uxor.* Ratio autem disparitatis est, quia judex laicus est omninò incapax jurisdictionis necessariæ ad cognoscendum res, & causas spirituales, non autem Ecclesiasticas, qui non est omninò incapax cognoscendi res, & causas merè temporales, sive profanas. Nam Ecclesiasticus habet potestatem super temporalia, saltem indirectè, quando scilicet ita exigit bonum commune Ecclesiæ, vel salus animarum, ac finis spiritualis, ad quem a Deo sunt ordinata, vel quia ut volunt Innocent. Ostiensis, Joan. Andr. Butr. Bald. Abbas, & Felin. *in dict. cap. novit de judic.* Glossator *in can. quoniam* 11. *dist.* Joan. Andr. *in Clem. ad nostrum*, *v. Ecclesiæ de hæret.* & colligitur ex Extravag. Bonifacii VIII. quæ incipit: *Unam sanctam de major.* & *obed.* habitus jurisdictionis sæcularis est semper tantùm indirectè apud Ecclesiam, ac ejus Magistratus, per illa verba: *Pasce oves meas*, Joan. ult. *cap. significasti de elect.* & per illa verba: *Ecce duo gladii hic*, Luc. 22. & Marc. 8. Ex quibus duobus gladiis, gladii tantùm materialis exequutionem, sive exercitium Christus Dominus interdixit Petro, ibi: *Converte gladium in locum suum*. Matth. 26. *Converte gladium in vaginam*, Joan. 18. Unde eruitur communis Canonistarum sententia, quod apud Ecclesiam duplex sit jurisdictio, temporalis, & Ecclesiastica. Prior quoad habitum tantùm, & quoad spiritualia; posterior etiam quoad usum, & exercitium.

Vacante igitur Imperio succedit Romanus Pontifex 16
in exercitio jurisdictionis temporalis, *cap. licet ex fusceptо de foro compet.* Quapropter electum in Regem Romanorum, & futurum Imperatorem Summus Pontifex examinat, confirmat, vel admittit, vel reprobat, inungit, coronat, saltem tertia corona aurea, & juramento fidelitatis adstringit, per textum *in cap. venerabilem de elect.* & *d. Clem. Romani*, & *Clem. Pastoralis in fin. de re judicat.* Eumdem quoque, & alios sæculares Principes ex causa urgentissima deponit, *cit. cap. ad Apostolicæ*, & *can. alius* 15. *quæst.* 6. facitque *cap. felicis de pœn. in 6.* & *Clem.* 1. *eod. tit.*

Itidem Principi negligenti providet de coadjutore, *c.* 17
grandi de suppl. negl. Prælat. in 6.

At in Regno Neapolitano, & Siculo, Bononiæ, ac 18
diversis aliis in locis Ecclesiæ Romanæ per Constantinum Magnum in persona Sancti Sylvestri Papæ pleno jure concessis, utroque gladio utitur, *can. Constantinus* 96. *dist.* & *cap. fundamenta in princip. de elect. in 6.* & facit *cap. si duobus in fin. de appell.*

Et generaliter in omnibus causis, & negotiis gravio- 19
ribus, quæ aliàs definiri non possunt, aditur Sedes Apostolica, quæ in dictis casibus se intromittit, *capit. per venerabilem*, §. *rationibus in princip. qui fil. sint legit.* ibi: *Si difficile*, & *ambiguum judicium apud te prospexerit inter sanguinem*, & *sanguinem, causam*, & *causam, lepram*, & *lepram*, &c.

Tandem nullam habet judex laicus jurisdictionem in 20
Clericos Ecclesiasticos, ac in eorum causas, & bona, etiamsi Patres litigantes consentiant in ipsum judicem laicum, per textum *in cap. significasti*, & *cap. si diligenti de foro compet. can. placuit* 11. *quæst.* 1. & notat Gloss. *in leg.* 1. *ff. de judic.* & *leg.* 1. *de jurisd. omn. judic.* Nam consensus privatorum cùm sit in præjudicium tertii, non potest tribuere jurisdictionem ei, qui non habet, *leg. privatorum*, *Cod. eodem tit.* & *dict. cap. significasti*, sed solus Princeps, qui eam habet, lex scripta, consuetudo legitima, & rationabilis, vel universitas approbata, Gloss. *in leg.* & *quia*, *v. nec ipsa ff. de jurisd. omn. Judic.* Et quia, ut alibi dixi, hoc privilegium non est concessum personæ, sed Ordini Clericali.

Id tamen pluribus modis limitatur. Et primò, nisi aga- 21
tur per viam delegationis a Papa, de qua non dubitatur, vel ab alio Prælato jurisdictionem habente, secundùm ea, quæ supra diximus.

Secundò, nisi laici se habeant per modum facti, & 22
non jurisdictionis, ut tabelliones, Consiliarii, advocati, nuncii, vel procuratores, aut aliàs nudum ministerium exhibeant. Sic enim possunt laici negotia Ecclesiastica etiam spiritualia pertractare. Unde Jo: Andr. Abb. & alii *in cap. Quia propter de elect.* tenent, quod notarius laicus possit redigere in scriptis suffragia Electorum etiam in negotio spiritualis electionis, & *in cap. sicut, ne Clerici vel Monachi*, tenent, quod notarius laicus etiam a Sæculari Principe creatus possit conficere instru-

* Vide Clericat. in tract. de Immunitate Ecclesiastica.

ſtrumenta ſuper actibus, & cauſis merè ſpiritualibus. De Conſiliariis, & advocatis tradunt Imol. Cardinal. & Anchar. *in cap. decernimus, cap. Statutum §. Aſſeſſorem de reſcript. in 6. & in cap. ad noſtram de conſnet.* De nunciis, & procuratoribus eſt textus *in cap. 1. in princip. de procur. in 6.* per quem *Gloſſ. v. procuratorem*, & per *Clem. un. de renunc.* ait, quod laicus poſſit conſtitui procurator ad renunciandum beneficium Eccleſiaſticum, & Jo: Andr. *in cap. Quod alicui de reg. jur. in 6. & cap. accedens de præbend.* docet, quod laicus poſſit eſſe procurator ad beneficium acceptandum. Et Dominic. Herminian. Paul. & Ancharan. *in cit. cap. 1. de procur.* docent, quod Advocatus, & Procurator ex una, Procurator, & ſemel exnuncius ex alia parte germanizare videantur in multis, ſaltem in Judicibus ſubalternis, in quibus iidem Advocati, & Procuratoris officio promiſcuè utuntur, & ſi *in leg. 1. §. poſtulare ff. de poſthum. leg. 1. in princip. ff. de proc. leg. 1. §. pueritiam ff. de poſtul. & Inſtit. quibus ex cauſis major. §. Cùm autem de procur.* Et nunc ponatur differentia, quod propriè Advocati officium ſit proponere, quæ in jure conſiſtunt; Procuratoris autem ad lites, ſive judicia propriè officium ſit, allegare ſolùm in facto conſiſtentia. Et generatim ex textu in *cap. 1. de offic. Ordin.* cum ſimili, laici requiſiti per Prælatos, & Judices Eccleſiaſticos, debeant eis præſtare auxilium, conſilium, & favorem. Vide Bartolum, & Paulum de Caſtro *in leg. a Divo Pio, §. ſententiam ff. de re judic.*

23 Tertiò, limitatur in quibuſdam aliis caſibus ſpecialibus, ex quibus Gloſſ. enumerat octo in can. *Princeps* 23. *qu.* 5. & plures Anchar. *in cap. ea, quæ quæſt.* 12. & 14. *de reg. jur. in 6.* & Gloſſ. *in can. Clericum* 11. *q.* 1. *& cap. periculum §. præterea de elect. in 6.*

24 Quartò, limitatur ratione privilegii Sedis Apoſtolicæ, quo poteſt laicus conferre beneficia, *cap. dilectus de præbend. can. Adrianus* 2. *can. cùm longe* 53. *diſt. & can. in nomine Domini, verſ. Quapropter diſt.* 23. & tradunt Jo: Andr. *in cap. 2. eod. tit. in 6.* Abb. & Felin. *in cap. cauſam de præſcript.* Similiter ratione privilegii Sedis Apoſtolicæ cognoſcit laicus de quibuſdam criminibus, quæ privilegiata dicuntur, & in Gallia de geſtatione armorum, de fractione ſalvæ guardiæ Regis, de fabricatione falſæ monetæ, vel ſi officialibus Regiis ſuum officium exercentibus offenſio, vel reſidentia inferatur; ac de hujuſmodi aliis, de quibus etiam Delbene, *de immunit. Eccleſiaſt. cap. 1. dub. 15. & cap. 5. dub. 14. & ſeq. & cap. 9. dub. 6.* & nos alibi. Et cùm anno 1273. Bonifacius Octavus Conſtitutionem promulgaſſet, vi cujus immunes Eccleſiaſtici pronunciantur, Clerus Gallicanus ipſeque Rex Philippus Pulcher putantes, hoc quidquid ſancitum erat a Pontifice, in Regni cederet damnum, literis ſcriptis reſtiterunt. Quo facto præfatam Conſtitutionem Bonifacius de donis tantùm gratuitis intellectam voluit, ulteriùs adjiciens, quod ſi præfato Regi, ac ſucceſſoribus ſuis pro univerſali, & particulari ejuſdem Regni defenſione periculoſa neceſſitas immineret, ad hujuſmodi neceſſitatis caſum ſe nequaquam extendat Conſtitutio numerata, quin potius idem Rex, ac ſucceſſores ipſius poſſint a Prælatis, & perſonis Eccleſiaſticis Regni petere, vel recipere pro hujuſmodi defenſione ſubſidium, vel contributionem, illudque, vel illam Prælati, ac perſonæ prædictæ præfato Regi, ſuiſque ſucceſſoribus, inconſulto etiam Romano Pontifice, teneantur, vel valeant ſub quotæ nomine, aut alio titulo etiam impartiri, ut habetur in *Codice manuſcr. Sancti Victoris Pariſ. numer. 7. fol. 92.*

25 Limitatur quintò, ſi ſit quæſtio juris, quia ſi ſit quæſtio tantùm facti, ut, an uſuræ fuerint ſolutæ, an matrimonium inter aliquos fuerit contractum, Judex ſæcularis poteſt etiam agnoſcere, per Bartol. *in leg. Titia ff. ſolut. matrim. leg. 2. v. juxta promiſſa, ff. de juriſd. omn. Judic.* Felin. *in cap. Cùm ſit de for. compet.* Cardin. *in Clem. 2. de Judic.* Abbat. *in cit. cap. cùm ſit, & cap. lator qui fil. ſint legit.* Bartol. Bald. Salic. & Paul. de Caſtr. *in leg. Quoties Cod. de judic.* ac Delbene *loco cit. cap. 4. & 5.*

26 Sextò, limitatur, ſi agatur ſolùm de poſſeſſorio, non de petitorio pro rebus, vel juribus ſpiritualibus juxta Gloſſ. *in cap. Cùm dilecti v. juramento de elect. & cap. literas in fine de juram. calumn.* Abb. & Felin. *in cap. fin. de judic.* & fusè Delbene in locis adductis.

CONSULTATIO CCXXI.

An Pontifex Summus habeat eamdem poteſtatem, quam habent Principes in ſuis Ditionibus, atque adeo poſſit facere quicquid ipſi Principes facere poſſint? De Regularium ab Epiſcoporum juriſdictione.

AFfirmo, idque non ſolùm, ut Princeps in ſua Ditione, ſi ſic exigat bonum commune talis Ditionis, ſive Principatus, ſed etiam ut Pontifex in tota Eccleſia, ſi ſic exigat bonum commune totius Eccleſiæ. 1

Et quidem poteſt primò auferre bona Chriſtianorum, ſive quia Pontifex in tota Chriſtianitate poteſtatem, & juriſdictionem etiam temporalem immediatè a Deo commiſſam habeat, indirectè tamen in commune bonum Religionis, Fidei & Eccleſiæ, ſicuti docent Doctores, quos refert Chriſtophorus de Agujano in *tract. de legib. tom. 1. lib. 2. cent. 17. num.* 15. Comitol. *in tract. apologetic. cap. 3.* Pereira *de man. reg. prælud. 1. num. 1.* Mart. *de juriſd. p. 1. cap. 18.* Peſant. *de poteſt. Pontif. diſp. 2. & ſeq.* ubi hanc ſententiam probat ex multis juribus, præcipuè *Extrav. Unam ſanctam* Bonifacii VIII. Peregr. *de privil. fiſci lib. 1. tit. 2. num. 37.* Valenzuel. *in defenſ. monit. part. 5. num. 226.* Joſeph Seſſe *de inhibit. cap. 3. §. 8. num. 2.* Alphonſ. Azeved. *in recopil. lib. 4. tit. 1. leg. 11. num. 16.* aliique. 2

Sive quia Pontifex in Ditionibus Principum Chriſtianorum, ſi non directè, ſaltem indirectè ex vi Pontificalis officii, ſufficientem habeat poteſtatem ſuper omnia negotia ſæcularia, quando id Eccleſiæ communi bono, & Fidei expedierit ad ipſius Eccleſiæ quietem, pacem, & defenſionem conſervandam quod eſt ad bonum ſpirituale, ac finem Eccleſiaſticæ poteſtatis ſupernaturalem aſſequendum, ut docent Sotus *in 4. diſt. 25. quæſt. 2. art. 1.* Molin. *de juſtit. & jur. tom. 1. tract. 2. diſp. 29. concl. 3.* Bellarm. *contr. 3. lib. 5. cap. 6.* Malder. *in 2. 2. quæſt. 1. art. 10. dub. 8.* Azor. *part. 2. lib. 11. cap. 3. quæſt. 6.* Suarez *de legib. lib. 3. cap. 22.* Tanner. *in 2. 2. diſp. 4. quæſt. 4. dub. 1. num. 33.* Rebell. *part. 2. lib. 14. quæſt. 23. ſect. 1. num. 2. & 3. & ſect. 5. num. 19.* Augujan. pariter *de legib. d. tom. 1. lib. 2. controv. 17. n. 29. ac ſeq.* Maynard. *de privil. Eccleſ. part. 1. art. 6. n. 1.* Salgad. *de protect. reg. tom. 1. part. 1. c. 1. prælud. 1. nu. 55.* Cevall. *in tract. de cognit. per viam viol. in prolog. n. 9. ac 12.* Param. *de orig. Inquiſit. lib. 3. quæſt. 1.* Sylvius *in 2. 2. quæſt. 66. art. 1.* Pereira *de man. reg. d. præl. 1. n. 4. & ſeqq.* Morla *in empor. jur. p. 1. tit. de jur. quæſt. 5.* Turrecrem. *in Summ. lib. 2. cap. 13.* Bobadil. *in politic. tom. 1. lib. 2. cap. 18. num. 2. ac ſeq.* 3

Et hi omnes reſpondent ad *d. Extravagan. Unam ſanctam*, quod mens Pontificis in illa non fuerit velle ſe Reges, ac Principes Chriſtianos ſubjacere imperio Eccleſiæ magis, quàm anteà ſubjecti fuerant, ſed tantùm demonſtrare, quod ultrà gladium ſpiritualem ſit etiam in Eccleſia gladius temporalis, non quidem directè, ſed indirectè exercendus, quando neceſſe fuerit Fidei, & Eccleſiæ communi bono, ut ſupra dictum eſt. Sed quia nonnulli Doctores ſentiebant, utrumque gladium apud Summum Pontificem eſſe directè, ac Principes Imperium, & Regna ab illo obtinere, idque tanquam certum definitum eſſe *in d. Extravaganti*; ideò Clemens Quintus ad tollendum ſenſum iſtorum authorum ſtatuit, *in extravaganti Meruit*, Bonifacium Octavum in citata ſua *Extravaganti Unam ſanctam*, non intuliſſe præjudicium Regibus, neque intendiſſe Bonifacium in illa præjudicium ullum eis inferre, neque eoſdem ſibi magis ſubjicere, quàm priùs ſubjecti fuerant, itaut Clemens Quintus per *d. Extravagantem Meruit*, nihil novi conſtituerit, ſed ſolùm prædictam *Extravagantem Unam ſanctam*, quæ ex tot interpretum commentariis obſcura videbatur, declarare voluerit. Verùm Extravagans Clementis Quinti emanavit pro Regno, ac Rege Galliarum, & virtualiter pro reliquis. 4

Ad id autem, quod illi Doctores dicebant, Principes, ac Reges poteſtatem, quam habent, recipere a Pontifice, reſpondent, negando aſſumptum, ſicut & negant contra Cevallos, ac nonnullos alios, illam Reges, ac Principes immediatè recipere a Deo, ſed docent illam immediatè recipere a Republica, ſive Communitate, ut præter alios tradunt Bellarm. in reſp. ad duos libellos cujuſdam Theologi *fol.* 4. Leſſius *de juſt. & jur. lib. 2. cap. 29. dub. 11. num. 94.* Pontius *de matrim. lib. 6. cap. 6. num. 5.* Suarez *ad Regem Angliæ lib. 3. cap. 2.* Tanner. *loco cit. diſp. 5. quæſt. 5. dub. 1.* Comitol. *ibidem cap. 3. num. 2.* Beltran. *in propugn. Eccl. libert. aſſert. 1. §. 7. num. 20.* Maynard. *d. part. 1. art. 5. num. 9.* 5

num. 9. Servant. *in defens. potestat. & immunit. Eccles. propos.* 1. & Joan. de Madriag. *in tract. de Senatu cap.* 39. §. 2. qui subdunt, quod recipere potestatem immediatè a Deo, sit privilegium singulare Summi Pontificis, quia cùm potestatem, quàm habet Pontifex, haberi non possit ab hominibus, necesse est dicere, quod habeat a Deo. Hæc autem ratio non habet locum in Regibus, ac Principibus in ordine ad Populos, & Communitates.

6 Nec obstat, quod homines Pontificem eligant. Nam homines eligendo Pontificem nullam potestatem, & authoritatem tribuunt electo, sed solùm illum veluti repræsentant Deo, a quo potestatem Pontificiam recipiat, itaut ejusmodi hominum electio sit tantùm conditio, sine qua Deus potestatem Pontificiam in electum non transferret, non autem sit ratio, seu medium, quo electores ipsi potestatem electo tribuant, ut in electione Regis, vel Principis contingit. Ideòque dicendum de depositione Pontificis quod scilicet sit conditio, sine qua Deus potestatem Pontificiam ab illo non auferret. Quia per quas causas aliquid gignitur, per easdem etiam dissolvitur.

7 At demus, quod Reges, ac Principes suam potestatem immediatè recipiant a Deo; adhuc tamen dicendum est, quod illam recipiant a Deo cum subordinatione ad Pontificem gerentem vices Dei in ordine ad finem supernaturalem, ut dictum est. Idemque dicendum in opinione illorum, qui tenent Reges, ac Principes potestatem suam recipere a Republica propter eamdem rationem boni communis universalis Ecclesiæ, ad quod omnia temporalia ordinata sunt a Deo.

8 Secundò potest, & multò magis Pontifex auferre bona patrimonialia Clericorum, ut adnotavit Butr. *in cap.* 1. *de Summ. Trinit.* & Bellug. *in Specul. Princip. rubr.* 46. *num.* 4. Quia Clerici magis, ac pluribus titulis subduntur Pontifici, quàm subduntur laici.

9 Tertiò, potest, ac multò magis Pontifex auferre Ecclesiarum bona, & beneficia, itaut ex quacumque rationabili causa non solùm licitè, sed etiam validè possit res unius Ecclesiæ sumere, & alteri dare; & non solùm licitè, sed etiam validè, potest etiam ex quacumque justa causa privare Clericos beneficiis, & ea conferre cuicumque voluerit, ut etiam adnotavit Archid. *in can. oportebat dist.* 60. *& in cap.* 2. *de præb. in* 6. ac Bellug. *loco cit.* Nam Pontifex in rebus Ecclesiasticis habet majorem potestatem, quàm habet Rex, vel quilibet alius Princeps sæcularis in bonis subditorum sæcularium.

10 Nequit tamen Pontifex sine maxima causa privare Clericos omnes omnibus beneficiis. Nam id esset contra universum statum Ecclesiæ, quod non ita facilè cadit in Potestatem Pontificis, ut notatur *in cap. proposuisti de conces. præbend.* Quare id, quod dicitur *in d. cap. proposuisti, & in can. cuncta per mundum quæst.* 3. Papam omnia posse, sive habere plenitudinem potestatis, nedum locum non habet in iis, quæ sunt juris naturalis, & divini, nisi interpretandi, & declarandi, *can. sunt quidam* 25. *quæst.* 1. quamvis habeat aliquando potestatem dispensandi, ut in votis, juramentis, & hujusmodi obligationibus erga Deum contractis, earum vincula nomine, & authoritate Dei tollendo, sive relaxando, si salus animarum, qui est finis spiritualis gubernationis, sic exigat, de quo Cajet. *in* 2. 2. *quæst.* 8. *art.* 12. ac Less. *de just. & jur. lib.* 2. *cap.* 46. *dub.* 17. sed nec etiam locum habet in iis, quæ sunt juris positivi, si ex dispensatione contra jus positivum destrueretur, vel decoloraretur status universalis Ecclesiæ, quemadmodum etiamsi Papa dispensaret, quod omnes Clerici uxorem ducere possint, ut notant Doctores *in c.* 1. *de constit. & in d. can. sunt quidam.* Quare Abbas *in cap. a nobis de sentent. excommunic.* rectè ait, quod Papa potest omnia, clave tamen directa, sive clave non errante, & quod authoritas illa, Matth. cap. 16. *Quodcumque ligaveris super terram, &c.* intelligatur, dummodò justè liget.

11 Atque hinc habetur, Pontificem, si congruum ei videatur, posse oves aliquas uni particulari Pastori subducere, & ab ejus cura eximere, sicut Episcopus, ut declaratum est a Galtero Episcopo in Synodo Pictavensi sub anno 1284. potest unum aliquem Parochianum eximere a cura proprii Parochi, & eum subjicere alteri Sacerdoti, ut particulari Pastori. Unde qui murmurant adversus Pontificem, eò quòd exemerit Regulares a jure Episcoporum, vel eò quòd concesserit eis facultatem excipiendi confessiones fidelium Parochis subjectorum, idem debent affirmare de Episcopo: Debent, inquam, negare, Episcopum posse eximere aliquem a jurisdictione Parochi, vel posse Episcopum dare facultatem, ut Parochianus alteri confiteatur, renuente Parocho, quod dicere non audent de Episcopo, qui ita blaterant de Pontifice, pro cujus jure in hac parte videndus Henriq. *lib.* 7. *summ. cap.* 24. post Vvaldensem *lib.* 2. *doctrinal. cap.* 42. *&* 43.

Addo argumentum ex actis Sancti Theodori Siciotæ, 12
cujus Monasteria per Cyriacum Patriarcham Constantinopolitanum, suffragante Mauritio Augusto, exempta sunt a jurisdictione omnium aliorum Episcoporum, & Metropolitanorum. Hoc si potuit concedere Cyriacus, quantò magis Romanus Pontifex?

Neque verò probati quidam Doctores, quibus Ponti- 13
ficiæ exemptiones minùs probatæ sunt, negare voluerunt Pontifici hanc eximendi potestatem, in capitis immediati dignitate fundatam, ut Sanctus Bernardus adversus exemptiones non semel conclamans, ac nominatim *lib.* 3. *de considerat. cap.* 4. §. 9. *ac* 10. *& epist.* 42. *sub finem, & epist.* 179. *&* 180. Itemque Petrus Blesensis *epist.* 68. *&* 90. Ivo *epist.* 65. & Joannes Sarisber. *lib.* 7. *polycrat. cap.* 19. *&* 21. Non, inquam, hi Doctores cùm visi sunt obstrepere Pontificibus eximentibus, negarunt Pontificem habere eximendi potestatem; sed tantùm asserere voluerunt, exemptionem plerumque sordere, sive penes ambitionem, ac superbiam illorum, qui eas captant, sive penes facilitatem nimiam, ultrò eas concedentium absque causa.

Audiamus Sarisberiensem, qui sic ait: *Qui regi ve-* 14
sint, perpauci sunt, cùm quisque ut emancipetur a jugo rectoris proprii totis viribus quærat. Privilegio siquidem Apostolico, aut Regio præcepto plurimi tuti sunt, ne judicibus suis obtemperent, ne justitiam faciant, ne legi Dei subjecti sint. Non reprehendo clementiam Apostolicæ Sedis, sed hanc indulgentiam ejus, Ecclesiæ non arbitror expedire. Nihil tale in illa gloriosa familia Christi legimus, licèt & in illis contentio facta sit, quis eorum videretur esse major. Nullam emancipationem hujusmodi ab Apostolis factam meminimus, licèt Paulum, & Barnabam audierimus ab invicem discessisse. Nullam in illa superna Civitate, quæ sursum est mater nostra, contradictionis materiam credimus, sed nec hìc esse debere, nisi urgentissima ratio flagitet. De his enim, ut pace multitudinis, & eorum, qui illius fovent iniquitatem, loquar, dicam, quod sentio, ne quid subtraham veritati, aut probabilitati. Dico ergo, quod indubitanter credo, quod hi, qui efferente superbia, hujusmodi emancipationes quærunt, a cervice sua jugum Christi, & Patris ejus, si fieri posset, excuterent. Plus dico, immò & quantum est in ipsis excutiunt, & divinæ ordinationi fallaciter contradicunt. Ita Sarisburgensis.

At hoc non est diffiteri validitatem, & honestatem 15
exemptionum ex idonea causa factarum, sed contundere superbiam, jugi nesciam. Et quamvis qui eximit, si absque causa idonea eximat, peccare possit; tamen quamdiù non liquet de defectu, aut idoneitate causæ, præsumendum est pro eximentis prudentia simul, atque justitia, censendumque causam esse idoneam.

Quandoquidem verò quidam litium, ac divisionum 16
fatores, munientes Sathanæ viam ad sciffionem Ecclesiæ, ista subinde reficiunt, & servis Dei ante multa sæcula regimini Ordinariorum justè subductis, nulla nova causa, sed ex mera tricandi libidine, molestiam faceſſunt, dignum est eis reponere, quod Petrus Cluniacensis, *lib.* 2. *epist.* 31. Arausiensi Episcopo scribit: *Cùm Scriptura dicat*, Dominus justus concidet cervices peccatorum, *decussset, ut mihi videtur, gladium examinis vestri priùs splendescere in colla resistentium impiorum, quàm limari, vel exeri in singulos obedientium Monachorum. Nec deesse potuissent mactandæ mucroni vestro victimæ, cùm tot peperint infœlix terræ nostræ fertilitas diversorum graduum sacrilegos schismaticos, ut si parcere non decrevisset, ante potuisset hebescere, quàm universos extinguere. Quod si fortè ad illa illæso acumine perdurasset, tunc demum justum fuerat, converti ad levia Monachorum, cùm fuissent desecta gravia laicorum.*

Idem lib. 1. epist. 28. cum Cluniacenses arguerentur, 17
quod proprium Episcopum resurgerent: *Nos verò*, inquit, *respondemus, illud veritati contrarium oppositæ fronte existere, quoniam patet nos proprium Episcopum habere. Quis enim rectior, quis verior, quis dignior Romano Episcopo, Episcopus potest inveniri? Nonne ille est, quem cæteris præesse non humana, sed divina authoritas sanxit? Nonne ille est, cui dictum est.* Tibi dabo claves Regni Cœlorum, & quodcumque ligaveris super terram, erit solutum & in cœlis: Et quodcumque solveris super terram, erit solutum, & in cœlis? *Hunc unum solum, & maximum nos habere Episcopum gloriamur, huic soli specialiter obedimus, ab hoc solo, si*

cau-

causa, quod absit, exigeret, interdici, suspendi, atque excommunicari possemus. Hoc ipsius sanctæ Sedis irrefragabilis sanxit authoritas. Hæc Petrus Cluniacensis. Et non ita multò post.

18 *Si adhuc perstatis, & nos malè agere jactatis, illum, quem obtendimus, impetite, & nobis dimissis, de his cum ipso agite. Nos enim, quia contraire non debemus, obedire volumus, nec de ejus unquam, quod nulli mortalium licitum est, judicio judicare. Hoc non solùm Cluniacenses obtinent, sed & quampluribus datum cernimus, & longè ante Cluniacum conditam, multis aliis Monasteriis ab eadem Apostolica Sede concessum videmus, cujus Sedis Præsules, cùm magis sapientia, & Religione floruerint, & quorumdam ex ipsis merita miraculorum quoque fulgore solemniter in mundo claruerint, incredibile est, aut decipi in talibus potuisse, aut contra conscientiam suam talia agere voluisse. Eo namque animo, ac intentione, qua nostrorum temporum Apostolici, quieti Monachorum providentes, ea, quæ diximus, quamplurimis Monasteriis contulerunt; antiquiores quoque Romanæ Ecclesiæ præsules simili de causa in multis a jugo Episcoporum libera esse Monasteria decreverunt.*

19 Confirmat ibidem Petrus ex Sancto Gregorio, Monachorum exemptionem ab Episcopis, quam idem Summus Pontifex jure factam docet ob damna ab Episcopo perperam illata Monachis. Æque Sanctus Gregorius Septimus, scribens ad Cumbertum Taurinensem, malè vexantes Monachos Sancti Michaelis, *lib. 2. epist. 69.* tradit originem hujusmodi exemptionum fuisse impotentem dominatum Episcoporum in Monasteria, quales diximus ex Ivone *epist. 33. in fin.* pro Brecensibus agente cum Urbano Papa.

20 Adeo verò explorata olim fuit hæc Monachorum, & Regularium exemptio ab Ordinariorum potestate ante multa sæcula, ut Gaufredus Dux Normanniæ, & Comes Turonensis, excitata inter ipsum, & Turonensem Archiepiscopum controversia, cùm Antistes ob prætensas quasdam injurias intentans ei excommunicationem, responsum a Comite acceperit, se non timere ejus excommunicationem: Quo audito, inquit Joannes Monachus majoris Monasterii, *lib. 1. histor. Gauffredi*, Episcopus graviter tàm de contemptu, quàm de injuriis dolens: Meam, inquit, sententiam non timetis, illatas injurias augetis insolentia, & in nostro contemptu divinam Majestatem offenditis? Nunquid noster Parochianus non estis? Nunquid animæ vestræ curam, ut Pastor vester, habere non debeo? Ad hæc Comes subridens, Bone Pastor, ait, præsto quibus debes, & de illis habeto curam, qui tibi commissi sunt: Canonicis porrò B. Martini, & Monachis majoris Monasterii nunquid domineris? Ego autem & Canonicus sum Sancti Martini, & Monachus majoris Monasterii. Ergo refrena jura, cohibe potestatem, & quam mihi sententiam minabaris, super tuos exerce. Sic vir sapiens injustam Pontificis evasit sententiam, & quanti haberet Ecclesiarum privilegia, comprobavit. Ita etiam Joannes Monachus.

21 Erant illi Canonici, non sæculares, sed regulares, quamquam ad rem præsentem utrumque perinde esset, inter eos æquè ac inter Monachos aggregabatur Gaufredus homo laicus, & conjugatus, ut Canonicus, & Monachus honorarius, quales ab antiquo in plerisque Ecclesiis multi magnates. Sic enim in Metropolitana Lugdunensi Rex Galliæ, & Dux Sabaudiæ numerantur inter Canonicos. Adeo igitur explorata tunc, hoc est anno 1100. habebatur exemptio Canonicorum Regularium, & Monachorum, ut etiam Sæculares ab eis quasi adoptati, & asciti in societatem, eadem a censuris exemptione fruerentur, & per eam tuti essent a censuris.

At tu, mi lector, lege quæ alibi, præcipuè *tom. 10.* hac de re scripsimus.

CONSULTATIO CCXXII.

An, & quatenus dispensare possit Summus Pontifex, ut quis retineret plura beneficia, etiam ea, quæ residentiam requirunt? Pœnæ in retinentes. Alia benè multa.

1 UNi plura beneficia ne dentur, antiqua, & sæpè repetita lex est, sed quæ sæpè violatur. Multi possident plura, pauci sunt, qui non cupiant plura.

2 Ego primùm statuta, legesque Ecclesiæ, deinde meam sententiam proponam. In *cap. Jamdudum de præbend. & dignit.* statutum est, ut primum beneficium ipso jure amittatur, si aliud recipitur; & *cap. dudum de elect.* vetatur, ne sine dispensatione obtineatur. Itaque duo statuenda sunt. Primum, pluralitatem gravissimè prohibitam esse, præsertim in Curatis. Secundum, dispensari in ea lege posse.

De primo igitur sic statuunt Patres, Concilia, Pontifices, Concilium Claremontanum anno 1095. sub Urbano Secundo, *can. 22. Ut nulli Clericorum liceat deinceps in duabus Civitatibus duas præbendas obtinere, cùm duos titulos non possit habere*: Jam verò titulorum multitudo honori ducitur. Et appendix Lateranensis, ubi Alexander Tertius Burdegalensi scribit; *Ut alterum ejus Archidiaconus resignet*, & Lateranense sub Innocentio Tertio cap. 29. *De multa providentia fuit in Lateranensi Concilio prohibitum, ut nullus diversas dignitates Ecclesiasticas, & plures Parochiales Ecclesias reciperet contra Sacrorum Canonum instituta, alioquin & recipiens sic receptum amitteret, & largiendi potestate conferens privaretur. Quia verò propter præsumptiones, & cupiditates quorumdam nullus hactenus fructus, aut verus de prædicto statuto provenit, nos evidentiùs, & expressiùs occurrere cupientes, præsenti decreto statuimus, ut quicumque receperit aliquod beneficium, habens curam animarum annexam, si priùs tale beneficium obtinebat, eo sit jure ipso privatus, & si forte illud retinere contenderit, alio etiam spolietur.* Ubi de duobus Curatis tantùm agitur, non de simplicibus. 3

At Concilium Salisburgense sub Gregorio Decimo de omnibus agit his verbis: *Cùm in Provincia Salisburgensi diversi Clerici sæculares non ponentes terminum avaritiæ, nec salutem propriam prætendentes, onerare se pluribus beneficiis Ecclesiasticis non formident, nos, qui aliorum indigentiis, & saluti occurrere cupimus, & Ecclesiarum necessitatibus providere, authoritate præsentis Concilii firmiter, & districtè præcipimus, ut singuli plura beneficia possidentes, aut recepto ultimo sint contenti, aut in ipso proximo Provinciali Concilio, seu Episcopali Synodo, quem terminum ipsis peremptorium assignamus, legitimis documentis edoceant, secum esse per eum, qui de jure hoc facere potuerit, dispensatum; alioquin nos tàm formam Canonum circa hoc traditam, quàm statutum bonæ memoriæ Domini Guidonis Cardinalis quondam in Provincia nostra A. S. L. providere curabimus beneficiis, & personis.* 4

Eadem mente Augustana Synodus anno 1548. cap. 11. *Quicumque vel cupiditate, vel quovis etiam honesto colore impellente, plura beneficia Ecclesiastica obtinent, hoc nostro mandato jubeatur, sicuti districtè præcipiendo mandamus, ut retento quod ex illis maluerint, unico beneficio, cætera intra annum resignent, aut nobis, vel deputatis ad hoc nostris, dispensationum suarum privilegia hujusmodi ostendant. Quod nisi debita obedientia præstiterint, sciant se ex nostra diligentia in recta, & vera Ecclesiasticorum beneficiorum dispensatione adhibenda, inobedientiæ, aut cupiditatis suæ pœnas legitimas suscepturos.* 5

Et Moguntinum Concilium sub Sebastiano *cap. 64.* de Curatis potissimùm agens, asserit pluralitatem beneficiorum esse Ecclesiæ calamitatem. Unde plura salubriter ad hanc rem statuit, eodemque modo Concilium Trident. *sess. 7. cap. 2. 3. & 4.* ubi de beneficiis curam animarum habentibus, & *sess. 24.* de omnibus, sic statuit cap. 17. *Cùm Ecclesiasticus Ordo pervertatur, quando unus plurium officia occupat Clericorum, sacris Canonibus cautum fuit, neminem oportere in duabus Ecclesiis conscribi: Verùm quoniam multi improbæ cupiditatis affectu se ipsos, non Deum decipientes, ea, quæ benè constituta sunt, variis arcibus eludere, & plura simul beneficia obtinere non erubescunt, Sancta Synodus debitam regendis Ecclesiis disciplinam restituere cupiens, præsenti decreto, quod in quibuscumque personis, quocumque titulo, etiamsi Cardinalatus honore fulgeant, mandat observari, statuit, ut in posterum unum tantùm beneficium Ecclesiasticum singulis conferatur. Quod quidem si ad vitam ejus, cui confertur, honestè sustentandam non sufficiat, liceat nihilominùs aliud simplex sufficiens, dummodò utrumque personarum residentiam non requirat, eidem conferri. Hæcque non modò ad Cathedrales Ecclesias, sed etiam ad alia omnia beneficia tàm sæcularia, quàm regularia, quæcumque etiam commendata, pertineant, cujuscumque tituli, ac qualitatis existant. Illi verò, qui in præsenti plures Parochiales Ecclesias, aut unam Cathedralem, & aliam Parochialem obtinent, cogantur omninò, quibuscumque dispensationibus, ac unionibus ad vitam non obstantibus, unà tantùm Parochiali, vel sola Cathedrali retenta, alias Parochiales intra spatium sex mensium dimittere, alioquin tàm Parochiales, quàm beneficia omnia, quę obtinent, ipso jure vacare censeantur, ac tanquam vacantia liberè aliis idoneis conferantur, nec ipsi ante illa obtinentes tuta con-* 6

ta conscientia fructus post dictum tempus retineant. Optat autem Sancta Synodus, ut resignantium necessitatibus comoda aliqua ratione, prout Summo Pontifici videbitur, provideatur.

7 Cùm igitur lex ista a multis Conciliis sit constituta, firmata, acceptata, cùm jura secundùm eam decernant, cùm etiam finis ejus gravis sit, sequitur, eam vehementer obligare, inviolatèque servandam esse. Quia tamen lex positiva est, & Ecclesiastica, potest Summus Ecclesiæ Pastor in ea dispensare, quod leges ipsæ satis indicant, cùm vetant habere sine dispensatione plura beneficia.

8 De hac dispensatione igitur dicendum, neminem enim esse puto, qui plura habeat beneficia sine Pontificia dispensatione. Verùm dispensatio an legitima sit, maximè animadvertendum est. Sunt enim sæpè dispensationes verbo, reipsa dissipationes. Interdùm in foro exteriori sunt validæ, quia refutari non possunt; in conscientia criminosæ, quia justam causam non habent. Qui tamen plura possident, tenentur vigore Concilii Tridentini *loc. cit.* suas dispensationes ostendere.

9 Sanè fortiter, ac religiosè eam rem ursit in Concilio Augustano Cardinalis, & Augustanus Episcopus Otho, qui requirit dispensationum diplomata, & addit: *Si qui verò posthac Sedis Apostolicæ dispensatione plura beneficia obtinuerint, compertumque a nobis fuerit eidem Sedi, quæ in litteris, concessionibus, privilegiisque suis rationes, causasque honestas, & necessarias, prout suggestum fuerit, sequi consuevit, illusum ab impetrantibus fuisse, hi sciant nos Sanctissimo Domino nostro meliùs informato dispensationum hujusmodi revocationem procuraturos. Unde statuimus, & ordinamus, ut in posterum nullus cujuscumque gradus, aut dignitatis fuerit, ad alterius, aut plurium beneficiorum possessionem admittatur, nisi nobis tamquam ordinario loci, dispensationis hujusmodi litteras pro Sedis Apostolicæ dignitate conservanda inspiciendas priùs exhibeat, Bonifacii Noni, & Leonis Decimi Maximorum Pontificum Constitutionibus semper salvis. Et si dispensatione dignus videbitur, nihilominùs statuimus, ut tales, aut alii quicumque Ecclesiarum Rectores, & Beneficiati Vicariis suis tantùm ex fructibus portionem relinquant, quanta ad hospitalitatem servandam, ad jura Episcopalia, & Archidiaconalia persolvenda, aliaque onera ferenda sufficiat, alioquin a suis beneficiis, reservato tamen unicuique patrono, aut collatori jure suo, decernimus amovendos.* O decretum ab omnibus Episcopis observandum!

10 Meritò sanè. Dispensationum enim importuni esflagitatores faciunt, ut nulla sit, quam accipiunt, dispensatio. Vidi diplomata dispensatoria, quorum initia indicabant, ob magnam eruditionem, multosque labores pro Ecclesia toleratos, meritaque, & vitam exemplarem, de benignitate Apostolica, cujus in tales viros præcipua debet esse affectio, cum venerabili domino N. dispensari. At venerabilis ille dominus puer erat indoctus, pravæ indolis, nec rectè instituebatur a suis; hinc nulla fuit dispensatio, sed artificiosum sacrilegium, quo se parentes, & Sacerdotiorum nundinatores obstrinxerunt, non puer, ille enim insscius per procuratores tanquam minor annis beneficiis onerabatur.

11 Quamobrem prudentissimè de hac re statuit Concilium Colonienſe sub anno 1536. par. 1. cap. 31. *Odiosa semper apud veteres fuit plurium Sacerdotiorum ambitiosa cupiditas, neque semel generalibus Conciliis damnata. In Chalcedonensi enim inter alia cautum est, Clericum in duabus Ecclesiis conscribi non oportere, quod difficile videatur, ut unus vicem duorum sustineat, & absurdum, si promiscuis artibus rerum turbentur officia. Id verò in primis noxium est, ubi plures Parochiæ, seu dignitates uni Presbytero committuntur, quod solus per omnes Ecclesias nec officium persolvere, nec rebus earum necessariam curam impendere valeat. Quare tàm eos, qui de Sacerdotiis ejusmodi potestatem habent, quàm qui ea cæca cupiditate ducti ambiunt, commonitos volumus, ut suos affectus Canonicis institutis submittant. Qui verò dispensatione Apostolica adversus hæc se tueri velint, hi viderint, ut causam dispensationis obtentæ, Deo comprobent. Neque enim sublimes, atque admodum litteratas personas suo privilegio nudamus, modò illo recte, & secundùm Deum utantur.*

12 Dispensationes verò excutiendas sic docet cap. 33. *Quàm impudentes plerique diplomatis, ac dispensationibus apud Sedem Apostolicam extortis, præter Summi Pontificis mentem, qui & vult, ac debet potestate sibi concessa, non ad destructionem, sed ad ædificationem uti, abutantur, nullus est, qui ignoret. Non prohibeo, inquit quidam vir pius, dispensare, sed dissipare. Dispensatio quidem credita est, sed hìc jam quæritur inter dispensatores, ut fidelis quis inveniatur. Quamquam apud illos maximæ culpæ pars resideat, qui vel nulla, vel minùs legitima, vel etiam ficta causa supplicatoriis precibus inserta, dispensationis lectorium tamdem eliciunt, quos apud Deum, qui renes, & corda scrutatur, omnemque hypocrisim, ac fraudem execratur, securos quis dixerit? Nemo tibi, ait idem ille, quem jam citavimus, de dispensatione Apostolica blandiatur, cujus conscientiam divina sententia tenet alligatam. Sed quia pauci sunt, in quorum conspectu est Deus, plerique verò, qui sacra authoritate pro sua libidine passim abutuntur, fit, ut Lugdunensis Concilii sub Gregorio Decimo celebrati, non insalubre decretum adversus insolentiam ejuscemodi hominum in usum revocare cogamur, quo jubmixi, cunctis, qui talibus diplomatis sibi blandiuntur, necessitatem imponemns litteras suas nobis exhibendi, visuris, num rite impetraverint, ac rectè impetratis utantur. Et ut quam maximè robustæ sint dispensationes istæ, curabimus tamen, ut menti Canonis, ac Summi Pontificis satisfiat, videlicet ne animarum cura in his Ecclesiis, personatibus seu dignitatibus, quas sub hoc prætextu occupant, negligatur, nec beneficia ipsa debitis obsequiis defraudentur.*

Statuto itaque dispensationum, ut ratæ sint, legiti- 13
mam debere esse causam, idque in lege, quæ tot Canonibus, tot Conciliis firmata est, quæ consensu Orbis, & convicio flagitatur, cujus servandæ causa manet, manetque semper, concludemus rarò vera, & quæ in Cœlis acceptata sit, dispensatione plura beneficia permitti.

Quod si quispiam ex me quærat, quæ vera, & 14
legitima sit causa dispensandi, respondeo has esse. Prima. Necessitas Ecclesiæ. Nam Ecclesia obærata, in periculo constituta, potest sibi potentem Episcopum vicinum, aliumve postulare, ut defendatur, sumptu levetur, in integrum restituatur, inobedientes coerceat. Idem dicendum in magna Ecclesiæ utilitate, & evidenti. Nam quamvis illi Prælato commoda accedant; hac tamen in re duobus modis peccatur. Primò, cùm evidens, aut probabile periculum non est, & ab alio caveri, & propulsari potest. Secundò, cùm ille potentior, qui electus est, non præstat id, propter quod electus est, nec ideo acceptat, ut hoc præstet.

Ad hac necessitatis, & utilitatis causam refero; 15
cùm electione unius, alter non idoneus, vel minus idoneus repellitur. Multi enim susciplunt Magistratus politicos, & prælaturas, non quia desiderant, sed ne eo indigni provehantur: Poterit itaque dispensatio legitimè peti, & dari, qua Titius beneficium accipiat, ne Cajus hæreticus, concubinarius, indoctus, ebriosus, dilapidator illud invadat. Verùm hæc sincerè coram Deo non amore sui, aut odio aliorum facienda sunt.

Secunda. Necessitas ejus, qui plura accipit, legiti- 16
ma dispensatio est. Si enim unum ad honestam sustentationem non est sufficiens, duo, aut tria etiam habere concessum est. Nam justum est, ut qui altari servit, de altari vivat. Hoc ad eos igitur restringo, qui in Ecclesia vigilanter deserviunt, *can. Clerici 1. quæst. 2. & can. non satis dist. 86.* His igitur victus, & vestitus debetur, & ille honestus, ut servis Dei, utpotè presbyteris, ut hospitalibus, utpotè qui eleemosynam dare debeant.

Olim illis, quorum opulenta erant patrimonia, Ec- 17
clesiæ beneficia non dabantur, *can. Clericos 1. quæst. 2.* ubi Hieronymus ita scribit ad Damasum Papam: *Clericos autem illos convenit Ecclesiæ stipendiis sustentari, quibus parentum, & propinquorum nulla suffragantur bona. Qui autem bonis parentum, & opibus suis sustentari possunt, si, quod pauperum est, accipiunt, sacrilegium profectò committunt, & per abusionem talium, judicium sibi manducant, & bibunt, & can. fin. 16. quæst. 1.* ac similia habentur in regula monachorum ex dicto Hieronymo *in cap. de paupertate*, & in Glos. ordinaria *ad cap. 5. 1. ad Timoth.* Hæc Canones illi, ac sequentes inculcant. At constituto Ecclesiæ ordine, visum est, etiam divites, si labores pro Ecclesia subeant si divinis officiis vigilanter insistant, ab Ecclesia accipere remunerationem.

In hac necessitate est expendenda conditio perso- 18
næ, loci, aliaque, quæ ad rem pertinent. Beneficium enim, quod cuivis sufficit, nobili viro non sufficit,

ficit, & quo nobilis honestè, ac decenter vivere posse censetur, Comiti, vel Duci parum fuerit. Possunt enim, immò debent ejusmodi plures sumptus facere; quia verò & talium opera indiget Ecclesia, ita eorum obsequia compensat, ne statu abdicare se, aut agnatis pudori esse cogantur. Cùm enim Episcopi, atque adeo Reipublicæ in nobiliores exules liberaliores esse debeant, cur non etiam in Sacerdotes generis claritudine fulgentes, quibus, cùm una præbenda non sufficiat, plures concedi possunt, ut convenienter generi statuique domum, & familiam instituere valeant?

19 Verùm hic jam latè via panditur ad beneficiorum acervum, cùm nobilitas extollitur, & dignitati nil satis esse videtur; de quo ita judico. Ad vivum hæc, & teruncium recidi non possunt, nec debent; non enim Ecclesia rationum severa exactrix est, nec Pontifex est ita rerum sector, ut minima quæque rescindat. Quandoquidem enim Episcopi consiliarios. & satrapas splendidiùs alunt, non debet nobiliora sua membra, velut mercenarios alere Christi Ecclesia.

20 Generatim igitur nobili Canonico satis fuerit, quo alii nobiles Canonici sese honestè alunt, hospitatemque exercent, eo quoque ille contentus esse debebit. Ubi igitur Ecclesiæ Cathedrales vel Collegiatæ sunt, in quibus nobiles uno solo beneficio contenti decenter vivunt, non possunt alii nobiles ejusdem status plura obtinere, & dispensatio ratione sustentationis causa carebit, ideoque erit apud Dei tribunal invalida. Eadem ratio est Baronum, Comitum, Ducum, quamvis vix sit Ecclesia, cujus una præbenda illorum statui sufficiat. Non igitur tuti sua dispensatione esse possunt, qui quina, aut sena beneficia opulenta tenent, quorum quodlibet viro nobili decenter sustentando sat est. Sex enim nobiles servire pro uno possunt Ecclesiæ. Multò verò graviùs delinquit qui negligenter Ecclesiæ deservit, aut opes illas in res superfluas, ut splendorem domus, ditandam familiam, ædificationes impendit.

21 Tertia legitima causa est dispensandi, ejus, cui dispensatio conceditur, meritum, immò & parentum. Quo in genere multa sunt. Si ille, vel parens in defensionem Ecclesiæ damnum fecit, si lucra, commodaque deseruit, si legationes obivit, si alia præstitit, quæ vel ad spiritualem, vel temporalem utilitatem Ecclesiæ momentum attulerunt. Nam Ecclesiam benemeritis gratiam reddere honestum est. Cùm verò suis patronis, militibus, ducibus integras regiones in feudum concedat, cur non etiam Ecclesiasticis plura beneficia permittat, si id illi meriti sint? Addo sic plurimis ad benè merendum animos accendi.

22 Quarta. Potest etiam insignis alicujus eruditio id mereri, ut pluribus instituatur Ecclesiæ emolumentis. Nam dantur illa in diligentiæ, & laboris præmium, & ad alios incitandos, cùm evidens sit, Ecclesiam sine accuratissima studiorum diligentia non posse consistere. Laborem autem, & studia compensari oportet. Itaque Canonico nobili si Theologus, si Jurisperitus sit, si eloquentia polleat, si in variis linguis sit versatus, quamvis ex una Cathedrali præbenda vivere sufficienter possit, modò vir prudens, & vitæ inculpatæ sit, aliud etiam Cathedrale beneficium ultrò offerri cum dispensatione poterit, non modò ob præmium tàm honestæ collocatæ juventutis, & incitamentum aliorum, verum etiam, quia ejusmodi consilio, operaque plurimum prodesse possunt, ornamento sunt Ecclesiis, earumque dignitatem tuentur. Idem etiam judico de aliis aliarum Ecclesiarum Canonicis eruditis. De eruditis inquam, non qui doctoratuum bullas imperitiæ suæ præpandunt.

23 Extra hos casus nego vel centum pelles diplomatum quietam reddere posse conscientiam. Immò in hisce ipsis probo auream mediocritatem. Neque enim fieri potest, ut legitimè in aliquem Canonicum, quamvis nobilem, aut doctum, aut benemeritum decades opimarum præbendarum conferantur, cùm eruditio non debeat esse avaritiæ conciliatrix, & nobilitatis in erogando, non acquirendo decus eluceat; merita autem quæ Ecclesiam gravant, amittantur.

24 Qui igitur per hebdomadas beneficia disponunt, qui soli redditus capiunt integræ Ecclesiæ Collegiatæ, eos non modò ratio bonorum Ecclesiasticorum, sed fraus extortæ dispensationis illaqueabit. Quo enim jure ab Ecclesia unus homo tantum capit, quanto viginti illi pares possent honestè sustentari? Scio offensum iri in quosdam & magnos quidem, sed veritas apud magnos & parvos eadem est. Ideo Sacrum Concilium Tridentinum loco citato expressè omnes quacunque dignitate fulgeant, etiam nominatim Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales complectitur, quo ostendit, ne illos quidem per ullam dispensationem posse grandes opes possidere. Nam mediocres quosdam redditus sufficere Cardinalitiæ dignitati, probant multorum Episcoporum, & Archiepiscoporum moderatæ possessiones, ac sumptus, immò multorum Cardinalium. Ut verò unus Cardinalium tantum possideat, quantum decem alii, idque ex bonis Ecclesiæ, nec æquitas admittit, nec dispensatio efficere potest.

Hæc itaque res pernicioſa est, de qua sine detestatione Canones nunquam loquuntur. Nam Ecclesiæ ministri subtrahuntur, pauperum alimenta veruntur in luxum, animæ accipientium pereunt. Ostendemus id cum *Extravag. de præben. & dignit. tit.* 3. quæ nostram sententiam approbat; cujus hæc sunt verba: *Execrabilis quorumdam tàm religiosorum, quàm sæcularium ambitio, quæ semper plus ambiens, eò magis fit insatiabilis, quo sibi amplius indulgetur, & improbitas importuna petentium a nobis, & prædecessoribus nostris Romanis Pontificibus, non tàm obtinuisse, quàm extorsisse plerumque noscuntur, quod unus interdum, etiam ad unum beneficium Ecclesiasticum, minus idoneus, in diversis Ecclesiis, nedum vicinis, sed etiam ad invicem longè distantibus, immò nonnunquam in diversorum Regnorum partibus situatis, duas, aut tres, aut plures dignitates, personatus, officia, seu Prioratus, aut diversa Ecclesiastica beneficia curam animarum habentia possit dispensatione, cùm aliàs non liceret, de jure communi recipere, & simul licitè retinere. Unde inter cætera inconvenientia subscripta sequuntur, quod videlicet interdum unius, qui unicum, quamvis modicum, vix officium, impelere sufficeret, plurimorum sibi vindicet stipendia, quæ multis litteratis viris, vitæ puritate, ac testimonio bonæ famæ pollentibus, qui mendicant, possent abundè sufficere, æqua distributione collata, habentibus ipsa paratur vagandi materia, divinus cultus minuitur, hospitalitas in ipsis beneficiis debita non servatur. Et dum non sunt sui in unaquaque regione Rectores Ecclesiarum detrahitur commodis, & honori, quæ carentes defensorum auxilio, in viribus suis, & libertatibus multipliciter collabuntur, & ruinis patent ædificia nobilia, quæ magnificentia extruxerat decessorum, & quod amarius est dolendum, animarum cura negligitur, & vitiorum sensibus fomentum periculosè præbetur. Nos itaque &c.* 25

Remedia sunt, ut latæ a Patribus leges, præsertim a Joanne Papa XXII. in citata Extravaganti *Execrabilis* serventur omnes, sed præcipuè, ut cùm quisquam dispensationem postulat, ætatem, genus, beneficium, redditus ejus, quod habet, & quod petit, minutatim describat. Deinde causam adjungat, cur in lege tàm severa petat dispensationem, eamque probet. Qua examinata, si dispensatio detur, tum demum Episcopali judicio res permittatur, ut videat in loco, ubi beneficium, aut dispensationis sollicitator est, an vera causa sit Pontifici proposita. Quod si Episcopo, aut Commissariis nolit Pontifex rem committere, possessio tamen ne detur, donec Ecclesia plenè Pontificem informarit. Quod si causa Pontifici reddita, non probetur, non modo a beneficio repellatur, sed insuper etiam mulctetur, ut qui iniquæ dispensationis sollicitator fuerit. 26

Cæterum causæ rationabiles, sive justæ dispensandi, præcipuæ duæ sunt, ad quas cæteræ reducuntur. Prima est Ecclesiæ necessitas, vel magna utilitas, ut si desint alii vel desint idonei, vel quis sit valde potens. Sic filiis Principum dantur interdum Episcopatus etiam antè ætatem, ut Ecclesiæ contra hæreticos defendantur. Item si quis putetur magis profuturus absens, quàm alius præsens. 27

Secunda est si alicui viro magno unum beneficium non sufficia ad honestè vivendum juxta suum statum, alterum beneficium possit ei sine Ecclesiæ incommodo conferri. Hæc tamen secunda causa reducitur ad primam. Nam quod personæ sublimes, ac litteratæ pluribus beneficiis honorandæ sint, quando unum eis non est sufficiens, juxta Concilium Lateranense *in c. de multa de præben.* id non debet fieri, nisi propter Ecclesiæ utilitatem. Quod confirmatur ex Sancto Bernardo *epist.* 211. ad Comitem Theobaldum, ubi hoc expressè docet. 28

Non obstat Concilium Tridentinum, *sess.* 24. *cap.* 17. quod in hoc dispensari prohibuit. Nam Concilium neque potuit, neque voluit prohibere, quin ob legitimas causas Pontifex possit in hac re dispensare: Quia Pontifex est supra Concilium, & de facto Pontifices olim dispensarunt, inter quos Divus Gre- 29

Gregorius Primus, ut patet *lib. 2. epiſt.* 52. qui quemdam Epiſcopum, Agnellum nomine, ob certam Eccleſiæ neceſſitatem duos Epiſcopatus habere voluit. Illud tamen certum eſt, quod ſi non putetur ſubeſſe legitimam cauſam diſpenſandi, is, qui per diſpenſationem obtinet plura beneficia, quæ requirunt reſidentiam, non eſt tutus in conſcientia, ſed tenetur alterum reſignare, ut docent ferè omnes Theologi cum Sancto Thoma *quodlib. 9. artic.* 15. Major. *in 4. diſt.* 24. *quæſt.* 4. Adrian. etiam *in quæſt. de pluralitate præbendarum*, Cajet. *in Summ. v. beneficiorum multiplicatio*, Sot. *lib. 3. de juſt. & jur. quæſt. 6. artic.* 3. & Tolet. *lib. 5. inſtruct. cap.* 71. Idemque docent multi Juriſperiti & Canoniſtæ.

30 Quia Papa non eſt dominus beneficiorum, ſed diſpenſator. Diſpenſator autem non poteſt pro ſuo arbitrio diſtribuere bona diſpenſanda, ſed juxta rationabilem voluntatem eorum, qui ea diſpenſanda reliquerunt, & eorum, in quorum utilitatem relicta ſunt, quæ in præſenti caſu eſt Eccleſia univerſalis. Tum quia eſt contra jus divinum naturale, ut unus habeat plura beneficia, quæ requirunt reſidentiam, niſi aliqua juſta cauſa excuſet, qua de re Cajetanus *loc. cit.*

31 At Pontifex non poteſt diſpenſare in iis, quæ ſunt juris divini naturalis, niſi interveniat juſta cauſa, quæ turpitudinem tollat, ut patet in diſpenſandis votis, juramentis, quin etiam in indulgentiis: Vide ſi placet D. Bernardum *epiſt. ad Robertum Nepotem*, & *epiſt. 7. ad Adam. Monachum*.

32 Advertendum autem eſt collationem ſecundi beneficii, tertii, ac cæterorum eſſe validam, & conferre verum titulum, ut liquet ex multis Canonibus. Nam ad nullum eorum jure naturæ perſona eſt inhabilis. Tenetur tamen reſignare aliquod ex illis, quæ vel non ſunt ei juxta ſuum ſtatum neceſſaria, vel in quibus obtinendis legitima cauſa non interceſſit; fructus tamen interim perceptos non tenetur reſtituere, ſi muneri ſuo, ſaltem per Vicarium ſatisfecit. Quod ſi non ſatisfecerit, tenetur ad fructuum reſtitutionem vel Eccleſiæ vel ad pias cauſas.

33 Dices forſitan. Ergo poteſt etiam Epiſcopus conferre duo beneficia, quæ reſidentiam requirunt, ſine diſpenſatione Pontificis, ſi is videat Eccleſiæ ſuæ id profuturum, ut eidem perſonæ duo beneficia conferantur. At reſpondetur, quod lex ſemper obligat inferiorem, quamdiu ex ejus cuſtodia nihil evidenter ſequitur contra legislatoris intentionem; ſed nunquam, aut ſaltem rariſſimè contingit aliquid contra intentionem Concilii Tridentini ex eo, quod uni non dentur duo beneficia; nunquam enim evidens eſt id eſſe contra majus bonum Eccleſiæ, & ædificationem proximorum, quæ duo intendit Tridentinum per hujus præcepti caſtodiam, & obſervationem.

34 Sunt verò aliquot caſus, in quibus etiam poſt Tridentinum poterit licitè Epiſcopus conferre plura beneficia ſine diſpenſatione Pontificis. Primus eſt, quando ſunt beneficia ſimplicia, etiam Canonicatus, quorum neutrum ſufficit ad honeſtum vitæ ſtatum, & alterum non requirit reſidentiam, ſive ex ſui inſtitutione, ſive ex conſuetudine ritè præſcripta.

35 Secundus eſt, ſi Eccleſia Cathedralis, vel Parochialis, vel dignitas inſufficiens ſit ad ſuſtentationem, poterit ſimul cum ea obtineri beneficium ſimplex non requirens reſidentiam. Uterque caſus ſatis colligitur ex verbis Concilii Tridentini, *ſeſſ. 24. cap. 13. ac 17. de refor.* Ubi adverte, ante Tridentinum potuiſſe etiam plura Curata beneficia poſſideri, ſi nimirum ita erant exigua, ut non poſſent proprios Sacerdotes ſuſtentare, ut patet *ex cap. eam te de ætat. & qual.* Nunc verò id non licet abſque diſpenſatione Pontificis, ut patet *ex d. ſeſſ. 24. cap.* 17. ubi qui habet plures Parochias cogitur ſub gravi pœna alteram reſpuere, etiamſi neutra per ſe ſufficiat. Dixerim tamen conſentanea ad dicta, quod ſi illæ eſſent valdè vicinæ, itaut non poſſint utrique ſatisfacere, & non poſſent facilè inveniri, qui Parochiæ uni ſoli velint deſervire, poſſint tunc duæ illi ſoli committi, juxta *canonem Clericus* 21. *quæſt.* 1.

36 Tertius eſt, ſi dignitati, vel Canonicatui acceſſoriè annexa ſit Parochialis, quæ per Vicarium adminiſtrari ſolet. Nam beneficium, alteri perpetuò unitum, cenſetur unum cum illo, & illius naturam aſſumit. Unde Parochiale annexum ſimplici aſſumit naturam ſimplicis. Quod etiam poſt Tridentinum locum habet, ut præter alios docet Navarrus *in man. capit. 27. num.* 126.

37 Quartus eſt, ſi unum beneficium detur in titulum, alterum in commendam ad ſex menſes, etiamſi eſſet Parochiale, ut conſtat ex *cap. nemo de elect. in 6.* ſaltem cum Ordinarii diſpenſatione. Non tamen poteſt dari unum in Titulum, & alterum in Commendam perpetuam ſine juſta cauſa, & ſine diſpenſatione Pontificis. Quia commenda perpetua æquivalet titulo, ut rectè probat Navarr. *loc. cit.*

Porrò incompatibilitas beneficiorum alia dicitur in 38
primo genere, id eſt quando ipſo jure unum ab altero excluditur, itaut primum vacet ipſo jure, obtento ſecundo, ſive iſta repugnantia proveniat ex jure naturali, vel ſolo Eccleſiaſtico, ut ſunt duo Epiſcopatus, Trident. *ſeſſ. 7. capit. 2. de reform.* Vel duæ dignitates, aut perſonatus, aut beneficia curata, *d. capit. de multa de præbend. & cit. Extravag. Execrabilis eod. tit.* Vel beneficia, aut præbendæ uniformia ſub eodem tecto, *capit. litteras de conceſſ. præb.* de quibus vide Leſſium *lib. 2. capit. 34. numer.* 140. Garz. *de benef. part. 12. cap. 5. a num. 67.* Laym. *lib. 4. tract. de benefic. a cap. 8. num. 3.*

Alia autem dicuntur incompatibilia in ſecundo ge- 39
nere, ideſt cùm licitè ſe non compatiuntur in eadem perſona, itaut teneatur in conſcientia alterum dimittere, non tamen ut vacent ipſo jure. Ita ſupracitati Authores. Ut duo ſimplicia beneficia, vel unum duplex, & alterum ſimplex, ſi alterum ſit ſufficiens ad vitæ ſuſtentationem, *cap. is cui de præb. cap. poſtulaſti de reſcript.* Trident. *ſeſſ. 24. cap.* 17.

Item olim duo ſimplicia requirentia reſidentiam, ut 40
duo Canonicatus, vel portiones, vel alterum duplex, & alterum obligans ad reſidentiam, ut Parochia cum Canonicatu, Laym. *ib. n. 3. §. circa pœnalem*, cum multis Doctoribus, & idem tenet Sanch. *opuſcul. lib. 2. cap. 2. dub. 7. num.* 8. ubi plurimos allegat, qui omnes putant etiam hodie poſt Tridentinum *ſeſſ. 7. c. 4.* procedere. Sed contrarium eſt verius. Nam per Tridentinum hodie primum vacat ipſo jure, ſi utrumque requirit reſidentiam perſonalem, ut ex Sacra Congregatione, & Rota probat Garzias *loc. cit. a num. 83.* Buratt. *deciſ. 19. num.* 1. Vide ſupracitatos, & Sanchez *ibid. lib. 2. cap. 2. dub. 6. a num.* 22.

Ex dicto autem *cap. de multa*, *§. præſenti decreto de* 41
præben. Si quis habens primum beneficium eſſet conſequutus ſecundum incompatibile in primo genere, & contenderet etiam primum de facto retinere, ideſt, ſi fuiſſet in mora primum dimittendi, erat non ſolùm ipſo jure privatus primò, ob vacationem ſupradictam, ſed etiam per ſententiam privandus ſecundo, ut per Sanchez *d. lib. 2. cap. 2. dub. 7. num.* 2.

At hodie per *d. Extravag. Execrabilis*, *§. ſi vero*, & 41
§. quæ omnia de præben. & per reg. Cancellariæ, & ex Tridentin. *d. cap. 4. ſeſſ. 7.* in tali caſu, ſive mora, ipſo facto etiam ſecundo privatus remanet in pœnam; & ſecundùm probabiliorem, & in Curia Romana receptam, procedit etiam de duobus ſimplicibus reſidentiam requirentibus, Garz. *loc. cit. a num. 89.* cum allegatis contra Sanch. & Laym. *ibid.*

An autem hæc pœna, ſcilicet privatio ſecundi, obli- 43
get in conſcientia ante ſententiam declaratoriam, Doctores magis communiter affirmant, ut Sanchez *ibid. dub. 7. num. 4.* cum multis, & Garz. *part. 11. cap. 10. a num.* 18. Gonzal. *gloſſ. 15. num.* 150. Quia non videtur pœna mera, ſeu privans jure abſolutè jam quæſito, ſed eſt conditio reſolutiva ab initio annexa.

Alii tamen negant, quia dicunt eſſe privationem 44
pœnalem juris quæſiti, neque dicendum eſſe ſecundum beneficium fuiſſe collatum ſub ea conditione. Et ideò dicunt ſecundi beneficii facere fructus ſuos, non tamen primi. Ita Leſſ. *ſupra cap. 34. n. 143.* & plures pro hac allegat Garz. *d. cap. 10. n. 8. & ſeqq.*

Alii verò diſtinguunt, dicentes non teneri quidem 45
dimittere beneficium eo caſu ante ſententiam, ſed fructus teneri in conſcientia reſtituere ante ſententiam. Ita Azor. *lib. 7. cap. 17. quæſt. 4.* Filiucc. *tract. 41. cap. 8. n.* 17. Sed hæc ſententia non ſibi cohæret.

Ex eadem *Extravag. Execrabilis*, *§. quæ omnia*, cum 46
Gloſſ. *v. Sedis Apoſtolicæ*, illud ſecundum beneficium, quo privatur quis modo prædicto, remanet reſervatum Papæ, vide Garz. *ibid. cap. 5. num. 43. & 55.* ubi ſtylum quemdam Curiæ refert in hac materia.

Supradictus autem malæ fidei detentor primi benefi- 47
cii cum ſecundo incompatibili, efficitur ipſo jure inhabilis ad quæcumque beneficia Eccleſiaſtica, ex *d. Extravag. §. Qui verò*. Vide Garz. *d. num.* 10. Non tamen privatur aliis jam obtentis compatibilibus, Garz. *ibid. num.* 17. cum pluribus allegatis.

Ex eadem *Extravag. d. §. Qui verò*, qui ſecundùm 48
incompatibile obtinet, & primum non dimittit in manibus Ordinarii cum publico teſtimonio ſtatim poſt

assequutionem possessionis secundi, vel si per eum steterit, quominus hanc possessionem assequatur, ad sacros Ordines inhabilis efficitur. Ex quo apparet hanc esse irregularitatem ex delicto, quæ ipso facto contrahitur, Speculat. *tit. de suspens. §. juxta num.* 37. *& §. dicendum num.* 11. Henriq. *lib.* 14. *cap.* 9. *§.* 1. Majol. *lib.* 3. *cap.* 4. Azor. *lib.* 6. *cap.* 13. *quæst.* 1. *tom.* 2. Abb. *in cap. Dudum num.* 23. *de elect.* Laym. *lib.* 4. *tract. de benefic. cap.* 8. *num.* 3. & Garz. *d. par.* 11. *cap.* 5. *num.* 10.

49 Notandum autem est, quod ista irregularitas est tantùm quoad Ordines suscipiendos, non quoad jam susceptos, Garz. *d. cap.* 5. *num.* 17. Unde dicitur irregularitas partialis, ut per Laym. *lib.* 1. *tract. de irregul. cap.* 1. *num.* 7. & procedit solùm quoad Ordines sacros, non quoad minores, ut patet ex textu cum Gloss. Zenzelini, *super v. sacros.*

50 Hujusmodi tres posteriores pœnæ limitantur, ut non procedant contra detinentem duo simplicia obligantia ad residentiam, vel unum duplex, & aliud simplex obligans ad residentiam. Quia Tridentinum illas non extendit, & in hoc procedit doctrina Sanchez, & Laymanni, ac aliorum, de quibus supra.

51 Super autem incompatibilitate, si in primo genere, solus Papa dispensare potest, Garz. *dict. par.* 11. *c.* 5. *num.* 336. Laym. *lib.* 4. *tract. de benefic. cap.* 8. *n.* 9. In secundo autem genere, si sint simplicia, non requirentia residentiam, an, & quando & a quo requiratur dispensatio, vide Trident. *dict. sess.* 24. *cap.* 17. Garz. *loc. cit. num.* 262. & 304. Sanchez. *dict. lib.* 2. *cap.* 2. *dub.* 6. *num.* 24. Filiuc. *tract.* 41. *cap.* 7. *n.* 14. Causas autem dispensandi, vide *in d. cap. de multa de præben. & in d. Extravag. Execrabilis.*

52 Utrùm autem consuetudo possit habere vim dispensationis, seu derogare incompatibilitati, vide Laym. *ibid. num.* 10. *ac* 11.

53 An verò possidens bona fide duo incompatibilia cum titulo colorato, scilicet ex ordinaria collatione, juvetur regula de triennali, vide Garz. *d. cap.* 5. *num.* 379. Sanchez *consil. moral. d. lib.* 2. *cap.* 2. *dub.* 31. *num.* 29. Tenentur autem Ordinarii compellere obtinentes incompatibilia, ut ostendant dispensationem Papæ, aliàs tanquam vacantia aliis sunt conferenda.

54 Etenim in *cap. Ordinarii de offic. Ordinarii in* 6. statuit Gregorius Decimus, ut Ordinarii locorum subditos suos plura beneficia habentes incompatibilia in primo genere compellat, ut intra tempus ab ipsis assignandum, dispensationem Apostolicam retinendi incompatibilia hujusmodi ostendant, aliàs ea tanquam vacantia a legitimis collatoribus aliis conferantur. Si autem dubium emergat de valore dispensationis, Ordinarius negotium ad Sedem Apostolicam discutiendum remittat.

55 Hæc Constitutio est innovata a Concilio Tridentino *dict. sess.* 7. *cap.* 5. *de reform.* & extensa ad beneficia incompatibilia etiam in secundo genere, ut dictum est.

56 Extravaganti autem : *Ut quos virtutis, §. Ut autem de offic ordin.* præceptum est Ordinariis locorum sub pœna suspensionis ab ingressu Ecclesiæ ipso facto incurrenda, ut procurent ab obtinentibus beneficia incompatibilia in primo genere dispensationes Apostolicas exhiberi; sed hæc Constitutio non videtur facta per modum legis universalis, sed edicti pro ea vice, sed neque ea pœna usu recepta videtur, neque a Tridentino innovata.

57 Hæc ampliantur primò, ut Episcopus possit facere edictum, ut omnes beneficiati intra certum tempus ostendant titulum suorum beneficiorum sub pœna privationis eorumdem ipso facto incurrenda ob præsumptam intrusionem, ut *d. cap. Ordinarii*, & tradunt Diaz *regul.* 236. Paris. *de resignat. lib.* 11. *q.* 14. *n.* 35. Mascard. *de probat. concl.* 1378. *v. possessio.*

58 Ampliantur secundò, ut non possint Clerici se tueri contra hujusmodi edicta per regulam de triennali, quia etiam ea regula fundatur in titulo colorato a legitimo oblatore emanato, ut per Mascard. *loc. cit.* & Barbos. *in d. cap. Ordinarii num.* 4.

59 Limitantur primò, quod circa beneficia non incompatibilia Episcopus non debet proponere talia edicta in antiquis inquirendo, nisi in initio suæ promotionis, vel si diù fuit in captivitate absens, quia tunc est periculum intrusionum, ut per Abb. *in cap licet Heli num.* 23. *de simon.* ibique Anan. *numer.* 28. ac Ostien. & Mascard. *ibid. num.* 8. Aliàs igitur Clerici non tenebuntur per talem inquisitionem probare directè, & concludenter titulum non incompatibilis beneficii, sed præsumptivè, etiam suo juramento, Abb. *loc. cit. num.* 23. post Ostiens. & Card. *in dict. cap. licèt. Heli num.* 6. Felin *num.* 3. 4. & 12.

Limitantur secundò, quod quando ipse Ordinarius, aut alius tertius constitueret se adversarium, 60
sive actorem contra beneficiatum, tunc non teneretur possessor ostendere titulum, Mascard. *ibidem num.* 12. 13. & 27.

Denique advertendum, quod non privatur quis 61
primo incompatibili, nisi secundum pacificè possideat, cessante omni molestia etiam extrajudiciali, ut per Rot. *dec.* 19. *num.* 18. *coram Buratto.*

CONSULTATIO CCXXIII.

An, & quatenus Summus Pontifex aliquam potestatem habeat in leges Principum Sæcularium? Et in ipsos Principes, etiam Imperatorum? Ubi alia hujusmodi.

QUamplures ex Jureperitis, quos refert Navarr. *in* 1
cap. noviter de judic. notab. 3. *numer.* 19. in ea sunt sententia, ut dicant, Summum Pontificem habere supremam civilem potestatem, jurisdictionemve temporalem, quæ & gladius temporalis dicitur, tametsi Panormit. *in d. cap. novit, & cap. si duobus de appell.* & quidam alii dicant habere illam quasi habitualiter, constrictamque in vagina, hoc est ei concessam non exercendam per se, nisi in eventu necessitatis, sed exercendam per Principes, & potestates sæculares, qui ea ad Summi Pontificis nutum uti debent.

Huic sententiæ subscribunt S. Antoninus 3. *p. tit.* 2
22. *cap.* 5. *§.* 8. & Sylvester *v. Papa quæst.* 7. *& a quæst.* 10. *usque ad* 14. *& v. legitimus qu.* 4. *propè fin.* sequuti Ostiensem, & Augustinum de Anchona, asseveratque Sylvester potestatem Imperatoris, & aliorum Principum Sæcularium esse subdelegatam comparatione Summi Pontificis a Deo, mediante Summo Pontifice ad eos derivatam, atque a Summo Pontifice dependentem; itemque ea, quæ Constantinus donavit Ecclesiæ, donasse in recognitionem summi dominii temporalis Summi Pontificis in universum Orbem; contra verò Summum Pontificem donasse Constantino Imperium, potestatemque laicam quoad usum. Subjungit, etiam si Summus Pontifex jurisdictionem temporalem extra patrimonium Ecclesiæ non exercet, id non esse ex defectu potestatis, sed ad vitandum scandalum, & ad pacem conservandam.

Alii, ut refert Joannes Parisiensis de *potest. reg. &* 3
papali sub init. & cap. 11. Summo Pontifici tribuunt non solùm dominium jurisdictionis temporalis in universum Orbem, sed & dominium proprietatum, itaut, si usurarium absolvat, non teneatur deinceps usurarius restituere, quæ per injustitiam acquisivit, & si res unius alteri concedat, teneat factum, esto Summus Pontifex peccet. Hoc tamen dominium proprietatum Sylvester, S. Antoninus, & reliqui Doctores citati communiter negant convenire Summo Pontifici.

Suaderi potest primò hæc sententia, quoniam Chri- 4
stus quatenus homo, est Dominus Orbis, aut habet supremam potestatem in temporalibus, adeout non solùm potestates omnes laicæ illi omninò subjaceant, possitque illas pro arbitratu suo deponere, sed etiam res omnes creatæ illi omninò subsint, itaut absque cujusquam injuria possit eas concedere cui voluerit. Sed Christus Vicario suo reliquit potestatem quam habuit, atque adeo tàm latam potestatem in temporalibus Pontifex habet, quàm latam illi tribuunt Autores citati.

Secundò, Christus instituit Rempublicam Ecclesiæ, 5
perfectissimam, quæ tanquam Monarchia ad unum dumtaxat supremum caput reduceretur. Ergo potestates Laicæ in temporalibus subjectæ omninò sunt Summo Pontifici non minus, quàm Optimates suo Regi subjecti sunt; alioquin si in temporalibus Summo Pontifici non subjicerentur, regimen Reipublicæ Ecclesiasticæ, non ad unum supremum caput, sed ad plura tanquam monstrosum corpus reduceretur.

Tertiò, Summus Pontifex transtulit Imperium a Gre- 6
cis ad Germanos, concessitque facultatem eligendi Imperatorem septem Principibus Germanis, sibi demum reservata authoritate approbandi, vel irritandi electionem. Ad hæc Summus Pontifex Imperatorem jam confirmatum & coronatum potest, si opus fuerit, deponere, quemadmodum re ipsa Innocentius Quartus deposuit Federicum Secundum ut *in cap. Ad Apostolicæ de sentent. & re judicat in* 6. Item Zacharias Papa deposuit Hildericum Regem Francorum, quod inutilis esset Regno, & præposuit Pipinum Caroli Magni Pa-

Patrem, ut ait Gelaſius in *can. alius* 15. *quæſt.* 6. Idemque Innocentius Quartus in Concilio Lugdunenſi Sancio Secundo inter Reges Luſitanos Quarto, quod nimis remiſſi, & negligentis eſſet animi, Alphonſum ejus fratrem Vicarium, & adminiſtratorem Regni dedit, ut conſtat ex *cap. grandi de ſupplend. neglig. Prælat. in 6.* Prætereà vacante Imperio Summus Pontifex Imperii ſubditis jus dicit, ut ex *Clem. Paſtoralis propè finem de re judicat.* Hæc autem, aliaque plura certè ad Summum Pontificem non pertinerent, niſi ipſe in poteſtates omnes laicas ſupremam haberet juriſdictionis temporalis poteſtatem.

7 Quartò, hæc ſententia videtur definita a Nicolao Secundo *in can.* 1. *diſt.* 22. ait namque: *Eccleſiam ſolus ille fundavit, & ſuper petram fidei mox naſcentis erexit, qui beato æternæ vitæ Clavigero terreni ſimul & cæleſtis Imperii jura commiſit.* Multòque apertiùs definita videtur a Bonifacio Octavo *in dict. Extravagante Unam ſanctam de major. & obed.* inquit enim: *In hac Eccleſia, ejuſque poteſtate duos eſſe gladios, ſpirituallem videlicet, & temporalem, Evangelicis dictis inſtruimur. Nam dicentibus Apoſtolis: Ecce gladii duo hìc* (in Eccleſia ſcilicet, cùm Apoſtoli loquerentur) *non reſpondit Dominus nimis eſſe, ſed ſatis. Certè qui in poteſtate Petri temporalem gladium eſſe negat, malè verbum attendit Domini proferentis: Converte gladium tuum in vaginam. Uterque igitur eſt in poteſtate Eccleſiæ, ſpiritualis ſcilicet gladius, & materialis, ſed is quidem pro Eccleſia, ille verò ab Eccleſia exercendus. Illæ Sacerdotis, is manu Regum, & militum, ſed ad nutum, & patientiam Sacerdotis. Oportet autem gladium eſſe ſub gladio, & temporalem authoritatem ſpirituali ſubjici poteſtati. Nam cùm dicat Apoſtolus: Non eſt poteſtas, niſi a Deo. Quæ autem ſunt a Deo, ordinata ſunt, non autem ordinata eſſent, niſi gladius eſſet ſub gladio, & tanquam inferior reduceretur per alium ad ſuprema.* Et poſt pauca: *Spiritualem autem & dignitate & nobilitate terrenam quamlibet præcellere poteſtatem oportet tantò clariùs nos fateri, quantò ſpiritualia temporalia antecellunt.* Rationes alias minoris momenti, earumque ſolutiones, vide præ aliis apud Joannem Pariſienſem, *de poteſtate Regia, & Papali cap.* 12. *& ſeqq.* & apud Navarrum *loc. cit.*

8 Quidam in extremam ſententiam abjerunt, nempè Summum Pontificem nullam omninò habere poteſtatem in temporalibus, ſed in ſpiritualibus dumtaxat. Hæc opinio ſuaderi poteſt, quia Chriſtus Dominus Petro ejuſque ſucceſſoribus ſolùm commiſit claves Regni Cœlorum. Cùm ergo hoc Regnum longè diverſum ſit a terreno, & temporali, conſequens profectò eſt, ut Summi Pontificis poteſtas tota ſit in ſpiritualibus, nulla in temporalibus.

Confirmatur ex illo ad Titum II. *Nemo militans Deo implicat ſe negotiis ſæcularibus.* Cùm ergo nemo ex officio plus Deo militet, quàm Summus Pontifex, efficitur, ut nemo minus implicare ſe debeat negotiis ſæcularibus, ac proinde, ut nullam illi Chriſtus reliquerit poteſtatem in temporalibus. Rationes alias, eorumque ſolutiones leges apud Turrecrematæ *lib.* 2. *Summ. capit.* 115. & 116. & apud Navarrum *ibid.*

9 Et ſanè diſtincta ſunt dona Dei, Sacerdotium, & Imperium, nec ſine magna ortaxia confundi poteſt, *cap. tuam nos de ordin. cognit.* Eccleſiaſticam, & ſpiritualem poteſtatem, ita a temporalibus diſtinctam eſſe, ac fuiſſe conſtat, ut nihil deroget illi, aut detrahat, quominus & Divina Dei ordinatione ſæculares Principes propriam exercere valeant juriſdictionem abſque ulla veterum Canonum, & Conciliorum univerſalium læſione, ac injuria; præſertim ex eo, quod & ipſe Summus Eccleſiæ Pontifex non ſemel teſtatiſſimum faciat, ſe minimè velle Regiam, civilem, & ſæcularem perturbare dignitatem, ait Covarruv. *pract. quæſt. cap.* 31. *num.* 1. Quo collimat Innoc. *in d. cap. novit. de judic.* ubi ita ſcribit: *Non putet aliquis, quod juriſdictionem illuſtris Regis Francorum perturbare, aut minuere intendamus, cùm ipſe juriſdictionem noſtram nec debeat, nec velit impedire.*

10 Idemque habetur *in can. Cauſam* 7. *qui filii ſint legit.* ibi: *Nos attendentes, quod ad Regem pertinet, non ad Eccleſiam, de talibus poſſeſſionibus judicare, ne videamur juri Regis Anglorum detrahere.*

11 In *cap. Venerabilem eodem*, ubi expreſsè dicitur, Regem Francorum non recognoſcere ſuperiorem in temporalibus; unde patet Reges non debere ſubeſſe Papæ in temporalibus.

12 In *d. cap. Tuam de ordin. cognit.* ubi Honorius Tertius præſupponit ſe idoneum Judicem ad cognoſcendum de natalibus Reginæ Cypri; at verò ad cognoſcendum de ipſius ſucceſſione, non ipſum, ſed Regem Francorum exiſtere competentem.

13 In *can. Quoniam diſtin.* 10. *can. Cùm ad verum, can. Duo ſunt diſt.* 96. Eſtque textus notabilis *in can. Nos ſi incompetenter, §. ſed notandum* 2. *quæſt.* 7. ibi: *Duæ ſunt perſonæ, quibus mundus regitur, Regalis videlicet, & Sacerdotalis. Sicut Reges præſunt in cauſis ſæculi, ita Sacerdotes in cauſis Dei*, & §. ſeq. *Sicut ergo Ozias a Domino lepra percuſſus eſt, quod Sacerdotum officia uſurpare voluit*, &c. cum reliquis quæ adducuntur a Marſilio Patavin. *in defenſ. pac. part.* 2. *cap.* 4. & a Feder. Baldo *de conſ. lib.* 4. *cap.* 4. *caſ.* 2.

14 Ita iſti nugantur. Contrarium acriter defendunt Azor. *part.* 1. *Inſt. mor. lib.* 5. *cap.* 12. ubi in verſ. *In hac proculdubio*, notat, Marſilium Patavinum fuiſſe meritò ab Eccleſia damnatum, eò quòd aſſereret non ſolùm Clericos, ſed etiam Eccleſiarum Antiſtites, & ipſum Romanum Pontificem Imperatoriæ poteſtati jure divino ſubjici. Piorum autem Principum indulgentia Pontificum Romanorum poteſtate acta tàm ratione rerum ſpiritualium, quàm temporalium, Imperatoribus depreſſis, electio de Imperatorum manibus erepta, Cardinalibuſque præcipuè conceſſa fuit, idque factum præſertim circà tempora Gregorii Papæ Septimi, & Urbani Secundi, teſtatur Panvin. *lib. de Epiſcopatibus.*

15 Inter has duas extremas ſententias, media quædam tenenda eſt, quæ aliquibus concluſionibus continetur, in quas conveniunt Victoria *relect.* 1. *de poteſt. Eccl. quæſt. penult. & relect. de Indis Inſulanis part.* 1. *a num.* 26. Sotus *in* 4. *diſt.* 25. *quæſt.* 2. *artic.* 1. *concluſ.* 3. Navarr. *in capit. nov. de judic. notab.* 3. Turrecrematæ *lib.* 2. *Summ. cap.* 113. & 114. Henric. *in quodlib.* 6. *quæſt.* 23. Albertus Pighius *lib.* 5. *Hierarch. Eccl.* Paludanus *de poteſtat. Eccleſiaſt.* Thomas Vvaldenſis *lib.* 2. *doctrinal. fidei art.* 3. *cap.* 76. 77. & 78. Sander. *de viſibili Monarch. lib.* 2. *cap.* 4. Driedo *de libertat. Chriſtiana cap.* 15. & *ſeqq. & lib.* 2. *cap.* 2. Cajetan. *in apolog. tom.* 1. *opuſcul. tract.* 2. *cap.* 13. & *in* 2. 2. *quæſt.* 43. *art.* 8. Durand. *de origin. juriſdict. quæſt.* 3. Jo: Pariſienſis *de poteſt. Regia, & Papali*, aliique innumeri, qui inferius citantur; tametſi Pariſienſis nonnihil in favorem Principum ſæcularium plus juſto poteſtatem Summorum Pontificum ad temporalia reſtringat, cui non eſt inferior in hac parte Joannes Major. *in* 4. *diſt.* 24. *quæſt.* 3.

16 Antequam vero concluſiones ſubjiciamus, illud in primis adnotandum eſt, nos haud loqui de terris Romanæ Eccleſiæ ad illius ſplendorem, & authoritatem, necnon in ſubſidium pro adminiſtrandis ſpiritualibus meritò ei donatis, quæ proinde ad Romanæ Eccleſiæ, ac Petri patrimonium pertinere dicuntur. In ejuſmodi namque terris Summi Pontifices habent ſupremam poteſtatem, & juriſdictionem temporalem non ſecus, ac Reges in ſuis Regnis, ut firmat Innocentius Tertius *in capit. per venerabilem, qui filii ſint legitimi.*

17 Illud etiam cum Driedone, Durando, & aliis *loco citato* obſervandum eſt, quod licèt poteſtas laica in eodem ſubjecto non pugnat cum poteſtate Eccleſiaſtica, eaque de cauſa in Chriſti Eccleſia, Comites, Duces, & alii optimates, qui in Epiſcopos, & alias dignitates eliguntur, relinquere minimè teneantur dominia temporalia, ſi quæ ex ſuo patrimonio habebant, & præterea non ſolùm Eccleſia Romana ad ſuum ſplendorem, & authoritatem, atque in ſubſidium pro adminiſtrandis ſpiritualibus temporalem aliquam habent juriſdictionem, ſed etiam quædam aliæ inferiores Eccleſiæ, ut Toletana in Hiſpania, Colonienſis, Trevirenſis, Moguntina, & aliæ in Germania; nihilominùs vetus eſt Eccleſiaſticis, præſertim Prælatis, plus ſe immiſcere curis, & negotiis temporalibus, quàm poſtulat recta ratio, & quàm patiatur eorum cura, & munus in ſpiritualibus, cui ante omnia incumbere tenentur.

18 Quia ergo cura in ſpiritualibus Eccleſiæ univerſalis non compatitur ſecum regimen, & adminiſtrationem Imperii in temporalibus, eo quod neque unus utrique muneri ſufficiat, neque iidem mores, & habitus utrique muneri conveniant, nefas eſſet vel Summum Pontificem Imperium accipere, vel Imperatoré, retento Imperio, eligi in Summum Pontificem. Quia & Paulus illis verbis jam citatis: *Nemo militans Deo implicat ſe negotiis ſæcularibus*, contrarium docet, & Chriſtus longè aliter ſuos inſtituit miniſtros, dum Lucæ cap. 22. dixit: *Principes gentium dominantur eorum &c. Vos autem non ſic, &c. Et ſicut miſit me Pater, ego mitto vos.* Quo fit, ut juriſdictio temporalis

moderata esse debeat in Ecclesiasticis, quæ curam, splendorem, & authoritatem, quam postulat cujusque dignitas, & status, non excedat, & quæ per ministros ad id constitutus exerceatur.

19 His prænotatis sit prima conclusio. Summus Pontifex non ita habet potestatem jurisdictionis in temporalibus, ut sit dominus Orbis, vel ut nomen Regis, aut Imperatoris sibi possit vindicare, neque ita, ut ab eo dominium jurisdictionis temporalis ad Reges derivetur; sed potestas Regalis est omninò diversa a Papali, quæ a Deo mediante consensu, & electione Reipublicæ, Regem sibi ad administrationem in temporalibus, finemque naturalem constituentis, habet ortum. Papalis verò ortum habet a Deo per Christum, eam instituentem ad regimen per comparationem ad finem supernaturalem dumtaxat.

20 Hæc conclusio manifesta est, eamque expressè affirmat Nicolaus Papa in epistola ad Michaelem Imperatorem in *Can. Cùm ad verum dist. 96.* ubi ait: *Cùm ad verum ventum est, ultra sibi neque Imperator jura Pontificatus arripuit, neque Pontifex nomen imperatorium usurpavit; quoniam idem mediator Dei & hominum homo Christus Jesus actibus propriis, & dignitatibus distinctis officia potestatis utriusque discrevit.* Et Gelasius in epist. ad Anastasium Imperatorem cap. *duo sunt eadem dist. 96. Duo sunt*, inquit, *Imperator Auguste, quibus principaliter hic mundus regitur, authoritas Sacra Pontificum, & regalis potestas*, Eatenusque vult regalem, & imperialem potestatem Pontificibus esse subjectam, quod Pontifices, tanquam Pastores, possint Reges, & Imperatores excommunicare, eosque coercere, quando spiritualis finis, ad quem Pontificum potestas ordinatur, id postulaverit, de quo pluribus infra. Et Joannes Papa in can. *Si Imperator eadem dist. Imperator*, inquit, *filius est, non Præsul Ecclesiæ. Quod ad Religionem competit, discere ei convenit, non docere. Habet privilegia suæ potestatis, quæ administrandis legibus publicis divinitus consequutus est. Ad Sacerdotes Deus voluit, quæ Ecclesiæ disponenda sunt, pertinere, non ad sæculi potestates, quas si fideles sunt, Ecclesiæ suæ Sacerdotibus voluit esse subjectas.* Et infra, *Imperatores Christiani subdere debent exequutiones suas Ecclesiasticis Præsulibus, non præferre.* Et Innocentius Tertius ad Constantinopolitanum Imperatorem in cap. *solitæ de major. & obed. Non negamus*, inquit, *quin præcedat Imperator in temporalibus illos dumtaxat, qui ab eo suscipiunt temporalia, sed Pontifex in spiritualibus antecellit, quæ tamen sunt temporalibus digniora quantò anima præfertur corpori.* Et infra: *Ad firmamentum Cœli, hoc est universalis Ecclesiæ, fecit Deus duo magna luminaria, idest duas dignitates instituit, quæ sunt Pontificalis authoritas, & regalis potestas; sed illa, quæ præest diebus, idest spiritualibus, major est; quæ verò carnalibus, minor, ut quanta est inter Solem, & Lunam, tanta inter Pontifices, & Reges differentia cognoscatur;* & in *cap. per venerabilem qui fil. sint legit.* fatetur idem Innocentius se non habere potestatem in temporalibus super Regem Francorum, de quo eo loco erat sermo, & quem fatetur non habere superiorem in temporalibus. *Et in cap. novit de judic.* ait: Se non intendere perturbare, aut minuere jurisdictionem in temporalibns Regis Francorum, sicut nec Rex Francorum vult, nec debet jurisdictionem Summi Pontificis impedire; sed solùm procedere contra illud per modum fraternæ correctionis de peccato juxta formam Evangelii, fateturque judicium de feudo, eo quod sit temporale, non ad Sedem Apostolicam, sed ad Francorum Regem attinere. Et Melchiades Papa *in can. futura 12. qu. 2.* fatetur Cathedram Petri donatione Imperatorum accepisse prædia, & Urbem Romanam. Quod etiam patet ex *Can. Constantinus dist. 96.*

21 Non ergo Pontifices sunt domini Orbis in temporalibus. Unde Bernardus lib. 1. de considerat. ad Eugenium: *In criminibus*, inquit, *non in possessionibus potestas vestra, quoniam propter illa, & non propter has accepistis claves Regni Cœlorum;* & infrà: *Habent hæc infima & terrena Judices suos Reges, & Principes terræ. Quid fines aliorum invaditis? Quid falcem vestram in alienam messem extenditis?* Hæc tamen judicat Bernardus extra potestatem Summi Pontificis esse judicare de temporalibus, non solùm in terris patrimonii Ecclesiæ, sed etiam in aliis, quando necessitas finis spiritualis id postulat: sed quod vult, est, ut id quod fieri possit, exequutioni demandetur per alios, per se autem minimè, nisi incidenter, & quando aliud fieri non potest, subjungitque: Non quia indigni vos, sed quia indignum vobis talibus insistere, quippe potioribus occupatis. Denique ubi necessitas exigit, audi quid censeat: *Non ego, sed Apostolus; si enim in vobis judicabitur mundus, indigni estis, qui de minimis judicetis. Sed aliud est incidenter excurrere in ista, causa quidem urgente, aliud ultrò incumbere istis tanquam magnis, dignisque tali, & talium intentione rebus.* Et sub finem libri: *Illas*, inquit, *quas ad te necesse erit intrare causas (neque enim omnes necesse erit) diligenter velim, sed breviter decidere assuescas.* Et mox *Quædam, ut dixi, negotia nec audiendo, quædam aliis committendo. Quæ tua digna putaveris audientia, fideli quodammodo & accommodo ipsi causæ compendio terminando.* Nostrum præterea institutum luculenter pluribus prosequitur Bernar. lib. 2. ex illo Matth. 20. & Lucæ 22. *Scitis, quia Principes gentium dominantur eorum, vos autem non sic*, & ex multis aliis.

Deindè, si Summus Pontifex dominus esset Orbis, vel id esset jure naturali, vel humano, vel divino positivo. Non naturali, neque humano, ut perspicuum est, neque etiam divino positivo; quippe cum Petro, & successoribus solùm sit dictum: *Tibi dabo claves Regni Cœlorum, & pasce oves meas*, in quibus intelligitur solùm spiritualis potestas per comparationem ad finem supernaturalem, non autem temporalis, nisi ex consequenti, quatenus ad finem supernaturalem necessarium judicabitur. Ergo Summus Pontifex non est dominus Orbis, neque Reges ab illo suam habent potestatem, aut aliter, aut plus illi subsunt, quàm judicatum fuerit necessarium ad finem supernaturalem. Atque adeo in cæteris sunt ab illo exempti, & omninò independentes. 22

Præterea non majorem potestatem habet Summus Pontifex in temporalibus, quàm in spiritualibus. At in infideles nullam habet potestatem in spiritualibus, cùm Paulus 1. ad Corinth. 5. dicat: *Quid enim mihi est de iis, qui foris sunt, judicare?* sed solùm jus habet ad proponendum, explicandumque illis Evangelium, eosque ad fidem incitandum. Ideoque non est dominus illorum in temporalibus, ac proinde neque est dominus Orbis. 23

Adde, quod, cùm ex eo quod homines ad fidem convertantur, non sint pejoris conditionis, neque sua jura, & dominia amittant (id namque esset gravissimum jugum cervicibus hominum unà cum fide imponere, eamque illis efficere odiosam) fit, ut neque Christianorum sit dominus in temporalibus. 24

Item per adventum Christi in mundum non amiserunt homines sua jura, & dominia, neque ab illo, quatenus homine, illa acceperunt, aut accipiunt. Ergo non ita instituit Christus Summum Pontificatum, ut a Summo Pontifice acciperent homines sua jura, & dominia. Immò neque ut ab eo in illis penderent. Id enim minimè expediebat. Potestas autem illa ad temporalia, quæ est in Christo, est in eo excellentiæ, quam proinde, sicut neque potestatem excellentiæ in spiritualibus, quibus illum præficiebat Summo Pontifici non communicavit, ita neque in temporalibus. 25

Subde, gratiam, & fidem non destruere, sed perficere naturam. Quare, cùm, antequam homines fidem Christi susciperent, fuerint Reges independentes in suo temporali dominio a quocumque alio, idque per potestatem sibi a Republica communicatam, quæ jure naturali eam habet, consequens profectò est, ex eo, quod fidem susceperint, nequaquam potestatem illam, & dominium amisisse, tametsi per ingressum in Ecclesiam Summo Pontifici subjiciantur, ut ab eo, quando per abusum deviaverint, coerceantur. 26

Atque ex his constat, Albertum Pighium *libr. 3. Hirarchiæ Ecclesiasticæ cap. 7. & 14.* nonnihil excessisse, dum licèt Summum Pontificem non efficit Dominum Orbis, neque jurisdictionis quidquam illi tribuat in eos, qui sunt extra Ecclesiam, vult tamen Reges eo ipso quod Ecclesiam ingrediuntur, supremoque illius capiti subjiciuntur, se, suaque sceptra tradere Christi Ecclesiæ, atque ab ea veluti accepta recognoscere, ejusque judicio regnare Reges, & Imperatores, & amoveri a Regno. Si namque velit sceptra, jurisdictionisque dominium non esse propria Principium ipsorum, ab Ecclesia, & illius capite non aliter dependentia, nec illi subjecta, quam quatenùs omninò postulat finis supernaturalis, certè falsum asserit, ideòque non est audiendus. 27

Ex his autem infertur primò. Ad Summum Pontificem via ordinaria, cessanteque fidei causa, & exigentia, non qualicumque, sed admodum gravi, per comparationem ad finem supernaturalem, neque pertinere 28

tinere creare Reges, & alias potestates laicas, neque etiam eas deponere, sed id pertinere ad Reipublicas ipsas, quarum ut est, Reges sibi constituere, sic etiam est eos deponere, postulante id recta ratione, occurrenteque justa, & urgente causa. Optimum autem consilium est, ut quando dubii alicujus potest esse suspicio, & quando non tota Respublica sed major illius pars consentit, consulatur Summus Pontifex, ut ejus interveniente approbatione id fiat in majorem causæ justificationem, præsertim, cùm, ut plurimum, bonum spirituale commune Reipublicæ inde pendeat, quo dato, ad Summum Pontificem spectat suam interponere authoritatem, bonumque commune censuris, & aliis modis juvare, comprimendo eos, qui id impedire contendunt. Quod commune spirituale bonum, salusque spiritualis Reipublicæ postulat.

29 Ea verò ratione, postulante id majori optimatum Reipublicæ parte, Zacharias deposuit Hildericum, & præposuit Pipinum in Regno Galliæ, & Innocentius adjutorem, & moderatorem Regi Lusitaniæ constituit, eos coercendo censuris, qui id conabantur impedire. Non ergo eo modo Reges pendent a potestate Summi Pontificis, quo Episcopi constituti per diversa loca, quos & creare, & amovere potest tanquam supremus in spiritualibus Ecclesiæ Pastor, ac moderator, tametsi absque rationabili causa eos amovere non debeat. Neque item pendent ab eo, perinde ac Optimates Regni pendent a Rege, ac proinde atque Reges, vel alii Principes ab Imperatore non exempti, ab eo pendent, esto ab Imperatore amoveri nequeant. Quin potiùs tàm Reges ab Imperatore exempti, quàm Imperator ipse, supremæ sunt potestatis in temporalibus, a nullo alio dependentes. Quodammodò verò major est dependentia Imperatorum Germanorum a Summo Pontifice, quàm aliorum Regum Catholicorum, eò quòd Germanum Imperium populis, & Ottone consentientibus, creatum sit dependenter ab approbatione, & confirmatione Summi Pontificis.

30 Infertur secundò, in Summo Pontifice non esse potestatem judicandi directè causas, litesque. & contentiones temporales inter Principes; neque posse Summum Pontificem infirmare eas leges civiles Principum sæcularium, quæ a supernaturali fine non deviant; neque posse statuere, ut a Judicibus sæcularibus ad ipsum appelletur in iis, quorum cognitio ad sæculares potestates pertinet. Et quamvis legitimare possit quoscumque ad spiritualia, ut ad Ordines suscipiendos, ad beneficia Ecclesiastica obtinenda, & universim ad ea, quæ ad Ecclesiasticam jurisdictionem spectant, non tamen potest legitimare ad ea, quæ ad jurisdictionem civilem, & temporalem pertinent, ut ad successionem in hæreditate, & ad alia, quæ legibus civilibus licitè filiis illegitimis sunt prohibita, nisi fortè Principes sæculares consentirent, ut Summus Pontifex ea etiam in parte legitimaret, vel nisi bonum commune spirituale id in aliquo eventu postularet. Tunc enim invito etiam Principe sæculari, legitimare posset in iis, quæ secundùm se ad jurisdictionem pertinent sæcularem. Neque aliud voluit Innocentius Tertius *in d. cap. per venerabilem, qui filiis sint legit.*

31 Hæc omnia ex eo sunt manifesta, quod Principes Sæculares, eorumque Tribunalia in temporali Reipublicæ administratione exempta sunt a potestate Summi Pontificis, præterquam in iis, quæ ad finem supernaturalem pertinent, si quando ab eo deviarent, aut quando aliquid omninò necessarium esset ad bonum spirituale commune. Indirectè etiam per modum correctionis fraternæ possunt tàm ipse, quàm alii Prælati inferiores se ingerere in rebus sæcularibus, & in controversiis Principum eo modo, quo *in d. capit. novit. de judic.* explicatur, ita tamen ut præjudicium non fiat foro Sæculari. Unde Bernardus *d. lib. de consideraț.* ut paulò ante retulimus, *In criminibus*, inquit, *non in possessionibus potestas vestra. Habent hæc infima & terrena Judices suos Principes terræ.* Et Alexander Tertius *in cap. causam 2. qui fil. sint legit. Nos*, inquit, *attendentes, quod ad Regem pertinet, non ad Ecclesiam de talibus possessionibus judicare, ne videamur juri Regis Anglorum detrahere, qui ipsarum judicium ad se asserit pertinere, fraternitati vestræ mandamus, quatenus Regi possessionum judicium relinquentes, de causa principali, videlicet utrum mater prædicti Regis de legitimo sit matrimonio nata, plenius cognoscatis, & causam hujusmodi terminetis.* Idipsum fermè confitetur Innocentius Tertius *in d. cap. novit. de Judiciis*, ut supra dictum est. Idemque Alexander Tertius *in cap. si duobus §. denique de appellat.* ait, *Quæris si a civili Judice ante judicium, vel post, ad nostram audientiam fuit appellatum, an hujusmodi appellatio teneat? Tenet quidem in his, quæ sunt nostræ temporali jurisdictioni subjecta; in aliis verò etsi de consuetudine Ecclesiæ teneat, secundùm tamen juris rigorem credimus non tenere? Quia videlicet Tribunal Sæculare in rebus temporalibus a Summo Pontifice est exemptum.*

Sit secunda conclusio. Licet Summus Pontifex jurisdictionem universalem habeat in temporalia bona Ecclesiæ, non tamen est illorum dominus, sed dispensator, & gubernator, qui proinde non ad libitum de illis potest disponere, sed solùm ex rationabili causa, itaut si illa donet absque aliqua causa, donatio sit nulla, & tàm ipse, quàm donatarius teneatur ad eorum restitutionem Ecclesiæ illi, ad quam pertinent. Hæc est Turrecremata, *lib. 2. Sum. capit. 113. propos. 6.* Cajetani *in 2. 2. quæst. 43. artic. 8.* estque communis. 32

Quoniam hujusmodi bona non sunt collata Summis Pontificibus, aut aliis Prælatis Ecclesiæ, sed quædam collata sunt Ecclesiæ Romanæ, quædam verò particularibus Ecclesiis, quo fit, ut eorum dominium non sit apud Summum Pontificem, aut alios Prælatos, sed apud Ecclesias ipsas, quibus talia bona donata sunt. Prælati verò sunt dispensatores, & gubernatores eorum. At verò Summus Pontifex, quatenus caput est Ecclesiæ universalis, illorum omnium bonorum est dispensator, & gubernator universalis, non solùm eorum, quæ propria sunt Ecclesiæ Romanæ, sed etiam omnium universim ad quascunque Ecclesias pertinentium, quæ eo ipso ad Ecclesiam universalem pertinent, cujus Summus Pontifex est caput, & gubernator, habens sibi subordinatos, & a se dependentes dispensatores, & administratores bonorum omnium particularium Ecclesiarum. 33

Hac ergo de causa licèt Summus Pontifex dispensator sit, & jurisdictionem habeat in omnia bona temporalia Ecclesiæ universalis, non tamen est eorum dominus. Comparatione verò bonorum, quæ particularia, & propria sunt singulorum tàm sæcularium, quàm Ecclesiasticorum, nec ipse, neque Rex aut Imperator dominium habent proprietatis, quin neque eorum dispensationem, eò quòd non sunt bona Communitatis, ut eorum dispensatio ad Rectores Communitatum pertineat; sed sunt bona propria singulorum, quorum proinde dispensatio ad ipsos; & non ad Rectores multitudinis spectat. Quoad verò alienationem bonorum, ac feudorum Ecclesiæ Romanæ, vide Constitutiones Beati Pii Quinti, Sixti Quinti, & Urbani Octavi. 34

Sit tertia conclusio. Tenendum est tanquàm firmamento firmius, potestatem spiritalem Summi Pontificis ad finem supernaturalem habere adjunctam quasi ex consequenti supremam, & ampliſſimam potestatem jurisdictionis temporalis super omnes Principes, ac reliquos, qui sunt de Ecclesia, præcisè tamen quantum postulat finis supernaturalis, ad quem spiritualis potestas ordinatur. Quare si id exigat finis supernaturalis, potest Summus Pontifex deponere Reges, eosque Regnis suis privare. Potest etiam inter eos judicare de rebus temporalibus, legesque eorum infirmare, & reliqua omnia inter Christianos omes exequi, quæ ad supernaturalem finem, salutemque eorum spiritualem, non utcumque, sed simpliciter prudentis arbitrio judicata fuerint necessaria; idque non solùm censuris ad id cogendo, sed etiam pœnis externis, ac vi, & armis, non secus ac quivis alius Princeps sæcularis, tametsi ut plurimùm expediens sit, Summum Pontificem non per se, sed per Principes sæculares id exequi, quemadmodum pluries factum est. Atque hac ratione verè Summus Pontifex dicitur habere utcumque gladium, supremamque potestatem temporalem, & spiritualem. 35

Observandum tamen est, supremam hanc potestatem jurisdictionis temporalis, quæ in Summo Pontifice residet, cùm non ad temporalia ipsa, sed ad supernaturalem finem ordinetur, non esse merè potestatem temporalem, sed esse spiritualem ex parte finis. Quo fit, ut appellanda non sit potestas laica, sed Ecclesiastica, jurisdictionis tamen temporalis, ut illam distinguamus a potestate merè temporali, quæ illam annexam habet. 36

Probatur primò, quoniam Ecclesia Christiana, cui Summus Pontifex jure divino caput, & supremus Rector præficitur, & quæcumque alia Respublica sæcularis cujusvis Christiani Principis, non sunt duo diversæ Respublicæ, perinde ac Respublicæ Hispaniarum, & Gallorum, sed sunt ad invicem subordinate, itaut una in alia includatur, finisque naturalis 37

cujuſque Reſpublicæ ſæcularis, tamquam imperfectus, ordinatur ad finem ſupernaturalem, quem reſpicit Eccleſia. Quando autem duo artifices, aut moderatores eatenus ſunt ſubordinati, quod finis unius ſubordinatus eſt fini alterius, artifex, & moderator ſuperior præſcribit leges, ac modum inferiori, quatenus finis ſuperior poſtulet, ut in arte equeſtri comparatione frænæ factivæ eſt manifeſtum, docetque Ariſtoteles *lib. 1. ethic. c. 1.* & nos explicatiùs alibi. Summus autem Pontifex, qui Eccleſiæ ad finem ſupernaturalem eſt præfectus, præſcribere, & ordinare habet Principibus ſæcularibus, cæteriſque Chriſti fidelibus, quatenus expedire judicaverit ad finem ſupernaturalem.

38 Et ſanè inſufficienter Chriſtus ſuæ Eccleſiæ providiſſet, niſi Principes omnes ſæculares Chriſtianos, cæteroſque fideles ſubordinatos, ac ſubjectos Summo Pontifici, hac in parte reliquiſſet cum pleniſſima poteſtate in Summo Pontifice ad eos pro munere ſuo coercendos, & cogendos ad id, quod ad finem ſupernaturalem judicaret ſimpliciter neceſſarium. Quin potius eo ipſo quod Chriſtus Petro & ejus ſucceſſoribus ſupremam Eccleſiæ curam ad finem ſupernaturalem commiſſit, cenſetur ex conſequenti conceſſiſſe illis poteſtatem, de qua loquimur. Conceſſo enim alicui munere, aut regimine aliquo, cenſentur conceſſa ei omnia ea, ſine quibus id rectè expediri non valet, ut habetur *capit. præterea de offic. deleg.* loquiturque Textus de vi coarctiva ad id, quod eſt injunctum.

39 Deinde probatur, quia Summus Pontifex eſt Paſtor univerſalis totius gregis Chriſtiani, a Chriſto inſtitutus, juxta illud *Jo: 21. Paſce oves meas*. Paſtoris autem eſt errantes oves cujuſcunque ordinis ſint, ac dignitatis in viam revocare, eaſque quacunque ratione ad viam compellere: idque in Paſtores officio cenſetur eſſe conceſſum, ac injunctum. Eo igitur ipſo, quod a Chriſto Paſtor univerſalis Eccleſiæ eſt conſtitutus, cenſeeur illi tradita prædicta poteſtas. Atque hoc argumento utitur adverſus quemdam Conſtantinopolitanum Imperatorem Innocentius Tertius *in cap. ſolitæ de major. & obed.* ut illi oſtenderet fas ſibi fuiſſe eum reprehendere.

40 Probatur præterea. Non minus poteſt modo Summus Pontifex in temporalibus, quod olim poterat Summus Sacerdos in veteri lege: Sed ut habetur *Deuter. 17.* orta cauſa dubia in temporalibus, quam ſæculares Judices non ſufficienter definirent, ſupremum judicium ſpectabat ad Summum Sacerdotem cum capitis pœna ei, qui illius ſententiæ ſtare non vellet. Ergo ad Summum Pontificem in Eccleſia ſpectat etiam juriſdictio in temporalibus, ſaltem quatenus finis ſpiritualis, cui eſt præfectus, id poſtulaverit. Verba Deuteronomii ſilice digna hæc ſunt; *Si difficile, & ambiguum apud te judicium eſſe perſpexeris inter ſanguinem, & ſanguinem, cauſam, & cauſam, lepram, & lepram, & Judicum inter portas tuas videris verba variari, ſurge, & aſcende ad locum, quem elegerit Dominus Deus tuus, venieſque ad Sacerdotes levitici generis, & ad Judicem, qui fuerit illo tempore, quæreſque ab eis, qui indicabunt tibi judicii veritatem, & facies quodcunque dixerint, qui præſunt loco, quem elegerit Dominus, & docuerint te juxta legem ejus, ſequeriſque ſententiam eorum, nec declinabis ad dexteram, neque ad ſiniſtram. Qui autem ſuperbierit, nolens obedire Sacerdotis imperio, qui eo tempore miniſtrat Domino Deo tuo, ex decreto Judicis morietur homo ille, & auferes malum de Iſrael, cunctuſque populus audiens timebit, ut nullus deinceps intumeſcat ſuperbia*. Vide Thomam Bozium de ruinis gentium & Regnorum adverſus impios politicos, ubi oſtendit tempora, & obſervationes adducit, è quibus palam fit Chriſtianis nationibus, ac Regiis eatum genealogiis feliciter tunc fuiſſe, cùm veræ Religioni, Præfectoque ipſius adhæſerint, ſecus cùm contra. Vide etiam eumdem Bozium de jure ſtatus, ſive de jure divino, & naturali Eccleſiaſticæ libertatis, & poteſtatis.

41 Item probatur ex expreſſa ſententia S. Bernardi 4. *de conſid. ad Eugenium*, & Pontificum, Conciliorum, aliorumque Patrum, quorum verba ultima dabimus. Verba Bernardi hæc ſunt: *Quid tu denuo uſurpare gladium tentas, quem ſemel juſſus es ponere in vagina? Quem tamen qui tuum negat, non ſatis mihi videtur attendere verbum Domini, dicentis ſic*: Converte gladium tuum in vaginam. *Tuus ergo, & ipſe tuo forſitan nutu, & ſi non tua manu evaginandus. Alioqui ſi nullo modo ad te pertineret & is; dicentibus Apoſtolis*: Ecce gladii duo hìc, *non reſpondiſſet Dominus. Satis eſt, ſed nimis eſt. Uterque ergo Eccleſiæ, & ſpiritualis ſcilicet gladius, & materialis, ſed is quidem pro Eccleſia, ille verò ab Eccleſia exercendus; ille Sacerdotis, is militis manu, ſed ſanè ad nutum Sacerdotis, & juſſu Imperatoris*. Ubi vides verba Bonifacii Octavi in extravaganti, *Unam Sanctam*, ex Bernardo magna ex parte ſuiſſe deſumpta.

Liber etiam verba illa Bernardi *2. de conſiderat. ad eumdem Eugenium* ſubjungere: *Age*, inquit, *indagemus adhuc diligentius quis ſis, quam geras videlicet pro tempore perſonam in Eccleſia Dei. Qui es? Sacerdos magnus, Summus Pontifex, tu Princeps Epiſcoporum, tu hæres Apoſtolorum, tu primatu Abel, gubernatu Noe, Patriarchatu Abraham, ordine Melchiſedech, dignitate Aaron, authoritate Moyſes, judicatu Samuel, poteſtate Petrus, unctione Chriſtus*. Pluraque alia ſubjungit, quibus dignitatem, & poteſtatem Summi Pontificis extollit. Cùm verò dicat *authoritate Moyſes, judicatu Samuel*, manifeſtè docet in eo eſſe poteſtatem circa temporalia, quam probare intendimus in ordine ad finem ſupernaturalem. 42

Denique probatur ex Nicolao Secundo *cap. 1. d. 22.* & Bonifacio Octavo in Extravag. *Unam Sanctam de majorit. & obed. Summis Pontificibus*, qui in hoc ſenſu aſſeruerunt, Petrum terreni ſimul, & cœleſtis Imperii jura accepiſſe, habereque utrumque gladium, ſupremamque in temporalibus & ſpiritualibus poteſtatem. 43

Ex his autem Sotus, Victoria, & alii locis ſupra citatis colligunt, exigente id fidei, Eccleſiæ, aut boni ſpiritualis communis conſervatione, poſſe Summum Pontificem deponere Reges, eaque ratione meritò tranſtuliſſe Imperium a Græcis ad Germanos, depoſuiſſeque Hildericum, & privaſſe Regni adminiſtratione quemdam Luſitaniæ Regem, quamvis Turrecremata, & Paludanus de poteſtate Eccleſiæ optimè ſubjungunt, eſto Summus Pontifex deponere poſſit Reges, non tamen novos conſtituere poteſt privando eum Regno, ad quem in defectum depoſiti jus Regni alioquin pertineret, aut ſi neceſſe eſſet eligere alium in depoſiti defectum, eligente ſolùm Summo Pontifice, & non concurrentibus illis ad electionem, ad quos jus eligendi pertineret, quales eſſent Reſpublicæ, & Optimates illius. 44

Si tamen Reſpublica aliqua Chriſtiana eligere ſibi vellet Regem infidelem, aut alium, unde ſpirituale bonum non leviter periclitaretur, & admonita, nollet deſiſtere, poſſet Summus Pontifex id impedire. Quod ſi Reſpublica reſiſteret, poſſet conſtituere alium loco illius, etiam reclamante, ac renitente Republica. 45

Præterea ſi Princeps aliquis hæreticus, aut ſchiſmaticus fieret, etiamſi eſſet Rex, Imperator; poſſet Summus Pontifex uti adverſus eum gladio temporali, procedereque uſque ad depoſitionem, & expulſionem illius a Regno. Excommunicationem in Henricum Quartum hac formula edidit Papa: *Toto Regno Germaniæ, atque Italiæ ei interdico, & omnes Chriſtianos vinculo Sacramenti, quo ſe obſtrinxerunt, exolvo, & ne quiſquam ei, ut Regi obtemperet, veto*, Sigon. *lib. 9. Regn. Ital.* Cuſpinian. *in vita dicti Henrici*. 46

Sixtus V. Papa, privatis Rege Navarro, & Principe Condenſi poteſtate, & Regno anno 1585. menſe Septembri abſolvit Vaſallos, & eorum ſubditos a juramento fidelitatis præſtito, ut oſtendunt verba illius Bullæ propè finem ibi: *Quin etiam Proceres, feudatarios, Vaſallos, ſubditos, & populos Regnorum, Ducatuum, Principatuum, & aliorum Dominiorum prædictorum etiam alium Superiorem non recognoſcentes, ac cæteros omnes, qui illos quomodocumque juraverunt, a juramento hujuſmodi, ab omni prorſus dominii, fidelitatis, & obſequii debito perpetuò abſolutos eſſe, prout nos illos omnes tàm univerſim, quam ſingulatim authoritate præſentium abſolvimus, ac liberamus, præcipimuſque, ac interdicimus univerſis, & ſingulis, ne illis eorumque monitis, legibus, & mandatis audeant obedire*. Quæ verba recitat Marth. de juriſdict. *part. 1. capite 28. num. 12.* & Autor bruti fulminis *pag. 195.* Vide Gualther. *in Chronolog. Eccleſiaſtica politica ſub anno 1585.* Et quod Pontifex ſolus jus, & facultatem habeat Imperatorem Romanum ab Imperio removendi, firmat Axor. *lib. 10. parl. 2 Inſtit. moral. cap. 8 qu. 2.* Idemque de aliis Regibus aſſerit, & multis adductis exemplis confirmat *lib. 12. cap. 3. quæſt. 8. & ſeqq. d. part. 2.* ubi etiam ad contraria argumenta reſpondet, & *lib. 4. cap. 10. quæſt. 22. d. p.* id probare conſuetudinem receptam in Eccleſia, ibidem ſcribit. 47

Eodemque modo ſi Princeps aliquis hæreticis, Schiſmaticis, aut aliis infidelibus Eccleſiam oppugnantibus, auxilium præſtaret, vel aliud aliquid efficeret, quod in Eccleſiæ detrimentum cederet, poſſet ſimili modo uti gladio temporali adverſus illum. Item contenden- 48

dentibus Regibus Chriſtianis inter ſe circa Principatum aliquem, aut circa quodvis aliud temporale, & in bella ruentibus, ſi inde meritò detrimentum maximum in ſpiritualibus timeretur, vel quod interim fidei hoſtes devaſtarent Eccleſiam, vel quod ſequerentur graviſſima damna ſpiritualia, & peccata, quæ ex hujuſmodi bellis inter Chriſtianos ſolent oriri, poſſet Summus Pontifex ad vitanda ea mala, cognoſcere de hujuſmodi cauſa, proferreque ſententiam, etiam illis invitis, tenerenturque ſtare illi ſententiæ. Quod ſi id non faciat, inquiunt Victoria, Pighius, Durandus, Turrecremata & alii, non eſt, quod ad id non habeat poteſtatem jure divino ipſi conceſſam, ſed quia non audet, timens ne inde ſequantur rebellio a Sede Apoſtolica aut graviora alia incommoda.

49 Item condentibus Principibus leges, quæ in grave detrimentum ſpirituale proximorum cedant, foveantque peccata, poteſt Summus Pontifex præcipere earum conditoribus, ut illas revocent. Quod ſi noluerint, poteſt ipſemet eas revocare, eoque ipſo vim omnem amittent, eſto eſſent tales, quæ ſecluſa revocatione, vim poſſent retinere. Hoc pacto Summus Pontifex abrogavit legem illam civilem, qua conſtituebatur malæ fidei poſſeſſorem poſſe certo quodam tempore præſcribere, ut *ex cap. vigilanti, & ex cap. ult. de præſcript.* eſt manifeſtum. Illa namque præſcriptio abſque præſcribentis peccato eſſe non poterat, hominesque ad rapinas, & alia peccata invitabat.

50 Quando autem unus Princeps injuriam alteri in temporalibus irrogaret, unde tamen grave damnum ſpiritualis communis boni non immineret, cauſa illa ad Summum Pontificem non ſpectaret, niſi per modum fraternæ, ſive paternæ potius correctionis, qualis eſt Patris ſpiritualis, ac Prælati ad ſibi ſubditum, ad eruendum illum a peccato, quo pacto peccata omnia ad Tribunal Sedis Apoſtolicæ ſpectant, *d. cap. novit de judic.* Idque non ſolùm quando publica ſunt, & ſcandalum pariunt, ſed etiam quando ſunt ſecreta, pendentque in futurum. Tunc enim ad Pontificem Summum ſpectat cohibere, & compellere hujuſmodi peccatores, ut a peccatis liberentur, non ſolùm cenſuris, ſed etiam aliis pœnis exterioribus, ut pecuniæ, immò & carceris, aut exilii, ſi peccatum id poſtulet, ut interdum poſtulare ſolet concubinatus. Ea tamen via nihil præjudicii inferri debet foro Sæculari, cauſas, quæ ad ipſum pertinent, & quas poteſtates laicæ paratæ ſunt, prout oportet expedire, trahendo ad forum Eccleſiaſticum.

51 Obſervat Victoria *relect. de Indis Inſulan. p. 1. num.* 29. poteſtatem ad temporalia quatenus ſpiritualia exigunt, non ſolùm reſidere in Summo Pontifice comparatione omnium, qui ſunt de Eccleſia, ſed etiam in quocunque Epiſcopo comparatione ſuorum ſubditorum, Epiſcopoſque poſſe eodem modo punire, & cohibere peccata Sæcularia non ſolùm cenſuris, ſed etiam pœnis exterioribus pecuniariis, & exilii, ac aliis, ut ex Tridentino Concilio in decreto de concubinatu, modò tamen id non faciant ex avaritia, & ad quæſtum, ſed ex neceſſitate, & ad commodum rerum ſpiritualium, peſſimèque facere vel Principes, vel Magiſtratus temporales, qui Epiſcopos hac in parte impediunt.

52 Præterea Summus Pontifex, & in ſuo ordine, & gradu cæteri Epiſcopi poteſtatem habent exigendi a Sæcularibus ſibi ſubditis debitum ſubſidium pro adminiſtratione ſpiritualium, eoſque ad id cogendi. Cum verò ejuſmodi cauſa finem reſpiciat ſpiritualem, ad forum Eccleſiaſticum pertinet. Quemadmodum enim Rex, orta neceſſitate urgente, Reipublicæ ſæcularis poteſtatem habet exigendi a ſubditis ſubſidia, quibus neceſſitati illi ſubveniat, quando aliter non poteſt ſufficienter illi ſubveniri; ſic etiam Summus Pontifex orta urgente neceſſitate Eccleſiæ univerſalis, cui aliter non poſſit commodè ſubveniri, habet poteſtatem exigendi a Principibus Chriſtianis, & a cæteris ſuis ſubditis ſubſidia ad id neceſſaria, eoſque cogendi ad illa præſtandum. Nam Reſpublica Eccleſiaſtica non minùs ſibi debet eſſe ſufficiens, quàm quæcunque Reſpublica ſæcularis, neque minor poteſtas hac in parte credenda eſt eſſe in ſupremo Capite Eccleſiæ, quàm in adminiſtratoribus ſæcularium Rerumpublicarum, neque membra Eccleſiæ minùs tenentur ſuam Rempublicam ſpiritualem, quàm temporalem conſervare. Ita firmat Turrecrem. *lib. 2. ſumm. cap. 114. propoſit. 8.* videturque conſentire Victoria *de poteſt. Eccl. quæſt. cit.* Denique Summus Pontifex pleniſſimam habet poteſtatem juriſdictionis circa temporalia, præcisè tamen juxta exigentiam finis ſupernaturalis.

Id tamen obſervandum eſt, Summum Pontificem in prædictis eventibus non ſtatim debere gladium temporalem eximere, niſi in mora eſſet prælens periculum, ſed debere priùs uti gladio, & poteſtate ſpirituali, præcipiendo aliquid vel ſimpliciter, vel ſub aliqua cenſura. Via namque ordinaria Summi Pontificis eſt uſus poteſtatis ſpiritualis, cui poteſtas temporalis eſt in ſubſidium adjuncta, atque ita non priùs eximendus eſt gladius juriſdictionis temporalis, quàm experimento ſit compertum non ſufficere vires gladii ſpiritualis. 53

At quid, ſi Summus Pontifex alicui Principi ſæculari præciperet revocare legem aliquam, aut aliquid aliud in ſæculari regimine mutare, quod judicaret id minimè expedire; Contra verò Princeps ſæcularis expedire judicaret, cuinam ſententiæ eſſet ſtandum? 54

Reſpondeo cum Victoria, *de poteſt. Eccleſ. loc. cit. numer.* 14. Si Summus Pontifex id præciperet, quod judicaret minimè expedire regimini temporali in ſe ſpectato, tunc audiendus non eſſet, eò quòd judicium de regimine temporali in ſe, & per comparationem ad finem naturalem non ſpectat ad Summum Pontificem, ſed ad Principem ſæcularem. Et eſto Summus Pontifex verum diceret, præceptum illud nequaquam pertinet ad authoritatem, & poteſtatem Summi Pontificis, eo ipſo quod res, de qua agitur, ſaluti animarum, Chriſtianæque Religioni contraria non eſſet. Si verò Summus Pontifex idcircò id præciperet, quod judicaret vergere in detrimentum ſalutis animarum, ut ſi præciperet revocari legem aliquam, quam judicaret, ſervari non poſſe ſine peccato, aut eſſe contra jus divinum, vel fovere peccata: tunc ſtandum eſſet judicio Summi Pontificis, eò quòd tàm judicium de ſpiritualibus, quàm de temporalibus per comparationem ad ſpiritualia, non ad Principes ſæculares, ſed ad Summum Pontificem ſpectat. Ejus namque eſt conſiderare de mediis per comparationem ad finem, cujus eſt conſiderare de ipſo fine. Prætereà poteſtas Summi Pontificis ſuperior eſt, & architectonica comparatione poteſtatis Principis ſæcularis, ac proinde Summo Pontifici parere tenentur in iis, quæ ad finem ſupernaturalem pertinent. 55

Intelligendum tamen id eſt, quando res non omninò conſtat. Si namque conſtaret, Summum Pontificem errare, aut præcipere id in fraudem poteſtatis laicæ, non tenerentur Principes ſæculares illi parere. Quo loco obſerva Summo Pontifici curandam eſſe rationem commodi temporalis adminiſtrationis Reipublicæ ſæcularis, neque ſtatim præcipere debere quidquid ſe primo aſpectu offert, ut conducens ad Religionem, pietatemque Chriſtianam promovendam, ſine ullo reſpectu commodi Reipublicæ temporalis, præſertim cum Populi, & Reges non teneantur, nec cogi poſſint ad rationem optimam chriſtianæ vitæ, ſed ſolùm ad chriſtianam vitam intra certos limites, ac terminos. 56

Conſentaneè ad dicta ſequitur, poſſe Summum Pontificem, ſi ita exigat bonum commune Eccleſiæ, propter electorum negligentiam, vel diſcordiam, aut propter electi bonitatem, aut propter chriſtiani Populi, ac publicæ pacis providentiam, aut tamdem, propter hæreticorum, ſchiſmaticorum, vel ſimilium hominum audaciam coercendam, aliaque hujuſmodi, per ſeipſum eligere Imperatorem, ut per Auguſtin. de Ancona, Pereg. *de jure fiſci*, Maſtrill. Suarez, & Bellarm. quos citat, & ſequitur Barboſ. *in collect. tom. 1. libr. 1. tit. 6. cap. 34. numer. 3. & 4.* nam Imperator hoc ipſo, quod eſt miniſter Dei, cùm a Deo dicatur gladium recipere, *23. quæſt. 4.* eſt etiam quodammodo Miniſter Papæ, ut eſt Vicarius Dei. Principalis autem agentis eſt, eligere miniſtros, & inſtrumenta ad finem, qui in Papa eſt pax, & commune bonum Eccleſiæ. Quapropter Ariſtoteles, *1. ethic.* docet, quod militaris, cujus finis eſt victoria, eligit equeſtrem. 57

Item ſequitur, ob eamdem rationem boni communis Eccleſiæ, ſicut per ſeipſum Imperatore eligere, ita & ab aliis electum non confirmare, vel etiam a ſeipſo confirmatum poſteà ex rationabili cauſa deponere. Quinimmò & poteſt Imperatoris electores inſtituere, & inſtitutos mutare, ut per Doctores modò citatos. Quare Stephanus Secundus, cùm eſſet Eccleſia oppreſſa ab Aſtulpho Rege Longobardorum, petens auxilium a Conſtantino, & Leone ejus filio Imperatoribus, & non obtinens, tranſtulit Imperium ad Carolum Magnum, uti teſtatur Gloſs. in *cap. venerabilem de elect.* & Carolus poſt annos quindecim coronatus eſt a Leone Papa, ut legitur *15. quæſt. 6.* & Gregorius Quintus tempore Othonis Imperatoris, convocatis, & requiſitis Alemanniæ Principibus, ſeptem electores inſtituit officiales ipſius Curiæ Imperialis, quatuor ſcilicet laicos, 58

ut

ut Regem Bohemiæ, Ducem Saxoniæ, Comitem Palatinum, & Marchionem Brandeburgenſem, & tres Eccleſiaſticos, ut Archiepiſcopum Moguntinum, Colonienſem, & Trevirenſem.

59 Cæterum Pontifex Electores de Alemannia tantùm aſſumpſit, tum quia ex illa fuerunt Principes, qui liberarunt Eccleſiam a ſervitute Longobardorum, & Romanorum. Tum ratione devotionis illius Populi in Sanctos Apoſtolos Petrum, & Paulum, ut oſtendit ejus continua peregrinatio ad dictos Apſtolos. Tum quia ſic voluit Gregorius ex ea natus, & Othonis conſanguineus. Et meritò quidem. Quia ſicut Romani ante adventum Chriſti propter Reipublicæ zelum, ac legis, juſtitiæque obſervationem, meruerunt Imperium, ut patet ex 2. Machab. & ex Auguſtino *lib. 5. de Civit. cap.* 11. ita cum poſteà vitiis ſe dederint, Imperio, & Imperatorem eligendi poteſtate privati fuerunt, quamvis adhuc Imperator vocetur Rex Romanorum. Sicut igitur Alemannis hoc a Papa conceſſum eſt, ita, ſi contrarium Eccleſiæ expedire videretur, denegari illud iiſdem a Papa poſſet, & aliis concedi, Extravag. & Clem. *Venerabilem*. Ubi etiam habetur, quod ſi duo ad Imperium eligantur, poteſt Pontifex uni favere, ut illum præeligat, utpotè magis idoneum ad Eccleſiæ defenſionem, vel quia illi fama, vitæ integritas, & juſtitia magis ſuffragantur.

60 Idemque poteſt efficere Pontifex, quando pars vocata & expectata nollet eligere, vel ad eligendum convenire. Quia Sedes Apoſtolica non debet ſuo defenſore, & Advocato carere. Quare cùm Lotharius, & Conradinus electi fuiſſent in diſcordia, Pontifex Lotharium coronavit.

61 Poteſt item Pontifex ob eamdem cauſam boni communis Eccleſiæ providere de Imperatore per ſucceſſivam hæreditatem, ſi ſcilicet videret, quod ita magis univerſali Eccleſiæ expediret. Nam modus eligendi Imperatorem eſt de jure poſitivo, ſuper quod Pontifex habet plenitudinem poteſtatis, ut alibi dictum eſt.

62 Et quidem hoc eſſet Eccleſiæ magis expediens. Primò, quia ſi Imperator ſciret ad Imperium ſuos filios ſucceſſuros, magis conaretur ad augmentum, & conſervationem Imperii. Secundò, quia non ita facilè rebellarent fideles ſoliti obedire Imperatori, & Eccleſiæ, cujus Imperator miniſter eſt familiaris. Tertiò, quia ex obitu Imperatoris, & diſcordia Electorum, plerumque Eccleſia caret ſuo defenſore, & naſcuntur bella, & Imperator contemnitur. Contra verò id in praxi ſervandum non eſt, quia exinde multa ſequi poſſent ſcandala, a quibus abſtinendum eſt, etiam in malis tolerandis, nedum in bonis majoribus promovendis, ſicuti habetur *in diſtin. 3.*

63 Attexam catalogum, & verba Doctorum, qui ea omnia, de quibus in hac tertia concluſione diſſeruimus, nuncupatim docent, Paludanus in tract. de cauſa immediata Eccleſiaſticæ poteſtatis art. 4. *Papa*, inquit, *poteſt deponere Reges non ſolùm propter hæreſim, aut ſchiſma, aut aliud crimen intolerabile in populo, ſed etiam propter inſufficientiam*. Baconus in prolog. ſuper 4. ſent. quæſt. 11. numer. 4. *Papa poteſt Regem deponere ratione iniquitatis, & inutilitatis ſuæ perſonæ. Poteſt etiam deponere Imperatorem, & Imperium alteri dare, ſi non defendat Eccleſiam*. Alenſis par. 4. qu. 10. in explicat. Canonis Miſſæ in illud: *Et pro Rege noſtro*, & par. 4. quæſt. 79. membr. 5. & 6. *Papa non eſt dubium, quin ſit ſuperior omnibus Chriſtianis & in temporalibus, & in ſpiritualibus. Cùm igitur de præjudicio animæ, vel populi tractatur, Papa poteſt, ac debet providere, & ſi neceſſe ſit quoſcumque Reges deponere*. Joannes Faber *in l. 1. C. de Summ. Trinit. & Fid. Cath. num.* 10.

64 Idemque tradunt Ugo de Sancto Victore lib. 2. de Sacram. par. 2. cap. 4. *Magnam habet poteſtatem Papa ſuper Imperatore, quia ex delicto illum deponit*, Sander. lib. 1. de Monach. Eccl. cap. 4. & Petrus de Monte in Monarch. par. 2. quæſt. 4. S. Bonaventura lib. de Eccleſiaſt. Hierarch. par. 2. cap. 2. *Poſſunt Pontifices ex cauſa amovere Reges, & deponere Imperatores, ſicut ſæpe ſæpiùs accidit, & viſum eſt, quando ſcilicet eorum militia hoc exigit, & Reipublicæ neceſſitas ſic requirit*. Henric. quodlib. 6. quæſt. 33. *Regimen univerſalis Eccleſiæ tàm in ſpiritualibus, quàm in temporalibus ad Papam pertinet*, Maironus in 4. d. 19. quæſt. 4. *Rex, & quicumque Princeps Chriſtianus Regno, & Principatus jure privari poteſt per Eccleſiam*, Jacobus Latomus lib. de Eccleſ. cap. 4. & Thomas Vvaldenſis lib. 2. doctrin. fid. art. 3. cap. 75. *Papa poteſt deponere Imperatorem pro hæreſi*, Almainus tract. de poteſt. Eccleſ. & temporal. quæſt. 2. cap. 5. & Albertus Pighius lib. 5. de Eccleſiaſt. Hierarch. cap. 2. & 14. Victoria de poteſt. Eccleſ. relect. 1. quæſt. 5. propoſ. 3. *Papa, quando neceſſe eſt ad finem ſpiritualem, poteſt non ſolùm omnia, quæ Principes ſæculares poſſunt, ſed etiam facere novos Principes, & tollere alios, & Imperia dividere*. Sylveſter in Summ. verſ. Papa num. 10. *Poteſt Papa Imperatorem excommunicatione dignum excommunicare, & diſpoſitione dignum deponere*, & mox num. 11. *Papa poteſt Reges ex rationabili cauſa deponere*.

Idipſum quoque aſſerunt Cajetanus in apologia de comparata authoritate Papæ, & Concilii par. 2. cap. 13. ad 8. Bannes in 2. 2. quæſt. 10. artic. 10. in fin. comm. concl. 4. & quæſt. 12. art. 2. propè ultim. concluſ. Alexander de S. Elpidio lib. de auth. Summ. Pontific. cap. 9. & Olcot. lib. de Sapient. lect. 200. Michael Volturnus in tract. de Regim. Mundi par. 2. quæſt. 2. num. 89. ubi ait: *Ratione fidei, vel peccati gravis, & manifeſti, ſi incorrigibilis fuerit Imperator, vel Rex, poteſt Papa eum deponere*, Tuſchus tom. 6. verſ. Papa, Bellarminus de poteſtat. Papæ in temporal. Suarez in Regem Angliæ cap. 23. Molina de juſt. & jur. tom. 1. diſp. 29. concluſ. 3. cujus hæc ſunt verba: *Si id exigat finis ſupernaturalis, poteſt Summus Pontifex deponere Reges, eoſque Regnis ſuis privare*, Azor. tom. 2. lib. 10. cap. 2. quæſt. 2. Valentia in 2. 2. diſput. 1. quæſt. 13. punct. 2. aſſert. 2. qui ſubdit, *Hoc eſſe certum apud Orthodoxos, & nullo modo dubium*, Abbas in cap. per venerabilem qui filii ſint legit. & in cap. ſolitæ de major. & obedien. num. 7. *Papa poteſt rationabiliter increpare Imperatorem, & alios Principes ſæculares, idque non mirum, quia eos ex cauſa poteſt deponere*, Joan. de Anania in cap. licet num. 10. de vot. *Papa privat laicum ordine genituræ, quia habet poteſtatem ſuper Reges, & Regna. Unde deponit Imperatorem*, Gambarra de offic. & poteſt. legati lib. 2. de variis ordinariorum nomin. num. 120. *Solus Papa deponit. Imperatorem, & Reges*, Gulielmus Durandus in ſpec. lib. 1. tit. de legato, §. nunc offendendum num. 17. *Papa deponit Imperatorem propter ipſius iniquitates, & dat Principibus Curatores, quando ipſi fuerint inutiles ad regendum*. 65

Eadem firmant Gregorius Tholoſanus *de Republ. cap. 5. numer. 14. lib. 3.* Sylva *de benefic. par. 3. quæſt.* 8. Caſtald. de Imperat. quæſt. 21. *Solus Papa ſine Concilio deponit Imperatorem, quia Papæ, & Chriſti unum eſt Tribunal*. Et paulò poſt: *Papa Principem quantumcumque exemptum, ſi expedit, punit, & deponit*, Bellamera in can. alius 15. quæſt. 6. *Papa poteſt deponere Imperatorem, & Reges pro delictis, & quòd hanc ſupremam, & abſolutam poteſtatem Pontifex habeat, eſt multum æquum, & Reipublicæ expediens, ut ſic ſcilicet ſit aliquis ſupremus Monarcha, qui Regum hujuſmodi exceſſus poſſit corrigere, ac de ipſis juſtitiam miniſtrare*, Anchar. in cap. Canonum ſtatutum num. 6. de conſtitut. *Papa Imperatorem coronat, & inungit, & quandoque deponit*, Æſrerius de poteſtat. ſæcul. num. 5. Petrus Bertrandus de origin. juriſdiction. quæſt. 4. num. 5. *Papa poteſt ferre depoſitionis, & damnationis ſententias contra Imperatorem, & quoſcumque alios Principes*, Joan. Quintinus in repet. cap. novit. de judic. num. 64. *Papa jus, & poteſtatem habet in ſpiritualia ſimul, & omnia temporalia*, Cumerus de offic. Princip. Chriſtian. cap. 2. *Papæ poteſtate Princeps hæreticus, vel pertinaciter intolerabilis deponi poterit*, Conradus Brunus lib. 3. de legat. cap. 6. Gabriel Biel. lect. 23. in Can. Miſſæ: *Papa Imperatorem deponere poteſt*, Michael de Aminion tract. de unit. ovil. & Paſtor. num. 12. *Papa Imperatorem deponit cauſis exigentibus*. Deinde lib. 1. de libert. Chriſt. cap. 14. *Papa ex plenitudine poteſtatis ſuper univerſos Principes Chriſtianos poteſt Reges, & Principes Chriſtianos propter hæreſis crimen privare ſuis Regnis, atque Imperiis, & in temporalibus prorſus eximere plebem chriſtianam ab obedientia, & ſubjectione eorum*. 66

Nec diverſa proferunt Carthuſianus lib. de regim. polit. artic. 19. *In Papa eſt plenitudo tàm ſpiritualis, quàm temporalis poteſtatis, ideò juriſdictionem, & diſpoſitionem habet ſuper omnia Regna, & Principatus fidelium, non ſolùm in ſpiritualibus, ſed etiam in temporalibus, dum rationabilis cauſa requirit. Nam & Imperatores poteſt deponere, & Reges, ſi vita eorum id mereatur, Regnis ſuis privare*, Auguſtinus Triumphus de poteſt. Eccleſ. quæſt. 22. artic. 3. & quæſt. 40. *Imperatores a Papa poſſe deponi, quis ibit inficias? Ejus enim eſt deponere, cujus eſt eumdem conſtituere*, Alvarus Pelagius de planctu Eccleſiæ lib. 1. cap. 21. *Papa Imperatorem contumacem, & perſequutorem Eccleſiæ imperio privat*, Simancha de Cathol. inſtitut. tit. 45. num. 25. *Papa in ordine ad finem ſupernaturalem habet ampliſſimam poteſtatem in omnes Principes Orthodoxos, & poteſt juſta de cauſa privare Principem adminiſtratione, & juriſdictione*, 67

Cu-

Gulielmus de Monserrato de succes. Regum num. 30. *Papa cum causa potest quemcumque Christianum Principem privare, prout privavit, & deposuit Childericum*, Astensis in Summ. par. 1. lib. 2. tit. 64. cap. 4. Navarrus in dict. cap. novit notab. 3. num. 99. de judic. *Papa potest deponere Reges negligentes*, Hervæus de potest. Papæ §. ad evidentiam 2. & Ivo Episcopus Carnotensis epist. 28. ad Urbanum Secundum, Stephanus Episcopus Alberstasensis in epistola apud Marianum Sotum, *Henricus Quartus Imperator hæreticus est, & pro nefandis malis a Sede Apostolica excommunicatus est, nec Regnum, nec potestatem aliquam super nos, quia Catholici sumus, obtinere potest*, Isidorus Mediolanensis lib. 2. de Imperii militantis Eccles. dignit. tit. 8. concl. 3. *Papa potest eorum demeritis exigentibus Imperatorem, ac Regem deponere*, Lupoldus Bamberga lib. de jur. Regn. & Imp. cap. 10. *Potest Rex propter crimen hæresis, vel aliud crimen notorium, de quo incorrigibilis appareret, a Regno deponi*, Reginaldus Polus de Sum. Pontif. cap. 8. Bartolus in l. si Imperator, Cod. de legib. num. 4. *Jus eligendi Imperatorem habent Principes de Alemania, & jus privandi est penes Pontificem Romanum.* Et Bald. in procem. ff. vet. *Solus Papa privat Imperatorem.*

68 Alios authores ejusdem sententiæ vide apud alios. Quos adduximus testes veritatis sufficere censemus ad stabiliendum nostram conclusionem, de qua nos etiam alibi.

CONSULTATIO CCXXIV.

An Princeps aliquis Christianus juste possit inferre bellum barbaris nationibus, a quibus nunquam ipse est læsus?

Et an illud Imperium sit legitimum, ac fundamentum regiminis habeat, quod hujusmodi invasione, ac bello acquiritur?

1 DE his quæstionibus disputat Justus Lipsius *lib. 5. polit. cap. 4.* & ex eo Casman. *in polit. cap. 8.*

Nos hactenus justum fore Imperium statuimus, si eam ob causam invadantur homines, immanitate barbari, ut ad culturam, honestatem, pietatem, & cognitionem veri Dei deducantur; injustum verò, si libidine dominandi, atque adeo aucupio quodam gloriæ, ac propter ultionem, vel vindictam aliquam privatam magis quàm publicam, ac denique ob avaritiam.

2 Et licèt hæretici communiter omnes Imperium Hispanicum in Indos injustum esse clamitent, quia proscopo proposita fuerit a plerisque eo missis Præfectis, & Legatis inexplicabilis avaritia, & non emendatio, aut conversio, sed eversio, & vastatio istorum amplissimorum Regnorum, & ad hanc rem utantur testimonio Bartholomæi Casæ Episcopi Hispani *in narrat. de ragion. Indic. devast.*

3 At Christiani Catholici non ignorant, & historiæ quoque continuata serie abundè testantur, Catholicissimos Hispaniarum Reges nunquam ductos fuisse, nec duci dominandi, sed salutem animarum procurandi libidine, non avaritia auri, cujus apud hæreticos ratione dejectorum Episcopatuum, Abbatiarum, Monasteriorum &c. sacra fames, sed avaritia animarum ex faucibus Diaboli eripendiarum, non aucupio gloriæ mundanæ, & transituræ, sed æternæ, ac perennaturæ, nec denique vindicta ab Indis, sed a communi hominum hoste, circumcursitante, ut leone, & quærente, quem devoret, sumenda.

4 Et hæc omnia felicissimè perfecerunt, aut etiam perficiunt Catholicissimi Reges, adjuti ope, ac opera præ cæteris Patrum Societatis Jesu, qui etiam proprio non perceperunt, neque nunc parcunt sanguini, sed pro salute animarum effundere paratissimi fuerunt, sunt, & erunt. Quot enim millia innumerabilia barbarorum ad veram, & Salvificam fidem converterint, & quot ex illis plurimi martyria passi sint, testantur historiæ, & epistolæ a multis, ac diversis scriptæ, & jamdudum publicatæ, nec non illi, qui quotidie ex Indorum Regnis redeunt, fasti, & Annales Ecclesiastici.

CONSULTATIO CCXXV.

De successione, vel electione in Imperio, in Principatu. Et an Monarchis conveniat successio, an verò electio?

AD primam. Omnibus modis primi Imperatores 1
Imperium in sua domo firmare studuerunt, ob quod si liberos genuinos non haberent, alios ad Imperium adoptarunt. Sic Julius Cæsar Augustum hæredem instituit, Augustus Tiberium adoptavit, hic vicissim Drusum, &c. Hinc Hæredes Seneca vocat, *Adminicula Augusti*, Ausonius *Subsidia Aulæ, & Consortes Imperii*, Plinius *Subsidia dominationis.*

Rationem verò arcanam hanc habuerunt, ne Prin- 2
cipatus, sive Regnum, mortuo sine hærede Rege, facilè in partes distraheretur, & in aliam Rempublicam mutaretur, ut testatus est Aristoteles, & exempla sunt obvia in Alexandro Magno, Philippo Maria, Joanna Regina Neapolitana aliisque, Arnold. Clampar. *de arcana Rerumpubl. lib. 2. cap. 21.*

Ad secundam. Gravissima est hæc quæstio nondum 3
inter politicos decisa. Eam disputationibus suis hinc inde trahunt passim alii, ut videre est apud Marianam *de Regno, & Regis instit. lib. 1. cap. 3.* Marsilium Patavinum *in defens. pac. lib. 1. cap. 9. & 16. Method. histor. cap. 9.* Justum Lipsium *lib. 4. politic. & monit. polit. lib. 2. cap. 3. & 4.* Joannem Casum, *lib. sphæræ Civit. cap. 11. quæst. 2.* Jacobum Alemannum *in palestra consultat. cap. 4.* Lælium Zechium, *lib. 1. polit. cap. 3. num. 1. & 2.* Hermannum Khirchn *orat. 11. & seq. & disp. 4. de Republ. thes. 2. lit. T.* & quamplures alios.

Pro electione faciunt sequentes rationes. Prima, 4
quia Principatus in populos non sanguinis deferendus est, sed vitæ, *can. Moyses 6. can. 8. qu. 1.* & ipsa natura docet, digniissimo cuique imperium tribuendum esse, & telam electio invenit. Nasci enim, & generari a Principibus fortuitum, nec ultra æstimatur, ait Cornel. Tacitus *lib. 1. histor.* & sic in successione quacumque, & cujuscumque conditionis, sive imperii nasci nobis contigerit, admittere cogemur. Virtus enim semper certior dux, quàm natura, quæ nulla stirpis habita ratione sua patitur dona. Hinc Antigonus II. apud Plutarchum *in apophth.* adolescenti, qui non admodum bonus videbatur miles, natus tamen erat patre viro forti, stipendium paternum postulanti, ego, inquit, mi adolescens mercedem, & munera dare propriæ, non paternæ virtutis causa dignis soleo. Et Alexander Magnus interrogatus in agone, num fratrem, vel filium Herculem sibi successorem, aut alium quempiam vellet, respondit, digniissimum mihi successorem opto, Justin. *lib. 15. hist.* & Chunradus primus Imperator admiratione virtutis, & sapientiæ Henrici Aurupis, quamvis ductus, ad eum Imperium deferri jussit, Peucor. *lib. 4. chron. in Chunrado.*

Secunda. Electio successione natura prior, & anti- 5
quior, Aristotel. *lib. 4. polit. cap. 11.* Non enim potuit esse successio, nisi in locum ejus, qui primitus fuit electus. Quia enim primi illi Heroes meritis, ac beneficiis populum afficiebant, aut augendis, & amplificandis finibus, aut virtute bellica, aut conciliata inter se hominum communione, & societate, aut innovatione artium, hi Reges labenti, & gratia civium sententia creabantur, ac tandem velut hæreditario, & patrio jure continuabantur, Aristotel. *lib. 3. polit. cap. 10. & lib. 5. cap. item 10.*

Tertia. Virtutis campum aperit electio latissimum. 6
Cùm enim plurimi videant virtute præditos ad principatum evehi, sub principatus, tanquam opinionis præmii spe ardentiùs virtutibus certant.

Quarta. Nasci potest mentis inops, nec tamen re- 7
pudiari. Unde Lysandri Consilium consulentis, ut non proximior, sed magis idoneus in Regno succederet, rejectum fuit, Plutarch. *in Lysandro*, & Anexandrades Regis Spartiatorum Cleomenes, etsi non videretur mentis inops, prælatus est, tanquam major natu fratribus, Herodot. *lib. 1.* Inops verò mentis, & simplicior eligi non solet. Cùm enim ille prodest nihil, loquor verbis Euripidis apud Plutarchum *consol. ad Apol.* Orbi decet emori, & facessere, dareque locum efflorescenti puberi.

Quinta. Regis ætas infirma, Reipublicæ noxia, nec 8
proficua. Nam, *Tenero tractari pectore nosit Publica Majestas.* Hinc Senator quidam apud Vopiscum in Tacito Imperatore: Dii avertant, inquit, Principes pueros, & Patres patriæ dici impuberes, & quibus ad subscribendum Magistri litterarii manus teneant. Quæ malum,

malum, ratio eſt, habere Imperatorem, qui famam curare non noverit? Quidquid fit, Reſpublica neſciat, nutritorem timeat, reſpiciat ad nutricem, manuum magiſtralium ictibus, tenorique ſubjaceat, faciat eos Conſules, Duces, Judices, quorum virtutes, merita, ætates, familias, geſta meminerit? Videatur Bernardus de Girard. *tract. de l' eſtat de France lib.* 2. *fol.* 53. 54. 57. 91. 104. & 166. In ſucceſſorio verò Regno puer non rarò eſſe poteſt, in electione nunquam.

9 Sextò. Naſci malus poteſt. In heroicis ſiquem familiis rariùs dona inſignia, quæ ad tuendam Imperii dignitatem requiruntur, continuantur. Nam

—— Virtus Haud ſata ſtirpe venit
Æquat rara patrem ſoboles, ſed plurimi ab illis
Degenerant, pauci ſuperant probitate parentem.

Quinimmò quaſi fato quodam neminem propè magnorum virorum optimum, & utilem filium reliquiſſe putat Spartianus in Severo. Et familiarum, ac liberorum fœlix ſtatus rariſſimè ultrà trinepotes durat, ut ratiocinatur Peuror. *de divinat. gener.* Cujus rei rationes indagant Eſtienne Paſquer. *epiſt.* 2. Gregorius Richter. *axiom. æcon.* 14. Nec deſunt exempla. Uſu compertum eſt, ait Albert. Kiant. *lib.* 2. *Sveciæ cap.* 32. Romano Imperio non fœliciter evenire ſucceſſionem. Unus Veſpaſianus Titum filium ſuæ imitatorem virtutis habuit, mox Domitianus deflexit. Marcus Antoninus nullum unquam Reipublicæ tulit incommodum, quod Commodum filium reliquit. Severus Caracallam fratricidam poſt ſe in Imperio habuit, &c. Eligi non æquè malus ſolet. Siquidem tot oculis ſpectata electio, tot inſinuata ſenſibus, tot inſuper in tuto locata manibus, ut Imperator loquitur *in l.* 8. *in fin. Cod. qui teſtam. fac. poſſ.* locum inſidiis ullum non relinquet.

10 Septima. Electione libertas Reipublicæ magis ſtabiliri poteſt. Conditiones enim, & capitulationes Principibus præſcribuntur, in quas oportet eos conſentire, ſi velint Reges eſſe, & ideò minùs contra Regni utilitatem quid moliri, ejuſque dominatum ad ſe, ſuoſque pertrahere, aut ſubditos nimiùm affligere poterunt.

11 Octava. Is, qui ſuccedit, cogitat coactos fuiſſe ſubditos, ut hunc, & non alium Regna ferant, Electus verò haud ignorat, ſe magis eſſe Regno obligatum, ad quod aſſumptus eſt. Nam in electione plures ſunt, qui ambiunt, quod & ipſa vox electionis indicat. Eligere enim eſt ex multis unum legere. Ideò novit, ſed Regnum ambiviſſe, & quæſiviſſe, & non tàm citò eò inſolentiæ devenire ſolet, ac poteſt, ut quidquid infra ſuam fortunam eſt, viliſſimam quaſi rem mancipi tractet.

12 Nona. Electus faciliùs poteſt moneri, ac moveri; nam qui naſcitur a Regibus propter inſitam inſolentiam, admonitionem non admittit. Sua quippè origine indignum ſe pati exiſtimat vilioris ſubjici hominum admonitioni.

13 Decima. Quia qui paruit aliquando, meliùs imperat. Nam qui in purpura natus, in deliciis educatus fuit, & tàm rerum afflictarum, quàm politicæ æqualitatis, ac libertatis inexpertus eſt, unde ſciat quomodo erga Principes affecti ſint ſubditi, quidve ſibi ab aliis fieri velint. Sæpè in proprio Regno captivis aſſimiles ſunt ejuſmodi Principes, domi clauſi ſunt, vera non noſcunt, coguntur hoc tantùm ſcire, quod alii loquuntur, nemo illis in ipſamet illorum patria magis peregrinus eſt. Domum mancipii inſtar, bonus, cautus, optimus venditur. Unde Plinius ad Trajanum *in panegyr.* ait: *Quàm utile eſt ad uſum ſecundorum per adverſa veniſſe. Vixiſti nobiſcum, pericli tatus es, tenuiſti, ſcis, & expertus es, quantoperè deteſtentur malos Principes, etiam qui malos faciunt. Meminiſti quem optare nobiſcum, quæ ſis quæri ſolitus.*

14 Undecima facit, quod electio obtineat hodie in Romano Imperio, Regnis Danico, Svevico, Polonico. Videatur Catalogus Regnorum electivorum apud Vincentium Cabot. *lib.* 1. *diſt.* 8.

15 Duodecima. In Regno electitio, defuncto Rege abſque metu loquendi reviviſcit libertas, nec defraudatur poſteritas veracioris luce hiſtoriæ. Filius enim in Regno ſucceſſivo Patris injuriam ſuam reputat. Id, quod monuerit filium Henricum Jacobus Britanniæ Rex lib. 2. Inſtit. Reg. fol. 33. *Ne patraris*, inquiens, *Principibus parentibus tuis aliquam labeculam aſpergi. Ingenuè hoc fatendum eſt, omnes nos noſtris vitiis laborare, quæ tamen tecum, & cum Deo privatim meditando, tibi ipſi uſui, & exemplo ad vitæ emendationem potiùs eſſe debent, quàm aliorum, ut ſermonibus materiam præbeant, &c.*

Decimatertia. Incommoda electionis, quæ occurrunt, ut ſunt interregnum, & digladiatio de controverſa electione, ſucceſſioni non deſunt. Quanta enim ſint incommoda, ſi Princeps annis minor ad Imperium vocatur, & Status Regni regnant, intelligi poteſt ex quærela Hoſpitalii apud Jacob. Auguſt. Thuanum *lib.* 37. *hiſtor.* De incommodis, quibus afficitur Regnum pluralitate hæredum, & fœminarum cum agnatis controverſia, videatur Matth. Vvkener. *in metamorph. Rerumpubl. cap.* 9. Imperfectionibus autem Regnum electitium comitantibus ſapiens legislatio, electorumque prudens Conſtitutio medicinam adferre poteſt, quod non tàm facilè in ſucceſſorio fieri poteſt. Sæpiſſimè etiam non conſtante ſucceſſoria, vel movente naturæ lege, filii in annos patrios inquirunt. Videatur Juſtus Lipſius *lib.* 2. *monit. polit. cap.* 1. & Camerar. *lib.* 1. *horar. ſucif. cap.* 88. Hactenus pro electione. 16

Pro ſucceſſione vide viginti rationes in locis communibus apud Auguſtum Viſcherum, & diſcurſum ejuſdem de regia ſucceſſione. 17

Pro conciliatione quæſtionis vanè reſpondere conantur Politici. Bart. Kerkerm. *lib.* 1. *ſyſt. polit. c.* 4. diſtinguit inter Monarchiam ſimplicem, in qua merè abſolutum eſt Imperium, & inter Monarchiam imperfectam, in qua non eſt Imperium merè abſolutum. Priori caſu ſucceſſionem putat præferendam, poſteriori electionem. Alii electionem tutiorem, ſucceſſionem propter ingenitum ſubditis erga prolem amorem, ſtabiliorem. 18

Nos præſtantiorem ſui natura electionem definimus, modò confuſio, vitia, & abuſus aliis legibus avertantur. In turbata autem Republica, ubi leges non ſufficiunt, aut ubi non ſunt idonei optimates, firmiorem, & tutiorem ſucceſſionem. Cæterùm diuturnus uſus obſervandus eſt omninò, quippè in ſuo quæ ſtatu, eademque maneant, plus Reipublicæ utilia ſunt iis, quæ vel meliora per innovationem inducuntur. Nec facilè ex Regno ſucceſſivo electivum facere velle tentandum eſt. Quo reſpicit Joan: de Seres, *En l'inventaire de l' hiſtor. de France tom.* 1. *fol.* 318. cùm de Reipublicæ converſione, quæ extincta Carolina familia in Germania, & Gallia eſt facta, in ſequentia ſcribit: *Les francois n'eſtoient pas en moindre pouutir que les Alemans pour faire une Republique elective, mois leur humeur les reporta a ceſte Reyance hereditaire, ſans la quelle ils ne pourrayent ſubſiſter.* 19

CONSULTATIO CCXXVI.

De origine, & inſtitutione Principum Electorum obſcura quæſtio. Et an Pontificis authoritate Electores ſint inſtituti? Quæſtio graviſſima.

QUoad primam. In profundo Democriti puteo demerſa eſt hæc quæſtio. Nedum enim propter mutationes res ipſæ incertæ ſunt, ſed etiam propter diſſidentes ſcriptorum opiniones, qui eiſdem de rebus non eadem tradiderunt. 1

Alii Carolo Magno, qui anno 769. Eropol. Lindelb. *in Vita Caroli Magni*, Cyriac. Spangemberg. *in Chron. Sax. capit.* 86. & 116. Jordan. *in Chron. tit. Qui Principes.*

Alii Henrico Primo, qui anno 919. Peurer. *in Chron.*

Alii Henrico Secundo, qui anno 1002. Nicolaus Cuſan. *lib.* 3. *cap.* 4. *de Concordia Catholica.*

Alii Chunrado Secundo, qui anno 1095. Theodor. a Niem. *in Nerone.*

Alii Friderico Secundo, qui anno 1210. & Gregorio Decimo, Aventin. *lib.* 5. *annal. Bojor.* Onuphr. Panvin. *lib. de Comit. imper. per tot.* a qua opinione non alieni ſunt Tuanus, Cyriac. *loc. cit.*

Alii Rodulpho Auguſtæ Domus Auſtriacæ fundatori, qui anno 1273. regnare cœpit, adſcribunt.

Horum omnium opiniones cum ex fundamentis ſententiæ noſtræ infra explicandæ coincidant, & latiùs refutet Petrus Heigius *lib.* 1. *quæſt.* 3. illamque cum Aventini, Onuphrii Panvinii, & ſequacium extorſerint Simon Schardius *in tract. de elector.* & duo illa fulmina belli, Bellarminus *lib.* 3. *de translat. Imper. cap.* 1. & Baronius *tom.* 10. *annal. Eccleſ. anno* 996. §. 54. refutationi illarum hoc in loco ſuperſedemus, & hiſtoriarum ſtudioſiorem lectorem ad illos remittimus. Communis igitur opinio tàm Catholicorum, quàm Hæreticorum ſtatuit, ac vult ſub regimine Gregorii Quinti Pontificis Maximi, & Othonis Tertii Imperatoris, quod incidit in annum 996. Collegium hoc ſeptemvirale introductum fuiſſe. 2

Ex

3 Ex Catholicis ſunt Sabellic. *ennead. 9. lib. 2.* Platina *in Vita Gregorii Quinti*, Blondus *lib. 3. decad. 2.* Panvulph. Colenuc. *lib. 2. hiſt. Neapol.* Rodulph. de Columna *de tranſlat. Imper.* Abbas Standenſis *in Chron.* *Raphael. Volaterani lib. 22.* Joannes Baptiſta Egnatius *in Vita Othonis Tertii*, Jacob. Uvimph. *epit. rer. German.* *cap. 20.* Albertus Krantius *lib. 4. Saxoniæ cap. 15. &* *lib. 9. cap. 29. Metropol. lib. 3. cap. 46. Sveciæ lib. 5. cap.* 10. *Vandaliæ lib. 3. cap. 15.* Hulderic. Mut. *in Germaniæ Chron. lib. 14.* Lupold. de Bamberg. *de jur. Regni* *cap. 2.* Vincent. *in Specul. hiſt.* Cuſpinian. *in Othone Tertio*, Genebrard. *lib. 4. chron. ann. 997.* Cæſar Baronius, & Robertus Bellarminus *loc. cit.* Ludovicus Molina *de juſt. & jur. diſput. 24. numer. 4.* Baldus *in ſua* *Margarita*, *v. annus*, Reſtaurus Caſtaldus *de Imper.* *quæſt. 8. numer. 8. 11. & ſeq.* Alphonſus Alvarez *in* *Specul. Roman. Pontif. cap. 16.* Oſtienſ. *in cap. venerabilem §. verum de elect.* Alberic. de Roſat. *in l. benè a* *Zenone numer. 5. Cod. de quadrien. præſcript.* Belluga *in* *ſpecul. Princip. rubr. 14. v. venamus*, Conrad. Lancellot. *in templ. om. Judic. lib. 1. capit. 1. §. 2. quæſt.* *3. numer. 13. & ſeq.* Nicol. Serrar. Mogunt. *lib. 1. capit. 29.*

4 Ex hæreticis verò ſunt Fuaccius, *in chron. ann. 997.* Magdeburgenſes *cent. 10. cap. 10.* Joannes Vvolff. *rerum memorabil. centur. 11. in princip.* Marquard. Freher. *ad c. 1. lib. 2. de Imper. Roman.* Petri de Andlo, Andr. Knichen *de Saxon. non provoc. v. electio cap. 1.* Thom. Michael *de juriſdict. concl. 130. lit. E.* Simon Piſtor. *conſ. 1. lib. 1.* Joan: Sleiden. *de quatuor Monarch. lib. 3.* Joach. Cluton. *in Syllog. rer. quotid. theſ. 24. lit. B.* Elias Reuſner. *lib. hiſtor. ult.* Nicolaus Ciſnerus *in Orat. de Othon. Tertio* Matth. Steph. *lib. 2. de juriſdict. p. 1. cap. 5. num. 2. & ſeq.* Tob. Paurmuſt. *lib. 2. de juriſd. Imper. Rom. cap. 2.* Herman. Kilrhmer. *lib. 4. de Repub. concl. 2.* Henning. Bruning. *de var. univerſ. ſpecieb. concl. 9.*

5 Quoad ſecundam Hæretici, qui inſtitutionem Electorum referunt ad tempora Otthonis Tertii ſtatuunt, conſilio tantùm, non authoritate Gregorii Quinti Pontificis, qui Othonis erat agnatus, & ex familia Saxonica oriundus, inſtitutos fuiſſe. Ita ſuperiùs allati, quibus adſtipulantur Marſil. Patav. *in defenſ. pac. lib. 1. cap. 11. & ſeq.* Author. *diſput. de jur. Princip. theſ. 19. in fin.* Marth. Bort. *in juriſprud. publ. capit. 2. theſ. 11.* Gerlac. Buxtorph. *in aurea Bulla concl. 14. lit. F.*

6 Catholici contra, non conſilio tantùm, ſed etiam authoritate Pontificis inſtitutos fuiſſe aſſerunt, Nicol. Serrar. Cæſar Baronius, Ludovic. Molina, Onuphr. Pavin. *locis ſupracitatis*, quibus addi poſſunt D. Thomas *de regimin. Princip. cap. 18. ac 19.* Camill. Borrel. *de præſtantia Reg. Cathol. cap. 58. numer. 6.* Cardinal. Jacobat. *de Concil. lib. 10. art. 8. numer. 12.* Marquar. Suſannius *de cælib. Sacerd. non abrog. p. 1. c. 2. numer.* *15. & ſeqq.* Martha *de juriſd. par. 4. caſ. 197. num. 4.* *& ſeq.* Franc. Vagas *de author. Pontif. confirm. 10. num.* *12.* S. Joannes de Capiſtr. *de author. Papæ p. 2. numer.* *128.* Fulv. Pacian. *de probat. lib. 2. cap. 35. num. 39.*

7 Moventur ſequentibus rationibus. Prima, teſtificationibus ipſorum Electorum ab ipſiſmet ſcriptis, probatis, ſubſcriptis, & obſignatis. Extant enim litteræ Marchionis Brandeburgenſis, unius ex Electoribus, datæ anno 1279. pridie Idus Septembris anno 6. Rudolphi Imperatoris. Aliæ Joannis, & Adelberti Ducum Saxoniæ, eodem titulo, datæque eodem anno, die verò, ac menſe diverſo, nempe 14. Kalendas Aprilis. Aliæ Ludovici Comitis Palatini Rheni eodem die datæ, & anno. Has poſteriores verbotenus retulit Baronius, *d.* *tom. 10. Annal. Eccleſ. ad ann. 996. num. 45.* reliquæ aſſervantur ſeorſim, ut idem Baronius teſtatur, *& numer. 49.* in fine promittit, ſi ſit qui dubitat, curare velit, ut liberaliter, quo benè conſultum ſit veritati, oſtendantur a Vaticana Bibliotheca Romæ in Caſtro Sancti Angeli, loco tutiori, ubi ſelecta majoris momenti monumenta recondita habentur, ne pereant.

8 Secunda, litteris Imperatoris, quæ eodem Codice continentur. Sunt illæ poſt annos viginti quatuor datæ ab Alberto Imperatore, quibus deſcribitur juramentum fidelitatis ab eo exhibitum Bonifacio Octavo Romano Pontifici, & continetur confirmatio, ratificatio privilegiorum omnium per alios prædeceſſores Imperatoribus conceſſorum. Ea verò, quæ ad rem noſtram ſpectant, totidem verbis, & ſyllabis reddit Baronius *loc. cit. num. 47. & duobus ſeq.*

9 Adverſarii noſtri nominatim invehuntur in Baronium, quaſi ſæpè allegaverit ſcripta authorum ſuppoſititia, vel etiam quæ nunquam ab ullo viſa ſint. Nos illorum calumniis non obſtantibus, haud ignoramus, quantum fidei Baronio tribuendum ſit, tantùm ſcilicet, ut credamus, illum, ne verbum quidem protuliſſe, quod ipſe non viderit, aut legerit, & miramur, & quod ſuis authoribus, ut ſunt Henricus Goldaſtus, Marquardus Freherus, Andreas Kinchen, Tobias Paurmeſtier, Uvaremund. de Erembergk, Frideric. Hortloderus, & alii, qui non ſolùm citarunt, verum etiam ediderunt plurima ex archiviis, ut perhibent, Principum, ac veterum Bibliothecarum deprompta, tantam fidem adhibent, & obnixè contendunt, ut credamus, nec ullam aliam rationem proferre poſſunt, quàm hanc, quod ipſimet ſcilicèt viderint, legerint, ideòque teſtes ſint oculati. Quare ergo nobis inhibere volunt, ne fidem adhibeamus Eminentiſſimo Cardinali Baronio? Cur obliti præcepti illius naturalis: quod tibi vis fieri, alteri feceris? Contendunt, illis credamus, & illi viciſſim noſtris credere renuunt. Uno verbo, omnia ſcimus quantum noſtris, & quantum adverſariis fidei tribuere debeamus.

Tertia probatur in Sanctiſſimorum Romanorum Pontificum publicis aſſertis litteris teſtimoniis. Horum unus eſt Innocentius Tertius ad Ducem Caringiæ *in cap. Venerabilem de elect.* Alterum Clementis Quinti *in Clem.* *Romani de jurejur.* 10

Reſpondent adverſarii, domeſticis nos uti teſtibus. Renuimus, quid, ſi Imperator prædeceſſoris ſui aut prædeceſſorum leges, Conſtitutiones &c. aut proprias alleget, ut infinita exempla in jure civili, & receſſibus Imperii occurrunt? Ac idem dicent, teſtes eſſe in propria cauſa: Ergo non credendum. Non remur. Sciunt enim, quod crimen læſæ majeſtatis incurrant. Quid ſi Principes, Conſtitutiones, aut leges ſuas proferant? An iidem objicient? Non putamus. Cur ergo Sanctiſſimis Pontificibus de juribus, ac privilegiis competentibus atteſtantibus credere recuſant? Vis habere rationem diverſitatis, adverſarii ſunt. Sic volunt, ſi diis placet, ſic jubent. Sit pro ratione voluntas, non ſecus ac illorum verba eſſent edicta Prætorum. 11

Accedit quarta, quod Romani Pontifices, antequam electores acceperunt poteſtatem eligendi Imperatorem, Imperatoribus ipſis conceſſerint facultatem eligendi ſibi ſucceſſorem. Sic magno Othoni id primum a Romano Pontifice reperitur eſſe conceſſum. Extat de his Leonis Octavi Papæ decretum ad Othonem primum Imperatorem datum, quod & recitant Magdeburgenſes *cent. 10. cap. 16. &* Baronius *loc. allegat. num. 41.* 12

Hæc de hac quæſtione breviter afferre volumus. Et ſi nullus, vel Pontificis, vel Imperatoris decreto primam originem electorum, ſed moribus, & antiquæ conſuetudini, poſteà in legis publicæ, vel Conſtitutionis formam redactæ plures perſuaſi adſcribunt. At tu, mi lector, tene mordicus, quod aſſeruimus, fruſtrà reclamantibus adverſariis. 13

CONSULTATIO CCXXVII.

An, quatenus, & in quibus, ſpeciatim in arduis, Capitulum, ſede vacante, ſuccedat in juriſdictione Archiepiſcopi, Epiſcopi &c.

1 PRo negantibus faciunt ſequentes rationes. Prima ſumitur ex *cap. 2. ne Sede vacante aliquid innovetur*, ubi Capitulum Sede vacante non ſuccedit in iis, quæ Epiſcopo, non ut Epiſcopo, ſed aliunde competunt, Roman. *conſil. 566. num. 14.* Rationem diverſitatis ſuppeditat Innocent. *in cap. cum in cunctis num. 7. de elect.* Quia in iis, quæ ad eos proprio jure pertinent, eſt inter eos major conjunctio, quàm in aliis, quæ aliunde obveniunt.

2 Secunda. Si in Vicarium generalem, qui tamen in locum Epiſcopi ſuffectus dicitur, Jo: Piccard. inter conſilia Menochii *conſil. 52. num. 74. vol. 1.* Felin. *in cap.* *eam num. 17. de reſcript.* non tranſeant ardua, ac reverentialia, Piccard. *d. conſil. num. 98.* Ergo neque in Capitulum, Sede vacante.

3 Tertia. Beneficia illa, quæ ad ſolum Epiſcopum ſpectant, Capitulum conferre nequit, *cap. 2. ne Sede vacante, cap. 1. & 2. eodem tit. in 6.* Ergo ex paritate rationis, neque Capitulum actus illos expedire poteſt, qui ad ſolum Epiſcopum pertinent.

4 Quarta. Capitulum non ſuccedit in iis, quæ Epiſcopo jure ſpeciali, ſeu privilegio competunt, Franc. March. *tom. 2. deciſ. 81. num. 7.* Pacian. *de probat. lib. 1.* *cap. 27. num. 25.*

5 Quinta. Quando jura loquuntur de Archiepiſcopo, vel de Epiſcopo, non verò de Capitulo, Capitulum non poteſt

poteſt ſuccedere in illorum juriſdictione. Aliud enim eſt Archiepiſcopus, & Epiſcopus, aliud Capitulum. Propriè enim loquendo Archiepiſcopus, & Epiſcopus, tanquam ſummam dignitatem habentes, non ſunt de Capitulo, ſed ſoli Canonici id conſtituunt, *cap. cum in cunctis, ibi:* Ne Capitulum, aut Metropolitanus *de elect.* Franc. Marc. *deciſ.* 1171. *num.* 4. *tom.* 1.

6 At nos affirmamus ex ſequentibus fundamentis. Prima, quia poteſtas omnis Epiſcopalis reſidet apud Capitulum, Tob. Paurm. *lib.* 2. *de juriſd. Imper. Rom. cap.* 7. *num.* 107. Gaill. *lib.* 1. *obſerv.* 30. *num.* 10. & juxta Felin. *in cap.* 1. *num.* 19. *de jurejuran.* Non eſt inferius Epiſcopo, ſed eo mortuo, in jus omne quodam accretionis modo ſuccedit. Unde Sede vacante, juriſdictionem exercet, Fr. Duaren. *de Sacroſanct. Eccl. Miniſtr. lib.* 3. *cap.* 6. Statuta condit, *cap. cùm omnes* 6. *de conſtit.* Præbendas confert, *cap. unic. in princip. ne ſede vacant. in* 6. Abb. excommunicatione abſolvit, *cap. unic. de major. & obed. in* 6. eligit, *cap. cum olim de major. & obed.* a juramento abſolvit, *cap. penult. & ult. de ſuppl. neglig. Prælat. in* 6. Gail. *d. obſer.* 30. *numer.* 12. ad Comitia vocatur, per quæ Syndicum comparet. Etſi enim Sedes Epiſcopalis vacet, privilegia tamen, & dignitates non amittit. Capitulum quippè, atque adeò Canonici, qui in eo ſunt, inſtar tutorum Sedis Eccleſiæ, ac Prælaturæ vacantis ſunt, quæ fruitur jure minoris, ac pupilli, *cap. fin. nov. de Eccl. tit. & privil. cap. auditis*, ibique Gloſs. & Panorm. *de reſtit. in integr.* Ideòque ſicut tutor ſequitur forum, & jus Sedis Eccleſiæ, vel Principatus, *cap. cum deputari de judic. cap. literas de reſtitut. ſpoliat.* Mindan. *de proceſ. lib.* 1. *cap.* 19. *num.* 7. *in fine*, & præeminentiæ intuitu, dignitatiſque Epiſcopalis, non minùs ac Archiepiſcopus, & Epiſcopus, Capitulum gaudet Auffugarum privilegio, Mindan. *d. cap.* 19. *num.* 2.

7 Secunda, Gregorius Octavus *in cap. ut. de major. & obed. in* 6. conſtituit, ut Epiſcopali Sede vacante, poſſet Capitulum, ſeu is, ad quem Epiſcopalis juriſdictio tunc temporis noſcatur pertinere, iis, quibus poſſet Epiſcopus, ſi viveret, ab excommunicationis ſententia abſolutionis beneficium impertiri. Ex qua deciſione ejuſmodi eruimus argumentum. Si poteſt Capitulum idem, quod Epiſcopus, utique & omnes actus, quos Epiſcopus expedire poterat, poterit & Capitulum. Atqui prius verum *d. cap. un.* Ergo & poſterius verum erit.

8 Tertia, id planè in terminis electionis concedere videtur Gregorius Nonus *in cap. cum olim de major. & obed.* Ad eſſentiam ſiquidem Capituli non requiritur, ut ſit Epiſcopus, Franc. Marc. *deciſ.* 801. *num.* 5. *tom.* 1.

9 Quarta, accedit, quod Epiſcopo Capitulum uſque adeò connexum eſt, ut ejus membra dicantur eſſe Canonici, *cap. novit de his, quæ ſiunt a Prælat. cap. cùm non deceat de elect. in* 6. Joan. Picard. *d. conſil.* 52. *numer.* 140. & pars corporis Epiſcopi, ſicut Cardinales Papæ, Petr. Heig. *lib.* 1. *quæſt.* 4. *num.* 63.

10 Quinta, quod inter Epiſcopum, & Capitulum ſpirituale perhibetur eſſe conjugium, quod electione initiatur, ratum fit confirmatione, conſummatur in conſecratione, ut Innocentius Tertius ad Moguntinenſes reſcripſit *in cap. licet de translat. Epiſcop.* Tholoſan. *paratitl. jur. can. lib.* 1. *tit.* 29. *cap.* 7.

11 Sexta, ex duabus poſterioribus rationibus facilè corruit, quod convocandi facultatem ſoli Epiſcopo concedatur, nam, ut loquitur Bald. *in l.* 1. *num.* 4. *Cod. de bon. poſſeſſ. contra tabul.* quod ſi ordinatum ſit, ut ſolus Epiſcopus aliquod faciat, per hoc non intelligit eſſe excluſum Capitulum ipſius Eccleſiæ. Quia dictio taxativa non excludit ea, quæ connexa ſunt, Pacian. *de probat. lib.* 1. *cap.* 31. *num.* 6.

CONSULTATIO CCXXVIII.

An, & quatenus locus ad electionem a lege conſtitutus, mutari poſſit? Et an alio in loco celebrata electio, legitima, validaque ſit, an verò annullari poſſit?

1 AD primum negamus, quia ut electio celebretur in loco a lege conſtituto, traditur pro forma: Quotieſcumque autem aliquid pro forma a lege traditur, tunc illud præcisè ſervandum eſt, Fr. Prakman *lib.* 2. *conſ.* 12. *num.* 83. Aliàs forma legis non ſervata, actus eſt ipſo jure nullus, *lib.* 5. *Cod. de legib.* etiamſi forma illa, vel ſolemnitas in re minima conſiſtat, Schander. *lib.* 1. *conſ.* 40. *num.* 12.

2 Ad ſecundum. Ambigua, & non ſemel agitata quæſtio eſt. Sic electio Caroli Quarti Imperatoris inter alia & ob hanc cauſam nulla declarata fuit, Cuſpinian. *in Carolo Quarto.* Et eodem ex fundamento Ferdinandi Imperatoris electio Coloniæ peracta, ab Electore Saxoniæ, ac Proteſtantibus impugnata fuit, Sleidan. *lib.* 7. *de S. R. I.* Pro priori quæſtionis membro facit primò, quod locus non ſit de ſubſtantia actus, ſed tantùm accidens, *cap. fin. de reſtit. ſpoliator.*

Secundò, quia actus a Principe factus non poteſt ratione defectus formæ, vel ſolemnitatis, maximè levis momenti, & juris poſitivi invalidari: Ita in terminis Ant. Berous reſpondit, *lib.* 1. *conſ.* 1. *per tot.* 3

Tertiò, accedit, quod ſcribit Hartm. in coronatione Caroli Quinti. Quamquam, ait ille, *Carolus Quartus Imperator Bulla aurea ſtatuerit Regum Romanorum deſignationes Franfurti ad Mœnum celebrari debere, idem tamen Carolus Aureæ Bullæ conditor, ea, quæ de electionis loco ſtatuta contraria ſanctione ad prætextum, quod tantam electionem loco reſtringi per abſurdum foret, anno a Nativitate Domini* 1365. *palam recedit ſumma ratione. Non enim a Majeſtate tanti Imperii eſt, ut Principes ſemper circum Rheni margines inhæreant immobiles, fierique poteſt, ut Imperatorum Electores procul in hoſtili ſolo degant, adeo diſſito, ut intra præfinita Bullæ tempora nullo pacto Franfurtium attingere poſſint ad eligendum, ſi Imperator forte occumbat, aut in facta concedat, &c.* 4

Pro poſteriori membro pugnant ſequentia. Primò, quia aliàs electio in loco conſueto, ac per leges ad hoc determinato fieri debet, *cap. cauſis, cap. auditis, cap. in Geneſi de elect.* aliàs nulla eſt, Mandag. *de elect. par.* 1. *cap.* 19. Conrad. Lancellot. *in templ. omn. Judic. lib.* 2. *cap.* 5. *num.* 1. *Rubr. qual. fiat elect. n.* 4. Franc. Marc. *deciſ.* 559. *num.* 2. *p.* 2. 5

Secundò, Conſilium alio in loco convocatum, quàm ubi convocari conſueverit, ipſo jure nullus eſt ipſius actus, Bertaz. *tract. de clauſul. in proem. num.* 5. Cravett. *conſ.* 962. *num.* 3. *argum. l.* 3. *§. Idem Julianus ff. de eo, quod certo loco.* 6

Tertiò, ſic ſententia loco inſolito prolata privatos non obligat, *l. eam ſententiam* 6. *Cod. de ſentent. & interlocut. l. penult. ff. de juſt. & jur.* 7

Nos verò diſtinguimus. Aut juſta ſubeſt cauſa, aut non ſubeſt. Priori caſu electio alio loco peracta, valida eſt per textum expreſſum, Lancellot. & Franc. Marc. *loc. cit.* traditque Oſtienſ. *in ſum. tit. de elect. num.* 3. veluti propter peſtem graſſantem, Franc. Marc. *deciſ.* 559. *num.* 4. *& ſeqq.* Quapropter cùm Carolus Quintus ex uſu recepto Aquiſgrani coronari expeteret, increbeſceret verò rumor peſtis deſævientis, Archiepiſcopus Moguntinus, Palatinus Rheni, & Dux Saxoniæ, Regis adventum in Colonia præſtolantes, miſſis litteris magnis precibus petiere, ut Imperator ob tàm probatam, & evidentem cauſam, tàm ſui, quàm Principum reſpectu habito, alium coronationis locum indicaret. Verùm cùm poſtmodum conſtaret morbi vim non tàm latè vagari, uti falſo rumore ad aures Principum delatum fuerat, coronatio Aquiſgrani peracta fuit, Hartm. Maur. *loc. cit.* Vel aliam cauſam ſimilem, Bald. *in l.* 3. *num.* 2. *ff. quod cujuſque converſ. nom.* Loſæus *de jur. univ. par.* 1. *cap.* 3. *num.* 73.

Siquidem & propter legitimam cauſam locus ſacri Concilii mutari poteſt, ſi non ſit Patribus ſecurus, Nicol. Boer. *deciſ.* 46. *numer.* 10. uti Gregorius Duodecimus Pontifex maximus ſe excuſavit, quod non venerit ad Concilium Piſanum, quia gravitatem cœli ferre non poterat, proferens ad hoc *leg.* 2. *§. ult.* ibi: *Vel aliqua fortuita calamitas, ff. ſi quis caut.* atteſtante Felino *in cap. accedentes num.* 11. *de lit. conteſt.* Id ipſum obſervatum in mutatione loci Concilii Tridentini, ut ex Bullis Pontificum in eo impreſſis. 9

Accedit, quod aliàs promiſſio ad certum locum reſtricta ſic interpretari debet, ſi commodè ad eum perveniri poteſt, *leg. uſuras, Cod. de ſolut.* Et vocatus ad locum non tutum, comparere non cogitur, *cap. accipimus de fid. inſtrum. Clem. Paſtoralis §. notorium de ſentent. & re judic.* Gaill. *lib.* 1. *obſerv.* 52. *num.* 3. 10

Poſteriori caſu ſecundum ſtrictum jus electio eſt ipſo jure nulla, Lancell. & Franc. Marc. *locis alleg.* Bartol. de Firmian *tract. de Epiſcop. par.* 2. *lib.* 1. *q.* 1. *& 2.* per rationes ſuperiùs adductas. 11

CON-

CONSULTATIO CCXXIX.

An quod in electione de majori parte dicitur, intelligendum sit, habita consideratione eligentium, vel totius Capituli, Collegii, &c.
Et an sola majoritas numeri, an verò etiam sanioritas, ut loquuntur, suffragiorum, sit spectanda?

1 AD primum. Rationes dubitandi sunt, prima *leg. majori* 156. *ff. de verbor. significat.* Et quod notat Bartol. *in l. quod majori* 19. *ff. ad municipal.* Deinde a jurepatronatus arguere ad electionem possumus. In jure enim patronatus ita receptum est, ut si fortè in plures partes fundatorum se vota diviserint, ille præficiatur Ecclesiæ, qui plurimorum eligitur, & approbatur assensu, *cap. quoniam de jurepatr.* Ergo & idem de electione dicendum erit.

2 His minimè obstantibus, nos respectum ad ipsum Capitulum, Collegium, &c. & eligentium numerum statuimus habendum. Primò, per textum *in cap. Ecclesia nostra* 57. *de elect.* ibique Abbas *numer.* 1. & 4. ubi subjicit, se aliàs vidisse loco ab ipso memorato propter istum defectum, quia non major pars eligentium omnium, licèt major pars respectu aliorum Electorum, Prætorem elegerat, electionem fuisse retractatam, cùm dispositio illius textus obtinere debeat in omnibus aliis electionibus. Idem scribit Franc. Marcus *decis.* 919. *numer.* 2. & 922. *num.* 1. *par.* 1.

3 Secundò, accedit ratio, quia electio non pertinet ad electores, & singulares personas, sed ut ad Capitulum, ad Collegium, &c. Et ideò Capituli & Collegii major pars requiritur, Morla *in empor. jur. par.* 1. *tit. ult. quæst.* 9. *num.* 14.

4 Hoc tamen omninò observari volumus, quod tantùm de præsentibus loquemur, absentium enim nulla habetur ratio. Sic si tres tantummodò adsint, duo pro majori parte habentur.

5 Ad secundum, tametsi *d. cap. Ecclesia vestra de elect.* & *cap. fin. de his, quæ fiunt a minor. parte Cap.* majoritatem, & sanioritatem conjungant, Everard. *cons.* 39. *num.* 3. Menoch. *cons.* 96. *num.* 12. *ac.* 16. Modestin. Pistor. *cons.* 45. *num.* 87. *vol.* 2. & ut loquitur Justinian. *in Constit. de concept. ff. ad Tribonianum §.* 6. non ex multitudine authorum, quod melius, & æquius est, judicatote, cùm possit forsitan & deteriores sententias, & multas, & majores in aliqua parte superare, tamen nobis prius statuendum est, nempè sufficere majoritatem numeri. Tum quia jura civilia in actibus Collegii majorem tantum numerum, non etiam sanioritatem efflagitant, *l.* 194. *ff. de verbor. signific.* Unde colligitur in actibus Universitatis sæcularis sufficere solam majoritatem, nec attendi sanioritatem, Pacian. *de probat. lib.* 2. *cap.* 43. *num.* 72. & *seq.* Tum quia id ipsum tradunt Doctores in electione Summi Pontificis, ut per Jacobat. *tract. de Concil. lib.* 6. *art.* 3. *num.* 47. Conrad. Lancell. *in templ. omn. Judic. lib.* 2. *cap.* 1. *§.* 2. *qu.* 1. *num.* 5. Tum quia prior opinio variis turbis, & seditionibus ansam daret. Vide quæ hac de re alibi diximus.

Quod tamen cum hac limitatione intelligi volumus, nisi majoris partis electio, vel contra antiquam Capituli, aut Collegii consuetudinem, vel in maximum Capituli, aut Collegii præjudicium tendat, quibus casibus major numerus non attenderetur, Carol. Ruin. *cons.* 130. *num.* 5. & 6. *lib.* 5. Jo: Vincent. de anonna *alleg.* 57. *num.* 15. Adrian. Gilmannus, *decis.* 80. *num.* 20. & 21.

CONSULTATIO CCXXX.

Quid sit suffragium, scrutinium, suffragia requirenda? Post scrutinium consensus expositus an valeat? An conditionalia, & alternativa suffragia valeant? Et an suffragiorum inquisitio secretò, an verò publicè fieri debeat?

1 SUffragium est sententia Electoris, qua ad scrutinium alterius voluntatem declarat de persona assumenda. Ex quibus natura suffragii cognosci satis potest. Diximus ad scrutinium, nisi enim requisita, suffragia non valent, *cap. Cumana de elect. in* 6. Post scrutinium consensus expositus itidem non valet, *cap. Ecclesia* 57. *de elect.*

2 Quod autem ad suffragia conditionalia, ratio dubitandi esse potest, quod id in nullo jure prohibitum est, sicque permissum videtur, *l.* 1. *§.* 1. *ff. de testib.* Et ita hujusmodi suffragia hac de causa in electione Pontificis Maximi permitti, quod illa, non ut in aliis electionibus Ecclesiasticis, ita & in hac expressè prohibita sint, tradit Gundisalv. de Villadieg. *de orig. & præstant. Cardin. qu.* 5. *num.* 24. *post Glos. in cap.* 2. *de elect. in* 6.

His non obstantibus negativam verissimam censemus 3
cum jure communi, nec alternativa *d. cap. Cumana*, ubi Jo: Andr. & tradit Tholos. *in partit. juris Canon. lib.* 1. *tit. fin. cap.* 5. Nec conditionalia, *d. cap.* 2. Riminald. *cons.* 112. *num.* 193. & *seq. vol.* 2. Siquidem electio est actus legitimus, qui non recipit diem, vel conditionem, *l. actus* 77. *ff. de reg. jur.* & scribit Jason, *cons.* 162. *numer.* 4. & *seq. vol.* 2. Nec incerta, *d. cap.* 2. Mart. Uran. *cons.* 26. *num.* 6. & *cons.* 27. *num.* 2. *tom.* 3. sed pura tantùm in electionibus admittantur, *d. cap.* 2. Porr. *cons.* 20. *num.* 12. Zabarell. *cons.* 99. & *cons.* 104. Vincent. de Franch. *decis.* 438. *num.* 4. Et cùm de hoc sub anno 1600. in Camera Imperiali disputatio exorta esset, quidamque contendissent suffragia conditionalia in electionibus ad sæcularia officia permissa esse, inque numerum computari posse, tamen contrarium per statuum deputatos approbatum, & constitutum fuit, ut in electione Assessorum suffragia pura, & non in eventum ferantur. Petr. Denais *tit.* 13. *§.* 18.

Quod verò ad suffragiorum inquisitionem. Utrumque 4
fieri posse sunt qui concludant. Nos priorem modum, nempè secretè, tutiorem esse statuimus. Majori enim cum libertate suffragia electorum proferri possunt. Nonnullos quippe quidam pudor naturalis, vel præconcepta opinio de prudentia ejus, qui prius suffragium dixit, deterret, quominus id, quod mente cogitant, liberè proferant. Cui accedit jus Canonicum, quo electio secretè institui præcipitur, *cap. Quia propter* 42. *de elect.* Unde in Areopago sententiæ in pugillaribus conscriptæ exhibebantur, Sveton. *in Augusto cap.* 35. Tholosan. *in syntagm. jur. univ. lib.* 17. *cap.* 12. *num.* 39. Everard. *cons.* 39. *n.* 8. Boer. *decis.* 1. *n.* 28. Alium suffragandi modum assignat Nicol. Cusan. *lib.* 37. *de concord. Cath.* secundùm quem infinitis fraudibus obviari posse putat. Ipsum adi.

CONSULTATIO CCXXXI.

An Summus Pontifex possit Monasteria, Conventus Monachorum, aliorumque Regularium supprimere, ac liberè, & in Seminaria, & Collegia eruta aliis Regularibus, præcipuè Patribus Jesuitis, aut Sæcularibus viris eruditis liberè concedere? Ubi exempla in id Summorum Pontificum, & erectiones quamplurium Collegiorum, ac Seminariorum in Orbe Christiano Patribus Jesuitis a Summis Pontificibus, Regibus, ac Principibus commendata. Defenditur hac in re potestas Pontificis, & admittuntur aliqua præconia, & vindiciæ Societatis.

ET quidem rationes negantium hæ sunt. Primâ. Jure naturali, & Gentium omnis spoliatus restituendus est, & contra justitiam est, si secus fiat; alioquin duplici injuria innocens opprimeretur: Ergo Monachi, aliique Regulares restitui debent, si spoliati fuerint.

Secunda. Qui ad sua spoliatos non admittit, ille spo- 2
liat. Ergo Pontifex si aufert Monasteria Regularibus, illos spoliat.

Tertia. Etiam si Summus Pontifex Monasteria ab 3
hostibus recuperaret, non fieret dominus. Reddere igitur debet. Bona autem Ecclesiarum, & Monasteriorum sunt aliena, nempè Clericorum, Monachorum, Ecclesiæ Ordinum, quodque magis indubitatum est, Dei, & Sanctorum, quibus dicata sunt, ipsique Ordines sunt bona Dei. Fit ergo injuria, nisi Ordinibus restituantur. Et qui bona Ecclesiæ Sancti Petri daret Ecclesiæ S. Pauli, injustitiam, & sacrilegium committeret.

Quarta. In Vventonienſem Ecclesiam Monachi fue- 4
runt restituti, agente Lanfranco. In Cantuarienſi defensi, etiam authoritate Pontificum. Non igitur hoc tempore Pontifex illa potest in alios usus convertere.

Quinta. Summus Pontifex non solùm est universalis 5
Ecclesiæ Rector, & Advocatus, sed singularum etiam Procurator, & Protector. Igitur Monasteriorum quoque jura servabit, ut Ordo Sancti Benedicti, Bernardi, Franciſci, qui alicubi institutus esse dignoscitur, inviolabiliter perpetuò ibi observetur.

Sexta. Jure Pontificio cautum est sicubi aut lapsum, 6
aut recuperatum est Monasterium, ut primum ejusdem Ordinis hominibus restituatur, & conservetur, tum his deficientibus alterius Ordinis Religiosis. Tertiò, si Religiosi desint, Clericis Sæcularibus. Nec quærendum, quis Ordo perfectior, aut utilior, sed ad identitatem, & vicinitatem Ordinum respiciendum est. Ita Sixtus IV. Monasterium Clarissarum fratribus ejusdem Ordinis attribuendum censet.

Septima. Fundatores cum execratione, & ditis, Mo- 7
nachis

nachis Monaſteria extruxerunt. Ergo illis reddenda. Diris igitur devotus Pontifex, Epiſcopi, aliive, qui aliud agunt, vel egerunt. Neque ob majus bonum aliis conferri poſſunt. Nam nemo ſui ſecurus eſſet. Nec idem eſt honoris divini modus, etiam Monachi animas convertunt.

8 Octava. Fundatorum intentio eſt determinata, unica, certa, vix mutabilis, diſerta, circumſcripta ad certos cœlites, ad hunc Ordinem, non illum, ad hunc ſexum, non alterum, ut ore conantur, & ſacræ certi generis ſint veſtes, jejunia, vigiliæ. Et ſi defecerint, ut certi, & determinati ſubſtituantur illa divinis oraculis probata ſunt, ut Oeniponti patuit exemplo Annæ Julianæ Archiduciſſæ: an Archidux Leopoldus pateretur Collegium Molzheimenſe tradi aliis? An Societas cederet Ordini, ſi utilior, quàm ipſa inſtitueretur. Nonne in Bohemia ſua Collegia repetiit? Nonne Societati eſt invidioſum accipere Monaſteria? Nonne deſinent Ordinum varietates? Quid verò peracta converſione futurum eſt? Pontifex tamen benè fecit transferendo Monaſteria, an cauſas veras ſuaſores attulerint, alii viderint.

9 Nona. Pontifici cavendum, ne conceſſis translationibus turbet Rempublicam, quemadmodum poſt victoriam Civitates ſæpè mutuis concidere vulneribus.

10 Decima. Niſi omnia Monaſteria reddantur, opinio naſcetur, meritò Monachos, alioſque Regulares excludi. Monachos Eccleſiæ ſtatui eſſe inutiles, nec levis ſugillatio eſt, eos ineptos inutilia terræ pondera, pigros ventres dicere, hæreticorum ſcommatis applaudere.

11 Undecima. Eleemoſynæ Monaſteriorum, Hæreticorum in Societatem odia. Non poſſe Patres Societatis facere ſatis omnibus.

12 Decima ſecunda. Religioſæ familiæ paratiores eſſent, & majorem fructum parituræ, niſi eſſent, qui eos removendos cenſerent, qui eos vocandos arbitrantur, qui ſeipſos quodammodo vocant, qui alios a Pontifice vocatos, ferre nolunt. Illi, teſte Bonifacio, zelo amaritudinis, non dilectionis ſunt inflammati. Qui Religioſos in Vinea Domini laborantes, inſtituti ſui violatores appellant.

13 Decima tertia. Qui contemplationi vacant, etiam Eccleſiæ ſervient, & orationibus, lacrymis, jejuniis &c. concionantes adjuvant, quibus plerumque magis fructus ſpiritualis eſt adſcribendus, quàm quibuſcumque concionantium induſtriæ, & labori, ingenio, clamoribus, ſtyli volubilitati, quod alii ex voto faciunt, alii æquè alacriter ex libertate faciunt.

14 Decima quarta. Sæculum noſtrum eſt doctiſſimum, nec enim hominum doctorum penuria. Ab uno, aut altero ſæculo non fuit in Monaſteriis, & Conventibus tanta multitudo. Vix eſt aliquod Monaſterium Monachorum, aut Conventus Regularium quod non aliquos doctos habeat.

15 Decima quinta. Alicubi Monaſteria ſunt ferè Parochiales Eccleſiæ, ideò ſe exercent, multa habent Concionatores plures, pluresque Confeſſarios.

16 Decima ſexta. Monachi, aliique Regulares docere juventutem ſunt parati, & facere poſſunt, ut multis in locis faciunt.

17 Decima ſeptima. Non ſunt multiplicanda Gymnaſia, neque Academiæ. Nunc propè tot ſcamna, quot diſcipuli.

18 Decima octava. Seminaria, & Collegia, Principes, Populi, quibus proſunt, excitent. Dentur beneficia ſæcularia. Bello contra Turchas, & Hæreticos Monaſteria non contulerunt. Monachi ſine Parochiis olim, non modò ſine Monaſteriis docuerunt.

19 His tamen minimè obſtantibus affirmativa ſententia omninò tenenda eſt, quæ iſtis probatur rationibus

20 Primò, quia ob rationabiles cauſas, & præſertim quia id & exigit majus bonum commune Eccleſiæ, & Reipublicæ, quod præcipuè ſpectandum eſt, & cuique bono privato præferendum, Monaſteria, & bona Eccleſiaſtica ab uno Ordine transferre in alium habet uſus, & praxis multorum ſæculorum in Eccleſia Dei. Res notiſſima, nec indiga probatione.

21 Hinc ſic arguitur. Pontifices, qui ea tranſtulerunt, jure tranſtulerunt, vel contra jus. Si jure, ergo etiam & Pontifex, qui hodie gubernat, id jure poteſt. Non enim minus poteſtatis in ipſo eſt, quàm fuit in ejus anteceſſoribus. Si non, ergo contra jus egerunt. Ergo tot ſæculorum, tot Pontifices injuſtiriæ damnandi erunt. At damnandi non ſunt injuſtitiæ. Quis enim tàm duri oris ſit, ut id audeat dicere? Ergo juſtè feciſſe, fatendum eſt. Ergo & modernum Pontificem id poſſe fatendum eſt. Quod ſi jure id facere poteſt, aſſerere non poſſe facere eſt imminutum ire poteſtatem, ac majeſtatem Pontificis.

Sunt porrò, qui Magiſtratibus proponant ſex leges, 22
extra quas negant fieri poſſe translationes. Prima, cùm transferuntur Monaſteria cum eorum voluntate, quorum intereſt, ad Ordines ſtrictiores. Hic quærere pretium eſt opere, v. g. ſi Monaſterium aliquod Benedictinum ad Carthuſiam tranſeat, nemo reſiſtere poteſt ex Monaſterio Præmoſtratenſi facientibus Carthuſiam. Nam alii Prælati impedire nequeunt. Si in hos poteſtatem non habet, multominùs in vacantia. Si Pontificis, Epiſcopi conſenſus requiritur, & ſufficit, magis in vacuis ſufficiet. An verò requiritur totius Ordinis conſenſus? Si unum nominarint, quod eo conſenſu ad alios tranſierit, nominabo centum, in quibus conſenſus ille non fuit. Deinde, poſſunt Sæculares præbendæ mutari in Regulares. Ergo pari modo è contrario, quod & factum crebrò fuit. Secunda, cùm ſæculares præbendæ mutantur in Monaſteria. Sed fatentur non eſſe hìc translationem Monaſteriorum. Tertia, cùm ob bella Ordines non potuerunt reſtitui. Quarta, cùm pulſis ſæcularibus reſtituti ſunt Regulares. Quinta, cùm ex Regularibus facti ſunt ſæculares. Eo modo maxima, & nobiliſſima Monaſteria tranſierunt in Canonicatus, quod ipſi non probant; ideòque reſtitui eorum opinione debent, quod contra jus naturale, & gentium poſſideantur a Canonicis, qui ideò præſcribere non poſſunt. Sexta, cùm in eodem ordine ad diverſum ſexum facta eſt translatio.

Canones, & hiſtoriæ addunt aliam cauſam, cùm in 23
Monaſterio eſt magna diſſolutio, nec ſperatur emendatio. Hanc omittunt adverſarii, cùm tamen Trithemius doceat, ea de cauſa plurima fuiſſe translata. Quin Trithemius vaticinatus eſt illas translationes, & majores noſtri viderunt. Poſt bella etiam multa incorporata ſunt Epiſcopis, aliiſque. Hæc autem vera ſunt de Monaſteriis, quæ poſſidentur. Nam quæ bello recuperata ſunt, poſt quamplures annos, illa Communitate extincta ad diſpoſitionem Eccleſiæ pertinent, poſſuntque judicio Pontificis in alios magis neceſſarios, vel utiliores uſus converti. Quæ verò cauſæ ſint legitimæ, non eſt judicare repetentis, aut petentis, aut ſanè accipientis, ſed Pontificis, cujus eſt poteſtas donandi. Ille univerſalem Eccleſiæ, & Reipublicæ curam gerit. Ille quid natio quelibet deſideret, ſecum expendit. Ille, ſuos Conſiliarios habet. Hic quiſquis inſurgit, ter injurius eſt; nam Pontificem judicat, & damnat inauditum, & ejus poteſtatem imminuit, & denique protervè traducit eos, qui accipiunt, qui ſunt modò alii Religioſi. Quod ſi Pontifex legitimo jure tribuat, quod negari non debet, niſi evidenter probetur, nulla culpa eſt accipientium. Damnare autem illum, ejuſque Conſiliarios, quaſi cauſam ignorent, & fatui ſint, hominis eſt ſibi ſapientiam magna temeritate tribuentis. Itaque ſtatuendum, non modò Pontifici datam eſſe abſolutam poteſtatem iſta diſponendi, ſed etiam prudenti cum conſilio poteſtatem exercere.

Secundò. Cùm Summus Pontifex ſit Summus Prin- 24
ceps Catholicus, eo ipſo eſt ſupremus advocatus, & patronus univerſalis Eccleſiæ: Quare ſicubi de univerſali Eccleſiæ bono, ut hìc agitur, ibi ſuas partes interponere poteſt, ac proſpicere ut Religio, & Fides Catholica conſervetur, ac propagetur. Quis autem ignorat Religionem Catholicam, ac pietatem Chriſtianam Seminariis, Collegiis, Scholis, Academiis, &c. præſertim in Germania paucis annis reſtitutam eſſe, ut ex aliis Provinciis manifeſtum, ubi talibus translationis erecta Seminaria.

Dices. Summus Pontifex etiam aliorum Ordinum 25
antiquorum eſt advocatus, illis igitur reddat, non ex alieno alios locupletet.

Immò ita faciet, omnium advocatus eſt, poteſtate 26
ſua in commodum publicum uſurus, aliena nulli daturus, ſed de communibus Eccleſiæ bonis vacantibus cuique dabit, ut ratio religionis, & Reipublicæ ſalus dictabit. Ordinum antiquorum, qui ſe ad veteterem normam reformarunt, maxima cura eſt, ut eorum exemplo cæteri incitati novam laxitatem priſca ſeveritate ſtringant. Hoc juſtitia requirit, illa ratione Catholici firmabuntur, hæretici convertentur. Dabit Epiſcopis, Parochis de bonis Eccleſiæ, & Dei, alet Dei ſervos, miniſtros Eccleſiæ, verbo, & opere laborantes. Nemo hìc locupletari deſiderat, de ære alieno, de neceſſitate publica, de alimentis agitur operariorum. Norunt Ordines ſuas divitias religioni ſuæ, ut Trithemius ſcribit, damnoſas, filias opprimentes matrem. Non objectant Mendicantibus opes, de ſuo adjiciunt egentibus. Norunt Ordines ſuum non

eſſe,

eſſe, quod ſine ſpeciali gratia, atque indulto, nec attingere poſſunt, nec retinere, ut jam Pontifex decrevit. Norunt ſuum non eſſe, quod Pontifex ſuo jure in alios uſus conferre poteſt, & de facto jam frequenter contulit.

27 A Monachis faciliùs poſſe converti Regiones, ſunt qui arbitrentur, memoria primorum Monachorum, qui Germaniam, Angliam, aliaſque Regiones ad fidem adduxerunt. Olim per Monachos, Epiſcopos, Presbyteros, converſa eſt Germania, & Anglia, nunc illi excludi non debent, ſed communi concordia laborare pro bono publico. Antiquorum Monachorum lubrica ad conciliandum amorem eſt memoria. Nam quos Avi, Proavique viderunt, non magnam laudem retulerunt, magiſque horum obeſſe poſſet vita flagitioſa, quàm priſcorum prodeſſe innocentia. Non accuſo omnes Religioſos, qui ad initia hæreſeos vixerunt, ſed diſſolutos, qui ante annos non multos ipſius Pontificis authoritate ad diſciplinam vix reduci potuerunt.

28 Quartò, Evidens eſt, ſi nulla, aut non ſufficientia bona ad tales uſus applicentur, ſi deſit juventutis inſtructio, ſi ceſſent alia ſimilia exercitia, nunquam eradicandam hæreſim.

29 Nemo enim inficiatur, Religionem non poſſe reduci, ſi omnia præſidia deſint. Æger ad incolumitatem non pervenit, ſi omnia deſint. Æger ad incolumitatem non pervenit, ſi omnia deſint in eadem, in cauſa eſt, cùm deſunt neceſſaria, vel admodum utilia. Ut fides vera propagetur, opus eſt Concionatoribus, Doctoribus, Catechiſtis etiam Scholarum, Magiſtris Orthodoxis; abſque illis religio non plantatur, errores non evellentur. An omnibus iſtis ſufficiant Ordines antiqui, & in eorum gratiam excludi debeant novi, decidat Pontifex. Nemo alios accuſet, nemo ſe præferat.

30 Quintò. Ex iis, quæ facta ſunt, conjecturam de futuris facimus. Si ergo Monaſteria antiquis Ordinibus reſtituantur, hæretici, & Principes præſenti metu liberati, vires, & confœderationem ſolidabunt per veterem cantilenam occinent, Monachos eſſe inutilia terræ pondera, maximè ſi ſcandala, ut timendum eſt, acceſſerint. Rursùs eadem Eccleſiaſtica bona invadent, & occupabunt, cui rei ea eſt medela, & cautio, ſi plurima ex his bonis ad Collegia, Seminaria, & Scholas erigendas legitimè transferantur.

31 Videtur quidem alperior iſta divinatio, non tamen omittenda, & religioſis cum tremore perpendenda. Nam ex factis, & præteritis, de futuris eſt conjecturalis ratiocinatio. Principes Monaſteria occupaſſe ſe dicunt, quod in illis otioſè, & malè viveretur, pleni ſunt omnium hæreticorum libri, proteſtationeſque Principum. Calamitas illa fuit religionis, ſed major clades, unde hæc ipſa juſto Dei judicio manavit, non religioſa multorum vita. Duplici odio pulſi ſunt Monachi, religionis, & vitiorum. Odio religionis omnes, odio vitiorum multi, & hoc prætextu uti hæretici maluerunt, & nunc ſi redeant, eoſdem rediiſſe mores ſuſpicabuntur.

32 Quamvis autem dubitandum non ſit, religioſos miſſuros eſſe tales viros, qui ſua prudentia, pietate, zelo veterem aboleant majorum infamiam, tardè tamen alii fidem habebunt; præcipuè illo argumento inducti, quod ad primævam regulam, atque inſtitutum non videant reformatos, ſed quantum a primordiali ſeveritate receſſerunt, tantùm in charitate elanguiſſe indicabunt.

33 Quin & hoc ipſum conſiderandum. Ordines in quibuſdam non parvi momenti rebus inſtituti ſui rationem a fundatoribus propoſitam, Eccleſiæ authoritate approbatam, reliquerunt, non multo tempore a ſcandalis immunes fuiſſe, exiguo cum fructu in Eccleſia laboraſſe. Veſtis interpolata multum differt a nova, quamvis niteat. Spiritus, quo primus fundator Ordinem inſtituit, a Deo venit, quod poſteri remiſerunt, diſpenſarunt, privilegiis leniverunt, conſuetudine induxerunt, animo ſuo indulſerunt, cauſam aliam habuit, Ordinis integri horrorem, & quamdam mentis infirmitatem.

34 Ordo igitur privilegiis contra rigorem ſuum munitus lubrico ſtat fundamento, & lapſuro ſimilis in proclivi. Ad primum igitur regulæ faſtigium aſſurgant. Cadunt Cedri, decidunt Turres, hoc eſt Ordines, qui de celſitudine vocationis non deſcenderunt, quantò magis calcantur rhamni, & myricæ, hoc eſt Ordines, qui de monte, & altitudine in vitam multò diſſimilem degenerarunt. Peccant perfecti, & ſepties in die cadit juſtus, quantò ſæpiùs, & graviùs, qui ad perfectionem ſuæ regulæ non tendunt? Qui non illud, quod Franciſcus, Benedictus ſtatuerunt, ſed quod ſibi alii elegerunt, ſequuntur?

Non mirum, inquies, quod Societatis Patres non decolorentur, nondum tot annos viderunt. Verùm ſtare Societati laudatiſſimè ſua præmia ob egregias ſanctiones. Societas namque viget, & floret Dei gratia, quæ ſtat in prima regula fundatoris Ignatii. Quamdiù ita perſeveraverit, nec aliud fundamentum poſuerit, quàm quod Chriſtus per Ignatium poſuit, fructus optatos feret in tribulatione multa, & patientia. Si inde dimoveri ſe patiatur, motu magno quatietur, nec Pontifex, nec Principes, nec amici, nec opes ſervare poterunt, Deo non probante. 35

Miraculo mihi ſimile videri ſolet inter tot adverſarios hæreticos etiam Prælatorum paraſitaſtros inter tot famoſa ſcripta Societati manere ſuam exiſtimationem apud Principes, eam creſcere, operam illius expeti, eam celebrari, obtrectatores illius de invidia eſſe ſuſpectos. Ante non multos annos in Gallia quanta tempeſtate jactabatur? Exiliis agebatur? Inter iſta tamen totius Regni deſiderio & lacrymis revocata eſt. Deus in laudem vertit contumelias, & Regia liberalitas proſequuta reduces, calamitates multa benignitate penſavit. In Germania, & alibi exagitatur, & tacet. Pontifex, Imperator, Principes non modò litteris, & diplomatis eam commendant, ita quidem, ut ſi vel decimam partem Societas in lucem ederet, adverſariis injiceret ruborem; verùm etiam extructis, fundatiſque Collegiis obtrectatores molibus Templorum, & Gymnaſiorum obruunt, ac refutant. Inanis eſt accuſatio, cùm rerum Judices præmio donant, cum animas illi committunt. Hæc nota, cunctis moleſta ſunt lividis. Nec in his Societas gloriatur, ſed in Cruce Domini; non enim, qui ſe ipſum commendat, ille probatus eſt, ſed vanus, & vacuus, nec felix, quem homines dilaudant, ſed quem Deus commendat. 36

Atque ex his concluditur primò, translationes eſſe licitas, & in poteſtate Summi Pontificis. 37

Secundò, Pontificem obligari in conſcientia, ut quamplurimos optimoſque Doctores præficiat Eccleſiis. 38

Tertiò, ut ſufficientes habeantur inſtructores, poſſe Monachis diverſi Ordinis Regularibus, aliiſque dari aliqua Monaſteria vacua, prout in Domino viſum fuerit. 39

Quartò, poſſe aliqua Ordinibus militaribus tribui, ea tamen conditione, ut perfectè Ordinum regula ſervetur. 40

Quintò, ſi antiquis Ordinibus reſtituantur, non debere aliis reſtitui, quàm illis, qui primam Regulam inviolatam ſervarunt, aut ſervare parati ſunt. 41

Sextò, poſſe Epiſcopis vel ad tempus dari, vel incorporari ad ſolvendum æs alienum, aut alios legitimos uſus. 42

Septimò, poſſe quædam in Seminaria, Scholas, Collegia, Hoſpitalia converti. 43

Octavò, tenues Parochias ex illis eſſe reſtituendas. 44

Et quidem intentio Pontificis, & Cardinalium ſemper eſt, ut omnia bona extinctorum Monaſteriorum, præſertim ab hæreticis reſtituta, vel reſtituenda, ad manus Ordinariorum deveniant, & in depoſito apud illos retineantur, ut facta diligenti diſcuſſione, bona illorum Monaſteriorum, quo commodè reſtaurari poterunt, ac celeri redintegrationi Patriæ ad Catholicam Religionem inſervire, ſuis Ordinibus in hunc finem tradantur; reliquorum verò Monaſteriorum bona ſequentibus ad dict. finem celeris reparationis Patriæ per ſuam ſanctitatem applicentur. 45

Communibus utriuſque ſexus puerorum ſcholis, cum Catholicis, ac piis Ludimagiſtris, qui pueros doceant, & in Catholica fide, ac bonis moribus educent. 46

Alumnatibus ad adoleſcentes in fide, & pietate, litteriſque inſtruendos, præſertim nobiles; nam cùm illi in Germania, pluribuſque aliis locis magnæ ſint authoritatis, facilè plebem, maximè ſuos vaſſallos, & colonos ad ſuam Religionem attrahunt. 47

Seminariis pro Parochis, ut inde viri, in Catholica Religione benè firmati, ac docti, ad animarum curas gubernandas prodeant. 48

Suſtentationi Verbi Dei præconum probatæ vitæ, & in controverſiis fidei apprimè verſati, ut ſaltem ſint duo, vel tres, qui per ſingulos Epiſcopatus concionando diſcurrant. 49

Suſtentationi Profeſſorum earumdem controverſiarum ſolidè Doctorum, qui illas in inſignibus Civitatibus docendo converſionem Civium ad fidem promoveant, & converſos ab impetitionibus hoſtium defendant. 50

51 Aliquibus Univerſitatibus Catholicorum profeſſorum Sacræ Theologiæ, & omnium aliarum facultatum, tum ut munitiſſimæ arces ad Orthodoxam fidem inſtruendam, & tela inimicorum illius retundenda extent, tum ut ad fidem converſi non cogantur ratione ſtudiorum ad Univerſitates hæreticas divertere, & qui in hæreſi perſeverant ob commoditatem ſtudendi in propria Patria, apud Catholicos litteris operam navent, & Collegiorum Catholicorum exemplo convertantur.

52 Nonnullis utriuſque ſexus Monaſteriorum Ordinum, velut Capucinorum, Carmelitarum diſcalceatorum, & conſimilium, quæ citò extrui, & aptari poſſunt, cùm dicti Ordines humili fabrica, & frugali victu ſint contenti. Tum ut adſint in illis locis receptacula pro converſis, qui Altiſſimo ſub ſtricto jugo ſervire voluerint. Tum ut dicti religioſi ſuo exemplo ſtrictæ vitæ, & totaliter mundo abjecti hæreticos ad Catholicam fidem, & veram pietatem alliciant, & inducant.

53 Intentio Summi Pontificis eſt juſtiſſima. Nam luce clariùs patet, præſtantius bonum eſſe absque ulla comparatione, Deoque acceptius, & ſanctæ ſuæ Eccleſiæ utilius totius alicujus Patriæ redintegrationem, & Orthodoxam fidem, & veram pietatem, qui eſt dictæ applicationis ſcopus, quàm reſtaurationem Monaſteriorum in illa. Conſtat etiam evidenter, per nullam viam poſſe aliquas regiones citius, & faciliùs ad iſtam priſtinam felicitatem reduci, quàm per dictas ſcholas, alumnatus, &c. illaſque non poſſe, niſi ex memoratorum Monaſteriorum bonis erigi, ac dotari.

54 Quæ cùm ita ſint, maneatque Pontifici legibus conceſſa, uſu ſæculorum comprobata, officio ipſius annexa de bonis Eccleſiæ diſponendi poteſtas, nihil ultrà eſt inquirendum.

55 Sanè Pontifex diſertè negat, a nemine bona illa poſſe retineri, verba illius ſunt. Nec diſſimulandum hic eſt, quod ſi ſæpè dictis Superioribus Ordinum iſta bonorum inſtitutio fieret, & illi ea ſuis, vel aliis ſubjectis Monaſteriis ſibi ſubditis applicarent, in miſerrimum damnationis laqueum illi; & dicta Monaſteria, quæ prædicta bona recipient, ſe conjicerent. Nam præfati Superiores omni poteſtate ad dictas applicationes faciendas carent, & memorata Monaſteria abſque ullo titulo hujuſmodi bona poſſederunt.

56 Nec obſtat, quod Generalis, aut alius ſit ſuperior Ordinis totius, aut partis. Sic enim pronunciat. Nam bonorum unius Monaſterii ſola Communitas illius Monaſterii habet dominium, adeout nec alterius Monaſterii Communitas, vel totus Ordo, neque illius Generalis de prædictis bonis quiſquam habeat validè diſponere, cujus rei praxis nunquam in oppoſitum invenietur; additque neminem poſſe in illa bona, niſi ex privilegio Sedis Apoſtolicæ, ſuccedere.

57 Non refragantur rationes ſub initio in contrarium adductæ. Ad primam ſpecioſum argumentum, nec minus tamen vitioſum, ſub purpuriſſa latet ulcus. Si jure naturali, & Gentium Monachis ſolis danda ſunt Monaſteria, nulla de cauſa in alios uſus verti poſſunt. Jus naturale ſtat immutabile, nec eſt in Principe poteſtas contra jus naturale. Triſti igitur percelluntur ſententia omnes Pontifices, quaſi juris naturalis, & gentium violatores, nec minus damnantur omnes Ordines religioſi, quorum nullus eſt, qui non aliena poſſideat, ſi jus naturale eſt. Nam illud ſicut violari non debet, ita nec præſcriptione tollitur.

58 Religioſi, qui ante paucos annos profeſſionem fecerunt, ab hæreticis ſpoliati non fuerunt, nondum nati. Nam illa tum Monaſteria non habuerunt, & nunc profitendo in aliis Monaſteriis jus in illa ſpolia non acquirunt. In ſuo quiſque Monaſterio ſic vota nuncupat, ut non modò ad Regulam, ſed locum etiam obligetur, quam ſtabilitatem loci vocant. Ex eo loco, invito Prælato exire non poſſunt, nec ad alia ſe conferre, immò nec invitos ſine culpa cogere illos poteſt Abbas, ut aliàs ſe conferant. Nullum igitur jus habuerunt; nec ergo ſpoliati ſunt. Ad unum, non ad alia voto ſuo deſtinati ſunt.

59 Hæc Sacrorum Canonum regia via eſt. Sic libro tertio Gregorius Magnus tit. 36. canone 9. *Illud*, inquit, *etiam prohibemus, ne quis in diverſis Monaſteriis locum Monachi habere præſumat*. Gloſſa ſtringit amplius: *Nec Abbas*, inquit, *cum fratribus poteſt diſpenſare ut Monachus haberet locum in diverſis Monaſteriis*. Locum qui non habuit, loco ſpoliatus non eſt.

Si igitur ad Monaſteria jam olim occupata jus habent, proferant juris documenta, probent Pontifici nullum jus eſſe: Deinde novi juris rationem adiſſerant, qua Pontificem demonſtrent injuriosum. An ad Monaſteria omnia, & ſingula omnes, & ſinguli jus habeant, etiam ad illa, quæ a centum annis, & amplius alienata fuerunt? Legem indè producant, quæ Religioſis heri profeſſis, hæreditatem tantam ſanciat. Si non ad omnia, cur ad hæc potiuſquam illa? Si ad omnia omnes, cùm omnes poſſidere non poſſit, bellum erit inter omnes juſtum ab utraque parte. Omnes enim petent ſuum, & alienum. 60

At neque Abbates jus habent, nec totum Monaſterium in aliud ſuccedendi hæreditaria aditione poteſtatem habet. Hoc enim Canones vetant. Gregorius loco citato: *Nec unus Abbas pluribus Monaſteriis præſidere præſumat*. Hoc enim duobus modis fieri poteſt. Primus eſt, ut Cenſus Monaſteriis recuperati in vetera Monaſteria tranſfundantur. Hoc nec ipſi dixerint, & ſi dicant, fidem non facient. Separata enim ſunt, atque ut Canonicorum Collegia mutuo hæreditates non adeunt, ita nec Monaſteria. Nec majus vinculum eſt in Ordinis unius cœremoniis, quàm in Canonicorum eodem Sacerdotio. Alter modus juris eſt, ut Prælatus Monaſterii unius jus habeat in aliud deducendi colonias, novum Abbatem conſtituendi, illi juriſdictionem, & redditus donandi. Verum hìc redeunt eadem incommoda. Abbas non eſt dominus alterius Monaſterii, non habet in illud jus, niſi detur a Pontifice. Et cur hic potius, quàm ille? Pendent illa omnia a Pontifice. Nullus hic ſpoliatus potius, quàm alius. Nulla hic hæreditas, nulla ab inteſtato ſucceſſio. 61

Ordines ipſi, hoc eſt, Monaſteriorum incolæ multa per luxum, injuriam, hæreſim vendiderunt, dilapidarunt Eccleſiam Monaſteriis, templis, filiis ſpoliarunt, ex Clero multi, ex Monachis plurimi hæreſeon fuere Doctores. Nec eſt hæc contumelia, ſed veritas hiſtoriæ. Lapſa fuit diſciplina; ſicut populus, ita & Sacerdos, labes illa temporum fuit, & morum accuſanda illa ſunt, non reticenda, ut initia naufragiorum fidei cognoſcantur, orta ex moribus pravis. Vitia ſua Iſraeli exprobrant Prophetæ. Iſajas optimates, & Sacerdotes cum Populo pariter accuſat. Principes Sodomorum, & populum Gomorrhæ appellat. Hæreſim ſemper morum corruptelæ antecedunt. Illa confiteri neceſſe eſt, ne inficiendo impudentes, & impœnitentes videamur. Nimium de illis alii ſcripſerunt. Ordines quidem ſancti ſunt inſtituto, fine, regulis, vocatione, multorum pietate, & innocentia. Phariſæi domum orationis verterunt in ſpeluncam latronum. Ordinibus tribuitur, quod multi in Ordinibus fecerunt. Non tamen conſtantibus Apoſtatarum multitudo præjudicat, licèt hos, & illos Deus tentari ſinat. Captivus ductus eſt Iſrael, nec rediit. Judas poſt annos ſeptuaginta poſſeſſiones recepit. 62

Quæ licèt vera ſint, non tamen Ordines, qui refloruere, a vineæ cultura ſunt arcendi, immò vocandi, impellendi. Ea namque nunc ſunt tempora, ut Religioſi omnes etiam Eremitarum abditiſſimi in publicum prodire, & animas lucrari debeant. Nemo iſtud vetat. Doceant, qui poſſunt, hoc agatur, ut ſint quamplurimi, qui poſſint. 63

Porrò an Societas Jeſu a primævo ſpiritu, & fervore defecerit, an in priſtina gratia, & charitate perſeveret, homines inquirere amant, alienæ vitæ oculati cenſores, ſuæ pravitatis ignari. Quærunt & ipſius Societatis alumni, & ſuperiores. Quærunt, ut emendentur. Quærunt æmuli, ut exprobrent. Quærit Societas cum tremore, ſciens, quàm facile ſit labi, quàm periculoſum non progredi. Pluries audivi hac de materia in Congregationibus provincialibus & generalibus inquiſitum magna fide de conſcientia dictas ſententias, omnium fuiſſe judicium, ſocietatem hucuſque divina clementia, gratiæ cœleſtis adjutorio, ut numero, & locis, ita etiam ſpiritu laborum, & tribulationum patientia, fructuque in Domino creviſſe. Profectus ille benedictionis æternæ teſtis oſtendit, nondum adeſſe, quem æmuli ariolantur ſocietatis interitum. 64

Ordinum languor, vetuſtas, rugæ, & maculæ, vel in ipſis moribus, vel in curanda aliorum ſalute, adeòque in ſapientiæ ſtudio cernitur. Propriæ perfectionis ſtadium in Societate incrementa accepit. Nam ſi vota ſpectes, paupertas reddita eſt aſtrictior, & de illa nunquam laxanda omnes profeſſi ſingulari jure jurando obligantur. Caſtitati ampliùs proviſum eſt, manetque cura puritatis, quæ in prima eſt fundatione præcepta. Obedientia prompta quotidie exercetur 65

in

in officiorum, locorumque mutatione, in difficilium rerum, ut in Indicarum profectionum mandatis.

66 Ordinis in primævo flore, & vigore perseverantis indicium est, si Constitutiones, regulæque accuratè serventur, si nulla antiquata est, si omnes in usu sunt, si contra nullam impunè delinquatur. Hoc adeo in Societate agitur, ut quædam in Congregationibus generalibus etiam factæ sint strictiores, oratio, conscientiæ examen, usus Sacramentorum frequentior.

67 Judicio sancti Bernardi Ordines deficiunt, si Regulas veteres abrogant, leniores condunt, si olera in pisces, hos in altilia, si cilicium tenui lino, pannum rudem serico commutant, si hilariùs se invitant, si silentia rumpunt, si cellæ vertantur in aulam, quæ nobilium stationibus obsideatur. Societas nihil de pristino rigore lenivit, nihil novæ laxitatis admisit. Ordinem cognoscere lubet? In medio est norma, ad illam mores expende. Si ad amussim quadrant, ad perpendiculum structum est ædificium, si regulas, mores, vi sua, & pondere in alterutram partem inclinavere, in propinquo ruina est, si in monasterio vetus regula laudatur, novis moribus vivitur, pronè in casum animæ pendent.

68 Nulla ne ergo in Societate ruga? Nulla macula? Non est, neque fuit unquam Ecclesia sine macula, nec partes Ecclesiæ. Nemo sine vitiis nascitur, nemo vivit. Septies in die cadit justus. Hoc igitur ut sciamus, etiam si aliqua ruga sit, nihilo tamen minus floreat, vigeat. Homines sunt, si dicant peccatum se non habere, mentiuntur, & veritas non est in illis. An non alibi sint ulcera, vulnera, putredines? Difficulter sine culpa transigitur hoc ævum, mundus luti aspergine facilè tangit etiam cautos.

69 Itaque infirmitatis suę conscia vigilat, & gratiam exposcit, laboribus studiorum, cum discendo, tum docendo, otium tentationis fomitem excludit. Si venialis culpa committitur, domesticis pœnitentiis expiatur. Si graviùs peccatur, flagitia non tolerat, pœna, & missione plectit. Qui tales esse nolunt, aut exeunt a Societate, aut expelluntur.

70 Si de doctrina est quæstio, sanè perquàm magna est in Societate copia virorum Doctorum, tot in Academiis habet, tot in scholis illustribus professores loquuntur concionatores, & scriptores. Major nunc studiorum, quàm in principio cura, quia Collegiorum numerus crescit. Severius urgentur, accuratius examinantur, & quidem ante professionem a juratis Judicibus. In juventute sua erudienda singulæ Provinciæ in singulos annos multam summam, quædam uno anno viginti millia expendunt.

71 An autem Societas in curanda animarum salute deficiat? Mihi diligenti lectione constat ante plures annos in Societate fuisse personarum proportione minores labores, pauciores lectiones, conciones, catechismos, Congregationes. Omnia in dies augentur, præsertim missiones, cura ægrorum, captivorum, remigum, pauperum, Profectiones in Ætiopiam, utramque Indiam, Turciam, Angliam, Hollandiam, Septentrionem quotidiè magnis precibus, & flagitantur, & impetrantur. Quamvis autem quotidiana itinerum, & navigationum pericula mortesque nuncientur Sociorum, adeoque anno 1629. nova martyria, augetur tamen sancta aliorum voluntas, atque ad famem, opprobria, verbera, carceres, mortes alacriter anhelant, ut in aliis non sit major ad opulenta sacerdotia, aut Prælaturas concurrentium ambitus, quàm Societatis ad tristia pro Christo obeunda promptitudo, cui plurimum confert constans in honoribus repudiandis perseverantia. Nec Deus desinit incrementa dare. Ille enim, qui plantat, & rigat, nihil est: nam præter eos, qui in fide conservantur, singulis annis multa millia convertuntur, ut Annales ipsius Societatis docent ex fide scripti, & Sæcularium etiam testimonio probati. Hoc pro veritate breviter, pro Societate nimis copiosè. Ejus enim consuetudo est benefactis æmulorum vincere obtrectationes.

72 Ad secundam. Præclarè omninò, si Ordines sua esse probarent. Nam si ista ratio vim haberet, jam Pontifex spoliator Monachorum iret in vincula. Non enim continuò illos ad Monasteria recuperata admisit. Quædam enim sunt in sumptus belli contra Turcas, & hæreticos concessa, alia data Episcopis, nonnulla data aliis Ordinibus, quædam destinata Parochiis. Hinc nemo fieri injuriam putat Ordinibus, nec ipsi quidem Ordines. Nec ideo Monachi exiliis agantur, cùm suum quisque habeat Monasterium. Nec exulant inde ubi nunquam posuerunt pedem. Neque periculum est, ne Ordines excindantur versis alio paucis domibus. Cùm Ordines haberent, penè omnia, penè excisi sunt, cùm partem habuerunt, reflorescere quibusdam in locis cœperunt. Non pendent Ordines ex Monasteriis, at Monasteria ex ordinum disciplina. Hoc certum est, Monasteria non florere, cùm opibus, & magnificentia crescunt, sed cùm primæva regula, & pietas cordi est. Non fallit Divina Providentia, Dominicani, Franciscani, Carmelitæ, Reformati, Capucini, Carthusiani, Societas Jesu tantùm non obruuntur multitudine eorum, qui in Ordines illos adscribi cupiunt, suntque inter illos multi ingeniosi, illustres, etiam nobiles, diviteque. Ad illas opulentas Abbatias multis in locis pauci viam affectant. Quia Deus ad illos Ordines, in quibus primus spiritus, & integræ regulæ observatio viget, electos suos vocat; ad eos, qui disciplinam laxarunt, nequaquam tantam multitudinem deducit. Si ad primum institutum redeant, plura sperare poterunt, quàm unquam possiderent. Benedicet Deus magis novissimis, quàm primis.

Ad tertiam. Recuperator jus compensandi sumptus 73
habet, simul Advocatus est, & si bona illa posserore carent, & domino, potest ex suo arbitrio, si sæcularia; ex suo, & Pontificis arbitrio, si Ecclesiastica sint, disponere. Jus illud Pontifex eripi sibi non permitteret, multo minus finem injustitiæ, & sacrilegii insimulationem impunitam. Non sunt Sacrilegi Benedictini, qui Augustinianorum Monasteria possident, nec Cistercienses, qui Benedictinorum, nec Franciscani qui utrumque. Si donator sacrilegus pari loco possessores habendi sunt, Dei bona, & Ecclesiæ, & Sanctorum a Vicariis Dei divino honori, Ecclesiæ utilitati, Sanctis dicantur, cùm optimè expenduntur. Si ratio temporis permittit, ut Deo gloriosiùs sit concione, lectione, catechismo, aliisque officiis nomen ejus potiùs, quàm cantu, & cœremoniis celebrari, dabunt Dei Vicarii illis, qui Majestatem ejus maximè notam hominibus prædicando verbo facient. Deo gratissimum est sacrificium, quo animarum lucra immolantur hac utilitate cantus, aliaque facilè pensantur. Quis verò cultus sit gratior, non est privatorum judicium, sed Pontificis. Si justa est causa, bona Ecclesiæ Sancti Petri possunt dari Ecclesiæ Sancti Pauli. Quamquam ad rem præsentem illa quæstio non pertinet. Nam manent bona Ecclesiæ suæ suis Sanctis, & in primis Deo; personarum dumtaxat est, & cœremoniarum quarumdam mutatio. Jam usitatum est in Ecclesia Ordinibus Ordines substitui. Ex Monasteriis Episcopatibus succurritur, & Parochiis, dantur commendæ benemeritis, & accipiuntur. Hæc omnia sacrilegio deputare hominis est leges ignorantis.

Ad quartam. Exempla singularia non conficiunt ge- 74
neralem propositionem. Nam post illa exempla mille factæ sunt translationes Monasteriorum. Deinde in exemplis debent esse similia, hìc omnia sunt adversa. Lanfrancus Monacos pulsos restituit, benè viventes, eosdem, qui per injuriam pulsi erant; nulla idonea causa mutationis erat, tantùm major apparatus, & magnificentia prætendebatur. Clerici vitæ dissolutioris erant. Non jam agitur de eliminandis Monachis, sed potestate Ecclesiæ in Monasteria vacantia, & reprimenda eorum cupiditate, qui sibi deberi ea tanquam postumis hæredibus imaginantur, nec ullas alias Ecclesiarum necessitates respiciunt.

Tertiò. Hoc sanè memorabile, quod Pontifex Cœ- 75
lestinus Tertius jussit: *Ut sine alicujus quæstionis impedimento Monasticum Ordinem ibidem reformet, & tales constituat personas, quæ Sancti Benedicti Regulam servare debeant, & desiderent.* Si igitur Pontifex licèt in causa dissimili mittat, qui in Monasteriis jam florentibus sine quæstionis impedimento reformet, & regulam primam reducat, tum verò reformatos in nova templa deducat, novos animos, qui in novitate vitæ antiquitatem Regulæ Sancti Benedicti observare & debeant, & desiderent, & in Ordine quidem Sancti Francisci facilè reperiet. Quis hodie servat in Germania Regulam Sancti Benedicti? Regulam integram, laxitate non interpolatam? Qua fronte petitur Monasterium Sancti Benedicti ab illis, qui Regulam rejecerunt, Regulam carnes vetantem, jejunia multa imperantem? Nolo eum in modum argumentari. Si tamen ex authoritate Cœlestini universalis concluso deducitur, eaque ad eos, qui pulsi non sunt, extenditur, retinenda est etiam reformationis conditio, & observatio totius Regulæ, quam omninò exigere debet Pontifex. Nec in novis Monasteriis permitti oportet, ut Regulæ fundatorum concupiscentiæ Fratrum attemperentur, tum

quia poſteà reformatio difficilis erit, tum verò, quia apud Neophytos gravis offenſa orietur, ſi videant ſe Benedictinos habere Regulam Sancti Benedicti non obſervantes, Profeſſione, & vita pugnante.

76 Dunſtani factum hìc planè alienum eſt. Si tamen viri Sancti ſententia, ſi miraculoſum oraculum audimus, Pontificis authoritatem defendemus. Hiſtoriam refert Vveſtmonaſterienſis, Beda, & Osbertus. Garus Rex Clericos concubinarios expulerat, poſt ejus mortem, *Principes plurimi, & optimates expulerant Abbates, & Monachos de Monaſteriis, & Clericos, ut priùs, cum uxoribus induxerant.* Super hac re Vvintoniæ indicta Synodus eſt, cui nobilitas, Rex cum Regina adfuit. Quid actum ſit, ita ſcribit Osbertus; *Surgunt hinc inde lites, quas Dunſtanus propoſitis rationibus deſtruit omnes. Rationabiliter quippè cunctis oſtendit, Clericos, qui ſorte Dei incorrigibiliter per pravitatem vitæ ſuæ deſiliunt, nihil per rectitudinem ſibi vindicare poſſe ex iis, quæ Eccleſiis data ſunt in ſubſidium eorum, qui in Clericatu pura converſatione ſe cuſtodiunt. Quibus auditis omiſſa controverſia eſt.* Cùm nihilominus pro Clericis orarent Rex, & Epiſcopi, Dunſtano ſilente, imago Chriſti crucifixi reſpondit. *Non fiet, non fiet, judicaſtis bene, mutaretis non bene.*

77 Hiſtoriæ primum conſectarium eſt, miraculo comprobatum eſſe factum Gari Regis, qui improbos Clericos expulit, Monachos ſubſtituit, & poſſe pari modo, Monachis expulſis, ſi ſorte Domini per pravitatem vitæ deſiliant, Clericos ſubſtitui, niſi Monachi ſibi ſecuram vitæ pravitatem Clericis damnoſam eſſe velint. Secundum hìc rem inter præſentes agi, inter pulſos, & ſubſtitutos non eſſe mentionem vacantium Monaſteriorum poſt annos octoginta, & ampliùs recuperatorum. Tertium poſſe eodem modo in Monaſteria vacantia induci Clericos, Parochos, fieri ex illis Seminaria, Epiſcoporum neceſſitatibus donari, ſtipendiis militum contra Turcas, & Hæreticos aſſignari, ubi alia deſunt. Non cenſeo facilè Monachos pellendos, nec tamen Pontifices damnare neceſſe habeo, qui aſperiora adhibenda remedia cenſuerunt, cùm ad frugem reduci leviter non poſſent. Ea de cauſa Othoni III. ſignificatum eſt, ut potiùs Monachos corrigeret, quàm expelleret. Non enim in eos ferro, & igne ſævire medicus debet, cùm malagmate, & malva ſanare poteſt. Otho de præſentibus egit, non eadem eſt ratio vacantium, atque ad nullos pertinentium. In illa mali admittendi non ſunt, nec modò boni, ſed optimi, qui Regulas integrè ſervent. Tales quærendi ſunt, etiamſi a Gadibus uſque accerſendi ſint.

78 Ad quintam. Summus Pontifex, Advocatus, Protector, Procurator eſt, immò Liberator, Redemptor, Emptor quaſi novus fundator, ut Monaſteria ſua jura retineant, & Religioſi, qui in illis rebus vota fecerunt, inviolabiliter Regulam Sancti Benedicti, Sancti Franciſci, Sancti Bernardi obſervent. At Monaſteria præſertim vacua, quæ jam in manus Eccleſiæ reciderunt, vel dari Ordinibus, vel aliis poſſunt. Alioquin jure ſuo Pontifex privaretur, ſi illa, quæ tanta cura, & ſumptu acquiſita ſunt, non poſſet ob cauſas, quas juſtas eſſe ſentiat, aliò vertere.

79 Ad ſextam. Falsò citantur jura, ut Pontifex de injuria ſugilletur. Non habet Gregor. lib. 3. titul. 50. canon. 7. *Lapſum, aut recuperatum.* Verba ſic habent: *Relatum eſt, quod Monachi de N. ſæculariter vivant, & alios exemplo ſuo corrumpant; ideòque mandamus, quatenus eos ad obſervantiam Regulæ, appellatione remota, compellas. Vel ſi tibi reſtiterint auſu temerario, eis ejectis, fratres alterius Ordinis, ſi non poteſt præſcriptum Monaſterium in ſuo Ordine reformari, in illud inducas, ut labores impiorum juſti edant, & illi tamdem rubore ſuffuſi ad ſui Ordinis obſervantiam revertantur.* Nihil hìc de Monaſteriis poſtliminio Eccleſiæ recuperatis agitur, ſed de Monachis malè viventibus. Alia eſt eorum ratio, quæ tot modis in poteſtate ſunt Pontificis, cujus conſcientiæ incumbit, ut populis fidelibus, & convertendis quamprimum, quàm maxima ſubſidia conferat. Eadem ratio eſt lib. 5. tit. 36. ubi prohibentur Monaſteria ad ſæculares Clericos transferri, ſi per Regulares potuerint eſſe ordinata. Hìc non agitur de illis, quæ inordinatos habent Monachos, ſed præſertim quæ nullos. Et de neceſſitatibus Eccleſiæ plurima translata ad Clericos ſæculares teſtantur hiſtoriæ.

80 Quod verò dicitur, non quærendum, quis ordo perfectior, aut utilior, utrumque in Monaſteriis, quæ poſſidentur, tolerabile eſt. Nec enim expellendus ordo eſt imperfectior, ut cedat perfectior. At in recuperatis, quæ habet in ſua poteſtate Pontifex, nolle eſſe perfectiores, ſed imperfectiores, magna eſt imperfectio. Nolle autem eſſe eos, qui conſideratis circumſtantiis, ſunt ad convertendas animas utiliores, etiam culpa eſt. Nec jam quæro, quis ordo ſit perfectior, nec ambitioſæ quæſtioni Pontifex eſt implicandus, ſed credatur Papæ, quos putet eſſe Religioni propagandæ magis idoneos.

Ad ſeptimam. Illa quoque ratio nimium probat, 81
ideo nihil probat. Si enim diris devotus quiſquis ob cauſas legitimas a verbis Fundatoris, ſervata ejus mente diſcedit, nemo penè Pontificum, aut Epiſcoporum extra culpam eſt. Omnes hodiè etiam Religioſi ſub maledicto vivunt, qui in Monaſteriis aliorum Ordinum ævum agitant.

Falſa, & erronea eſt illa propoſitio, non poſſe ob 82
majus bonum fundationes mutari. Aliud ſanxit Eccleſia, uſus habet, Doctores probant. Multæ fundationes ſunt mutatę, etiam Pontifex quędam Monaſteria permiſit in ſęcularium Clericorum manſiones verti ad majus malum evitandum. Sixtus Quintus ita fecit, ut conſtat ex ejus Bulla, cujus exordium eſt, *Super univerſos, &c. Eidemque Eccleſiæ in Epiſcopalem erectæ, ſic in Cathedralem inſtitutæ, pro ſua, ſeu menſæ ſuæ Epiſcopalis dote, Monaſterium Beatæ Mariæ de Monte Sancto Ordinis Sancti Benedicti Aſculani dictum, certò quem haberi volumus pro expreſſo modo vocari, ſimiliter perpetuò unimus, annectimus, & incorporamus, &c. Datum Romæ anno Incarn. Domin.* 1586. 8. *Kalendas Decembris.*

Idem Pontifex Sixtus Quintus in Bulla, quę inci- 83
pit: *Inter cæteras*, ſic ait: *Cùm autem Prioratus Sancti Antonii Bononienſis Ordinis Sancti Auguſtini, ex eo quod dilectus filius Antonius Giarderinus, ſeu Glaverinus, illius Prior eumdem Prioratum, quem tunc, ſeu nuper obtinebat, aut in quo, vel ad quem jus ſibi competere aſſerebat, reſignavit, & ſuo juri ſibi competenti ejuſmodi ceſſit in manibus noſtris ſponte ad effectum infraſcriptum, & aliis libere, noſque reſignationem, & ſucceſſionem hujuſmodi duximus admittendam per reſignationem eamdem apud Sedem Apoſtolicam, vel alias certo modo.*

Et mox: Nulluſque de Prioratu Sancti Antonii, quatenus per dict. reſignationem vacat de Eccleſia, ſeu Capella Sancti Joannis Evangeliſtæ, necnon Capellania, & beneficiis præfatis pro eo, quod nos dudum omnes Prioratus, ac ſimplicia, cæteraque beneficia Eccleſiaſtica cum cura, & ſine cura ſæcularia, & quorumvis Ordinum Regularia apud Sedem prædictam, & in antea vacatura, &c.

Et infra: *Nos pium, & fructuoſum opus hujuſmodi, quod dubium animo revolvimus, eamdem ad debitum effectum perducere, congruiſque redditibus, ac ſpecialibus favoribus, & privilegiis communire, &c.*

Item infrà: *Motu proprio, non ad Rectoris, & ſcholarium prædictorum, vel quorumcunque aliorum ſuper hoc oblatæ petitionis pro nobis inſtantiam, ſed de mera deliberatione, & ex certa ſcientia noſtra, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, ſive Monaſteria, & Prioratus Eccleſiæ ſine cura, ſeu Capella, Capellania, & beneficia prædicta, quorum inſimul, & illis forſan annexorum fructus, redditus, & proventus, &c.*

Et paulò poſt: *Prioratum videlicet Sanæi Antonii prædictum, illiuſque nomen, titulum, & denominationem, ac quodcunque onus hoſpitalitatis ibidem forſan exercendæ, & tàm in eo, quàm in Monaſteriis Prioratus Sanctæ Mariæ hujuſmodi, illorumque Eccleſiis, clauſtris, domibus, membris, ædificiis, & pertinentiis, prædictos S. Bernardi, S. Auguſtini, & S. Benedicti Camaldulenſium, & ſi qui ſint alios Ordines, omnemque ſtatum, eſſentiam, & dependentiam Regulares Apoſtolica authoritate tenore præſentium perpetuò ſupprimimus, &c. Anno Incarnat. Domin.* 1588. 15. *Kalendas Decembris, anno quarto.*

Execrationes Fundatorum, & fulmina in violato- 87
res, raptores, expulſores, detentores injuſtos vibrantur, non in Pontifices recta ratione bona Eccleſiaſtica diſpenſantes. Nemo fundatorum conditiones poſuit futuris Pontificibus, ut ſi Religioſi malo exemplo viverent, non poſſent expelli. Si Monaſteria diruta ſpoliata recuperarentur, non liceret in alios uſus magis neceſſarios, utileſque Eccleſię convertere. Neminem illa voluiſſe certum eſt. Contra Pontifices enim, & commune bonum ſtatuiſſet. Nec ratio, neque lex Dei permittit. Nemo Fundatorum hoc expreſſit, quod eſt ſignum non voluiſſe. Nec enim ideò omiſerunt, quod non occurreret, cùm ſcirent id juris eſſe, & plurimis locis factum meminiſſent, & fieri viderent.

De

88 De illa igitur voluntate, quæ judicio careret, & pietate, fruſtrà vaticinatur obtrectator. Quis Fundatorum aliquando ita ſenſit; mortem æternam illi imprecor, qui malos Monachos ejecerit, bonos ſubſtituerit?

89 Ad octavam. Antiquis Religioſis plurimùm dubio procul illa determinata intentio obſtatura eſt. Si enim in execratione ſunt, & maledicto, qui illas intentiones mutant, neſcio quomodo ſalvi eſſe valeant, qui eas nulla Eccleſiæ, aut publica neceſſitate mutarunt, v. gr. Fundatum eſt Monaſterium Sancti Benedicti, multæ in illo Regulæ jam non ſervantur. In Regula Sancti Benedicti ſcriptum eſt: *Carnium eſus infirmis, omninòque debilibus pro reparatione concedatur; at ubi meliorati fuerint, a carnibus more ſolito abſtineant.* Et alibi, ut omninò abſtineatur, *præter omninò debiles, & ægrotos, ab Idibus Septembris uſque ad caput Quadrageſimæ jejunetur.* Veſtis quoque vilis præſcribitur, linea, plumaque vetantur. De carnibus etiam eſt de conſecr. diſt. 5. *Carnem cuiquam Monacho nec guſtandi, nec ſumendi eſt conceſſa licentia. Non quod creaturam judicemus indignam, ſed quod carnis abſtinentia utilis, & apta Monachis æſtimetur, ſervato tamen moderamine pietatis erga ægrotos. Quod ſi quis Monachus violaverit, & contra ſanctionem Regulæ, uſumque veterem carnibus veſci præſumpſerit, ſex menſium ſpatio retruſioni, & pœnitentiæ ſubjacebit.*

90 Hæc, atque alia certa determinata Monaſterii Fundator eſſe voluit, ſub execratione ſuam intentionem ſanxit. Vel ergo Ordines antiqui ad illa obligantur, vel non. Si illi jam olim ſe liberarant, & intentionem in melius mutarunt, illud neceſſariò conſequitur. Quicumque certam, diſertam, unicam, determinatam ad veſtes, ad cantum, ad cibos, &c. intentionem non ſervat, ille diris devotus eſt. Non poteſt eſſe Monaſteriorum ad illa certa diſertè, unicè, vix mutabiliter determinatorum particeps. At antiqui Ordines aliqui iſta non ſervant. Non modo igitur non poſſunt ad recuperata Monaſteria admitti, ſed niſi ſeſe reformari patiantur, poſſunt etiam a ſuis, quæ poſſident, expelli, ut conſtat ex can. ſupra producto, & clarius ex eadem Gloſſa.

91 At dicent, uſu, & conſuetudine ſic fieri ſolet, diſpenſatum eſt. Non repugno, uſus edendi carnem Regulam vicit, intentionem Fundatoris mitigavit, diſpenſatio ſuſtulit. Et cauſa quæ? Ut mollius haberentur Religioſi. Hic intentio cedit infirmitati, cupiditati, an non poterit mutari in melius a Summo Pontifice? An illi privilegia ſine onere uſurpare fas putant, Pontificem non poſſe mutare in melius, dicere audebunt?

92 Ad nonam. Peſſimè de Religioſis Ordinibus mereretur profana argumentatio, Ordines inermes, & in preces noctes, ac dies intenti bellum Pontificibus non movebunt. Nimium atroces illæ minæ motum non incutiant. Contra Pontifices inſurgent, ut illis jus ſuum, quod hactenus in forma Eccleſiaſtica exercent, per ſeditionem extorqueant. Non ſunt ex illis Quiritibus, qui ob prædam iniquè diviſam Camillos ſuos accuſent. Non vertent in Socios arma exemplo Ætolorum propter inhonoratam belli ſocietatem. Injuria infertur viris Religioſis, qui ita animo comparati eſſe debent, ut ſi ſua ſibi eripiantur, de rapina bonorum gaudeant, non quærant aliena, & publica commoda ſoli.

93 Non eſt igitur cauſa bellandi, ubi non eſt injuſta cupido habendi. Nemo tàm ignarus eſt juris, & æquitatis, ut ſibi contra Pontificis judicium vindicias non debitas dari velit. Tot Ordines aliena Monaſteria ſine prælio & ſanguine obtinent, tot in Canonicatus tranſierunt, cum nemine repetundarum agitur, nemo de alieno locupletari quærit.

94 Ad decimam. Famæ Ordinum conſulendum eſt, illa tamen læditur translatis aliò paucis Monaſteriis, ſi optima quæque illis donentur. Nam primò, tot mutilationibus olim, & noſtro ſæculo factis manſit Ordinibus ſuus honor, dignitaſque.

95 Secundò, cui plus tribuitur ex publico, magis honoratur, ſi Ordines poteſtatem Pontificis agnoſcant, & ſe non eſſe hæredes intelligant, magno ſe honore, & gloria condecoratos exiſtimabunt.

96 Tertiò, nemo mirabitur, ſi Epiſcopis obæratis, & Parochiis illa dentur, quæ jam Eccleſiæ ſunt. Neceſſitas major tollit opinionem contemptus. Nemo indignari poteſt, ſi non ornatur eo ſumptu, qui alteri ad vitam eſt neceſſarius.

97 Quartò, Ordines honori ſibi ducunt, ſi ex ſuo corpore Religioſi ad Epiſcopatus aſſumantur, ſi quædam Monaſteria in Epiſcopatus evehantur, nec intentionem Fundatorum, nec jura Ordinis objectant. Cur igitur ægrè ferrent quædam Monaſteria Cardinalibus, Archiepiſcopis, Epiſcopis cedere, & hìc ſuam famam periclitari?

98 Quintò, pauca dantur, ut reliqua ſerventur, quod prudentia eſt, non contumelia.

99 Sextò, Ordines etſi magnum fortè, non ſufficientem tamen numerum operariorum in vineam Domini mittere, Moniales nullos dare poſſunt. Non igitur ignominioſum eſt Socios, & auxilia admittere, faciunt hoc quoque Reges, & Principes.

100 Septimò, facilè famam tuebuntur, ſi oſtendant ſe non invitos, ſed alacres videre fructum, quem alii ferunt.

101 Denique non ideo Ordo vetus inutilis, ſi illi novus adjungatur. Utile triariis decus caſtrorum, ſunt tamen in pretio Principes, & haſtati, etiam vetiles ſuas partes agunt.

102 Vehementer culpandi ſunt qui Monachos, Eccleſiaſtarum decora, & columina inutiles vocant. Qui orationi, & contemplationi deditos, mundum precibus ſuis ſuſtentantes appellant inutilia terræ pondera. Non premunt illi terram, ſed erigunt, qui inter ſcelerum clamores in Cœlos uſque ſonantes bona verba, & ſuſpiria ad thronum Dei emittunt. De Ordinibus antiquis, & novis ſemper malè loquuntur hæretici, quorum ſcommatis applaudere tàm crimen eſt, quàm ſcommata proferre. Loquuntur malè etiam nonnulli Catholici, alii affectu malo, ut illis de fama detrahant, ſe vindicent, homines alienent. Loquuntur alii bono affectu, vel ad veritatem hiſtoriæ, cum nota peccata recenſent, ut Trithemius, Baronius, alii Scriptores etiam Ordinum conſortes vel ad monendum, ad increpandum, ad emendandum, ut Bernardus, aliique innumeri.

103 Ad decimamprimam. Magnæ, & laudatiſſimæ ſunt Monaſteriorum eleemoſynæ, Collegiorumque proportione cenſum non minores. Verum illa propria ſunt jactantiæ, quàm virtutis; odia hæreticorum in Societatem gravia ſunt, at ubi eam de propinquo noverunt, tanto major charitas quam omnibus locis etiam teſtibus Principibus oſtenderunt. Si Patres Societatis ob paucitatem ſatisfacere non poſſent, nec Religioſi antiqui, quid ſupereſt, niſi utrique pro virili laborent? Sibi aſſiſtant mutuò.

104 Ad decimam ſecundam. Publico conſilio tales conquirendos, & judicandos, damnandoſque cenſeo, qui in tanta operariorum indigentia Religioſos removendos exiſtimant; qui opus Domini facientes nominant inſtituti ſui violatores. Si qui ſolos ſe vocatos exiſtimant, ſi qui ſe ipſos vocant, ſi non vocati currunt, anathema. Nuſquam legi, Monachos non poſſe fieri Sacerdotes, non habere poteſtatem abſolvendi, & ligandi. Hereſis eſt jam olim a Bonifacio damnata. Quare ſi repullulat, producantur ejus inſtauratores, & puniantur, audiendi tamen ſunt. Nam famam adverſam peſſimus quiſque facillimè ſpargit, & autor famoſi ſcripti fallax eſt, aut falli facilis.

105 Conſtat, quoſdam Monachos contemplationi deditos in curiam animarum docendo non incumbere, ſed orando. Quo ſenſu dixit Hieronymus, Monachum non docentis, ſed plangentis habere officium. Qua de re videatur *qu. 1. cauſ. 16.* Nam inſtitutum Monachorum ſolitudinis eſſe Canones docent, & conſtat ex tota quæſtione. Ea de cauſa Sanctus Benedictus Monaſteria ferè in locis ſolis, non Urbibus extruxit, ne quies Monachorum turbetur. Immò cap. 66. ita decernit: *Monaſterium autem, ſi fieri poteſt, ita debet conſtrui, ut omnia neceſſaria, ideſt aqua, molendinum, hortus, priſtinum, vel artes diverſæ juxta monaſterium exerceantur, ut non ſit neceſſitas Monachis vagandi foras, quia omninò non expedit animabus eorum.*

106 Multa de his cavent Pontifices, quæ cùm ita ſint, manifeſtum eſt inſtitutum Monachorum fuiſſe, non verſari in Eccleſia, & publico, more Doctorum, & Clericorum. Factum eſt tamen neceſſitate primò, deinde utilitate, ut ad docendum adhiberentur, ut Gloſſ. *in can. ſupracit.* exponit. Qui autem Sacerdotes ſunt, meritò ad concionandum vocantur.

107 Summo in periculo ſunt, qui ſeipſos quodammodo vocant, ſeu obtrudunt, hoc eſt agunt aliqua arte, marum agatur, Prælati eſt examinare, an zelus ſit ut exire liceat, Parochias adminiſtrare, gentium converſioni vitam impendere. Quod ſi verò zelo aniſecundùm ſcientiam, ſi tædio ſeverioris diſciplinæ, & vitæ liberioris cupidine, non alienam ſalutem, ſed ſua ſolatia quærant, ſi non ceciderunt, certè exitio

sunt proximi. Quare magnoperè hortor Ordines, ut in tanto negotio mittendi rationem a Societate minima cognoscere ne vereantur. Nunquam suos illi mittunt, nisi legitimè vocatos, literis instructos. Ut verò idoneos habeant, quamplurimos ab ipso novitiatu instruunt, exercentque, semperque inculcant illis verba Constit. c. 2. Sum. *finis hujus Societatis non solùm saluti, & perfectioni propriarum animarum cum divina gratia vacare, sed cum eadem impensè in salutem, & perfectionem proximorum incumbere*. Nec ad loca sola relegantur, non includuntur, sed illis dicitur: *nostræ vocationis est diversa loca peragrare, & vitam agere in quavis mundi plaga, ubi majus Dei obsequium, & animarum auxilium speratur*.

108 Ad decimam tertiam. Verissima sententia, importuna tamen, immò percalumniosa. Nam in certamine, quasi adversario alicui Pelagianismum penè objicit, & fingit, quod oppugnet. Nemo est, qui non contrarium affirmarit. Exemplo patefaciam. Nemo negat in Societate Jesu ingeniorum, studiorum, eloquentiæ, eruditionis magnam duci rationem. Eadem tamen Religio illis ornamentis minimum tribuit, ut est in Constit. 16. Sum. & Concionatoribus ipsa hunc in modum concionatur Regul. 2. concion. *Memores sint vocatos esse ad reducendas animas suo Creatori, quod cùm sit opus omnium difficillimum, summo studio media illa adhibeant, quæ instrumentum cum Deo conjungant. Ejusmodi solidæ virtutes, ac præcipuè charitas, pura intentio divini servitii, familiaritas cum Deo in spiritualibus devotionis exercitiis, & zelus sincerus animarum ad gloriam divinæ Majestatis*. Et regul. 16. *Ea quæ dicturi sunt, peculiari a Deum recursu paranda esse*. Immò Reg. 20. affecta verborum lenocinia prohibentur.

109 Itaque comparanda est fœminarum solitaria devotio, & concionatoris charitate ardentis, oratione pietate, zelo, lacrymis, ciliciis, ornata eloquentia. De pectore Domini, de sanguine Christi, sermo christiani purpuretur, ad populum peroret, cùm Deum supplex exorarit. Doctrinæ labor, & industria devotionis exercitiis servefacta, non linguæ volubilitas comparanda est. Nec modo respicienda devotio, sed Dei præceptum. Pontifex divina lege obligatur, populis suis de Pastoribus, Doctoribusque ut quàm optimè instruantur, providere, ac proinde hoc agere, ut qui Evangelium annunciant, de Evangelio vivant.

110 Non ambigo, multos non minùs alacriter sine voto facere, quàm alios cum obligatione. Nullius libertati præjudicat aliena jurisjurandi obligatio. Tenenda est tamen Theologorum sententia, qui docent, opus ex voto, quàm libera voluntate esse præstantius. Ipsa enim vovendi libera voluntas nobilissimum est opus. Qui absque voto benè agit, sibi libertatem non agendi reliquit. Qui vovit, potestatem suæ voluntatis Deo obtulit. Votum non præjudicat alienæ libertati, arctius tamen Deo conjungit, quàm aliena libertas. Voti autem præstantia ex eo cernitur, quod non ad certa loca, aut tempora, sed ad omnia obligat etiam cum vitæ periculo conjuncta. Nam votum illud utramque ad Indiam, Æthiopiam, Sinas, Japones, Turciam, Angliam, & alias Regiones Arctoas pertinet. Ad ista vocantur, qui Societati nomina dant. Atque hoc est singulare institutum illorum Clericorum, qui votis obligantur Societatis, adeòque quotidie in messes periculosas mittuntur, & ipsi metuntur navigatione, peregrinatione, carceribus, famæ, siti, gladio consumpti. Nec Superiorum duntaxat, sed Pontificis quoque jussu professi obtemperare debent. Alii possunt ista facere, & nonnulli faciunt, Societas non potest recusare.

111 Ad decimamquartam. Docto jam sæculo vivitur; verùm in tanto numero eruditorum non abundat numerus eorum, qui se animabus convertendis impendunt. Memini quasdam Religiones vix ullum, alias unum, magnas illas non multos misisse ad culturam Vineæ Domini Sabaoth. De penuria Operariorum magna est ubique querela Episcoporum. De multitudine reflorescentium cœnobiorum nondum Ecclesia sensit multitudinem docentium, nondum tot exierunt in Oppida, & Pagos, ut vel dimidiam partem excolere valeant. Multi domi resident, officiis Monasterii detenti, alii in Choro canunt, non omnibus est eruditio, aut facultas docendi. Unum aliquod Monasterium abundat, in aliis ferè omnibus sunt aliqui docti, qui tamen, ne nemo sit doctus, in Monasteriis retinendi sunt.

112 Ad decimamquintam. Benedictus, Deus qui tales viros dedit, conservet, augeat, ut non modo in vicinis pagis sese exerceant, sed in longinqua penetrent, & pericula pro Christo subeant, inter Acatholicos versentur, artibus eorum non circumveniantur. Non enim Oceano se credere præsumet, si quis audet in exigua ludere linter aqua. Pleraque Societatis Collegia in singulos annos conversos a Deo multos habent. Una Provincia ad Rhenum biennio duodecim millia, alio uno anno octomilia ad fidem deduxit, de Dei gratia miserentis, & præter hos, multos in Comitatibus, & dominiis reformatis. Nemo ista imputet, omnia Domino debentur accepta. Gratis ista faciunt Monasteria, dilaudo. Gratis facit Societas, operariis alimenta dat Monasterium; nam ferè ex vicinis Parochiis census, & decimas accipit; ubi longius absunt, de Evangelio ut vivant, jubet Societas.

Ad decimamsextam. Bonum factum paucis locis 113
docent, succurrere pluribus non est facile. Provincialem quemdam Societatis interrogavi de occupationibus Provinciæ, in qua sunt quatuordecim Collegia, aliquot Residentiæ, & Seminaria. Respondit, Professores Theologiæ viginti octo, sacræ linguæ quatuor, Philosophiæ viginti tres, Græcarum literarum nonaginta, Humaniorum literarum centum quadraginta, Concionatores quinquaginta octo, in Congregationibus quinquaginta tres, Catechistas centum quinque, Confessarios quingentos, præter eos, qui ægris, pauperibus, captivis, adesse solent, qui aliis functionibus occupantur, inter quos multi sunt, qui laboribus vires fregerunt, qui varia loca obeunt, ut populorum saluti consulant. Possunt illi magno numero succurrere Provinciis, adscitis ex Italia, Belgio, aliis locis, qui auxilia præbeant.

Iterùm igitur expendant Religiosi, an ipsi soli pos- 114
sint ista præstare, an non expediat alios admittere? Nec ignoro in præbendis uni accademiæ professoribus non deesse Monasteriis difficultates. Deinde Monasteria, quæ ferè extra Urbes sunt, non possunt ista præstare. Non enim eò juventus venire potest. Aliquos Magistros præbere valent, centurias constituere arduum est, præsertim cùm ad docendum non ingressi sint Monasteria plerique, sed primarius finis sit in cantum.

Ad decimam septimam. Aliud judicium est Pontifi- 115
cis sine affectu judicantis, per gymnasia reduci posse Religionis integritatem. Illa igitur opinio abit a communi sensu, & veritate. Hæretici quot Academias erexerunt, quot Scholas illustres? Ipsa Monasteria non nisi ex scholis refloruerunt. At mittantur ad unam Academiam multi, ut studia nationum accendant igenia. Ignari rerum sunt, qui ista suadent.

Nam tenui re homines non facilè in longinqua 116
mittere liberos possunt. In magna multitudine magnæ sunt corruptelæ, & peregrina vitia faciliùs, quàm bona discuntur. Plus proficit numerus mediocris. Ipsa Monasteria ad vicinas Academias mittunt suos alumnos, non in longinqua missuri etiam eam ob causam, quod in magno nationum numero laboriosa est disciplinæ custodia. De numero discipulorum ementiens est inspectio. Provinciæ tres, Germania superior, duæ Rhenanæ discipulos numerant viginti duo millia. Alibi plures, alibi pauci. Ubique est operæ pretium. In Monasteriis interdum quinque, aut sex sunt, ex Religiosis discipuli, nec tamen ideo non docent.

Vix, & magno labore Collegia Societatis onera 117
sua sustentant, hactenus tamen sine querela, & cum fructu præstiterunt, quæ susceperunt. Non possunt omnibus locis adesse, nonnulla recusare coguntur. Causa est, quod inopia rerum ex illis, qui nomina sua dant, multos, etsi indole, ingenio, virtute præditi sint, admittere non valeant, ne domos, & Collegia ære alieno gravent. Deinde longo plerique tempore in studiis versantur.

Ad decimam octavam. Principes bello exhausti ne- 118
gant se posse, hoc idem judicat Pontifex. Frustra obloquitur contra Christos Domini audacia. Populi Doctores suos alere tenentur; jam decimas cùm dant rerum suarum, non videntur ultra rogandi. Decimas multas Monasteria possident. Saraceni hostis externus erat, ad eos concionatores mitti non potuerunt. Primi Apostoli sine Parochiis docuerunt, Parochias instituti jusserunt, sequuta sunt Monasteria. Jam ex legibus Ecclesiæ constitutæ agendum est.

Præbendæ Sæculares quidem dari possunt in subsidia 119
necessitatum communium.

Atque hæc pro defensione potestatis Summi Pontificis dicta sint.

Hæc autem omnia praxi confirmantur. Nam sapien- 120
tissimus

tiſſimus Pontifex Gregorius XIII. præ cæteris quam-
plurima Monachorum Monaſteria in Germania ſuppreſ-
ſit, eaque in Collegia, & Seminaria convertit, Pa-
tribuſque Jeſuitis ad bonum Reipublicæ natis tradidit,
ut in doctrina, moribus, ac Fide Catholica juventu-
tem Germanicam inſtruerent. Quod munus feliciſſimè
adimplent.

121 Hinc cognoſcens idem Pontifex uberrimos fructus,
qui ex his Collegiis, ac Seminariis percipiuntur, plu-
rima in Orbe Chriſtiano, etiam in utriuſque Indiis ere-
xit, ipſiſque Patribus regenda commiſit, ut etiam in il-
lis naturæ latebris lucem Evangelicam diffunderent, &
homines moribus humanis, hoc eſt Romanis imbue-
rent.

In Collegio Gregoriano
Ad depictam ejuſdem tabulam.

Gregorio Decimotertio Pont. Max.
Hujus Collegii Fundatori
Societas Jeſu; Ampliſſimis
Ab eo privilegiis munita,
Et ingentibus aucta Beneficiis,
Univerſa in hoc totius Ordinis
Seminario
Parentis Opt. memoriam
Tanquam grati animi
Monumentum
Pos.

In Collegio Græcorum.

Gregorius XIII. Pont. Max.
Catholicæ Fidei propagandæ ſtudio
Colleg. Grecorum inſtituit, donum
Dedit, cenſum attribuit, Pontif. ſui
Anno VI.

In eodem.

Hæroum fœcunda olim, doctiſſima rerum,
Indigno premeris Græcia docta jugo.
Hoc vigil ut vidit, ne pondere preſſa jaceres,
Providit patrio pectore Gregorius.
Namque tuam ſobolem ſacra ſuſcepit in Urbe,
Et veræ fructus Religionis alit.
Græcia ne dubites, Romano credita Cœlo,
Nam tibi reſtituet Graja juventa decus.
Grates ergo refer, Romanum agnoſcere parentem,
Qui verum factis ſe probat eſſe Patrem.

In Collegio Germanico erecto anno Pontificatus II.

Gregorius Romæ Florentia germina nutrit,
Doctriniſque rigat, quæ pietate fovet.
Authori cultæ generant poma aurea plantæ,
Et germana ſacer pectora fructus alit.
Quid facies verſute tuis, Calvine, labruſcis?
Quis comedet glandes, prave Luthere, tuas?
Veſcitur en miti felix Germania fructu,
Quem benè culta ferunt germina Gregorii.
Inclita Gregorio nimium Germania debes,
Synceræ fidei qui tibi germen alit.

In Seminario Neophytorum erecto anno Pontif. V. ad Neophyticos.

Flos veluti candens graveolenti è germine ſurgit,
Et teneras gignit ſpinea planta roſas.
Sic vos, quos Orco pravi genuere parentes,
Innocuos Cœlo parturit alma dies.
Felices Cœli cognoſcite dona, juvabit,
Pro Chriſto veteres deſeruiſſe patres.
Fit pater in terris largo cum fœnore vobis
Gregorius, Cœlo fit Deus ipſe parens.
Creſcit, Gregorius vos plantat, & irrigat, ipſe
Incrementa dabit, ſed meliora Deus.

In Collegio Anglicano erecto anno Pontif. V.

Quid, Calvine, furis? quid gaudes vivere raptu?
Horrida pugnanti bellua cede Deo.
Non tua, ſed Petri, ſed Chriſti eſt Anglia: tellus
Anglica, redde Petro pectora, redde Deo.
Hoc cruor effuſus, pietas hoc poſtulat: an tu
Tale aliquid, cauſam quo tuearis, habes?
Carnifices profers? friges. Incendia jactas?
Fervet amor. Perdis corpora morte? beas.
Reſtat adhuc rabies ſæva, fruſtra omnia tentas;
Anglia nam Petri eſt, Anglia Gregorii eſt.

In Seminario Maronitarum

Mons Libanus ad Gregorium XIII.
Pont. Max.

Cùm fieret Solymi moles celeberrima templi,
Eſt miſſa è noſtris cedrina ſylva jugis.
Corruit hoc, veteres optas reparare ruinas,
Officiis renovans aurea Sæcla tuis.
Illuſtres toto lapides conquiris ab Orbe,
Dives ut è vario marmore ſurgat opus.
Mittimus ecce rudes, poliat tua dextera Cedros,
Materies operi fiat ut apta tuo.
Saxea conſtruxit Salomon: tua gloria major,
Nam ſummo ædificas templa animata Deo.

In Seminario Illirico,
Laureti erecto anno Pont. VIII.
Ad B. Virginem Lauretanam.

Ornaras noſtram præclaro munere gentem,
Illirico ſtarent cùm tua tecta ſolo.
Liquiſti ſedes priſcas, Virgo inclyta, noſtri
Virgineo tamen in pectore manſit amor.
Gregorio Illyricos commendas: providus ille
In Lauretana nos jubet eſſe domo.
Commoda ne deſint, nato nos tradit Jeſu,
Adjuvet ut nos hinc Filius, inde Parens.
Divinum ingenium prope te nos Virgo locavit,
Complexu ut foveas pignora chara tuo.

In Seminario Viennenſi,
Erecto anno Pontif. IX. ad Auſtriam.

Romani decus Imperii, Latiique ſecures
Auxerunt titulos, Auſtria clara, tuos.
Hæreſis invidit, ſtygioque inſana furore
Jecit in immeritum tela cruenta caput.
Ne dubita, ut valeas, doctos tibi miſit alumnos
Gregorius, morbi qui tua damna levent.
Auſtria Gregorii cognoſcite dona, valebis,
Atque tuum lato creſcet in Orbe decus.
Nam ſi clara dedit Romanum inſignia ſceptrum,
Mox Romana dabit jam meliora fides.

In Seminario Pragenſi,
Erecto anno Pontif. IX. ad Bohemiam.

Nobilis Imperio flores, & nobilis armis,
Arctoas decoras nobilitate plagas.
Vis firmare tuum generoſa Bohemia ſceptrum,
Æternum populis, & dare jura tuis?
Sis pia, & hæreſeos tollas monſtra horrida, regnum
Impietate ruit, ſtat pietate diù.
Hoc cupit inſignis virtute, armiſque Rodulphus;
Hoc tua qui curat commoda, Gregorius.
His munita cades nunquam, armis roborat ille,
Hic pietate facit firmius Imperium.

In Seminario Græcenſi,
Styriæ erecto anno Pontif. IX.

Lutheri infelix jacuiſſem merſa lacunis,
Ni tua, Sancte Parens, dextra tuliſſet opem.
Dignum opus eſt cœlo, ſervat tibi propria cœlum,
Nil tua facta Orbis quod mereantur, habet.
Ipſe Opifex rerum, quando eſt mihi nulla poteſtas,
Digna precor tanto munere dona feret.
Cùm tibi muneribus cœleſtia munera creſcant,
Augeri ut poſſit præmia vive diù.
Servata agnoſcet ſemper dilectaque Patrem
Et Servatorem Styria Gregorium.

In Seminario Olmucenſi,
Erecto anno Pontif. IX. Moraviæ.

Gregorii lætis ſurgebant tecta Moravis,
Hæreſis hoc vidit, flevit, & indoluit,
Ergo, ait, è manibus dilecta Moravia noſtris
Excidet? Et tanto parta labore ruent?
Affer opem, Calvine, Luthere, perimus, alumnis
Nos parat ecce ſuis perdere Gregorius.
Arcibus extructis toto me pellit ab Orbe,
Vobiſcum, & Stygios cogit adire lares.
Ni ſuccurratis ſpem regni amiſſimus, eheu!
Totus Gregorio ſubditus Orbis erit.

In Seminario Branſpergenſi,
Erecto anno Pontif. IX. Pruſſiæ.

Cur indigna meis tractantur vincula palmis?
Cur premit infeſtum libera colla jugum?
Pruſſia vipereo Lutheri ſervit alumno,
Pruſſia nunquid erit tàm malè ſana diù?
Agnoſco infelix Calvini retia ſerò,
Ut videam, præfert lumina Gregorius.
Providus ille mihi meliores ſervat alumnos,
Detegat ut vera religione dolos.
Ite procul ſtygias minitantia retia fraudes;
Libera nam paret Pruſſia Gregorio.

In Seminario Muſſipontano,
Erecto anno Pontif. IX. Lotaringiæ.

Clara Paleſtrinis olim Lottringia bellis
Contra hoſtes fidei docta movere manus
Moviſti ſacra bella, fuit victricibus armis
Dux virtus, finis gloria, palma comes.
Quid ceſſas ſimili virtutem extendere fato?
Nonne movent animos prælia ſacra tuos?
Hoſtem viciſti, ſuperandus transfuga Chriſti eſt,
Hæc eſt materies viribus apta tuis.

En te Gregorius ſacrata invitat ad arma,
Perge, novum priſcis laudibus adde decus.
In Seminario Vilnenſi,
Erecto anno Pontif. IX. Lituaniæ.
Senſerat illuſtris minus en Lituania pondus
Lutheri infauſtæ quod poſuere manus.
Addiderat nova res animos, & colla moleſto
Fecerat excuſſo liberiora jugo.
Rem miratà diu, quis me mihi reddidit, inquit,
Ergone libera ſum, quæ modò ſerva fui?
Cùm tamen in claram vertit ſua lumina Vilnam,
Atque domum vidit ſurgere Gregorii,
Agnoſco, agnoſco quæ ſint hæc robora, dixit,
Hæc eſt invicti dextera Gregorii.
In Seminario Claudiopolitano,
Erecto anno Pontif. XI. Tranſylvaniæ.
Dum quæreris ſteriles exortis ſentibus agros,
Frigore, & obſcuram nubibus eſſe diem:
Gregorium tua damna movent, tibi commoda quærit,
Firmaque muneribus gaudia ferrè parat.
Parce, inquit, lacrymis ò Tranſylvania; namque
Poſt obſcura venit nubila clara dies.
Quot tibi nutrimus veræ pietatis alumnos,
Tot fidei accenſas tradimus igne faces.
Lucebunt, ſpinas comburent, frigora pellent,
Et Tranſylvanus lilia gignet ager.
In Collegio Funcnſi,
Erecto anno Pontif. XI. in Japone.
Ingeniis, armiſque potens Japonia tellus,
Tartareo ſervis cur miſeranda duci?
Quid Xacem colis? Et fictæ pietatis Amydam,
Sollicitans multa marmore ſurda prece?
Erige velatos tetra caligine vultus,
Et miſſas Chriſti munere cerne faces.
En clarum fidei præfert tibi lumen Jeſus,
Ignotamque tuis monſtrat ad aſtra viam.
O te felicem! fueras quæ clara triumphis,
Incipies Chriſti clarior eſſe fide.
In domo Probationis Societatis
Jeſu Uſuquien. erecta in Japone.
Perfide, jam propera malè partas linquere Sedes,
Et nigra monſtroſum conde ſub aſtra caput.
Debetur Chriſto tellus Japonia, fur es,
I, fuge, nam furto debita pœna tuo eſt.
Quid ceſſas? juſta indicit tibi prælia, Chriſti,
Gregorius, toto qui gerit Orbe vices.
Aſpice, nam validam pugnantibus extruit arcem,
Belligeroſque ſacra mittit ab Urbe viros.
Anne times? miles pugnat ſub nomine Jeſu.
Fallor? an audito hoc nomine in antra fugis?
In Seminario Arimen.
Erecto anno Pontif. XI. in Japone.
Gregorii dum tecta animæ fauſto omine ſurgunt,
Cùmque ætate bibunt corda tenella fidem.
Exultat victrix pietas, fremit ore cruento,
Qui rapuit ſtygiis Indica regna dolis.
Dumque fides ſacro teneros fovet uberè natos,
Tartarius prædo rumpitur invidia.
Impie, facta times? longè majora videbis,
Cùm Domino fructus ſemina jacta ferent.
O miſera, & nimium infelicia Tartara! fœlix,
Si multos habeas India Gregorios.
In Seminario Anzuchizameno,
Erecto anno Pontif. XI. in Japone.
Dum natas inviſit oves Japonis in arvis,
Atque novos fœtus geſtit habere fides;
Innumeras vidit vaſtari ad Tartara prædas,
Proh dolor! & tenero paſcua deeſſe gregi.
Ergo fames, inquit, perdet? Prædabitur hoſtis,
Quas Deus immitti morte redemit oves?
Tum ſic Gregorio: Exoritur grex, paſcua poſcit,
Paſtor es; ergo gregi, nam potes, adfer opem.
Inde tuum gemino nomen celebrabitur Orbe,
Et mox majoris Paſtor ovilis eris.
In Seminario Fuldenſi,
Erecto anno Pontif. XIII. in Haſſia.
Servatoris honor primùm tibi Fulda decorem,
Attulit, & clarum nomen habere dedit.
Invida quæ cœpit, fieret ne gloria major,
Hæreſis eſt ſacris inſidiata tuis.
Fraude ſinem ſimulans, cœlum promiſit, & aſtu
Detectam ſtygiis te prope merſit aquis.
Non tulit hoc, ſed dat primos Servator honores,
Idem perficiat, qui benè cœpit, opus.
Gaude Fulda, decus, quod perdidit hæreſis, ecce,
Religione parat reddere Gregorius.
Hæc ſolus Gregorius.
Nec minori fidei Catholicæ zelo permotus Philippus Secundus Hiſpaniarum Monarcha, cognomento Sapiens, Catholicus, Pius, plura Seminaria, & Collegia in illa funeſtiſſima tragœdia ſchiſmatis Anglicani Catholicis, patriis finibus proſcriptis, in Belgio fundavit, dotavitque, & a PP. Jeſuitis regenda voluit.

CONSULTATIO CCXXXII.

An Capellanus obligatus quotidie celebrare pro Fundatore Capellaniæ, poſſit aliquando vacare, & quoties?
Et quatenus affirmative, an poſſit Miſſam vacantem alteri applicare, & accipere conſuetum ſtipendium?

AD primum, conſuetudine introductum eſt, ut Capellanis obligatis quotidie celebrare, concedatur ſemel vacare in qualibet hebdomada abſque alio cauſæ exámine. Ideò ex tali conſuetudine poteſt die vacationis ſe Capellanus honeſtè recreare, eligere diem vacandi ſibi magis opportunum. Quia hæc conſuetudo extinguit obligationem pro unico die in ſingulas hebdomadas celebrandi. 1

Quod autem adſit talis conſuetudo, ex eo deducitur, quia Doctores communiter conſiderantes, quod juxta *cap. ſignificatum de præbend.* tenetur Capellanus quotidie celebrare, hoc eſt quàm frequentiùs fieri poteſt, ſalva honeſtate, & devotione debita; ſtatuerunt regulam generalem, quod poſſit ſemel in hebdomada vacare, & ita interpretantur obligationem quotidie celebrandi, ut admittat hanc vacationem. 2

In quo videntur illam admittere abſque alia conſideratione cauſæ. Nam ſi cauſam conſiderarent, non concederent vacationem pro ſingulis hebdomadibus, ſed tunc ſolùm quando adeſt cauſa, & hoc etiam obtinet praxis, & obſervatio. 3

Ad ſecundum. Quando Fundator concedit Capellano, ut ſemel poſſit vacare in unaquaque hebdomada, poteſt pro ſeipſo, vel aliis celebrare, quia tunc imponit obligationem celebrandi ſexies in hebdomada, cui obligationi ſi ſatisfaciat, remanet ipſi liber unus dies, quos ſicuti non obligatur celebrare ex diſpoſitione Fundatoris, ita etiam poteſt vel ceſſare, vel celebrare, pro quo voluerit, etiam accepta eleemoſyna. At ſi Fundator non concedat vacationem, ſed abſolutè diſponat, quod celebret, negant poſſe pro ſeipſo, aut pro alio celebrare, Zanard. *par. 1. direct. tit. de Miſſa cap. 13.* Marchin. *de Sacram. Ordin. tract. 3. par. 2. cap. 23. num. 9.* Leand. *tract. 8. de Sacram. diſp. 5. qu. 18.* & alii probant. Obligatus ad celebrandum quotidie, atque adeò ſi non vacat, debet ſatisfacere ſuæ obligationi, & celebrare pro Fundatore. 4

Tenendum tamen eſt, poſſe Capellanum die vacationis celebrare pro ſe, pro ſuis, pro aliis, prout ei libuerit. Quia obligatio Capellaniæ non ſe extendit de jure ad obligandum pro omnibus, & ſingulis diebus, ſed ſolùm quo frequentius fieri poterit, ut conſtat ex *d. cap. ſignificatum*, & proinde talis obligatio tanquam illicita non poteſt imponi Capellano, ut tradunt Abb. *in d. cap ſignificatum num. 4.* Lambertin. *de jurepatr. par. 1. lib. 1, quæſt. 9. num. 27.* Rota *dec. 496. num. 7. par. 1. recent.* 5

Et ad rationem primæ ſententiæ in oppoſitum reſpondetur, Capellanum obligari ad celebrandum quotidie ſecundùm terminos juris, ſecundùm quos dictio, *quotidie*, non importat omnes, & ſingulos dies, ſed quàm frequentiùs fieri poteſt, ut in *d. cap. ſignificatum de præben.* 6

Non poteſt tamen hìc Capellanus, quando in die vacationis celebrat, applicare pro aliis Miſſam, & accipere pro illa ſtipendium; nam id eſſet ſpecies avaritiæ, & prohibetur pro una Miſſa duplex, vel plura ſtipendia recipere a S. Congregatione Concilii in decret. de celebrat. Miſſar. ſub Urbano VIII. & ita pluries eadem S. Congregatio meo tempore declaravit, non poſſe ſcilicet accipi aliud ſtipendium; nam hic Capellanus habet ſtipendium pro illa Miſſa vacante a Capellania Fundatoris, ſicque ſi pro Miſſa vacante acciperet aliud ſtipendium, acciperet pro una Miſſa duplex ſtipendium. Quod eſt contra Thomam Hurtadum, *par. 1. reſol. moral. tract. 2. cap. 4. reſol. 7. n. 18.* qui id concedit, quando adeſt paupertas Capellani, & contra Averſam *qu. 11. de Euchar. ſect. 18.* & quoſdam alios. 7

Huic conſultationi operæ prætium eſſe duxi ſubnectere graviſſimam Conſtitutionem Sanctiſſimi Domini Noſtri Innocentii XII. de celebratione Miſſarum, quæ eſt hujuſmodi. 8

Con-

Conſtitutio Innocentii XII. ſuper celebratione Miſſarum.

„ Nuper a Congregatione Venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum prodierunt Decreta tenoris infraſcripti, videlicet.

„ Aliàs ſuper celebratione Miſſarum, ac prohibitione illas moderandi, ſeu reducendi abſque Sedis Apoſtolicæ licentia, nec non ſuper earumdem oneribus perpetuis ſuſcipiendis, & Religioſorum numero ultra redditus, & conſuetas eleemoſynas locorum Regularium non habendo, emanarunt ab hac S. Congregatione S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum, authoritate per fel. rec. Urbanum Papam VIII. illi ſpecialiter attributa, quamplura Decreta tenoris ſequentis.

1 „ Cùm ſæpè contigat in quibuſdam Eccleſiis tàm magnum Miſſarum celebrandarum numerum, ex variis Defunctorum relictis, aut piorum eleemoſynis impoſitum eſſe, ut illis pro ſingulis diebus præſcriptis nequeat ſatisfieri, & tamen nova onera Miſſarum in dies ſuſcipiantur: indeque fiat, ut depereant piæ Teſtantium voluntates, obſtricta Benefactoribus fides violetur, Defunctorum animæ ſuffragiis priventur, Eccleſiis debitus ſubtrahatur cultus, ac Chriſti fideles gravi ſcandalo affecti, plerumque a ſimilibus charitatis operibus retrahantur: Cùmque his malis maximum inter cætera fomentum præbeat, aut quòd ii, qui Miſſas ſupra vires celebrandas ſuſcipiunt, ſperent illas brevi ad pauciorem numerum a Superioribus reductum iri: aut quòd Eccleſiis, ſorte pecuniarum abſumpta, plerumque nuda remaneant onera Miſſarum abſque ullo emolumento: aut quòd eleemoſyna pro illis celebrandis ſit adeò tenuis, ut non facilè inveniantur, qui velint huic ſe muneri ſubjicere, & redditus Eccleſiæ, aut Monaſterii adeò exigui, ut Sacerdos pro neceſſaria ſui ſubſtentatione novis ſe oneribus obſtringere compellatur. Sacra Congregatio Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum animadvertens facturam ſe rem Deo gratiſſimam, charitate ac juſtitiæ maximè conſentaneam, ſi pro viribus ſatagat, hunc teterrimum abuſum è Chriſtiana Republica convellere, atque eradicare: Sanctiſſimi D. N. Urbani Divina providentia Papæ VIII. authoritate ſibi ſpecialiter attributa, infraſcripta Decreta edidit.

2 „ Ac primò, diſtinctè prohibet, atque interdicit, ne Epiſcopi in Diœceſana Synodo, aut Generales in Capitulis generalibus, vel aliàs quoquomodo reducant onera ulla Miſſarum celebrandarum, aut poſt idem Concilium impoſita, aut in limine fundationis; ſed pro his omnibus reducendis, aut moderandis, vel commutandis, ad Apoſtolicam Sedem recurratur, quæ, re diligenter perſpecta, id ſtatuet, quod magis in Domino expedire arbitrabitur; alioquin reductiones moderationes, & commutationes hujuſmodi, ſi quas contra hujus prohibitionis formam fieri contigerit, omninò nullas, atque inanes decernit.

3 „ Deinde, ubi pro pluribus Miſſis, etiam ejuſdem qualitatis, celebrandis, ſtipendia, quantumcumque incongrua, & exigua, ſive ab una, ſive a pluribus perſonis collata fuerunt, aut conferentur in futurum Sacerdotibus, Eccleſiis, Capitulis, Collegiis, Hoſpitalibus, Societatibus, Monaſteriis, Conventibus, Congregationibus, Domibus, ac Locis Piis quibuſcumque, tàm Sæcularibus, quàm Regularibus; S. Congregatio ſub obteſtatione Divini Judicii mandat, ac præcipit, ut abſolutè tot Miſſæ celebrentur, quot ad rationem attributæ eleemoſynæ præſcriptæ fuerint, itaut alioquin ii, ad quos pertinet, ſuæ obligationi non ſatisfaciant: quinimmò graviter peccent, & ad reſtitutionem teneantur.

4 „ Id verò ut deinceps obſervetur exactius, S. Congregatio eadem authoritate revocat Privilegia, & Indulta omnia quibuſvis perſonis, Eccleſiis, ac Locis Piis, tàm Sæcularibus, quàm Regularibus, cujuſcunque Ordinis, Congregationis, & Inſtituti, quamcunque ob cauſam conceſſa, quibus indulgetur, ut certarum Miſſarum, vel Anniverſariorum celebratione, aut aliquibus Collectis, ſeu Orationibus plurium Miſſarum oneribus in futurum ſuſcipiendis ſatisfiat.

5 „ Ac ſimiliter omne damnabile lucrum ab Eccleſia removere volens, prohibet Sacerdoti, qui Miſſam ſuſcepit celebrandam cum certa eleemoſyna, ne eamdem Miſſam alteri, parte ejuſdem eleemoſynæ ſibi retenta, celebrandam committat.

Præterea, ne in Eccleſiis, in quibus onera Miſſarum in perpetuum impoſita ſunt, Sacerdotes in eis, ut par eſt, adimplendis eò tepidiores, ac ſegniores reddantur, quòd onera hujuſmodi cùm nulla, aut parva ſint utilitate conjuncta: ſtatuit, atque decernit, ut pecuniæ, ac bona mobilia Eccleſiis, Capitulis, Collegiis, Hoſpitalibus, Societatibus, Congregationibus, Monaſteriis, Conventibus, ac Locis omnibus, tàm Sæcularibus, quàm Regularibus, atque illorum perſonis in futurum ſimpliciter acquirenda cum onere perpetuo Miſſarum celebrandarum, ab iis, ad quos pertinet, ſub pœna interdicti ab ingreſſu Eccleſiæ ipſo facto incurrenda a die realis acquiſitionis, ſtatim deponi debeant penes Ædem Sacram, vel perſonam fide, & facultatibus idoneam, ad effectum illa, ſeu illorum pretium, quamprimum inveſtiendi in bonis immobilibus fructiferis, cum expreſſa, & individua mentione oneris, quod illis annexum reperitur. 6

Ac ſi eadem bona immobilia authoritate Apoſtolica deinceps alienari contigerit, eorumdem pretium, ſub eadem pœna, ut ſuprà, deponi, atque in aliis bonis ſtabilibus itidem fructiferis cum ejuſdem oneris repetitione, atque annexione converti debeat. 7

Ad hæc S. Congregatio quibuſvis Capitulis, Collegiis, Societatibus, & Congregationibus, necnon omnibus, & ſingulis Eccleſiarum, ac Piorum Locorum tàm Sæcularium, quàm Regularium Superioribus, vel aliis, ad quos pertinet, diſtrictè prohibet, ne impoſterum onera perpetua ſuſcipiant Miſſarum celebrandarum: Seculares quidem ſine Epiſcopi, vel ejus Generalis Vicarii, Regulares verò ſine Generalis, vel Provincialis conſenſu, & licentia in ſcriptis, & gratis concedenda: alioquin Sæcularis, qui hujus prohibitionis tranſgreſſor extiterit, ab ingreſſu Eccleſiæ interdictus ſit eo ipſo: Regularis verò pœnam privationis omnium officiorum, quæ tunc obtinebit, ac perpetuæ inhabilitatis ad alia de cætero obtinenda, vocisque activæ, ac paſſivæ, abſque alia declaratione incurrat. 8

Eleemoſynas verò manuales, & quotidianas pro Miſſis celebrandis, ita demum iidem accipere poſſint, ſi oneribus anteà impoſitis ita ſatisfecerint, ut nova quoque onera ſuſcipere valeant; alioquin omninò abſtineant ab hujuſmodi eleemoſynis, etiam ſponte oblatis, in futurum recipiendis, & capſulas auferant ab Eccleſiis cum inſcriptione illa: *Eleemoſyna pro Miſſis*, vel alia ſimili, ſub iiſdem pœnis ipſo facto incurrendis, ne Fideles hac ratione fruſtrentur. 9

Epiſcopus verò, ſeu ejus Vicarius, aut Generalis, vel Provincialis, ubi de licentia pro perpetuis oneribus fuerint requiſiti, in ſingulis caſibus diligenter inquirant de ſingulis Miſſarum celebrandarum obligationibus, cuique Eccleſiæ, Monaſterio, aut loco Pio incumbentibus: nec anteà aſſenſum hujuſmodi, aut licentiam præbeant, quàm eis legitimè conſtiterit, illius Sacerdotes, tàm novo oneri ſuſcipiendo, quàm antiquis jam ſuſceptis ſatisfacere poſſe; præcipuamque rationem habeant, ut redditus, qui Eccleſiis, & Locis Piis relinquuntur, omninò reſpondeant oneribus adjunctis ſecundùm morem cujuſque Civitatis, vel Provinciæ: intelligantque, ſi in re tanti momenti defides, aut negligentes fuerint, in noviſſimo die ſe hujus prætermiſſi muneris rationem eſſe reddituros. 10

Poſtremò, Illuſtriſſimi Patres non ſine gravi animi dolore intelligentes, mala ferè omnia, quæ Regularem diſciplinam evertunt, ac præcipuè nimiam hanc facilitatem fovent in oneribus Miſſarum ſupra vires ſuſcipiendis, veluti ex infecta radice, pullulare ex majori Regularium numero, quàm ferant redditus, & eleemoſynæ cujuſque Monaſterii: inhærentes Summorum Pontificum, ac Sacri Tridentini Concilii Decretis, hac de re editis, Sanctiſſimi Domini Noſtri authoritate præcipiunt, ac mandant omnibus, & ſingulis Generalibus, Provincialibus, Commiſſariis, Miniſtris, Præſidentibus, Abbatibus, Prioribus, Præpoſitis, Guardianis, Vicariis, & quibuſcumque aliis Superioribus Monaſteriorum, Conventuum, ac Domorum Regularium, bona immobilia poſſidentium, vel non poſſidentium, cujuſcumque Ordinis, Congregationis, & Inſtituti, exiſtentium intra fines Italiæ, & Inſularum adjacentium, ut ſinguli, ad quos pertinet in qualibet Provincia, adhibitis duobus, aut tribus Regularibus ſui Ordinis, vel Congregationis 11

pro-

„ probatioribus, & rerum usu peritioribus, bona immobilia, census, redditus, & proventus omnes, consuetas item eleemosynas, & obventiones, tàm communes Monasteriorum, Conventuum, & Domorum ejusdem Provinciæ, quàm etiam singularibus personis Religiosis assignatas, seu permissas, in communem usum deinceps conferendas, decem annorum immediatè præcedentium habita ratione, diligenter, & maturè recognoscant, iis omnibus detractis, quæ reparationes, præstationes, grandines, sterilitates, aliave cujuslibet generis onera consueverunt absorbere.

12 „ Eaque omnia scripto fideliter exarata, idem Superior, cujus interest, in proximo Capitulo, seu Congregatione Generali, vel Provinciali coram tribus Judicibus ab ipsomet Capitulo, seu Congregatione deligendis proponat, qui computatis hujusmodi redditibus, eleemosynis, & obventionibus universis, & oneribus ut suprà detractis, sedulò examinent, quot Religiosi homines, connumeratis etiam Laicis, aliisque necessariis servientibus, in unoquoque Monasterio, Conventu, & Domo Regulari, juxta regionis, & proprii Instituti morem, victum, & vestitum, & medicinalia in communi habentes, competenter valeant sustentari. Tum eorumdem bonorum, reddituum, eleemosynarum, & onerum præcisam notam ipsimet Capitulo, seu Congregationi exhibeant, ut in illo diligenter omnibus discussis, cujusque Familiæ, Monasterii, Conventus, ac Domus Regularis in singula quaque Provincia certus earum tantùm personarum numerus, Patrum Capitularium voto præfigatur, quæ redditibus, elemosynis, & obventionibus, ut superiùs, sufficienter ali possint.

13 „ Ne verò Superiores, qui id præstare debent, segnius, aut remissius, quàm par est, suo muneri satisfaciant, mandat Sacra Congregatio, ut infra annum, post proximum Capitulum Generales, vel Provinciale computandum, omnia hoc de genere Capitulariter gesta, in authenticam formam redacta, ad Sacram ipsam Congregationem Concilii singuli mittant.

14 „ Numerumque familiæ, singulorumque Conventuum, Monasteriorum, & Domorum hujusmodi Regularium, Capituli, seu Congregationis Generalis, vel Provincialis sententia, & authoritate præfinitum, iidem Superiores, tàm Generales, & Provinciales omnes, quàm locales, perpetuò servare omninò teneantur, nec possint illum quoquomodo augere, etiam prætextu augmenti reddituum, absque Sacræ ipsius Congregationis licentia: Superiores autem hujusmodi, qui prædicta omnia in præfixo termino non præstiterint, vel numerum, ut suprà præscriptum, quovis modo augere præsumpserint, privationis omnium officiorum, quæ tunc temporis obtinebant, vocisque activæ, & passivæ, & ad omnia suæ Religionis officia, & gradus, inhabilitatis perpetuam pœnam eo ipso incurrere, atque aliis, etiam gravioribus, a Sede Apostolica infligendis pœnis, Sacra Congregatio subjacere voluit, & declaravit.

15 „ Deinceps verò Monasterium, Conventus, Domus, Congregatio, vel Societas Religiosorum, seu Regularium nullibi recipiatur, nisi præter alia ad id requisita, in singulis hujusmodi locis duodecim saltem Fratres, aut Monaci, seu Religiosi degere, & ex redditibus, & consuetis eleemosynis, detractis omnibus ut suprà detrahendis, competenter sustentari valeant, ad præscriptum Decreti felicis record. Gregorii XV. hac de re editi: alioquin Monasteria, & loca hujusmodi posthac recipienda, in quibus duodecim Religiosi, ut suprà sustentari, atque inhabitare non poterunt, & actu non inhabitaverint, Ordinarii loci visitationi, correctioni, atque omnimodæ jurisdictioni subjecta esse intelligantur.

16 „ Porrò, nec ullo unquam tempore hæc in oblivionem, seu desuetudinem abeant, Superiores locales cujusque Monasterii, Conventus, ac Domus Regularis curare, atque efficere teneantur, sub pœna privationis officii, vocisque activæ, & passivæ ipso facto incurrenda, ut in perpetuum, sexto quoque mense, idest feria secunda post primam Dominicam Adventus, & Feria sexta post Octavam Corporis Christi, præsentes ordinationes in publica Mensa perlegantur.

17 „ Omnibus, tàm Ecclesiasticis personis cujuscunque sint Ordinis, conditionis, & gradus, quàm Laicis quocunque honore, & potestate præditis, præsentia Decreta declarandi, vel interpretandi facultate penitus interdicta.

Non obstantibus, quoad suprascripta omnia, & singula in præsentibus Decretis contenta, Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis in favorem quarumcunque personarum, atque Ordinum, tàm Mendicantium, quàm non Mendicantium, Militiarum etiam Sancti Joannis Hierosolymitani, Congregationum, Societatum, ac cujuslibet alterius Instituti, etiam necessariò, & in individuo exprimendi, Ecclesiarum, Monasteriorum, Conventuum, Collegiorum, Capitulorum, Hospitalium, Confraternitatum, & aliorum quorumcunque, tàm Sæcularium, quàm Regularium locorum, necnon illorum, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, Statutis, & Consuetudinibus, etiam immemorabilibus, Privilegiis quoque, Indultis, & literis Apostolicis, etiam Mari magno, seu Bulla aurea, aut aliàs nuncupatis, sub quibuscunque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, nec non irritantibus decretis, etiam motu proprio, & ex certa scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, aut aliàs quomodolibet, etiam per viam communicationis, seu extensionis conceſſis, & iteratis vicibus approbatis, & innovatis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus, & formis, specialis, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales, mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma servanda esset, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, & forma in illis tradita observata, inserti forent, præsentibus pro expressis habentes, quibus quoad ea, quæ præsentibus adversantur, illis aliàs in suo robore permansuris, S. Congregatio Sanctitatis Suæ authoritate specialiter, & expresse derogat, cæterisque contrariis quibuscunque. 18

Et ne præmissorum ignorantia a quoquam prætendi possit, voluit eadem S. Congregatio, ut præsentes ordinationes in Valvis Basilicarum S. Joannis Lateranensis, & Principis Apostolorum de Urbe, ac in Acie Campi Floræ, ut moris est, affixæ, omnes, ad quos pertinet, ita arctent, & afficiant, ac si unicuique personaliter intimatæ fuissent. 19

Utque earumdem præsentium transumptis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsùs fides adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Dat. Romæ die 21. Junii 1625. 20

Cosmus Card. de Torres.

Prosper Fagnanus S. Congr. Secr.

Excitatis autem super præmissorum decretorum intelligentia, seu interpretatione, infrascriptis dubiis, prodierunt a memorata Congreg. simili authoritate illi a præfato Urbano Papa Octavo specialiter attributa, responsiones, seu declarationes inferiùs appositæ. 21

Super primo Sac. Congregationis Decreto de celebratione Missarum, quo prohibetur, ne Episcopi in Diœcesana Synodo, aut Generales in Capitulis Generalibus, vel aliàs quoquomodo, reducant onera ulla Missarum celebrandarum, aut post idem Concilium imposita, aut in limine fundationis.

Quæritur; quid, si legatum sit ita tenue, ut non sit, qui velit onus illi injunctum subire, & si recurrendum sit ad Sedem Apostolicam pro moderatione oneris, totum, aut ferè totum insumendum sit pro expensis ad id necessariis?

Et quid, si permittatur Episcopo in fundatione, ne possit hujusmodi onera moderari?

Secundò, super secundo ejusdem Congregationis Decreto, quo cavetur, ut celebrentur tot Missæ, quot ad rationem tributæ eleemosynæ præscriptæ fuerint.

Quæritur, an verba illa (præscriptæ fuerint) intelligenda sint de præscriptione facta ab Offerente, vel ab Ordinario?

Tertiò, an, cùm Ordinarius præscripserit eleemosynam congruam juxta qualitatem loci, personarum, ac temporum, Sacerdotes accipientes stipendium minus congruo, teneantur Missas illis ab Offerente præscriptas celebrare?

Quæ-

Quartò, an Sacerdotes, qui tenentur Miſſas celebrare ratione Beneficii, ſeu Capellæ, legati, aut ſalarii, poſſint, etiam manualem eleemoſynam pro Miſſis votivis, aut Defunctorum recipere, & unico Miſſæ Sacrificio utrique oneri ſatisfacere?

Quintò, poſito, quòd Teſtator relinquat, ut celebrentur pro ejus Anima centum Miſſæ, abſque ulla præſcriptione eleemoſynæ.

Quæritur, an liberum ſit hæredibus, eleemoſynam ſibi bene viſam præſcribere, an verò eadem eleemoſyna præſcribenda ſit ab Ordinario?

Sextò, ſuper tertio Congregationis Decreto, in quo eadem Congregatio revocat Privilegia, quibus indulgetur, ut certarum Miſſarum, vel Anniverſariorum celebratione, aut aliquibus collectis, ſeu Orationibus, plurium Miſſarum oneribus in futurum ſuſcipiendis ſatisfiat.

Quæritur, an verba (in futurum ſuſcipiendis) intelligenda ſint de oneribus ſuſcipiendis poſt Privilegium?

Septimò, ſuper quarto ejuſdem Congregationis Decreto, quo prohibetur Sacerdoti, qui ſuſcepit Miſſam celebrandam cum certa eleemoſyna, ne eamdem Miſſam alteri, parte ejuſdem eleemoſynæ ſibi retenta, celebrandam committat.

Quæritur, an permittendum ſit Adminiſtratoribus Eccleſiarum, ut retineant aliquam eleemoſynarum portionem pro expenſis manutentionis Eccleſiæ, Altarium, inſervientium, paramentorum, luminum, vini, hoſtiæ, & ſimilium?

Octavò, an hoc Decretum habeat locum in Beneficiis, quæ conferuntur in titulum, ideſt, an Rector Beneficii, qui poteſt per alium celebrare, teneatur Sacerdoti celebranti dare ſtipendium ad rationem redditus Beneficii?

Decimò, an Sacerdotes, quibus aliquando offertur eleemoſyna major ſolita pro celebratione Miſſæ, debeant dare eamdem integram eleemoſynam iis, quibus Miſſas celebrandas committunt; an verò ſatis ſit, ut dent celebrantibus eleemoſynam conſuetam?

Undecimò, ſuper quinto ejuſdem Congregationis Decreto, quo inter cætera ſtatuitur in hæc verba: Eleemoſynas verò manuales, & quotidianas pro Miſſis celebrandis, ita demum iidem accipere poſſint, ſi oneribus antea impoſitis ita ſatisfecerint, ut nova quoque onera obire valeant: alioquin omninò abſtineant ab hujuſmodi eleemoſynis etiam ſpontè oblatis in futurum recipiendis, & capſulas auferant, &c.

Quæritur, an hoc Decretum prohibeat abſolutè, quominùs accipiant novas eleemoſynas iis, qui acceptis non ſatisfecerint; & quid, ſi congruo tempore poſſint omnibus ſatisfacere?

Duodecimò, quid, ſi offerens eleemoſynas, audito impedimento, conſentiat, ut Sacerdos Miſſam celebret, cùm primùm poterit?

Decimotertiò, an pœna interdicti, & aliæ oppoſitæ in eodem Decreto afficiant, tàm eos, qui accipiunt eleemoſynas contra formam ibi præſcriptam, quàm eos, qui non auferunt capſulas ab Eccleſiis, ut ibidem præcipitur.

Decimoquartò, an in hoc Decreto comprehendantur illæ capſulæ, quæ apponi ſolent in Eccleſiis in die Commemorationis omnium Sanctorum, & vulgò dicuntur, Caſſe de Morti?

Decimoquintò, an Adminiſtratores Eccleſiæ magnæ devotionis, & concurſus, poſſint eleemoſynas pro Miſſis celebrandis accipere, ſi iiſdem Miſſis nonniſi poſt longum tempus ſatisfacere valeant, ne aliàs cultus Eccleſiæ, & devotio, ac concurſus Fidelium, ut ajunt, minuantur?

Decimoſextò, quia prohibitio dicti Decreti videtur aliquibus directa ſolis Capitulis, Collegiis, Societatibus, Congregationibus, necnon omnibus, & ſingulis Eccleſiarum, Piorum locorum, tàm Sæcularium, quàm Regularium Superioribus, de quibus ſit expreſſa mentio; non autem privatis Sacerdotibus, qui tamen comprehendi videntur ſub clauſula generali (& aliis, ad quos pertinet) *ſupplicatur pro opportuna declaratione?*

Decimoſeptimò, ſuper ſeptimo ejuſdem Congregationis Decreto, quo cavetur, ut in ſingulis Monaſteriis Religioſorum præfigatur numerus, qui ex conſuetis redditibus, aut eleemoſynis commodè poſſint ſuſtentari.

Quæritur, an, ubi hæc præfixio facta jam fuit in vim ſimilis Decreti ſanctæ memoriæ Pauli V. abſque tamen computatione reddituum cujuſque Religioſi, ſit denuò facienda, necne?

Decimooctavò, an Novitii, ad habitum Regularem admiſſi, poſſint admitti ad Profeſſionem in Monaſteriis, in quibus habita, ut ſuprà, præfixione numeri, commodè ali non poſſunt?

Decimononò, ſuper ultimo, quo cavetur, ut nullibi recipiantur Conventus Regularium, niſi præter alia ad id requiſita duodecim ſaltem Fratres in eis degere, & competenter ſuſtentari valeant, itaut alioquin ſubſint juriſdictioni Ordinarii.

Quæritur, an hoc Decretum, quod videtur editum in ordine ad celebrationem Miſſarum, comprehendat eas Religiones, quæ non conſueverunt onera Miſſarum recipere, ut ſunt Religiones Capuccinorum, ac Societatis Jeſu?

Ultimò, an idem Decretum, ubi diſponit, ut nullibi recipiantur Monaſteria, niſi &c. habeat locum in Italia dumtaxat, ad quam eſt reſtrictum Decretum proximè antecedens; an verò etiam extra Italiam?

Declarationes, aut Reſponſiones ad ſupradicta Dubia.

S. Congregatio Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum, authoritate ſibi a Sanctiſſimo Domino Noſtro attributa, ad ſingula Dubia ſuperiùs propoſita, ad hunc modum reſpondit, videlicet. „ 22

Ad primum, etſi legatum ſit adeò tenue, nihilominus pro reductione oneris, ut ſuprà impoſiti, ab iis, ad quos pertinet, Sedem Apoſtolicam eſſe adeundam, quæ abſque ulla impenſa id ſtatuet, quod magis in Domino è re eſſe judicaverit. Verumtamen, ſi in ipſa Beneficii erectione expreſsè cautum fuerit, ut liceat Epiſcopo injunctum onus reducere, ac moderari, legem hanc fundationis, quam decreta hac de re edita non ſuſtulerunt, eſſe validam, & obſervandam.

Ad ſecundum, eſſe intelligenda de præſcriptione facta ab eo, qui eleemoſynam tribuit, non autem ab Ordinario. Quod ſi tribuens eleemoſynam, numerum Miſſarum celebrandarum non præſcripſerit, tunc tot Miſſas celebrari debere, quot præſcripſerit Ordinarius, ſecundùm morem Civitatis, vel Provinciæ.

Ad tertium, teneri.

Ad quartum, Sacerdotes, quibus diebus tenentur Miſſas celebrare ratione Beneficii, ſeu Capellæ, legati, aut ſalarii, ſi eleemoſynas pro aliis etiam Miſſis celebrandis ſuſceperint, non poſſe eadem Miſſa utrique obligationi ſatisfacere.

Ad quintum, cenſuit, ubi nullam certam eleemoſynam Teſtator reliquit, eſſe ab Epiſcopo præſcribendam eleemoſynam congruam, quæ reſpondeat oneribus Miſſarum celebrandarum, ſecundùm morem Civitatis, vel Provinciæ.

Ad ſextum, ita eſſe intelligenda.

Ad ſeptimum, reſpondit, permittendum non eſſe, ut Eccleſia, ac Loca Pia, ſeu illorum Adminiſtratores, ex eleemoſynis Miſſarum celebrandarum ullam utcumque minimam portionem retineant ratione expenſarum, quas ſubeunt in Miſſarum celebratione, niſi cum Eccleſiæ, & Loca Pia alios non habent redditus, quos in uſum earumdem expenſarum erogare licitè poſſint: & tunc, quam portionem retinebunt, nullatenus debere excedere valorem expenſarum, quæ pro ipſomet tantùm Miſſæ Sacrificio neceſſariò ſunt ſubeundæ; & nihilominus eo etiam caſu curandum eſſe, ut ex pecuniis, quæ ſuperſunt, expenſis ut ſuprà deductis, abſolutè tot Miſſæ celebrentur, quot præſcriptæ fuerint ab offerentibus eleemoſynas.

Ad octavum, non habere locum, ſed ſatis eſſe, ut Rector Beneficii, qui poteſt Miſſam per alium celebrare, tribuat Sacerdoti celebranti eleemoſynam congruam, ſecundùm morem Civitatis, vel Provinciæ, niſi in fundatione ipſius Beneficii aliud cautum fuerit.

Ad decimum, debere abſolutè integram eleemoſynam tribuere Sacerdoti celebranti, nec ullam illius partem ſibi retinere poſſe.

Ad undecimum, reſpondit, non prohibere abſolutè: ac propterea, etſi oneribus jam ſuſceptis non ſatisfecerint, poſſe tamen nova etiam onera ſuſcipere Miſſarum celebrandarum, dummodò infra modicum tempus poſſint omnibus ſatisfacere.

Ad duodecimum, quamvis onera ſuſcepta infra modicum tempus adimpleri nequeant, ſi tamen tribuens eleemoſynam pro aliarum Miſſarum celebratione id ſciat, & conſentiat, ut illæ tunc demùm celebrentur, cùm ſuſceptis oneribus ſatisfactum fuerit, Decretum non prohibere, quominus eo caſu eleemoſyna accipiatur pro iiſdem Miſſis, juxta Benefactoris conſenſum celebrandis.

Ad decimumtertium, has pœnas non habere locum, niſi in ſuſcepturis onera perpetua Miſſarum celebrandarum ſine licentia Epiſcopi, vel ejus Generalis Vicarii, aut Generalis, vel Provincialis.

Ad

Ad decimumquartum, comprehendi.

Ad decimumquintum, non posse, nisi de consensu eorum, qui eleemosynas tribuunt, ut supra in responsione ad duodecimum.

Ad decimumsextum, comprehendi etiam privatos Sacerdotes.

Ad decimumseptimum, numeri præfixionem esse iterum faciendam, servata forma ultimi Decreti hac de re editi.

Ad decimumoctavum, esse admittendos ad professionem, si aliàs habiles existant, ac deinde in aliquo alio Monasterio ejusdem Religionis esse collocandos, ubi commodè ali possint.

Ad decimumnonum, censuit comprehendere.

Ad ultimum, habere locum extra Italiam.

Cosmus Card. de Torres.

Prosper Fagnanus S. Congr. Secr.

23 „ Cùm autem super præmissis diversi irrepserint abu-
„ sus, illorumque occasione, quamplures quærelæ, &
„ recursus ad Apostolicam Sedem pervenerint: cu-
„ piens eadem Congregatio Cardinalium Concilii Tri-
„ dentini Interpretum hujusmodi detestabiles abusus è
„ Christiana Republica pro viribus evellere, ac oppor-
„ tunè providere, ut sublatis fraudibus, ac emenda-
„ ta negligentia, piæ disponentium, seu benefactorum
„ voluntati fides illibata servetur, Defunctorum ani-
„ mabus integra, & prompta præstentur suffragia, iti-
„ demque Deo major gloria, & Ecclesiis præstantior
„ cultus reddatur, prævia authoritate per SS. D. No-
„ stri Innocentium Divina Providentia PP. XII. ei spe-
„ cialiter atttibuta, infrascripta Decreta, priùs in
„ particulari nonullorum ex præfatis Cardinalibus per
„ Sanctitatem Suam deputata, & posteà in generali hu-
„ jusmodi Cardinalium Congregatione maturè, & ac-
„ curatè discussa, recognita, & examinata edidit.

24 „ In primis, præinserta Decreta cum præmissis illo-
„ rum declarationibus plenissimè, & ampliss imè, ap-
„ probat, confirmat, & innovat, omniaque, & sin-
„ gula ibidem contenta, & expressa, iterùm omni
„ meliori modo decernit, statuit, ac ab omnibus,
„ & singulis, etiam speciali, & individuali nota, seu
„ expressione dignis, penitùs observari, & omnimo-
„ dæ exequutioni demandari decernit, sancit, & præ-
„ cipit.

25 „ Insuper, ut in re tanti momenti consultius, ac
„ majori, ut par est, circumspectione procedant: si qui
„ forsan fuerint, vel sint, qui suis pravis, & erroneis
„ intentionibus, seu opinionibus blandiri volentes, Mis-
„ sarum celebrationem omittant sub malitiosa, vel ir-
„ rationabili spe earumdem condonationem, vel redu-
„ ctionem a Sede Apostolica, vel compositionem a Re-
„ verenda Fabrica Sancti Petri de Urbe obtinendi;
„ Congregatio præfata, tum eosdem, tum quoscum-
„ que alios, qui posthac in adeò detestabiles abusus ausi
„ fuerint offendere, certiores fieri, & monitos esse vo-
„ luit, præfatas condonationes, & reductiones ab ea-
„ dem Sede, nonnisi ex rationabili causa, seu æqua
„ commiseratione, compositiones verò a dicta Fabrica,
„ utente suis facultatibus, & privilegiis, nonnisi ex
„ causa pariter rationabili, & cum clausulis opportu-
„ nis, & præsertim cum illa: *Dummodo malitiosè non*
„ *omiserint animo habendi compositionem, aliàs gratia nul-*
„ *lo modo suffragetur*, admitti consueviss e, & solere;
„ quapropter, ut locus omnis imposterum hisce præ-
„ textibus præcludatur, memorata Congregatio tales
„ intentiones, opiniones, seu spes, ac eleemosyna-
„ rum, sive in toto, sive in parte versiones in alium,
„ quàm præfatarum Missarum usum, seu satisfactio-
„ nem, & quascunque alias directas, vel indirectas,
„ immediatas, vel mediatas contraventiones, seu cir-
„ cumventiones, declarat prorsus irrationabiles, injus-
„ tas, & illicitas, illasque omninò reprobat, & dam-
„ nat, & interdicit.

26 „ Cùmque hujusmodi absurda ex eo plerumque pro-
„ veniant, quòd onera Missarum supra vires suscipian-
„ tur; caveant omnes, & singuli Rectores, Superio-
„ res, & Ministri quarumcumque tum Sæcularium,
„ tum Regularium Ecclesiarum, seu illarum Capitu-
„ la, ne onera, seu Missas, tum perpetuas, tum
„ temporales, tum etiam manuales, quarum satisfa-
„ ctioni impares fuerint, quoquomodo suscipiant; ut-
„ que idipsum, quoad fieri poterit, pateat, teneantur
„ iidem conficere, semperque in loco magis patenti,
„ & obvio retinere tabellam onerum perpetuorum,
„ & temporalium literis perspicuis, & intelligibilibus descriptorum, quorum implemento si moraliter, & intra præscriptum, seu breve tempus satisfacere non „
posse, seu illa dumtaxat, & non ulteriora adimplere „
posse crediderint, seu credere debuerint, alias Missas, „
sive perpetuas, sive temporales, sive manuales, per „
se, vel per interpositas personas quoquomodo reci- „
pere, seu acceptare omninò desistant, seu abstineant, „
& ulterius tali casu in eadem tabella similiter expri- „
mant, se se propterea aliis Missis acceptandis, & ce- „
lebrandis impares esse. „

Iidemque teneantur pariter in Sacrario duos libros „ 27
retinere, ac in eorum altero singula onera perpetua, „
& temporalia, in altero autem Missas manuales, „
& tàm illorum, quàm istarum adimplementum, & „
eleemosynas distinctè diligenter adnotare, & adno- „
tandas, seu adnotanda curare; singulisque annis de su- „
pradictis adimplementis, eleemosynis, & oneribus „
pariter exactam rationem suis Superioribus reddere, „
ac omnes, & singulas rationes hujusmodi in præfa- „
tis respectivè libris simili distinctione, & diligentia, „
tàm præfati, a quibus rationes debent reddi, quàm „
Superiores, quibus reddendæ erunt, describere seu ad- „
notare, sive describendas, vel adnotandas respectivè „
curare. „

Quibus semper salvis, debeant ulteriùs Regulares „ 28
prædicti, omnes, & quascumque eleemosynas, tum „
manualium, tum perpetuarum, & temporalium Mis- „
sarum reponere in capsa particulari sub duabus cla- „
vibus; quarum una penès Superiorem localem, alte- „
ra verò penès alium a Capitulo Conventuali depu- „
tandum retineatur, ac de iisdem eleemosynis, & ce- „
lebratione Missarum coram Patribus Discretis, seu „
Consiliariis, vel alio simili modo nuncupatis, singu- „
lis mensibus distrietam rationem exigere, & respecti- „
vè reddere. „

Quòd si prædicti, ad quos cura tabellæ, capsæ, & „ 29
librorum præfatorum respectivè pertinet, seu perti- „
nere debet, suam operam præmissis, ut præfertur, „
minimè navaverint, & Superiores, tum Sæcularium, „
tum Regularium Ecclesiarum, rationem prædictam „
non exegerint, seu non invigilaverint, quòd præ- „
fati, qui in curam tabellarum, & librorum incum- „
bunt; suo muneri, ut præfertur, satisfaciant, in sin- „
gulis respectivè casibus, Sæculares pœnam suspensio- „
nis incurrant, Regulares verò voce activa, & passi- „
va, ac gradibus, & officiis, quæ obtinent, ipso fa- „
cto, & absque alia declaratione privati sint, & in- „
telligantur, necnon ad hujusmodi gradus, & officia „
obtinenda similiter inhabilitentur, & inhabilitati sint, „
& intelligantur. „

Porrò, ne ullo unquam tempore omnia, & singu- „ 30
la decreta prædicta in oblivionem, seu desuetudinem „
abeant, Rectores, Superiores, seu Capitula Ecclesia- „
rum Sæcularium illa retineant publicè exposita in eo- „
rum Sacrario; Superiores verò locales cujuscunque „
Monasterii, Conventus, ac Domus Regularis, cura- „
re, & efficere teneantur sub pœna privationis officio- „
rum, quæ obtinent, vocisque activæ, & passivæ ipso „
facto incurrenda, ut in perpetuum sexto quoque men- „
se, idest, feria secunda post primam Dominicam Ad- „
ventus, & feria sexta post Octavam Corporis Chri- „
sti, omnes, & singulæ præmissæ, tum insertæ, seu „
confirmatæ, tum in præsens factæ ordinationes unà „
cum dictis declarationibus in publica mensa perlegan- „
tur. „

Meminerint igitur, & satagant Ordinarii, ut a per- „ 31
sonis, & in Ecclesiis quoquomodo, etiam in vim de- „
cretorum Concilii Tridentini sibi subjectis, Missæ ea, „
qua par est, fide, & diligentia celebrentur, & cun- „
cta, & singula Decreta hujusmodi omnimodæ exequu- „
tioni demandentur, nedum justitiam recurrentibus, „
seu instantibus reddentes, sed ex officio, tum in vi- „
sitationibus, tum in aliis actibus, & modis, quos ex- „
pedire, & convenire toties quoties judicaverint, in- „
quirentes, ne aliquid committatur, pervertatur, dif- „
feratur, vel omittatur, quod his omnibus, & singu- „
lis decretis adversetur. „

Caveant etiam respectivè omnes Regulares, tum „ 32
subditi, tum Superiores quicunque, nedum locales, „
sed etiam Provinciales, & Generales, ne Missarum „
celebratio, & omnium decretorum præmissorum exe- „
quutio, cum pernicie propriarum animarum, cum præ- „
judicio illarum, quibus Missæ sunt applicandæ, & cum „
magno Christi fidelium scandalo quoquomodo omit- „
tantur, differantur, negligantur, seu pervertan- „
tur; alioquin ultrà propriæ conscientiæ onerationem, „
pœnam privationis vocis activæ, & passivæ, ac „
graduum, & officiorum, quæ obtinent, necnon „
inha-

„ inhabilitationis ad hujuſmodi gradus, & officia obti-
„ nenda, prorſus incurrant.
33 „ Curent propterea præfati Superiores Regulares in
„ omnes, & ſingulos contravenientes debitis pœnis di-
„ ligenter, & promptè, etiam per inquiſitionem anim-
„ advertere; & inſuper teneantur omnes, & ſinguli
„ Superiores locales in Provincialibus Capitulis, ſeu
„ Congregationibus, exhibere atteſtationem, ſeu fidem
„ ab omnibus Sacerdotibus Conventus, Monaſterii, ſeu
„ cujuſcumque domus Regularis, ſubſcriptam, & ju-
„ ratam, quòd omnibus, & ſingulis, tùm perpetuis,
„ tùm manualibus Miſſarum oneribus, ſeu obligationi-
„ bus, ad limites, & tenorem præſentium decretorum
„ tempore eorum regiminis fuerit omninò, & integra-
„ liter ſatisfactum, vel deficiente aliqua modica ſatis-
„ factione, poſſit etiam hujuſmodi reſiduali implemen-
„ to Miſſarum, diſtinctè referendarum, intra breve
„ tempus moraliter ſatisfieri, ea adjecta, & omninò
„ adimplenda conditione, quòd ante præfatæ atteſtatio-
„ nis exhibitionem quicumque Superiores locales præ-
„ dicti vocem activam, ſeu paſſivam in memoratis Ca-
„ pitulis, ſeu Congregationibus omninò habere non
„ valeant.
34 „ Præterea Provinciales, Vicarii, & Viſitatores Pro-
„ vinciarum, ſeu Congregationum debebunt in fine
„ eorum regiminis Superioribus Generalibus in forma
„ probante oſtendere, quòd exequutioni præſentium
„ decretorum ſedulò invigilaverint, & ad eorum teno-
„ rem in omnibus, & ſingulis Conventibus, ſeu Mo-
„ naſteriis, vel Domibus Regularibus Provinciæ, ſeu
„ Congregationis, de omnibus, & ſingulis oneribus,
„ & obligationibus, ac inſimul ſatisfactionibus Miſſa-
„ rum, exactam, & diligentem rationem exegerint,
„ ac contra delinquentes ad declarationem, & exequu-
„ tionem reſpectivè pœnarum in Decretis contentarum
„ proceſſerint, & de adimplemento circa ea, quæ in
„ præmiſſis ad ipſos ſpectant, legitimè docuerint, aliàs
„ ad vocem activam, & paſſivam in Capitulis Gene-
„ ralibus nullatenùs admittantur.
35 „ Cæterùm, quia etiam ad quamplures Archicon-
„ fraternitates, Confraternitates, Societates, Congre-
„ gationes, Hoſpitalia, Altaria, Capellas, Oratoria,
„ & Eccleſias, ac alia loca, & opera pia, quomodo-
„ libet nuncupata, quæ cuicumque curæ, ſeu regimi-
„ ni, aut adminiſtrationi, vel directioni Laicorum cu-
„ juslibet gradus, ſtatus, conditionis, & præeminen-
„ tiæ, etiam ſpeciali, & individuali nota dignorum
„ dumtaxat, vel quorumcumque Eccleſiaſticorum, &
„ Laicorum hujuſmodi mixtim commendata, annexa,
„ ſeu quomodocumque commiſſa, vel attributa ſunt,
„ onus, ſeu cura celebrationis Miſſarum, ſive manua-
„ lium, ſive ad tempus, vel in perpetuum pertinet.
„ Hinc, ſalvis ſemper iis, quæ in præinſertis Decretis
„ continentur, omnes, & quicumque hujuſmodi Archi-
„ confraternitatum, Societatum, Congregationum, Hoſ-
„ pitalium, Altarium, Capellarum, Oratoriorum, &
„ Eccleſiarum, ac aliorum locorum, & operum pio-
„ rum Rectores, ſeu Adminiſtratores, vel Directores,
„ & alii hujuſmodi Officiales, necnon ii, ad quos cu-
„ ra tabellæ, & librorum in præmiſſis ſpectat, tabel-
„ lam, libros, & hæc Decreta reſpectivè, juxta mo-
„ dos ſuperiùs expreſſos, ſimiliter retinere, necnon de
„ oneribus, ac celebrationibus, & eleemoſynis dictarum
„ Miſſarum ſingulis annis rationem exigere, & reſpe-
„ ctivè iis, ad quos pertinet, reddere, ſub pœnis ar-
„ bitrio, & in ſubſidium excommunicationis teneantur.
36 „ Poſtremò, omnibus, & quibuſcumque, tàm Eccle-
„ ſiaſticis perſonis cujuſcumque Ordinis, Status, Gra-
„ dus, Regulæ, Congregationis, Societatis, Conditio-
„ nis, & Dignitatis exiſtant, quàm Laicis quocumque
„ honore, ac poteſtate præditis, omnia, & ſingula
„ præmiſſa Decreta interpretandi, necnon Eccleſiaſti-
„ cis prædictis pœnas in hujuſmodi Decretis relaxandi,
„ ſeu quoquomodo circa præmiſſa diſpenſandi, omnis,
„ & quæcumque facultas ſit penitùs interdicta.
37 „ Non obſtantibus quoad ſupraſcripta omnia, & ſin-
„ gula in hujuſmodi Decretis contenta, Conſtitutioni-
„ bus, & Ordinationibus Apoſtolicis in favorem qua-
„ rumcumque perſonarum, atque Ordinum, tàm Men-
„ dicantium, quàm non Mendicantium, Militiarum,
„ etiam S. Joannis Hieroſolymitani, Congregationum,
„ Societatum, ac cujuslibet alterius Inſtituti, etiam
„ neceſſariò, & in individuo exprimendi, Eccleſiarum,
„ Monaſteriorum, Conventuum, Collegiorum, Capitu-
„ lorum, Hoſpitalium, Confraternitatum, & aliorum
„ quorumcumque, tàm Sæcularium, quàm Regularium
„ locorum, necnon illorum, etiam juramento, confir-
matione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia robo- „
ratis Statutis, & Conſuetudinibus, etiam immemo- „
rabilibus, Privilegiis quoque, indultis, & literis Apo- „
ſtolicis, etiam Mare magno, ſeu Bulla aurea, aut „
aliàs nuncupatis, ſub quibuſcumque tenoribus, & for- „
mis, ac cùm quibuſvis etiam derogatoriarum derога- „
toriis, aliiſque efficacioribus, & inſolitis clauſulis, nec- „
non irritantibus Decretis, etiam motu proprio, & ex „
certa ſcientia, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudi- „
ne, aut aliàs quomodolibet, etiam per viam com- „
municationis, ſeu extenſionis conceſſis, & iteratis „
vicibus approbatis, & innovatis, etiamſi pro illo- „
rum ſufficienti derogatione de illis, eorumque totis „
tenoribus, & formis ſpecialis, & individua, ac de „
verbo ad verbum, non autem per clauſulas genera- „
les, mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda, aut „
aliqua alia exquiſita forma ſervanda eſſet, tenores „
hujuſmodi, ac ſi de verbo ad verbum, nihil peni- „
tùs omiſſo, & forma in illis tradita obſervata, in- „
ſerti forent, præſentibus pro expreſſis habentes, qui- „
bus quoad ea, quæ præſentibus adverſantur, illis aliàs „
in ſuo robore permanſuris, Sacra Congregatio San- „
ctitatis Suæ authoritate ſpecialiter, & expreſsè de- „
rogat, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ die 23. Novembris 1697.

Joſeph Card. Sacripantes Præfectus.

Ferdinandus Nuptius S. Congr. Secr.

Quocirca, cùm Dilectus Filius noſter Joſeph Ti- „ 38
tuli S. Mariæ Tranſpontinæ S. R. E. Presbyter Car- „
dinalis Sacripantes, memoratæ Congregationis Præ- „
fectus, præfata Decreta Nobis retulerit. Nos conſi- „
derantes eadem omnia, & ſingula Decreta, ea qua „
decet maturitate, digeſta, & examinata, ac in vim „
Apoſtolicæ Authoritatis, eidem Congregationi ſpe- „
cialiter, ut præfertur, attributæ, peracta, perutilia „
fore cenſentes, illaque propterea perpetuò, & invio- „
labiliter obſervari, necnon Conſtitutionis noſtræ mu- „
nimine roborare volentes: motu proprio, non ad cu- „
juſpiam Nobis ſuper hoc oblatæ peritionis inſtan- „
tiam, ſed ex certa ſcientia, & matura deliberatione, „
deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, præin- „
ſerta Decreta, omniaque, & ſingula in eis contenta „
tenore præſentium authoritate Apoſtolica confirma- „
mus, & approbamus, illiſque inviolabilis, & irrefra- „
gabilis Apoſtolicæ firmitatis robur, & efficaciam ad- „
jicimus; quinimmò motu, ſcientia, deliberatione, ac „
poteſtatis plenitudine ſimilibus, omnia, & ſingula in „
ſupradictis Decretis contenta, de novo ſtatuimus, de- „
cernimus, & ordinamus, ac ab omnibus, & quibuſ- „
cumque etiam ſpeciali, & individua nota dignis, om- „
ninò, exactè, & perpetuò ſervari volumus, ſanci- „
mus, & mandamus. „

Decernentes præſentes literas, cum omnibus, & „
ſingulis inibi contentis, ſemper firmas, validas, & „
efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & in- „
tegros effectus ſortiri, & obtinere debere, & ab om- „
nibus, ad quos ſpectat, & pro tempore quandocum- „
que, & quomodocumque ſpectabit, in omnibus, & „
per omnia pleniſſimè, & inviolabiliter obſervari; ſic- „
que, & non aliter per quoſcumque Judices Ordina- „
rios, & Delegatos, quavis authoritate, præeminen- „
tia, aut poteſtate fungentes, & functuros, etiam cau- „
ſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ac ejuſdem S. R. „
E. Cardinales, etiam de Latere Legatos, & Sedis „
Apoſtolicæ Nuncios, ſublata eis, & eorum cuilibet, „
quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, „
judicari, & definiri debere: ac irritum, & inane, ſi „
ſecùs ſuper his a quoquam, quavis authoritate ſcien- „
ter, vel ignoranter contigerit attentari.

Non obſtantibus omnibus, & ſingulis, quæ præfa- „
ta Congregatio, authoritate per ejuſdem recordatio- „
nis Urbanum Papam VIII. & reſpectivè per Nos il- „
li ſpecialiter attributa, decrevit non obſtare; quæ „
pariter, & iterùm Nos tenore præſentium non ob- „
ſtare decernimus, & mandamus; quibus omnibus „
quoad ea, quæ præſentibus adverſantur, illis aliàs „
in ſuo robore permanſuris, etiam harum ſerie ple- „
niſſimè, ſpecialiter, & expreſsè derogamus, cæteriſ- „
que contrariis quibuſcumque.

Volumus autem, ut præſentes literæ in Valvis Ec- „
cleſiæ Lateranenſis, ac Baſilicæ Principis Apoſtolo- „
rum, necnon Cancellariæ Apoſtolicæ, Curiæqu e ge- „
neralis in Monte Citorio, ac in Acie Campi Floræ „
de Urbe, ut moris eſt, publicentur, & affigantur; „

„ ſicque publicatæ, & affixæ, omnes, & ſingulos, quos „ illæ concernunt, perindè arctent, & afficiant, ac ſi „ unicuique eorum perſonaliter intimatæ fuiſſent.

„ Pariterque, ut earumdem præſentium tranſumptis „ impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, „ & ſigillo perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitu- „ tæ munitis, eadem prorſus fides adhibeatur, quæ „ præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel o- „ ſtenſæ.

„ Nulli ergo omninò hominum liceat, paginam hanc „ noſtrarum Confirmationis, Approbationis, Statuti, „ Decretorum, Ordinationis, Voluntatis, Sanctionis, „ Mandatorum, & Derogationis infringere, vel ei au- „ ſu temerario contraire. Si quis autem hoc attenta- „ re præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, „ ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe „ noverit incurſurum.

„ Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, „ Anno Incarnationis Dominicæ milleſimo ſexcenteſi- „ mo nonageſimo ſeptimo. Decimo Kalendas Januarii, „ Pontificatus Noſtri Anno ſeptimo.

DECRETA GENERALIA

Circa Rubricas.

CUm Sacrorum Rituum Congregationi demiſsè ſup- plicatum fuerit ſequentia dubia declarare.

Primum. An, cùm multis Congregationibus, Religionibus, ſive Eccleſiis, vel Nationibus conceſſum ſit a Sancta Sede Apoſtolica, ut ſemel, vel pluries in ſingulis hebdomadis, vel menſibus celebrentur varia Officia per annum, V. G. de Sanctiſſimo Sacramento, vel de Sanctis in diebus non impeditis aliquo feſto duplici, vel ſemiduplici, liceat ejuſmodi Officia facere etiam in diebus ſanctæ Quadrageſimæ, Adventus, Vigiliarum, & Quatuor temporum, etiam ſi de his diebus nulla ſit facta ſpecialis mentio in aliquibus Officiorum conceſſionibus?

Secundum. An dies impeditus feſto duplici, vel ſemiduplici pro dictis Officiis recitandis, intelligantur etiam dies, in quibus ponendum eſt Officium de feſto duplici, vel ſemiduplici translato, quemadmodum dicitur reſponſum fuiſſe olim a Sacra Congregatione; quod ſcilicet feſtum duplex, vel ſemiduplex etiam translatum, necnon dies Octavæ ſit dies impeditus reſpectu talium Officiorum?

Tertium. An Regulares abſque ſpeciali privilegio, ſed ſola communicatione privilegiorum aliarum Religionum poſſint addere nomen Sancti Fundatoris in Litaniis, & Confiteor, itemque recitare Officia, & Miſſas conceſſas aliis Religionibus?

Sacrorum Rituum eadem Congregatio ad relationem Eminentiſſimi & Reverendiſſimi Domini Cardinalis Colloredo reſpondit.

Ad primum negativè, & hujuſmodi indulta non habere locum in feriis Adventus, Quadrageſimæ, Quatuor temporum, Vigiliarum, ſive cum jejunio, ſive abſque jejunio, nec in feria ſecunda Rogationum, nec in illa feria, in qua ſecundùm Rubricas ſit reponendum Officium Dominicæ.

Ad ſecundum, affirmativè.

Ad tertium, negativè in omnibus.

Et ita declaravit, ac ſervari voluit. Ac inſuper ut Declarationes, ſeu Decreta prædicta omnibus innoteſcant, typis ea imprimi mandavit. Die 20. Martii 1706.

G. Card. Carpineus.

Loco † Sigilli.

B. Inghirami Sac. Rit. Congr. Segr.

CONSULTATIO CCXXXIII.

An filii infantes Judæorum adhuc viventibus, & invitis eorum Parentibus, hoc eſt Patre, & Matre, poſſint peti ad ſuſcipiendum baptiſmum a patruo, vel ab avo jam Chriſtianis, vel Catechumenis?

1 PRo hujus dubii deciſione ſufficit oſtendere conſilium 3. in novis celeberrimi Doctoris Martini Navarri, plurium Summorum Pontificum Conſiliarii, *in titul. de converſione infidelium*, quod Sayrus poſt ſuum tractatum *de cenſuris eodem titul.* ſequitur, & compendio reſtringit *deciſ.* 4. his verbis: *Judæorum infantes, pueri, ideſt, qui nondum ad 12. ætatis annum pervenerunt, apud parentes educari debent, ad quos jure naturali, & divino regimen eorum circa ſpirituale ſpectat. Patre autem mortuo, apud matrem, avo paterno etiam Chriſtiano excluſo, educandi ſunt, eique tutela danda erit, non obſtante quod ſubſit timor, quod pueros ad infidelitatem trahet. Neque tales infantes, invitis utriſque Parentibus, aut mortuo Patre, invita Matre, baptizandi ſunt, can. qui ſincera, & can. de Judæis diſtinct. 45.*

Et quidem hujuſmodi infantes non poſſe baptizari, 2 invitis parentibus, tradunt communiter Doctores cum Sancto Thoma 2. 2. *quæſt.* 10. *artic.* 12. & 3. *part. quæſt.* 68. *artic.* 10. & docent quadraginta ſeptem authores, quos adducit, & ſequitur Paſqualig. *in prax. eorum, qui in articulo mortis conſtituuntur, quæſt.* 47. *numer.* 5. inter quos Canoniſtæ, præſertim *in cap. ſicut Judæi de Judic.* & *Saracenis*, & Gloſſ. *in can. Judæorum* 18. *quæſt.* 1. & deſumitur ex *can. de Judæis diſtinct.* 45. & *ad fidem* 23. *quæſt.* 5. & ex *leg. nemo, Cod. de Judic.* ex quibus textibus habetur, quod nemo debet compelli ad fidem ſuſcipiendam, ſed debet ſponte venire. Et hi textus habent locum etiam quoad infantes; nam cogerentur ad fidem invitis parentibus. Cùm enim voluntas ipſorum contineatur interpretativè in voluntate parentum, his coactis, & ipſi quoque cogerentur.

Cogerentur etiam ad fidem indirectè ipſi parentes; 3 nam vel ne privarentur patria poteſtate, & jure, quod habent in filios, vel ne ſepararentur a filiis, qui ipſis eſſent ſubtrahendi, juxta determinationem Concilii Toletani 4. & *dict. can. de Judæis diſtinct.* 45. & *can. ſæpè* 28. *quæſt.* 1. coacti fidem ſuſciperent. Metus autem alicujus damni, præſertim notabilis, qualis eſt amiſſio filiorum, infert coactionem. Quod ſanè confirmatur. Nam Eccleſia nunquam conſuevit baptizare, invitis parentibus Hæbræis, eorumdem filios, nec permittere, quod baptizentur. Ergo non adeſt aliquod jus ad eos baptizandum. Siquidem ſi adeſſet, ſaltem aliquando fuiſſet reductum ad praxim. Conſuetudo namque declarat jus, *leg. minimè, ff. de legib.* & *cap. cùm dilectus de conſuetudine.*

Non obſtat additio ad dict. Conſilium Navarr. in 4 fine, in quo refertur Gregorium Decimumtertium juſtiſſimè baptizari juſſiſſe puerum, petente avo paterno, renitente Matre Hebræa. Nam reſpondetur id intelligendum de avo paterno, qui in locum Patris defuncti ſuccedit, ut teſtatur ipſa additio ad dict. Conſilium Navarri, Laym. *lib.* 5. *Theolog. Moral. tractat.* 2. *cap.* 6. *num.* 10. §. 3. *de Sacrament. baptiſm.* & ego *tom.* 7. *conſult.* 39. *num.* 12. Gaſpar. Hurtad. *de Sacrament. diſput.* 3. *difficult.* 4. Jambert. 3. *parte quæſt.* 69. *diſput.* 5. *art.* 3. *propoſit.* 3. Lorca 2. 2. *quæſt.* 10. *artic.* 12. *diſput.* 37. *membr.* 3. *numer.* 26. quia avi ſuccedunt in locum Patris mortui, & ideò pertinet ad ipſos cura infantium.

Minùs obſtat, quod Pater hujuſmodi infantium ad- 5 huc ſit ſub patria poteſtate ſui patris jam Chriſtiani, cùm nondum fuerit emancipatus, atque adeo eſſe ſub patria poteſtate avi Chriſtiani hujuſmodi infantes, ac proindè poterit ad Baptiſmum eos offerre.

Nam reſpondetur 1. Succedere avum in locum Pa- 6 tris ipſo defuncto, ut dictum eſt. 2. Etiamſi hæc patria poteſtas conveniret avo reſpectu filii non emancipati, illa tamen eſſet poteſtas civilis; patria autem poteſtas naturalis non convenit tantùm patri hujuſmodi infantium, ſed etiam eorum matri, quæ adhuc vivit. Patria autem poteſtas civilis eſt illa, quam leges tribuunt Patri in ordine ad illos effectus, quos præſcribunt. Patria verò poteſtas naturalis conſiſtit in illo jure, quod jure naturali convenit utrique parenti in ordine ad curam, & educationem filiorum.

Tertiò, reſpondetur, id procedere in Conſanguineis, 7 qui in pari gradu ſunt favore fidei, nulla habita ſexus ratione, an potior ſit conditio conſanguineorum fidelium, quàm infidelium, itaut amita, vel matertera Chriſtiana patruo, aut avunculo Judæo præferatur. Non autem in diſpari gradu, ut eſt pater infantium, & avus eorumdem, quod obſervandum advertit Cardinalis a Sancta Severina in Cathechiſmo generali pro Catechumenis, *cap.* 2. §. *denique illud generaliter ſervandum eſt.*

Quartò, quia tacitè præſumitur mancipatur filius, 8 ſi pater eum diù paſſus ſit res ejus ut patrem familias gerere, ut in hoc caſu ex reſcripto Antonini *in leg.* 1. *de mancipat. lib.* Paulus autem juriſconſultus *in leg. ſi cum fideicommiſſa*, §. *Ariſto, ff. qui, & a quibus manum lib. non fiant*, verbum *diu* decennium inter-

interpretatur ad præscribendam libertatem. Sint autem manumissione Diocletianus, & Maximianus bonæ fidei possessionem pro libertate viginti annorum præscribunt *in leg. 2. de long. temp. præscript.* quæ pro libertate, non contra libertatem apponitur, *lib. 7. Cod. titul. 22.* In præsenti autem casu hic Hebræus non solùm per decennium, sed per viginti quinque annos res suas, ut Paterfamilias seorsim a Patre gessit. Et ita hodie servari tradunt Barbat. *in leg. sciendum col. 26. in fin. vers. & adduc. de verbor. obligat.* & Bald. *in leg. post mortem de adopt.* filiumfamilias, qui per viginti annos seorsum a Patre habitaverit, pro emancipato haberi.

9 Meminitque & Constantinus Harmenopolus, *lib. 1. prompt. jur. titul. 18.* Novell. Constit. Cæsaris Leonis, quia filius habetur pro tacitè emancipato, qui non contradicente Patre sibi certum, & stabile vivendi genus delegit, ut si Uxorem duxerit, sicut in hoc casu per se eum vivere permittens, quamvis necdum ad eam pervenerit ætatem, qua matrimonium contrahere possit. Quia ex diuturnitate temporis omnia præsumuntur solemniter acta, omniaque necessaria solemnitati supplentur, ut in aliis, *leg. Qui in aliena, §. sed si non ff. de acquirend. hæredit. leg. Cùm de in rem verso de usur. leg. hoc jure, §. ductus aquæ ff. de aqua quot. & æstiv. & leg. sciendum, ff. de verb. obligat.*

10 Et ideò non officit rescriptum Diocletiani, & Maximiani *in leg. non modo 3. Codice de emancipat. lib.* quo dedicitur, non modò consensu patria potestate liberos, sed solemni actu liberari. Nam respondetur, hoc silentio paterno neque nudus consensus, sed solemnis præsumitur, ut docet Petr. Gregor. Tolosan. *in syntagm. jur. universi. part. 2. lib. 11. capit. 10. num. 11.*

11 Et profectò absque ulla distinctione de emancipatione, vel de patria potestate, generaliter docent Doctores cum Div. Thoma superius adducto, & praxis Ecclesiæ, non posse filios infantes infidelium baptizari, invitis eorum parentibus. Tum ex superius dictis, tum ex rationibus ab ipsis adductis. Immò Julius Tertius imposuit pœnam scutorum quingentorum secus facientibus.

12 Adversus hanc communem sententiam tres rationes a Gratiano *discept. for. cap. 977.* afferuntur. Prima ducitur ex natura patriæ potestatis. Secunda ex appellatione parentis, & parentum. Tertia ex præjudicio rerum judicatarum.

13 At nulla ex his rationibus obstat casui, de quo agitur. Et quoad primam certissimum est, quod in spiritualibus potius ratio naturalis est spectanda, quàm juris positivi, sive civilis, ut tradit Innocent. *in cap. 2. de regular. numer. 1.* qui asserit *ex leg. Sabinus ff. commun. divid.* si pater, aut mater contradicat, melior est conditio prohibentis, Hostiens. *ibidem. numer. 2. verb. parentum*, quos sequitur Fagnanus *ibidem numer. 4.* Sylvest. Tabien. Armill. *in verb. patria potestas*, ob quam rationem naturalem propterea est spectanda voluntas Patris, & Matris circa oblationem filiorum infantium Religioni, & non avi paterni, adeout integrum sit parentibus, invito avo, offerre filium Religioni, vel revocare, quemadmodum tradit idem Innocent. & Hostiens. *loco citato* ibi Joann. Andr. *numer. 1.* Butr. *numer. 12.* Cardinal. *numer. 2. quæst. 1.* Anchar. *num. 5.* Boich. *numer. 4.* Sylvest. *verb. religio 3. quæst. 12.* Rodriquez, *in Summ. eodem verb. num. 11.* & proinde quia hæc eadem ratio naturalis viget quoad Baptismum, quæ viget quoad oblationem, vel revocationem a Religione, omninò ex iis quæ conveniunt huic casui, dicendum videtur, quod spreta voluntate, & patria potestate avi, non sit deveniendum ad Baptismum infantium, propriis parentibus invitis.

14 Non obstat secunda ratio. Nam in proposito casu Baptismi, attenta dispositione Sacrorum Canonum, & Constitutionis Martini Quinti, quæ dum in hoc requirunt consensum alterius parentis, necessariò loquuntur de patre, & matre, & non de avo, quoniam si secus diceremus, non duo tantùm concurrerent ad præstandum dictum consensum, sed plures, quod cùm repugnet proprietati verborum ob illam dictionem *alter*, quæ propriè verificatur in duobus tantùm, ut per Bartol. *in leg. Ancillæ num. 5. Codice de furtis*, Alexand. *in leg. cùm ex filio §. Quidam numer. 2. & 3. & de vulgar.* & alios, quos allegat Vulpell. Barbos. & Gratus in dicta dictione *alter*, Gonzal. *ad regul. 8. Cancellar. gloss. 58. numer. 33.* propterea verbum illud, *parentibus*, non potest, nec debet verificari in avo, ut arguit Navarr. *cons. 4. num. 21. de con-*

vers. Infidel. Rebuff. *in leg. appellatione parentis 51. ff. de verbor. significat. vers. 3.* Unde ex subjecta materia propter dictionem *alter* appositam in dicta Constitutione Martini non potest significare, nisi proximos genitores. Nam ait *alteruter, uterque, neuter, alter*.

Neque ex toto corpore juris poterit unquam ostendi, uterque de aliis dici, quàm de duobus, cùm Canones, & D. Thomas, & Theologi omnes dum loquuntur de Baptismo Infantium invitis parentibus, nomen parentum restringunt ad duos. Nam utuntur his verbis, uterque, alteruter, neuter. Unde Capreol. Sot. Cajet. Palud. Scot. Durandus, Richardus, Antoninus instituunt quæstionem, an requiratur consensus *utriusque parentis*, vel sufficiat unius, quam etiam sub his terminis tractat Suarez *in 3. part. disp. 25. sect. 3. §. duo superjunt*, ubi plura, & præclara ad honorem habentur, & apertissimè D. Thomas restringit ad Patrem, & Matrem viventes *2. 2. quæst. 12. & part. 3. quæst. 10.* ubi inter alias rationes ait, quia repugnat justitiæ naturali. Filius enim naturaliter est aliquid patris. Et primò quidem a parentibus non distinguitur secundùm corpus, quamdiu in Matris utero continetur; postmodum verò postquam ab utero egreditur, antequam usum liberi arbitri habeat, continetur sub parentum cura, sicut in quodam spirituali utero. Et mox. De jure naturali est, quod filius antequam habeat usum rationis, sit sub cura Patris. Unde contra justitiam naturalem esset, si puer antequam habeat usum rationis, a cura parentum subtrahatur, vel de eo aliquid ordinetur, invitis parentibus. Ex quibus clarissimè constat Divum Thomam nomine parentum intelligere tantùm Patrem, & Matrem, & non alios, quemadmodum id ipsum intelligunt Theologi omnes Divum Thomam sequentes. 15

Quibus non obstat quòd dictio *alter* verificari possit in tribus, & pluribus. Quia id accidit contra propriam significationem, & proprietatem verbi, ut benè declarat Gonzal. *loco cit.* & Gratus *dict. 18. num. 2.* Et tunc plures comprehenduntur, quando ageretur de vitando absurdo, vel sequeretur absurdus intellectus, ut post Bertaz. & alios ex adverso citatos declarat Barbos. in dicta dictione *alter 19.* num. 2. Tenendum est ergo, quod dicta Constitutio Martini, & Canones loquuntur de duobus tantùm, ut in casu suo concludit Gonzal. *in dict. gloss. 58. num. 39.* 16

Non obstat etiam, quòd dicatur, in avo concurrere patriam potestatem, & vinculum naturale, quod solum naturali in patre viget. Quia, ut ex Innoc. *in d. cap. 2. de regular.* & ex aliis ibidem scribentibus, nec non ex Theologis superius adductis, in hujusmodi spiritualibus attenditur tantummodò vinculum naturale, seu ratio naturalis, contra quorumcumque scribentium authoritates, cùm non reperiatur aliquis, qui eos reprobet, idcirco illis standum est. 17

Nec obstat, quod si ratio hæc naturalis esset attendenda, ergo in casu Navarri *in dict. consil. 4.* Matre reluctante pro Baptismo, attendi potius debuisset voluntas matris, quàm avi, & nihilominus constat, quod tunc prævaluit instantia, & voluntas avi. Nam id accidere potuit, vel ex eo quod multi tenuere, quod hæc naturalis ratio non attendatur in Matre, tanquam consilii debilis, ut advertit Arias Pinellus *de bon. matern. part. 2. rubr. numer. 22.* & sequitur Paschal. *de patr. potest. part. 1. cap. 2. numer. 12.* & in terminis oblationis filii ad Religionem, Gloss. *in can. 1. verb. aut unus 20. quæst. 2.* ibique Archidiac. Bellam. *in princip.* & Turrecrem. *num. unico*, Sylvest. *d. verb. Religio 2. quæst. 13.* & Antonin. in Summ. *part. 2. tit. 11. cap. 2. §. 6.* vel ex eo, quod dum Canones, & præsertim Constitutio Martini Quinti contentatur de consensu unius ex Parentibus tantùm, in casu Navarri, quia Pater mortuus erat, ideo fuerit attentus consensus avi, quia verba Constitutionis verificabantur, quod non contingit in hoc casu, in quo Pater horum Infantium adhuc vivit. Unde Azor. *part. 1. lib. 8. cap. 25. quæst. 9.* quærens quosnam parentum nomine intelligi oporteat, respondet, intellige quoque ea voce tutores datos Infantibus, qui Parentibus destituuntur, ex Paludano, & Soto. 18

Maximè quia non obstat, quod patria potestas non improbatur a Jure Canonico, quinimmò, quod hæc proficiscatur a jure naturali: Nam quidquid in contrarium adducatur, certum est, communem esse, & ab omnibus approbatam conclusionem, quod hujusmodi patria potestas est inducta a mero jure civili, secundùm quod post Bartolum *in leg. Item in potestate, ff de iis, qui sunt sui, vel alien. jur.* & alios, docet Pinell. 19

loco citato num. 3. & 4. quam patriam poteſtatem, quamvis in multis jus Canonicum ſequatur; tamen illam ſpernit, præſertim in caſu iſto, in quo adverſatur dict. rationi naturali, ut patet ex deductis ab Innocentio, & aliis *in dict. cap. 2. de regular.* Qui cùm loquantur in puncto diſpoſitionis faciendæ de filiis parvulis, & controverſiæ vertentis inter avum, & Patrem, illis omninò ſtandum eſt, & non regulis generalibus, frivoliſque rationibus, & authoritatibus a vocabulo Parentum, a vocula, ſive dictione, *alter*, aliiſque ſimilibus in rem tàm gravi a Gratiano petitis, & adductis, quæ hoc modo limitantur, ac everſuntur.

20 Minùs obſtant, quæ dicuntur de Baptiſmo filiorum Judæi ſervi: Quia Judæi, qui hodie apud nos commorantur, non ſunt ſervi, neque captivi, & de his non loquitur Concilium Toletanum, & Doctores ex adverſo allegati, ſed de Judæis in bello captis, & in ſervitutem redactis, ut rectè declarat Paſchal. *de patr. poteſt. parte 1. cap. 7. num. 12. & 13.*

21 Non obſtat tandem tertia ratio ex præjudicio rei judicatæ; nam caſus hic, de quo nunc agitur non eſt idem cum caſu Navarri. Primò, quia hìc agitur a Patre contra filium vivum, ibi a ſocero contra nurum. Secundò, hic agitur de patria poteſtate civili ſuper filium, & nepotes, ubi agebatur de patria poteſtate in nepotem, mortuo Patre. Tertiò, ibi agebatur, cui eſſet adjudicanda tutela, hìc nihil agitur de tutela. Quartò, ibi agebatur primariò de educatione infantis apud ſuum tutorem, quam ſibi vindicabat avus ex repræſentatione Patris defuncti, hic agitur directè de Baptiſmo infantium, invitis Parentibus.

22 Et res judicata tempore Clementis Octavi minus difficultatis habet, quia in eo caſu proximi genitores ob alias cauſas ex dominio Eccleſiæ fugerant Florentiam, relictis filiis infantibus, quare jam culpa ſua ab illis erant ſeparati, quo poſito juſtiſſimè poterant ab avo vindicari, & inde poſtea baptizari. Accedit, quod certiſſima relatione habetur, & probabitur, ſi opus ſit, illos filios, quando capti fuere, & poſteà baptizati, habuiſſe perfectum uſum rationis, nempè unum octo, alterum decem annorum, & conſequenter potuiſſe, etiam invitis parentibus, baptizari, cùm eſſent ſui juris in iis, quæ concernunt ſtatum animæ.

23 Quod verò ad caſum anni 1624. cauſa illa non fuit ab utraque Parte diſcuſſa, ſed ſolùm deciſa a Congregatione Domus Catechumenorum, quæ fuit pars, & judex, non autem ab hoc Sacro Tribunali, quod ſemper religioſiſſimè declaravit non poſſe filios infantes baptizari, invitis parentibus, præſertim poſt dictos caſus adductos a Gratiano, ut præ aliis habetur ex ſubjectis declarationibus.

Hæbræorum filii ad Fidem Catholicam converſi poſſunt baptizari ad inſtantiam Patris, vel Matris converſorum ad Fidem Catholicam abſque difficultate: ſed ii, qui excedunt ſeptem annos, & ſunt doli capaces, ſunt relinquendi eorum voluntati 1638. fol. 167.

Notificandum Populo non licere, invitis Parentibus filios hebræorum baptizari, quia licèt finis ſit bonus, media tamen non ſunt licita, ſtante præſertim Bulla Julii Tertii, imponentis pœnam mille ducatorum, & ſuſpenſionis baptizantibus filios hebræorum, invitis parentibus 1639. fol. 51.

24 Et notandum, quod dicta Conſtitutio Julii Tertii loquitur de parentibus in proprio ſignificatu, cùm utatur iiſdem verbis, quibus uſus eſt Martinus Quintus, non autem de avo, proavo, & aliis parentibus remotis, & remotiſſimis. Nam juxta *leg. parentis appellatione de verbor. ſignificat.* parentes ſolùm dicuntur Mater, & Pater, a pariendo ſic dicti. Siquidem is, & ea parens eſt, qui, & quæ genuit, & procreavit prolem, ut docet multis authoritatibus Brechæus in *d. leg. parentis appellatione.*

25 Quare ex his, & ab aliàs ſcriptis non eſt pro patre, & matre recedendum ex ſententia omnium ferè Theologorum, Canoniſtarum, praxi Eccleſiæ, ac declarationibus hujus Sacri Tribunalis, præſertim ex citata declaratione anni 1638. in qua ſolùm dicitur poſſe hujuſmodi infantes baptizari ad inſtantiam Patris, vel Matris, neque his rationibus, & authoritatibus hactenus ab adverſariis reſponſum eſt, ne quidem ab ipſo Gratiano, qui cognoſcens earum pondus, ſe excuſavit non poſſe illis reſpondere ob temporis penuriam. Neque exempla, quæ ipſe adducit, ejus ſententiæ patrocinantur. Quia eductionis potius, quàm juris ſunt; atque adeò in exemplum trahi nequeunt: Unde nec quia ſemel, ac iterum ſic fuerit judicatum, ideò in poſterum ita quoque judicandum ſit, cùm non exemplis, ſed legibus ſit judicandum, *leg. nemo, Cod. de ſentent.* Jus autem Canonicum non permittit, ut hebræorum infantes baptizentur invitis eorum parentibus, ut fusè in alio ſcripto probatum eſt. Concludendum igitur eſſet contra Conſtitutionem Martini Quinti, Julii Tertii, contra Divum Thomam, totamque Scholam Thomiſticam, ac omnes ferè Theologos, contra perpetuam praxim, ſi prædicti infantes ad inſtantiam avi Neophiti, vel Catechumeni, repugnante utroque parente, vel eorum altero, baptizentur, & omninò temerarium judicandum, ſi id attentetur, niſi producatur caſus aliquis in terminis, in quo oſtendatur in aliàs fuiſſe decretum non ab aliqua Congregatione particulari, aut Epiſcopo, ſed ab Eccleſia Catholica Romana. Qui ſanè caſus difficilè prædici poterit, cùm non ſolùm Martinus Navarrus *in dict. conſil. 4.* ſacræ Pœnitentiariæ per tot annos Conſultor conſumatiſſimus magnæ lectionis, & experientiæ, & qui nonagenarius Romæ deceſſit, Conſiliarium plurium Summorum Pontificum agens, atteſtetur id nunquam factum eſſe, & abſurdiſſimum fore, ſi fiat; ſed etiam Divus Thomas *dict. quæſt. 12.* teſtis eſt in Eccleſia nunquam factum fuiſſe, quod Judæorum filii, invitis parentibus, nempè Patre, vel Matre juxta ejus mentem, ac verba ſuperiùs expreſſa, baptizentur per rationes ab ipſo adductas.

Et nihilominùs his minimè obſtantibus Sacra Congregatio Sancti Officii ſub die 4. ſive 11. Junii 1698. cenſuit, confirmandum eſſe decretum emanatum anno 1687. ſub Innocentio Undecimo, qui voluit hujuſmodi nepotes baptizari poſſe, petente avo Chriſtiano, aut Catechumeno, invitis eorum Parentibus. Benè id factum, quia factum a Pontifice nos interim & in hoc quoque pareamus.

SANCTISS. DOMINI NOSTRI D.

CLEMENTIS

DIVINA PROVIDENTIA

PAPÆ XI.

Confirmatio, & Ampliatio Conſtitutionis Pauli PP. Tertii de Privilegiis Neophytorum quoad bona temporalia; cum aliis Ordinationibus pro faciliori infidelium, ac præſertim Judæorum converſione.

CLEMENS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI.

Ad perpetuam rei memoriam.

PRopagandę per univerſum, Terrarum Orbem Chriſtianę Fidei, cujus illibatum, ac perenne Depoſitum Romana in primis ſervat Eccleſia, pro commiſſi Nobis Apoſtolici muneris debito jugiter intendentes, dum in remotiſſimas quaſque partes Evangelii prędones ablegare ſatagimus, in eam ſimul curam diligenter incumbimus, ut quicumque disjectis Infidelitatis tenebris ad verum Juſtitię ſolem, qui Chriſtus eſt, agnoſcendum, eo adjuvante, feſtinant; nullis, quoad fieri poteſt, humanarum rerum obſtaculis impediantur; ſicque ad Catholicę Eccleſię gremium ex omni natione, quę ſub Cœlo eſt, eo frequentius, quo facilior, expediatur acceſſus.

Quamvis enim non temporalium rerum commodo, ſed æternæ potius hæreditatis intuitu ad ſuſcipiendam Chriſti Fidem Infideles allici oporteat, quin etiam edoceri, præcipuam Chriſtiani Hominis gloriam in eo maximè ſitam eſſe, ut terrena deſpiciat, exiſtimetque omnia detrimentum eſſe propter eminentem ſcientiam JESU Chriſti Domini Noſtri; nihilominùs rationi congruum, & pię matris Eccleſię inſtitutis conſentaneum arbitramur, ita paternam noſtram erga eos, qui adhuc in Fide Parvuli lacte potiùs, quàm cibo ſolito nutriendi ſunt, providentiam temperare, ut infirmiores quique a Chriſtianę Religionis propoſito amittendarum facultatum, incurrendęque prorsùs miſerę egeſtatis horrore non retrahantur: cùm potiùs juxta Canonicas ſanctiones, eos, qui ad Fidem veniunt, melioris con-

conditionis eſſe oporteat poſt Baptiſmum, quàm antequàm Fidem ſuſciperent, haberentur, & in illis etiam impleri debeat Chriſti certa promiſſio: Quærite primum Regnum Dei, & juſtitiam ejus, & hæc omnia adjicientur vobis.

Quam quidem ob cauſam complures Romani Pontifices Prædeceſſores noſtri, pro tradita ſibi divinitus in iis, quæ ad ejuſdem Sanctæ Fidei favorem, & propagationem pertinent, Apoſtolica poteſtate, multa in Neophytorum commodum privilegia conceſſerunt, aliis quoque additis Ordinationibus, quibus & indemnitati ipſorum, & Chriſtianæ Religionis dignitati, & faciliori ſimul Infidelium converſioni conſultum foret. Præcipuè verò felic. record. Paulus Papa Tertius Apoſtolicam Conſtitutionem edidit in hæc verba, videlicet.

PAULUS PAPA TERTIUS. Ad perpetuam rei memoriam. Cupientes Judæos, & alios Infideles quoslibet ad Fidem Catholicam converti, & prætextu Bonorum per eos antea poſteſſorum ab eadem Fide non diſtrahi, Motu proprio, & ex certa noſtra ſcientia, authoritate Apoſtolica, tenore præſentium, hac in poſterum valitura Conſtitutione ſancimus, quod cuicumque eorumdem Judæorum & Infidelium ad dictam Fidem converti volenti, etiamſi in patria poteſtate conſtitutus fuerit, Bona ſua quæcumque tàm mobilia, quàm immobilia, intacta, & illæſa permaneant. Itaut etiam filiifamilias, & in patria poteſtate, ut præfertur, conſtituti, legitima, & quacumque portione bonorum patrimonialium, aut maternorum eis de jure, ſeu ſucceſſione bonorum eis aliàs debitorum, per eorum parentes fraudari, aut privari non poſſint, neque debeant; ſed eis integrè, etiamſi contra voluntatem parentum ſuorum ad Fidem ipſam converſi fuerint, etiam eorum parentibus viventibus, debeantur.

Et ſi bona ipſa ex uſura, ut illicito quæſtu fuerint acquiſita, & notæ ſint perſonæ, quibus eorum fuerit de jure facienda reſtitutio (quia non dimittitur peccatum, niſi reſtituatur malè ablatum) illa eiſdem perſonis omninò reſtituantur; perſonis verò non extantibus prædictis, quia bona ipſa eſſent per manus Eccleſiæ in pios uſus convertendo, bona hujuſmodi eiſdem Judæis, & aliis Infidelibus, in favorem ſuſcepti Baptiſmatis, tanquam in pium uſum liberè concedimus, eaque apud ipſos ſic converſos Judæos, & alios Infideles, remanere decernimus. Interdicentes ſub divini anathematis pœna, quibuſvis tàm Eccleſiaſticis, quàm ſæcularibus perſonis, ne ullam ſuper bonis hujuſmodi, quovis quæſito colore moleſtiam inferant, aut inferri patiantur; ſed magnum ſe feciſſe lucrum exiſtiment, dum tales Chriſto lucrati fuerint.

Et quoniam, ut ſcriptum eſt, qui habuerit ſubſtantiam mundi hujus, & viderit fratrem ſuum neceſſitatem habere, & clauſerit viſcera ſua ab eo, quomodo charitas Dei manet in ipſo? ſi ipſi converſionis tempore inopes, aut indigentes fuerint, omnes tàm Eccleſiaſticos, quàm ſæculares per viſcera miſericordiæ Dei noſtri exhortamur, ut ipſis converſis manus porrigant adjutrices, ipſi quoque Dioceſani, non ſolùm Chriſtianos ad ſubveniendum ipſis exhortentur, ſed etiam tàm de redditibus Eccleſiarum, prout poterunt, quàm de his, quæ ad pauperum uſus per ipſos convertendos devolvuntur, hujuſmodi Neophytos ſuſtentare non negligant, ipſoſque a detractionibus, & contumeliis paterna affectione defendant.

Et quoniam per gratiam Baptiſmi cives ſanctorum, & domeſtici Dei efficiuntur, longèque dignius exiſtit regnare ſpiritu, quàm naſci carne, eadem Conſtitutione ſtatuimus, ut civitatum, & locorum, in quibus ſancto Baptiſmate pro tempore regenerabuntur, verè cives ſint, & privilegiis, ac libertatibus, & immunitatibus, quæ alii ratione nativitatis, & originis dumtaxat conſequuntur, gaudeant.

Curent inſuper Sacerdotes baptizantes, & alii de ſacro fonte eos ſuſcipientes, tàm ante baptiſmum, quàm poſt illos in articulis Fidei, ac legis novæ præceptis, Catholicæque Eccleſiæ viribus diligenter inſtruere, & tàm ipſi, quàm Dioceſani operam dent, ne cum aliis Judæis, ſeu Infidelibus, ſaltem per longum tempus, converſentur, ne ſicut quandoque contingit, ab infirmitate curatis modica occaſio ad priſtinam damnationem recidivam efficiat.

Et quoniam experientia teſte compertum eſt, mutuam ipſorum Neophytorum inter ſe converſationem, ipſos in Fide noſtra fragiliores reddere, ac ſaluti ipſorum plurimùm officere, hortamur locorum Ordinarios, ut quantum pro incremento Fidei viderint expedire, curent & ſtudeant Neophytos ipſos cum originariis Chriſtianis matrimonio copulare.

Et prohibeant eidem ſub gravibus pœnis, ne mortuos more Judæorum ſepeliant, aut Sabbata, aliaſque ſolemnitates, & antiquæ ſectæ ritus quoquo modo obſervent, ſed & Eccleſias & prædicationes, prout alii Catholici, frequentent, & in omnibus Chriſtianorum moribus ſe conformes reddant.

Contemptores autem prædictorum, per Sacerdotes, in quorum Parochiis degent, aut alios, ad quos de jure, vel antiqua conſuetudine de talibus inquirere ſpectat, aut etiam per alios quoſcumque, Dioceſanis ſeu Inquiſitoribus hæreticæ pravitatis deferant, & invocato, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſæcularis, per eos taliter puniantur, quod aliis tranſeat in exemplum. Et inſuper de his omnibus, in Provincialibus & Synodalibus Conciliis diligens fiat inquiſitio, & tàm circa Epiſcopos & Sacerdotes in præmiſſis negligentes, quàm ipſos Neophytos & Infideles prædictos contemptores, opportunum adhibeatur remedium.

Si quis autem cujuſcumque gradus, vel præeminentiæ fuerit, huiuſmodi Neophytos, ne obſervationem ritus Chriſtiani, & aliorum præmiſſorum complectantur, foverit aut defenderit, pœnas contra fautores hæreticorum promulgatas, ipſo facto incurrat; Neophyti verò ſi ſe corrigere poſt monitionem canonicam neglexerint, & ad vomitum judaizantes redire comperti ſint, contra eos tanquam perfidos hæreticos, per Ordinarios locorum, ſecundùm Sacrorum Canonum inſtituta procedatur.

Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ac quibuſvis privilegiis, indultis, & literis etiam Apoſtolicis, ſeu etiam Regiis, vel Imperialibus eiſdem Judæis, vel Infidelibus quomodolibet conceſſis, quæ quatenus in detrimentum Catholicæ Fidei, aut nominis Chriſtiani, ſeu aliquorum ex præmiſſis, quomodolibet vergent, & ad effectum præſentium, caſſamus & irritamus, ac caſſa & irrita eſſe decernimus, aliis decretis, & Conſtitutionibus Apoſtolicis, quæ ſuper præmiſſis ſunt condita, in ſuo robore duraturis.

Et, ut hujuſmodi ſanctæ Conſtitutionis jugis memoria habeatur, & ne quiſquam ipſius ignorantiam prætendere poſſit, illam per ſingulas Cathedrales & Collegiatas Eccleſias, aliaque pia loca, in quibus uberior erit Fidelium concurſus, ſemel in anno ad minùs infrà Divina publicari volumus, & decernimus.

Et quia difficile foret præſentes ad ſingula quæque loca deferre, volumus, & etiam declaramus, quòd earumdem præſentium tranſumptis, ſeu copiis, etiam impreſſis, & manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, ac ſigillo alicujus Prælati munitis, eadem prorſus fides adhibeatur, quæ præſentibus adhiberetur, ubicumque forent exhibitæ vel oſtenſæ.

Datum Romæ apud S. Petrum, ſub annulo Piſcatoris, die 21. Martii, Milleſimo quingenteſimo quadrageſimo ſecundo, Pontificatus noſtri Anno octavo.

Nos igitur, ne tàm ſalubris Conſtitutionis memoria temporis diuturnitate deficiat, obſervantia neglectu cujuſpiam obſoleſcat, aut etiam Fidei hoſtium dolo notitia converti volentibus ſupprimatur, de nonnullorum Venerabilium Fratrum Noſtrorum S. R. E. Cardinalium, & dilectorum filiorum Romanæ Curiæ Prælatorum, quibus hujuſmodi negotium commiſimus expendendum, conſilio, atque etiam Motu proprio, ex certa ſcientia, ac matura deliberatione noſtris, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine eamdem præinſertam Conſtitutionem, omniaque, & ſingula in ea contenta tenore præſentium confirmamus, approbamus, & innovamus, eamque ab omnibus, ad quos pertinet, inviolabiliter obſervari perpetuis futuris temporibus debere ſtatuimus, & mandamus.

Simulque ad omnis dubitationis umbram penitùs removendam eadem a memorato Paulo Prædeceſſore ſtatuta clariùs explicantes, & quatenùs opus ſit, etiam ampliùs extendentes, bona quælibet adventitia, quocumque modo talia cenſeantur, ad filiosfamilias Chriſtianam Religionem profitentes, utpotè a patriæ poteſtatis jugo, quo parentibus Infidelibus ſubdebantur, ſacri Baptiſmatis beneficio prorsùs exemptos, pleno jure ſpectare, neque ſuper illis uſumfructum, aut aliud quodcumque jus prædictis parentibus, quamdiu in Infidelitate permanſerint, ullo modo competere; e contra verò parentes ipſos, alioſque quoſcumque, qui Converſis, eorumque deſcendentibus aliàs alimenta, ſeu Dotem præſtare quocumque titulo, etiam in ſubſidium tenerentur, ad eadem alimenta, ſeu Dotem illius ſubminiſtranda pariter teneri, & obligatos eſſe poſt converſionem eorum, ſimiliter tenore præſentium declaramus,

atque etiam ex integro ſtatuimus, decernimus, & mandamus.

Et quoniam Infidelium, ac præ cæteris Judæorum, malitiam eouſque in odium Chriſtiani nominis proceſſiſſe pluries compertum eſt, ut Bona ſua occultando, ſeu in alios transferendo, vel aliàs de illis inter vivos, vel etiam in ultima voluntate diſponendo, filios, alioſque Conſanguineos ad Chriſti Fidem converſos eorumdem Bonorum ſucceſſione, ad quam ab inteſtato legitimè admittendi fuiſſent, aut etiam ſpe ſucceſſionis ejuſdem fraudare tentaverint: Idcircò Nos, rec. mem. Gregorii PP. XIII. Prædeceſſoris noſtri, qui per ſuas quaſdam ſub annulo Piſcatoris die 13. Septembris 1581. Pontificatus ſui anno decimo datas literas hujuſmodi malo, utpotè in Chriſtianæ Fidei detrimentum cedenti, occurrendum meritò cenſuit, veſtigiis inhærentes, Judæos quoslibet, ſicut & alios Infideles, Bona ſua, & jura quæcumque in præjudicium filiorum, aut aliorum conſanguineorum, qui aliàs ipſis ab inteſtato decedentibus ſucceſſuri eſſent, & Chriſtianam ſuſceperint Religionem, quocumque modo alienare, ſeu occultare, vel diminuere inter vivos, aut in qualibet ultima voluntate non poſſe; ſed potiùs eadem bona, & jura quæcumque (tradita ſtatim poſt Baptiſmum legitima quibuſcumque aliàs poſt obitum competeret eorumdem) integrè conſervare teneri, & obligatos eſſe; tamque ipſos, quàm alios bonorum eorumdem detentores, vel occupatores ad illa, ſeu eorum rationes, quoties opus fuerit, exhibenda, & de eiſdem inventarium legitimè faciendum, & de utendo, & fruendo arbitrio boni viri cavendum opportunis juris, & facti remediis compelli poſſe; atque in eorum bonis, & juribus, ſi in infidelitate deceſſerint, ipſorum filios, ſeu alios quoſcumque conſanguineos, ut præfertur, Chriſtianos eodem prorſus modo, & jure, nulla etiam obſtante ingratitudinis, aut alia quantumvis legitima exhæredationis cauſa, quam, ob ſuſcepti poſteà Baptiſmi venerationem, ſublatam prorsùs eſſe volumus, ſuccedere debere, ac ſi iidem Judæi, ſeu alii Infideles, nullum feciſſent, aut ordinaſſent teſtamentum, vel aliam ultimam voluntatem; omneſque, & ſingulas bonorum, & jurium, ſive inter vivos, ſive in ultima voluntate, alienationes, diſtractiones, aut alias diſpoſitiones prædictas in hujus noſtræ Conſtitutionis fraudem, & in odium Chriſtianæ Fidei factas, ſeu potiùs attentatas cenſeri, ac nullius propterea roboris, & momenti eſſe, motu, ſcientia, & poteſtatis plenitudine ſimilibus, tenore præſentium, ſancimus, decernimus, & ordinamus.

Cæterùm, ne dum provida ſolicitudine temporalia converſis ad fidem commoda comparamus, ſpirituale animarum lucrum negligere videamur in convertendis: quemadmodum Infideles cæteros, qui longè ſunt, ſacris Miſſionibus inſtitutis, Evangelica prædicatione inſtruere non ceſſamus; ita de Judæis etiam, qui magno numero inter Chriſtianos vivunt, & noſtris quodammodò oculis obverſantur, æterna ſalute procuranda præcipuè cogitamus. Triſtitia enim nobis magna eſt (fidenter cum Apoſtolo dicimus,) & continuus dolor cordi noſtro, dum paterni amoris viſceribus miſeramur Iſraeliticam gentem, olim Deo amabilem populum, quem elegit Dominus in hæreditatem ſibi, & cuſtodivit quaſi pupillam oculi ſui; nunc autem (poſtquam Judaica in ſummum ſceleris erumpente perfidia, verè iratus eſt furore Dominus in populum ſuum, & uſque in finem abominatus eſt hæreditatem ſuam) velut gregem ſine Paſtore diſperſum per invia quæque, & inaquoſa miſerè divagantem, ac Verbi Dei, quod illi unicum ſupereſt, ſalutari pabulo deſtitutum, ſolo ſcilicet literæ, quæ occidit, a Judæis cortice deguſtato, ſpiritu verò, qui vivificat, ab animalibus hominibus non percepto.

Propterea ad eoſdem Judæos in ſanctæ Fidei veritate ſalubriter erudiendos, & trahendos ad Chriſtum, ea omnia, & ſingula, quæ de ſacris Lectionibus, ſeu Sermonibus per ſingulas hebdomadas ad ipſos, ubicumque eorum Sinagogæ fuerint, habendis memoratus Gregorius Prædeceſſor noſter in aliis ſuis Anno Incarnationis Dominicæ milleſimo quingenteſimo octogeſimo quarto, Kalendis Septembris, Pontificatus ſui anno tertiodecimo, editis Apoſtolicis literis, quarum tenorem pro expreſſo in præſentibus haberi volumus, ſapienter conſtituta ſunt, ab omnibus, ad quos pertinet, inviolatè ſervari, & ſicubi in deſuetudinem abierunt, in uſum revocari præcipimus, & mandamus: Concionatores omnes, qui ad id munus electi fuerint, ſpecialiter admonentes, iiſque etiam in nomine Domini diſtrictiùs injungentes, ut memoratos Judæos, non injuriis, contumeliis, aut nimia verborum aſperitate, quibus in Judaica magis perfidia obfirmarentur; ſed charitate potiùs, & manſuetudine, quam mitis noſ, & humilis corde Chriſtus edocuit, velut oves errantes ad Sanctæ Eccleſiæ caulas ſuaviter allicere, & patefacta ex veterum potiſſimum, quas venerantur, Scripturarum oraculis, Chriſtianæ veritatis luce, velamen ab oculis eorum detrahere omni ſtudio ſatagant, ut ex Judaicæ pravitatis tenebris, quibus obſcurati ſunt oculi eorum, ne videant, Dei Omnipotentis operante virtute, liberentur.

Poſtremò, Judæos omnes, cæteroſque Infideles quoſcumque, qui ad Baptiſmi gratiam, Deo donante, pervenerint, omnibus Eccleſiarum Prælatis, ac ſæcularibus etiam Principibus per miſericordiæ Dei noſtri viſcera commendamus, ut eos patrocinio foveant, authoritate adjuvent, potentia tueantur, neque ab aliis, præſertim verò a Judæis, aut quibuſvis Infidelibus, ulla in re indebitè vexari patiantur, univerſoſque ubique terrarum Chriſti fideles in Unigeniti Filii Dei, & Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti, cujus vice fungimur, nomine hortamur, & obſecramus, ne venientes ex Infidelitate, præſertim pauperes, deſpiciant, aut averſentur; ſed potiùs novella hujuſmodi Eccleſiæ germina officiis, ac beneficiis, prout quiſque poterit, excolere, & irrigare non deſint, atque, ut veros in Chriſto Fratres, ac domeſticos Fidei effectos, benignè excipiant, in neceſſitatibus ſublevent, & omni demum Chriſtianæ Charitatis genere proſequantur; ut de ſuſcepto ſanctæ Fidei propoſito gaudium ipſorum ſit plenum, & exultatio; iis verò, qui foris ſunt, & adhuc infidelitatis caligine detinentur, ad ejuſdem S. Matris Eccleſiæ gremium properandi deſiderium excitetur.

Decernentes eaſdem præſentes literas, etiam ex eo, quod quicumque in præmiſſis intereſſe habentes, ſeu habere quomodolibet prætendentes eiſdem non conſenſerint, aut vocati, ſeu auditi non fuerint, aliaque quavis de cauſa, quantumvis legitima, & in corpore juris clauſa, de ullo ſubreptionis, vel obreptionis, ſeu nullitatis vitio, aut intentionis noſtræ, vel alio quocumque defectu notari, impugnari, vel in controverſiam revocari, aut ad terminos juris reduci nullatenùs poſſe, ſed ſemper, & perpetuò validas, firmas, & efficaces exiſtere, & ab iis, ad quos ſpectat, & in futurum ſpectabit, inviolabiliter obſervari; Sicque per quoſcumque Judices Ordinarios, & Delegatos, quavis authoritate fungentes, etiam Cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, & S. R. E. Cardinales, etiam de Latere Legatos, ſublata eis, & eorum cuilibet quamvis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & authoritate, ubique judicari, & definiri debere; irritum quoque, & inane quidquid ſecus ſuper omnibus, & ſingulis præmiſſis, vel circa ea a quoquam quavis authoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Non obſtantibus de jure quæſito non tollendo, ac cæteris noſtris, & Cancellariæ regulis, aliiſque Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, etiam Conciliaribus, necnon aliis quibuslibet, etiam juramento, Confirmatione Apoſtolica, aut alia quavis firmitate roboratis Statutis, Conſuetudinibus etiam immemorabilibus, Privilegiis quoque, Indultis, & literis etiam Apoſtolicis, ſeu etiam Regiis, & Imperialibus, eiſdem Judæis, vel Infidelibus quibuslibet ſingulis, aut eorum Univerſitatibus quomodolibet, & ex quibuſvis cauſis, etiam publicis, graviſſimis, & urgentiſſimis, atque etiam titulo oneroſo, & vim contractus hinc inde obligatorii inducente conceſſis, quæ quatenùs in detrimentum Catholicæ Fidei, quam humanis quibuſque rationibus quicumque debet præferre Chriſtianos, quomodolibet vergent, & ad effectum dumtaxat præſentium, caſſamus, & irritamus, ac caſſa, & irrita eſſe decernimus, aliiſque omnibus ſub quibuſcumque verborum tenoribus, & formis quomodolibet in contrarium præmiſſorum editis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis, etiamſi pro ſufficienti illorum derogatione de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes mentio, ſeu quævis alia expreſſio facienda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſervanda foret, illorum omnium, & ſingulorum tenores, formas, & occaſiones, ac alia etiam ſpeciali expreſſione digna, præſentibus pro plenè, & ſufficienter expreſſis, inſertis, & ſervatis reſpectivè habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, ad præmiſſorum effectum ſpecialiter, & expreſsè derogamus, ac derogatum eſſe volumus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Ut

Ut autem eædem præsentes literæ omnibus innotescant, quibuscumque locorum Ordinariis, in quorum Diœcesibus aliqua Judæorum Synagoga, aut notabilis aliorum Infidelium numerus reperiatur, injungimus, & mandamus, ut ea omnia, quæ a Nobis, ut præfertur, constituta, & ordinata sunt, ad eorumdem Judæorum aliorumve Infidelium notitiam quotannis semel, seu pluries, & eo modo, qui iisdem Ordinariis opportunior visus fuerit, sermone vernaculo deduci faciant, & in memoriam revocari; atque ut nemo prorsus earumdem literarum ignorantiam allegare valeat, volumus, ut illæ, seu earum exemplum ad valvas Ecclesiæ Lateranensis, & Basilicæ Principis Apostolorum, ac præfatæ Cancellariæ Apostolicæ, Curiæque Generalis Innocentianæ, necnon in acie Campi Floræ de eadem Urbe per aliquem ex Cursoribus nostris, prout moris est, publicentur, & affigantur; quæ sic publicatæ, & affixæ, omnes, & singulos perindè afficiant, ac si illis personaliter intimatæ fuissent.

Quodque illarum transumptis, etiam impressis, manu Notarii publici subscriptis, & sigillo alicujus Personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis eadem prorsùs fides in judicio, & extra illud adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Nulli ergo omninò hominum liceat paginam hanc nostræ confirmationis, approbationis, innovationis, declarationis, extensionis, statutorum, decretorum, mandatorum, sanctionis, ordinationis, præceptorum admonitionis, commendationis, irritationis, cassationis, derogationis, & voluntatum infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicæ 1703. Quinto Idus Martii, Pontificatus Nostri Anno Quarto.

I. Card. Prodatarius.

F. Oliverius.

Visa de Curia C. A. Fabronus.

Loco † Plumbi.

Philippus Porta.

Registrata in Secretaria Brevium.

Anno a Nativitate D. N. J. C. millesimo septingentesimo quarto, Indictione xij. die verò undecima Martii, Pontificatus autem Sanctiss. in Christo Patris, & D. N. D. Clementis Divina Providentia Papæ XI. anno IV. supradictæ literæ Apostolicæ affixæ, & publicatæ fuerunt ad valvas Ecclesiæ Lateranensis, & Basilicæ Principis Apostolorum, Cancellariæ Apostolicæ, Curiæ Generalis Innocentianæ, in Acie Campi Floræ, ac aliis locis solitis, & consuetis Urbis per me Sebastianum Vasellum SS. D. N. PP. Cursorem.

Pro D. Magistro Cursorum Thomas Orlandus Cursor.

ALIENA.

HAnc juris allegationem in hac causa ediderunt tres Viri Clarissimi in Curia Romana Causarum Advocati, & Patroni, quorum nomina inferiùs leguntur. Cùm ob rationum pondus, ob claritatem, & ob ipsam materiam, quæ frequens est in Tribunalibus Ecclesiasticis, ut typis ederem, ad perpetuam rei memoriam pro bono publico rogatus sum. Agitata fuit causa in S. Congregatione Concilii, a qua emanavit Decretum definitivum pro Abbate, quod infra refertur.

RAVENNATEN.

EMinentiss. & Reverendiss. Domine. Intra limites Parochialis Ecclesiæ Sanctorum Joannis, & Pauli Civitatis Ravennæ extant Ecclesia, & Beneficium sub Invocatione, & Titulo Sancti Antonii Abbatis, quorum Rector in præsenti est Illustrissimus, & Reverendissimus Dominus Abbas Alexander Rusca noster Principalis. Confluentibus de more ad Ecclesiam S. Antonii Christifidelibus cum equis, & aliis animalibus in die festo ejusdem (antiquissimus enim, & hodie penè universalis Christifidelium usus est commendandi cujuscumque generis Bruta præsidio hujus Sancti tanquam illorum sospitatoris apud Deum, teste Molan. *de Sanct. Imagin. lib. 3. cap. 5.* Raynaud. *in suis Symbol. Antonian. §. 8. num. 2. in princip. & in fin. & num. 5. oper. tom. 8. fol. mihi* 389. Rota coram Cerro *decis. 51. numer. 5.*) Consueverunt Rector ejusdem Ecclesiæ Sancti Antonii, sive illius Capellani aspersionem aquæ benedictæ dictis animalibus impertiri, atque oblationes, quæ fiunt occasione dictæ aspersionis, quam vulgus benedictionem appellat, quæque in annis singulis non excedunt scuta 4. 50. a piè largientibus recipere, ut de his omnibus constat, Summario *num. 1. & 2.* & de hac eadem consuetudine faciendi, & respectivè recipiendi has oblationes in festivitate dicti Sancti vigente in toto Orbe Christiano, præsertim in Regionibus Italiæ, testatur Rota *dict. decis. 51. num. 5. & 6.* confirmata *decis. 99. num. 1.* coram Cerro.

Insurrexit nuper modernus Parochus dictæ Ecclesiæ 2
Sanctorum Joannis, & Pauli, prætendens dictam aspersionem non posse fieri nisi de ipsius licentia, & supradictas oblationes ad se spectare. Contingit itaque in hac Sacra Congregatione, ad quam ab Illustrissimo, & Reverendissimo Domino Auditore Sanctissimi præsens causa fuit remissa, prævia manutentione in omnibus concessa nostro Principali, disputari.

Primò; An liceat Rectori Ecclesiæ Sancti Antonii Abbatis, sive ejus Capellanis in Januis Ecclesiæ, vel extra illam cum Cotta, & Stola, vel sine, publicè benedicere Animalibus in die festo ejusdem, irrequisito, & contradicente Parocho Ecclesiæ Sanctorum Joannis, & Pauli, intra cujus limites extat Ecclesia Sancti Antonii?

Secundò; An oblationes, quæ fiunt occasione dictarum benedictionum, spectent ad dictum Rectorem, vel potiùs ad Parochum?

Et in omnibus affirmativè responderi supplicamus. 3
Etenim quoad primum cùm Ecclesia, & Beneficium, ut præmisimus, sint erecta, & fundata sub invocatione, & titulo Sancti Antonii Abbatis, non potest in dubium revocari, quin gaudere debeant exemptione, & aliis Privilegiis competentibus Monasterio Sancti Antonii Viennensis, cui subjecta reperiuntur ex satis nota dispositione Sanctæ memoriæ Leonis Decimi redacta in Constitutionem in forma Rationi congruit per Sanctæ memoriæ Clementem VII. ut in istius Constitutione 2. §. 19. Bullar. nov. tom. 1. pag. mihi 472. ibi: *Ac quod Hospitalia, Capellæ, Oratoria, Beneficia, & alia pia loca etiam in Urbe, & Curia hujusmodi, seu aliis quibuscumque Terris, Dominiis, & locis sub dicti Sancti Antonii invocatione fundata, constructa, ædificata, & erecta, & quæ in posterum perpetuis futuris temporibus fundari, construi, ædificari, & erigi contigerit, cùm eorum applicationibus, appropriationibus, unionibus, annexionibus, & incorporationibus factis, & deinceps faciendis ad Abbatem, & Religionem hujusmodi spectarent, & pertinerent, illisque subjicerentur, & subjecta existerent, & a dicto Monasterio dependerent.* Textus est in *cap. recolentes §. Cæterùm de stat. Monach.* & firmant Barbos. *de potest. Episcop. part. 3. alleg.* 105. *numero* 17. *in fine*, Cardin. de Luca *de Regular. discurs. 26. num. 2.* Rot. coram Bichio, *decis. 421. num. 6.* & decrevit in specie favore hujus Religionis sanctæ memoriæ Pius IV. sua *Constitut. 100. §. 3. tom. 2.* Bullar. *pag. 116.* & respondit Rota *in Tranen. præceptoriæ 23. Martii 1689. coram R. P. D. Ursino §. nec benè impugnatur, vers. Secundò ex dependentia*, ubi quod quale est Monasterium Sancti Antonii Viennensis, talia sunt quoque illius membra, & *§. finali*, ubi quod in hac Religione adest unicum Monasterium generale Viennen. a quo dependent omnes domus, & præceptoriæ ubique existentes, & cujus sunt communes.

De exemptione dicti Monasterii non potest dubitari, de illa enim constat ex Privilegio sanctæ memoriæ Bonifacii VIII. ut in ejus Constitutione 5. §. 9. *tom. 1.* Bullar. *pag.* 157. ubi de exemptione etiam competente illius membris, sanctæ memoriæ Leonis X. dicta Constitutio 2. Clementis VII. §. 16. & pluribus seqq. *dict. tom. 1. pag.* 472. aliorumque Summorum Pontificum, quos in specie recenset Tamburin. *de jur. Abbat. tom. 1. disput. 15. quæst. 4. num. 16.* Atque ex eo etiam quod dictus Summus Pontifex Bonifacius VIII. *dicta Constit. 5. §. 1.* & successivè Leo X. *dicta Constit. 2.* Clementis VII. pariter *§. 1.* & Pius IV. *dicta Constitution. 100. similiter §. 1.* declararunt prædictum Monasterium esse immediatè subjectum Sanctæ Sedi Apostolicæ, 4

licæ, ut punctualiter determinat textus *in cap. dilectus, verſ. ad hæc de Capell. Monach.* Calder. *conſ.* 14. *in fine de cenſ.* Fagnan. *in cap. ex parte num.* 33. *de privileg.*

5 Eo ipſo autem quod Monaſterium Sancti Antonii Viennenſis, illiuſque membra annexa, & dependentia ſunt exempta, ceſſat quod illa, & illorum Eccleſias quælibet aſſiſtentia juris favore Parochi ſuper exercitio juriſdictionis ſibi competentis a *cap. dilectus verſ. Cùm enim de Capell. Monach.* Panimoll. *deciſ.* 1. *adnotat.* 10. *num.* 2. & 5. Rot. *poſt Poſth. de manut. dec.* 260. & coram Zarate *dec.* 45. utrobique *num.* 3.

6 Et quod iſta Religio ſit ſuffulta Privilegio benedicendi animalibus, præter quod eſt notorium ubique patet ex Conſtitutione ſanctæ memoriæ Gregorii XIII. *la* 73. §. 5. *tom.* 2. Bullar. *pag.* 342.

7 Addimus ex abundanti, quod quatenus Eccleſia Sancti Antonii eſſet merè Sæcularis, quod expreſsè negamus, adhuc non ſubſiſteret prætenſio Parochi adverſarii impediendi dictam aſperſionem, vel quod illa fieri debeat de ipſius licentia. De jure enim communi Eccleſiæ Parochiali, quæ non ſit etiam Cathedralis, nil competit in aliis Eccleſiis intra ejus limites exiſtentis, ut communiter ſentiunt Doctores, teſte Abb. *in c. dilectus num.* 11. *de Capell. Monach.* exceptis juribus Parochialibus, Cardin. de Luca *de Paroch. diſc.* 31. *num.* 6. & 7. & *in ſupplem. ad tract. de præben. diſcurſ.* 42. *num.* 11. Pyringh. *ſuper decretal. tom.* 3. *tit.* 48. *num.* 13. *verſ. Quare in Eccleſia*; latè Rota *deciſ.* 85. *per tot. part.* 3. coram Ubald. & *in magiſtrali deciſ.* 2089. *num.* 10. *cum multis ſeq.* coram Coccino, quæ dumtaxat ſunt illa quinque enumerata per Abb. *in rubr. de Paroch. num.* 2. Roman. *conſ.* 356. *num.* 3. Barboſ. *de Paroch. cap.* 12. *num.* 16. Cardinal. de Luca *d. diſcurſ.* 31. *num.* 8. Rota *dict. dec.* 2089. *a num.* 3. *ad* 9. coram Coccino.

8 Maximè quando, ut in caſu noſtro, Eccleſia inferior habet proprium, & verum Rectorem, Rota *dict. deciſ.* 2089. *in fin.* coram Coccino, & ingenuè faſſus eſt Pignatell. licèt pro ſuo Parochorum Collegio, in hac Sacra Congregatione, ſcribens *Conſult.* 73. *num.* 60. 133. & 144. *tom.* 8. & fuit perpetuus ſenſus ejuſdem Sacræ Congregationis in hac materia, & ſignanter in Nonantulana jurium Parochialium de anno 1685. & in Faventina itidem jurium Parochialium de anno 1693.

9 In nihilo refragante, quod præter jura Parochialia enumerata per allegatos Doctores, ſint etiam functiones Parochiales, quæ licèt ſint quid diverſum a juribus Parochialibus, tamen in illis peragendis nemo ſe ingerere poteſt præter Parochum intra limites ſuæ Parochiæ, ex Ricc. *in prax. Eccleſ. parte* 4. *reſolut.* 305. & aliis ex adverto, ut credimus, allegandis; nos enim expreſsè negamus hujuſmodi aſperſiones eſſe functiones Parochiales, etſi Parochus adverſarius contrarium prætendit, ipſi incumbit onus probandi, Rota *d. dec.* 2089. *num.* 11. coram Coccino.

10 Diximus aſperſiones aquæ benedictæ ad differentiam formalium benedictionum animalium, de quibus loquitur prædicta Conſtitutio ſanctæ memoriæ Gregorii XIII. *la* 73. *dict.* § 5. *tom.* 2. *Bullar. pag.* 342. & quarum formula ponit Capell. *in ſuo Circulo aureo ultimæ impreſſionis Venetæ fol.* 253. quæ verè hic non agitur de illis; noſtri enim Capellani nil aliud faciunt, quàm aſpergere aqua benedicta animalia devotorum Chriſtifidelium ad Eccleſiam Sancti Antonii cum illis confluentium, nullis in id adhibitis ſignis, nulliſque prolatis verbis, ſeu precibus; unde impediri nequeunt a Parocho, cùm hic actus competat cuilibet Sacerdoti tàm Regulari, quàm ſæculari, ad differentiam benedictionis ſolemnis, ut in terminis benedicendi ſortioribus, docet Nicol. *in Floſcul. verb. Parochus num.* 17. *in fin.* ubi ad id allegat Decretum Sacræ Congregationis Epiſcoporum, & Regularium 5. Maji 1618. aliàs ſi hujuſmodi actus per ſe ſumptus canonizaretur pro functione privativè ad Parochum ſpectantè, eſſet, ut ita dicam, prohibere uſum aquæ luſtralis omnibus Eccleſiis præter Parochiales, quod quantum a jure abſonum eſſet, remittitur prudentiæ Eminentiſſimorum Patrum.

11 At quatenus ageretur de formalibus benedictionibus animalium, adhuc haberemus intentum, quia iſtæ benedictiones non ſunt de illis, quæ ſunt deſcriptæ in Miſſali, aut Rituali Romano; benedictiones autem, quas facere ſpectat ad Parochum privativè quoad alios Sacerdotes, non ſolùm ſunt deſcriptæ in dicto Rituali, ſed ibi notatur, quod fiant a Parocho, & quatenus additur, ſeu ab alio Sacerdote, intelligitur de licentia ipſius Parochi, ut benè obſervat Quart. *de benedict. tit. de benedict. in gener. ſect.* 4. *dubit.* 4. *in fin. pag.* 22. aliæ verò, quæ habentur extra Rituale, fieri poſſunt a quocumque Sacerdote, Gavant. *in Rubric. Miſſ. part.* 4. *tit.* 19. *num.* 1. & 20. Quart. *ubi proximè*, & benedictiones, quæ ſunt propriæ Parochi privativè, enumerant, Quarant. *in Summ. Bullar. verb. Miſſ. in fine*, Hieronymus Carat. *de jur. Paroch. tit.* 1. *cap.* 6. Ricc. *in prax. Eccleſ. part.* 4. *reſol.* 306. & *quinque ſeqq.* Barboſ. *de Paroch. cap.* 12. *per tot.* Quart. *loc. cit.*

Cùm itaque non reperiatur aliquo jure cautum, quod functiones benedicendi animalibus ſint Parochiales, militat pro nobis regula, quod in dubio eſt judicandum pro libertate Eccleſiæ inferioris adverſus Parochum prætendentem acquirere ſervitutem in illa, ut aliis allegatis firmat Cardin. de Luca *de Paroch. diſcurſ.* 30. *num.* 3. *circa finem*. Accedente potiſſimum obſervatione, quæ in hac quoque materia, ſicut in aliis, eſt attendenda, ut in puncto benedictionum, tradit Lauret. de Franch. *controverſ. inter Epiſcop. & Regular. part.* 2. *quæſt.* 69. *in fine*, Cardin. de Luca *de Paroch. diſcurſ.* 31. *num.* 7. *in fine*, & pluribus aliis allegatis, atque contrarium ſentientibus reprobatis, Gobat. *exper. theologico Sacrament. tom.* 1. *tract.* 3. *num.* 362. *cum duobus ſeqq.* & pluribus Decretis Sacræ Congregationis Epiſcoporum, & Regularium adductis, Nicol. *in Floſcul. verb. Parochus num.* 17. *verſic.* & ita ſervandum, niſi obſtet conſuetudo in contrarium. 12

His verò ita ſe habentibus, parum intereſt Rectoriis Eccleſiæ Sancti Antonii diſputari, ubinam faciendæ ſint iſtæ aſperſiones, an ſcilicet in januis dictæ Eccleſiæ, vel in via extra illam, ſimilique modò circa indumenta, quibus uti debent Capellani, qui illas faciunt, an nempè deferre poſſint Superpelliceum, & Stolam, vel Superpelliceum tantùm; nihilominùs reverenter inſinuamus Eminentiſſimis Patribus formam practicari ſolitam in contingenti caſu hic in Urbe aliarum Magiſtra, ubi Presbyteri ad hoc deputati illas faciunt extra Eccleſiam Sancti Antonii in loco cohærente parieti ipſius, induti Superpelliceo, & Stola, quæ quidem eſt ſignum Sacerdotalis officii, non juriſdictionis, ut fortiter probat Pignatell. *Conſult.* 48. *num.* 40. *tom.* 3. 13

Quoad ſecundum dubium res caret omni prorſus difficultate, aut enim Eccleſia noſtra principalis tanquam erecta, & fundata ſub invocatione Sancti Antonii Abbatis reputari debet ſubjecta Monaſterio Sancti Antonii Viennenſis juxta allegata *ſupra §. Etenim*, aut non; primo caſu, cùm ſit Regularis, vel ſaltem a Regulari dependens, gaudere debet Privilegio etiam in hac parte competente tum Eccleſiis quorumcumque Regularium in genere, *ut in cap.* 1. *in fin.* ubi Abbat. *in* 4. *notab. de ſtat. Monach. cap. nimis il primo circa finem de exceſſ. Prælatorum*, idem Abbas *in cap. Dilectus num.* 4. *circa medium*, *verſ. ſed in Monaſteriis de offic. Ordin.* Fagnan. *in cap. Paſtoralis num.* 24. *verſ. ſed Abbas*, & *numero* 34. *de his*, *quæ fiunt a Prælatis*, Petr. de Ubald. *de* 4. *Canon. cap.* 4. *quæſt.* 16. *num.* 6. Ferrett. *conſ.* 143. *num.* 2. Mariſcot. *var. lib.* 2. *cap.* 42. *num.* 3. Beller. *diſquiſit. Cleric. part.* 1. *de bonis Clericis §.* 3. *num.* 2. juncto antecedenti *in v. aut hujuſmodi oblationes*, *fol. mihi* 425. Tum in ſpecie Eccleſiis, Hoſpitalibus Eccleſiaſticis, Beneficiis, & aliis Locis piis erectis, & fundatis ſub invocatione S. Antonii, ut in dicta Conſtitutione Clementis VII. *la* 2. §. 7. *tom.* 1. Bullar. 471. in punct. Soccin. *de oblat.* in ultimo libello inter tract. magn. *tom.* 14. *pag. mihi* 136. Aymar. Falcor. *in compend. Hiſtor. Anton.* Hiſpano idiomate tranſcript. *part.* 4. *cap.* 27. *verſ. eſto meſmo Pontifice*, ubi mentionem facit de ſimili Privilegio antecedenter a ſanctæ memoriæ Sixto IV. conceſſo huic Ordini. 14

Secundò, autem caſu obſtat Parocho adverſario mens, & voluntas piè offerentium, quæ eſt, ut oblationes, quæ per ipſos fiunt, acquirantur Eccleſiæ Sancti Antonii, non autem alteri; Regula enim, quod oblationes, quæ fiunt intra limites Parochiæ, ſpectent ad Eccleſiam Parochialem, procedit ſolùm, quando oblationes fiunt intuitu ejuſdem, vel in dubio, quando nempè non conſtat, cujus intuitu fiant, juxta diſtinctionem hodie communiter per Doctores, & in praxi receptam, cujus anteſignanus fuit Petrus de Ubald. *de* 4. *Canonic. cap.* 4. *quæſt.* 16. *in princip. num.* 5. inter tract. magn. *tom.* 15. *part.* 2. *fol. mihi* 211. *tergo*, laudat, & ſequitur Felin. *in cap. dilectus num.* 1. *in fine ff. de offic. Ordin.* Soccin. *de oblat. libell.* 18. *in princip.* & *num.* 3. 11. & 16. inter dd. tract. *tom.* 14. *fol.* 123. Fagnan. *in cap. Paſtoralis num.* 29. *de his*, *quæ fiunt a Prælatis*, Mantic. *de tacit. lib.* 13. *tit.* 21. *num.* 38. *verſ. hoc ſanè intelligitur*, Lotter. *de re benef. lib.* 1. *quæſt.* 30. *num.* 31. & *ſeqq. verſ. nihilominùs contrarium*, ubi quod quando conſtat de intentione offerentis, non eſt flectendum ab illa, etſi nunc Parochus illas perciperet, ſaperet manifeſtam iniquitatem, Barboſ. *de poteſt. Epiſcop. part.* 3. *alleg.* 80. 15

num.

num. 15. Jordan. *elucubrat. tom. 2. lib. 10. tit. 13. num. 35. vers. Quod si appareat, & num. 37.* ubi quod ita ipse practicavit contra quendam Parochum ad evitandum Populorum scandalum, & ne tepesceret fervor concursus, & oblationum, Cardin. de Luca *de decim. discurs. 19. num. 9.* ubi quod sufficit, quod adminiculativè, & conjecturaliter constet de voluntate facientium oblationes, Aufrer. ad Capel. Tholos. *decis. 483. circa medium*, ibi: *Nisi aliud appareret de intentione offerentis*, Rota coram Pamphilio *decis. 286. ferè per tot.* & coram Merlino, *decis. 257. num. 8.* repetit. in recent. *decisio 37. part. 5.*

16 De mente, & voluntate offerentium, quod oblationes spectent ad Ecclesiam Sancti Antonii, in præsenti non potest dubitari, cùm illas faciant occasione concursus ad ipsam singulis annis in die festo ejusdem Sancti Titularis cum suis animalibus pro benedictionibus recipiendis, & sic unicè intuitu ejusdem Sancti Sospitatoris suorum animalium, ut præter allegatos, latè Torr. *de pact. futur. success. lib. 3. cap. 1. num. 241. & seqq.* Romaguer. *ad Concil. super statut. Eugub. lib. 1. rubric. 8. num. 7.* novissimè, ac latissimè Zaul. *ad Stat. Favent. lib. 3. rubr. 21. num. 65. & seqq. ubi numer. 71.* per extensum refert declarationem hujus Sacræ Congregationis, & in his ipsissimis terminis nostris exemplificat Cardinalis de Luca *de decim. d. discurs. 19. num. 13.* sequitur alter de Luca ad Gratian. *tom. 2. cap. 399. num. 9. vers. limitatur, & vers. vel agitur*, & in observat. ad Ventrigl. *part. 2. post adnot. 26. sub num. 4. & 7.* & respondit Rota coram Cerro *d. decis. 51. num. 6.* juncta præsertim observantia, quæ quidem est optima hujus voluntatis interpres, ut inquit Soccin. *de oblat. dict. libell. 18. a num. 11. ad 16.* istaque observantia non solùm est particularis Ecclesiæ Sancti Antonii nostræ principalis, Sum. *dict. num. 1.* sed ut diximus in principio, generalis etiam omnium aliarum ejusdem nominis, præsertim in Italia, ut in *d. decis. 51. num. 5. & 6. & decis. 99. num. 1.* coram Cerro.

Camillus Spretus)
Scipio Zanellus) Advocati

Joannes de Blanchis.

Sacra Congregatione Concilii Ravennatensis. Pro Illustris. & Reverendis. D. Abbate Alexandro Rusca Rectore Ecclesiæ Sancti Antonii Abbatis. Contra R. D. Carolum Luconum Parochum SS. Joannis, & Pauli.

Restrictus facti, & juris.

Die 12. Novembris 1695.

Ad primum, & secundum: *Servandum esse solitum.*

His rationibus Pars adversa in hunc modum respondit:

RESPONSIO.

Ravennatensis benedictionis animalium.

17 EMinentissime, & Reverendis. D. Proposita dubia non obstantibus ex adverso deductis adhuc favore Parochi principalis mei videntur resolvenda. Nam posito quod publica benedictio animalium de jure spectet ad Parochum, ut firmavi in mea informatione *§. Nam quoad primum, & §. Sequen.* non obstat dispositio sanctæ memoriæ Leonis X. seu Constitutio sanctæ memoriæ Clementis VII. ex adverso allegata, quia in ea non disponitur, quod quæcumque Ecclesiæ seu Beneficia constructæ, seu erecta sub invocatione S. Antonii Abbatis in Statu Sæcularitatis, & antequam efficiantur Regularia, sint exempta a jurisdictione Ordinaria: Sed tribuitur Religioni Sancti Antonii facultas assumendi in se administrationem quorumcumque Beneficiorum, & Ecclesiarum Sæcularium: Unde cùm non doceatur Ecclesiam Sancti Antonii Ravennæ, seu Beneficium, de quo agitur, fuisse aliquo tempore, aut in præsenti esse Regulare, vel dictæ Religioni quoquomodo subjectum, & è converso ultra juris præsumptionem, qua omnia beneficia præsumuntur sæcularia, patet evidenter, quod sit sæculare, dum possidetur ab adversario, cui tanquam Clerico Sæculari conferri non potuisset Beneficium Regulari, ex Conciliari dispositione *in cap. 10. sess. 24. de reformat.* Lotter. *de re benef. lib. 2. quæst. 31. num. 3.* Ecclesia Sancti Antonii nullatenus est exempta, nec adversarius ratione dicti Beneficii, cujus erectio facta non fuit sub invocatione Sancti Antonii, sed Sancti Joannis Chrysostomi, vulgò *del Besso*, ut refert Fabr. in Sacr. mem. verbo *S. Antonio*, potest gaudere Privilegio exemptionis quoad benedictiones Animalium concesso præfatæ Religioni, quia privilegia non sunt extendenda de persona ad personam, nec de loco ad locum, *cap. per emptionem de privileg. in 6.* Rota *decis. 483. num. 12. part. 14. & dec. 741. num. 10. part. 18. & dec. 201. num. 12. & 13. par. 19. recent.*

Quinimmò etiamsi dicta Ecclesia fuisset aliquo tempore Regularis Monachorum S. Antonii, cùm hodie sit effecta Sæcularis, jura, & privilegia dictorum Monachorum non transirent in Dominum Adversarium de ea principaliter institutum, & subrogatum sub diversa natura, & qualitate, ut in terminis firmat Rota *decis. 325. num. 14.* coram Cerro. 18

Nec admisso, quod Ecclesia Sancti Antonii Ravennæ sit Sæcularis, afficiunt authoritates per Dominos meos ex adverso scribentes allegatæ in eorum restrictu, *§. Addimus ex abbundanti, & §. Maximè quando*, firmantes, quod Ecclesia inferior habens proprium Rectorem non sit subjecta Parochiali, & consequenter, quod possit Rector in ea Ecclesiasticas functiones peragere etiam invito Parocho. 19

Parochus siquidem non prætendit Ecclesiam Sancti Antonii esse taliter subjectam Parochiali, quod nullus possit Rector adversarius in ea Ecclesiasticas functiones facere absque ejus licentia, sed illas tantùm functiones, quæ fiunt extra Ecclesiam, vel ex quibus infertur præjudicium juribus Parochialibus. Quas quidem functiones Rector facere non prohibetur uti inferior, aut dependens a Parocho, sed uti perturbator jurium Parochialium, ut advertit Rota coram Peutingerio *decis. 172. num. 4.* & comprobant ipsæmet authoritates ex adverso allegatæ. 20

Minùs quoque obstat ex adverso adducta distinctio Gavanti *in Rubr. Missal. part. 4. tit. 19. num. 1. & 20.* nempè quod benedictiones, quæ habentur in Missali, citrà præjudicium jurium Parochialium possunt fieri a quocumque Sacerdote, quæ verò habentur in Rituali ad solos Parochos spectant: Tum quia versamur in prima parte distinctionis, dum ex benedictionibus Animalium, Parocho infertur præjudicium circa oblationes, quæ inter jura Parochialia connumerantur, ut præventivè deduxi in mea informatione *§. maximè.* 21

Tum etiam quia dicta distinctione expressè reprobata, Nicol. *in Flosc. verb. Parochus num. 17. vers. Gavantus, & vers. sed vera*, veram regulam assignat, nempè quod benedictiones publicæ ad solum Parochum, & privatæ ad quemcumque Sacerdotem spectant: ubi duas allegat resolutiones; alteram Sacræ Congregationis Episcoporum, & Regularium in causam Capuccini 31. Augusti 1629. alteram verò hujus Sacræ Congregationis die 5. Maji 1618. Immò cùm dictus Gavantus non dicat benedictiones animalium non spectare ad Parochum, hæc benedictio connumeranda est inter functiones Parochiales enumeratas ab ipsomet Gavanto *in Manuale Episcoporum verbo Parochus num. 21.* ubi in fine dicit, & similes; benedictio enim Animalium similis est benedictioni Ovorum, Agnorum in Paschate, Navium, & Domorum aspersionem. 22

Fides Testium ad probandam observantiam ex adverso adductæ, cùm non sint recognitæ, & extortæ lite pendente absque Partis citatione, nullius sunt relevantiæ, Rota *decis. 146. num. 18. part. 9. & decis. 212. num. 17. & decis. 273. num. 6. part. 19. recent.* 23

Quoad oblationes sufficit sola responsio, quod totum fundamentum Partis adversæ consistit in offerentium intentione, & de ea nulla concludens, nec adminiculativa exhibetur probatio, & per consequens firma remanet regula, quod hujusmodi oblationes spectant ad Parochum. 24

Scipio Martiranus.

Partis adversæ rationibus ita respondit Pars principalis.

EMinentissime, & Reverendissime Domine. Præsens causa agitur per Parochum adversarium cum Rectore Ecclesiæ, & Beneficii sub invocatione, & titulo Sancti Antonii Abbatis, idque manifestè constat ex literis Apostolicis provisionis factæ in personam Illustrissimi, & Reveverendissimi Domini Principalis, & ex instrumento possessionis per ipsum adeptæ, datis in authentica forma in manibus R. P. D. Secretarii, in quibus nulla fit mentio alterius asserti Beneficii S. Joannis Chrysostomi, & prædictæ literæ Apostolicæ sunt 25

ad

ad inſtar aliarum antecedentium, quemadmodum teſtatur Reverendiſſimus Archiepiſcopus Ordinarius in ſua relatione in calce informationis ex adverſo.

26 Hoc ſtante intrat inevitabile dilemma, quod nempè, aut prædicta Eccleſia eſt ſubjecta Monaſterio, & Ordini Sancti Antonii Viennenſis juxta demandata in Conſtitutione ſecunda ſanctæ memoriæ Clementis VII. §. 19. *tom.* 1. *Bullar. pag.* 472. & gaudet exemptione a juribus Parochiæ, ex allegatis in noſtro Reſtrictu, §. *& in omnibus*, *& tribus ſeqq.* juncto §. *Quoad ſecundum*; aut non eſt ſubjecta, & cùm agatur de Eccleſia, licèt ſæculari, quæ habet ſuum verum, & proprium Rectorem, & neque iſto caſu Parochus adverſarius poteſt impedire, quod in illa exerceantur omnes functiones Eccleſiaſticæ, quæ non præjudicant ſuis juribus Parochialibus, juxta diſtinctionem, quam firmavimus in Reſtrictu §. *addimus*, *& §. ſeqq.* ex communi ſenſu Doctorum, & Rotæ, necnon praxi hodie paſſim ſervata in hac Sacra Congregatione.

27 Idque etiamſi præmiſſæ functiones quodammodò aberrarent a Rituali Eccleſiaſtico (quod tamen in præſenti non contingit,) quoniam ſuper hoc non ſpectat ad Parochum cognoſcere, ſed ad Ordinarium, ut benè per Cardin. de Luca *de Paroch. diſcurſ.* 30. *num.* 3. *verſic. ſecluſo*, *& num. ſeqq. & diſcurſ.* 31. *a num.* 4. *ad plures ſeqq.* ex gratia videndos.

28 Certiùs quando, prout in præſenti, agitur de ſimplici functione aſpergendi aqua benedicta animalia Chriſtifidelium ad dictam Eccleſiam confluentium in die feſto Sancti Antonii Titularis ejuſdem, quæ non ſolùm non eſt Parochialis, ut fusè probavimus in Reſtrictu, ſed unicè, & ubique fieri ſolet per Rectores Eccleſiarum ſub invocatione dicti Sancti, & quatenùs fieri contingeret per Parochum adverſarium, procuidubio tepeſceret in Civibus Ravennatibus fervor concurſus, & oblationum, juxta ponderata per Doctores, præſertim per Lotther. & Jordan. allegatos in reſtrictu §. *ſecundo autem caſu*; cùm ſcilicèt tàm concurſus, quàm oblationes in præſenti fiant intuitu Eccleſiæ, & Imaginis dicti Sancti, quem fideles piè credunt ſoſpitatorem ſuorum animalium, ut infinita etiam miracula comprobarunt, quemadmodum teſtantur Raynaud. *in ſuis ſymbol. Antonian.* §. 8. *num.* 2. *& 5. oper. tom.* 8. *pag.* 389. & Rota coram Cerro *deciſ.* 51. *num.* 5.

29 Doctores ex adverſo allegati ad firmandum, quod benedictiones, quæ publicè fiunt, privativè ſpectent ad Parochum, nobis non contradicunt ex duplici ratione. Primò, quia loquuntur in terminis benedictionum ſolemnium, non autem ſimplicis aſperſionis aquæ benedictæ, qui eſt caſus noſter. Secundò, quia ſunt plures etiam benedictiones, quæ poſſunt fieri a quocumque Sacerdote publicè abſque præjudicio Parochiæ, quas ponit Gavant. *in Rubric. Miſſal. part.* 4. *titul.* 19. *numero* 1. ubi in ſpecie de benedictione Agni, & Ovorum in Paſchate, novæ navis, & ſimilium, *& num.* 20. Nicol. *in Floſcul. v. Parochus num.* 17. *in fine*, ubi de benedictione fornacis, & aliorum hujus generis.

Quod uſus iſtius aſperſionis fuerit introductus paucis ab hinc annis, non ſubſiſtit in facto, quia ex noſtro Summario *num.* 1. conſtat de inveterata praxi a quinquaginta annis, & ultrà, præſertim tempore bonæ memoriæ Julii Zavonæ immediati anteceſſoris Parochi adverſarii, qui rexit Parochiam Sanctorum Joannis, & Pauli per annos ferè quadraginta, abſque eo, quod unquam reclamaverit adverſus iſtas aſperſiones, & receptiones oblationum, quemadmodum præ cæteris teſtatur D. Nicolaus Zavona ejus frater germanus, qui ſemper fuit contubernalis ejuſdem *dict. num.* 1. *litera A.* & cùm dictus bonæ memoriæ Julius fuerit vir diligens, doctus, & verè pius, & tanquam talis meruerit decorari ab hac Sacra Congregatione munere, & dignitate Vicarii Capitularis durante vacatione Sedis Archiepiſcopalis per obitum bonæ memoriæ Reverendiſſimi Guinigii, quod munus laudabiliter exercuit ferè per annum, inde evidenter dignoſcitur, quàm ſit calumnioſum ſuppoſitum Parochi adverſarii, quod iſta praxis irrepſerit ex metu reverentiali, ſeu ex aſſerta potentia adminiſtratorum pro tempore Beneficii Sancti Antonii Abbatis, præſertim quia per eumdem Parochum non docetur, quod dictam adminiſtrationem habuerit ullus Vicarius Generalis Reverendiſſimi Archiepiſcopi pro tempore, ut gratis aſſeritur. 30

Nec habemus neceſſe ad ſubſtinendam hanc praxim docere formiter de conſuetudine, tum quia eſt notoria ubique, teſte Rota *d. dec.* 51. *n.* 5. coram Cerro. Tum quia hic non agitur de functionibus Parochialibus, in quibus terminis loquuntur Gratian. & alii ex adverſo laudati, & licèt quantum pertinet ad oblationes, nos non negemus, quod iſtæ regulariter ſint de jure Parochiæ, tamen regula evitatur, animadvertendo, quod oblationes in noſtro caſu fiunt habito reſpectu ad Eccleſiam, Imaginem, & feſtivitatem Sancti Antonii, & intuitu præſervationis animalium, quam ab illo ſperant obtinere Chriſtifideles offerentes, in quibus terminis habemus individualiſſimos Doctores, & Rotam firmantes illas ſpectare ad Eccleſiam S. Antonii, illiuſque fructus augere, prout in noſtro Reſtrictu, §. *fin.* 31

Tantòque magis, quia ex ipſa relatione Reverendiſſimi Archiepiſcopi Ordinarii in calce informationis ex adverſo conſtat in præſenti caſu, quod oblationes utiliter conſumuntur in reparationem Eccleſiæ vetuſtate labentis, & in ipſius miniſtrorum ſubſtentationem, quemadmodum fatetur ipſemet Dominus ex adverſo ſcribens in ſua informatione, §. *hoc poſito*, in quibus caſibus adminiſtrationem etiam ſpectare ad Rectorem, non autem ad Parochum, reſolvit hæc Sacra Congregatio *in Nonantulana Jurium Parochialium* 13. *Januarii* 1685. *ad octavum dubium*. 32

Joannes de Blanchis.

Quibus omnibus mota Sacra Congregatio die 12. Novembris 1695. cenſuit ad primum, & ſecundum *ſervandum eſſe ſolitum*.

F I N I S.